BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
39 K
30

Digitized by Google

Digitized by Google

6
9 K
30

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SEBASTIANI BARRADAS OLYSSIPONENSIS

E SOCIETATE IESV

DOCTORIS THEOLOGI, ET IN Eborensi Academia quondam sacrarum literarum Professoris;

Commentariorum

In Concordiam, & Historiam quattuor Euangelistarum.

Tomus Quintus, & vltimus

CHRISTI GESTA, EXTREMI ILLIVS Temporis, quo mortalem vixit vitam, continens.

Accessit [illegible] series, atque ord[illegible] Euangelistarum [illegible] Index, [illegible] gulorum Euangelistarum [illegible] Tomo contin[illegible]

Cum Triplici Indice; Vno, locorum sacræ Scripturæ: Altero, eorum quæ pertinent ad doctrinam moralem, & vsum concionantium: Tertio, rerum & sententiarum memorabilium.

OMNIA NVNC DENVO IN LVCEM EDITA.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. D. METELLVM Bichum Tituli Sancti Alexij Cardinalem Suanensem.

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS, M. DC. XII.

Apud Bernardum Iuntam, Io. Baptistam Ciottum, & Socios.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illustriss. & Reuerendiss. D.

D. METELLO BICHO TIT. SANCTI ALEXII CARD. SVANENSI.

TANDEM aliquando, quod omnibus votis maximè optabam, Vir Illustriss. occasio sese mihi obtulit testandæ meæ erga te singularis obseruantiæ, quam animo primùm conceptam tu multis officijs aluisti, ego eorumdem memoria semper excolui, semper, dum vita supererit, colam. Barradij opus est, quod nunc ipse ad te, pium, doctum, aptissimum tibi, cui nunquam non propositum, & infixum pectori, ita vtrumque complecti, vt Pietatem vbique cum Doctrina, cum Pietate Doctrinam copulares. Testantur hoc quotquot tuæ curæ traditi non minùs te Parentem, quam Præsulem agnouere, morum exemplis, verborum documentis, tanquam vberibus, enutriti. Testatur ipsa Vrbs Vrbium, & Theatrum Orbis Roma, in qua ad Cardinalatus fastigium non ita pridem euectus, talem te probas, vt nemo sit, qui non apertè fateatur, te in vtraque multùm excellere. Voluissem ego maius tibi aliquid dare, (si tamen maius aliquid sacris rebus exstare potest) quo ma-

gis ac magis significarem, nihil mihi tua gratia, & charitate esse antiquius, aut futurum: sed cum in præsentia nihil te fuerit dignius, nihil ad hanc animi mei significationem accommodatius, hoc, quicquid est, muneris passus sum ad te ire, qui scio hoc omne boni consules, & in ista, qua fulges, dignitate non aspernabere hanc propensionem voluntatis, quam tibi in perpetuum consecramus, & in dies consecrabimus, si melior erit, quod speramus, facultas. Interea faxit Deus, vt sicuti Purpuram istam, quam tibi impensè gratulamur, vita, & moribus exornas, ita eadem diu frui liceat cum Ecclesiæ bono, & sacri Ordinis dignitate. Venetijs Tertio Idus Septemb.

Illustriss. atque Ampliss. tui Nominis

PP. Cliens

Io. Baptista Ciottus.

Digitized by Google

ADMODVM REV. ET OPT. P.

P. CLAVDIO AQVAVIVA

PRAEPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESV.

DIlectissimæ sponsæ Christi Ecclesiæ, eximiam affert pulchritudinem, Pater inclyte, sacrarum, quæ in ea sunt, familiarum varietas, & cum magna similitudine coniuncta dissimilitudo. Astitit illa à dextris Christi, vt est In Psal.44. in vestitu deaurato, circumdata varietate. Non enim vnius est coloris Ecclesiæ ornatus, sed multorum; sicut varijs syderibus cælum, varijs dignitatum gradibus regum comitatus, varijs floribus, varijsque arboribus mœnus hortus, mirificè decoratur. Quam pulchra tabernacula tua Iacob dixit olim Balaam Num. 24.) & tentoria tua Israel, vt valles nemorosæ, t horti iuxta fluuios irrigui, & tabernacula quæ fixit Dominus, &c. Inspiiebat ille Israelitici populi tentoria, quæ typus erant tentoriorum Christi, d est, Religionum variarum, quibus eadem verba maximè congruunt. O uam pulchra sunt tabernacula Christi, & tentoria, id est, cœnobia, domus ollegia, ex quibus religiosi viri, veluti cælestes milites, aduersus stygios ho es decertant, mirabilesque triumphos reportant! vallibus nemorosis sunt milia; cupiditatum namque æstum Spiritus sancti vmbra mitigant. Taernacula sunt, quæ fixit Deus, sicut tabernacula quidem Cedar, Cant. 1. aupertate, & pœnitentia horrida extrinsecus; sed sicut pelles Salomonis, pibus cælestibus opulenta intrinsecus. horti sunt iuxtà fluuios irrigui, & hristi manu fructiferis arboribus consiti, fructibusque pleni. Ex his vnus t Societas Iesu, quem post multos alios amœnissimos hortos, plantauit ominus, Beato Patre nostro Ignatio tanti operis administro. Cum noua aria, noua sydera, nouas gentium regiones Orientalem Indiam, & Occientalem, Aethiopumque nationes diuina clementia aperiebat; tunc relionem quoque aperuit, cui omnibus gentibus Euangelium annuntiare opositum esset. Cum Lutherus post multos alios heresiarchas insaniuit; nc Beatus Ignatius post multos alios Religionum Patriarchas sapuit. Cũ utherus Christianæ Reipublicæ bellum intulit; tunc beato Ignatio duce

Deus milites nouos veteranis auxilium laturos conscripsit. cum ille[singularis ferus] in hortum Dei,id est,Ecclesiam irruit; tunc Beatus Ignatius Societatis hortum Deo auxiliante plantare cœpit. Beatus Ignatius plantauit, sequentes præpositi generales rigauerunt; Deus autem incrementum dedit,incrementum,inquam,admirabile. Paucis enim annis,toto hic hortus dilatatus est orbe,extenditque arbores & fructus suos vsque ad Orientem, Occidentem,Septentrionem, atque Austrum. Inter generales verò præpositos qui eum rigauerunt,magnopere eminet P. T. ipsoque nomine quantũ Societati Iesu contulerit, indicat. Non enim inanè præfers Aquæ viuæ nobilissimum cognomen, sed tanti cognominis imples magnam mensuram. Illi te similem fonti meritò dixerim, quem, signatum, appellat Salomon, Cant. 4. fons es vniuersam irrigans Societatem viua aqua, atque salutari. Signauit autem Deus fontem, cum Societatis Iesu insignibus te insigniuit, & clausit,magna cum hominum admiratione. Quis enim non admiraretur filium Atriensis ducis præclarissimi,Pontifici maximo gratissimum,nobilissimo munere iam decoratum,sacraque Cardinalium purpura mox decorandum,spes præcidisse ingentes,& in ipso ætatis flore,Societatis humilitati se totum mancipasse, mundum arridentem deseruisse, applaudentem conculcasse, flores eius colligere noluisse, ad Christi coronam etsi spineam aduolasse? Comit se mundus vt nos fallat(ait Theophyl.)fallere te non potuit comptus,qui multos fallit etiam incomptus. Dirupit Dominus vincula mundi,vinculis suis suauissimis te constrinxit, eumq; virtutis atque sapientiæ tribuit splendorem,vt iudicarit (& meritò quidem iudicarit) Societas (cuius in hac re seuerum iudicium est)dignissimum te esse,cui sua traderet gubernacula. Itaque Prouincialis Neapolitanæ creatus es Prouinciæ, iterum Romanæ. Neque verò id tibi contigit, quod Galbæ Imperatori, de quo Cornelius Tac. lib. 17. Annal. Maior(inquit) priuato visus est,dum priuatus fuit,& omnium consensu capax imperij, nisi imperasset,&c. At tu cũ priuatus eras, maior priuato visus es; ita verò duas administrasti prouincias, vt omnium consensu, vniuersæ etiam Societatis administratione dignus sis existimatus. Imperator ille Galba, nisi imperasset,capax credebatur. imperij vniuersi orbis, tu & nisi imperasses, dignus esses vniuersæ Societatis administratione,& postquam duabus prouincijs imperasti,dignissimus visus es,qui omnium prouinciarum clauum acciperes. Itaq. Societatis nostræ claui accepisti,magno electorũ consensu, applaudente cælo,terraq. fauente virtutibus tuis,tanta dignissimis administratione,videlicet humilitati,mundiq. despicientiæ,paupertati,mansuetudini, charitati,prudentiæ,& alijs,quibus animus splendescit tuus. Nihil in te conspicitur quod fastum redoleat,vel inanem mundi gloriã,humilitas,mundiq. despicentia ex pectore tuo suauem exhalant odorem, in alto positus nõ sapis altum, quod in hominibus,& rarum,& gloriosum esse ait D. Bern. epist. 42. In alto (inquit)positum non altum sapere difficile est & omnino inusitatũ, sed quanto inusitatius,tanto gloriosius,&c.humilitatem exornat paupertas in victu atq. vestitu,mansuetudo,& erga omnes affabilitas,atq. charitas D.Ber. consilium illud sequeris ser.23. Cant. Matres(inquit)fouendo, patres vos corripiendo exhibeatis.ponite feritatem,suspendite verbera,producite vbera, pectora lacte pinguescant,non typo superbiæ,&c.Non formidabilẽ,sed omnibus benignum te præbes,& instar nutricis amabilem, iuxta illud Pauli 1. Thess.1,Tanquam si nutrix,&c. & illud Num.11. Porta eos in sinu tuo, &c.

Cha-

Charitas tua latissimo sinũ vniuersam, sicut nutrix, portat Societatẽ, & instar Mosis in terram repromissionis ducit, per hanc huius vitæ horribilẽ solitudinem, in qua Deuteronom. 8. est serpens in flatu adurens, & scorpio, & dipsas, multaque alia occurrunt aduersa, quæ spectatum animi tui robur non frangunt: sed vt furentis fluctus pelagi rupem quatiunt, & quatiendo franguntur. Zelus autem domus Dei comedit te; quidquid illius oculos offendere potest, a domo Dei conaris relegare, nosq; omnes ad eam quam postulant perfectionem, promouere. id quod egregia facta, egregijque de rebus spiritualibus ad fratres habiti sermones, scripta quoque alia, & epistolæ ad perfectionem consequendam nos excitantes, patefaciunt. Quod D. Gregorius Magnus de se affirmat, poteris meritò vsurpare. lib. 7. epist. 1. Paratior (inquit) sum mori quàm Beati Petri Ecclesiam meis diebus degenerare, &c. Credo equidem eum esse zelum, quo Societatem complecteris, vt mori malis, quam Christi tibi commissas oues diebus tuis a pristina virtute degenerantes cernere. Magna lux vt tanto fungaris munere opus est; ideoque ad verum Solem sæpe accedis, vt illumineris, iuxta illud Psal. 33. [Accedite ad eum, & illuminamini,] accedis ad Deum mente, cælestibusque radijs collustrandam opponis, Spiritus sancti excipis flammas, quæ, vt testatur Gregor. epist. 23. corda eleuant, & inter hominum, & negotiorum tumultus, solitudinem in mente faciunt, ita vt ijs qui orationi, & contemplationi vacant inter negotiorum fluctus, velut Israelitis via ad Deum aperiatur, Ambulentq; per siccum in medio mari, vt dicitur Exo. 15. A negotijs quibus es circumuallatus, secessum petis animi, & sæpe etiam loci, vt expeditus humanis curis, res cælestes contempleris, & ex cælo haurias viuam aquam, quam in nos effundas. Quod si pastori necessarium est oues præcedere, neque verbo solum, sed etiam manu in pascua ducere: præcedis gregem tuum verbo, manu, & exemplo, ita vt illud de te dicere possim, quod de S. Malachia D. dixit Bernardus: Ipse rector erat, ipse regula fratrum; legebant in vita eius quomodo conuersarentur. Tu rector noster es, tu regula, tu liber, in quo legere possunt, qui tecum versantur, quo conuerentur. Deniq. tu currus Israel es, & auriga eius, idest, nostræ Societatis. Currus, inquam, quia magnum fers onus cũ tot sustineas, & tanta negotia, solus es nostras armis spiritualibus tueris, moribus ornes. Auriga, quia recto itinere in cælum nos dirigis. Hoc vecta curru, tanto gubernata auriga, Societas Iesu tum virtutibus, tum literis floret virtutũ pedissequis. Satis nota tibi est illius obedientia, humilitas, modestia, animi, corporisq; puritas, charitas, animarumq; zelus, desiderium vtramq. Indiam tam Orientalem, quam Occidentalem, Iaponem, Aethiopiam, aliasq. Ethnicorum regiones peragrandi, non vt gemmas, aut aurum, sed vt Christi sanguine emptas animas quærat, & pro Christo sanguinẽ fundat. Verè, castra Dei sunt hæc. Gen. 32. Castra quidem Dei sunt omnes sanctiss. Religiones, de quibus infinita dici poterant: sed mihi nunc de meis castris nonnihil modestè dicere fas sit. Castra Dei sunt hæc, magna voluntate ad præliũ procedentia, charitate cõferta, robore plena, per totum orbem cum hæresib. cum infidelitate, cum q hominum flagitijs, sub vexillo nominis Iesu Regis sui militantia Armata sunt virtutib. armata quoq. literis, neq. n. ad hæc prælia virtutes sunt satis, literę quoq. sunt necessariæ. Arma fortiss. sunt scientia, & bona conscientia. Vnde Laur. Iustin. lib. de contemptu mundi, c. 2. Hostiũ (inquit) spiritualiũ castra securus ingreditur, multosq. viriliter sternit, quisquis scientiæ, & conscien-

 tiæ ac-

tiæ accinctus est armis, &c. Longum esset de dono scientiæ verba facere, quo Deus Societatem suam exornauit; id ostendunt tot collegia toto orbe exædificata, doctorum, magistrorum incredibilis copia, quam diuinus parit amor, animarum zelus, & obedientia. ostendunt ingenio, iudicioque præclari viri quos Deus in castra sua vocat, mira quoque librorum copia a filijs Societatis tam breui tempore typis mandata, scientia, & eruditione plenæ in sacram Scripturam explanationes, aduersus hæraticos controuersiæ enodatæ, de Theologia, tam de illa quæ in speculatione versatur quam de illa quæ in praxi posita est, de rebus spiritualibus, de Dialectica, Philosophia, Metaphysica, de Mathematicis disciplinis, deque ipsa etiam Grammatica, volumina edita in lucem. Gloria tota sit Dei, cuius est opus tota Societas. Augeat ille in ea dona sua, vt Ecclesiæ sanctæ toto inseruiat conatu. augeat etiam in te illius duce, ac rectore vitæ annos. Viuat, viuat, inquam, annos nestoreos, hæc tui pectoris aquauiua, viuat vt Societatis hortum longo irriget tempore, fertilemque reddat. In hunc quoque nostrarum lucubrationum tomum 4. influat, eumque ab æstu protegat, ne arescat. Placido illum vultu animoque excipiat P. T. Quamuis propter autorem displicere possit, certè propter eum cuius gesta continet, nequaquam displicebit. A Christo enim Opt. Max. continet gesta, extremo vitæ mortalis tempore, quo cælestis velut Cygnus dulcius cecinit, & suos qui erant in Mundo, dulcius dilexit in finem sine fine.

Ego

Digitized by Google

EGo Hieronymus Dias Societatis Iesu, in prouincia Lusitania Prouincialis, potestate ad hoc mihi facta, à Reuerendo admodum Patre nostro Claudio Aquauiua, Praeposito nostro Generali, facultatem concedo, vt Tomus quartus Comment. in Euangelia, eorumque concordiam, à Patre Sebastiano Barradas nostrae Societatis, sacrae Theologiae Doctore, & sacrarum Literarum professore compositus, eiusdemque Societatis Patrum iudicio iam approbatus typis mandetur. Olyssipone 4. Augusti 1611.

Hieronymus Dias.

APPROBATIO.

IOannes Claudius Deuillius, in Sacra Theologia Magister, & diuini verbi Praedicator; sancti Pauli huiusce ciuitatis Canonicus, & in hac Lugdunensi Diaecesi, à Domino Claudio de Bellieure, Illustrissimo & Reuerendissimo Archiepiscopo, Librorum Censor designatus: Fidem facimus nos hunc Sebastiani commentariorum in historiam Euangelicam tomum quartum, euoluisse: nihilque in eo ab Catholica & Romana fide, & probis moribus alienum, non modo non contineri; sed potius doctrinam sanam, piam, & edictis sanctorum Patrum conformem. Quare in communem vtilitatem maximè Praedicatorem dignus erit, qui excudatur. Lugduni apud S. Paulum die vltimo Martij. M. DC. XII.

I. CL. Deuillius.

.. D. D. ANTONII EMANVELIS CHAlomi huius libri imprimendi facultas.

ANtonius Emanuel Chalomus in praefectura Lugdunensi Consiliarius Regius, in primatu Franciae Iudex,

dex, & in Archiepiscopatu Lugdun Vicarius Generalis: Opus quod inscribitur, Sebast. Barradas Comment. in historiam Euangelicā tomus quartus, à Theologis recognitū ut in lucē edatur, facultatē cōcedimus. Lugduni 2. Apr. 1612. Calom V. G.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOcietatis Iesu, in prouincia Lugdunensi.

LVdouicus Michaelis Prouincialis Societatis Iesu, in prouincia Lugdun. iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. & Henrico IV. 20. Decemb. 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Febr. 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absq; superiorum permissione imprimant: permittit Horatio Cardon Lugdunensi Bibliopolæ, vt librum qui inscribitur, Sebast. Barradas commentariorum in historiam Euangelicā tomus quartus, ad sex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni, 5. Octob. 1611. *Michaelis.*

SVMMA PRIVILEGII A CHRISTIAnissimo Galliarum Rege obtenti.

LVdouici XIII. Galliæ & Nauarræ Regis Diplomate cautum est, ne quis in suo regno, alijsve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis prima inchoandos, excudat, vendat, excudendum, vendendumq; quouis modo ac ratione conetur librum, qui inscribitur, Sebastiani Barradas Commentariorum in historiam Euangelicam tomus quartus, præter Horatium Cardon Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipse concesserit: sub pœnis Originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisijs 18. die mensis Febr. 1611. De mandato Regis,

Signatum

PERREAV.

Digitized by Google

LECTORI OPTIMO.

AEneas Syluius, qui ad summum pontificatum euectus Pius secundus est appellatus, Lector optime, vt Platina ait, libros plusquam sapphiros, & smaragdos charos habuit, quibus chrysolitorum magnam copiam inesse dicebat. Etenim lapides pretiosi sunt pretiosi libri, de pretiosis conscripti rebus; quales illi sunt, qui animi componunt mores, qui Sanctorum gesta, exemplaque ad
nitandum ante oculos proponunt, qui diuinam Scripturam, sacramque
heologiam explanant, & similes alij. Indicat quod dicimus, oblata vi-
o docto cuidam viro ex sacro ordine D. Dominici, quam memoriæ pro-
t D. Anton. 3. p. Visus illi est Diuus Thomas magno circumfusus splen
ore, cælesti veste decorus, multis pretiosis lapidibus exornata; inter quos
ius pectore præ cæteris coruscans, totum fulgore templum collustrabat.
li autem pretiosi lapides, qui indumento intexti erant, libros significa-
int angelicos, quos angelicus doctor scripsit; Qui verò præ cæteris in
ctore coruscabat, rectissimam adumbrabat intentionem, quam in con-
ribendis libris semper seruauit. interpretationem hanc leges apud D.
nton. Ex ea liquet libros pretiosa conscriptos intentione, omnia ad Deū
rigente, pretiosas esse gemmas: ijs verò qui libros conscribunt, re-
am intentionem valde esse necessariam, vt vtiles Reipubl. libros com-
nant, omni fæce, & sorde vacuos, veritate, & vtilitate plenos. Recta
im intentio Deum, communeque bonum spectans, hæreticos, impudi-
s, ineptos, atque nugatorios libros, non solum non scribit, verum etiam
lectione longè propellit. Caue lector optime quod in libris propina-
r venenum, siue hæreticis, siue obscœnis; frange veneni pocula, trade
immis libros, qui flammas tartareas in pectore excitant: illos imitare
quibus leges Acto. 19. (Multi qui fuerant curiosa sectati, contulerunt
ros, & combusserunt eos coram omnibus, &c.) fuit autem pretium li-
orum, quo combusserunt, quinque millia aureorum. Non pepercerunt
etio, vt parcerent animo. 4. Reg. 4. Elisei puer agrestes, amarasque co-
ynthidas coxit, filijsque Prophetarum edendas præbuit; illi verò cum
marorem percepissent, exclamarunt, (Mors in olla, &c.) Similiter Syl-
stres quidam homines, & à Deo alieni, agrestes, amarissimasque hære-
, & obscœnitates velut venenatas colocynthidas coquunt, & insipien-
us veluti fercula dulcissima in libris culto conditas sermone, edendas

ap-

apponunt: at sapientes viri exclamant: (*Mors in olla*,) *Satanas in olla* est, Tartarus in olla, Stygium venenum in olla. Ollam illam pueri Elisei, emendauit Elisei farina; hanc tartaream emendant flammæ. flammis tradantur libri inflammantes animum peccati flammis. Illi autem qui mentem cælesti incendunt igni, comedantur, & lectione frequenti in viscera traijciantur. Non mors in olla hac, & amaritudo; sed vita & dulcitudo. Ierem. 15. [inuenti sunt sermones tui, & comedi eos; & factum est mihi verbum tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei, &c.] Vides ne quanta sit dulcedo librorum Dei? audiamus quoque Ezechielem & imitemur. cap. 3.] Cibauit (inquit) me volumine illo, & comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce, &c.] Quid dulcius libris qui cęlestes nobis res, ac diuinas in mentem reuocant, & explanant? [Quam dulcia faucibus meis] (ait Vates Psal. 118) [eloquia tua super mel, & fauum ori meo.] Fuge lector optime venenatas colocynthidas, fuge ollam mortis; ciba te non veneno, id est, non pestiferis voluminibus, non furfuribus, id est, inutilibus, sed voluminibus Dei, præsertim sacris Euangelijs; comede illa, traijce in viscera, dicta gestaque Christi. Mel erant in ore tuo, gaudium, & lætitia in corde. χαλκέντερος quidam olim vocatus est, id est, æneis præditus visceribus, quod & in legendo, & in scribendo multus esset. Vtinam chalcenteri essemus, visceraque haberemus ænea, quæ in legendis sacrę Scripturæ libris nunquam defatigarentur, diuinoque nectare, & ambrosia perpetua lectione complerentur. Equidem miror id quod de Alphonso Hispaniæ Rege lego, videlicet sacræ Scripturæ libros, cum glossis, & commentarijs quaterdecies legisse; cum tamen Rex esset mille distentus negotijs. Imitare Regem, si non toties, saltem aliquoties sacra volumina volue, & vt penitus intelligas enitere. Ama scientiam Scripturarum (ait D. Hieronymus ad Rusticum) & vitia carnis non amabis, &c. D. Bernardus, vt leges lib. 3. vitæ eius, cap. 3. confessus est aliquando sibi meditanti, vel oranti, sacram Scripturam totam velut sub se positam, & expositam apparuisse. Nobis non sic apparet in visione exposita Scriptura sacra; interpretibus indigemus, qui eam nobis exponant. Multos legi, lector opt. vt longum hoc opus pangerem. tua vt iuuemus studia præcipuam Scripturarum partem, id est, Euangelia tibi offerimus; beneuolo excipe animo. Hic quartus & extremus est tomus, qui Christi gesta continet, extremi illius temporis, quo mortalem vixit vitam. De libro sibi oblato ait Ezechiel cap. 2. [Erat scriptus intus, & foris, & scriptæ erant in eo lamentationes, carmen, & væ, &c.] Similem in modum noster hic tomus scriptus est foris, sensu literæ exteriori; scriptus quoque est intus, sensu allegorico, & morali interiori; neque enim satis est literalis sensus, sed in mores est conuertendus; quemadmodum cibus conuertitur in membra corporis. Sunt præterea in nostro hoc vltimo tomo, [lamentationes, carmen lugubre, & væ.] Siquidem Christi exhibet admirabilem passionem, alapas, verbera, crucem, effusumque pro peccatis nostris sanguinem. Nonne hæc lamentationes flagitant, lugubre carmen, & væ? Quis talia fando, aut legendo, temperet à lacrymis? quis millies non ingeminet; Væ mihi, quia peccaui? Sed, etsi carmen lugubre, lamentationes, & væ continet liber; continet etiam carmen lætissimum, lætissimumque alleluia; quia de lætissima resurrectione Christi, & ascensione, Spiritus sancti missione, Apostolorum per orbem prædicatione, & de sanctissima Trinitate agit.

git. Hic est finis lætissimus. Mundi fines post gaudia mœsti sunt; [Nam xtrema gaudij luctus occupat: Prouerb.14. Fines vero Dei post luctum etissimi sunt: extrema enim luctus gaudium occupat. mœstam passionem sequitur resurrectio, ascensioque in cælum gaudio plenissima. Lege ctor opt. & patere nunc cum Christo; vt lætissima cum illo resurrectione & ascensione post passionem perfruaris. Præparamus tibi (si tamen vitam Dominus concedat) itinerarium filiorum Israel in terram promissionis; ora Deum vt quod in cudo est, perueniat ad coronidem.

SERIES

SERIES ATQVE ORDO HISTORIAE,

SEV RERVM A CHRISTO GEſtarum & dictarum,

EX QVATVOR EVANGELISTIS DEſumpta, quæ breuiter quidquid in hoc quarto tomo habetur, ob oculos ſubijcit.

De Chriſti rebus geſtis, deque ijs quæ circa ipſum acciderunt ingreſſu triumphante in Hieruſalem ad Aſcenſionem vſque.

QVartus hic tomus, trium ſuperiorũ nobile complementum, initium ſumens à Iudæorum concilio de Chriſto capiendo, cætera omnia quæ ipſe Dominus præſtitit, quæque ipſi acciderunt in Paſſione, Reſurrectione, & vſque ad glorioſam Aſcenſionem, exquiſitiſſimo ordine complectitur libris decem; quibus peropportune adnectitur cum doctiſſimus, tum vtiliſſimus de Trinitate tractatus. In illis autem libris variæ, graues, pergratæ, neceſſariæ, & perutiles agitantur & enodantur quæſtiones, quas cum doctrina formandis moribus idonea comitetur, vberrima planè & Concionatoribus & Confeſſionum auditoribus ad erudiendos, atque ad pietatem impellendos populos, ſeges ſuppeditatur.

In libro primo.

IN primo igitur libro, cui D. Matth. cap. 26. præbet exordiũ, proponitur de cõcilio ſacerdotum diſputatio accurata, quæ aliam ſtatim aduocat, de die quo Chriſtus Agnum comedit atque crucifixus eſt. Vt autem rei maior lux afferatur, quo anno vitæ vltimum Paſcha fecerit Chriſtus, exponit. Deinde Euãgeliſtarũ inhęrens contextui, Iudæ proditoris venditionẽ, argenteorum valorem, azymorum dierum numerum, cœnam à diſcipulis Domini iuſſu inſtructam, Agni demũ Paſchalis immolationem ac ceremonias abundè proſequitur.

In

In secundo libro.

Secundus liber ex S. Ioanne de-criptionem mutuatur Christi, anto in suos amore flagrantis, vt eteri cœna peracta vestimenta de ponat, seque accingat ad discipulo-um pedes abluendos. Renuit qui-lem illud à Magistro officium Pe-rus, qui non multo post desidera-undus permittit audita Domini oluntate. Iterum discumbit Chri-tus, ac prædicit discipuli apostatæ roditionem. Inquit Petrus an de e loquatur Dominus: Ioannē quo ue impellit vt Dominum de ea re ercontetur. Tandem sathan in-rat in cor Iudæ qui illico abit. Istis ntermiscentur lucis maioris gratia otationes circa personas, de Chri-i humilitate, de Petri reuerentia. quo inchoata fuerit ablutio, an à etro, an à Iuda. Quomodo Ioan-es supra pectus Saluatoris recu-uerit, & id genus aliæ.

In libro tertio.

Tertius planè aureus Paschalis gni veteri sacrificio in prioribus bris, vt ita dicam, antiquato, tum æteris ad rei quam facturus erat ominus, dignitatem pertinenti-us ac disponentibus præmissis ex-editis, institutionem augustissimæ ucharistiæ, quæ in gratiæ lege illi eteri ex Christi instituto subrogan a erat, iuxta Matthæi, Marci & Lu æ sacra scripta, in medium subij-t; docetque Redemptorem post anifestatum Apostolis quo arde-at eius rei faciendæ desiderium, cepisse panem, benedixisse, fregis, dedisse discipulis, verba conse-ationis expressisse, ac id fieri de-ceps in suam commemorationem ssisse. De calice pari modo. Ve-um quoniam magni momenti est hæc institutio, fusius enascentes difficultates explicat; & potissimum moralia lectissima & eruditissima, etiam ad satietatem subministrat. Neque satis esse visum fuit Eucha-ristiam quatenus Sacramentum est tractare, etiam illud quatenus sacri ficium est, ob oculos ponit: ideoq; de sacerdotio Christi, de Euchari-stiæ sacrificio, eiusque valore latè agit. Inde ad contextum Lucæ re-uersus, contentionem de primatu inter discipulos ortam, & à magi-stro ad humilitatem exhortatione sedatam, declarat. Demum futu-ræ negationis D. Petri, ac discipu-lorum scandali prædictioni hunc li brum concludit.

In libro quarto.

Quoniam quæ postremo vitæ tē-pore à parentibus & amicis commē dantur, altius figunt animis & di-ligentius exequuntur filij, voluit Christus benignissimus morti vici-nus ad discipulos, quos sæpius fi-liolos suos paterno amore appellat, habere concionem & mandata da-re, quæ continet hic liber quartus. Primò igitur perturbationem ab eo rum mentibus depellit verbis sua-uioribus, ad spem erigit per fidem, & expectationem futuræ beatitudi nis quæ multis mansionibus con-stat. Tum diuorum Thomæ & Phi-lippi satisfaciens quæsitis, circum-incessionem illam mirabilem, quæ in Trinitate est, & vnitatem Patris & Filij in deitate docet, ac tandem ad orationem in nomine suo facien dam, cum promissione impetratio-nis eos animitus hortatur. Ne verò se absente animo cadant Spiritum sanctum, tertiam Trinitatis perso-nam, pollicetur se missurum, qui eos in æternum erudiat, regatque in om nibus. Pacem deinde dat, & præ-ceptorum suorum, veluti maximè

necef-

necessariam commendat. Tunc surgens,& discedere paratus, stans parabolam vitis & palmitum proponit, qua monet ne à fide & dilectione discedant, sed ita magistro suo per fidem & amorem adhęreāt vt palmites viti; sic enim fructus proferent vberem, alioqui exciden tur, ne fructum producent. Postremo ipsum mandatum de charitate dat, quod suum vocat & nouum, illudque vehementius inculcat ex eo quo semper fuit & erit in eos amore. Injjciuntur locis proprijs expla nationes ab authoritate cum ad eruditionem, tum ad mores appositissimæ.

In libro quinto.

Liber hic quintus totus est in altera parte prolixi sermonis in cœnaculo habiti ante discessum in hortum. In ea autem multa præstat Christus. Primum, Discipulis labores & afflictiones prænunciat, vt sicut præuisa tela minus feriunt, ita præcognita mala minus perturbent cum venerint. Secundum, Consola tiones affert, dum Spiritus sancti descensum promittit qui mundum arguet de peccato, & illos docebit omnem veritatem post ascēsionem suam ad Patrem. Tertium, Mortem suam & resurrectionem illis significat, subobscure eorum in morte tristitiam, in sua resurrectione versum iri indicans. Quartum, Ad orationem eos hortatur, polliceturque petitorum impetrationem, pro ipsis se oraturum Patrem asserens. Quintum, Ad Patrem se conuertit morte iam pulsante fores sibique clarificationem, discipulis auxilium & vnanimitatem postulat. Sextum, Pro discipulis orat, laudatque eos propter fidem viuam cum mandatorum obseruatione copulatam. Septimum, Pro ijs orat qui Apostolorum opera credituri erant in ipsum, scilicet pro Christianis omnibus.

In libro sexto.

Sextus viginti præcellentias Passionis Christi numerat. De hymno à cœna dicto, & egressu in hortum disputat, mœstitiam ibidem natam & sanguineum sudorem, orationem iteratam, Angeli solantis apparitionem, & verba ad discipulos dormientes habita explanat. Deinceps proditor discipulus cum militibus accedentes, diuini Verbi verbo retrorsum cadunt. At irritatur, nō corrigitur illo miraculo malitia, surgunt, præbetur simulatæ amicitiæ osculum, in Iesum manus inijciunt sacrilegas, ligant, Petro interim Malchum gladio percutiente. Ad Annam ducitur, tum ad Caipham vbi conuenerant Seniores, alapam iniquè recipit, & falsorum testium impijs calumnijs obijcitur. Vestimenta dilacerat Pontifex (atque vtinam pœnitentia cor) reum mortis innocentem iudicans. Non oblitus Petri discipuli benignissimus magister, in eum oculos conuertit, quibus de trina negatione monitus Petrus, exijt foras & fleuit amarissimè.

In libro septimo.

Septimo ineunt principes Sacerdotum concilium, vt Iesum extremo supplicio adiudicent, quod dum rescit auarus proditor pecuniam indignatus restituit, fauces arbore ab alta nectit, & saluti desperans perit. At sanguinis emptione prophanos, argenteos in sacrum thesaurum con gerendos cum non probassent, ager ager emitur qui & sanguinis nomē retinuit. Accusatur coram Pilato innocens Dominus, ab Herode ridetur

ir candidatus, demùm cum latrone ollatus à populo, postponitur. Barabam dimittit Iudex, & Iudæorũ odium xplere Christi sanguine dum cupit, innumeris atrocissimorum verberum ictibus innoxiũ redemptoris corpus, priùs dissectum, & spinea corona sacrum caput redimitum, populo obijcit, effatus, [Ecce homo,] illum rursus interrogat, dimittere pertentat; verùm audito Cæsaris nomine, (sed quàm stolidè :) pertimescens, manus, quasi culpam quoque & crimen ablueret, lauat, ac tradit Iudæis cruci figendum. Mox crucem baiulat Christus damnatus in Caluariam, ibi affigitur cruci inter latrones duos, in qua septies verba effatus quæ ordine exponuntur, dolorum pondere victus animam innocentissimam efflat. Cælum tam atroci facinore concussum lumẽ terris recusat, Templi velum disrumpitur. Terra immani impietate perturbata, monumenta reserat, lapides confringit. Demortui latus aperitur lancea, & fluento sanguine miles visum recipit. Tandem Pilati permissu traditur corpus aromatibus conditum sepulturæ, tumulto obsignato & militũ custodia munito, dum anima inferos inuisit.

In libro octauo.

Octauus liber aduentum feminarum ad sepulchrum tractat, quæ lapidem ab ostio monumenti remotum cùm reperissent, Angeli qui amouerat, è cælo descensum & terræ motum describere necesse fuit. Subiungitur deinde Christi ab inferis ascensus & resurrectio mirabilis, quam morum doctrina illustrat. Inde occasionem sumit agendi de duplici hominum resurrectione, corporis scilicet & animæ. Reuersus ad sepulchri custodes, eos pecunia corruptos à principibus & senioribus, vt in Apostolos falsum dicerent testimonium, assererentque furtim, ipsis se dormientibus, sustulisse Dominum suum, commemorat. Mox ad apparitiones Christi transit, easque ordine describit. Primam ait factam Beatæ Virgini matri, secundum Mariæ Magdalenæ. Ex viris primam D. Petro factam refert, secundam D. Iacobo minori, tertiam discipulis proficiscentibus Emaus, ac tandem cæteras discipulis, siue congregatis, absente aut præsente Thoma, siue piscantibus. Quibus omnibus intercalantur necessariæ quæstiones, quæ solito more dilucidè enucleantur.

In libro nono.

Nono Pontificatus sancto Petro traditur, & sancti Ioannis Euangelistæ mors explicatur. Christus in monte Galileæ potestatem suam summam in cælo & in terra, declarat, & discipulos mittens in omnes gentes, formam Baptismi illos docet, atque ipsis miraculorum donum pollicetur. Ascendit postremò Christus in cælum postquam benedixit illis. Desumitur autẽ Ascensionis delineatio ex Euangelistis, tum ex Apostolorum actis, quò clariùs oculis subijciatur: illustrantur verò ista omnia moralibus instructionibus præclarissimis.

In libro decimo.

Decimus sancti Spiritus descensum pertractat, ex Apostolorum gestis à sancto Luca scriptis mutuatum, ac primùm de cęnaculo in quo erant congregati discipuli, agit. Tum de sono, de linguis, de spiritu vehementi disputat. Mirabiles deinde Spiritus sancti effectus prosequitur, vt quòd linguis loquãtur varijs Apostoli, quòd, ad eorum conciones innumeri conuertantur & Christi fidem suscipiant, quòd ipsis orbis terrarum prouincias diuiserit, & vnicuique propriam assignarit ad prædicandum Euangelium. Quòd ante discessum ad Symbolum fidei (cuius articuli articulorumque authores ordine recensentur) condendum inspirarit, & alios eius generis. Tandem auctarij loco tractatum de augustissimo sacrosanctæ Trinitatis mysterio, breuem, dilucidum, vtilissimum opportunissimè subnectens, finem operi feliciter imponit.

b INDEX

INDEX LOCORVM

Quæ hoc Quarto volumine

EX QVATVOR EVANGELISTIS explicantur.

Ex Sancto Matthæo.

9. Vinum

Digitized by Google

EX

Digitized by Google

INDEX.

EX SANCTO MARCO.

EX SANCTO LVCA.

Ne

Digitized by Google

EX SANCTO IOANNE.

Digitized by Google

Post

Digitized by Google

INDEX

Digitized by Google

INDEX.

PRAECIPVORVM

Totius S. Scripturæ locorum,

QVI IN HOC TOMO NVNC FVSE, nunc breuiter, sed accuratè explicantur.

In quo hoc obseruandum est, locos, quos afferimus non tam ex propria Auctoris mente, quàm ex S. Patrum veterum sententia dilucidè explicari.

EX VETERI TESTAMENTO.

Digitized by Google

EX EXODO.

Nec

Digitized by Google

EX LEVITICO.

EX LIBRO NVMERORVM.

Digitized by Google

tres

Digitized by Google

EX QVARTO LIBRO REGVM.

EX LIBRO II. PARALIPOM.

EX LIBRO PRIMO ESDRAS.

EX LIBRO TOBIAE.

EX LIB. IVDITH.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Im-

Digitized by Google

In-

Digitized by Google

Psal.

Digitized by Google

Digitized by Google

EX PROVERBIIS.

EX ECCLESIASTE.

EX CANTICO CANTE corum.

Veniat

Digitized by Google

EX LIBRO SAPIENTIAE.

EX ECCLESIASTICO.

EX ISAIA.

Digitized by Google

Isaiæ

Cæ-

Digitized by Google

Da-

EX DANIELE.

EX OSEA.

Digitized by Google

EX IOEL.

EX AMOS.

EX ABDIA.

EX IONA.

EX MICHAEA.

EX HABACVC.

EX SOPHONIA.

EX AGGÆO.

EX ZACHARIA.

EX MALACHIA.

EX I. MACHABÆORVM.

EX II. MACHAB.

Digitized by Google

De Nouo Testamento.

Loca quædam Euangeliorum extra propriam sedem ab Authore exposita annotare hic potuissem: sed quoniam ea omnia in initio voluminis huius, post Elenchum, maioris commoditatis gratia coniecimus, in hoc loco annotare duxi esse superuacaneum; venio itaque ad Acta Apostolorum, & reliquos noui Testamenti libros, ex quibus ipse has sententias hocce volumine exposuit.

EX ACTIS APOSTOL.

Digitized by Google

EX EPIST. AD ROMAN.

Expe-

EX EPISTOLA I. AD Corinth.

Dei

Digitized by Google

EX II. AD CORINTH.

EX EPIST. AD GALATAS.

EX EPISTOL. AD EPHES.

Digitized by Google

EX EPIST. AD PHILIPPENS.

EX EPIST. AD COLOSSENS.

Digitized by Google

Non

Digitized by Google

EX EPIST. SANCTI IACOBI.

EX EPIST. S. PETRI.

Rege-

Digitized by Google

EX EPISTOLA SANCTI Ioannis.

Digitized by Google

EX EPIST. S. IVDAE.

EX APOCALYPSI.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX LOCORUM MORALIUM

In hoc Quarto Volumine explicatorum ad vsum Concionatorum.

A

Digitized by Google

B

C

Digitized by Google

De

D

E

F

Latro-

Digitized by Google

L

M

N

O

P

Pla-

Digitized by Google

R

S

De

Digitized by Google

T

V

De

Digitized by Google

FINIS.

Digitized by Google

INDEX LOCVPLETISSIMVS Rerum & verborum,

IN HOC QVARTO VOLVMINE Explicatorum.

† Agnus

Digitized by Google

Nullo

Digitized by Google

cu-

Digitized by Google

Au-

Chari-

Digitized by Google

Chri-

gitized by Google

Christus

Digitized by Google

Concio-

gitized by Google

Digitized by Google

D

Veteres

Dia-

Christus

Digitized by Google

Digitized by Google

F

Digitized by Google

G

††† Actio-

Digitized by Google

Digitized by Google

I

Iudam

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Marty-

Digitized by Google

Digitized by Google

P

Chri-

Digitized by Google

Digitized by Google

Pilatus

tized by Google

Q

R

Resur-

Digitized by Google

Rubus

Digitized by Google

Spiritus

Digitized by Google

Digitized by Google

Trini-

Quæ

FINIS INDICVM.

Googl

Copia.

GLi Eccellentissimi Signori Capi dell'Eccelso Consiglio di X. infrascritti, hauuta fede dalli Signori Reformatori del Studio di Padoa per relatione à loro fatta dalli due à questo deputati, cioè dal Reuerendo Padre Inquisitor, & dal Circ. Secretario del Senato Gio. Maraueglia con giuramento, che nel libro intitolato Sebastiani Barradas Olissiponensis commentariorum in concordiam quatuor Euangelistarum Tomus Quartus, & Vltimus non vi è cosa contra le leggi, & è degno di stampa, concedeno licentia, che possa essere stampato in questa Città.

Data Die 16. Iulij. 1612.

D. Lorenzo Loredan.
D. Dolfin Venier. } *Capi dell'Eccelso Consiglio di X.*
D. Andrea Contarini.

Illustrissimi Consilij X. Secretarius.
Bartholameus Cominus.

1612. adi 8. Agosto.

Registrato in libro à carte 112.

Ioan. Baptista Breatto Officij
Contra Blasphema.

Digitized by Google

SEBASTIANI BARRADAS, E SOCIETATE IESV,

DOCTORIS THEOLOGI,
Commentariorum in quatuor Euangelia, eorumque concordiam Euangelicam,

Tomus Quartus.

LIBER PRIMVS, CAPVT PRIMVM.

De Concilio Sacerdotum aduersus Christum.

MATTHAEVS CAPITE XXVI.

ET factum est: cùm consummaßet Iesus sermones omnes, dixit Discipulis suis: Scitis quia post biduum Pascha fiet; & Filius hominis tradetur vt crucifigatur. Tunc congregati sunt principes Sacerdotum, & Seniores populi, in atrium principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & consilium fecerunt vt Iesum dolo tenerent, & occiderent.

Digitized by Google

Dicebant autem: Non in die festo; ne fortè tumultus fieret in populo. Cùm autem Iesus esset in Bethania, in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem Discipuli, indignati sunt dicentes: Vt quid perditio hæc? potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus. Sciens autem Iesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me: nam semper pauperes habetis vobiscum; me autem non semper habetis. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mũdo, dicetur & quòd hæc fecit in memoriam eius.

MARCVS CAPITE XIV.

ERat autem Pascha, & Azyma post biduum: & quærebant summi Sacerdotes, & Scribæ quomodo eum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo. Et cùm esset Bethaniæ in domum Simonis leprosi, & recumberet: venit mulier habens alabastrum vnguenti nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro, effudit super caput eius. Erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos, & dicentes: Vt quid perditio ista vnguenti facta est? Poterat enim vnguentum istud vænundari plusquam trecentis denariis, & dari pauperibus. Et fremebant in eam. Iesus autem dixit: Sinite eam, quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me. Semper enim pauperes habetis vobiscum, & cùm volueritis, potestis illis benefacere: me autem non semper habetis. Quod habuit

Digitized by Google

hæc, fecit: præuenit vngere corpus meum in sepulturam. Amen dico vobis: vbicunque prædicatum fuerit Euangelium istud in vniuerso mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam eius.

LVCAS CAPITE XXII.

APpropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha, & quærebant principes Sacerdotum, & Scribæ, quomodo Iesum interficerent: timebant verò plebem.

Cùm consummasset sermones hos.

IN fine tom. 3. verba explicata sunt, quæ Christus post diē illum fecit, quo cum triumpho Ierosolymā ingressus est. Ad hæc respicit Matth. cùm ait; [Cum consummasset Iesus sermones hos omnes]. Eos videlicet, quos descripserat capitibus 21. & sequentibus. Verosimilius hoc, quàm id quod Beda ait; [sermones hos omnes] significare sermones, quos ab initio Euangelij, vsque ad passionem, Dominus faciendo, & prædicando compleuerat. quæ explanatio habetur in glossa ordin. & apud Diuum Thomam Matthæi 26 Sermones (inquit) quos à principio suę prędicationis dixerat, &c. Refutat hanc interpretationē particula demonstrans [Hos, hos (inquit) sermones:] videlicet, quos paulò antè commemoraui.

Qui nā sint sermones; quos dicitur Dominus cōsummasse.

Beda.
D. Thomas

A
B
C

Scitis quia post biduum Pascha fiet.

DVbium est, quo die hæc verba dicta sint à Domino. Respondet Origenes tract. 35. in Mat. dicta esse Luna vndecima; idque probat, quia Pascha post biduum factum est; fieri autem solebat Luna 14. Diuus Augustinus epistola 86. ad Casulanum feria quarta dicta arbitratur; eius verba infrà citantur. Diuus Anselmus die Martis 1. feria 3. dicta credit. Vtrunque probabile est. Respondemus, hæc verba dicta à Domino esse vel feria quarta, vel feria tertia Maioris hebdomadæ: post biduum verò, idest, post duos dies factum est Pascha, immolatusque agnus feria quinta. Die prima hebdomadis, quæ nunc Dominica dicitur, Ierusalem cum celebri pompa, & ramis ingressus est Dominus: vesperi rediit Bethaniam. Feria secūda iterum rediit in vrbem, & ficui maledixit; rursusque Bethaniam reuersus videtur. Feria tertia matuti-

Origenes.
D. August.
Anselmus.
Dicta sunt hæc verba à Domino feria 3. vel 4. maioris hebdomadæ.

Digitized by Google

tutino tempore Ierosolymam repetiuit, cùm arefactam ficum discipuli viderunt; vespertinis horis ad solitum regressus est hospitium, scilicet Bethaniam. Hac feria tertia dixit Christus discipulis [Scitis, quia Pascha fiet post biduum] vel, post duos dies. Etenim post feriam quartam, feria quinta Paschalis agnus immolandus erat.

Hoc biduo, scilicet feria quarta, & quinta, vsque ad esum agni Paschalis, quid Dominus egerit, vel dixerit, non scribunt Euangelistæ. Iansenius existimat, in templo non docuisse ijs duobus diebus. Sed verisimilius est docuisse; quia ait Lucas, diebus docuisse in templo, noctibus in montem Oliueti secessisse. Quæ quidem verba significare videntur, Christum non petiuisse Bethaniam die Dominica, & feria secunda, ac tertia, vt diximus, sic enim Lucas scribit cap. 21. [Erat autem diebus docens in templo, noctibus verò exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliueti. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum, &c.] Loquitur Lucas de his extremis diebus Maioris hebdomadæ; docebat Dominus diebus in templo, [& omnis populus manicabat,] id est, manè ibat, Lusitanè [madrugaua] ad audiendum eum. Noctibus verò morabatur in monte Oliuarum. Non ergo Bethaniam repetebat, sed in mõte manebat, & in oratione pernoctabat. Vnde Theophylactus, Nocte (inquit) secedebat Dominus ad montem; mostrans nobis, quòd oporteat, nocte quidem per quietem colloqui cum Deo, die autem morem gerere, & prodesse hominibus. Et congregare quidem nocte; die autem distribuere congregata. Nobis hæc prætulit, vt apud fluenta, nocte quidem accipiamus orationis fluxum, ex spiritualibus venis; die autem effundamus hausta ijs, qui opus habent: sic ille. Et Titus Bostrorum Episcopus, Lucæ 21. Pernoctabat (ait) Christus in mõte Oliuarũ cũ vt ciuitatis tumultus, & strepitus declinaret; tũ ẽt vt nobis precandi formam daret, &c.

Iansen.

Luc. 21. Christus extremis vitæ suæ diebus, docebat in templo, & noctib. morabatur in monte Oliueti.

Theophyl.

Noctibus orationi vacandũ, diebus doctrinæ.

Titus.

Respondemus, Bethaniam ad mõtis Oliueti radices fuisse sitam. Cùm igitur Lucas ait, Christum noctibus in monte Oliueti fuisse commoratum, de Bethania intelligendus est, hoc sensu; Morabatur noctibus in monte Oliueti, id est, in oppido Bethania sito in monte Oliueti. Ita Iansenius intellexit. Carthusianus verò; De Ierusalem (inquit) ante vesperam egrediens Dominus moram protraxit in mõte Oliueti, ibi orationibus vacans, deinde Bethaniam pergens, & in domo Marthæ cum discipulis consistens, &c. Rupertus Matth. 26. Sciendum (inquit) quia cęteris diebus cùm in templo docuisset, ad vesperam egrediebatur in Bethaniam, & ibi noctibus morabatur. Nocte qua tradendus erat, diutius immorari voluit. Non enim deceret principem fortitudinis, refugere horam, vel tempus suum, redeũdo more solito citiùs in Bethaniam, &c. Dici etiam potest redijsse vesperi Bethaniam; posteà in monte Oliueti orando pernoctasse. Mihi verisimile est, Christum die quidem Dominica, & feria secunda, Bethaniam redijsse, vt innuit Marcus cap. 11. Cæteris diebus vsque ad feriam quintam, in horto Gethsemani in oratione per noctasse. Nam, vt Ioannes ait cap. 18. frequẽter Dominus in hortum illum cum discipulis conueniebat. Certè feria quinta eò venisse compertum est. Quemadmodum feria quinta, sic cæteris diebus venisse videtur. Erat autem hortus in monte oliuarum: ideò Lucas cap. 22. [Egressus (inquit) ibat secundùm consuetudinem in montem oliuarum, &c. id est, in hortum Gethsemani; secundùm consuetudinem, inquam, quia illis diebus maximè, in horto pernoctare orando solebat, iuxta illud eiusdem Euangelistæ capite sexto; [erat per

Iansenius. Carthus.

Rupertus.

An Christus illis diebus maioris hebdomadæ redierit Bethaniam?

pernoctans in oratione Dei], &c. Illud [Pascha fiet;] Græcè legitur, τάχα γίνεται, id est, [fit] in præsenti; similiter, [& filius hominis tradetur;] Græcè, παραδίδοται, id est, [traditur] ponitur pro futuro præsens: interpretatur verò Origenes de Paschate Christi, hoc sensu; post biduũ immolabor ego velut Agnus innocens. Non dixit Christus (ait Origenes) [Pascha erit, aut veniet;] vt non ostenderet illud Pascha futurũ, quod fieri solebat secundùm legem; sed, [Pascha fiet:] hoc est, quale nunquã fuerat factum; vt per hoc nouum Pascha illud succidat antiquum, &c. ibidem: Post duos dies factum est Pascha secundum, quod fuerat prophetatum ab eo, quando traditus est in nocte, &c At verò literali sensu perspicuum est de Paschate legali sermonem haberi. Hoc enim sciebant discipuli post biduum Christum crucifigendum. Diuus Hieronymus mysticè biduum, idest, duos dies, noui veterisque Testamenti lumen, esse ait, id est, doctrinam, simplici (inquit) intelligentia prætermissa, id quod sacratum est requiramus: post duos dies clarissimi luminis veteris, ac noui Testamenti, verum pro mundo Pascha celebratur, &c.

Componuntur Græca, & Latina lectio.
Origenes.
D. Hieron.
Biduum significat vtriusq; Testamenti lumen.

Et Filius Hominis tradetur, vt crucifigatur.

Prædixerat sæpe discipulis passionem suam; nunc illi propinquus predicit tum passionem, tum tempus, vt iacula præuisa minùs feriant, nouerintque discipuli sponte se ad crucem ire. Prædicit discipulis (ait Origenes tractatu 35.) præmuniens eos, vt ne priusquàm audiantur, quæ fuerant euentura, subitò videntes tradi ad crucem magistrum obstupescant pauore, &c. Traditum autem Christum obseruat Origenes non solùm à Iuda, sed etiam à Iudæis, & à Dæmone; itèmque à Patre. A Iuda traditum fuisse perspicuum est, Matthæi [26. ego eum vobis tradam, &c. A Patre traditum docet Paulus Rom. 8. [Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, &c.] Actor. 2. hunc (inquit Petrus) [definito consilio, & præscientia Dei traditum interemistis, &c.] A seipso quoque traditum Christum indicat Apostolus, Ephes. 5. [Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, &c.] Galat. 2. dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, &c. à Iudæis traditus est Pilato, Matth. 27. [Sciebat Pilatus, quod per inuidiam tradidissent eum, &c.] Item [adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato,] à Satana traditus est, quia intrauit in Iudam, & vt traderet suasit, & persuasit, Ioann. 13 [Cùm diabolus iam misisset in cor vt traderet eum Iudas, &c.] Propterea (ait Origenes) impersonaliter, seu absolutè posuit [tradetur] non dicens à quo; quod verbum potest ad omnes respicere, qui tradiderunt eũ, &c. verisimile hoc est. Christus enim egregiè nouerat se à Patre, à semetipso, & alijs tradendum; idque potuit significare verbo [tradetur] ampla significatione. At diuerso modo traditus est Christus à Patre, à seipso, & à cæteris. A patre, & à seipso, traditus est, id est, oblatus ad mortem propter misericordiam, & dilectionem: à Iuda traditus est propter argenti cupiditatem, à Iudæis propter inuidiam, à Satana, propter Satanæ summam iniquitatem. Denique etiam à Pilato traditus est propter timorem Matth. 27. [Iesum flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur, &c.]

Prædicit Dominus discipulis passionem.
Origenes.
Traditus est Christus à Iuda, à Iudæis, à Dæmone, præterea à Patre.
Matth. 26.
Act. 2.
Ephes. 5.
Gal. 2.
Matth. 27.
Ioan. 13.
Origenes.
Qua ratione Pater, Christus ipse, Iudas, Iudæi, Satan, Christũ tradiderint.
Matth. 27.

Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi.

Rursus consilium capiunt Sacerdotes aduersus Christum; iam enim tom. 3 de alio egimus conciliabulo huic simili Ioan. 11. Quo die sit impia hæc congregatio facta, quæritur. Quarta feria factam docet Diuus Augustinus epistola 86. ad Casulanum: Cur (inquit) feria quarta ieiunet Ecclesia, illa ratio reddi videtur, quod considerato Euangelio ipsa fe-

Quarã die factũ sit concilium sacerdotum aduersus Christum. *D. Aug.*

sa feria quarta consilium reperiuntur fecisse Iudæi, &c. eadem die ait Augustinus dicta à Christo superiùs exposita verba; [Scitis, quia post biduũ Pascha fiet, &c. Colligitur (inquit) quartam Sabbati fuisse, quando ait Dominus; scitis quia post biduum Pascha fiet, ac per hoc dies ipse ieiunio deputatus est, quia, sicut Euangelista dicit, [tunc congregati sunt Principes Sacerdotum. Hæc Augustinus. Victor Antiochen. Duobus (inquit) diebus ante passionem cõsilium inierunt, qua de causa quarta feria ieiunamus, quasi passio aliquod tunc exordium fecerit, &c. Thophylactus, Marc. 14. Feria (inquit) quarta concilium conuenit, & propterea ieiunamus etiam nos quartis ferijs, &c. Diuus Clemens in constitutione libri 5. cap. 13. scribit cœpisse Sacerdotes consultare feria secunda mense Martio; & feria quarta Christum occidere decreuisse. cœperunt (inquit) consultare cõtra Dominum feria secunda, mense primo, qui appellatur Xanthicus; & tertia feria durauit cõsultatio, quarta verò decreuerunt eũ cruce occidere, &c. & cap. 14. Quarta (inquit) feria, & sexta, iussit nobis Dominus ieiunare. Illa quidem propter proditionem; hac verò propter passionem, &c. Quarta ergo feria maioris hebdomadæ cõgregati sunt Sacerdotes, Christùmque cruci suffigere statuerunt. Quamobrem feriæ quartæ ieiunium est constitutum.

Victor Antioch. *Cur quarta feria ieiunemus.* *Theophyl.* *Clemens.*

Quarta feria conciliũ de Christo capiendo initum fuit.

Locum in quo sunt congregati, indicat Matthæus; In atrium (inquit) principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas. Atrium Grecè, αὐλὴ, id est, aula, dicitur. In aula ergo vel palatio Caiphæ initum est consilium, quod Adrichomius in descriptione Ierusalem, fuisse scribit in monte Siõ. Erat verò, vt ait idem author, non solùm Caiphæ Palatium, sed summi cuiusque Sacerdotis Iudæorũ. Quorsum fuerint congregati narrat Euangelista his verbis; [Consilium fecerunt vt Iesum dolo tenerent, & occiderent.] De modo egerunt comprehensionis Christi. Vi aperta inuadere non audebant, quia, vt Lucas ait, timebant plebem; dolum ergo aliquẽ meditabantur, & fraudem, vt clàm, ac fraudulenter, ignorante populo, eum caperent. Cauentes (ait Diuus Hieronymus) ne auxilio populi de suis manibus tolleretur. Euthymius: Dolosam (inquit) apprehensionem, dixit occultam captionem: eam enim, quæ in propatulo fieret, timebant, propter eius discipulos, & eos, qui aliàs eum sequebantur, &c. hinc illud Luc. 22. Quærebat Iudas opportunitatem vt traderet illum sine turbis, &c.

De loco concilij. *Qua de re actum sit in concilio.* *D. Hieron.* *Euthym.* *Luc. 22.*

Non in die festo.

PRopinquus erat dies festus Paschatis: ideòque dicebant, Non in die festo comprehendamus eum, & occidamus. Tumultum & seditionem cauebant populi: boni enim rectoris est populi tumultum cauere. Diuus Anselmus ait timuisse ne fortè tumultus fieret in populo, & sic euaderet manus eorum Christus. Et Diuus Leo sermo. 7. de passione, Seditiones (inquit) turbarum fieri in præcipua solemnitate metuebant: non vt populus non peccaret, sed ne Christus euaderet, &c.

D. Ansel. *D. Leo.*

Dicebant illi: [Non in die festo.] At mutato consilio, quod ceperant, oblata traditione Iudæ, die ipso Paschatis cruci Dominum suffixerunt: tunc enim à Christo permissi sunt, id efficere, quod optabant: quia crucifigi voluit in die festo. Diuus Leo ser. 7. Diuino (ait) dispositum fuisse consilio intelligimus, vt sacrilegi Iudæorum principes, & impij Sacerdotes, qui sæuiendi in Christum occasiones sæpe quæsierunt, non nisi in solemnitate Paschali exercendi furoris sui acciperent potestatem, &c. Theophylactus: Non quando illi voluerunt, sed quando ipse voluit pati, permisit eis Dominus: per tẽpus scilicet Paschæ, vt quando typicum Pascha, tunc, & verum Pascha fieret, &c. Item: qui nolebant illum occidere, cùm inuenerunt proditorem, occiderunt, &c. Et Chrysostomus: postea quàm prodito-

Tumultum Iudæi timebãt, ne Christus euaderet. *D. Leo.* *Theophyl.* *Chrisost.*

Mutarunt consiliū Iudæi.

ditorem inuenerunt, commutati expectare non potuerunt, sed in ipsa solemnitate ipsum occiderunt. Quasi cæci cupiditate, furoréque irritati, quamprimùm sibi facultas data est, peregerunt, &c.

De quonam festo loquantur, dubitatur: loquuntur ne de omnibus diebus festis Paschatis, de quibus Num. 28. agitur, an de primo solo die? Respondetur, loqui de omnibus septem diebus hoc pacto: Non comprehendamus eum aliquo die festo, ex his Paschalibus, in quibus ciuitas populo plena est, ad Pascha agendum confluente, ne tumultus fiat. Postquam ij, qui huc confluxerunt decesserint, Paschalibus diebus transactis, quod cupimus, aggrediemur. Itaque comprehensionem distulerunt. Sic Act. 12. [Hærodes Petrum comprehendit, nolens post Pascha producere eum populo.] Hæc sententia Iansenio placuit. Maldonatus nomine diei festi diem primum, & extremum intellexit, qui duo celebriores erant, & feriati, vt constat ex cap. 28. Numer. Ideòque nolebant Iudæi comprehensioni tunc operā dare, ne populus festi otio fruens tumultuaretur: sed sententiam posteà mutasse constat, primòque die Paschatis Christum egisse in crucem, vt infrà dicemus.

Transactis diebus Paschalibus volebant sacerdotes Christum occidere.

Iansen. Maldon.

CAPVT II.

De Concilio Sacerdotum.

Morale.

Morale.

Mali rectores nauem ī scopulos impellunt. Dan. 13.

EGressa est iniquitas de Babylone,] Daniel. 13. à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum, &c. Eundem in modum egressa est iniquitas de Ierusalem à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum Israel, sed pessimè rexerunt. Quemadmodùm enim ebrius nauis rector, nauim in scopulos impellit: sic hi furore, atque inuidia inebriati, Rempublicam in miserrimum naufragium pertraxerunt. De principibus Aegypti dicitur Isai. 19. [Errare fecerunt Aegyptum, &c.] Sic hi plebis Iudaicæ principes, errare fecerunt Iudæam, id est, Iudaicam plebem, deceptàmque in scelus maximum præcipitarunt: illis namque suasoribus Christum quem paucis antè diebus celebri cum pompa Ierosolymam introduxerat, cruci vt adiudicaretur, à Pilato plebs postulauit. Matthæi 27. [Principes sacerdotum, & seniores persuaderunt populis, vt peterent Barabbam, Iesum verò perderent, &c.] En vides egregios plebis rectores, scelerísque atrocissimi persuasores.

Isai. 19.

Matth. 27.

Obserua Danielis verba. [Qui (inquit) videbantur regere populū, &c. sunt enim iudices, & rectores aliqui, qui idola & spectra rectorum sunt potiùs, quàm rectores. Regere videntur populum, sed non regunt, imò labefactant Rempublicam, ac perdunt. His illud congruit Zach. cap. 11. [O Pastor & idolum, &c.] Sunt enim idola quædam pastorum, & statuæ, ac effigies, sed non pastores veri, ac rectores. Quid Caiphas erat? nònne pastoris idolum? quid reliqui illius consiliarij, nònne idola consiliariorum, non veri consiliarij, [timebant (ait Euangelista) plebem, &c.] Vtinam Deum timuissent, potiùs quàm plebem, sanè à tanto scelere abstinuissent. Sed Deum non timebant, timebant verò plebem, quam posteà in idem scelus præcipitem dederūt. Hic impiorum mos est, homines, quos vident, timent, Deum non timent, quia non vident. contra iusti Deum inuisibilem formidant, quem spiritali fidei lumine cernunt; homines, quos corporeis intuentur oculis, minimè, iuxta illud Domini Matthæi 10. [Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potiùs timete eum, qui potest & corpus, & animam perdere in gehen-

Zach. 11.

Mali pastores idola sūt pastorum, et spectra.

Iudæi timebāt plebem, quā postea ī peccatum impulerunt.

Matth. 10.

Deus timendus.

hennã, &c.] A via cæli recta propter hominum timorem recedendum non est, quæ illi mala nobis conflare possunt, omnia sunt aspernenda. Si mala metuimus, Deus metuendus, qui æterna nobis mala infligere potest. Isaiæ 8. [Timorem eius] idest populi, [ne timeatis, neque paueatis. Dominũ exercituum ipsum sanctificate, ipse pauor vester, & ipse terror vester, &c.] Deus (inquit) sit pauor vester, & terror, non homines. Petrus quoque 1. Epistola cap. 3. hominum prauum timorem propellendum docet; [timorem (inquit) eorum ne timueritis, & non conturbemini, &c.

Isa. 8.

1. Pet. 3. Deus metuendus, nõ homines.

Illud impletum est in ijs stultis consiliarijs, quod extat Ps. 30. [In eo dum conuenirent simul aduersum me, accipere animam meam consiliati sunt; ego autẽ in te speraui Domine; dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ, &c.] Conuenerunt Sacerdotes, & consultarunt, quomodo acciperent animã veri Dauidis, id est, quomodo Christũ occiderent. Attamen non erant in manu, & potestate earũ, sortes Domini, Hebraicè nghittothai tempora; sed in manu Dei. In manu sua vitæ suæ habebat tempora, & sortes, quo tempore voluit, tunc est occisus. Impletum quoque illud Ps. 53. [Alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes quæsierunt animã meam, & non proposuerunt Deũ ante conspectum suum, &c. Etenim alieni à Deo homines aduersum Dauidem verum Christum insurrexerunt, necemq; illi machinati sunt. [Et non proposuerũt Deum ante oculos;] Deũ non timuerunt, absque timoris diuini freno in flagitium execrandum sese præcipitarunt. Impletum etiam est quod sequitur: [Auerte mala inimicis meis, & in veritate tua disperde illos. Voluntariè sacrificabo tibi] item illud: [Ex omni tribulatione eripuisti me, & super inimicos meos despexit oculus meus, &c.] Nam in Iudæos auertit Deus mala, illosque disperdidit: Christus verò voluntariè seipsum Patri sacrificauit in cruce, non coactus à Iudæis, sed sponte sua, iuxta illud Isaiæ

Psal. 30.

Ps. 53.

Sponte sua Christus occisus est.

Isa. 53.

A 53 oblatus est, quia ipse voluit, &c. Ereptus verò per resurrectionem ab omni tribulatione super inimicos suos despexit.

Isaiæ 8. [Congregamini (inquit) populi, & vincimini: cõfortamini, & vincimini: inite consiliũ, & dissipabitur: loquimini verbũ, & non fiet, quia nobiscũ Deus, &c.] Idem dici potest his consiliarijs. Congregamini ò inuidi consiliarij, sed vincimini, non reportabitis victoriã. Inite consilium, quomodo Christũ dolo teneatis, & occidatis: sed dissipabitur per eius resurrectionẽ; loquimini verbum, sed non fiet, quod loquemini, quia in morte Christus non permanebit. Est.n. Emmanuel.i. nobiscum Deus. est Deus, q ad homines è cælo descendit, contra Deum non præualebit homo. Ierem. 1. [Bellabunt aduersum te, & nõ præualebunt, &c. Præualebit contra vos Deus; vestro vos consilio illaqueatis, vestræq; Reipublicæ euersionem maximam infertis. Iob. 5. [Comprehendit sapientes in astutia eorũ, & consilia prauorũ dissipat, &c. Vt infatuauit consiliũ Achitophelis 2. Reg. 17. consiliũ quoq; Aman, Esther 6. sic cõsiliũ infatuabit vestrum Consiliũ fratrum, qui Ioseph vendiderunt, & in summum Ioseph honorẽ, atq; dignitatẽ conuertit; sic consilium vestrum, qui Christũ à Discipulo emistis, in p̃clarissimum ipsius honorem, imperiumq; conuertet. Arcam Dei ceperunt olim Philisthæi 1. Reg 5. sed capta arca, captores suos Deo pœnas sumente, demolita est. Arcã Dei vos capietis, id est, Christũ; sed arca hæc vos captores suos demolietur, atque diruet. Similes estis marinis fluctibus, qui fortissimam percutiũt rupem sed non franguntur illi percutiũtur, & franguntur. Cum fortissima rupe, siue petra Christo vobis res est; percutietis, sed multò acerbius percutiemini.

Isa. 8. Consiliũ Iudæorum vanum.

B

Ierem. 1.

C

Consiliũ malorum Deus dissipat. Iob 5. 2. Reg. 17. Esther 6. Consiliũ Iudæorum, & persecutio, Christũ exaltauit, Iudæos prodidit.

D

E

Prouer. 22. [Qui seminat iniquitatem, metet malum, &c.] Sementẽ nũc facitis iniquitatis inauditæ, dum Dei filium decernitis interimere. Væ miseris! amarissimos ex tam dira semente fructus colligetis. Consilium iniistis

Prouer. 22.

vt

Sacerd. dolo Christum capere voluerunt.

Vt Dominum dolo teneatis, ò dolosi consiliarij, timidiora videlicet, imitamini animalcula, & imbecilliora, quæ dolo magis valent, q̃ viribus. Dixit olim quidã, si leonina pellis non esset satis, addendã esse vulpinã. id vos nunc præstatis. nõ satis vobis esse videtur leonina pellis, hoc est, vis; vulpinam vultis addere, hoc est, dolum; vulpinari vultis cum Deo, sed aduersus eum, neque vis valet, neq; dolus. Illud vobis cõgruit quod Ezec. 13. in falsos Prophetas olim dixit: [Væ Prophetis insipiẽtibus, qui sequuntur spiritũ suum, & nihil vident; quasi vulpes in desertis, Prophetæ tui Israel erãt, &c.] Illi insipientes falsi Prophetæ erant, vos insipientes estis, & mendaces consiliarij. Sequebantur illi nõ Dei spiritũ, sed suum, idipsum vos facitis, vestro inuidiæ, furorisq; spiritu concitamini. nihil illi videbant futuri: vos item nihil imminẽtis à Deo grauissimi supplicij videtis. Illi vulpes erant in deserto; vos vulpes estis in ciuitate: peiores verò sunt vulpes in ciuitate, vbi multos possunt inuenire, quos decipiant, q̃ in deserto, vbi paucos. Heù vulpes ciuitatis; totam decepistis ciuitatẽ Ierusalẽ, amicam Christo plebẽ, vestro astu, ac dolo, & hypocrisi cepistis. O vulpes Ierusalẽ, ò Pharisæos, & Scribas hypocritas, ac dolosos, populũ potestis fallere, Deũ minimè falletis Cant. 2. Paruulas vulpes, ait Salomõ, demoliri vineas. [Capite (inquit) nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, &c.] Si paruulæ vineas demoliuntur, quid agent magnæ? Magnæ vulpes, hoc est, Pharisæi, Scribæ, & Sacerdotes, vineã Israeliticã demoliti sunt. Sed captæ sunt, pœnasque dederunt acerbissimas.

Ezech. 13.

Vulpes Ierusalem Pharisæi, &c.

Cant. 2.

Non in die festo.

Decreuerant non occidere Christũ in die festo; occasione oblata à Iuda, decretum mutarunt, atque occiderunt. Fugiendas occasiones docet locus: id enim quòd bene decretum est, si offeratur occasio, sæpe mutatur. Peccatum nullum committere decernit quispiam; si tamen offeratur peccandi occasio, nisi constans sit, mutatur, ac labitur. Hinc illud Ambrosij lib. 2. de virginibus: Causa peccandi etiam iustos decepit, &c. Et illud lib. 3. de virginibus: Carnes etiam volantes aquilas deponunt, &c. Decreuerat sanè iustus Dauid ab omni abstinere crimine; at verò cùm se occasio obtulit, multùm mutãs ab illo, thorum alienum commaculauit, volantem cælo aquilam deposuit caro. Lucæ 9. ait Dominus cuidam: [Sequere me.] ille autem dixit: [Domine permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum.] At Dominus respondit illi: [Sine vt mortui sepeliant mortuos suos, &c.] Noluit Dominus facultatem huic discipulo dare sepeliendi patris; quoniam noluit illum occasionibus obijcere. Vt enim ait Diuus Chrysostomus, erat verisimile post patris sepolturam ad testamenti legatorùsque considerationem deuenturum, & hæreditatis diuisionem: deinde ex alio in aliud, quasi vndarum fluctibus distractus, procul à portu salutis iactaretur. Quæ ne illi acciderent, secum esse ipsum Christus iubet, &c. Quod si inuito sese occasio peccandi offerat, ita animus in virtute obfirmandus est, vt nulla tentationis vi labefactari possit. Egregio adolescenti Ioseph maximè inuito satis nota occasio sese obtulit; at ille obfirmato in castitate animo ita obstitit, vt nullo modo potuerit superari. Hinc illud Iob 31. [Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine, &c.] Fœdus enim percutiendum est cum cum omnibus animi corporìsque partibus, ne peccati vllius occasionibus se immisceãt. Fœdus autem animi firmissimum indicat propositum, vt Cardinalis Caietanus docet. Deliberatum (inquit,) ac firmatum propositũ significat Iob dicens, pepegi fœdus, &c.

De fugiendis occasionibus peccati.

D. Ambr.

Luc. 9.

Noluit Christus discipulũ morari ad patrem sepeliendum.

D. Chris.

Obfirmandus est animus cõstãs, aduersus occasiones peccati.

Iob 31.

Caiet.

[Non in die festo.] Decreuerat Caiphas cum cęteris Christum interficere: sed in die festo voluit Christus immolari. Erat enim illius immolatio totius orbis maximum festum. Festũ (in-

Christi immolatio festũ nostrũ.

(inquam) erat Paschatis azymorum, id est, totius puritatis, ac sanctitatis, quam azymi panes indicant; omnis enim hominum puritas, & sanctitas ex illa innocentissimi Agni immolatione emanauit. Vnde Paulus primo Corinthiorum quinto. [Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis synceritatis, & veritatis, &c.] Loco verbi, epulemur, Græcè verbum est, ἑορτάζωμεν, id est, festum agamus, videlicet epulantes. Immolatum est Pascha nostrũ, ait Paulus, hoc est, agnus noster Paschalis Christus. Itaque festum agamus Paschatis, & azymorum, epulantes, agnumque ipsum abiecto veteri vitiorum fermento in azymis manducantes, id est, magna cum munditia, ac puritate mentis. Caiphas quidem socijque festum illud azymorum in azymis egerunt; sed non in azymis synceritatis, & veritatis. etenim azymos panes comederunt, sed simul cũ illis turpissimi sceleris fermẽtum deuorarunt. Paschalem veteris legis agnum cum lactucis amaris in cibum sumpserunt; Paschalem verò nouæ legis agnum amarissima cum inuidia immolarunt.

V. Cor. 5.

S. Paulus.

Denique consilium cum occasione mutarunt. Prudentis autem est, vt cum Seneca dicam, consilium cum re mutare, mutare (inquam) in melius. Potuere hi, vela vertere, aliud consilium sumere, Christum non occidendum, sed in Messiam recipiendum statuere: at inuidia obcæcati malè currere maluerunt, quàm recurrere. O cæcos homines Christum carpebãt, quòd miracula sanitatum patraret in festo Sabbato; sibi verò licere arbitrati sunt, ipsum tot miraculorum patratorem innocentissimum cruci suffigere in festo Paschatis. [Non in die festo Paschatis (aiunt) ne fortè tumultus fieret in populo.] Sed in die festo Paschatis immolatus est agnus; vt salus fieret in populo, vt redemptio fieret in mundo, vt cælestis portæ patefactio fieret in cęlo, vt nouum Pascha exoriretur in terra. Augustinus tractatu 50 in Ioan. die illo festo occisus est agnus, qui nobis eundem diem festum suo sanguine consecrauit, &c.

Prudẽtis viri est consilium mutare i melius.

CAPVT III.

De principibus Sacerdotum, de senioribus populi, & magistratibus templi.

Nonnulla dubia restant hoc capite explicanda, ex ijs orta, quæ superiori capite diximus. Dubium in primis est, quinam sint illi principes Sacerdotum, quos Matthæus congregatos scribit in atrium Caiphæ principis Sacerdotum. Diuus Chrysostomus Hom 80. in Matthæum, existimat dici principes Sacerdotum, eos qui summo sacerdotio iam fuerant functi. nam, vt inquit, Moyses vnum tantùm Sacerdotum principem, siue pontificẽ constituit, posteà verò multi erãt; annui facti sunt. Eadem est sententia Theophylacti, Euthymij, Carthusiani. Refellitur, quia etiam eo tempore, quo summum sacerdotium vnus tantum Põtifex, per totam vitam administrabat, erant multi principes Sacerdotum, vt liquet ex his verbis, cap. 26. Paralip. [Vniuersi principes Sacerdotum, & populus præuaricati sunt, &c.] Hebraicè, [sare hacohanim;] sermo verò de tempore habetur quod Babylonicam præcessit captiuitatem, multi erant principes Sacerdotum, qui tamen summo sacerdotio nunquam fuerant functi.

Quinam dicantur principes sacerdotum.

D. Chrys. Theophyl. Euthym. Carthus.

Paral. 36.

Respondemus, Principes Sacerdotum multos à tempore fuisse Dauidis Regis; vt enim tom. 2. lib. 3. cap. 53. latè ostendimus, 24. vices siue sortes

Digitized by Google

Sacerdotum à Dauide cōstitutæ sunt 1. Paral. 24. vnaquæque verò sors siue familia principē habebat suum, erātque 24. Sacerdotum, siue familiarum sacerdotalium principes: hi dicuntur principes Sacerdotum; dicūtur quoque apud Marcum cap. 13. summi Sacerdotes. est autem apud Marcum Græcum nomen ἀρχιερεῖς, id est, principes Sacerdotum. eodem nomine vtuntur reliqui Euangelistæ. 1. Parap. 24. dicuntur principes sanctuarij, & principes Dei. lege locum citatum tomi 2. Dicuntur etiam hi principes Sacerdotum Pontifices Ioan. 15. [Iudas (inquit) cùm accepisset cohortē, & à Pontificibus, & Pharisæis ministros, &c.] & Pilatus eodem capite, [Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi;] item cap. 19 [Cùm vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant dicentes, crucifige eum, &c.] Quinam sunt hi Pontifices? Principes sunt sacerdotalium familiarum, Græcè enim appellantur, ἀρχιερεῖς, id est, principes Sacerdotum. Interpres vertit, Pontifices, quod idem est.

Erant 24. principes sacerdotum. Marc. 13. Ioan. 15.

Secundò dubitatur, qui nam appellentur seniores populi ab Euangelistis. Euthymius ait seniores dici antiquos, ac sapientiores. Respondemus, seniores populi appellari Græcè Presbyteros, nomen enim presbyteri seniorem significat. Erant autē hi seniores populi Israelitici iudices; ideòque cum principibus Sacerdotum, & Pontifice congregati sunt aduersus Christum. Videntur autem hi iudices seniores fuisse ex capitibus, & principibus familiarum, iuxta illud 2. Paral. 19. [Iosaphat constituit iudices terræ, in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per singula loca. In Ierusalem quoque constituit Leuitas, & Sacerdotes, & principes familiarum ex Israel, vt iudicium, & causam Domini iudicarent habitatoribus eius, &c. Nonnulli obseruant ex Talmudis tria fuisse iudicum tribunalia; primum, quod domus iudicij appellabatur trium virorum, siue iudicum, in quo de minoribus causis agebatur: secundum, quod domus iudicij, vel synedrium paruum dicebatur, viginti trium virorum, vel iudicum, in quo maiores causæ nempe capitales versabantur: tertium verò septuaginta duorum virorum, quod συνέδριον magnum nominabatur, in quo de rebus grauissimis disceptabatur. hoc tribunal Ierosolymis erat. Fuisse autem Ierosolymis 72. virorum concilium, quod nomine à Græcis mutuato, Synedriō dicitur, ait Paulus Burgensis Genes. 49. Galatinus lib. 4. Lyranus Matth. 15. Ioannes, Lucidus, Abulensis, & alij. Elias Hebræus, Synedrion (ait) vocabantur 70. seniores consistorij magni, quod erat Ierosolymis, &c. meminit etiam Synedrion Chaldæus Ruth. 4. & alibi. Abulensis Numer. 11. quæst. 32. Apud summum (inquit) Sacerdotem residebat maxima authoritas iudicandi, Deut. 16. Qui indigebat consiliarijs; dati autem sunt illi 70. seniores, qui assisterent ei, & omnes illi simul vocabantur domus iudicij, &c.

Euthym. Presbyter. Qui nā sint seniores. 2. Par. 19. Tria iudicū tribunalia. Synedrion Burgen. Galat. Lyran. Lucidus. Abul.

De his ergo senioribus, siue presbyteris domus iudicij sermo habetur ab Euangelistis, vt Lyranus ait Matt. 15. & Abulensis. Dionys. Carthusian. Seniores (ait) populi 70. erant iudices ordinarij, successores 70. seniorum, quos Moyses constituit, horum multi fuere Scribæ, & Pharisæi, &c. Item Lyranus, A tempore Moysis constituti sunt 70. senes ætate, & moribus maturi, & scientia præditi, ad regimen populi; & Moyses erat super eos. Et ex illo tempore statutum est, vt tot essent ad regimen populi ordinati; & isti dicebātur iudices ordinarij, quia per impositionem manus instituebantur, vt habetur in glossis Hebraicis, in multis locis, & residebant in Ierusalem. Sic ille. Lege Num. cap. 11.

Lyranus. Abul. Carthus. Lyranus. Num. 11.

Dubitatur tertiò, quinam dicantur magistratus à Diuo Luca, cùm ait capite 22. [Iudas abijt, & locutus est cum principibus Sacerdotum, & magistratibus, &c. Græcè, στρατηγοῖς. Eosdem vocat idem Euangelista eodem capit. magistratus templi; [Dixit Iesus ad eos qui venerant ad se principes Sacerdotum & magistratus tēpli.] Theophy. Luc. 22. putat appellari ma-

Qui dicantur magistratus templi. Theophyl.

ri magistratus præfectos ædificijs tẽpli; vel etiam censores, vt qui curarent ea quæ ad bonum ordinem seruandum pertinebant. Præfecerant enim (ait) Romani quosdam populo, ne turbaretur; quandoquidem seditiosi erant, &c. Addit, fortasse, & militaria munera credebantur eis, qui erant ex sacerdotali ordine. vnde magistratus, & duces dicti, &c. Euthymius existimat magistratus hos fuisse custodes templi. Iansenius arbitratur eos dici, qui in populo seniores erãt, quiue aliquam in populo autoritatem obtinebant. Caietanus, duces qui ducebant alios, quorum nutu res gerebantur. Vatablus militum præfectos, qui templum tuebantur. Interpres Chrysostom. Act. 5. στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, vertit, [ducem militiæ templi. Interpres Theophyl. vertit, præfectum præsidij templi. Nam nomen, στρατηγὸς, ducem propriè significat, quamobrem Pagninus transtulit ducem templi. Act. 5. hæc opinio si vera est, fuere plures templi duces, multique milites, qui templum custodirent. At militum præsidium habere, Iudæis permisisse Romanos, in templo minutissimo, non satis videtur verisimile; ideòque magistratus templi, siue στρατηγοὺς, rebus templi præfectos Sacerdotes appellari potiùs crediderim. Neque tamen abest à verisimilitudine, præsidium militum habuisse templum; non quidem militum Iudæorum, sed Romanorum; credi quoque potest Sacerdotes, vel Leuitas ad custodiendum templum excubare consueuisse instar militum, cum præfectis, & ducibus, qui magistratus templi appellentur.

Euthym.
Caiet.
Iansen.
Pagninus.

CAPVT IV.

An Christus agnum comederit die 14. mensis?

Dubitatur quartò ĩ verba illa [Scitis, quia post biduum Pascha fiet] quonã die Pascha fecerit Christus, id est, quoto mensis Nisan die, agnum Paschalem comederit illo anno, quo in crucem est actus. Græci contendũt Christum illo anno agnum edisse, & cœnam egisse Paschalem 13. die, siue 13. Luna mensis. Ratio est, quia lex Exod. 12 præcipit agnum immolari & comedi Luna 14. mensis. Erat autem agnus ille Christi patientis typus, vt constat ex verbis illis Ioann. 18. [Os non comminuetis ex eo, &c. [ergo vt veritas typo responderet, oportuit Christum mori ipsa 14. Luna. Cùm verò sciret se 14. die moriturum, neque posse tunc agnum immolare, atque edere; præcedenti Luna 13. id pręstitit, cœnàmque Paschalem egit. Vnde sequitur panem fermentatum edisse in cœna illa; atque adeò Eucharistiæ Sacramentum in pane fermentato confecisse ita, vt Græci conficiũt. Nam 13. Luna, fermentato pane vescebantur Iudæi, non azymo.

Sententia Græcorum.
Exod. 12.
Ioan. 18.

Probatur hæc Græcorum sententia. Primò quia Ioannes cap. 13. ait, Christum cœnasse ante diem festum Paschæ; sed dies festus Paschæ, id est, immolationis agni Paschalis, erat 14. Luna; ergo Christus cœnauit ante Lunam 14. videlicet Luna 13. Secundò Ioan. 18 [Iudæi non sunt ingressi prætorium Pilati, vt non contaminarentur, sed manducarent Pascha,] id est, agnum Paschalem; ergo Christus crucifixus est illa die, qua Iudæi erant manducaturi agnum; ea verò erat 14. ergo die 14. præcedenti agnum iam mãducauerat cum Apostolis. Tertiò Ioan. 19. diem illum, quo Christus occisus

Græcorũ sententia probatur.
Ioan. 18.

cisus est, appellat parasceuem, id est, præparationem Paschæ; ergo die illo vesperi præpararunt se Iudæi ad Pascha faciendum, & immolandum agnum, eratque dies non 15. sed 14. mensis. Quartò Ioan. eodem cap. 19. Sabbatum illius hebdomadę, qua Dominus est occisus, vocat magnum: [Erat (inquit) magnus dies ille Sabbati;] cur dies magnus erat? sanè quia in illud incidit festum Paschatis: ergo festum Paschatis celebratum est eo anno die Sabbati, quæ fuit 15. Luna mensis. Christus vero crucifixus est feria 6. Luna 14. qua agnus immolatus est à Iudæis. Dominus verò illũ iam immolauerat Luna 13. Quintò Iudæis operari non licebat die festo Paschatis, atqui die qua Christum occiderunt, operibus in festo prohibitis vacarunt, in iudicium enim illum attulerunt, accusarunt, & in crucem egerunt: Nicodemus verò, & Ioseph sepelierunt. Ergo illa feria sexta festus dies Paschatis non erat. Atque adeò non erat 15 Luna, sed erat 14. ante quam Christus cœnauerat Luna 13. Adde illud quod in suo conciliabulo dicebant: [Nõ in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo, &c. Vnde sequitur non occidisse, Christum in die festo Paschatis: sed die præcedenti pro festo, quo agnum immolabant.

Ioan. 19.

Magnus dies Sabbati.

Hæc Græcorum sententia Euangelio planè repugnat; in media illi luce cæcutiunt. Euangelium enim docet Christum nõ 13. Luna, sed 14. cœnasse cum discipulis, quæ sententia est Latinorum omnium. Confirmatur Matth. 26. [Prima (inquit) die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?] & infra [Vespere autem facto (eodem scilicet die) discubuit,] Prima autem dies azymorum erat 14. Luna, in qua vesperi agnus cum azymis edebatur, nulloque modo dici potest prima dies azymorum, Luna 13. in qua fermentato vescebãtur pane Iudæi, vt ipsi Græci fatentur: idem habetur Marci 14. & Lucæ 22. quorum verba exponemus infrà. Secũdò Christus affixus est cruci ipso die festo Paschatis, vt infrà probabimus: is verò erat dies 15. sed pridie quàm pateretur, &, vt ait Apostolus 1. Cor. 11. [in qua nocte tradebatur cœnauit:] ergo cœnauit ante diem festum Paschatis, vt Ioannes ait 14. Luna. Tertiò, ex lege ipsa constat Christum cœnasse Luna 14. siquidem Exod. 12. lex præcipit, vt agnus comedatur Luna 14. ergo non poterat comedi Luna 13. Christus verò legem donec vixit obseruauit: ergo 14. Luna agnum comedit, non 13. Quartò, scandalum præbuisset Dominus discipulis, præsertim Iudę, & ijs omnibus, qui domum incolebant, si agnum extra diem lege præscriptum comedisset: ergo id minimè fecit. Quintò nulla fuit necessitas diem anticipandi, cui Dominus occurrere non posset: ergo non anticipauit. Denique si anticipasset, Euangelistæ id aperuissent: res enim erat dignissima, quæ posteris traderetur. Contrarium verò docent.

Matth. 26.

Refutatur Græcorũ sententia.

Christus 14. Luna agnũ mãducauit.

1. Cor. 11.

Exod. 12.

Argumenta pro Græcorum sententia propositã facilè soluuntur. Prima illa ratio momenti parum habet: Agnus erat typus Christi, ergo debuit Christus 14. Luna immolari, qua immolabatur agnus. Non est opus ad vnguem respondere veritatem typo. Satis est fuisse typum, quia vt ille agnus immolabatur, sic Christus agnus innocentissimus (vt alia nunc omittam) in cruce veluti ara est immolatus. Nõ fuit opus eadem die immolari, alioqui etiam fuisset opus immolari eadẽ hora, id est vesperi: at Christus crucifixus est meridie. Prætereà respondemus, agnum fuisse Eucharistici sacrificij typum, (vt infrà explicabimus, cum de cœna Domini agemus) quod quidem eodem die vesperi à Christo est oblatum, quo agnus est mactatus. Tunc verò 14. Luna Dominus immolatus est incruentè: etenim obtulit seipsum Patri in cœna sacrificium incruentum, oblaturus sequenti die in cruce cruentum. Denique respondemus, eodem die legali Christum esse immolatum, quo agnus est

Soluũtur argumẽta Græcorum.

Non est necesse veritatem respondere ad vnguem typo.

ac-

occisus. Nam agnus occisus est feria A 5. vesperi, Christus crucifixus feria 6. ad meridiē. Dies aũt ille festus feriæ 6. exordium accepit à feria 5. vesperi, iuxta legem Leuit. 23. [A vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra, &c.] Primo argumento respondetur, Ioannem appellare diē festum Paschæ, non diem illum, quo agnus immolabatur, id est feriam 5. sed sequentem feriam sextam, hoc sensu; feria quinta, ante diem festum B Paschæ, id est, ante feriam sextam, qua Paschatis agebatur festum, vt ostendemus cùm verba Ioannis explicabimus. Secundo argumento respōdetur, Iudæos non introijsse Pilati Prætorium ne contaminarentur, sed manducarent Pascha, id est, cibos paschales, quibus vescebantur die festo Paschatis: qui autem illi cibi essent, dicemus cùm ad verba ipsa Ioannis, Deo duce peruenerimus. Tertio argu C mento respondetur, parasceuem, id est, præparationē appellasse Iudæos feriā sextam, quia illa die cibos præparabāt in Sabbatum, Sabbato enim præparare lege vetitum erat. Dies ergo quo Christus est crucifixus, dicitur parasceue, quia feria erat sexta; dicitur vero parasceue Paschæ, quia in Paschatis festum inciderat. Marci 15. [Erat (inquit) parasceue, quod est ante Sabbatum, &c.] hoc est, dies, D qua crucifixus est Dominus, erat feria sexta, quæ præcedit Sabbatum. Luc. 23. [Et dies erat parasceues, & Sabbatum illucescebat, &c.] Matth. 27. [Altera die quæ est post parasceuem] id est, die Sabbati, quod sequitur parasceuem, id est, feriam sextam. Quarto respondetur Sabbatum illud dici magnum à Ioanne, propterea quòd in paschales dies inciderat, ni- E mirum in secundum diem, ac proximum festo Paschatis. Præterea magnus dicitur dies ille Sabbati, quia quoad operum cessationem, maior erat die festo Paschatis, neque poterant in eo corpus crucifixum deponere è cruce, vt suo loco videbimus. Quinto, & sexto argumento, dubio sequenti respondetur.

Leu. 23.

Argumentis respōdetur.

Marc. 15.

Luc. 23.

Matth. 27.

Dicitur magnus dies sabbati, q[ui]a incideret in festos Paschales.

CAPVT V.

An Christus in die festo sit crucifixus?

Dvbitatur 5. circa illa verba conciliabuli; [Non in die festo, &c. An in die festo cruci suffixerint Christum Iudæi? non crucifixisse die festo, probant quintum, & sextum argumentum supra propositum. Cruci verò fixisse die festo certissimum est, docetque Euangelium. Nan ex Euangelio planè colligitur, cruci suffixũ Dominum die sequenti, postquam agnum manducauit: dies verò ille, qui agni manducationem sequebatur, festus erat Paschatis, vt constat satis. Idem docet Ioannes 13 illis verbis: [Ante diem festum Paschæ:] vt infrà dicemus. Idipsum confirmatur, quia, qua die Christus est crucifixus, ea die Barabbas è carcere est dimissus. Est autē Barabbas dimissus ipso die festo Paschatis Ioan. 18. Luc. 23. ergo in ipso die festo Christus est crucifixus. Lucæ 23. [Necesse habebat dimittere eis per diem festum vnum, &c. Matth 27. [Per diem autem solemnem consueuerat præses populo dimittere vnũ vinctum, quem voluissent, &c.] Adde verba illa Iudæorum Ioan. 18. ad Pilatum: [Nobis non licet interficere quenquam, &c.] videlicet in die hoc festo Paschatis; (vt nonnulli exponunt) ergo festus dies Paschatis ille erat: verùm infrà hæc verba explanabimus. Hanc fuisse Apostolorum traditionem ait Diuus Epiphanius hæresi 70. Dicunt (inquit) Apostoli, quando Iudæi conuiuantur, vos ieiunantes pro ipsis lugete: quoniam in die festiuitatis Christum crucifixerũt, &c.

Argumentis propositis respondetur, conciliabulum decreuisse non occidere Christum in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo: posteà obla ta

Ioan. 13.

Christus in die festo Paschatis crucifixus est.

Luca 23.

Matth. 27.

Ioan. 18.

Epiphanius hæresi 70.

Soluuntur argumēta.

ta Iudæ traditione mutasse decretum vt suprà diximus. Secundo argumento respõdetur, die festo Paschatis nõ fuisse vetita opera omnia sicut in Sabbato. Nam in Sabbato nec cibos præparare fas erat: in festo autem Paschatis licebat, Exod. 12. [Dies prima erit sancta, atque solemnis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis. Nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent, &c. Licebat ergo eo die festo, quo Chistus est occisus, cibos coquere: licitũ etiã fuisse videtur sepelire mortuos, maximè quia Sabbatum sequebatur: peculiari autem præcepto traditum est, Deuter. 21. vt crucifixorum corpora eadem die sepelirentur, qua essent interfecti, ideoque Nicodemus & reliqui fas sibi esse sunt arbitrati, Christum è cruce deponere, & sepulchro condere. Pharisæorum, & Sacerdotũ opera in illo festo peracta excusare, non est opus. Tanta enim siti sanguinis Domini tenebantur, vt licere sibi omnium existimarint: peregerant tamen pleraque per milites Ethnicos, quibus festi cura erat nulla.

Exod. 12.

Die sabbati licebat suspẽsorum cadauera sepeliri.

An Christus eodem die agnũ comederit, quo Iudæi?

Dubitatur sextò, an Christus illo anno Pascha fecerit eodẽ die, quo Iudæi? Eodem die Pascha fecisse, id est, agnum Paschalem immolasse, & comedisse, recepta Theologorũ sententia est; quæ ex Euangelio confirmatur. Etenim Christi verba hoc significant. [Scitis, quia post biduum Pascha fiet, &c.] fiet (inquam) Pascha, id est, occidetur, & comedetur agnus Paschalis ab omnibus Iudæis: indenifitè enim loquitur, nõ de se solo, sed de omnibus. Præterea Euangelistæ scribunt Dominum cœnasse prima die azymorum: ergo illa die, qua cœnauit, azymis vescebantur Iudæi: propterea namque dies azymorum appellatur, Mar. 13. [Primo (inquit) die azymorum, quando Pascha immolabant, &c.] Quinam Pascha, id est, agnum Paschalem immolabãt? Sanè non alij, quàm Iudæi omnes. D. Lucas 22. [Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha:] id est agnum Paschalem. Necesse, inquam, erat occidi agnum, non solũ à Christo, sed à Iudæis etiam omnibus ex mandato legis. Matth. 26. [Prima die azymorum accesserunt Discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? &c. Rogarunt Discipuli magistrum: nimirùm quia sciebant Iudæos omnes illo die ex præscripto legis Pascha, id est, agnũ Paschalem comedere.

Christus eodem die quo Iudæi, agnũ comedit Paschalem.

Marc. 13. Iudæi soli agnũ Paschalem immolabant.

Luc. 22.

Matth. 26.

A nobis dissentiunt, Paulus Burgensis, Matth. 26. Ioannes Lucidus in libro de vero die passionis Christi, caput 9. Hentenius in præfatione in Euthymium, Onuphrius libro secundo fastorum, Iansenius concord. ca. 128. Maldonatus, & alij. Arbitrantur illi cœnasse quidem Christũ ex præscripto legis 14. Luna, & crucifixum Luna 15. qua lex tradebat Paschatis festum esse celebrandum. Iudæos verò putant illo anno Paschalem immolationem, & cœnam non egisse Luna 14. sed immolationem agni in Lunam sequentem 15. Paschaleque festum in Lunam 16. transtulisse, vnde efficitur non eodem die Christum, & Iudæos agnum Paschalem comedisse. Nam Christus comedit Luna 14. feria quinta, ex legis mandato; Iudæi propter translationem Luna 15. feria sexta; Paschatis verò festum celebrarunt die Sabbati.

Paulus Burgensis.

Lucidus.

Onuphrius.

Iansenius.

Maldon.

Nõnulli putant Christum comedisse agnum eodem die, quo Iudæi. Burgens.

Huius opinionis fundamentum affert Paulus Burgensis, videlicet Iudæorum antiquum morem, siue regulam hanc: Prima dies Paschatis, nunquam agitur feria secunda, quarta, vel feria sexta. Quod si in feriam sextam incideret, transferebatur in Sabbatum. Vnde Mantuanus libro 2. fastorum canit:

Mantuan.

Hæc extra depulsa suam solemnia lucem,

Misit

Misit in aurorã demens Iudaa sequentem.
Nam quoties triuia sydus mutabile festa
In Veneris fert ista diem, synagoga propinquam
Traijcit in lucem, ne festa sequentia turbent.

Lege Hentenium, & Honuphrium, & Salmeronem tom. 9 Rupertus huius ferè est sententiæ; sic enim scribit Matth. 26. in hæc verba, [Scitis, quia post biduum Pascha fiet.] Inter traditiones plurimas, quas seniores Iudæorum superstatuerant traditionibus Dei, istud quoque statuerant, vt si sextam feriam contingeret esse quintamdecimam diem mensis, differretur solemnitas Paschæ vsque in diem sequentem Sabbati; difficile, & incõmodum esse dicentes, duo Sabbata continuare, id est, duobus diebus vacare ab omni opere, multas ob causas, quarum ex præcipuis vna erat, quòd cadauera suorum, nonnunquã insepulta vsque ad quartum diem, fœtoris molestiã generarent, &c. Deinde ait illo anno transactum esse festũ Paschæ à Iudæis ex traditione, à feria sexta in Sabbatum. De hoc Iudæorũ more agit idem Rupertus libro secundo in Leuit cap. 36. sed eo loco sentit Iudæos eodem die fecisse Pascha, id est, agnum edisse, quo Christus edit, id est, feria quinta, transtulisse verò festum Paschatis in Sabbatum. Quando (inquit) quinta feria Luna 14. euenisset, agnum quidem eadem nocte comedebant Iudæi: sed sequentis diei solemnitatem relinquebant in Sabbatum transferendam, &c. Alij volunt etiam agni esum translatum à Iudæis à feria 5. in feriam 6.

Rupertus.

Statuta quadam Iudaorum.

Aliorũ authorum sententia.

Probatur sententia; Primò, quia Iudæi ea die qua Christum occiderunt, id est, feria sexta, ingredi noluerunt in prætorium Pilati, Ioan. 18. [Ne contaminarentur, sed manducarent Pascha: id est, agnum Paschalem. ergo feria sexta agnum Iudæi manducarunt, & Paschatis festum in Sabbatum distulerunt. Secundò, Sabbatum post illam feriam sextam, dicitur à Ioanne dies magnus: [Erat (inquit) magnus dies ille Sabbati.] dicitur, inquam, magnus dies, quia in illud Paschatis festum inciderat; ergo Iudæi trastulerunt immolationem agni in feriam sextam, & festum Paschale in Sabbatum. Tertiò, Ioan. 19. feria sexta, qua Christus est crucifixus, dicitur parasceue Paschæ, id est, præparatio agni comedendi: ergo feria 6. agnum Iudæi comederunt. Quartò, Nicodemus, & Ioseph emerunt vnguenta & sindonem, & Dominum sepelierunt feria sexta, ergo non fuit festus dies Paschatis feria sexta, sed Sabbatum.

Ioan. 18.

Ioan. 19.

At verò hæc argumenta nihil efficiunt; iam enim paulò antè sunt omnia soluta. Illa etiam Christi verba Matthæi 26. [Tempus meum propè est, apud te facio Pascha, &c.] exponit Burgensis in suam sententiam hoc pacto; tempus meum, non Iudæorũ, quo ego sum facturus Pascha, non Iudæi; sed non rectè exponit, appellat enim Christus tempus suum, tempus passioni destinatum, iuxta illud Ioan. 13. [quia venit hora eius, &c.] Illum autem morem transferendi Pascha à feria sexta in Sabbatum tempore Christi extitisse negamus. Euangelistę enim docent Iudæos feria sexta Paschatis egisse festum, vt ostendimus. Præterea duos festos dies cõiunctim à Iudæis celebratos docet Iosephus, lib. 13. Antiq. cap. 16. Pentecoste (inquit) instabat post Sabbatum, &c. Denique (vt omittam alia) Aben Ezra, citatus à Genebrardo lib. 2. Chronolog. docet maiores suos nunquam transtulisse Pascha, quando occurrebat feria secunda, quarta, vel sexta.

Supra soluta sunt argumenta.

Matth. 26.

Burgens.

Ioan. 13.

Mos transferendi Pascha non erat Christi tempore.

Iosephus.

Aben Ezra.

Est alia sententia ab his diuersa, Iudæos quidem non transtulisse, vel esum agni, vel festum Paschatis in aliam diem ex more maiorũ: sed quia in Christo comprehendendo feria 5. fuerunt occupati, distulisse agni immolationem, atque esum, in feriam 6. atque adeò feria sexta agnum edisse, Christum verò edisse feria 5. Chrysostomus in Matth ad illa verba, [Petrus autem sequebatur: liquidò (inquit) patet, cupiditate interficiendi Christum præuaricatos esse, ac alia die

Chrysost.

Pa-

Pascha comedisse, &c. Item: ex insperato nacti quòd cupiebant, tempus Paschę transposuerunt, vt ardentes cæde animos explerent, &c. An sit probabilis hæc sententia dicemus Deo fauente, cùm illa verba explicabimus Ioan. 18. [Ipsi non introierũt in prætorium, ne contaminarentur, sed manducarent Pascha, &c.] De agno Paschali agemus cùm de cęna Domini verba fecerimus. Tertullianus lib. contra Iudæos ait, passionẽ Christi perfectã esse primo die azymorũ, quo agnum vt occiderent, à Moyse Iudæis fuerat pręceptũ, videtur existimare Christum fuisse cruci suffixum eo die, quo Iudæi agnũ edebant, i. feria quinta. verum quidẽ dicit; si intelligas Christum cruci suffixum primo die festo azymorũ, idest, feria sexta, quo die ad primam vesperam Iudęis præceptum erat Paschalem cœnam agere.

Ioan. 18. *Tertullia.*

CAPVT VII.

Quoto ætatis suæ anno, Christus extremum Pascha fecerit, & cruci suffixus fuerit.

SIquidem ad extremos vitæ mortalis Christi dies p. uenimus, operæpretium erit inuestigare, quot annos Christus vixerit, & quoto ætatis anno in crucem actus sit. Sunt ea de re multæ, ac discrepantes sententiæ breuiter commemorandæ.

1. Opinio. Quot annos vixerit Christus quæritur. D. August.

Prima quorundam est, qui, vt Augustinus ait lib. 2. de Doctr. Christ. c. 28. existimarunt 46. annos vixisse. Nonnulli (inquit Augustinus) putarunt 46. annorum ætate passum esse Dominum; quia per tot annos ædificatum esse templum, dictum est à Iudæis, Io. 2. quod imaginem Dominici corporis habebat, &c. sed opinio falsa est, & ratio quam secuti sunt, nullius momenti.

Secunda est D. Irenæi lib. 2. c. 40. Non multum (inquit) aberat Dominus à quinquaginta annis; & ideò dicebant ei Io. 8. [Quinquaginta annorum nondum es, & Abraham vidisti?] & c. 39. Ætas (ait) à quadragesimo, ac quinquagesimo anno declinat iam in ætatem seniorem, quã habens Dominus docebat; sicut Euangelium, & omnes seniores testantur, qui in Asia apud Ioannem discipulũ Domini conuenerunt, idipsum tradidisse eis Ioannem. Quidam autem eorum non solum Ioannẽ, sed & alios Apostolos viderunt, & hæc eadẽ ab ipsis audierũt, & testantur de huiusmodi relatione, &c. A nemine recipitur hæc sententia, facileque ex ijs, quæ dicemus, refelletur. Euangelium testari, ait Irenæus, Christum seniorem habuisse ætatem, cum tamen ex Euangelio ad eã non peruenisse colligatur. Colligit ille quinquagesimũ ferè annũ attigisse ex verbis Iudæorũ, quæ in Euangelio extant: [Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?] Nihil tamen roboris hæc habet collectio, vt suo loco diximus, cum verba illa explicauimus. Traditio verò cuius meminit, apocrypha est, auctoritate carens, maleque fuit intellecta.

D. Irenæus. Ioan. 8. Ex quorũdã relatione habuit Christus quinquaginta ann. Reijcitur hæc relatio.

Tertia est Tertulliani lib. cõtra Iudæos, c. 8. Anno (inquit) quintodecimo Imperij Tib. Cæsaris passus est Christus, annos habens quasi triginta cùm pateretur, &c. Sed lapsus est Tertullianus, Euangelioque Lucæ repugnat apertè, in quo c. 3. legimus, anno 15. Tib. Cæsaris Christum Baptizatum, non verò passum. Similiter lapsus est, cum lib. 1. contra Marcionem, c. 15. ait Dominum reuelatum, per Baptismum scilicet, vel prædicationem, anno 12. Tiberij, cum anno 15. sit reuelatus per Baptismum, vt ex Euangelio liquet. Africanus quoque, cuius verba refert D. Hieron. in commentarijs Danielis, c. 9. passum ait Christum anno 15. Tib. Cæsaris; idem scribit Lactantius lib. 4. de vera Sapiẽtia, c. 10. Tunc autem 30. annos agebat Dominus. Clem. Alex. lib. 1. stro-

3. opinio. Tertullian. Tertulliani lapsus. Africanus. Lactantius. Clement Alex.

stromatum, triginta tantùm annos vixisse arbitratur. Diuus Augustinus libro 18. de ciuitate Dei capite 54. ait mortuum duobus Seminis consulibus, scilicet Rubellione Gemino, & Ruffo Gemino: horum verò consulatus in annum 15. Tiberij incidit. Vnde colligi potest Augustinum in hac fuisse sententia, quam indicant verba illa eiusdem epist. 80. A Natiuitate Domini hodie computantur anni fermè quadringenti viginti; à resurrectione autem vel ascensione eius, anni plus minus trecenti nonaginta, &c. triginta tantùm annos numerat à Natiuitate Domini, vsque ad resurrectionem. Sed Augustinus in consulibus errorem sequutus est, in quem alij quoque inciderunt, nimirum Tertullianus libro contra Iudæos capite 8. Lactantius loco indicato, Seuerus Sulpit. lib. 2. histor. Christum verò plus quàm 30. annos vixisse sensit libro 2. de doctrina Christiana capit. 28. Annorum (inquit) ferè triginta baptizatum esse Christum retinemus autoritate Euangelica; sed posteà quot annos in hac vita egerit, quanquam textu ipso actionum eius animaduerti possit; tamen ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de historia gentium collata cum Euangelio, liquidiùs, certiùsque colligitur, &c.

D. August. *Consulatus seminorũ.* *Tertullian. Lactant. Seuerus. Sulpit.*

Quarta opinio est Philastrij in hæresi de annis Christi, opinatur Christum vno anno post Baptismum prædicasse; vnde sequitur anno ætatis trigesimo primo esse crucifixum: Cùm (inquit) Isaias dixit cap. 61. [Annunciare annum Dei acceptabilem: de anno illo dixit Saluatoris, in quo docuit vsque ad passionem; de anno post Baptismum, in quo prædicans salutis mysterium referebat, &c. Itẽ: Dominus, quæ in vno anno gessit, & docuit, hæc sola præcepit conscribi. Nam quæ antè facta sunt ab eo ac dicta primis 30. annis, &c.

4. Opinio. Philastrius. *Isai. 61.*

Quinta opinio est Apollinarij Laodiceni, cuius hæc verba extant apud Diuum Hieronymum, Dan. 9. Trigesimo anno ætatis suæ, cœpit in carne Dominus Euangelium prædicare; & iuxta Ioannem Euangelistam per tria Paschata, duos posteà impleuit annos, &c. Duos annos arbitratur prædicasse Christum post Baptismum, baptizatum verò anno trigesimo: vixit ergo ex illius sententia annis 32. Diuus item Cyrillus, Isaiæ 29. Per totum (inquit) biennium vniuersam peragrans Iudæam Christus, Euangelicam prædicationem Iudæis tradidit, &c. Cassiodorus in Chronico Christum crucifixum scribit duobus annis post consulatum Geminorum, vnde colliges duobus annis prædicasse; siquidem Gemini Consules fuere 15. anno Tiber. Cæsaris, quo Dominus est baptizatus, huius opinionis est Paulus Orosius, qui lib. 7. capit. 4. ait Dominum patibulo affixum anno 17. Tiberij, id est, duobus annis post Baptismum. Seuerus Sulpitius dicitur existimasse Christum obijsse 31. anno expleto, & inchoato 32. Sed hoc non existimasse probatur. Nam lib. 2. hist. sic scribit: Herodes (primus) post Christi Natiuitatẽ regnauit annis 4. postquã Archelaus Tetrarcha annis 9. Herodes (Tetrarcha) annis 24. hoc regnãte anno regni 28. Dominus crucifixus est Fusio Gemino, & Rubellio Gemino Consulibus; sic ille. Si hos annos ad calculum reuocemus, annos Christi 31. efficiemus. At verò detrahere à summa oportet annos quibus Archelaus simul cum Herode Tetrarcha fratre suo imperauit, restabuntq; pauci anni, qui ætati Christi minimè conueniunt. Non ergo ex his verbis Sulpitij rectè colligitur ætas Domini.

5. Opinio. Apollinarius. *Christus vixit 32. annis ex sententia Hieronymi.* *D. Cyrillus.* *Cassiodor.* *Paulus. Orosius. Seuer. Sulpit.*

Sexta opinio est Diui Epiphanij, post hæresim 20. capite sequenti ait, Christum anno 18. Herodis prædicare incepisse annum acceptabilem, ita vt ipsi nemo contradiceret; deinde prædicasse cum contradictione annum secundum, & facti (inquit) sunt anni 19. Herodi, Saluatori verò trigesimus secundus, vigesimo verò anno Herodis Tetrarchæ appellati, fit salutaris passio, &c. Vnde efficitur ex sententia Epiphanij, Christum vixisse annis 32. & anno trigesimo tertio inchoa-

6. Opinio. D. Epiphan.

inchoato, crucem subijsse. Item hæresi 51. versus finem: Completo (inquit) biennij tempore, deinceps trigesimo tertio anno suæ dispensationis in carne, perfecit mysterium passionis, &c. Similiter hæresi 78. Iesus (inquit) crucifigitur anno trigesimo tertio sui in carne aduentus: item hæresi 51. ita scribit; Post illum consulatum, qui Christi 30. anno fuit, alius consulatus fuit duorum Geminorum, deinde Ruffi, & Rubellionis, & sic in medio consulatu eo, qui post Rubellionis consulatum successit, patitur, &c. quatuor consulum tempora Christo tribuit, sed minimè completa. Hæc sententia nostro placuit Pererio lib. 11. in Dan. Cano. lib. 11. de locis, & alijs. De illa lege Pererium.

Crucifigitur Christus anno 33. ætatis suæ ex sententia Epiphanij.

7. sententia.

Septimam sequor. Ea est, Christum cruci suffixum esse anno ætatis trigesimo tertio completo, & trigesimo quarto inchoato per tres menses. Egerat enim annos 33. & menses 3. Hanc sequitur Scotus, Cardin. Baronius tom. 1. Annal. anno Christi 34. Onuphrius in fastis, Genebrardus in Chronolog. Salmeron prolegom. 38. & alij quos refert Onuphrius lib. 2. fastorum. Eandem Beda Ecclesiæ sententiam esse putat libro de ratione temporum, capite 45. Habet (inquit) ni fallor Ecclesiæ fides, Dominum in carne paulo plus quàm triginta tribus annis, vsque ad suæ passionis tempora vixisse. Quia videlicet 30 annorum fuerit baptizatus, sicut Lucas Euangelista testatur; & tres semis annos post Baptisma prædicauerit, &c. Item: Sancta siquidem Romana, & Apostolica Ecclesia, hanc se fidem tenere, & ipsis testatur indiculis; quæ suis in cereis annuatim scribere solet, vbi tempus Dominicæ passionis in memoriam populis reuocans, numerum annorum triginta semper, & tribus annis minorem, quàm ab eius incarnatione Dionysius ponat, adnotat, &c.

Sententia autoris de ætate Christi, diuersa ab illa quæ extat in primo indice tom. 3.

Beda.

Christus vixit ann. 33. & menses tres.

Colligitur opinio.

Colligitur hæc sententia ex ijs, quę diximus tom. secundo, & tertio. Nam, vt diximus, Christus baptizatus est, cùm egisset annum 29. & tredecim dies anni trigesimi inchoati haberet. In Paschate huius anni inchoati, quod Euangelistæ prætererunt, annorum erat 29. ac trium mensium. Deinde in nuptijs aquam in vinum conuertit, cùm explesset annum 30. additis diebus 13. post nuptiarum miraculum numerat Diuus Ioannes Paschata quatuor. Primum capit. secundo, quo Christus vendentes boues, & oues, extemplo eiecit, cùm ageret annum 30. & tres menses. Secundum capit. 5. quo apud piscinam sanitate paralyticum donauit, cùm ageret annum 31. & tres menses. Tertium cap. 6. prope quod quinque hominum millia ex quinque panibus, & duobus piscibus pauit, annos natus 32. & tres menses. Quartum, quo cruci suffixus est, cùm annos ætatis haberet 33. & menses 3. Opinio probatur, quia Christus natus est anno 3. Olympiadis 194. vt Eusebius in Chronico indicat, mortemque subijt anno quarto Olympiadis 202. vt constat ex Phlegontis, quæ refert idem Eusebius. Quarto anno (ait Phlegon) 202. Olympiadis, magna, & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis, est facta. Dies hora sexta in tenebrosam noctem versus, &c. Hæc fuit eclipsis, quæ tunc orbem terruit cùm Christus est crucifixus, anno videlicet quarto Olympiadis 202. vt ait Phlegon ab Eusebio citatus. Numera ab anno tertio Olympiadis 194. vsque ad quartum annum Olympiadis 202. reperies summam dictam annorum, quibus vixit Dominus.

Enumeratio Paschatum à Christo transactorum ab anno 29.

Eusebius.

Phlegon.

Veruntamen sententia hæc repugnat anno Tiberij Cæsaris, quo Dominus dicitur in crucem actus. Nam, vt Eusebius ait in Chronico, Beda libro de sex ætatibus, & de ratione temporum capitulo septimo, Diuus Epiphanius libro de pond. & mensuris, Nicephorus libro primo, capite vltimo, alter Nicephorus in Chronographia, & alij, Christus cruci affixus est anno decimooctauo, Tiberij; sed, vt diximus suprà, baptizatus est anno eiusdem Tiberij 15. cùm esset

Obiectio, & solutio.

Eusebius.

Nicephor.

Beda.

D. Epiphan.

annorum 29. non potuit igitur anno 18. eiusdem Imperatoris annum agere 33. & menses tres. Respondetur, cum Onuphrio in comment. libro secundo, fastorum, Christum non 18. sed 19 anno Tiberij obijsse mortem: Sanctorum (inquit Onuphrius) Patrum traditis historijs, Astronomicæ obseruationi, & veritati Euangelicæ adhærentes, dicemus Dominum passum fuisse 34 ætatis suæ anno, Imperij Tiberij Cæsaris anno 19. &c. lege Soarem, tom. 2. disputatione 40. sect. 1. & Pererium in Dan. lib. 11. Salmeronis prolegomenon 38.

Onuphrius.

Non leuis præterea obiectio opponitur, quæ huiusmodi est. Ait Onuphrius: ego ex tabulis Dionysij obseruaui, nunquam ab anno Christi primo, vsque ad 60. inueniri, Lunam 15. mense Martio, 25. Martij die Veneris incidisse, &c Nunquam Luna decima quinta in feriam sextam incidit 25. die Martij, quo passus est Christus; ergo non obijt Christus mortem Luna 15. anno ætatis 34. vel anno alio. Respondetur, dupliciter Lunæ dies numerari; primo modo ab ipso nouilunio, secundo à Lunæ apparitione. Iudæi hoc secundo modo numerabant; primus enim Lunæ dies ille dicebatur quo Luna apparebat, & cerni poterat. Fatemur ergo anno 34 Christi, Lunam 15. si priori modo numeres, non incidisse in feriam sextam die 25. Martij; si verò posteriori modo numeres, dicimus 25. die Martij in feriam illam sextam, qua Christus in crucem est actus, incidisse. Sic respondet Onuphrius: Tolli (inquit) potest contradictio ex antiquis Hebræorum traditionibus, apud quos initium mensis non erat ab ipso nouilunio, sed ab ipsius Lunæ corniculari apparitione. Vnde legitur in libris eorum, veteres Iudæos consueuisse nouilunij tempore mittere homines super altissimos montes, qui eis nouæ Lunæ apparitionem nuntiarent, quòd mensium initia auspicari possent: sic ille. Aliter responderi potest, illo anno 34. die quo Dominus est passus, Lunam 15. incidisse in feriam sextam; tabulas verò Astronomicas non esse in omnibus veras, ac certas. Facilè enim fuit in hisce rebus decipi tam longo temporum decursu. Initio indicis tomi 3. huius operis dicitur, Christum vixisse annos 34. & 3. menses, sed emendandus est locus; qui enim indicem composuit sic opinatus est, non autor operis.

Obiectio altera, & solutio.

Dupliciter numeratur dies Lunæ.

Onuphrius.

Iudæorum consuetudo ex Onuphrio

CAPVT VIII.

Quoto mensis die Pascha fecerit Dominus, & crucem subierit.

COEnauit Christus, vt dictum est, Luna 14. mensis Nisan, qui nostro Martio, Aprilique respondet. Prima Luna huius mensis ea appellatur, quæ verno æquinoctio est propinquior. Aequinoctium autem nostro tempore, vt constat ex Calendario & emendatione Gregoriana, die 21. mensis Martij contingit, qua die tempore Niceni Concilij est collocatum. Luna igitur 14. qua Christus Pascha fecit, id est, agnum comedit, propinqua fuit æquinoctio verno, incidit q; in 24. diem Martij; sequenti verò Luna 15. die 25 Martij cruci suffixus est. Eadem die 25. Martij cõceptus est, & passus mortem. Passum verò Dominũ 25. die Martij, ait Tertullianus in librum aduersus Iudæos cap. de passione Christi, & D. August. lib. 18. de ciuitate cap. vlt. item lib 4. de Trinit. c. 5. Octauo (inquit) Calend. Aprilis, id est, 25. Martij, conceptus traditur Christus; quo die & passus. Affirmat præterea hanc sententiã à maioribus traditã ab Ecclesia custodiri. Diuus quoq; Chrysost. in hom de Ioann. Baptistæ Natiuit. tom. 2. scribit, Christũ conceptũ 25. Martij, passum itẽ eadẽ die 25. Martij. In qua enim die (ait) con-

Quæ sit prima Luna mensis Nisan.

Christus 25 Martij conceptus est, & crucifixus.

D. August.

D. Chrysost.

conceptus est, in eadem & passus est. Bedæ in lib. de ratione temporum cap. 45. hæc sunt verba: Quòd Dominus 8. Calendarum Aprilium, id est, 25. Martij sit crucifixus, 6. Calendarum earundem, id est, 27. die Martij resurrexerit, multorum latè Doctorum Ecclesiasticorum constat sententia vulgatum, &c.

Beda.

Alias sententias.

Alij aliter censent. Theophilus Cæsariensis, vt idem Beda refert in lib. de temporum ratione cap. 45. in epistola Synodica, quàm vnà cum cæteris Episcopis Palestinæ scripsit, ita dicit; Passus est Dominus ab vndecimo Calendas Aprilis, qua nocte à Iudæis est traditus; & ab octauo Calendas Aprilis resurrexit, &c. hoc est, passus est Dominus 22. die Martij, qua nocte est traditus; & resurrexit 25. die eiusdem mensis. Lege in fine tom. 2. Bedæ Concilium ab hoc Theophilo habitum cum multis Episcopis, in quo eadem verba extant. Hæc fuit Eusebij Cæsariensis opinio, vt illius verba indicant, quæ ex Anastasio Antiocheno Episcopo Turrianus recitat, in explanatione constit. Clementis lib 5. cap. 16 Postquàm (inquit Eusebius) vmbrosum Pascha cum discipulis Christus comedit, & Pascha autoritatis præcipuæ introduxit, quinto die hebdomadis, qui erat Lunæ decimus quartus, mensis verò Martij 22. ipsa eadē nocte ferente in eiusdem mensis diem 23. traditus est, ac illo ipso die crucifixus, resurrexit 25. die Dominico, &c. Lactantius lib 4. institut. capit. 10. Ante diem septimam (inquit) Calendarum Aprilium, Iudæi Christum cruci affixerunt, &c. Si sic legamus, sentit Lactantius Christum crucifixum ante septimam diem Calendarum Aprilis, id est, octaua Calendas, die 25. Martij; vel, septima die Calend. id est, 26. Martij. In libris antiquis legitur; Ante diem decimum Calend April. Iudæi Christum crucifixerunt. &c. quæ lectio si placeat, opinatur Lactantius, Christum decimo Calend. April. hoc est, 23. die Martij in crucem actum. D. Epiphanius hæresi 51. Si patitur (ait) Saluator in die ante decimum tertiū Cal. April &c. idest, 20 die Martij; & hæresi 50. contra Quartadecimanos; Ex actis (inquit) Pilati iactant se veritatem comperisse, in quibus habetur Saluatorem die ante octauum Calendarum Aprilium passum esse, id est, 25. Martij. Adhuc autem inuenimus acta Pilati, in quibus indicat ante decimum quintum Calend. April. (id est, die 18. Martij) passionem Christi esse factam. Reuera autem, velut ex multa certitudine cognouimus, die ante decimam tertiam Calend. April. (id est, 20. die Martij) Saluatorem passum esse accepimus. Quidam die ante decimam Calend. April (id est, 23. Martij die, asserunt, &c.) Diuus Anselmus Matthæi 27. sic scribit: Nos diligenter computatis annis ab initio mundi vsque ad passionem Domini inuenimus in ipso anno, quo Dominus crucifixus est iuxta Lunares annos octauo Idus Martij (idest, octaua die Martij) fuisse Neomaniam, idest, nouæ Lunæ principium, & iuxta Hebræos ipsius anni principium, & duodecimo Calend. April. (idest, 21. die Martij) in ipso vernali æquinoctio, sexta feria, Luna 14. serius, Pascha Hebræorum fuisse; vt eo die Agnus Dei pro salute hominū in cruce penderet, qua die Agnus in liberatione populi occidi iussus est. Iuxta hāc computationem inuenimus etiam eo tempore, idest, decimo Calendas Aprilis (23. die Martij) Dei Filium resurrexisse à mortuis, quo tempore, id est, decimo Calend. Aprilis Adam inueniemus esse formatum ex limo terræ. Hæc Anselmus. Ait Christum resurrexisse 23. die Martij, crucifixū verò die Martij 21. Luna 14. qua Iudæi agnum edebant: sed vt ex dictis colliges, non rectè opinatus est. Cardinalis Baronius anno Christi 34. arbitratur passum Christum nono Calend. April. id est, 24. die Martij. Paulus Foro Semproniensium Episcopus 30. die; Onuphrius die 26. Non desunt, qui putent, non mense Martio, sed Aprili, passū. Ioannes Lucidus, 3. die April. & Abulēsis 2. p. defensorij,

Theophilus. *Eusebius.* *Lactantius.* *D. Epiphan.* *D. Anselm.* *Paulus Foro.* *Onuphrius.* *Lucidus.* *Abul.*

BIBLIOTECA

CAPVT IX.

De venditione Iudæ.

MATTHAEVS CAPITE XXVI.

TVnc abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes Sacerdotum; & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos: & exinde quærebat opportunitatem temporis.

MARCVS CAPITE XIV.

ET Iudas Iscariotes vnus de duodecim abijt ad summos Sacerdotes, vt proderet eum illis. Qui audientes gauisi sunt: & promiserunt ei pecuniam se daturos; & quærebat quomodo illum opportunè traderet.

LVCAS CAPITE XXII.

INtrauit autem Satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim, & abijt, & locutus est cum principibus Sacerdotum, & magistratibus, &c.

Quomodo satanas intrauerit in Iudam.

INtrauit Satanas A in Iudam.] Dæmone tentatũ Iudam Christũ vendidisse docet Lucas, [Intrauit (inquit) Satanas in Iudam.] Quomodo intrauit, quæritur; Nunquid sic intrauit, vt in energumenos intrat? B Minimè intrauit, vt torqueret, sed intrauit, vt tentaret, & in scelus impelleret, vnde Diuus Anton. infrà citato loco, Intrauit (inquit) Satanas in Iudam: non quidem per vexationem corporis, sed ad nouum malitiæ effectum, &c. Ioannes quoque capite 13 ait: [Post buccellam introiuit in eum Satanas, &c.] Introiuit cũ mensæ cum Christo accumberet: iã introiuerat anteà, vt tentaret, in mẽsa introiuit, vt vrgeret, & ad perficiendum, atque exequendum scelus adduceret. Augustinus tractatu 62. in Ioannem Prius (inquit) intrauerat Satanas, immittendo in cor eius cogitationem, quæ traderet Christum: nunc autem (idest, in cœna) post panem

D. August.

Digitized by Google

nem intrauit in eum, non ad hoc, vt alienum tentaret, sed vt proprium possideret, &c. Nonne Iudas pecuniam furabatur, vt Ioannes testatur cap. 12. [Fur (inquit) erat & loculos habens, &c.] Nonne intrabat tunc diabulus in eum, & suggerebat furta illa? cur ergo non dicitur intrasse tunc in illum Satanas? Respondetur, tunc etiam intrasse Satanam in Iudam, vt tentaret, & ad furta impelleret; neque verò fuisse opus id dici. Satis fuit dici, fuisse furem. Nunc verò, quia de atrocissimo flagitio sermo est, id est, de magistri venditione, intrasse in eum dicitur Satanas, vt Iudæ motor, incitator, atque ductor, cęterorumque impiorum agnoscatur. Diuus Leo sermone 7. de passione, Iudas (inquit) sibi fuit materia ruinæ, & causa perfidiæ, sequens diabolum ducem, & nolens Christũ habere rectorem, &c.

Ioan. 12.

Non dicitur Satanas intrasse in Iudam cũ furaretur.

D. Leo.

Intrat diabolus cùm fores reperit apertas, si clausas, repagulisque, id est, constantibus nunquam peccandi decretis obfirmatas inuenit, abscedit. Ideò iusti animus. Cant. 4. dicitur, [hortus conclusus, & fons signatus.] Conclusus enim est, & signatus, atque obseratus dæmoni ne possit intrare. Augustinus libro secundo de Gen. contra Manichæos c. 14. Eccles. (inquit) dicitur Cant 4 [hortus conclusus, fons signatus:] quo vtique non admittitur peruersitatis ille persuasor, &c. Peruersitatis persuasorem diabolum vocat, quoniam peruersitatem suadet, & multis persuadet, vt Iudæ. Suadet autem, & persuadet, atque intrat in corda inuisibiliter, quia inuisibilis est. Augustinus ibidem: Nunquid (inquit) visibiliter eis apparet, vt quasi corporeis locis accedit ad eos, in quibus operatur? Non vtique, sed miris modis per cogitationem suggerit, quidquid potest. Quibus suggestionibus resistunt, qui verè dicunt, quod dicit Apostolus 2. Cor. 2. [Non ignoramus astutias eius.] Quomodo enim accessit ad Iudam? Nunquid in locis, aut per hos oculos ei visus est?

Cant. 4. Claudenda sunt fores animi, ne intret Satanas.

D. August. Diabolus est peruersitatis persuasor.

D. August.

2. Cor. 2.

Vtique intrauit in cor eius. Repellit autem illum homo, si Paradisum custodiat; sic Augustinus. Custodiamus ergo Paradisum, id est, cor, & animum, ne serpenti tartareo aditus pateat. Vt enim legitur Genes. 2. [Posuit Deus hominem in Paradiso, vt operaretur, & custodiret illum;] Custodi Paradisum tam vigilanter, ne possit intrare Satanas; caue tibi ab Eua tua. Adamus enim idcirco Paradisum non custodiuit, quia ab Eua non cauit. Indicat autem Eua carnem, quæ pomo, id est, delectatione virum, id est, rationem inuitat; quod si vir consenserit, Paradisi delicijs priuatur. Augustinus eodem loco; Si ratio consentiat, & quod libido cõmouerit, faciẽdum esse decernat, ab omni vita beata tanquam de Paradiso expellitur homo. Iam enim peccatum imputatur, etiamsi non subsequatur factum. Quoniam rea tenetur in consensione conscientia, &c. Nondum Iudas ad factum peruenerat, maximè tamen rea iam erat illius conscientia, in consensione tanti facinoris.

Cor est Paradisus, ne custodiatur à satana.

Genes. 2.

Per consensum ante factum fit rea conscientia.

D. August.

Quomodo in eum Satanas intrarit docet Didymus libro tertio, de Spiritu sancto, his verbis: Obseruans diabolus quibusdam moribus, & operationum signis, ad quæ potissimum vitia Iudæ cor esset procliuis; deprehendit eum patere insidijs auaritiæ, & reperta cupiditatis ianua, misit in mentem eius quomodo desideratam pecuniam acciperet, & per occasionem lucri proditor magistri sui existeret. Hæc cogitationis occasio locum tribuit Satanæ, vt in cor Iudæ introiens impleret eum pessima voluntate; sic Didymus. Huc accedat illud Diui Hieronymi in Comment. epist. ad Ephes. cap. 4. ad illa verba Apostoli: [Nolite locum dare diabolo.] Aduersarius semper in nos est paratus irrumpere, & cùm locũ dederimus, ingreditur. Solet autem antequã veniat quædam iacula præmittere, & præcursorem aduentus sui facere cogitationem. Hãc si nos in corde susceptam nutrierimus, & cre-

Per ostium auaritiæ satanas intrauit in Iudam.

Tentationis Iudæ modus describitur.

Didymus

D. Hieron.

Solet diabolus præcursorẽ aduentus sui facere malã cogitationem.

Digitized by Google

crescere fecerimus cũ in nobis prolem suam auctam viderit, & ipse audebit intrare, &c. Misit cogitationẽ venditionis in cor Iudæ, nutriuit illam Iudas, non extinxit, locum diabolo dedit; intrauit in eum Satanas.

Dydimus. Qua ratione diabolus intrat homines dum tentat.

Addit Didymus loco indicato: Introiuit Satanas in Iudam, non secundum substantiam, sed secundum operationem, &c. Item: Non participatione naturæ, siue substantiæ, implet quempiam diabolus, aut eius habitator efficitur; sed per fraudulentiam, & deceptionem, & malitiam, inhabitare in eo creditur, quem repleuit, &c. Dubium ergo est, an substantia diaboli Iudam intrarit? Respondetur diaboli substantiam, id est ipsum diabolum, intrasse Iudæ cor, & phantasiam; non tamen intrasse voluntatem, vel intellectum Iudæ, sed per appetitum inferiorem commouisse. Diuus Thomas quodlibet. 3. q. 3. art. 8. Quantum ad animam (inquit) non potest diabolus inhabitare hominem substãtialiter, quia solus Deus illabitur menti: sed quantum ad corpus diabolus potest hominem substantialiter inhabitare, sicut patet in arreptitijs, &c. Vide, si placet, quæ diximus hac de re, to. 2. lib. 5. cap. 7. Serpentem intrauit Dæmon vt primum Adam occideret: Iudam intrauit vt occideret secũdum, id est, Christum. Rupertus lib. 13. in Ioannem: Sicut (inquit) diabolus serpente vsus est ad occidendum in anima terrenum hominem; sic Iuda vtebatur ad occidendum in corpore Christum, &c.

An substantia diaboli Iudam intrauerit?

D. Thom.

Rupertus.

Tunc abijt ad Principes Sacerdotum.

Feria quarta congregati sunt Sacerdotes.

FEria 4. magnæ hebdomadæ congregati sunt Sacerdotes, Scribæ, & Seniores; aderant etiam magistratus templi, de quibus egimus cap. 3. huius lib. Ad illos abijt Iudas eadem fer. 4. pollicitusq; est se Christum traditurum, si pecuniam darent. D. Matthæus, & Marcus hoc loco cœnæ illius meminere, quæ Bethaniæ Christo est exhibita, cum præclara pedũ, capitisq; vnctione; sed ordinem temporis minimè seruarunt, vt ostendimus to. 3. lib 7. c. 2. ideoq; illud, Tunc Mat. 26. non ad tps cœnæ referendũ est, sed ad tempus, quo Sacerdotes cum reliquis sunt congregati; tunc enim ad illos abijt Iudas, vt Christũ perderet; sic refert Aug. lib. 2. de cõsens. Euangelist. cap. 78. & Beda Matthæi 26. Hæc (inquit) sententia, [Tũc abijt vnus, &c.] Ad illam iungenda est, vbi superius consilium Sacerdotum de interfectione Christi retulit, &c. Et Diuus Thomas: Tunc (ait) refertur ad illud, quod dictũ est, quod [congregati sunt principes Sacerdotum, &c.] Lyranus Tunc (inquit) id est, feria quarta, quando principes Sacedotum fuerant congregati, &c. Cartusianus non eo die, quo facta est vnctio, sed tunc, idest circa hoc tempus, videlicet feria 4 &c. Caiet. Tunc (inquit) non quando vnctio est facta, sed quando congregati sunt Sacerdotes, & Scribæ, &c. idem alij sentiunt:

D. Aug. Beda.

D. Thom.

Lyranus.

Carthus.

Caiet.

Stimulasse autem ad facinus Iudam creditur vnctio, & vnguenti illa effusio, ideoque Euangelistæ hoc loco cœnæ fecisse dicuntur mentionem. Diuus Anselmus Matth. 26. Hæc (inquit) vnguenti effusio facta est ante sex dies Paschæ, vt refert Ioannes cap. 12. Sed hic interserta est, quia fuit causa proditionis, quasi ita diceret Matthæus: Cum congregati essent principes Sacerdotum, & consilium facerent, tunc abijt Iudas, & hoc non sine causa; sed ideò, quia cùm esset Christus in Bethania in domo Simonis, &c sic Anselmus. & Glossa ordinaria: Præmissa est causa, quę compulit Iudam ad vendendum Dominum. Cum enim fur esset, & loculos haberet, & vidisset vnguentum super caput, & pedes Domini effusum, quod putauerat esse vendendum, & pretium sibi esse tradendum, vt aliquid inde furaretur, quod perdiderat in effusione vnguenti, voluit recompensare in venditione Magistri,

Ad venditionem Iudam stimulauit vnctio Christi.

D. Anselm.

Glossa ord.

ſtri, quando congregati ſunt principes: vbi patet, quòd non inuitus, ſed ſponte inijt conſilium ſceleratorum. Quarta feria congregati ſunt principes Sacerdotum, & Iudas acceſſit, vt venderet magiſtrum; ſic Gloſſa. D. Hieron. Matth. 26. Infelix (inquit) Iudas damnum, quod ex effuſione vnguenti ſe feciſſe credebat, vult magiſtri pretio compenſare, &c. idem ſentiunt Beda, Lyranus, Carthuſianus, Hugo, Card. Caiet & alij. Diuus Antoninus p. p. Hiſt. tit. 5. cap. 6. ait Iudam ſolitum eſſe decimare marſupium, indicatq; quonam modo damnum voluerit compenſare his verbis. Vnctio fuit occaſio accepta, non tamen data Iudæ, ad proditionem faciendam. Nam, vt dicit Gloſſa 14. quæſtione 1. §. arguitis nos; Iudas conſueuerat furari decimam partem eorum, quæ ſibi dabantur ſeruanda; & vnguentum illud effuſum volebat vendi, cuius pretium erat 300. denariorum, horum decima pars erat 30. Quia igitur non potuit furari decimam partem, quandoquidem venditum non fuit: quaſi volens recompenſare damnum, triginta denarijs argenteis fecit proditionem. Vnde, percipiens. Sacerdotes congregatos ad tractandum de captura Chriſti, intrante in eum Satana, acceſſit ad congregatos in concilio: ſic ille.

D. Anton. Decimatio Iudæ.

Factum hoc feria quarta legitur de conſecr. diſt. 3 cap. Ieiunia; Ieiunia 4 feria, & 6. non ſunt ſoluenda, quia 4. feria Iudas de traditione Domini cogitauit, & 6. feria crucifixus eſt Saluator, &c. Lege Palladium in vita Apollonij. Rupertus in Mat. vult vnguẽtum non fuiſſe totum effuſum a Maria Magdalena, tum addit: Iudas, quod effuſum erat, perditum eſſe calumniabatur, & quod non erat effuſum, venundare properabat, vt de pretio furaretur, &c. Sed totum vnguentum a Maria effuſum certius eſt, partim in pedes, partim in caput. Iudas verò, vt Hierouymus ait, damnum, quod ex effuſione vnguenti ſe feciſſe credebat, voluit magiſtri venditione compenſare.;

Rupertus.

Totum vnguentũ effuſum à Magdal.

Vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes.

VNde dictus ſit Iudas Iſcariotes, diximus tom. 2. cap. 14. D. Hieronymus de tribu Ephraim fuiſſe, ait Iſaiæ 28. Et ex vico Iſcarioth: Iudas (inquit) de tribu Ephraim, & de vico eiuſdem tribus Iſcarioth, Dominum pretio vendidit, &c. Erat ille vnus ex duodecim Apoſtolis à Chriſto electus: tunc verò cum eſt electus, bonus erat, vt eodem loco diximus. Si quæras cur eum elegit Chriſtus, à quo præſciebat, ſe tradendũ? iam loco indicato reſpondimus. Nõ deſinit Deus ex præſcientia beneficia in homines conferre, ſed elegit etiam eos, & creat, beneficijſque afficit, quos præſcit perituros. Eundem in modum quæri poteſt, cur Angelos creauit, quos præuidit è cælo deturpandos in Orcum? cur homines condidit, quos præſciuit damnandos? bonitatis diuinæ eſt beneficia tribuere: hominum culpa eſt illis in perniciem ſuam abuti. Lege Ambroſium lib. de Paradiſo, cap. 8.

Vicus Iſcarioth.

Quæſt. maximè notanda.

Diuina bonitatis eſt beneficia tribuere.

Vnus ex duodecim erat Iudas, & quamuis vnus ex Chriſti eſſet Collegio, cecidit. Non eſt locus tutus, quo Satanæ non penetrent iacula, ideoq; vigilandum, quia loca omnia aduerſarius circuit. Diuus Gregorius lib. 8. Epiſtola 45. Antiquus (inquit) hoſtis, terrarum locis à tentatione non excluditur, quia ſi Paradiſo hominem ſtrauit, quis locus extra Paradiſum eſſe poteſt, in quo mentes hominum penetrare non valeat? in ſola ergo Creatoris noſtri protectione fidendũ eſt, cui ex intimo corde clamemus; Eſto mihi in Deum protectorẽ, &c. Tutiſſimus videbatur locus collegiũ Chriſti, ſed in illud tela penetrarunt Satanæ; ex tam paruo grege vnam rapuit ouem tartareus lupus. Cecidit Iudas ſicut vnus de principibus, iuxta illud Pſalmi 81. [Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes. Vos autem ſicut homines moriemini & ſicut vnus

Non eſt locus quo diaboli iacula nõ penetrẽt. D. Greg.

Pſalm. 81.

de

Digitized by Google

de principibus cadeis, &c.] Velut Deus erat, & filius excelsi propter Apostolatus dignitatem. Sed sicut homo impius mortuus est, tum animo, tum corpore, & sicut diabolus irreparabili cecidit casu, iuxta illud Ioannis 6. [Ex vobis vnus diabolus, &c.] Diabolus erat, & vt diabolus cecidit, neque surrexit. Origenes tractatu 35. in Matthæum: Vide (inquit) quomodo quod scriptum est, [Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis;] refertur modò ad illum principem, qui cecidit, tanquam fulgur de cælo, id est, ad diabolum, modò ad Iudam, qui electus ad Apostolatus principatum, & quasi in cælo constitutus, & ipse quasi fulgur ante constitutus, cecidit in proditionis ruinam, &c.

Ioan. 6.

Origenes. Satan sicut fulgura de cælo cecidit.

Cecidit miser: veruntamen ipse sibi casum, ignominiamque attulit, non Apostolis reliquis; sic si sanctis religiosorum virorum congregationibus, ficti aliqui atque improbi fortè reperiantur, ipsi sibi ruinam opprobriumque pariant, non ali js probis. vnde illud Diui Cypriani in lib. de vnitate Ecclesiæ: Iudam (inquit) inter Apostolos Dominus elegit, & tamen Dominum prodidit; non tamen idcirco Apostolorum fides, & firmitas cecidit, quia proditor Iudas ab eorum societate defecit: sic & hic non statim confessorum sanctitas, & dignitas comminuta est, quia quorundam fides fracta est. Stat confessorum pars maior, & melior in fidei suæ robore, &c. Huc accedit illud D. Greg. Nazianzeni in carmine de laude virginitatis.

Casus unius ex iustis, alijs non parit ignominiam.

D. Cypr.

Ob proditionē Iudæ non cecidit fides Apostolorū.

D. Gregor. Nazianz.

Ange'us antè fuit miro splendore coruscus
Lucifer, ast illo cælesti ex arce ruente,
Cælestibus tamen incolumis sua gloria mansit.
Sic neque discipulis scelerati casus Iudæ
Opprobrio fuit. Ille quidem de sede bonorū
Protinus eiectus nigrum detrusus in Orcum est.
At reliqui cursum recti tenuere priorem.
Sic postquam Aequorea quendam rapuere procella
Vela alius pādens, vēto tumefacta furēti,
Nauigat, extincti prospectans triste sepulchrum, &c.

Si cadentes igitur aliquos, veluti Iudam cernamus, ne cadentes sequamur, sed cum stantibus stemus; si tempestas aliquos gurgite demerserit, ab inchoata in cælum nauigatione ne deterreamur, quin potius cadentium exemplo cautiores esse discamus, iuxta illud Diui Augustini initio Cōmentar. in Psalmum quinquagesimū, sit casus maiorum, tremor minorum, &c. In illa verba Iob 41. [Cum sublatus fuerit (scilicet Leuiathan) timebunt Angeli, & territi purgabuntur, &c.] sic scribit Diuus Gregorius: Diaboli lapsus Angelos terruit, & purgauit; terruit, ne conditorem suū superbi despicerent: purgauit verò, quia exeuntibus reprobis, actum est, vt electi soli remanerent, &c. Sic qui cadunt, congregationem terrent, & purgant, terrent, ne conditorem suū offendant; purgant verò, quia cadentibus, atque exeuntibus improbis, fit vt probi purgati maneant, iuxta illud Augustini libro de ouibus cap. 10. Tua separatio, illorum est purgatio, &c. hunc in modum sublato, & separato improbo Iuda, purgatum est Apostolorum sanctum illud collegium. Augustinus Psal. 54. vult in omnibus congregationibus malos reperiri, vt bonorum exerceant tolerantiam: In omni (inquit) congregatione multitudinis, necesse est, vt inueniantur mali. Deus enim, qui nouit exercendos nos, miscet nobis & nō perseueraturos; aut certè ita simulatos, vt nec inchoauerint, in quo perseuerare debeant. Nouit enim necessarium esse nobis, vt feramus malos, & proficiat nobis quod boni sumus. & Psalmo 99. in fine. Scitote (inquit) omnem professionem in Ecclesia habere fictos, &c. Veruntamen incerta res videtur soli Deo nota; potest enim congregatio reperiri, in qua nullus sit fictus: sed omnes gratia Dei ornati, & protecti.

Exemplo cādentiū cautiores simus.

D. Aug.

Iob 41.

D. Gregor.

Ruina impiorum purgatur bonorū collegiū.

D. August.

Mali exercent bonos.

Quid

Quid vultis mihi dare?

AD principes Sacerdotum abijt Iudas, inter alia hæc dixit: [Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?], quem cupitis comprehendere? Quæritur, an certum pretium petiuerit Iudas, an arbitrio Sacerdotum pecuniam reliquerit? D. Hieronymus respondet his verbis: Iudas non postulat certam summam, sed quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit, quantum vellent dare, &c. Credibile tamen est, eum in primis rogasse, quid dare vellent. Postea verò certam pecuniæ petijsse summam, vt solent venditores. Tandem 30. argenteos esse constitutos. Dubitatur, an mox sint soluti? Respondetur, verba Euangelistarum innuere nō esse mox datos. Matthæus ait esse constitutos, Marcus promissos, Lucas, [Pacti sunt pecuniam illi dare, &c.] Nullus ait tradidisse tunc. Postquam igitur tradidit Dominum tradita est pecunia.

De pecunia summa promissa Iudæ.

Recipit promissam pecuniæ summam Iudas post traditū Christum.

De Argenteis, quibus Dominus venditus est.

Constituerunt ei 30. argenteos.

INgressus ad principes Sacerdotum Iudas pecuniæ siti ardens: [Quid (inquit) vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?] sic Matthæus scribit; Lucas verò ait locutum esse cū principibus Sacerdotum, & magistratibus, quemadmodum Christum traderet eis, de modo tradendi egit, pecuniam postulauit, vt exequeretur traditionem. Gauisi sunt, vt docent Marcus, & Lucas; non tamen pecuniam traditori protinus tradiderūt, sed daturos post traditionem polliciti sunt; pactum inierunt, polliciti sunt illi pecuniam, Iudas pollicitus est se Magistrum traditurum. [Quærebatq; opportunitatem (ait Lucas) vt traderet eum sine turbis.] Populi enim tumultum Sacerdotes, & Pharisæi timebant, iuxta illud Matthæi [Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.] Opportunitatem in horto inuenit vbi sine turbis Dominum tradidit. Opportunitatem sceleribus patrandis quærunt impij, sed in perniciem suam. Iudas opportunitatem quærit ad tradendum Christum, Herodias ad petendum caput Baptistæ, Marci 6. [Cum dies opportunus accidisset, &c.] Iob 24. [Oculus adulteri obseruat caliginē, &c.] captans scilicet opportunitatem, 2. Machab. 14. [Nicanor opportunitatem obseruabat, vt Iudam Machabæum comprehenderet.]

Impij opportunitatē q̄runt sceleribus patrandis.

Marc. 6.
Iob 24.
Macha. 14.

De argenteis 30. quos principes Sacerdotum Iudæ constituerunt nūc agendum. In primis verò illud obseruandum, Ioseph paucioribus argenteis venditum, quàm Christum. Etenim Ioseph viginti argenteis venditus est, Christus triginta: venditum autem Ioseph viginti argenteis, constat ex editione correcta Romæ Gen. 37. cum qua consentiunt codices Hebraici, atque Caldaici. Ambros. lib. de Iosep, cap. 3. testatur in aliquibus codicibus legi Ioseph venditum 30. in alijs 25. Similiter Augustinus sermone 81. de tempore, à diuersis (inquit) translationibus, non æquali pretio Ioseph scribitur venditus; sed alij dixerunt viginti argēteis, alij triginta, &c. ibidem: Ioseph triginta argenteis distrahitur, & Christus eodem numero venundatur, &c. Diuus Anselmus Matth. 26. Iudæ (inquit) idem pretium constituerunt, quo Ioseph est venditus. Glossa interl. 30. argenteis pretium, quo Ioseph venditus est à fratribus, &c. idem habet Beda in expositione in Genesim; sed vera lectio est: [Vendiderunt eum, id est, Ioseph, 20. argenteis.] apud Septuaginta quoque Interpretes numerus extat 20. εἰκοσιχρυσῶν, id est, viginti aureis.

De 30. argēteis, quibus vēditus est Christus.

Ioseph fuit venditus tātum 20. argenteis.

August.

Ioseph venditus est 20. argenteis.

eis. cur aureos verterint ignotũ est; sic etiam Gen. 45. vbi legitur, dedit Ioseph Beniamin trecentos argenteos; illi vertunt dedit trecentos aureos, τριακοσίους χρυσοῦς. Omisso Ioseph ad Christum veniamus.

Lyranus existimauit argenteos 30. Iudæ promissos, pretij fuisse trecentorum denariorum, quo vendi potuerat vnguentum, iuxta illud Ioannis 12. [Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis,]&c. Argenteus vnus, vt ille putat, decem continet denarios. 30. argentei trecentorum denariorum summam efficiunt; itaque amissum vnguenti pretium infœlix discipulus recuperauit vendito magistro. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto capite 18. O Iuda (inquit) proditor vnguentum passionis eius trecentis denarijs æstimas; & passionem eius triginta denarijs vendis; diues in æstimatione, vilis in scelere, &c. Adde illos, qui aiunt Iudam recuperasse, tradito Domino, triginta denarios, quos ex trecentis denarijs fuerat rapturus, si vnguentum effusum fuisset venditum. Vt enim supra ex Glossa quadam dixit Diuus Ant. solebat decimam partem furari eorum, quæ ipsi dabantur. triginta autem denarij, decima pars est trecentorum denariorum. Vnde Rupertus lib. 10. in Matthæum: Quàm mala (inquit) quàm damnosa decimatione miser Iudas illam, quam dixerat, perditionem vnguenti recuperauit. Dixerat enim, [Vt quid perditio hæc? Quare hoc vnguentum non vænit 300. argenteis, & datum est egenis?] trecentorum quippe denariorum decimatio, sunt 30. denarij, quibus Christum vendidit; hæc ille. Existimat Rupertus argenteum esse denarium; idem existimat Diuus Thomas Matth. 26. Ribera Oseæ 3. cum Budæo lib. 5. de asse, & Alciato lib. de pond. & mens. argenteum denario æqualem esse ait. Sed Amos 8. & Zachar. vndecimo duas drachmas, siue denarios illi tribuit, cum eodem Budæo: ait enim Budæus se vnum ex argenteis, quibus Christus venditus est, vidisse Parisijs, visùmque sibi duas constituere argenti drachmas. Item Egesippus in Anacephaleosi, argenteos vult esse denarios. Iudæi (inquit) qui triginta denarijs Iesum comparauerãt ad perdendum, iustè posteà triginta capita suorum, viderunt vendi vno denario ad illudendum, &c. Si quis volet argenteum esse denarium, venditus est Dominus tribus aureis siue ducatis: si volet duas drachmas siue denarios cõtinere, sex aureis venditus est.

Ioan. 12.

An sit denarius argenteus.

Ambr.

Solebat Iudas decimã partem furari eorum quæ magistro dabantur.

Rupertus.

Egesippus.

Iansenius, & alij, qui post ipsum scripsère, arbitrantur argenteum esse siclum. idem ante Iansenium existimat Abulensis 4. Reg. 6. Verba illa, obsessa est Samaria donec vnum daretur caput Asini octoginta argenteis, interpretatur, id est, 80. siclis, qui erant moneta argentea; & Vatablus Matthæi 26. 30 argenteos vult esse 30. siclos, Septuaginta quoque Interpretes 2. Reg. 18. & Isaiæ 7. pro argenteo siclum interpretantur. Siclum verò aiunt nonnulli fuisse duplicem, prophanum, & sanctuarij: illum 2. voluisse drachmas, hunc 4. Iosephus de siclo sic scribit libro 3. antiquitatum cap 9. Siclus nummi genus est apud Hebræos, quales sunt Tetradrachmi attici, &c. id est, siclus continet quatuor drachmas atticas. Drachma autem, & denarius siue regalis Hispanus, æquales ferè sunt. Diuus Hieronymus Ezechielis 4. siclum, & staterem eiusdem esse pretij docet, nempe quatuor drachmarum. Siclus (inquit) id est, stater habet drachmas 4. drachmæ autem octo Latinum vnciam faciunt; sic ille. Continebat ergo siclus, siue stater, dimidiam, videlicet 4. drachmas: dimidiæ autem vnciæ pondus, siue 4 drachmarum habuisse, Arias Montanus expertum se dicit in apparatu.

Iansenius. Argenteus an sit siclus?

Iosephus.

D. Hieron.

Siclus drachmas hēt quatuor secundũ Hieron.

Epiphanius tamen in libro de mensuris, & ponderibus siclum ait, duas tantùm habere drachmas: Vncia (inquit) habet stateres duos; stater di-

D. Epiphanius.

Argenteus duas drachmas nõnullis videtur habere.

dimidium quidem est vnciæ, habet autem duo drachma; siclus, qui, & quadrans dicitur, 4. pars est vnciæ, dimidium stateris, habens drachmas duas. Vnciæ enim erant octo drachmæ, &c. Huius sententiæ est Reuerus, Budelius in lib. de monetis. Item Septuaginta Interpretes, duas drachmas siclo tribuunt Exod. 30. [Hoc dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicli iuxta mensuram templi. Siclus 20. obolos habet,] &c. Septuaginta sic vertunt; [hoc est, quod dabunt quicunque transibunt ad visitationem, dimidium didrachma sanctum 20. oboli ipsum didrachma,] &c. Siclum appellant didrachma, id est, duarum drachmarum. Leuit. 27. [Dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram sanctuarij] &c. Septuaginta: Erit eius pretium quinquaginta didrachma argenti pondere ipso sancto,] &c. Num. 3. Septuaginta: [Accipies quinque siclos secundum caput, iuxta didrachma sanctum accipies viginti obolos ipsius sicli,] &c. id est, iuxta siclum sanctuarij. Alij prætereà locis pro siclo vertunt didrachma, vnde sequitur, siclum ex sententia Septuaginta Interpretum continere duas tantùm drachmas. Neque verò dici potest, de siclo prophano intelligendos; manifestum enim est de siclo sanctuarij loqui. Argenteum quoque duas drachmas habere, non quatuor, arbitrati sunt: siquidem illud Genesis 20 [Ecce mille argenteos dedi fratri tuo,] &c. sic interpretantur: [Ecce dedi mille didrachmas fratri tuo,] &c. Mirum est autem, quòd cùm dicant siclum esse duarum drachmarum, 20 tamen obolos habere afferant. Nam drachma sex tantùm continet obolos; duæ drachmæ, duodecim obolos habent. At ill. Exod. 30. sic vertunt: Viginti oboli ipsum didrachma, &c. Vnde efficitur, vel obolos minoris esse pretij apud Septuaginta, vel drachmas esse maioris. quod si verum est, eorum didrachma plusquàm tres drachmas atticas continebit. Si verò etiã obolus Hebraicè, Gerach, apud Septuaginta est maior attico, plures ẽt drachmas didrachma illorũ continebit. 20 enim oboli maiores atticis, efficiunt didrachma, continens quatuor, vel quinq; drachmas atticas. Hæc de siclo, quẽ argenteum appellari multi volunt. Ex illorũ opinione venditus est Christus aureis duodecim: siquidem siclus quatuor drachmas continet, vel quatuor denarios.

Exod. 30. *Septuaginta Interpr.* *Leuit. 27.* *Num. 3.* *Genes. 20.*

Sed obstant illa Ieremiæ verba capite 32. [Appendi ei argentũ septem stateres, & decẽ argenteos,] &c. Hebraicè, Appendi ei septẽ siclos, & decẽ argenteos,] sic etiam vertunt Septuaginta; [Appendi ei septem siclos, & decem argenti,] &c. Sanè si siclus & argenteus eadem esset moneta, dixisset Ieremias, appendi ei decẽ, & septẽ siclos. At distinxit à siclis argenteos, ergo distinctæ sunt, & diuersæ monetæ. Quis enim sic loquatur, solui Ioanni septem coronatos, & decem ducatus: si idem significet coronatus, & ducatus? Respondebis, diuersæ erant monetæ, sed eiusdem pretij, nimirum quatuor drachmarum. At non solent in Republica diuersæ monetæ eiusdem cudi ponderis, siue pretij. Rectiùs respondetur, verba Ieremiæ sic esse explicanda; Appendi ei argentum septem stateres, & decem argenti, siue argenteos, id est, tradidi ei decem, & septem stateres siue siclos, argenteos omnes, id est, ex argento, non numeraui pecuniam aliam, quã argenteam.

Obiectio. Ierem. 32. *Vera responsio ad locũ Ieremiæ.*

Cardinalis Baronius in appẽdice tom 1. triginta argenteos quib. Dñs est venditus, non siclos triginta, sed trigita libras argẽti fuisse putat; quæ magna est pecuniæ summa. Fulcitur hæc sententia dicto quodã Rabbinorum, quod cõmemorat Elias in Thisbi, legitur verò in lexico Syrochaldaico dictione, [selagh,] hisce verbis: Dñt Rabbini oẽ argentũ cõmemoratũ in lege absolutè, siquin intelligi, i. siclos: qđ verò in Prophetis, esse, [Litrin,] id est, libras, & in agiographis, [càterin,] i. talẽta. Excepto talen-

Opinio Cardi. Baronij.

talento, cuius sit mentio apud Ephron, &c. Ex hoc dicto constat argentum commemoratum in Prophetis esse libras argenti; ergo argentei, quibus venditus est Christus, libræ fuère argenti, siquidem de his argenteis Propheta vaticinatus est, vt Matthæus scribit. Propterea D. Epiphanius in libro de ponderibus, & mensuris, Pholes (inquit) quod & talantium vocatur, duplex est, ex duobus argenteis compositum, & fiunt ducenti octo denarij, & pholes duo, minuta iuxta denarismum, sed non iuxta argentismum, &c. Duos argenteos, ait Epiphanius, efficere ducentos, & octo denarios: ergo vnus argenteus centum, & quatuor denarios, siue drachmas continet, ex sententia Epiphanij. Vnde sequitur magnam fuisse pecuniæ summam illam, quæ Iudæ est tradita, nimirum plusquam triginta millia denariorũ, vel regalium Hispanorum. Probatur hæc opinio: quia pecunia Iudæ data emptus est ager in Iudæa; ergo magna erat summa.

D. Epiphanius.

Magnam quidem fuisse summam non inficior, triginta argenti libras, aut plusquam tria denariorum millia fuisse minimè reor. Neque me permouet Rabbinorum dictum, absque ratione, vel auctoritate propositum. Vnde nam illi acceperunt argenteum non significare idem in Prophetis, lege, & libris agiographis? commentum videtur, fide minimè dignum. Probatur; Aiunt in agiographis argenteum significare talentum: libri Paralipomenon inter agiographa numerantur, teste Hieronymo in prologo Galeato: libro autem 2. Paral. cap. 1. hæc leges; [Emebant pretio quadrigam equorum sexcentis argenteis, & equum centum quinquaginta,] &c. Ex sententia Hebræorum argenteus significat talentum; ergo quadriga equorum sexcentis talentis emebatur, & equus centum quinquaginta talentis. Quis hoc credat: similiter in Cantico canticorum, quod est ex agiographis, vt idem Hieronymus ait capite 8. dicitur; [Vir affert pro fructu eius] scilicet vineæ [mille argenteos,] &c. Iuxta sententiam Rabbinorum, pro fructu vineæ afferuntur mille talenta; quod aptè non dicitur. Epiphanius verò ante verba suprà scripta sic scribit: Argentorum multæ formæ pro temporis ratione excussę sunt, &c. Illi argentei de quibus facit verba, alterius sunt formæ, & ponderis. De argenteo eodem libro sic ille ait: Argenteus excussus est ab initio numisma; hoc autem ex assarijs excussum est, &c. id est, ex assibus. De agri emptione quod obijciebatur, tunc expedietur, cùm infrà de illa verba fecerimus, & qualis ager fuerit quòve pretio emptus, aperuerimus.

Soluitur argumenta.

2. Paralyp. cap. 1.

Epiphanius

Diuus Ambrosius libro 3. de Spiritu sancto capite 18. triginta denarijs ait venditum Christum, vt suprà diximus. Eodem capite significat venditum Christum, triginta aureis his verbis: Viginti aureis emunt Ismaelitæ (Ioseph) triginta Iudæi (Christum.) Viginti aurei pretium seruitutis, triginta aurei crucis sunt, &c. Sequitur Ambrosius Septuaginta Interpretum versionem. Gen. enim 37. pro argenteis, quibus Ioseph est venditus, vertunt aureos, vt suprà indicauimus. Ideò Ambrosius ait Ioseph venditum viginti aureis, Christum, triginta. Iosephus verò lib. 2. de antiquitat. capite 3. venditum vult Ioseph viginti minis, sed pretium excessit valde. Mina enim Hebraica, vt est apud Ezech. capite quadragesimoquinto, pendebat sexaginta siclos, Hebraicè Gen. trigesimoseptimo, legitur venditum Ioseph triginta argenti, vel triginta argenteis: Septuaginta Interpretes aureos verterunt, quia existimarunt illas viginti argenti monetas, quas Ismaelitæ pro Ioseph fratribus tradiderũt, fuisse æquales viginti monetis aureis. Idẽ existimare possemus nos, nempe triginta monetas argenteas, siue argenteos, quibus Christus est venditus, fuisse æquales triginta aureis. Sed ab hac opinione illud me auo-

D. Ambro. ait vẽditũ Ioseph aureis.

Iosephus ait vẽditum Ioseph minis.

Christus an sit venditus 30. aureis?

auocat, quod apud Hebræos nulla fuisse reperiatur moneta argentea æqualis auro. Verùm credibile est illo tempore vsos fuisse Hebræos monetis alijs maximè Romanis, quorum aliquæ ex argento esse potuerunt ferè æquales auro, quales sunt monetæ Hispanæ, quæ octo regales Hispanos continent, quas patacas vocamus. Existimari igitur potest harum monetarum triginta Iudæ datas esse, ita vt pretium, quo Dominus venditus est, viginti, vel triginta fuerit aureorum, dicique triginta argenteos, triginta monetas argenteas, vel triginta pondera argenti, multò maioris ponderis, quàm siclos; argentum enim appendebatur. Et quidem Stanislaus Gysephus in libro de siclo, & talento, triginta aureis vult venditum Dominum. Verba autem Matthæi; [Constituerunt ei triginta argenteos: Græcè, τριάκοντα ἀργύρια, interpretatur, triginta sumulas, siue triginta siclorum auri pretia, vnde probabile iudicat Iudam tantum à Iudæis postulasse, & accepisse, quantum vnguentum valere putabat, vel quanti non esse venditum indignabatur. In eadem sententia est Carthusianus: Argenteum enim vnum decē denarios valuisse arbitratur, decem autem denarij aureum efficiunt, siue coronatum. Occasio (inquit) quia Iudas motus est ad vendendum Christum fuit tristitia, qua doluit de vnguento effuso. Porrò quilibet triginta argenteorum valuit decem denarios vsuales: ita quod triginta argentei valuerunt trecentos denarios vsuales, sicque in venditione Christi recuperauit Iudas valorem vnguenti, &c. Eadem est opinio Lyrani De re antiqua & dubia, hæc indagasse sufficiat. Opinio communis probabilior videtur, quæ triginta argenteos, siclos triginta esse fert. Verba Ieremiæ 32. quæ obiecimus huic opinioni: [Appendi septem siclos, & decem argenteos, &c.] Diuus Hieronymus interpretatur, appendi septen decim siclos, ita vt argentei sint etiā sicli: quamuis autem ille loquendi modus non sit satis expolitus, tamen à Propheta potuit vsurpari.

Vtebantur Iudæi tempore Christi Romanis monetis.

Carthus.

Occasio Christū vēdendi, fuit tristitia, qua doluit Iudas de vnguento.

Opinio sequenda. Ierem. 32.

Diuus Anselmus (si illius liber est) in dialogo de Passione Domini ait sibi reuelatum, argēteos, quibus Christus est venditus, eosdem fuisse, quibus venditus est Ioseph; Ismaelitici (inquit) fuerunt illi denarij, quibus, & Ioseph venditus fuit ante multos annos, & hæreditaria successione fuerant deuoluti ad illos Iudęos, qui Christum emerunt, &c. Videntur hi argentei ex templi pecunia sumpti, iuxta illud Matthæi 27. [Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est, &c.] Sumpti erāt ex corbona, id est, Gazophylacio tēpli. Non licebat in idem Gazophylacium eos mittere, quia pretium fuerāt sanguinis, & mortis Christi, vt infra dicemus; hinc illud Iuuenci.

D. Anselm. Iisdem argenteis dicitur venditus Christus, quibus & Ioseph.

Inde sacerdotes pretium quod sanguinis esset,
Illicitum fantes aditis iam condere tēpli
Quod dare tum licitum dum sanguis distraheretur
Credebant, &c.

CAPVT XI.

De Iudæ typis, & maledictione, Psal. 108.

IVdæ hanc venditionem adumbrauit venditio Ioseph. Viginti tamen argēteis Ioseph, Christus triginta vēditus est. Non enim necesse est vmbram ad amussim veritati respondere. Soluta est autem pecuniæ summa non siclis solùm, vel magnis monetis, sed etiam minutioribus, qualis illa est, quam se Parisijs vidisse ait Budæus. Fuit etiam Iudæ typus Achitophel, vt ait Rupertus Matth. 26. quemadmodum Achitophel a Dauide

Rupertus.

Digitized by Google

uide ad Absalonem defecit; sic Iudas defecit à Christo ad Iudæos: sicut ille suspendio perijt; sic Iudas. Adde Absalonem: Sicut Absalon Dauidem persecutus est, & suspensus è quercu vitam amisit; sic Iudas Christum est persecutus, suspensusque ex arbore vita seipsum priuauit. De hac venditione nonnulli illud Amos 2. interpretantur; [Non conuertam eum pro eo, quod vendiderit pro argento iustum, &c.] At consequentia verba indicant non esse de Iuda sermonem, sed de Israelitis, qui Christum minimè vendiderunt. Lege eo loco nostrum Riberã.

Amos 2.

In Iudam Psalmum 108. dixit Dauid, in quo Rupertus, Matth. 26. triginta numerat maledictiones, tot videlicet, quot fuere argentei. Agi autem illo Psalmo de Iuda indicãt verba illa Diui Petri Act. 1. [Episcopatum eius accipiat alter:] de Iuda dicta. Diuus Augustinus Psalmi maledictiones Iudæ tribuit. [Deus (ait Christus) laudem meã ne tacueris. Scribæ, & Pharisæi nomen meum, laudemque obscurare nituntur: tu verò Pater hominibus illam fac manifestam, vt salutem æternam possint comparare. [Quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est;] videlicet os Iudæ peccatoris, & dolosi: dolosè enim Christum Iudæis tradidit. [Locuti sunt Iudas, & Sacerdotes, ac Pharisæi, aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circundederunt me, & expugnauerunt me gratis,] id est, sine causa, sine vllo meo merito. Promerebatur Christus laudem, & amorem, illi opprobria reddebant, & odij sermones. [Pro eo (inquit) vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam: & posuerunt aduersum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.] Sequitur de Iuda: [Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris eius. diabolũ putat Augustinus hic dici peccatorem. Permisit Deus vt peccator, id est, diabolus Iudam tentaret, eumq; superaret. Hoc (inquit Augustinus) meruit Iudas, vt super se habeat diabolum, id est, diabolo subditus sit, qui Christo subditus esse noluit. [Cũ iudicatur, exeat condemnatus:] manifestum est Iudam iudicatum in iudicio peculiari, & damnatum. Et oratio eius fiat in peccatũ, &c. quia oratio Iudæ Christo aduersabatur, ideo peccatum erat. Nam à Deo forsitan petijt opportunitatem tradendi Christum, vel oratio aliqua quam desperans habuit, in peccatum versa illi est, propter desperationem: vel hoc illud est, quod dicitur Prouer. 28. [Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis, &c.] Et Prouerb. 15. [Victima impiorum abominabilis &c.] Denique [Fiat (inquit) oratio eius in peccatum,] id est, non exaudiatur à Deo, repudietur ac si esset peccatum, explodatur à conspectu Domini, quẽadmodum si esset scelus: fit etiam oratio in peccatum, cum à Deo exauditur, & conceditur precanti aliquid quod illi peccati occasio est, vel supplicij. Sequitur de Apostolatu, & vita: [Fiant dies eius pauci, & Episcopatum eius accipiat alter.] dies Iudæ pauci facti sunt, quia sibi mortem consciuit. Apostolatum, siue Episcopatum eius Diuus Matthias accepit. Vxores, & filios, & substantiã, habuisse Iudam arbitratur Augustinus: sibi ergo, vxori, & natis, furabatur, & pecuniam ex Christi vẽditione quærebat, ideo ait Vates: [Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua. Nutantes transferantur filij eius, & mendicent, & eijciantur de habitationibus suis: scrutetur fœnerator omnem substantiam eius, & diripiãt alieni labores eius. Fiant nati eius in interitum, in generatione vna deleatur nomen eius.] Si mouet (ait Augustinus) quomodo potuerit habere substantiam, quam fœnerator scrutaretur, alienique diriperent, quando iam cum alijs vndecim Dominum sequebatur, credat eum omnia, quæ habebat, ita dimisisse filijs, & vxori, vt nõ inde synceriter, vel perseuerãter vinculum cupiditatis abruperit.

Triginta maledictiones in Iudam, quod 30. argenteis vendiderit Christum. Ps. 108. de Iuda.

August. Meretur diabolo subijci q Christo subdi nõ vult.

D. August.

Qui

Qui etiam si ea, velut vendere videretur, distribuenda pauperibus, profectò faceret, quod Ananias Act. 5. Neque enim metueret, ne hoc Dominus diuinitate cognosceret, quē falli putabat, quando ea, quæ mittebantur, de loculis auferebant, &c. Hæc Augustinus.

A filijs, & vxore transit vates ad parētes Iudæ [In memoriam (inquit) redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini, & peccatum matris eius non deleatur] hoc est, reuocet Deus in memoriam peccata parentum Iudæ, vt in ipso Iuda, & filijs ille puniat, iuxta ea, quæ diximus 3. tom. li. 8 c. 28. Fiant contra Dominū semper, hoc est, peccata parentum semper sint coram Domino, vt ea puniat in posteritate, & dispereat de terra memoria eorum, scilicet parentum, vxoris, & filiorum Iudæ, pro eo quod non est recordatus facere misericordiam (impius Iudas) & persecutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare, id est, Christum, qui pauper in vita fuit, & mendicus, quia eleemosinas accipiebat, & compunctus corde, id est, mœstus, ac dolens corde propter peccata nostra. [Et dilexit Iudas maledictioné, & veniet ei. Et noluit benedictionem, & elongabitur ab eo; & induit maledictionem sicut vestimentum, & intrauit sicut aqua in interiore eius, & sicut oleum in ossibus eius. Fiat ei (maledictio) sicut vestimentum quo operitur, & sicut zona, qua séper percingitur, &c. Quia verò hæc non solum Iudæ, sed Iudæis etiam erant euentura, sequitur [Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum, & qui loquuntur mala aduersus animam meā, &c. hoc est, hæc merces erit, & retributio apud Dominum ijs, qui mihi detrahunt, & aduersus vitam meā consilia ineunt, hoc opus supplicij operabitur Dominus in meis hostibus.

Christus medicus, & inops.

Maledictus a Deo est Iudas: non tamen defuerunt hæretici, qui maledicto benedixerunt, eumque coluerūt, vt docet Augustinus in libro de hæresibus: Caiani (inquit) propterea sic appellati, quoniam Cain honorant, dicentes eum fortissimę esse virtutis; simul, & Iudam traditorem diuinum aliquid putant esse, & scelus eius beneficium deputant: asserentes eum præscisse quantum esset generi humano Christi passio profutura, & occidendum Iudęis propterea tradidisse. Hæc Augustinus, è mentis statu hæresis homines deturbat, qui ab Ecclesia Romana deficiunt; ita vt absurdissima, atque stultissima dogmata, vera esse obstinato animo, atque ore affirment. Insanum hoc dogma Caianis persuasit hæresis, sic nostris temporibus alia absurdissima nouatoribus persuadet, quale illud est inter alia: Non minus Dei opus fuit Iudæ proditio, quam Petri confessio: opus quod Euangelistæ diabolo tribunt, homines absurdissimi tribuunt Deo. Miror sanè, quod suis decretis ita fidant, cum infinitam videant similiū sibi hæreticorum prçcedentium multitudinem, suis decretis similiter fidentium in turpissimos incidisse errores, penitusque euanuisse, quod ab Ecclesiæ fide desciuerint.

Hæretici Iudam coluerunt.

D. August.

Illud de Iuda addam, fides sit penes autorem: serm. 28. ad fratres in eremo, ait ille autor, Iudæ patrem a lepra, matrem verò à paralysi Christi benignitate propter filium Iudam liberatos. Breuis fuisse staturæ dicitur in reuelationibus Diuæ Brigitæ, lib. 4. cap. 99. Appropinquante (ait Virgo Deipara) Iuda traditore suo inclinauit se ad eum Dominus, dans osculum ei; quia Iudas breuis staturæ erat, &c. de Iudæ interitu infra agemus. Gangrænam in anima habuisse ait Origenes Matthæi 15. Veluti gangrænam (inquit) habenti in anima, diabolus immisit in cor eius, vt Seruatorem proderet, &c. Est autem gangræna caro mortua ex vlcere, vel inflammatione, quę ad vicina serpit. Iudæ anima mortua erat, gāgrænamque habebat herpeticam, ex auaritiæ inflammatione ortam.

Alia de Iuda.

Iudas breuis fuit statura.

Origenes.

CAPVT XII.

De Iuda, & Auaritia.

Morale.

QVid non mortalia pectora cogit, auri execrãda fames. Pectus inuasit discipuli, magistrũ quem admirabiliter docentem, innumeraque miracula viderat patrantem, triginta argenteis vendere persuasit, ex Apost. proditorem fecit, ac furem [Fur erat (ait Io. cap. 12.) & loculos habens, ea quę mittebantur, portabat, &c. Eccl. 31. Beatus diues dicitur, qui inuentus est sine macula, qui post aurum non abijt; dicitur idem diues, in auro probatus. [Qui probatus est in illo, id est, auro, & perfectus est, &c.] Beatus fuisset Iudas loculos, pecuniasq; portans, si fuisset immaculatus, si post argentum non abijsset; at infœlix turpissimis se furti, proditionisq; maculis inquinauit, & post pecuniã abijt; [Abijt (ait Matt.) vnus ex duodecim: Vnus (inquam) ex 12. illis, qui dixerant [Ecce nos reliquimus, &c.] abijt post pecuniam; abijt, & perijt. Probatus fuit in loculis. Vtinã perfectus inuentus fuisset sed inuentus est proditor. [Potuit transgredi, & trãsgressus, facere mala, & fecit.] Ex 7. Græciæ Sapientibus vnus Chilo dicere solebat, quod lydius lapis est auro, id aurum esse homini. Lapis. n. prodit, quale sit aurum, ipsum aurũ prodit, qualis sit homo. Sanè aurum qualis Iudas esset, prodidit, videlicet, prodidit proditorem. Ecclesiast. 31. Multi dati sunt in auri casus, &c. hoc est, multi homines dati sunt in casum, siue casus auri, vel in ruinas, quæ ex auro proficiscuntur; & perditio ipsorum orta est ex auri specie, siue pulchritudine. Ex his hominibus vnus miser est Iudas, datus est in casum auri, siue pecuniæ. Casus autem illius fuit stupendus, quia ex Apostolatus fastigio, in proditionis cecidit barathrum. Perijt, ex specie verò argenti perditio illius orta est. Eodem capite Ecclesiastici, lignum offensionis appellatur aurum. Quemadmodum enim ij, qui in lignum pedibus impingunt, cadunt; sic qui animæ pedibus, id est, affectibus, & cupiditatibus, in pecuniam impingunt, peccata multa committunt. Lignum offensionis, siue offendiculi, fuere Iudæ loculi, in illos pedibus impegit animi, id est, cupiditate, miserandumque in modum corruit. Rabanus significari vult aurum lignum esse offensionis, id est, arborem scientiæ boni, & mali. Quemadmodum ex arbore illa vetita Adami pernicies orta est; sic ex loculis, & pecunia, Iudæ nata est perditio. Arbor illa vetita dicta est arbor, siue lignum scientiæ boni, & mali; pecunia dici potest arbor operationis boni, & mali: etenim ex pecunia veluti arbore, potest quiuis colligere fructus bonos, vel malos, id est, bona, vel mala opera, vt libuerit. Si in domo viri probi hæc plantetur arbor, fructus feret egregios, eleemosynas, similesque alios: si in domo plantetur viri iniqui, fructus producet pessimos. [Radix omnium malorum (ait Apostolus) est cupiditas, 1. ad Timot. 6. Græcè, φιλαργυρία, id est, argenti amor. Et Diogenes malorum omnium arcem, siue μητρόπολιν, metropolin, cupiditatem esse dixit. Pauli verba fortè propter Iudæ auaritiam dicta, ait Origenes Matt. 15. Fortassis (inquit) cum ait Apostolus: [Radix omnium malorum est auaritia] propter Iudæ dicit Auaritiam, quæ radix omnium malorum in Christum commissorum fuit, &c. Sed videamus quæ mala efficiat pecuniæ cupiditas.

Primò hominẽ similem efficit idolorum cultoribus, iuxta illud Pauli ad Col. 3. [Mortificate auaritiã, quæ est simulachrorum seruitus, &c. Gregor. Nazian. in carmine Iambico 22. quod scripsit aduersus amãtes opes; Ido-

Marginalia: Io. 12. — Eccl. 31. — Propter cupiditatẽ pecuniæ Iudas perijt. — Aurum probat hominẽ. — Eccl. 31. — Aurũ lignũ offensionis, cur dicatur. — Rabanus. — 1. ad Tim. 6. — Diogenes. — Origenes. — Ad Col. 3.

Idololatra (inquit) dictus est, qui præter aurum nihil scit, aut cogitat, &c. Diuus Hieronymus ad Ephes. 5. Vt vo raciũ (inquit) Deus venter est, ita cupidorũ quoque iustißimè pecunia Deus dici potest, &c. Ecclesiastici 31. [Lignũ offensionis est aurũ sacrificãtiũ,] &c. Græcè legitur sacrificantiũ ei; hoc est, aurũ est lignum offensionis, in quod impingunt auari, qui ei suas cogitationes, labores, & animos sacrificant; vel est lignum, id est, simulachrũ, & idolum offensionis aurum cupidis, qui seipsos illi veluti Deo immolant. Idolũ offensionis fuit aurum, siue argentum Iudę, argẽteis triginta seipsum sacrificauit. Vidésne ex ligno suspensum Iudam? sacrificium est auri, sacrificiũ est auaritiæ. Quemadmodũ idolorũ cultores, ido la aurea, & argentea amãt, colũt, ma ximè seruant, iuxta illud Psal. 113. [Simulachra gentiũ argentũ, & aurũ;] sic auari, aurũ ipsum diligunt, venerant, diligentißimè custodiunt. Theo phylactus ad Ephes. 5. Quod (inquit) auarus sit idololatra, disce ex verbis Christi: [Non potestis Deo seruire & mammonæ: deficit itaque à Deo auarus, & inseruit auro, &c. lege Chrysost. Vt Israelitæ ex auro, quod ex Aegypto afferebant, idolum fabricarunt, Exod. 32. sic auari ex auro, & argento, quod sibi comparant, veluti idola faciunt.

Auaritia mala. *D. Hieron.* *Eccl. 31.* *Auaritia idolorum seruitus.* *Theophyl.* *Chrysost.*

Secundò argenti cupiditas hominis animã venalẽ facit: Ecclesiastici 10. [Auaro nihil est scelestius. Nihil est iniquius, quã amare pecuniã; hic enim, & animã suã venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua,] &c. Vitam suam æternam, animãque vendit Dæmoni, pecuniæ cupidus homo, vili pretio; quoniam intima sua, id est, viscera in vita sua proijciet lucri causa. Vel animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima, id est, viscera sua in argentũ, & aurũ, i. quia valde dilexit pecuniam. Aliter; qm proiecit viscera sua, i. misericordiã suã, tũ erga se, tũ erga pauperes, quibus nihil largitur. Cõgruũt egregiè verba hęc Iudę: Is. n. venalẽ habuit animã suã: quã diabolo argenteis triginta vẽdidit; vẽdidit præterea illi animã suã, i. vitam q̃ suspensus amisit. Proiecit quoque intima sua, [quia suspensus crepuit medius.] Act. 1. [Et diffusa sunt omnia viscera eius, &c.

Eccl. 10. *Auarus animã suã venalẽ hẽt.*

Tertiò argenti cupiditas hoĩes impellit in laqueos diaboli, mergitque iniquitatis profundo pelago, 1. ad Timoth 6. [Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationẽ, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergũt homines in interitũ & perditionem,] &c. Qui volunt (inquit) & cupiunt diuites fieri, hi à cupiditate diuitiarũ, in tentationes, laqueòsq; diaboli præcipitantur, multis desiderijs aĩo noxijs, ac perniciosis irretiũtur, interituq; merguntur æterno. Theodoretus: Qui ex pauperib. natus est, diuitias autẽ appetit, & ad eas parandas nullã nõ viam init, eũ non capiet quidem satietas desiderij; peccati autẽ laqueis implicabitur, fluctibusq; agitatus, & naufragium passus vitam finiet. hæc ille; hinc illud Prouerb. 34. [Noli laborare vt diteris, sed prudentiæ tuæ pone modũ,] &c. hoc est; noli cupiditate ductus laboribus immodicis, diuitias quęrere; prudentię tuę, & industriæ ac labori in conquirẽdis opibus, modum finèmq; ponito. Ponitur autẽ finis, modùsq; labori, & industriæ cùm ponitur modus, & finis cupiditati. Diximus cum Apostolo argenti cupiditatem hominẽ pręcipitẽ agere in laqueos Dæmonis, interitùque, & perditione demergere. Eius rei egregia pictura est Iudas suspensus: præcipitem illũ egit auaritia in laqueos diaboli. Nimirũ aĩam in laqueos peccati, perpetuæq; dãnationis, corpus in laqueũ suspẽsionis impulit; demersit miserum cupiditatis illa tempestas, æternæque perditionis fluctibus obruit.

I. Tim. 6. *Theodor.* *Argenti cupiditas illaqueat.* *Prou. 23.* *Iudam auaritia illaqueauit.*

Quartò cupiditas argenti in seruitutẽ redigit auarum, compedib. vinctum aureis & argenteis; Vnde, vt supra est dictum, dicitur auaritia idolorum seruitus Ierem. 6. [Seruietis dijs alie-

Ierem. 6.

Aurum & argentum dij sunt alieni.

alienis die, ac nocte, qui non dabunt vobis requiē.]&c. Dij alieni sunt nūmi, quib. auarus homo die, ac nocte per mille labores milleque pericula seruit. Alieni sunt hi dij, quia nō possidet ille nummos, sed à nummis possidetur; nummi dominantur, non dominatur auarus. Ille enim possidet pecuniam, ille dominatur qui pecunia bene vtitur, benèq; expendit nummos: qui verò quò pecunia ducit, sequitur, qui cupidè, turpitèrq; nummos abscondit, seruus est, non dñs.

D. August. Augustinus Psal. 123. Ille (inquit) hēt aurum, qui nouit vti auro. Qui autē auro vti non nouit, habetur, non habet, possidetur, non possidet, &c. itē Psal. 48. ille possidet quęcunque hēt, qui Dominus est rerum suarum; Dominus autem est, qui non est irretitus cupiditate. Qui autem cupiditate tenetur, possessus est, nō possessor, &c.

Seneca. Seneca lib. de beata vita cap. 26. Diuitiæ apud sapientem virum in seruitute sunt; apud stultū in imperio, &c.

Auaritia insatiabilis Chrysost. Quintò argenti cupiditas homini pecuniæ sitim, ac famem affert, quæ nequit expleri: quamobrem Chrysostomus auaritiam cum insatiabili cōfert ebrietate, Gen. 6. ad illa verba; Noè inuenit gratiam coram Domino: Auaritia (inquit) est insatiabilis ebrietas, & sicut ebrij quanto plus vini ingurgitant, tanto magis ad sitim inflammantur: sic & auari quoque insaniam hanc indomitam nunquā sistere possunt, sed quāto magis suas opes augeri vident, tanto & concupiscentia magis flagrant, &c.

D. Hieron. D. Hieronymus Isaiæ 28. Iudam ebrium auaritia fuisse dicit: Ebrius (inquit) fuit proditor non vino, sed auaritia, & furore aspidū insatiabili, &c.

D. August. Auaritia nullus habendi modus. Augustinus sermone 25. de verbis Domini secundū Lucam: belluis peiores esse docet auaros diuites: bestiæ nāq; prædandi modū habent, auari minimè: Ipse (inquit) belluæ modū habent. Tunc enim rapiunt, quando esuriunt: parcunt verò prædæ cū senserint satietatē. Inexplebilis est sola auaritia diuitū, semper rapit, & nunquam satiatur, &c. Ecclesiastæ 5. [Auarus non implebitur pecunia,]&c.

Prouer. 30. Similis est auarus insaturabilib. illis rebus, quas numerat Salomon Prouerb. 30 [Tria] (inquit) [sunt insaturabilia, & quartū quod nunq̄ dicit, sufficit,]&c. ignis nunq̄ dicit, sufficit sic, & auarus. Quis vnq̄ ab ore auari audiuit, sufficit pecuniæ? pręter ignē insaturabilis dicitur infernus, & terra, quæ aqua non saturatur. Quēadmodū infernus hoīb. & sic auarus nō saturatur opibus: neq: terra saturatur aqua, nec auarus pecunia. De sanguisuga eodem capite legitur: [Sanguisugę duę filię dicentes, affer, affer,] &c. Tartarea sanguisuga est auaritia, semper affer, affer, ad mortem vsq; clamās. Quēadmodū sitiēs æger clamat, affer, affer aquam: sic auarus clamat affer, affer pecuniā, idcirco auaritiā meritò confert Gregorius Nazian. Iambico 22. cū serpēte, qui à siti q̄ efficit morsu, nomē dipsadis inuenit. nā διψᾶν, est sitio, & δίψα sitis. Carmina Gregorij hæc sunt.

Sitis auari. Gregor. Nazianz.

> *Est viperarum quoddpiam dipsas genus,*
> *Quas solitudo Pharia complures alit,*
> *Ac vulnus eius, quale sit nomen docet.*
> *Huic namque morbus quem paris nomen dedit,*
> *Perit bibendo, quisquis hac ictus fuit;*
> *A quis repertis, totus in eas irruens,*
> *Quousque nimio turgidus potu crepet.*
> *Vita cadente sana sic cadit sitis.*

Ita auarus, quē auaritia vt dipsas momordit, perpetuò sitit: vita cadēte sitis cadit. Crepat turgidus potu is, quē dipsas morsu læserit; sic Iudas quem momordit auaritia velut dipsas, argēti potu turgidus crepuit medius, & diffusa sunt viscera eius Idē Nazian. carm. Iambico 18. opes aquæ intercuti similes esse ait: Quēadmodū hydropicus aqua intercute laborās, sic diues auarus sitit perpetuò, quo plus sunt potæ, plus sitiūtur opes. Qui sitiūt, intima terræ penetrāt, in puteis aquā quęrūt, qua sitim expleāt: sic auri cupidi, atq; argenti, ipsa terræ viscera rimātur, omnib. puteis profundiores efficiūt fodinas, vt auro, atq;

Crescit indulgens sibi dirus hydrops.

Digitized by Google

argento se satient. Neque solum terræ, sed etiam hominum viscera, sitis auri scrutata est. Romani enim milites, vt diximus tom.3. Iudæos multos ferro diuiserunt, vt in visceribus aurum deuoratum scrutarentur.

Sextò argenti cupiditas non diuitem, sed pauperem reddit hominem. Diuus Bernardus Cant. sermone 21. Auarus terrena esurit, vt mendicus. item, Auarus possidendo mendicat, &c. Scitum illud Horatij ep.5. [Semper auarus eget;] quia semper cupit. Diuus Isidorus lib. 2. sententiarum, cap.41. Nunquam satiari nouit cupiditas. Semper enim auarus eget, quanto que magis acquirit, tanto amplius quærit, Prouerb.13. [Est quasi diues, cum nihil habeat; & quasi pauper est cum in multis diuitijs sit, &c.] Beda in hanc sententiam interpretatur; homo cupidus est quasi diues, non verè diues, quia nihil habet, estq; pauperrimus. Vir verò Religiosus est quasi pauper, sed multas habet diuitias spirituales. Diuites sunt improbi, sed per somnium: cum vigilat in morte, pauperrimos se esse cognoscunt: iuxta illud Psal. 75.] Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis, &c. Cum dormiebant, per somniũ diuites erãt; postquã somnus, idest, vita abscessit, postquam somnium euanuit, ipsique euigilarunt, in manibus nihil inuenerunt, pauperrimosq; se esse cognouerunt Beda Prou. 3. Diues quia Deum non habuit, comperit in fine nihil fuisse, quod habuit. Pauper Lazarus, qui Deum corde gestabat, in multis erat diuitijs, &c. D. Leo sermone 5. de collectis: Si eorum (inquit) bonis: nulli iuuantur pauperes: diuites egentiores sunt omnibus egenis. Perdunt enim illos redditus, quos possunt habere perpetuos, &c.

Auaritia pauperẽ facit hominẽ. *Prouer. 13.* *Beda* *Psa. 75.* *D. Leo.*

Septimò auaritia mentem grauem reddit, in terramque deprimit, vnde aurum educitur: quemadmodum aurum graue est, ita, & auaritia. Gregorius lib.14. Moralium, cap.25. Peccatum (inquit) auaritiæ, mentem, quam infecerit, ita grauem reddit, vt ad petenda sublimia attolli nequaquam possit. Vnde illud Psalmi 4. Filij hominum vsquequo graui corde, &c. Denique auaritia (ait Chrysostomus hom.82. in Matthæum) amentes, stolidos, impudentes, canes pro hominibus, imò verò, & canibus peiores, & dæmones a canibus facit; quo fiebat vt Iudas diabolum insidiantem amplecteretur, Christum benefacientem proderet, alter diabolus voluntate iam factus, &c.

Auaritia graue cor efficit. *Psal. 4.* *Chrysost.*

Fugiant ergo diuites stultissimum vitium, diuites sint non auari; aliud enim est diuitem esse, aliud esse auarum: diues ille est, qui pecunias multas habet, illisq; imperat; auarus, & pauper est, qui defodit, & abscondit nihilque largitur egenis. Chrysosto. homil.2. ad populum: Aliud (inquit) est auarus, & aliud diues. Auarus nõ est diues, multorum indiget, indigẽs autem multorum, nunquam diues esse posset. Auarus custos est, non dominus, pecuniarum seruus, non possessor; facilius enim alicui ex proprijs carnibus, quam ex defosso auro communicaret; sic Chrysost. O miserum auarum, quænam ille xenodochia extruet, quæ templa, quas viduas, & pupillos alet, qui faciliùs ex carnibus alicui, quam ex auro communicabit? heu quas pœnas miser dat, si quid amittit; vel parti iam lucri, vel pariendi, quam infelici partus dolore discruciatur, quam ardentibus cupiditatis flammis æstuat. Nulla auaritia sine pœna est (ait Seneca epist.115.) quamuis satis sit ipsa pœnarum. O quantum lacrymarũ, quantum laborum exigit, q̃ misera desideratis, quam misera partis est. Adijce quotidianas solicitudines, quæ pro modo habendi quemq; discruciant. Maiore tormento pecunia possidetur, quam quærĩtur, &c. ergo agite ò diuites ne sceptrum pecunijs detis; seruiant, nõ dominẽtur, pedib. subijciantur, capiti non imponantur: iuxta illud Psal 8. [Omnia subiecisti sub pedibus eius] cœlum supra caput est, sic sint cœlestia: terra sub pedibus est, sic sĩ terrena. Act.4. Primi illi Christ. affe-

Chrysost. *Auarus nõ est diues.* *Auari tormenta.* *Seneca.* *Seneca.* *Act. 4.*

afferebant pretia eorum, quæ vendebant,& ponebant ante pedes Apostolorum,&c. Hic pecuniæ locus, pedes,non caput. D. Hieron.epist.8 7.Pretia(inquit)ad Apostolorum pedes deferebant, vt ostenderent pecunias esse calcandas,&c. Accipe Aratoris carmina lib.1.1. in Acta Apost. quorum nónulla Beda recitat Act. 4.

D. Hieron. *Pecunia sub pedibus locanda.*

Arator.

Distitui debere probant, quod tangere vitant,
Calcandumque docent, quod subdunt gressibus aurum;
De quo terrena veniunt ad pectora curæ,
Consimili iactatur homo, qua sistat auare
Mens tua disce loco, quod tu custodis anhelus,
Quod stationepremis,quod cernere sæpius ardes,
Cuius in amplexus per somnia cuncta recurris,
Horrescunt tractare pij, &c.

Horrescunt pij aurum tractare,quia latet anguis in auro; vt illa ostendit crumena D. Francisco, & socio in via, ex qua serpens exijt, quod narrat D. Bonau.in vita D.Francisci. In crumena Iudæ, & similium, serpens latet auaritiæ, in crumena diuitis eleemosynarij latet misericordia.Serpens pecuniam in crumena auari retinet, absque fructu; misericordia in egenos effundit maximo cum fructu. Eccl.10.[Qui amat diuitias fructum non capiet ex eis,&c.] Non capit ex pecunijs fructum auarus, quia inopi largitur nihil;fructum maximum capit misericors, quia egenis fert opē. Nam, vt ait D.Gregorius lib.8.epist. 20. quidquid tribuitur pauperi, non est donum, sed mutuum. Quia quod datur,multiplicato fructu recipitur, & cap.Prou.13. [Redemptio animæ viri, diuitiæ suæ. Qui autem pauper est,increpationem non sustinet]hoc est,iuxta Bedæ interpretationem,diuitiæ pauperibus donatæ,& alia bona opera, & virtutes,quæ veræ diuitiæ sunt, animam hominis ab ira iudicis æterna, ab æternisque flammis

Serpens in crumena. *Eccl. 10.* *D.Greg.* *Prouer. 13.* *Beda.*

liberant Qui autem pauper est,diuitijs huiusmodi carens, Christi iudicis increpationem ferre non poterit. Qui animam suam(ait Beda)vult redimi a futura ira, congreget diuitias bonorum operum. Qui enim eget huiusmodi diuitijs, increpationē districti iudicis sustinere nō valet, &c.

Ad extremum auaritiæ currū,quo Iudas,auarique vehuntur,auaritięq; filias proponam.De curru sic D.Bernardus ser.39. in Cant. Auaritia(inquit) rotis vehitur 4. vitiorum, quæ sunt,pusillanimitas,inhumanitas, cōtemptus Dei, mortis obliuio. Porro iumenta trahentia, tenacitas, & rapacitas; & his vnus auriga præsidet habendi ardor. Ipse vero flagris vtitur acerrimis,libidine,id est,cupiditate acquirendi, & metu amittendi; sic ille. Pusillanimis est auarus, quia amorem, animumque suum terrenis diuitijs subijcit, inhumanus, quia pauperibus nihil largitur, Deū propter aurum contemnit, mortisque obliuiscitur, cuius memoriam egregium aduersus auaritiam esse antidotum illud D. Hieronymi epistola ad Paulinum [Facilè contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum,&c.] Tenax est pecuniæ,quam habet, illius verò, quam non habet, rapax, habendi ardore, & cupiditate,ita æstuat,vt alter Aetna mons.Auaritiæ curru in tartarum hisce rotis ac iumentis vehitur, quæ enumerat S.Bernar.D.autem Greg.lib.31.Mor. cap.17.& D. Thomas 2.2 q. 118. art. 8. Auaritiæ enumerant filias, quæ sunt,proditio, fraus, fallacia,periuria,inquietudo, violentiæ,& contra misericordiam obduratio. Oritur enim ex auaritia fœdissima filia proditio, quod Iudas satis ostendit,cuius proditionem ex auaritia ortam, nemo ignorat, oriuntur mille fraudes, milleque fallaciæ, periuria,animi, corporisque inquietudo, violentia,cordisque obduratio,misericordiæ, maximè aduersa,quæ cor emollit,cereumque reddit ad largiendam pauperibus eleemosynam.

Auaritiæ currus. *D.Bern.* *Auaritiæ natura tenax & rapax.* *D.Greg.* *Auaritiæ filia.* *D.Thom.*

C A-

Digitized by Google

CAPVT XIII.

An Christus agnum comederit posteriori vespera diei 14.

MATTHAEVS CAPITE XXVI.

PRima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: vbi vis paremus tibi comedere Pascha? At Iesus dixit: Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei; Magister dicit: tempus meum propè est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli, sicut constituit illis Iesus; & parauerunt Pascha. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis.

MARCVS CAPITE XIV.

ET primo die azimorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quò vis eamus, & paremus tibi vt manduces Pascha? & mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis: Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, sequimini eum, & quocunque introierit, dicite domino domus, quia Magister dicit: Vbi est refectio mea, vbi Pascha cum discipulis meis manducem? & ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum; & illic parate nobis. Et abierunt discipuli eius, & venerunt in ciuitatem: & inuenerunt sicut dixerat illis, & parauerunt Pascha. Vespere autem facto venit cum duodecim.

LVCAS CAPITE XXII.

VEnit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum, & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus. At

Digitized by Google

illi dixerunt: Vbi vis paremus? & dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum, in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magister: Vbi est diuersorium, vbi Pascha cum discipulis meis manducem? & ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. Euntes autem inuenerunt sicut dixit illis, & parauerunt Pascha. Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo.

Prima autem die azymorum.

LVcas sic: [Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha:] Græcè ἦλθεν, venit, in prætorio. Hac prima azymorũ die ad parandam domum, cœnamque Paschalem, misit Dominus discipulos suos, videlicet Petrum, & Ioannẽ (vt Lucas ait.) Dubitatur quænam fuerit dies hæc prima azymorũ, qua discipulos Dominus misit. Respondeo, quintam fuisse feriam maioris hebdomadæ; & decimam quartam mensis primi Nisan. Dicitur autem feria quinta hoc loco prima dies azymorum, quia ad vesperam illius posteriorem azymis Iudæi vesci incipiebant. Augustini hæc est sententia, epistola 86. ad Casulanum. Quintam (inquit) Sabbathi Matthæus dicit fuisse primam diem azymorum: quia eius vespera sequente, futura erat cœna Paschalis, qua cœna incipiebat azymum, & ouis immolatio manducari. Lucas verò cum ait, venit dies azymorum, sic est interpretandus; venit dies prima azymorum, scilicet feria quinta, ad cuius vesperam posteriorem necesse erat iuxta legis imperiũ immolari, manducarique agnum Paschalem, cum azymis panibus. De hoc die dicitur Leuit. 23. [Mense primo quartadecima die mensis ad vesperam phase Domini est. Sequitur [Et quinta decima die mensis huius solemnitatis azymorum Domini est, &c. Opponet quispiam: quarta decima die mensis erat phase Domini: eadem decima quarta die erat solemnitas azymorum, cum quibus agnus edebatur. Cur igitur dicitur solemnitas azymorum esse, & incipere decima quinta die. Respondetur solemnitatem azymorum incepisse decima quarta die mensis, & decima quinta. Incipiebat decima quarta die, quia ad vesperam illius posteriorem azymi panes manducari incipiebant. Si verò de legali festorum die loquamur, qui à vespera diei præcedentis, vsque ad vesperam sequentis protendebantur, incipiebat solemnitas azymorum die, & Luna decima quinta. Legionensis in libello, quem scripsit de legitimo tempore immolationis agni, opinatur agnum Paschalem ab Israelitis immolatum, & cum azymis manducatum, decima quarta die mensis Nisan ad Vesperam priorem, quæ diem antecessit, non ad posteriorem, vt diximus. Nam festus dies duplicem habebat vesperam, iuxta illud Leu. 23. A vespera vsq; vesperã celebra-

De prima die azymorum. *D. August.* *Leuit. 23.* *Quomodo azymorũ solemnitas incipiebat die 14. & 15.* *Opinio Legionensis.* *Leuit. 23.*

A B C

lebrabitis Sabbata vestra, &c. Vndè in diuino officio primas, secundásq; vespera nominamus. Existimauit igitur Legionensis Israelitas, & Christũ in primis (vt ita dicam) vesperis diei decimi quarti, agnum immolasse, cęnamque Paschalem peregisse, comedisseque azyma; existimauit prætereà dies azymorum fuisse octo, quãuis Scriptura asserat fuisse septem, Exod. 12. [Septem diebus fermentum non inuenietur in domibus vestris,] &c. Leuit. 23. [Septem diebus azyma comedetis] &c. Ijs septem addit vnum, videlicet decimum quartum diem mẽsis, cuius priori vespera azyma cum agno in Paschali tantùm cęna edebantur; in reliquo verò illius diei tempore ait non fuisse vetita, atque adeò diem non fuisse azymorũ simpliciter, & perfectè. Scripturam verò de diebus, qui azymorũ erant, perfectè, & simpliciter facere mẽtionem, qui septem tantùm erant, sumebantque initium à posteriori vespera diei decimæ quartæ, & priori diei decimæ quintæ, finem verò die mensis 21. Exod. 12. [Primo mense, quarta decimæ die mensis ad vesperam comedetis azyma vsq; ad diem 21. eiusdem mensis ad vesperam,] &c.

Exod. 12. *Leuit. 23.* *Exod. 12.*

Probatur hęc sentẽtia. Primò quia dies festi Hebræorum, à priori vespera initium sumebant, & ante posteriorem vesperam terminabantur, quæ ad sequentem pertinebat diem. Ergo cùm præceptum datur de agno immolando ad vesperam, & azymis comedendis 14 die, Exod. 12. [Seruabitis eum vsq; ad decimum quartum diem mensis huius, immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam,] &c. Leuit. 23. [Quarta decima die mensis ad vesperam phase Domini est,] &c. & Num. 28. Quarta decima die mensis phase Domini erit,] &c. De priori vespera decimæ quartæ diei intelligendum est, non de posteriori, quæ illius diei vespera non erat, sed sequentis, immolabaturque agnus decima quarta die ad vesperam priorem.

Probatur opinio. *Exod. 12.* *Num. 28.*

Secundò, cùm Hebręi ab Aegypto profecti sunt, agnum immolauerunt 14. die ad vesperam priorem: ergo idem fecerunt posteri. Immolasse verò Hebræos antequã ex Aegypto proficiscerẽtur agnum decima quarta die mensis, in priori vespera, confirmatur; quia ex Aegypto profecti sunt, die decima quinta noctu, Num. 33. [Profecti sunt de Ramesse mense primo, decima quinta die mensis primi,] &c. Exod. 12. [Nox illa obseruabilis Domino, quando eduxit eos de terra Aegypti,] &c. Vnde fit non potuisse illa nocte diem decimam quintã præcedente, qua profecti sunt, agnũ immolare, & comedere: comedisse verò illũ; antecedente siue priori vespera diei decimæ quartæ. Nam post agni esum præcepit eis Moses Exo. 12. [Nullus vestrũ egredietur ostiũ domus suæ vsq; manè,] &c. Ergo vsq; manè inclusi fuere domibus, neque profecti sunt illa nocte. Prætereà post cęnam Paschalem petiuerunt vasa aurea, & argentea, vestèmque plurimam ab Aegyptijs, Aegyptiosque spoliauerunt, Exod. 12. conueneruntque omnes in Ramesse, vnde profecti sunt. Exod. 12. [Profecti sunt de Ramesse sexcenta ferè millia peditũ virorum, absque paruulis & mulieribus, sed & vulgus permiscuũ innumerabile ascendit cũ eis, & armenta, & animantia diuersi generis multa nimis,] &c. Hæc autẽ non potuere fieri post cęnam Paschalem, si dicamus fuisse factam ad vesperam posteriorem, decimæ quartæ diei, & in vespera priori diei decimæ quintæ, in qua profecti sunt Israelitæ. Etenim post cęnam domi se continuerunt vsque ad matutinum tempus, posteà ab Aegyptijs egredi coacti sunt; neque tempus apparet, in quo Aegyptum spoliare, & in eundem locum Ramesse omnes confluere potuerint, vt inde simul proficiscerentur.

Num. 33. *Exod. 12.* *Exod. 12.*

Tertiò Nume. 33. sic habetur: [Profecti de Ramesse mense primo quinta decima die mensis primi, altera die phase filij Israel,] &c.

Num. 33.

Al-

Altera (inquit) die phase, siue Paschæ, id est, sequenti die postquam Paschæ, siue phase, i. agnum Paschalem immolarunt Et apertè docet Moses filios Israel immolasse agnum decima quarta die mensis, in priori vespera: & profectos esse, altera die siue sequenti, post immolationem, scilicet die decima quinta. Christum verò Paschalem egisse cęnam in priori vespera diei decimæ quartæ, confirmatur; quia post cęnam sequenti die est actus in crucem, ergo sequens illa dies erat dies decima quarta, nõ decima quinta. In die enim decima quinta celebri festaque non erat fas Iudæis iudicia exercere, & cruci suffigere, quod decima quarta die licebat.

Respondemus, Israelitas in Aegypto, posteròsque eorum in vespera posteriori decimæ quartæ diei, non in priori agnum immolasse, atque comedisse cum azymis: Christum quoque, cœnam Paschalem fecisse feria quinta maioris hebdomadæ, in vespera posteriori. De Christo probatur ex Euangelij loco: nam discipuli prima die azymorum, id est, decima quarta mensis Nisan, accesserunt ad Christum, dicentes: [Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?] ergo in posteriori vespera diei decimæ quartæ Pascha comedebatur, non in priori. Nam si priori vespera diei decimæ quartæ comedebatur, oportebat parare cœnam Paschalem nõ ipsa die decima quarta, sed die decima tertia, vt perspicuum est. Quod si dicas discipulos de paranda cœna rogasse Dominum die decimatertia; concedas, necesse est, diem decimam tertiam fuisse primam azymorum, quod est inauditum; siquidem Euangelista diem quo rogarunt discipuli Dominum, primam diem azymorum vocat. Præterea Christus actus in crucem est die, vel Luna, decima quinta mensis Nisan, vt communis omnium fert sententia, Ambrosij epistola 83. Chrysost. hom. 82. Isichij capite 23. Leuit. Bedæ, in libro de ratione temporum, capit. 45. & alijs locis

Christus comedit agnũ 14. die mensis, posteriori vespera.

Probatur sententia.

Ambros. Chrysost. Beda.

Anselmi, Matthæi 26. & aliorum. Ergo die siue Luna decima quarta in vespera posteriori cœnam Paschalem egit; siquidem cœnam egit pridie, quàm pateretur, & post cœnam comprehensus illa nocte in horto est, dieque sequenti decima quinta cruci suffixus. Quòd si in priori vespera diei decimæ quartæ cœnam egisset, sanè esset suffixus cruci die decima quarta; quod falsum est.

De Iudæis quoque similiter confirmatur, in posteriori vespera diei decimæ quartæ, cœnam fecisse Paschalem. Quoniam Iudæi decima quinta die mẽsis Nisan profecti sunt ex Aegypto, vt traditur Num. 33. ergo decima quarta die in vespera posteriori agnum immolauerant, atq; comederant. Nam post cœnam domi se continuerunt, media verò nocte Angelus primogenita omnia neci dedit, Pharao, & Aegyptij statim nocte surrexerant, eadẽmque nocte Israelitas proficisci cõpulerũt. Quæ omnia leges Exod. 12. Igitur illa eadem nocte, qua cœnam Paschalem egerant ex Aegypto discesserunt Hebræi, decima quinta Luna: comederant ergo agnum Luna decimaquarta in vespera non priori, sed posteriori.

Iudæi in posteriori vespera diei 14. agnũ immolabant.

Secundo cõfirmatur ex Iosepho lib. 3. Antiquit. c. 10. Celebramus (inquit) sacrificium Pascha nominatũ, per sodalitia, nihil è victimis in diẽ sequentem relinquẽtes, quæ est quinta decima, & azymorum festiuitatis prima, &c. Ait Iosephus ex agno Paschali nihil reliquisse Iudæos in mane diei sequẽtis decimę quintę, iuxta illud præceptũ Exod. 12. [Nec remanebit quidquã ex eo vsq; mane,] &c. Ergo Iudæi Paschalẽ cęnã agebãt in vespera diei decimæ quartæ nõ priori, sed posteriori. Nã mane decimæ quintæ diei, sequitur vesperam posteriorem, non priorem, decimæ quartæ diei, priorem verò sequitur manè ipsius diei decimæ quartæ, quod est exploratum.

Iosephus.

Exod. 12.

Tertiò Nu. 33. dñr Hebręi profecti ex Aegypto altera die phase; Hebraicè,

Num. 33.

cè, [crastina die phase:] ergo phase, i. agnum, manducauerant, ad vesperam posteriorem diei decimæ quartæ; nam eius vesperæ crastina dies, est decimæ quintæ diei manè, quo profecti sunt Hebræi, vt eodem capite 33. legitur. [Profecti de Ramesse decima quinta die mensis primi,]&c. Dies autem decima quinta, non potest dici crastina vesperæ prioris diei decimæ quartæ; ipsa enim decima quarta illius vesperæ est crastina.

Quartò, dies decima quarta mensis Nisan, priorem vesperam non habebat; ergo non agebant cœnam Paschalem Hebræi in priori illius vespera, sed in posteriori. Antecedens propositio probatur; quia soli dies festi priorem habebant vesperam, iuxta illud Leuit. 23. [A vespera vsque ad vesperā celebrabitis Sabbata vestra] id est, festos dies. At quarta decima dies non erat festa; ergo priorem vesperam non habebat, sed tantùm posteriorem, vt dies profesti.

Leuit. 23.

Quintò, quotiescunque Scriptura de vespera alicuius diei loquitur, de posteriori vespera intelligitur, quæ finis diei est, vt Gen. 30. [Redeunti ad vesperam Iacob de agro egressa est in occursum eius Lia, &c.] Exod. 18. [Populus assistebat Moysi à mane vsque ad vesperam.] Exod. 12. [Comedetis azyma vsque ad diem 21. ad vesperam: ergo lex de cœna Paschali facienda die decima quarta ad vesperam, de vespera posteriori diei est intelligenda. Hic fuit loquendi mos Hebræorum, estque omnium gẽtium: inauditum verò est vesperam pro vespera diem antecedente sumere, nisi aliud ipso sermone indicetur.

Genes. 30. *Exod. 18.* *Exod. 12.*

Sextò, Exod. 12. præceptum sic traditur: [Primo mense quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma, vsque ad diem 21. eiusdem mensis ad vesperam, &c.] Bis hoc loco dicitur, [ad vesperam,] secundo loco pro posteriori vespera sumitur; ergo, & primo, ne æquiuocè dicamus sumi in eodem verborum breui contextu. Quod autem secundo loco pro posteriori vespera diei 21. sumatur, exploratum sit, quoniam azymis vescebantur Hebræi vsque ad vesperam posteriorem diei 21. Siquidem septem dies azymorum erant, & à decimo quinto mensis inchoabantur, Leuit 23. [Quinta decima die mensis huius solennitas azymorum Domini est, &c. & in vespera posteriori diei 21. desinebant. Alioqui si in priori vespera diei 21. illos termines, sex erũt, non septem dies. Illud verò quod autor indicatus existimauit, dies azymorum perfectè, ac simpliciter septem esse, vnum verò imperfectè, id est, decimum quartum mensis diem, quia in sola priori illius vespera, cum agno azyma edebantur, reliquo tempore permittebantur; falsum est, & ad tuendam nouam opinionem excogitatum. Scriptura enim septem tantùm tradit azymorum dies, qui a posteriori vespera diei decimæ quartæ initium accipiebant. In priori verò vespera (vt probatum est, receptaque, & vera fert opinio) neq; agnus, neque azyma edebantur.

Leuit. 23.

Azymorum tantùm septem dies.

Soluuntur argumenta prioris opinionis.

Primo argumento, quo sententia confirmata est, respondetur, dies solùm festos Hebræorum, à vespera priori sumpsisse initium, non profestos; dies autem decimus quartus mẽsis Nisan profestus erat. Illam verò posteriorem vesperam decimæ quartæ diei, in qua azyma edebantur, dicimus pertinuisse quidem ad ipsam decimam quartam diem naturalem, ad decimam verò quintam legalem, ac festam; quia illius prior vespera erat. Secundo argumento respondetur, Hebræos agnum, & azyma edisse in Aegypto, in posteriori vespera diei decimæ quartæ, non in priori. Post cœnam verò Paschalem domi se continuerunt; media nocte Angelus primogenita Aegyptiorum interfecit. Exod. 12. [Factum est autem in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum, &c.] Post interfecta primogenita ipsa nocte Pharao, & Aegyptij, è lectis surrexere, Hebræosque abire compulerunt, mortis correpti timore, Exod. 12. Surrexit Pharao nocte, & oẽs serui eius, &c.

Ad 2. *Exod. 12.* *Ibid.*

Item

Item: [Vrgebant Aegyptij populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur, &c. quia compellebantur exire Hebræi, domos reliquerunt nocte, petieruntque ab Aegyptijs vasa aurea, & argentea, vestemque plurimam, quæ omnia summa cũ velocitate tradiderunt, profectique sunt Israelitæ domibus suis nocte, celerique cursu in eundem confluxere locum. Sic potuere fieri omnia post cœnam Paschalem, sicque facta sunt; infirmum ergo est argumentum secũdum. Tertio respondetur, verba illa Num. 33. ita esse explananda; Profecti sunt Israelitæ ex Aegypto altera die phase, id est, post phase, postquam agnum Paschalem cum azymis comederũt, profecti sunt altera die, id est, die decima quinta mensis Nisan. Nam die decima quarta ad vesperam posteriorem agnum manducauerant, vt diximus, nocte sequenti diei decimæ quintæ ante lucem ex Aegypto discesserunt. Aliter dici potest, agi hoc loco de discessu non nocturno, sed matutino videntibus Aegyptijs, sole orto; cœperunt enim exire ex domibus nocturno tempore, matutino verò, ac diurno, ex Ramesse profecti sunt in conspectu Aegyptiorum. Quamobrem illo loco Num. 33. sic scriptum est: Profecti de Ramesse mense primo, quinta decima die mensis primi, altera die phase filij Israel, in manu excelsa, videntibus cunctis Aegyptijs, & sepelientibus primogenitos, &c.] pro, [altera die phase,] Hebraicè est, [machara,] id est, [crastina die phase;] decima enim quinta dies mensis fuit crastina die phase, quia agnum ante illam noctu comederant. Deut. 16. legitur: [In isto mense eduxit vos Deus de Aegypto nocte, &c.] Postea additur: [Immolabis phase vespere ad solis occasum, quã do egressus est de Aegypto, &c. Dicũtur Hebræi educti nocte, quia noctu occisi sunt primogeniti, & cœperunt proficisci. Reliqua verba sic sunt interpretanda: [Immolabis phase ad solis occasum, quando egressus es de Aegypto, hoc est, in tẽpore statuto.

Ad 3.

Num. 33.

Deut. 16.

Hebraicè, [monghed,] quo egressus es, videlicet eodẽ mense, & die eodẽ, ac vespera, non tamen eadem nocte media, &c. Quartum argumentum probat, Christum cœnam egisse Paschalem, in priori vespera diei 14. quoniam ipsa die decima quarta est actus in crucem; non verò die decima quinta, quæ festa erat. At in die festo occidisse Iudęos Christum, iam suprà ostendimus capite 5. soluimusque argumentum.

Obijciet fortè aliquis verba Iosephi lib. 2. Antiquit. cap. 5. quæ dictis aduersantur; Illucescente (inquit) quartadecima die, omnes sacrificabant, & sanguine domos lustrabant, &c. ait Hebræos in Aegypto agnum immolasse, die decima quarta illucescente; ergo non immolarunt in posteriore illius vespera, sed die illucescente. Respondetur verbum Grecum, [Greek], aoristi esse, significareque tẽpus præteritum. Est sensus Iosephi: Postquam illuxit dies decima quarta, postquam aduenit, omnes sacrificabant, non matutino tempore, sed ad vesperam posteriorem. Illa quoque verba eiusdem autoris in fine eiusdem capitis 5. Festa per octo dies celebramus, quos vocamus azymorum, &c. non significant plures fuisse dies azymorum quàm septem, vt Scriptura tradit; sed complectitur Iosephus numero suo, etiam decimã quartam diem, quia in eius vespera posteriori azyma comedebantur, vt dictum suprà est. Non prætermittam Rupertum lib. 2. in Exodum capit. 15. affirmasse octo fuisse dies azymorum, quod probat verbis his, quæ nullibi in Scriptura reperiuntur, ille Exodo tribuit. [Primus dies sanctus erit tibi, & octauus dies ęquè venerabilis, &c. Memoriæ fuit lapsus. Nam Exod. 12. sic legitur: [Dies prima erit sancta, atque solennis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis, &c.] Probat præterea idem, quia dies azymorum à decima quarta die mensis inchoabantur, & die vigesima prima terminabantur; quod spatium temporis octo dies continet. Respõdetur, diem deci-

Iosephus.

Rupertus ait fuisse 8. dies azymorum.

Ruperto respondetur.

decimam quartam à diebus azymorum excludi, dicique primam azymorum, quoniam ad vesperam illius posteriorem (vt sæpè diximus) azymorum vsus incipiebat, quæ vespera diei erat decimæ quintæ festæ. Itaq; primus azymorum dies, erat decimus quintus festus, iuxta illud Leuit. 23. [Quinta decima die mensis huius solennitas azymorum Domini est. Septem diebus comedetis azyma; dies primus erit vobis celeberrimus, &c.] Primus dies azymorum celeberrimus erat: at dies decimus quartus profestus erat, non celeberrimus: nō ergo erat dies azymorum, sed ita appellabatur à vespera posteriori.

Leuit. 23.

CAPVT XIIII.

Discipuli mittuntur ad parandum Pascha.

Accesserunt discipuli ad Iesum.

PRima die azymorū, decima quarta mēsis primi, feria 5. hebdomadæ maioris, ait Matthæus, discipulos accessisse ad Christum, eumque rogasse, quanam in domo vellet sibi parari cœnam Paschalem; missos deinde ab illo duos, vt præparationem adhiberent. idem scribit Marcus. At Lucas ait, Christum Petro, & Ioanni dixisse; [Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus;] illos verò respondisse; [Vbi vis paremus?] Prius ergo Dominus misit discipulos, quàm discipuli Dominum interrogarent de præparatione Paschalis cœnæ; Matthæus verò significare videtur prius discipulos interrogasse, postea Dominum misisse. Respondetur facilè, A discipulos prima illa die azymorum, vt ait Matthæus, ad Christum accessisse, & rogasse; [Vbi vis paremus tibi comedere Pascha,] id est, [agnum Paschalem.] Christum deinde post hanc interrogationem, misisse Petrū, & Ioannem, illisque dixisse, quod Lucas scribit; [Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus;] Petrum verò, & Ioannem quæsiuisse; [Vbi vis paremus? nondum enim Dominus locum indicauerat. Aliter etiam respon B deri potest, Christum priorē de præparatione cœnæ Paschalis egisse; misisseque duos discipulos, Petrum, & Ioannem, de quibus intelligendum sit illud Matthæi: [Accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? hoc enim interrogasse Petrum, & Ioannem Lucas ait. Misit itaque Dominus, vt Lucas scribit, Petrum, & Ioannem, di C cens: [Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus.] At illi accesserūt ad Iesum, vt Matthæus ait, & dixerunt: [Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?] Matthæus enim quemadmodum duorum discipulorum nomina, ita & Christi verba illa prætermisit, quæ Lucas literis mandauit. Sciebant discipuli agnum non posse comedi extra Ierusalem: non ergo de oppido quærunt, sed de domo: [Vbi D vis paremus?] Vnde colligunt Chrysostomus, & alij, Christum caruisse domo. Beda in Lucam: Audiant (inquit) quibus ædificandarum domorum cura est, & ambitiosarum porticuum cogitatur instructio, quos pretiosorum marmorum pompa, & distincta auro laquearia delectant: cognoscant Christum omnium Dominum, qui locum vbi caput reclinaret non habuit, & idcircò eum discipuli E interrogant: [Vbi vis paremus, &c.]

Christus domo caruit. Beda.

Comedere Pascha.

PAscha nomen est, nō Græcum, vt multi sunt arbitrati, deductum à verbo Greco, πάσχω, id est, patior, sed Hebræū, Hebraicè dr, [pesach,] vel

alijs

Digitized by Google

De nomine Pascha. alijs punctis, siue vocalibus, [Pascha.] A à nostro interprete in veteri Testamento, ferè, [phase;] significat transitum, iuxta illud Exod. 12. [Est enim phase, siue Pascha, id est, transitus Domini, &c.] Duplex autem transitus *Tres transitus.* Israelitici populi memoriæ proditus est; trāsitus populi ex Aegypto in terram promissam à Deo, & trāsitus per mare rubrum. Tertius prætereà memoratur transitus, non populi, sed Angeli, qui Aegyptiorum primogenita occidit, domos verò Hebręorum à *Exod. 12.* cæde transiuit intactas: Exod. 12. Transibit Dominus percutiens Aegyptios. Cumq; viderit sanguinem in superliminari, & in vtroque poste, transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domos vestras, & lædere, &c.] Vbi legitur, transcendet ostium domus: Hebraicè verbum est, *A transitu Angeli dicitur Pascha.* [pasach,] à quo deducitur [Pascha.] Ab hoc trāsitu dicitur Pascha, id est, transitus. Probatur ex eodem capit. 12 Exodi; [Cùm dixerint vobis filij vestri, Quę est ista religio? (id est, cur immolatis agnum?) [dicetis eis: Victima transitus Domini est, quando trāsiuit super domos filiorū Israel in Aegypto, percutiens Aegyptios, & domos nostras liberans, &c.] Ex Hebræo sic: Sacrificium pasach, Domini est, qui [pasach,] idest, transiuit, super domos filiorū Israel, &c. item eodem capite; [Est enim phase, idest, transitus Domini, & transibo per terram Aegypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum,] &c. Item: [Et videbo sanguinem, & transibo vos, &c.] Hebraicè [pasachti, *Pascha significat trāsitum, vel saltum.* id est, transibo, vel saltabo, vel transiliam vos, id est, domos vestras. Vnde Pascha transitus dicitur, vel saltus. Fortè hoc eodem nomine significari voluit Dominus omnes tres trāsitus. Diuus Hieronymus Matth 27. & Iosephus libro 2. Antiquitatum capite 5. transitum Angeli percutientis primogenita: D. Augustin. tract. 55. in Ioannem, transitum populi per rubrum *D. August. Ioseph.* mare: Philo lib. 3. de vita Mosi, Iosephus lib. 17. Antiquit. & Nazianz. Gre*Greg. Naz.*gorius in orat. de Paschate, transitum ex Aegypto in terram promissam, aiunt significari.

Varia nominis Pascha significatio. Non semper idem significat nomē, [Pascha,] siue [Phase,] significat transitum illum Angeli primogenita interficientis: significat etiam festum diem Paschæ Ioan. 13. [Ante diem festum Paschæ;] & 18. [Est consuetudo vobis vt vnum dimittam vobis in Pascha:] significat omnes dies azymorū. Act. 2 [Erant autem dies azymorum. B Quem, id est, Petrum, cum apprehendisset, misit in carcerem. Volens post *Pascha significat agnum Paschalem.* Pascha, producere eum populo, &c. id est, post dies azymorum, quæ nomen Paschæ complectitur. Significat prætereà agnum Paschalem, vt hoc loco; [Vbi vis paremus tibi comedere Pascha; id est, agnum Paschalem, 1. Cor. 5. [Pascha nostrum immolatus est Christus,] id est, agnus noster Paschalis Christus in cruce oblatus est, in holocaustum. 2 Paral. 35. C [Assauerunt phase super ignem, &c.] id est, agnum Paschalē. Adde Pascha, siue phase significare nō solùm agnū, sed alia quoque sacrificia Paschalia, quæ Paschalibus diebus afferebātur. Deut. 16. [Immolabis phase Domino Deo tuo, de ouibus, & de bobus, &c. Non solùm de agnis Paschalibus, sed de ouibus etiam, & bobus phase immolabatur; hoc significatu vsurpatur D Pascha Ioan. 18. [Non introierunt] (inquit) in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha,] id est, Paschalia sacrificia, quorum pars offerentibus dabatur. lege Num. 28. caput, in quo de sacrificijs his paschalibus agitur.

Ite in ciuitatem ad quendam.

E

Mittuntur duo discipuli, Petrus, & Ioannes; mittitur autem Petrus (ait Theophylactus) in Lucā, *Theophyl.* vt diligens, & Ioānes vt dilectus. Mittuntur in ciuitatem Ierusalem, &c. quia extra ciuitatem erat Christus, vel Bethaniæ, vel in monte Olieti. *Agnū extra Ierusalē edi fas nō erat.* Mittuntur autem in ciuitatem Ierusalem ad parandam cœnam Paschalem;

lem; quia extra Ierusalem agnum immolari aut edi fas non erat: hoc namque præceptum extat Deut. 16. [Non poteris immolare phase,] id est, agnũ Paschalem, [in qualibet vrbium tuarum, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi, (id est, vbi fuerit templum) immolabis phase, vespere ad solis occasum, &c.]

Deut. 16.

Vespere immolabatur agnus Paschalis, Dominus verò matutino tempore discipulos misit ad præparationem adhibendam. [Ite (inquit) in ciuitatem ad quendam, &c.] Numquid sic locutus est Dominus? [Ite ad quendam.] Quis hominum sic loquitur? Respondetur; non est sic locutus Dominus; sed Matthæus rem breuiter sic explicauit, interposuitq; illud, [ad quendam;] quasi diceret, misit Dominus discipulos ad hominẽ quendam. hæc ex sententia Augustini dicta sunt lib 2. de consensu Euangelistarum c. 80. Cùm (inquit) verba Domini Matthęus posuisset dicentis: [Ite in ciuitatem;] interposuit ipse: [ad quendam;] non quia hoc Dominus dixerit, sed vt ipse nobis insinuaret tacito nomine, fuisse quendam in ciuitate ad quem discipuli mittebantur, &c. Græcè legitur, πρός τινα, id est, ad quendam; loquuntur autem sic Græci, cùm certum hominem significare volunt, nec tamen nominant: ita nos vtimur vocabulo [foani.] simile illud est Dauidis, 1. Reg. 21. [Pueris meis condixi in illum, & illum locum: Hebraicè, in locum, peloni, almoni:] Hieronymus Matth. 26. Morem (inquit) veteris Testamenti, noua scriptura conseruat. frequenter legimus; Dixit ille illi, & in loco illo, & illo; quod Hebraicè dicitur, [peloni, & almoni. & tamen personarum locorumque non ponitur nomen; sic ille.

1. Reg. 21.

Quæritur, aperuerit ne discipulis Christus nomen patrisfamilias, ad quem illos mittebat? Verbi causa sic dicens: Ite ad Nicodemum; vel, Ite ad Ioseph hum; an nomen prætererit, & signa solùm dederit hominis ignoti, quẽ Euangelistæ memorãt? Chrysostomus ad ignotum penitus hominẽ missos discipulos existimat, Hom. 82. Cur (inquit) ad ignotum hominem discipulos ire iussit? ostẽdere voluit potuisse passionis tormẽta euitare. Nam qui mentem illius verbis solùm induxit, vt ipsum cum discipulis vellet suscipere; quid fecisset crucifigendus, si pati noluisset? Pariter etiam de asina fecit, &c. Victor Antiochenus idem sentit, quod Chrysostomus. Nã ad asinam quoque, & pullum quærendos misit Dominus duos discipulos, Matth. 21. neque aperuit nomen dominorum ignotorum. Item Theophylactus; Mittit (inquit) Dominus discipulos ad hominem, qui non cognoscebatur, nec cognoscebãt; sicut, & de asina fecerat: mõstrans illis, quod possit nudis verbis persuadere etiam ijs, qui planè ipsum nõ cognoscebãt, vt ipsum excipiant, &c. Euthym. ait Christum nomen viri subticuisse, ne Iudas cognitam domum hostib. proderet, huius causæ meminit Theophylactus in Lucam. Existimo non protulisse Christum nomen patrisfamilias, sed signa tantum dedisse, quorũ Marcus, & Lucas meminerunt; atque id, quod illi illis signis indicarunt, indicasse Matthæum, illis verbis: [Ite ad quendam;] quasi dicat; dato signo, sed tacito nomine, misit Dominus discipulos. An verò fuerit vir ille ignotus penitus, mox dicemus.

An Christus aperuerit nomen patrisfamilias?

Chrysost.

Theophyl.

Introeuntibus vobis in ciuitatem.

TAcuit Dominus nomen patrisfamilias, dedit verò signum, & ducem, à quo ad domum illius ducerentur; nimirum hominem amphoram aquæ portantem. [Introeuntibus] (inquit) vobis in ciuitatẽ, Ierusalem, Græcè, εἰσελθόντων, iam ingressis,] sed non longè progressis, [occurret vobis homo amphoram aquæ portans:] Lucam, Apud Marcum. [lagenã aquæ baiulans, Græcè eadem dictio est, κεράμιον ὕδατος, id est, [vas fictile aquæ]

qui autores indicati aiunt, permotúque à Christo nunc ad parandum cænaculum, Paschalemque agnũ, & ad fidem quoq; ac discipulatum. Cænaculum verò neque Mariæ matris Marci fuit, neque Ioannis Euangelistæ, neque Simonis leprosi, erant enim satis notæ hæ domus Petro, & Ioanni, neque signo opus erat & duce, à quo in eas ducerentur. Adde Christum mittere discipulos ad patrẽfamilias, non ad matrem familias. Erat ergo domus viri alicuius, non fœminæ Mariæ matris Marci: Si quis volet fuisse aliquem discipulum occultum, atque ignotum Apostolis, non repugnabo. Ditissimum autem fuisse probat Catinus ille, in quo agnus Paschalis mensæ illatus dicitur. Est enim ex smaragdo confectus, & propter margaritæ magnitudinem admirabilis, ostenditurque Genuæ.

Occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans.

HOc est signum, hic dux Apostolis datus, scilicet homo amphoram, aut lagenã aquæ, id est, vas fictile plenum aqua in domum portãs, in qua cænaculum erat paratũ. Fuisse hunc hominem Marcum, non Euangelistam, sed Mariæ filium, & Barnabæ consobrinum, ait Alexander in laudatione Diui Barnabæ: Sermo (inquit) quidam à Patribus traditus ad nos peruenit, eum qui lagenam aquæ portabat. Marcum fuisse beatæ illius Mariæ filium, &c. Non video quid habeat probabilitatis hæc sententia, siquidem paterfamilias domus diues erat. Quod si domus erat Mariæ, Mariæ vir erat paterfamilias. Non igitur pateretur filium aquam portare, sed famulum. Hunc secuti Petrus, & Ioannes domũ peruenerunt, à patrefamilias etsi ignoto, magno cum amore excepti sunt, & in cænaculum adducti, in quo Pascha erat comedendum.

An Marcus aqua lagenã baiularit.

Non placet illa sentẽtia.

Tempus meum propè est.

VT Matthæus scribit, discipuli patrifamilias dixerũt; [Magister dicit, Tẽpus meũ propè est, apud te facio Pascha cũ discipulis meis.] Tempus suũ appellat, non tẽpus Paschalẽ agnum edendi, id enim omniũ etiam Iudæorũ erat, sed tempus subeundæ mortis. Verisimile tamẽ est patrẽfamilias verba Christi non intellexisse, nisi fortè reuelationem habuit. Obserua Dominũ non rogasse patremfamilias, sed veluti imperasse, Marcus sic: [Vbi est refectio mea, vbi Pascha cũ discipulis meis manducẽ?] & Lucas, [Vbi est diuersoriũ, vbi Pascha cũ discipulis meis mãducẽ,] &c. Græcè tam apud Marcum, quàm apud Lucam nomẽ est, κατάλυμα, quod significat [diuersoriũ, tabernaculũ, & tricliniũ.] Refectio mea apud Marcum, significat refectorium meum, id est, locum refectionis, siue cænæ Paschalis.

Ostendit vobis cænaculum magnum stratum.

APud Marcũ additur Græcè paratum, ἀνώγεον μέγα ἐστρωμένον, ἕτοιμον, hoc est, [cænaculũ magnum stratum, paratũ.] Cænaculũ verò dicitur Græcè, ἀνώγεον, ab ἄνω, i. [supra, &, γῆ, [terra,] quia in superiori domus loco, à terra subductũ erat. Cænabãt enim antiqui in superiori ædium parte. Erat cænaculum illud in monte Sion magnum, atque amplum, multorumque capax, stratum culcitris, & stragulis: in lectis namque recumbentes sumebant cibum. Paratum denique erat ad cænam Paschalem. De hoc sic Borchardus scribit c. 7. §. 47. Procedentes vltrà in montẽ Sion inuenimus Caiphæ domum. Inde quantũ iactus est lapidis, contra Austrũ est locus, vbi beatissima Virgo vsque ad finem vitæ permansit. Huic loco propinquum est cænaculũ gran-

De cænaculo.

Borchardus

grande, in quo Dominus Pascha cũ discipulis celebrauit, pedes abluit, Eucharistiam sanctissimam instituit, post resurrectionem discipulis illic congregatis apparuit, Matthias sorte electus est, Spiritus sanctus datus est, &c. Beda de locis sanctis: In superiori (inquit) montis Sion planicie, monachorum cellulæ frequentes Ecclesiam magnam circundant illic, vt perhibent, ab Apostolis fundatã: eo quod ibi Spiritum sanctum acceperint, ibique S. Maria obierit. In qua etiam locus cœnæ Domini venerabilis ostenditur. Hæc Beda. Vnde colliges cœnaculum in Ecclesiã conuersum esse Nicephorus lib 8 c. 30. Helena (inquit) in Sion amplissimum construxit templum, in cuius postico domũ circumclusit, in qua foribus clausis propter metũ Iudæorum discipuli fuerant congregati: in qua etiam sacra cœna peracta, sacraque pedum lotio, nec non Spiritus sancti in cœnaculo aduentus, in qua Iacobus quoque Episcopus renuntiatus est, &c. Diuus item Damascenus lib. 4. de fide, c. 14. Cœnaculum, in quo Christus cœnauit, in Sion fuisse affirmat.

Beda.

Nicephor.

Cœnaculũ in templum est mutatũ.

Quæritur, an pater ille familias, parauerit, & strauerit cœnaculũ illud Christo, & discipulis, an sibi, & alijs comitibus? Respondet Euthymius Matth. 26. his verbis: Apparet, quod fidelis hic paterfamilias, siue diuina reuelatione, siue corporali Saluatoris collocutione nouerat, quod apud se facturus esset ille Pascha. Et ideò ad susceptionem præparatum habebat cœnaculum, &c. Quod si quis velit patremfamilias cęnaculũ sibi, & alijs præparasse: dicet diuina potentia permotum, Christo illud concessisse, & discipulis. Verisimile est, Ierosolymitanos cęnacula strata, ac parata ijs locasse, qui ex alijs regionibus Ierosolymam confluebant, ad mactandum agnum. Fortè igitur diues aliquis cœnaculum illud magnum, stratum ac paratum habebat, vt locaret; locasseque Apostolis accepto pretio, vel precario concessisse, non deest, qui putet. Crediderim gratis Christo tradidisse, & postea discipulis.

An paterfamilias sibi parauit cœnaculum an Christo.

Euthymius.

CAPVT XV.

De Cœnaculo.

Morale.

OBserua qualem domũ Dominus elegerit ad instituẽdũ admirabile Eucharistiæ sacrificiũ, atq; Sacramẽtum; domũ videlicet, nõ in ipso solo, sed in superiori loco cõstitutã, magnã, stratam, atq; paratã. Talẽ oportet esse domũ, i. animã, quæ stupendũ Sacr̃m exceptura est; nõ reb. terrenis, sed supernis, ac cęlestib. hærentem, magnã, & amplam adeò, vt non amicos solũ, sed Iudam etiã, i. inimicos amplitudine charitatis: virtutũ tapetib. pretiosisq; aulæis stratam, fide, stupendiq; mysterij consideratione, humilitate, amoreq; ardenti præparatã. Adũbrat præterea hoc cęnaculũ Ecclesiã, in qua Christus Eucharistię sacrificiũ, Sacr̃mq; quotidie per suos Sacerdotes exhibet. Cęnaculũ magnũ est, quia toto propagatur orbe, stratũq; diuinis donis, ac virtutibus. Iustinianus i lib. de triũphali Christi agone c. 1. Ecclesia (inquit) spiritale cęnaculũ est. An nõ grandis est, quæ per totũ terrarum orbẽ diffunditur? stratũ est cęnaculũ donis cęlestib. spiritalib. Sacramẽtis, &c. In cęnaculo fuerũt cũ Christo non probi solũ discipuli, sed improbus ẽt Iudas; sic in Ecclesia Christiani sunt tũ probi, tũ improbi, hæretici verò infelices cęcitatẽ amantes suam, extra illam sunt, neque Pascha cum Christo eiusque discipulis comedunt.

Præparatio ad Eucharistiam.

Ecclesia est Christi cœnaculum.

Iustinianus

Qui in cœnaculo cum Christo fuerunt.

Patremfamilias domus vult Origenes tract. 35. in Matthæum adumbrare intellectum. In vnoquoque ho-

Origenes.

homine(ait ille)paterfamilias est intellectus,&c. Quemadmodum enim paterfamilias domum,sic intellectus animum regit, ac meditatione, siue consideratione dirigit. Hic paterfamilias domum,id est,animum considerando, simul cum matre familias, id est,voluntate,Christo parat excipiendo. Domus (inquit Origenes) superior sit nobis magna, vt capiat Iesum,qui non capitur nisi à magnis sensu;& sit domus hæc præparata filio Dei, à patrefamilias intellectu, non solum in loco superiori, nec tãtummodò magna,sed etiã mundata, nullo modo habens malitiæ sordes, &c. Paterfamilias intellectus est, materfamilias volũtas, si paterfamilias ægrotet, vel insaniat, vidua fit materfamilias,hostiumq; exponitur insectationi.Si namq; intellectus æger est, & insanus, hoc est, caducarum rerum, & voluptatũ cogitationibus ebrius, nullaque æternarum rerum consideratione sobrius, misera voluntas veluti vidua facilè ab hostibus sub iugum, tributumque vitiorũ mittitur;iuxta illud Thren.1.[Facta est, quasi vidua domina gẽtium, princeps prouinciarũ facta est sub tributo,&c. Videlicet voluntas,quæ domina esse debet, ac princeps appetitionum, quasi gentium, ac prouinciarum, fit sub tributo scelerum. Pater ille familias vbi primùm audiuit, [Magister dicit,] &c. protinus dictis acquieuit; similem in modum intellectus noster vbi primùm audiuerit,[Magister dicit,] Christus hoc dicit, Deus hoc dicit, Ecclesia hoc dicit,Ecclesia cuius est de sensu Scripturarum iudicare, hunc Scripturæ locum sic intelligendum dicit, protinus humiliter acquiescat. Nonne cernis quanta in perturbatione, cõfusioneq; hæreticorum familiæ versentur? Cur ita? quia paterfamilias hæreticorum,id est, intellectus,insolens admodum est, quamuis millies audiat,[Magister dicit;]non acquiescit, non credit, sed insolenter dicta respuit. insolentem proteruumque patremfamilias, idest, intellectum,

Intellectus est paterfamilias. Volũtas in homine est materfamilias.

Thren. 1.

Hæreticorũ intellectus insolens.

Magister fugit Christus, apud illum non agit Pascha: deseritur infelix, desertusq; à Magistro,in mille errores, tandemque in mille orci cruciatus ruit.

In ædes patrisfamilias ferebat aquam homo quidam,quam propheticam scientiam significare ait Iustinianus lib.de triumph.agone cap.1. iuxta illud Eccles. 15.[Aqua sapientiæ salutaris potabit illum,]&c. Origenes similiter baiulum aquæ, Moysem indicare putat, doctrinam legis spiritaliter intelligendã,instar aquæ portantem. Potest itaq; homo aquã portans omnes scriptores significare, quicunque de rebus diuinis scripserunt,quarum meditatio animum ad excipiẽdum Christum præparat. Baiulus ille ad patremfamilias vase fictili portabat aquã, scriptores ad intellectum libris portant rerum diuinarum scientiam; qua ille meditãdo animum reficit, mirumq; in modum considerando irrigat, vt flores fructusq; Deo velut hortus amęnissimus proferat. Quantum verò vtilitatis lectio,meditatio, diuinarumq; rerum pariat scientia,docet Iustinianus Patriarcha capite illo primo indicato.Merito(inquit)scientia aquæ comparatur,quę ardorem libidinis, & sitim extinguit mundanæ cupiditatis. Ea quisquis bene vtitur, à vitiorum incentiuo optimè remouetur. Reficitur quidem pabulo illius, delectatur gustu, & æternorum notitia saginatur.Hinc est, quod in ijs, quæ foris sunt, lenocinari non finitur,sapiẽtiæ amore detentus,Rationalis veritatis splendore, & concupiscibilis, repletur dulcedine, dum scientia præuia, interior homo suaui poculo, atque veræ vitæ pascitur alimento. Huiusmodi vir iustus nutritus alimonijs ad aduersa toleranda robustus, ad edomandas passiones alacer, & ad perfectionis studia sectanda prudens efficitur. Minimè autem per se ad spiritualia exercitia tam validus fieret, nisi pane vitæ,& intellectus, atque aqua sapientiæ salutaris à Domino interius foret recreatus;

Iustinianus. Portans aquam quid significet moraliter. Origenes.

Vtilitas lectionis, & meditationis. Scientia à vitiorũ incentiuis remouet si ea quis bene vtatur. Iustinianus.

Digitized by Google

Nemo ad Christi cœnam admittitur nisi baptizatus.

creatus; sic ille Ad hæc, aquam baiulans homo hominem significat baptizatum, baptizatus namque homo Baptismi portat aquam; nemo autē nisi baptizatus sit, ad Christi cęnam admittitur. Significat similiter hominem lacrymarum ferentem aquam, id est, contritionem, ac confessionē. Qui enim ad augustissimam Domini cęnam vult dignè accedere, si mortifero inquinatus peccato est, lacrymarum aqua animum abluente, peccatique indiget confessione. Præterea significat homo aquam portans, hominem deuotionis ferentē aquas in cœnaculum Christi; siquidem deuotionem magnam Christi postulat cęnaculū, & cęna admirabilis. Obserua cęnaculum illud magnum fuisse, stratumque, atque paratum. Cœnacula Christi vbi Pascha cum discipulis suis, id est, Christianis agit, sunt Christiana templa, & altaria. Oportet ergo magna esse templa, munda, argento, auroq;, & pretiosa quantum fieri poterit suppellectili strata, egregieq; tanto Domino præparata. Satis hoc indicat tabernaculum antiquum à Mose extructum, & templum à Salomone exædificatum, vndique contectum fulgensq; auro.

Quid moraliter significet aquam portans in cœnaculū.

Tēpla sint munda, & strata.

CAPVT XVI.

De immolatione agni Paschalis.

Vespere autem facto.

PARAVERVNT Petrus, & Ioannes Paschalem cęnam: parata verò cæna, venit Dominus in cænaculū cū discipulis, facto vespere, ad immolandū comedēdūq; agnū. Quæritur quonā tpe agnus immolaretur, quove comederet? & rńdetur immolationis tēpus fuisse diem, siue Lunā decimā quartā, vt suprà ostensum est. ptereà fuisse tēpus decimæ quartæ diei vespertinū, iuxta illud Exo. 12. Immolabitq; eum vniuersa multitudo filiorū Israel ad vesperā, &c. quãobrem, vespere facto venit Christus in cænaculum. Hebraicè legitur, [bēarbaim,] idest, [inter duas vesperas.] Vnde efficitur, inter duas vesperas fuisse immolandum Paschalem agnum. Quænam sint hæc duæ vesperæ, explicandum est. Vt Masius Iosuæ 5. refert, in Commentario, qui Mechilta inscriptus est, hæc legūtur: Dixit Rabbi Nathan; Quid causæ est, cur tēpus inter duas vesperas accipiendum sit de eo tempore, quod à sexta hora ad finem vsque diei labitur? Ei responsum est; non quidem afferri posse causam, sed ita esse à maioribus traditū, &c. Ex his verbis colliges traditum fuisse à maioribus Hebræorum, tempus inter duas vesperas fuisse tēpus illud, quod à sexta hora, id est, à meridie, vsque ad occasum solis, finemq; diei effluit; in eoque fas fuisse agnum immolare. Lyranus hanc sequitur sententiam Exod. 12. Vespera (inquit) secundum Doctores Hebræos incipit à septima hora decimæ quartæ diei, id est, ab hora prima post meridiem. Quia ex tunc sol incipit tēdere ad occasum. Et ab illa hora vsque ad principium noctis, potest immolari phase secundum eos, &c. Idem alijs videtur, & Abulensi Exod. 12. q. 10. Immediatè (inquit) post meridiem incipit vespera; & tunc post meridiem diei decimæ quartæ, vsque ad occasum solis, poterant immolare agnum, &c. Aben Ezras affirmat, tempus inter duas vesperas esse tēpus illud, quod à sole Occidente, ad initium vsque tenebrosæ noctis intercedit. Oleaster Exod. 12. duas credit esse vesperas apud Iudæos, alteram solis occasum, cum sol disparet, alteram noctem ipsam. noctem enim vesperam ait appellari; tempus verò, quod inter solis occasum, & noctem interijcitur, inter duas vesperas esse arbitratur.

Tempus immolationis agni. Exod. 12.

Inter duas vesperas agnus immolabatur.

Lyranus.

Abulensis.

Tertia sentētia traditur à Iosepho lib. 7.

lib. 7. de bello, capite 17. Cùm dies (inquit) festus adesset, qui Pascha vocatur, quando à nona quidem hora, vsque ad vndecimam hostias cædunt, &c. hæc mihi videtur verior, quia vsu antiquorum Iudæorum, antequā Ierusalem euerteretur, est comprobata. Immolabant ergo Iudæi agnos Paschales à nona hora, id est, à tertia post meridiem, vsque ad duodecimam, id est, vsque ad occasum solis. Hoc tempus interiectum dicitur inter vesperas duas, quarum altera post meridiem sumebat initium, altera à solis occasu; post meridiem enim sol declinare incipit in occasum, ideo prima vespera dicitur tempus post meridiem vsque ad nonam horam; tres verò horæ consequentes inter hanc vesperam primam, & solis occasum interiectæ sunt, quibus agnus mactari solebat. Huic sententiæ fauet Chaldæus, qui illud [ben arbaim,] conuertit [ben simsaia,] id est, [inter soles,] hoc est, inter solem meridianum, & solem occidentem. Et illud Deut. 16. [Immolabis phase vespere ad solis occasum, &c.] id est, sole tendente ad occasum, vel prope solis occasum.

Quæ sint duæ vesperæ.

Deut. 16.

Postquam agnus erat mactatus, assabatur, & comedebatur. Cœnæ verò Paschalis tempus erat nocturnū, post solis occasum. Nam in cœna Paschali azyma cum agno comedebantur, eratque cœna illa festi azymorum initium. At azymorum primus dies post solis occasum incipiebat, iuxta illud Leuit. 23. [Quarta decima die mensis ad vesperam phase Domini est; & quinta decima die mēsis huius solennitas azymorū est, &c. Quarta decima die agnus immolabatur ante solis occasum, post solis occasum nocturno tempore diei decimæ quintæ, azyma cum agno edebantur. Exod. 12. [Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes, &c.] Quæritur quonam tempore venerit Christus in cœnaculum? Masius Iosue 1. arbitratur venisse vespere facto, ὀψίας γενομένης, hoc est, [cum serum esset,] solque dudum occubuisset; arbitratur præterea agni immolationi non interfuisse, sed præmisisse discipulos illos duos, vt agnum ad vesperam mactarent; post solis autem occubitum in cœnaculum introisse. Respondeo Christum ante solis occubitum venisse in cœnaculum. Probatur, quia ante solis occubitum, vt diximus, agnus mactabatur; ergo eo tempore Dominus venit in cœnaculum, vt illum mactaret. Siquidem, vt infrà ostendemus, agnum paterfamilias immolabat, Christus verò illius Apostolicæ familiæ pater erat; ergo agnum ipsemet immolauit. Verba illa, vespere autem facto, ὀψίας γενομένης, vespertinum significat tempus, quod solis occasum præcedit, quemadmodum Matthæi 14. ὀψίας γενομένης, id est, [vespere facto, accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, Dimitte turbas, vt cibos emant, &c.] Vespere, inquam, facto, hoc est, tempore vespertino antecedente occubitum solis. Non enim post occubitum solis, ad emendos cibos dimittenda erat turba, sed multò antè. Denique vespertino tempore, ὀψίας γενομένης, quinque illa hominum millia Dominus in solitudine ex quinque satiauit panibus, antequam sol occideret. Itaque ante solis occasum venit in cœnaculum, & immolauit agnum. Post immolationem assatus est, cœnaque Paschalis post occasum solis peracta.

Tempus cœnæ nocturnum.

Exod. 12.

An Christus agnum immolauerit.

Petitur, an fuerit fas homini, qui Sacerdos non esset, agnum immolare? Etenim agni Paschalis mactatio sacrificium erat; sacrificare autem Sacerdotibus dumtaxat licebat. Vnde efficitur solis Sacerdotibus licuisse agnum immolare. Confirmatur, quia 1. Esdræ 6. a Sacerdotibus dicitur immolatum Pascha, id est, mactatus agnus Paschalis: [Fecerunt filij Israel transmigrationis Pascha, decima quarta die mensis primi. Purificati enim fuerant Sacerdotes, & Leuitæ, quasi vnus; omnes mundi ad immolandum Pascha vniuersis filijs transmigrationis, & fratribus

An immolarint agnū ij qui Sacerdotes nō erant.

1. Esdr. 6.

Digitized by Google

Et Chaldæus; Caput eius cum crurib. & intestinis eius comedetis, &c. Sed obijcitur: Deus præcipit, [os nō cōfringetis ex eo.] Non ergo caput vorari, aut comedi poterat. Vt.n.comedatur caput, necesse est frāgi ossa capitis. Respōdetur; ita fuisse caput comedendū, vt ossa integra seruarentur. Poterat comedi caro ossib.adhęrens, cerebrum verò per foramē cranij hauriri. Quod verò edi non poterat absq; ossis fractione, id relinquebatur; quemadmodum ossium medulla, si edi non poterat absque ossium contritione.

CAPVT XVII.

De discubitu in Cœna.

Discumbebat cum duodecim discipulis.

In lectis olim cibus sumebatur.

CVm sumebant cibū Romani, discumbere solebant; à Romanis mos ad Iudæos videtur emanasse, vel à Persis, quorū hūc fuisse morem, Esther, 1. Conuiuiū Assueri Regis Persarum indicat, in quo lectuli aurei, & argentei, super pauimentum dispositi fuisse dicuntur. Etenim in lectis similib. illis, in quib dormiebant, mollibus in culcitris discūbentes, cœnabant, vesteq; stragula, appositis puluinis. Iuuen. Satyr. 5 [Tertia ne vacuo cessaret culcitra lecto, Vna simus ait,] &c. Seneca lib. 1. de ira: Demēs (inquit) quid interest, q̄ lecti partem premas? honestiorē te, aut turpiorē pōt facere puluinū, &c. Plures verò in eodem discūbebant lecto: vnde illud Horatij lib. 1. serm. Satyra 4. [Sæpe trib. lectis videas cœnare quaternos;] hoc est, in singulis lectis videas cœnare quatuor, in trib. videas cœnare duodecim. Marcus Tullius in Pisonē: Quini in lectulis, sæpe plures;

Iuuen.

Seneca.

Horatius.

Tullius.

ipse solus, &c. in medio lectorū mensa erat: cibi per apertū locum, qui lecto carebat, inferebantur.

Locorum ratio habebatur in lectis; erat enim locus in lectis singulis summus, medius & infimus, vt Horatius ostendit lib. 2. serm. Satyr. 8.

In lectis, locus erat sūmus, medius, & infimus.

Summus ego, & prope me viscus Thurinus, & infra,
Si memini, Varius, cum Seruilio Balathrone
Vibidius; quos Mecænas adduxerat vmbras.
Nomen tanus erat super ipsum, Portius infra, &c.

Cicero.

Et M. Tullius lib. 9. epist. fam. epist. 177. ad Papiriū: Accubuerā (inquit) hora nona, & quidē supra me Atticus, infrà Verrius, &c. Ex quib. locis colligitur locū lecti mediū fuisse præcipuū. Nā Mæcenas in medio recumbebat loco, Nometanus super ipsum in primo siue sūmo, Portius infra in tertio, siue imo; similiter M. Tullius mediū tenebat locū, primū Atticus, tertiū siue infimū Verrius. Suetonius de Caligula. Pleno (inquit) cōuiuio, sorores singulas infra se vicissim collocabat: vxore supra cubāte, &c. Mediū lecti locū Imperator occupabat, summū vxor, infimū sorori. De hāc locorū dignitate legendus est Plutarchus lib 1. quæst. cōuiuial. c. 6. Alius (inquit) apud alios locus honoratior vt Persis medius, quē accūbens Rex occupat, vt̄ honestissimus: apud Græcos primus Apud Romanos medij lecti vltimus, quem ipsi consularem vocant. Apud quosdam Græcorum iuxta Pontum habitantium, vt Heracleotas, medij lecti primus, &c. Eodem c. indicat locum mediū fuisse præstantissimum, his verbis: Consules cùm ad popularē formam omnia redigerent, seipsos è medio, & regio loco deorsum subduxerunt, &c. Item: Primus (inquit) id est, medius, domino locus conuiuij conuenit, qui supra, is tribuitur conuiuarum honoratissimo, &c. Indicat præterea locū infimum, qui infra medium est, vxoris fuisse, aut liberorum Locus (ait) infra dominum conuiuij vxoris est,

Suetonius.

Medius locus lecti præcipuus.

In cōuiuio quis diceretur esse in sinu.

aut liberorum, &c. Qui inferiorem tenebant locum, in sinu sequentis cõuiuæ recũbere poterant, vt vxor, vt filius, vel charus alius amicus. Plinius lib. 4. epist. 22 ad Sempronium: Cœnabat (inquit) Imperator Nerua cum paucis, Veiento proximus, atq; etiam in sinu recumbebat, &c. & Xiphilinus, Heliogabalum ait recubuisse in pectore Aurelij, & in sinu eius cęnam cepisse.

Plinius.

A

Ad hęc, docet Ciacconius in lib. de triclinio, lotos conuiuas cęnatũ venisse, aut apud ipsum conuiuij dominum lauasse; vestibulóq; cęnatorijs indutos detractis calceis, ne lectos inquinarent, discubuisse, vnguentis perunctо capite, & Coronis ex floribus redimito. Lege ipsum Ciacconium, Appendicem Vrsini, & Salmeronẽ to. 1. prolegom. 11. Canon. 46.

Loti conuiuæ deponebant calceos.

B

Illud animaduertendum est, hunc morem antiquorum Romanorum non fuisse; sumebant enim cibum sedentes, nõ discũbentes, vt docet Seruius ad illud Maronis Aenei. 8. [Perpetuis soliti patres considere mensis, &c.] D. Isidorus lib. 20 Etym cap. 11. Apud veteres (inquit) Rom. non erat vsus accumbendi, vnde, & considere dicebantur. postea, vt Varro ait in lib. de vita pop. Ro. viri discũbere cęperunt, mulieres sedere, quia turpis visus est in muliere accubitus, &c. Pueri quoque sedebant. Suetonius in Claudio, Adhibebat omni cęna, & liberos suos, cum pueris, & puellis nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes vescerentur, &c. Hebræi quoque sedebãt antiquiores Gen. 43. Sederũt coram eo (idest, Ioseph) primogenitus, iuxta primogenita sua, &c. Philo ĩ uita Ioseph iussit (inquit) sedere iuxta ætatis ordinem fratres, Ioseph. Nondum enim discumbendi mos receptus erat, &c. Exod. 32 [Sedit populus manducare, & bibere,] & cap. 1. Regũ 20. ait Dauid. [Ego ex more sedere soleo iuxta Regem ad vescendum,] &c. & infrà; [Sedit Rex ad comedendum panem, &c.] Prou. 23. [Quando sederis vt comedas cum Principe.] Psal. 100. [Oculi mei ad fideles terrę, vt sedeant mecum, &c.

Antiquior mos defenditur in cœna.

C

D. Isidorus.

D

Suetonius.

Gen. 43.

Philo.

Exod. 32.

1. Reg. 20.

Prou. 23.

Psal. 100.

His positis quæritur in primis steterint ne Christus, & Apostoli in cęna Paschali, qua agnus edebatur, an discubuerint? Discubuisse probatur ex Euangelistis Matth. 26. [Vespere autem facto discumbebat,] &c. idẽ habent Lucas, & Marcus Caietanus Luc. 22. arbitratur non stetisse, sed accubuisse. Neque enim in lege præcipitur vt agnus ab stantibus edatur; idem existimat Pererius Exo. 12. disputatione 7 in fi. Ribera in lib. 5. de festis Hebræorum capite 3. Soares de Eucharist disputatione 41. sectione 2. Non abnuit Iansenius Sotus quoque in 4. d. 12. q. 2 art. 2. Christus (inquit) sedens cęnauit Paschalem agnum, &c. Nonnulli verò quia Euangelistæ discubitus, non stationis fecere mentionem, falsò arbitrati sunt, Dominum illo anno Paschalem agnum non edisse, qui ab stantibus comedebatur. Respondetur verisimile esse Christum in cęna Paschali ad comedendum agnum non discubuisse, sed stetisse. Exod. enim 12. præcipit Deus vt Hebræi agnum edant viatorum habitu, baculos manibus tenentes, ac festinanter. Festinantis autem, & baculum tenentis, non est discumbere, aut sedere. Hæc sententia est Autoris lib. 21. sententiarum, siue quæst. qui Augustino tribuebatur 40. tom. Idem sentiunt Euthymius, Theophylactus, Cardinalis Toletus, Salmeron, Maldonatus, & alij Philo lib. de sacrificio Abel, & Cain, sic ait: Præceptum est transeuntibus ab affectu ad virtutum meditationem, vt accincti lumbos Pascha celebrent, expediti ad ministrandum, & induti calceamenta, quibus carneam molem ratione contineant; cõtineant, stentq; recti firmatis pedibus, &c. Sed non satis explicat an hic fuerit Hebræorum mos. Euangelistarum verba minimè nobis aduersantur; siquidem illi cęnæ partem prætierierunt, qua Christus, & Apostoli stantes, baculosque tenentes, ac calceati agnum come-

An Christus agnum comederit discumbens

Exod. 12.

Philo.

E

Probabilius est Christũ sedisse dum cum Apostolis agnũ comederet.

comederunt. Fortè verisimilius est, & Euangelio magis consentaneũ, Christum, & Apostolos non stantes, sed discumbentes agnum edisse. Nam Euangelistæ de cęna agni loquuntur, cùm aiunt Christum misisse discipulos ad parandam cęnam, vt perspicuum est. Mox addunt, [Vespere autem facto discubuisse,] sanè de eadẽ cęna agni videntur loqui. Discubuerunt. Similiter in Aegypto credibile est, non stantes Hebræos, sed sedẽtes agnum manducasse. Sedentes, inquam, quia nondum recumbẽdi mos receptus erat, vt conuiuium Ioseph indicat; sedentes vero baculos tenuere manibus. Suadet hanc opinionem liber Exod. cap. 12. in quo cæremoniæ agni minutissimè recensentur, de statione tamen nulla est mentio. Oportuerat autẽ de cæremonia præcipua facere mentionẽ. Siquidẽ de illa, quæ admodum explorata erat: [Non comedetis ex eo crudum quidpiam; mentio apertè facta est. Card. Baronius ait, in libro Hebræorum rituali scriptum extare, standi ritum antiquatum, & omissum post captiuitatem Babylonicam.

Sedere fratres iussit Ioseph.

Card. Bar.

Secundò quæritur, An Dominus, & Apostoli post agni esum, discubuerint in lectis, vncti, ac loti, pedib. nudis, & cęnatorijs vestib amicti? Ciacconius in libello indicato scribit, in tribus per circuitum mensæ lectis discubuisse; idque indicio esse quod cũ tredecim discumberent in eandẽ omnes patinam porrigebant manũ, iuxta illud Matthæi 26. [Qui intingit manũ mecum in paropside, hic me tradet.] Neminem enim vnum hac voce designabat Dominus, cum omnes manum in paropside ex æquo intingerent. Quòd autem loti Apostoli discubuerint, verbis Christi confirmat Io. 13. [Qui lotus est, nõ indiget, nisi vt pedes lauet,]&c. Qui lotus (inquit) est; ergo Petrus similiterq; reliqui iã loti erant, anteq̃ discũberent. Vnctos etiam vnguento cęnasse censet; quia verisimile est patremfamilias diuitem, a quo fuere excepti, vnguentum præbuisse. Cęnatorias

An Christus & Apostoli in lectis vncti discubuerint.

Cœnatoria vestis.

A præterea vestes induisse, inde confirmat, quod Marci 14. adolescẽs, idest, Ioannes, sindone, i. veste linea, ac cęnatoria, sup nudo corpore amictus fuisse tradatur post cęnam. In marmorib. verò Romanis ij, qui in lectis recumbunt edentes, magna ex parte vna tantùm veste super nudo tecti conspiciantur. Cum Ciacconio sentit Salmerõ in Prolegomeno 11. can. 46. Cùm prius (inquit) in esu agni Paschalis starent, & calceos in pedibus B & baculos in manibus haberẽt; post illam tamen mensam iterum discubuerunt; etiã sine calceis, &c. & ante hæc sic ait: Nõ est verisimile patrẽ familias illius domus, q tribuit Christo cęnaculum magnũ stratum, non prospexisse de balneo, ac de vnguento, maximè si intellexisset Christum conquestum esse de Pharisæo Lucæ quod non obtulisset aquam pedibus C & vnguentum capiti, &c. Quòd si roges quemnam locum Christus in lecto teneret? Respondent, tenuisse primum locum medij lecti, quia qui apud Romanos maximæ dignitatis erat inter Pontifices, summum siue primum locum medij lecti in pontificalibus cęnis tenebat. Secundum, mediũ ve locum tribuunt Ioanni post Christum; quamobrem potuit facilè super Christi pectus, & in sinu eius recumbere.

Salmeron.

D Maldonatus existimat Christum, & Apostolos in cęna non discubuisse, sed sedisse; Christi (inquit) tempore sedere solitos fuisse Iudæos arbitror, nõ recumbere, &c. Si opponas, apud Euangelistas verba legi tam Græcè, quã Latinè, quæ discubitum, non sessionem significant: Respondetur, Euangelistas verbis discubitũ si- E gnificantibus, significare sessionem; quemadmodũ nos modo dicimus, accumbere mensæ, & in mensa discumbere, cum tamen sedeamus, non discumbamus, mutatus mos est recumbendi, verba retenta. Si vrgeas & dicas Magdalenã Luc. 7. nõ potuisse pedes Dñi vngere, osculari, lachrymisque rigare stãtẽ, nisi ille in lecto sublimi discũberet; Rñdetur, Magdalenã

Maldonat.

Christũ sedisse in cœna, & Iudæos putat Maldonat.

non

non stantem, sed prostratam ad pedes hæc officia obijsse. Cùm verò ait Lucas, [stetisse secus pedes Christi,] significare, secus pedes cōstitisse, sed prostratam. Neque verò admodum difficile est intelligere, quemnam in modum, vel Magdalena, secus pedes Christi sedentis, consistere potuerit, eosque vngere; vel Ioannes in sinu, & pectore in cœna recumbere. Non caret probabilitate hæc opinio. Veruntamen cùm legamus in mensa discubuisse Romanos, & Euangelistæ verbo vtantur discumbendi, verisimilius videtur Iudæos solitos discūbere. Id significat Philo illis verbis supra citatis ex vita Ioseph. iussit sedere fratres, iuxta ætatis ordinē. Nondum enim discumbendi mos receptus erat, &c. hoc est, nondum mos discumbendi receptus erat, qui modò receptus est. & Iosephus lib. 6. de bello cap. 6. Regia (inquit) Herodis, ornata erat virorum receptaculis, & cœnaculis lectorum centum capacibus, &c. ergo in lectis discumbētes Herodis tempore cibum sumebant Iudæi diuites; pauperes verò vel sedentes, vel humi cubantes. Itaque verisimile est Christum cum Apostolis discubuisse vel in lectis, vel in stratis tapetibus. Erat enim, vt ait Lucas, cœnaculum magnum stratū. Nec tamen concesserim vestem accepisse cœnatoriam, ait enim Ioannes c. 13. [Surgit à cęna, & ponit vestimenta sua, &c. Sua ergo vestimenta, non cęnatoriam habebat vestem in cęna. Parum verò honestatis præfert vestis cœnatoria super nudo corpore; nec credo Ioannem ita indutum in cœna recubuisse. Quis fuerit adolescens amictus sindone, infrà Deo ducente dicemus. Si quis dicat Christū posuisse vestimenta sua, & in veste remāsisse cœnatoria, refutabitur; quia non recubuit in mensa simul cū vestimentis suis, & veste cœnatoria; ergo cùm surrexit, & lauit pedes discipulorum, in cœnatoria non remansit; quia illa non erat indutus.

Philo.

Christus nō est vsus veste cœnatoria.

Illud præterea mihi videtur, Christum non tenuisse primum lecti locū, sed medium. Si enim primum tenuisse concedamus, Petrum Apostolorū principem cui primò pedes lauit, vel ex lecto Christi excludemus, vel infra Ioannem collocabimus, Ioannique medium locum tribuemus; quod à veritate alienum est. Igitur Dominus medio discumbebat lecti loco, qui præcipuus erat, vt sup. diximus, supra Dominū primus locus qui honore præstanti viro tribuebatur, Petro est concessus, infra Dominū tertius, & imus locus, qui, vt Plutarchus indicauit, liberorū erat, & amicorū, Ioanni dilecto est datus. Potuitq; ex eo facilè in sinu Domini reclinare caput, quēadmodū Christus in sinu Petri. De balneo, siue vnctione ante cœnam sentiat quisq; vt volet, Crediderim Dominum, & Apostolos hæc nō curasse, imò oblata nō recepisse. Neque obstant verba Domini Pariſæo dicta Luc. 7. Oleo caput meum non vnxisti, aquā pedibus meis non dedisti, &c. Non enim conqueritur, quòd hæc sint negata; quasi verò ea expeteret. Sed quid Pharisæus fecerit, narrat, qui fortè ea negauit, quod sciret Christum ijs non oblectari, vel quòd Pharisæorū secta, hæc velut voluptaria reijceret. Verba autē illa, [Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet: infrà suo loco exponentur. Itaque Dominus Apostolique, vt est verisimile, stantes baculosq; tenentes manibus, agnum comederunt, posteà in lectis stratis discubuerunt, cœnamque peregerunt; ad cuius finem augustissimum Eucharistiæ sacrificium, sacramentumque admirabile institutum à summo Pontifice Christo est.

Locum medium lecti tenuit.

Verisimilius est Christū ante cibum nō vsum balneo neque vnctione.

Quæritur in fine huius capitis, An virgo Deipara cum alijs fœminis agnum in hac eadē domo comederit, & Eucharistiam susceperit? Respondet Metaphrastes orat. de vita Deiparæ, quæ extat apud Surium die 15. Augusti mensis, his verbis: Videntur nō abfuisse à tēpore mysteriorū: sed cum Apostolis minimè accubuisse: fuisse tū eius domus participes. Nam Christus discipulos habuit accumbentes,

An virgo Deipara & aliæ fœminæ comederint agnum in cœnaculo.

bentes, matrem autem iussit curam gerere mulierum, quæ ipsi ministrabant, tanquam per eam eas excipiēs, & cum eis vescens, & sic referens eis gratiam pro ministerio: hęc ille. Probabilis est hæc opinio, siquidē agnus solitus Ierosolymis comedi poterat; Virgo ergo Deipara, & aliæ fœminæ quæ Christo ministrabant, Ierusalem venerunt vt agnum comederēt, Paschaque celebrarent, verisimileq; est in eadem domo cū Christo Deiparam comedisse agnum, cum fœminis, & Eucharistiam augustissimam per Christum missam suscepisse.

CAPVT XVIII.

De cœna Agni.

AGnum edebant Iudæi nonnullis seruatis ceremonijs, quæ Exod. 12. traduntur. In primis, agnus absque omni macula, masculus, anniculus, nō crudus, non aqua coctus, sed assus, edebatur. Secundò, cum agno panes azymi, & lactucæ agrestes comedebantur. Hebraicè, & apud 70 & Chaldæum legitur [Cum amaritudinibus edent,] Exod. 12. id est, cum lactucis amaris, & agrestibus. Tertiò, nō cedebatur agnus in frusta, sed integer assabatur, vt supra dictū. Quartò, ossa agni frangere non licebat. Quintò, ex agno nihil in sequentem diem relinquere fas erat; si quid ex cœna superesset, id igni tradebatur. Sextò, agnus in domo vna edebatur, extra domum efferre carnes non licebat, vel ad aliquem mittere. Septimò, qui agnum edebant, festinanter edebant; renes, siue lumbos accingebant, diffluentesque vestes cingulo coercebant, calceos propterea habebant in pedibus, baculos in manibus. Indicabant hæ ceremoniæ celeritatem illam, qua Deus Israelitas ex Aegypto eduxit. Assabatur agnus, & cum azymis comedebatur, quia celeriùs assæ carnes parantur, quàm coctæ aqua, panesque azymi, quam fermentati. Prætereà, quia celerius assæ carnes eduntur, quæ iure carent, quam coctæ aqua, quarum ius etiam in cibum sumitur. Ossa comminuere, aut frangere, domove carnes efferre non licebat: quia nimia festinatio fractionem impedit ossium, & carnium missionem ad amicos, vel vicinos. Nihil ex agno fas erat in alterum diem relinquere: quia totus populus eàdem nocte ex Aegypto est profectus, nemo in diem sequentem distulit profectionem. Agnum edebant festinanter accincti, & calceati, tenentesque baculos, viatorum habitu: quia mox ex Aegypto erant discessuri, magna cum festinatione. Agrestes autem, amaræq; lactucæ, amaritudinem adūbrabant, captiuitatis Aegyptiacæ; panes item azymi, properationem indicabant, & pauorem profectionis illius. Aegyptij namque Hebræos, quā celerrime abire compulerunt; adeò, vt panis fermentari nequiuerit. Quāobrem pallijs colligatam massam, minimè fermentatam portarunt Lege Exod. 12. & Deut. 15. His ceremonijs adhibitis, Christus agnum edit cum Apostolis.

De agno Paschali.

Ceremoniarum significatio.

Adumbrabant autem præcipuè tā agnus, quàm ceremoniæ ipsum Christum Dei agnum, qui mundi peccata abstulit. 1. Cor. 5. [Pascha nostrum (ait Apostolus) immolatus est Christus, itaque epulemur non in fermento malitiæ, & nequitiæ; sed in azymis synceritatis; & veritatis, &c.] En Paulus Christum appellat Pascha, id est, Paschalem agnum, non cum fermento, sed cum azymis comedendum. Idem ostendit Ioannes capite 19. Os (inquit) non confringetis ex eo, &c. id est, ex agno Paschali, quo præcepto significari affirmat, Christi cruci suffi-

1. Cor. 5.
Agnus Christum adumbrabat.

Ioan. 19.

Ceremoniarum significatio in Christo.

suffixi crura non fuisse confringenda. Paschalis agnus mactabatur in primo anni Hebræi mense, cum nostro Martio concurrente, Luna decimaquarta in ipso plenilunio. Eodem quoque tempore noster agnus Christus incruente quidem in cœna cruẽte autem in cruce immolatus est. Nẽpe primo anni Hebræi mense, Martio decimaquiuta die, siue Luna, in ipso plenilunio. Plenilunium, vt Rupertus Exod. lib. 2. ait, temporis indicabat illam plenitudinem, de qua Apostolus ad Gal. 4. loquitur dicens: [Vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum, &c.] Indicabat præterea plena Luna in morte agni Dei, Ecclesiæ plenitudinem Ecclesiã namque Christus sua morte, veluti Luna, gratia, donisque maximis compleuit Mensis Nisan temporis verni, agnus immolabatur; quoniam agni nostri Christi immolatio, sæuam, tenebrosamque peccati hyemem, mũdo expulit, vernumque gratiæ tempus attulit, iuxta illud, Cantic secundo, [Hyems transijt, imber abijt, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, &c.] Hoc verno anni tempore, Martio mense, & Luna decima quinta, à Messia Redemptore, Hebræis afferendam libertatem, antiqui Hebræi rectè existimarunt, vt scribit Masius Iosue 5. Addam (ait) vnum memorabile sanè, quod in Talmud scriptum reperi, vbi de anni principio disputatur, celebrem fuisse, & veterem opinionem apud priscos Iudæos, qui dies vertentis anni fuisset libertatis Aegyptiacæ initium Hebræis, eundem olim ipsis fore, initium quoque libertatis, quam essent a Messia recepturi, &c. Dies libertatis Aegyptiacæ, fuit quintadecima dies, siue Luna mensis Nisan: eadem dies fuit libertatis, non Hebræis solum, sed omnibus etiam nationibus per Messiam allatæ. Nam decima quinta die mensis Nisan, Agnus Dei in cruce immolatus, a teterrima seruitute peccati libertatem attulit ijs omnibus, qui eius fidem,

Ad Gal. 4.

Cant. 2.

Qui dies libertatis Aegyptiacæ fuerat, futurus erat quoq; libertatis a Messia accipienda secũdum Talm.

Libertatis Aegyptiacæ dies fuit 15 mensis Nisan.

Eugub.

A præceptaq; seruarint. Eugubinus quoque Exod. 12. In libris (inquit) Chabalæ sic est; In eodem die redimendus est Israel in diebus Messiæ; quẽadmodum redempti sunt eo die ex Aegypto. De quo scribitur: In diebus egressionis tuę ex Aegypto ostẽdam mirabilia. Hebræi agni sui sanguine postes, & superliminaria domorum tinxerunt, Exod. 12. vt ab Angeli Aegyptios percutientis gla- B dio liberarentur. Nos agni nostri sanguine animos nostros imbuimus, vt a terribili æterni iudicis romphæa, æternisque tartari cruciatibus eripiamur.

Qualis sell gebatur agnus, et eius significatio, quã etiã in coquendo et comedendo, obseruanda.

Erat agnus Hebræorum sine macula, masculus anniculus, quia nostrum agnum significabat omni carentem peccati macula, nihil fœmineum, nihil molle, aut delicatum, & imbecillum habentem, sed mascu- C lum fortitudine præcellentem. Assus edebatur, quia agnum illum amoris maximi adumbrabat, quo inflammatus noster agnus crucis tormenta perpessus est. Nihil crudum licebat ex agno edere; quia Christus non est crudus considerandus, sed amoris igne inflammatus. Etenim, qui Dei amorẽ summum erga genus humanum minimè considerarit, voluisse pro hominibus hominem fieri, a- D cerbissimosque cruciatus subire, sibi non persuadebit. Non erat fas ossa agni frangere, quia, vt Ioannes decimonono docet, Christi cruci suffixi crura non erant frangenda, latronum vero, fracta sunt, quia festinanter admodum Christum Iudæi vita priuarunt; noctu enim in horto illum comprehenderunt, hora sexta egerunt in crucem. Accincti, baculosque tenentes, ac calceati, E agno vescebantur, viatorum habitu: quia Iudæi, qui Christum occiderunt, ex Iudæa pellendi erant. Pulsos videmus, & peregrinorum instar toto vagantes orbe. Comedebant agnum cum lactucis amaris, & agrestibus; quia magnas illis amaritudines Christi attulit occisio,

vrbis, videlicet Ierusalem euersionem, populi interfectionem, exiliumque perpetuum. Si minor erat numerus hominum, ita vt sufficere non posset, ad edendum agnum, assumebantur vicini. Quia Iudæorum numerus minor erat, tantoque agno, id est, Christo comedendo, & colendo non erat satis, vocati sunt vicini Ethnici in Ecclesiam ad agni cœnam. Tantus autem agnus est, vt toti orbi sufficiat, ideo ex toto orbe vocantur ad hanc cœnam omnes nationes. De hac cœna illa extat parabula, Lucæ decimoquarto [Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos, &c.] Infinitis enim hominibus satiandis sufficit agnus. Agni mensa, augustissimam quoque Eucharistiam adumbrat. Quomodo adumbret, dicetur infra cum de Eucharistia agemus.

FINIS LIBRI PRIMI.

SEBASTIANI BARRADAS, E SOCIETATE IESV,

DOCTORIS THEOLOGI

Commentariorum in quatuor Euangelia, eorumque concordiam Euangelicam,

Liber Secundus.

CAPVT PRIMVM.

De ablutione pedum.

IOANNES CAPITE XIII.

ANte diem festum Paschæ, sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, cum diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotæ: sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit: surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteum

Digitized by Google

linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos, sed manus, & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus; & vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum. Propterea dixit: Non estis mundi omnes. Postquam ergo lauit pedes eorum, & accepit vestimenta sua: cum recubuisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis: sum etenim. Si ergo laui pedes vestros Dominus, & Magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen, amen dico vobis: Non est seruus maior domino suo: neque Apostolus maior est eo, qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. Non de omnibus vobis diio: ego scio, quos elegerim: sed vt adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum. Amodò dico vobis, priusquam fiat: vt cùm factum fuerit, credatis, quia ego sum. Amen, amen dico vobis: Qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.

Digitized by Google

POstquam Dominus cum Apostolis, stans Paschalem edit agnum, in mensa recubuit, cibosque alios sumpsit. Si autem placet magis discumbentem agnum edisse; post agnum, recumbens, cibos alios cepit. Alios enim cibos in cœna illa Paschali edere vetitum nō erat, imò solitum. Ad finem cœnæ, antequam Angelicam puritatem flagitans Eucharistiæ mysterium conficeret, surrexit, discipulorumque pedes lauit; quæ recepta est opinio. Nam Dominus propterea discipulorum lauit pedes, vt puritatem illam animi indicaret, quam postulat Eucharistia; ergo antequam Sacramentum institueret, Apostolisque daret, hoc puritatis signum exhibuit. Non defuit Osiander, qui existimaret pedes Apostolorum ablutos ante cœnam agni Paschalem, idque videtur aliquod habere veritatis vestigium ex consuetudine regionis, in qua cōuiuarum pedes ante cœnam abluere moris erat, iuxta illud Lucæ 7. Aquam pedibus meis non dedisti, &c. quem morem videtur seruasse Christus, atque adeo ante cœnam, agnique esum, pedes abluisse. Attamen refutant hanc sententiā verba Ioannis illa: [Cœna facta, surgit a cœna, &c.] Si a cœna surrexit, iam discumbebat, & cœnabat: non ergo ante cęnam exhibita est pedib aqua. Eandem refutat ratio lotionis. Cum enim animi puritatis ad Sacramentum suscipiendum necessariæ monumentum fuerit, nō ante cęnæ principium, sed ante Sacramenti institutionem exhiberi oportuit. Autor operis de ablutione pedum, quod Diuo Cypriano ascribitur, post admirabile Sacramentum Eucharistię institutum, a discipulisque acceptum, & post Iudæ etiam discessum, ablutos, eorum pedes arbitratur. Iam (inquit) Sacramenta distribuerat, iam Iudas exierat cum repente de mensa surgens linteo se præcinxit, &c. Confirmatur hæc opinio, quoniam Ioannes (ait) Dominum cœna facta pedes abluisse, hoc est, cœna absoluta. Sed refellitur, quia ablutio pedum signum fuit ablutionis, & puritatis eorum, qui Sacramentum accipiunt: ergo non fuit datum post Sacramentum, sed antequam institueretur. Quæ est prima, & recepta opinio. Verba illa Ioannis: [Cœna facta surgit, &c.] infra explicabimus, & ostendemus huic sententiæ non repugnare.

Augustissimā Eucharistiam præcessit pedum ablutio.

Osiander.

Osiandri sententia refellitur.

D. Cyprian.

Ante diem festum Paschæ.

TEmpus indicat Ioannes, quo Dominus discipulorum pedes lauit. Videntur verba ijs, quæ supra dicta sunt, refragari. Diximus Dominum decima quarta die mensis Nisan, post solis occasum edisse agnum, ipsa vespera, vel nocte, qua decima quinta dies mensis inchoabatur: vnde efficitur ipsa decima quinta die, quæ primus dies festus azymorum erat, cœnam peregisse Paschalem. At Ioannes indicat cœnasse ante diem festum Paschæ, id est, ante primum diem festum azymorum. In hæc verba Græci impegerunt, & in errorem inciderunt, aientes Dominum ante diem festum Paschæ cœnasse, decimatertia die mensis Nisan, vt diximus supra. Hinc illud Euthymij Matth. 26 Primum (inquit) diem azymorum dicunt Euangelistæ diem, qui Pascha præcedit decimum tertium, videlicet mensis, quintum hebdomadis: Vocantes hunc primum azymorum, quasi præcedentem ipsa Paschæ azyma: & huius sermonis manifestius testis est Ioāes, qui ait [Ante diem festum Pascæ] hunc ergo diē quem Matth. & Marcus primum azymorum vocauerunt, hic diē ante festū Paschæ nominauit: sic ille: Decipitur, vt constat ex dictis cap. 2. & 6. Nihil verba Ioan. fauent. Significant enim Christum lauisse pedes discipulorum feria 5. ante diem festū Paschæ,

An Christus cœnauerit ante festū Pascha.

Quid verba Ioan. hic significent.

Digitized by Google

schæ, hoc est ante feriam 6. quæ dies erat festus, & primus azymorum. Nō est autem locutus Ioannes de die festo Paschæ more Iudæorum, a prima vespera diem incipiens: sed de artificiali more gentium agens, a luce diē inchoauit, hoc sensu; antequam illucesceret dies festus Paschæ, id est, feria 6. lauit discipulorum pedes Christus, feria 5. post solis occasum.

Sciens Iesus, quia venit hora eius.

Præsciuit Christus passionis suæ tempus.

ANtequam de Christi summa humilitate, atque abiectione verba faciat Euangelista, summam sese humiliantis memorat celsitudinem. Ostendit in primis illius præscientiā, deinde amorem in suos, tertiò potentiam; & diuinitatem. Præscientiam significant hæc verba: [Sciens, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, &c.] Ostendit autem præscientiam mortis, vt intelligamus amoris fuisse mortem, ac voluntatis, non ignorantiæ, aut necessitatis, sponteq; non coactum ad crucem venisse Dominum, iuxta illud Isa. 53 [Oblatus est, quia ipse voluit] & illud Ierem. 12. [Dedi dilectam animam meam in manum inimicorum meorum, &c.] & D. Cyrillus Io. 13. Non ignoramus (inquit) non paruo fuisse studio Euangelistis omnibus, ostendere passionis tempus a Domino fuisse præcognitum, ne quis hæreticorū insurgat dicens, infirmitate sua traditum, & Iudæorum laqueis irretitum, crucis patibulum, non sponte sustinuisse, &c. In eundem modum ait Io. infra cap. 18. [Sciens Iesus omnia, quæ ventura erant super eū, &c. Nos mortis horam ignoramus: vnde Luc. 12. dicitur [Qua hora non putatis filius hominis veniet] & Matt. 25. [Vigilate, quia nescitis diem, neque horam, &c.] At Dominus præsciebat mortem, mortis horam, genus, tormenta, occisores, nihil illum ab æterno latebat. Scientiam namque habebat multiplicem, diuinam Dei, beatam hominis, infusam, experimentisque comparatam. Horam suam præuidit ab æterno scientia Dei: in tempore præuidit eandem scientia humana, beata, atque infusa. Rectè quidem cum scientia horæ, nomen coniungitur Iesus, quasi dicat Ionnes: Sciens Iesus, sciens Saluator, horam suam, nempe illam, quæ tanti nominis mensura impletura erat: tanti .n. nominis mensuram hæc impleuit hora, qua in cruce animam efflans, mundum seruauit. Hora Iesu, id est, Saluatoris dicitur hora mortis: meritò quidem, quia per mortem salutem mundo attulit [Sciens, quia venit hora eius.] Ioan. 8. [Nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius, &c.] Nondū venerat hora eius: quia ipse illam non attulerat, quia hostibus potestatem non dederat. Iam nunc venit, quia ipsam ipse attulit, quia hostibus potestatem occidendi dedit.

Christus crucifixus est, quia voluit. *Isa. 53.* *Ierem. 12.* *D. Cyrillus* *Ioan. 18.* *Luc. 12.* *Matth. 25.* *Præuidit horam mortis Dominus ab æterno.* *Ioan. 8.*

Vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.

ALludit Ioan. ad nomen Paschæ, quo vtitur. Significat hoc nomen transitum, vt supra diximus, ca. 14. Cum ergo ait [Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem] hoc dicit: Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus, quia venit hora sui transitus ad Patrem; Vel, Ante diē festū Paschæ sciens Iesus, quia venit hora sui Paschatis. Transierunt oli in Paschate suo, filij Israel ex Aegypto in terram promissam a Deo, Christus verò in Paschate suo, transiuit de hoc mundo ad Patrem. Adumbrabat Paschatis festum hunc Domini transitum, iuxta illud Exod. 12 [Est enim phase, id est, transitus Domini, &c.] Ideo in Paschate, & festo transitus, transire voluit ex mundo ad Patrem. Duplex dicitur transitus, alter legalis, alter Euangelicus. Vterque (ait Beda in Ioannem) sanguine consecratus est; ille agni Paschalis, iste eius, de quo dicit Apostolus; Pascha nostrum immolatus est Christus. In trāsitu legali

Pascha Christi, id est, trāsitus fuit mors. *Beda.* *Duplex trāsitus.*

Digitized by Google

gali occidebatur agnus, & transibat A de vita in mortem: in transitu Euangelico immolatus est Christus, & transijt a vita in mortem, & ex mundo ad Patrem.

Dubium est non leue loquaturne Euangelista de hora mortis Christi, an de hora ascensionis in cælum? Quod de hora ascensionis in cælum loquatur, suadetur: quia Christus nõ transijt ex hoc mundo ad Patrem in die mortis, sed in die ascensionis, vt B perspicuum est: ergo non de die, vel hora mortis, sed de die ascensionis verba hæc intelligenda sunt. Respondetur, intelligenda verba hæc, ita vt non solum mortis, sed resurrectionis, & ascensionis etiam tempus complectantur, hoc pacto [Sciens Iesus, quia venit hora eius, hoc est tempus eius (sumitur enim hora pro tempore) vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, moriendo, resurgendo, & C in cælum ascendendo. Mors initium fuit huius transitus, ascensio finis. Cum mortuus est, tunc cœpit ad Patrem transire, cum in cælum ascendit, tunc ad Patrem peruenit. Peruenit autem ad Patrem non secundum diuinitatem, est enim idem cum Patre, & Spiritu sancto Deus: sed secundum humanitatem. Nonne Christus in terris agens, etiam secundum humanitatem; cum Patre erat? Cur D ergo dicimus ad Patrem peruenisse, cum in cælum ascendit? id dicimus, quia tunc in cælum peruenit, velut in domum Dei peculiarem, & palatium summi Regis: & quia tunc ad dexteram Patris summa cum maiestate sedit. D. Cyrillus sic exponit; Sciēs (inquit) Iesus proxime iam tempus esse vt ad cælos transiret, &c. & Euthymius: Sciens (inquit) quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo E ad Patrem: Nam postquam mortuus est, ac resurrexit, in cælum migrauit, &c. Chrysostomus vero, & Theophylactus transitum aiunt appellari mortem.

An transitus ad Patrem fuerit in die ascensionis.

Secundum humanitatē Christus in ascensione peruenit ad Patrem.

D. Cirillus.

Euthimius

Cum dilexisset suos, qui erant in mundo.

PRæscientiam Domini ostendit Euangelista, nunc de amore agit, quo discipulos prosecutus est vsque in finem. [Cū dilexisset (inquit) suos. Græcè, ἰδίους, proprios: dilexerat .n. Apostolos ad illud vsq; tempus, multisque affecerat beneficijs Plena sunt amore hæc verba: cum dilexisset, nõ discipulos suos, sed suos, id est, Apostolos, quos suos, atque intimos amicos per vocationem ad Apostolatum fecerat, & per amorem. adde, si placet, & per prædestinationem, iuxta illud 2. Tim. 2. [Cognouit Dominus, qui sunt eius, &c.] Suos (inquit Chrysostomus) dicit Euangelista, secundum familiaritatis rationē, &c. Io. 1. sui dicuntur Iudæi. [In propria venit, & sui eum non receperunt, &c. Sed non dicuntur sui ab amore, sed, vt ait Chrysostom. ab opificio, quia Christus eorum opifex erat & creator. Dicuntur præterea sui a cognatione, a lege, & quia Iudæorum populus Christi populus erat. Apostoli nõ solum ab opificio, a cognatione, a lege, vel a populo sui appellantur, sed etiam ab amore, quo a Christo diligebantur, illumque inuicem diligebant. Amor enim maximè facit Dei hominem. Sunt improbi Dei, quia ab illo conditi; sed qui Deum amant, Dei sunt maxime, quia a Deo amantur, Deumque amant.

Addit Euangelista [qui erant in mundo] Christus suorū amator transibat ex mundo, iuxta illud [Sciens quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo Apostoli verò non trāsibant ex hoc mundo, sed manebant in hoc mundo: ideo ait: [Cum dilexisset sus, qui erāt in mūdo] & in ipso relinquendi erant: magistro optimo, suauissimoque parenti orbati. Chrysost. vult, additū [qui erant in mūdo] quia alios amicos habebat Dominus, qui nõ erant in mundo, sed apud inferos in limbo, nimirū Abrahamum, Isaacū, & cæteros Patriarchas, qui ex vita, mūdoq; hoc discesserāt. Sed verisimi-

Cur Apostoli dicantur Christi proprij.

2. Timot. 2.

Chrisost.

Apostoli in mundo manebāt Christus ex mūdo discedebat.

ſimilius eſt his verbis ſignificari Chriſtum ex mundo diſcedere, Apoſtolos in mundo relinquere.

D.Cyrillus. Diuus Cyrillus, [ſuos,] appellari putat, non ſolùm Apoſtolos, ſed reliquos etiam homines: ſimiliter Diuus Auguſtinus. Rupertus. Rupertus verò arbitratur ſuos, vocari prædeſtinatos, qui erant in mundo diſperſi. Caietanus quoque in ea eſt ſententia. Refutant has interpretationes verba illa: [Qui erant in mundo.] Non enim Chriſtus dilexit ſolum prædeſtinatos illos, vel homines, qui tunc erant in mundo: ſed eos etiam, qui tunc non erant in mundo, ſed vel in limbo, vel in purgatorio degebant, vel nondũ nati erãt.

In finem dilexit eos.

DIſcedebat Chriſtus ex mundo: ſuos verò relinquebat in mundo, conſpectu ſuo iucundiſſimo, & familiaritate priuatos. In diſceſſu amorem maximè indicare amici ſolent, quo flagrant verbis, factiſque. Sic Dominus tranſiturus ex mundo, eo in tranſitu, & diſceſſu, amorem ſuũ maximè patefecit erga illos, qui erant in mũdo, quoſque relinquebat in mundo, patefecit: inquã, amorem verbis factiſque. *Amorem ſuum Chriſtus in diſceſſu maximè patefecit.* Verbis, quia ſermonem habuit amore flagrãtem: factis, quia pedes illorum lauit, cæleſtem Euchariſtiæ panem, cæleſteque poculum præbuit: hoc ſignificant hæc verba: [Cũ dilexiſſet eatenus ſuos,] chariſſimos qui erant in mũdo, quoſque in mundo relinquebat, [dilexit in finem,] id eſt, vſque in finem. ſic vertit Iſidorus clariùs, & Vatablus vſque in finem, Euangelium quoque Syriacum ſic habet. Ianſenius, & Toletus, [in finem] vſque in finem ſignificare aiunt. *Pſal. 73.* Pſalm. ſeptuageſimotertio. [Leua manus tuas in ſuperbias eorum in finem,] id eſt, vſque in finem: Item; [Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio ſinu tuo, in finem?] id eſt, vſque in finem: Item; [Animas pauperum tuorum, ne obliuiſcaris in finem, id eſt, vſque in finem. Aliter, in finem. mortalis familiaritatis, & conuerſationis, quã cum ipſis habuit, dilexit eos amore quodam peculiari: oſtenditque illis amorem factis, pedes abluendo, Euchariſtiæq; ſtupendum Sacramentum præbendo: & verbis, dulciſſimo habito ſermone. *Chriſtus Apoſtolis amorem ſuũ factis oſtendit & verbis.* Hæc autem maximi amoris ſigna, in finem reſeruauit Dominus (ait Chryſoſtomus) *Chryſoſt.* vt diſcipulorũ in ſe charitatẽ augeret, animaretque, vt futura mala forti animo ſubirent. Hic ſenſus mihi veriſimilior eſt. Addã alios aliorum.

Particulam (in finem) Græcè, εἰς τέλος, Auguſt. interpretatur (in Chriſtum) *Auguſt.* quaſi diceret: dilexit eos in finẽ Chriſtus, id eſt, in ſeipſum, vt ad ipſum tanquam finem trãſirent ex hoc mundo. Finis enim legis Chriſtus, Rom 10. Addit alterã interpretationem, [in finem dilexit,] id eſt, in mortem, vſque ad mortem dilexit, in mortem illum dilectio perduxit: adeò dilexit, vt pro ipſis mori non dubitarit. Chryſoſtomus interpretatur, [in finẽ,] id eſt, ſemper dilexit. *Chryſoſt.* Item: Cum dilexiſſet (inquit) ſuos, in finem dilexit, nihil omiſit, quod vehementem amantem deceret, &c. Euthymius verò: [In finem] (inquit) [dilexit:] idem ſignificat, quod vehementer dilexit. *Euthym.* Theophylactus: In finem (inquit) dilexit, hoc eſt, perfectã erga illos charitatem declarauit. *Theophyl.* Similem in modum D.Cyrillus: Illud dicere (inquit) mihi *Cyrillus.* videtur Euangeliſta: Ante paſſionem cum ſciret Ieſus, proximè iam tẽpus eſſe, vt ad cælos trãſiret, perfectam erga ſuos dilectionem oſtendit, &c. Item: dilexit Chriſtus in finẽ: quia nõ ignorans quot, & quãta paſſurus eſſet, libenter propter nos cũcta ſuſcepit, &c. Rupertus: dilexit in finem, id *Rupertus.* eſt, dilectionem erga illos, eò vſque perfecit, vltra quod non poſſet augeri, videlicet vt animam ſuã poneret pro illis, &c. Caietan. Diligi, inquit, *Caietanus.* electos ad finem, eſt, per ſuum tranſitum, velle electis aſſecutionem finis. ſimiliter Carthuſianus Dionyſius, dilexit ſuos in finem, id eſt, in beatitudinẽ, quæ finis eſt hominis. *Carthuſianus.* Vera ſunt omnia hæc. Mihi placet primus ſenſus,

Digitized by Google

sus, reliquos non reijcio. Nam Euangelista certi diei meminit, Ante diẽ, inquit, festum Paschæ, id est, feria quinta, dilexit in finem; ergo de certo etiam amore agit eo die exardescente, certisque amoris signis eo die exhibitis, videlicet lotione pedũ, Eucharistia, & sermone. Est alia interpretatio ex Hebræo petita hoc pacto: dilexit eos in finem, id est, in victoriam. Nam Hebraicè, nesach, significat finem, & victoriam; in finẽ ergo dilexit, & in victoriam, quia Christi amor vicit omnes amores, omnia tormenta, ipsamque mortem crudelissimam. At verò D. Ioannes Græcè scripsit, non Hebraicè, vsusque est nomine Græco, quod victoriam non significat, non ergo vera est interpretatio. Similiter illa, [dilexit in finẽ,] id est, [in perpetuum, in æternum,] solida non est.

CAPVT II.

De ablutione pedum.

Cœna facta.

POstquam Ioannes Christi præscientiam memorauit, & amorem; nunc potentiæ mentionem facit, ac diuinæ celsitudinis, quæ eũ à pedũ ablutione reuocare posset. Ad finẽ ferè perducta erat cœna Paschalis in qua edebatur assus agnus, & post agnũ, alij cibi sumebantur. Cœna facta à mensa surrexit Dominus, vt discipulorum ablueret pedes. Cœnam verò ferè perfectã dico, quia post pedum ablutionem ad mensam reuersus est Dominus cum Apostolis, & aliquid sumpsere cibi. Nã Christus tunc buccellam Iudæ præbuit, qua sumpta ad exequendam proditionem discessit.

Qua dicatur cœna facta.

D. August. D. August. tract. 55. Non ita (inquit) debemus intelligere cœnam factam, velut iam consummatam, atque trãsactã; adhuc enim cœnabatur, cùm Dominus surrexit, & pedes lauit discipulis. Nam posteà recubuit, & buccellam suo traditori postea dedit, vtique cœna nondũ finita, hoc est, dum adhuc panis esset in mensa. Cœna ergo facta dictum est; iam parata & ad conuiuantium mensam, vsumq; perducta, &c. Adde, ita fuisse ad vsum cõuiuantium perductam, vt iam esset prope finem. Reuersus enim ad mensam est Dominus cum discipulis, præcipuè vt admirandum institueret Sacramentum. Attamen antequam institueret, commonefacere voluit Iudã traditionis, vt bonus pastor, ideoque aliquid cibi sumpsit, ante Sacramenti institutionem, interim dum ea perficit, quæ ad commonefactionem attinebant.

Cum diabolus iam misisset in cor.

CHristus in finem dilexit discipulos: miserrimus Iudas in finem dilexit pecuniam, pro qua magistrũ vendidit, huius autem venditionis velut proxeneta diabolus fuit. Idcircò ait Ioannes; Cum diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotæ filius. Iscariota cur dicatur Iudas eiusq; pater, diximus tom. 2. li. 6. c. 14. Vatablus Iscariotẽ dici putat, quasi Issachariotem, id est, ex tribu Issachar. In cor Iudæ misit diabolus, vt traderet Christũ, hoc est, misit traditionem Christi, misit cogitationẽ, siue suggestionem traditionis; misit quoque pecuniæ desiderium, quo in proditionẽ ductus est. August. Missio (inquit) ista spiritalis suggestio est, non fit per aurem, sed per cogitationem, &c. De hac Dæmonis suggestione, & quomodo dicatur à Luca in Iudam intrasse Satanas, diximus suprà capite 9. & de venditione. Existimat Diuus Chrysostomus Iudam cognouisse Christum esse Deum, videturque sic interpretari verba Euangelistæ; [Cùm diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotæ, sciens (scilicet ipse Iudas) quia omnia dedit ei Pater in manus,

Iscariotes vnde dicatur.

Chrysost. An Iudas cognouerit Christũ esse Deum?

&

& quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, &c.] Sed verisimilius est Iudam non credidisse Christum esse Deum, putasseq; proditionem suam illam latere. Itaq; vt August. arbitratur, non credebat Iudas Christum esse Deum, qui omnia haberet explorata, suum facinus ignorari putabat, opportunitatem traditioni quærebat, ideo ad cœnam venit, vt traditor, insidiator, & explorator. Augustin. tract. 55. Factum (inquit) iam fuerat in corde Iudæ per immissionem diabolicam, vt traderet discipulus Magistrum, sed quem non didicerat Deum. Iam talis venerat ad conuiuiũ explorator pastoris, insidiator Saluatoris, venditor Redemptoris, iam talis venerat, & se ignorari arbitrabatur &c. Arbitrabatur se ignorari, sed non ignorabatur ab eo, cui cor illius, intimæq; cogitationes patebant omnes liberauit illum hoc errore cum sceleris patrati commonefecit.

August.

Putabat Iudas peccatũ suum Christo incognitum.

Eximia sanè fuit cęna illa, eximiũ fuit conuiuium; sed in eo (quod est apud Iob cap. 1.) [adfuit Satan inter filios Dei, id est, Iudas, de quo Christus ait Io. 6. [vnus ex vobis diabolus est.] Habitabit lupus cum agno, ait Isai. cap. 11. Equidem in hac domo habitabat lupus Iudas cũ agno Christo, imò lupus, & agnus pascebantur simul in eadem mensa. Lupus in eodem catino cum agno manum immittebat, iuxta illud Matth. 26. [Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. At lupus veniebat in vestimento ouis, iuxta illud Matt. 6. [Qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autẽ sunt lupi rapaces, &c.] putabat ipse lupus rapax sub ouis, id est, Apostoli, quod gerebat vestimento, latere lupum; sed patere sibi Dominus indicauit, vt infra videbimus. Heu quantũ distat Iudas hic ab illo huius nominis principe, de quo dicitur Genes. 49. [Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo. Nõ auferetur sceptrum de Iuda, &c. Iudã illum primo fratres laudarunt, hunc omnes vituperant nationes: illius manus in ceruicibus fuere inimicorum; in ceruice huius manus fuere inimici Satanæ, a quo victus, & sub iugũ missus est: adorarunt illum filij patris, hunc detestantur omnes filij Ecclesię matris; Ille catulus fuit leonis, hic catulus fuit lupi; ille ad prædam ascendit hostium, hic ad prædam descendit triginta argenteorum; ille requiescens accubuit vt leo, hic laqueo Satanæ captus, ac suffocatus perijt vt lupus: ab illo non est ablatũ sceptrũ; ab hoc ablatus est sanctissimus Episcopatus, iuxta illud Ps. 108. [Episcopatum eius accipiat alter.] Ille Iudæ nomen nobilitauit, hic macula conspurcauit nunquam delenda, sicq; illud turpissima proditione inquinauit vt nullus inter Christianos sit, qui Iudæ nomine appellari velit, cum tamẽ Apostolum habeamus sanctissimum hoc dictum nomine Iudã Thaddeũ. plus valuit ad inquinandum nomen, proditoris Iudæ horrenda proditio, quam ad abluendum Apostoli inclyti Iudæ Thaddæi sanctimonia.

Iob 1.

Ioan. 6.

Isai. 11.

Matth. 26.

Matt. 7.

Gen. 49.

Iudas confertur cũ Iuda Patriarcha.

Ps. 108.

Quæres cur Ioannes de pedũ ablutione acturus proditionis Iudę meminerit, dicens: [Cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas. Respondet D. Aug. tract. 55. Ad hoc (inquit) pertinet, quod de traditore, qui iam talis venerat, qui neq; ab illo ignorabatur, proloqui voluit, vt hoc quoq; ad maximum cumulum humilitatis accederet, quod etiam illi nõ dedignatus est pedes lauare, cuius manus iã præuidebat in scelere, &c. Et Chrysost. Hoc (inquit) perterritus addit Euangelista, quod Iudam, qui se iam tradere proposuerat Christus lauerit, &c. Euthymius; hoc (inquit) interposuit Euangelista, cum stupore, admirans excellentem Christi clementiam, quia huius etiam pedes lauit, qui in proximo erat eum traditurus, &c. Adde Euangelistam hoc loco traditorem indicare voluisse, quia postea de illo agit, cum passionem Domini literis commendat.

August.

Chrisost.

Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.

Christi maiestatem patefacit Ioãnes.

ANtequam ad Christi summam humilitatem, & vsque ad pedes discipulorum prostrationem descendat Ioannes, ad summam eiusdẽ maiestatem potentiamque ascendit. *August.* Augustinus tract. 55. Locuturus (inquit) Euangelista de tanta Domini hu militate, priùs celsitudinem eius voluit commendare, &c. Idem docet *Euthimius.* Diuus Cyrillus, & Euthymius: Sciẽs (inquit) se ipsum omnipotentem, ac Dei filium, licèt tantæ esset potestatis, talisque dignitatis, ad extremam tamen descendit humilitatem, &c. *Philip. 2.* simile est illud Pauli ad Phil. 2. [Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, &c.] & illud Domini hoc *Ioan. 13.* cap. Ioan. 13. [Laui pedes vestros Dominus, & magister, &c.] Volat aquila, & ad supremam Christi potentiam, & diuinitatem volatum attollit, dicens: [Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, surgit à cœna, &c.] hoc est, non ignorabat Dominus quisnam ipse esset; nouerat egregiè filium Dei se esse, omnium rerum Dominum. Nihilominùs à tanta illum abiectione, tanta sublimitas non reuocauit.

Chrysost. Chrysostomus: Traditionem (inquit) hoc in loco fidelium salutem appellari mihi videtur, &c. & *Theophyl.* Theophylactus: Sciens (ait) quòd omnia tradidisset ei in manus Pater, hoc est quòd concredidisset ei salutem fidelium; & debeat nunc omnia monstrare eis, quæ ad salutem eorum pertineant, cœpit lauare pedes, &c. est sensus Chrysostomi, sciens quia dedit ei Pater in manus homines, vt eos *Via tradita in manus Christi: Cyrillus.* seruaret. Non tamen homines solùm, sed omnia creata ei Pater dedit in manus, ideò rectiùs Cyrillus sic interpretatur: Quamuis (inquit) non ignorauerit omnium se rerum habe- A re potestatem, &c. Ita etiam alij exponunt, & Diuus Augustinus ex his verbis; [Omnia dedit ei Pater in manus; infert; ergo, & ipsum traditorẽ. Proinde (inquit) iam traditor traditus erat ei, quẽ tradere cupiebat, &c. *Traditor traditus in manus Christi.* traditus erat traditor in manus Christi, traditi quoque ipsi Iudæi omnes, qui tradere illum morti moliebãtur: sed mitissimæ illæ manus, traditi sibi B traditoris pedes abluerunt, & Iudæorum vinculis constringendas, clauisque configendas se obtulerunt. Hæc autem verba: [Omnia dedit ei Pater in manus:] secundum vtramque naturam vera sunt; secundùm diuinam naturam per æternam generationẽ, dedit Pater omnium rerũ imperium Christo; secundum humanam per *Chrysost.* Incarnationẽ tradidit. D. Chrysostomus videtur participium illud (sciẽs) C ad Iudam referre, hoc sensu; sciens Iudas, quia Pater omnia tradidit Christo, &c. ita enim scribit: ostendit Euangelista maximam Iudæ malitiam, quòd ne mensæ quidem communicatio eum cohibuit, vt maximè solet; cùm ad vltimum vsque diem eum magistrum habuerit, sciretque omnia ei tradita à Patre, & quòd à Deo venisset; & ad Deum iret, &c. D Sed perspicuũ est participium, sciẽs, ad Christum, non ad Iudam esse referendum.

Et quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit.

A Deo Christus exiuit.

EXiuit à Patre Christus, quia à Deo genitus in mundum venit per Incarnationem; abijt ad Patrem E in cęlum per Ascensionem. Non tamen ita à Patre exiuit, vt à Patre discederet; semper enim in Patre mansit. *August.* Sciens (ait Augustinus) [quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit:] nec Deum cùm inde exiret, nec nos deserens, cùm rediret, &c. *Beda.* Beda tom. 7. homil. 40. Sciebat (inquit) quia per humilitatẽ Incarnationis à Deo exiuit; & per victoriam resurrectionis ad Deum erat rediturus. Nec Deum dese-

tized by Google

deferens cùm inde exiret, nec nos deserens cùm rediret, &c. D. Cyrillus sic interpretatur; à Deo exiuit, id est, à substantia Dei Patris emanauit; ita etiam Theophylactus. Itaque sciens Christus se omnium rerum esse Dominum, sciens etiam se à Patre missum, ad Patrem iam ex mundo hoc in cælum discedere; voluit antequã discederet, in hac cœna extrema, stupendum humilitatis exemplum discipulis exhibere; & quamuis esset Dominus cui omnia dedit Pater in manus, voluit veluti seruus discipulorum pedes abluere. Ioan. 13. [Laui (inquit) pedes vestros Dominus, & magister, &c.] Beda homil. 40. Non Dei (inquit) Domini, sed hominis serui implens officium, lauit discipulorum pedes, &c. Adde & alium sensum: [Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus;] & inter omnia dedit erudiendos discipulos, ac futuros Christianos; & sciens, quia à Deo exiuit, & missus est in mundum, & quia iam discedit ex mundo ad Patrem regnaturus in cælo; voluit antequam abiret, in extremo hoc vitæ mortalis actu, exemplum humilitatis admirandum sibi traditis discipulis, & Christianis tradere.

Cyrillus. *Theophyl.* *Christi humilitas.* *Beda.* *Exemplum Christi.*

Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua.

SCiens (inquit) se Deum, rerumque omnium Dominum, à cœna surrexit, volens discipulorum pedes abluere. Surrexit autem à cœna, quia discumbebat, vt suprà est explicatũ. Posuit vestimenta sua vt expeditior ad abluendum esset; linteo supra cinxit, quo pedes iam ablutos extergeret, misitque calidam aquam in peluim, & ad pedes discipuli illius duxit quem primum lauit. Cœnatoria veste indutum cœnasse nonnullorum est opinio, sed quæ ex hoc loco refellitur. Nam constat vestimentis suis amictum Dominum cœnasse, eaque vt pedes lauaret discipulorum posuisse, non verò vestem cœnatoriam.

An Christus vsus sit veste cœnatoria.

A Origenes videtur existimasse nudũ, soloque linteo præcinctum, officio hoc functum, nisi mysticè, vt solet, loquitur: Cùm accepisset (inquit) Dominus linteum, præcinxit se, ne omni ex parte nudus etiam cùm abluisset pedes discipulorum, eos aptiore textura detegeret, &c. Confirmatur opinio; quoniam Dominus non solùm vnum vestimentum posuit, sed plura. Atqui duo tantùm vestimenta habebat, B videlicet tunicam, & pallium; ergo vtrumque posuit, & ne nudus remaneret linteo se succinxit. Quòd autem duo tantùm habuerit vestimenta, probatur; quia Apostolis vnam tantum concessit tunicam; Lucæ 9. [Neque duas tunicas habeatis, &c.] Ergo vnam tantum ipse quoque habuit, prætereà pallium: nullam igitur retinuit vestem. Dices; retinuit vestem cœnatoriam. id verò C dici non potest. Non enim in mensa recubuit veste cœnatoria amictus, & tunica simul atque pallio. Quid autem mirum si antequam nudus flagellaretur, & cruci suffigeretur, voluit veluti præludium quoddam, in cœna hanc nuditatem abiectissimo seruo congruam exhibere? Nonnulli, vt Euthymius ait, Matth. 26 quinque vestimenta Christum habuisse putarunt. id si verum esset, potuit po D nere vestimenta aliqua, alia retinere. Sed non est hæc opinio probabilis. Probabilius conijcit Euthymius, tria tantùm habuisse, primum tunicã inconsutilem corpori applicatam in modum subuculæ, secundum quo super hanc vestiebatur, tertium palliũ. Respondemus, ergo non nudum, soloque linteo tectum lauisse pedes, sed posuisse vestimenta, id est, pallium, & tunicam superiorem, retinuisse ve E rò tunicam incõsutilem præcinctam linteo. Neque verò duas tunicas habuit superiores, sed vnam tãtum sub qua vice subuculæ inconsutili tunica vtebatur. Aliter respondetur, numerum multitudinis, pro singulari vsurpari, vestimenta, pro vestimẽto vno, id est, pallio; ponit vestimenta sua id est, pallium suum.

Origenes. *Quæ nã vestimenta posuerit Christus.* *Lucæ 9.* *Quot vestimenta habuerit Dominus.* *Euthimius.* *Quæ vestimenta in lotione pedum Christus posuerit.*

Digitized by Google

CAPVT III.

De lotione pedum.

Cœpit lauare pedes discipulorum.

QVæstio exoritur à quonam discipulo cœperit Dominus? Respõdet Origenes in Ioannem, instar medici ab eo cœpisse, qui ęgrotabat grauius, & medicina magis indigebat. Quemadmodũ (inquit) medicus ab ijs, qui grauiùs ægrotant, exordium curandi ducit; ita Dominus ab eis, qui magis inquinati erant, cępit. Ac fortasse postremò ad Petrum venit, vt cuius pedes minùs lauationem desiderarent, &c. Item: Omnes discipuli pedes porrexerunt. Petrus pedes non exhibuit; hæc ille. Ambrosius quoq; lib. 3. de Sacramentis c. 1. ait omnes ante Petrum esse ablutos. Idẽ Origenes arbitratur, Dominum Iudę pedes non lauisse; Hoc (inquit) dicere non dubitabo, vt consentaneũ his verbis; [Si non lauero te, nõ habebis partem mecum:] Christũ non abluisse pedes Iudæ, cui iam diabolus persuasisset, vt magistrum proderet, &c. In eadem sententia est Cyprianus in tract. de ablutione pedum: Iam (inquit) Sacramenta distribuerat, iam Iudas exierat, cùm de mẽsa surgens linteo se præcinxit, &c. Chrysostomus verò opinatur, à Iuda cœpisse Dominum, Euthymius quoque, & Theophylactus, Chrysostomi sectatores. Ait autẽ Chrysostomus credibile esse, Iudam ante Petrum Apostolorum principem discubuisse impudenter: ideoque priùs lotum. Alias causas reddit Euthymius: Apparet (inquit) quòd primum lauerit pedes Iscariotæ, simul quidem beneficio afficiens,

A quo discipulo incęperit Dominus Origenes.

D. Ambros.

Cyprianus.

Chrysost.

Euthym.

A ac honorãs proditorem suum vsque ad mortem; vt & nos similiter faciamus. simul etiam compungi volens illum, qui talia cogitaret, &c. Probatur opinio ex verbis Euangelistæ, qui postquã dixit, [Cœpit lauare pedes discip.] addit: [Venit ergo ad Simonem Petrum.] Ergo prius aliquem alium abluerat, & ab alio cœperat, deinde venit ad Petrum. Verbum, [cœpit, (ait Chrysost.) alium antè lauasse, significat, &c. Is autẽ Iudas B videtur; si enim ex reliquis fuisset aliquis, idẽ quod Petrus fecisset: Iudas verò pedes obtulit pro sua impudẽtia, nihilque recusauit. Theophylactus: Ex alijs (inquit) discipulis nullus sustinuisset ante Petrum lauari; proditorem autem hoc ausum fuisse possibile est. Nam si ab alijs discipulis cœpisset lauare quempiam, prohibuisset Dominum ille quisquis fuisset, & di-C xisset, quæ & Petrus [Domine tu mihi lauas pedes, & non permisisset. Non igitur alium lauit priusquã proditorem, & deinde Petrum, &c.

Iudam ante omnes lauisse dicitur Dominus.

Theophyl.

Respondemus quæstioni Dominũ à Petro cœpisse, non à Iuda. Rationi enim consentaneum videtur, à principe cœpisse Apostolorum. Prętereà sic opinio confirmatur: Nullus prius quàm Petrus est ablutus; ergo primus fuit Petrus. Etenim, vt Theophyla-D ctus suprà ait, si quis alius fuisset prior, lauari recusasset, & à Domino compulsus paruisset, quod intuens Petrus, lotioni adeò acriter non obstitisset. Addo non ablutum prius ipsum proditorem. Non enim humanũ amiserat sensum, hypocrita erat, proditionem suam tectam esse volebat; ideoq; maximè lauari recusasset, idque fecisset, quod hypocrisis, & E proditionis velamentum postulabat. Quemadmodum in horto hypocrita magistrum est osculatus; ita in cœna si primus fuisset, lauacrum sub larua hypocrisis refugisset. Petrum autem ante omnes lotum, sententia est Augustini tract. 56. in Ioan. Bedæ, Ruperti, Lyrani, Simonis Cassiani, Carthusiani Caiet. ansenij, & aliorum. Verbum (cœpit,) non aduersatur, est hic sen-

Autoris sententia.

A Petro cœpit Dominus.

sensus: [Cępit lauare pedes discipulorum, venit ergo ad Simonem Petrum;] hoc est, Cum cępisset abluere pedes, venit primò ad Petrũ, peluim primò ad pedes applicuit primi inter Apostolos. Primò factum commemorat Euang. deinde facti ordinem. Augustin. tract. 56. Non ita (inquit) intelligendum est, quòd post aliquos ad Petrum venerit, sed quòd ab illo cęperit. Quando ergo pedes discipulorum Christus lauare cępit, venit ad eum à quo cępit, id est, ad Petrum, & tunc Petrus quod etiam quilibet illorum expauisset, expauit, & ait: Tu mihi lauas pedes? &c.

August.

Domine, tu mihi lauas pedes.

EXpauit Petrus cùm prostratũ ad pedes suos Dominũ vidit; ablui renuebat, indignum tanto magistro ratus, tam vile vilis mancipij obsequium. exclamat obstupefactus: [Domine tu mihi lauas pedes? Autor sermonum ad frat. in eremo serm. 28. Petrus (inquit) videns diuinitatem incarnatam, ante se incuruari expauit, exhorruit, & per cęnaculũ velut insensatus cucurrit, & exclamauit; [Nõ lauabis mihi pedes in æternũ,] &c. Magnus Baptista Matth. 3. Christi agnoscens præcellentiam, baptizare illũ non audebat, prohibebatq; dicens: [Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me?] Mater Baptistæ Elisabetha Deiparæ Virginis in visitatione indignam se reputans, in illa prorupit verba; [Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?] Centurio Christum domum suã petere animaduertẽs; [Domine (inquit) non sum dignus vt intres sub tectum meum.] Petrus ipse Luc. 5. Piscium multitudinem captam cernens; stupens, ait, [Exi à me Domine, quia homo peccator sum,] &c. Sed vincit hoc spectaculũ cætera, ideò Petrus exclamat: [Domine tu mihi lauas pedes?] tu mihi. Qui expendere fando queat hoc, [Tu,] & hoc, [Mihi?] Augustin. Quid (inquit) est, [Tu?] Quid est, [Mihi?] cogitanda sunt potius, quàm dicenda. Ne fortè quod ex his verbis aliquatenus dignum concipit animus, non explicet lingua, &c.

Petrus. *Expauescit.* *Matth. 3.* *August.*

Quod ego facio, tu nescis modò.

PEtro renuẽti respõdit Dominus; Petre parere quod facio, cur faciam, ignoras; posteà indicabo causam. Quæritur, quando indicarit Dominus causam cur pedes Apostolorum abluit? Respondetur, indicasse causam vna postquàm recubuit; [Si ego laui pedes vestros Dominus, & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes,] &c. sic Cyrillus. Christus (inquit) rei vtilitatẽ paulò post expositurum se pollicetur, &c. August. quoque tract. 58. Chrysostomus ait indicatam causam post ascẽsionem in cęlum à Spiritu sancto; Cum in nomine (inquit) meo Dæmonia eijcies, cum in cælum me assumi aspicies, cum à Spiritu intelliges me ad Patris dexteram sedere, tunc cognosces cur hoc faciam, &c. Euthymius vtranque interpretationem cõplectitur, Theophylactus quoque. vtraque vera est. Etenim & in cæna causam Dominus aperuit cur pedes abluit, & postea alias causas docuit Spiritus sanctus.

Causã ablutionis pedũ aperuit Dominus. *D. Cirillus.* *D. Chrisost.*

Non lauabis mihi pedes in ęternum.

EXimia veneratione Petrus Dominum prosequebatur, illius abiectionem, quem summopere venerabatur, ferre non poterat. Non enim ex pertinacia, sed ex amore, ac reuerentia lauari recusauit. Diuus Cyrillus; Tantæ (inquit) humilitatis exemplum ex reuerentia magistri recusat Petrus. Considerabat enim quis ipse natura esset, & quis peluim offerebat loturus pedes, mirabilis quippe, honorisque plena res erat. Quis enim non perhorruisset, cum Dominum omnium huiusmodi minite-

Cyrillus. *Cur Petrus ablui recusarit.*

Digitized by Google

ministerium discipulis exhibere videret? Iure igitur tantæ rei pondus Petrus pertimuit, & solitæ sibi vsus reuerentiæ fructu recusauit, &c. Diuus Chrysostomus propter dilectioné recusasse ait; Diuus verò Augustinus; Dominici (inquit) facti altitudine exterritus Petrus, fieri non permittit, quod cur fieret ignorabat, &c. Peluis illa profundum Petro videbatur pelagus. Pelagi refugiebat profunditatem, Oceani illius altitudine exterritus, vt ait Augustinus respondit, [Non lauabis mihi pedes in æternum;] id est, nunquam pedes mihi seruo, tu Dominus lauabis. Asseuerabat autem (ait Euthymius) honorans illum, ac venerans, &c. Dixerat Dominus cur hoc faciam, nescis modò, posteà scies. Potuisset Petrus rogare, vt causam cur id faceret, aperiret; sed nô curat causam feruor pectoris, in negationé prosilit: [Non lauabis,] inquit. Sed amoris fuit hæc negatio; altera posteà fuit timoris.

August.

Euthimius.

Si non lauero te, non habebis partem mecum.

Quid sit, non habere partem cũ Christo.

ACri comminatione vtitur Dominus, vt acrem Petri animum deterreat à sententia. Pęnã minatur illi maximè horribilem, à quo mirãdum in modũ, & diligebatur, & colebatur; [Si non lauero te, non habebis partem mecum,] expellam te à meo cõsortio, non eris mihi socius, ac discipulus; non habebis mecum partem aliquam familiaritatis, aut consortij, totum me tibi negabo, iuxta illud, 3. Reg. 12. [Quæ nobis pars in Dauid?] &c. Vel; Nõ habebis mecum partem in regno cęlorum; excluderis ab æterna beatitudine. Cur Dominus non aperuit Petro causam cur pedes ablueret, sed in finem ablutionis distulit, grauique hac comminatione vsus est? Respondet Chrysostomus; Quia non acquieuisset. Nam (inquit) si dixisset Dominus, sine te lauem, vt vos humilitatis admoneam: asseruisset se sine vllo

3. Reg. 12.

D. Chrisost.

exemplo admonitum; sed nimis perterritus continuò paret, &c. Diuus Ambrosius lib. de initiandis cap. 6. videtur sentire, Petrum si causam habuisset compertam, non fuisse recusaturum ablutionem; Petrus (inquit) non aduertit mysterium, & ideò recusauit Domini ministerium, quòd grauari humilitatem serui crederet, si sibi obsequium Domini patienter admitteret, &c. Nunquid mortiferũ crimen erat, pedes abluendos Christo non præbere, tamque graui pœna dignum? Respondeo, nullum fuisse crimen, imò magni amoris, ac reuerentiæ opus, pedes abluendos tanto Domino denegare ante comminationem. Post comminationem autem, & Christi iussum, vt pęna proposita patefacit, mortifera fuisset inobedientia. Basilius in regul. breuior. respons 233. Petrus (inquit) vbi vna tantum in re ab obedientia visus est discedere, atque hoc ipsum, non ex superbia, negligentiave, sed ex reuerentia, honoreque aduersus Dominum suum; propter hoc ipsum tantum ei dicitur, [Nisi lauero te, non habebis partem mecum, &c.

D. Ambro.

Signum reuerentiæ & amoris fuit cum Petrus lauari à Christo recusauit.

B. Basilius.

Illud, [Non habebis partem mecum: Toletus, & Palatios, ad Eucharistiam referunt. non sine probabilitate; hoc sensu, Si non lauero te, non habebis partem mecum in Eucharistiæ Sacramento ac sacrificio. Indicabat enim Dominus illa corporali pedum ablutione, puritatem, quæ suscipienti tantum Sacramẽtum necessaria est. Caietanus, quem sequitur Iansenius, arbitratur, Christum non loqui de ablutione externa in hac comminatione, sed de interna. A corporali enim ablutione, vt vult, ad spiritalem transit quemadmodum in colloquio, quod cum Samaritana habuit, ab aqua corporali sermonem transtulit ad spiritalé. Sensus est: Si non lauero animum tuum, non habebis partem mecum. At Petrus animum habebat lotum, omnique mortifero carebat crimine; ergo etiam si spiritaliter à Christo noua gratia, vel peccati

Toleti sententia.

Caietanus interpretatio.

cati

Digitized by Google

cati remissione non ablueretur, haret cum Christo partem. Responderi potest, sensum esse; Si non lauero te meo sanguine, si non moriar pro te, non habebis partem mecum: sit sensus mysticus. Iustinianus libro de Triumph. agone cap. 3. de Baptismo interpretatur hoc modo; Si non lauero te per regenerationis lauacrum, si te per gratiam, quam præfigurat aqua hæc, ab originali, exitiali, seu veniali peccato, non emundauero, non habebis partem mecum, &c. Verùm si de persona Petri loquamur, falsa est interpretatio; iam enim Baptismi aqua erat ablutus, originali, mortiferòque peccato carebat, venialia solum habebat delicta: si mysticè dicamus Petrum Ecclesiæ summum Pontificum Ecclesiam repræsentasse, vera erit; Si non lauero te, id est, Ecclesiam, quam repræsentas, non habebis partem mecum.

Iustiniani opinio.

Mystica explicatio.

Non tantum pedes meos, sed & manus.

GRaui territus comminatione Petrus obtemperat Domino, separationem horret à summo suo bono Christo; ex eodem manant fonte tã recusatio, quam obtemperatio: videlicet vtriusque fons est amor. Vnde Chrisostomus: In recusando (inquit) vehemens Petrus, & in permittendo vehementior; vtrumque ex amore, &c. Egregiè Euthymius: Cũ præ nimio (inquit) amore repugnaret Petrus, ex hoc amore illi persuadet Christus; comminatus namque excisionem, protinus eum inclinauit, facitque vt ille amplius petat, quam prius ab eo petebatur, & tantum se offerat ad id ministerium perferendum, quantum prius ad repugnandum? imo etiam amplius; [Non tantum] (inquit) [pedes, sed & manus, & caput.] Ita nimia dilectione, & primum obsistebat, & postmodũ concedebat; sic ille. D. vero Ambrosius lib. 3. de Sacramentis ca. 1. Quod se (inquit) excusauit Petrus, humilitatis fuit; quod posteà se obtulit, deuotionis, & fidei, &cęt. lege Cassian. coll. 17. cap. 9. obserua impetum Petri, ac ardorem in loquendo; [Non lauabis] (inquit) [mihi pedes in æternum;] cum impetu, & ardore refugit lauari. Rursus cum impetu, atq; ardore, lauari postulat non solum pedes, sed & manus, & caput.

Chrysost. *Vnde sit orta Petri recusatio.* *[Eu]thimius.* *Ambrosius.* *Quod Petrus recusarit, humilitatis fuit, quod se obtulerit, deuotionis.* *Petri ardor.*

Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet.

PRimus sensus horũ verborum ex more sumitur abluendi pedes ante cœnam; solebant enim prisci illi homines ante accubitum pedes lauare, vt iam dictum. Offerebat Petrus abluendos pedes, manus, & caput. Respondet Dominus: Qui lotus est, & mundus toto corpore antequam mensæ accumbat, non indiget nisi vt pedes pro more lauet, etiam si sint mundi. Erat namque in more posita pedum ante mensam ablutio, hospitalitatis, & amoris gratia, & oblectationis, etiam si mundi essent pedes; non autẽ ablutio capitis, vel manuũ. Manus abluebat, is qui sumebat cibum, pedes illi alius. Secundus sensus Euthymij est: Qui lotus (inquit) est, non indiget lauari nisi solos pedes, quibus calcando lauacrum egreditur; sed est mundus totus, vtpote iam lotus, &c. Erant Apostoli loti. Ait ergo Dominus; qui lotus est, mundus est totus, non indiget nisi vt pedes lauet, quibus terram post lotionem calcauit. Non est igitur opus manus, & caput offerre abluenda. Sed obijcitur, eos qui ex balneo egrediuntur, soleas, vel calceos sumere, neque pedes inquinare calcata terra.

Ablutio pedum ante accubitum.

Verba illa, [Sed est mũdus totus,] dubium pariunt; si pedum ablutione indiget, quomodo totus mundus est? Respondetur primo, esse mundum totum etiam secundum pedes; tamen indigere ablutione pedum, pro more regionis, causa recreationis.

Quõ est mũdus totus ille, qui indiget ablutione pedum.

Secundò

Secundò respondetur, esse mundũ totum præter pedes, qui pro nihilo ducuntur, cum reliquo collati corpore; sic Augustinus interpretatur, Est(inquit)mundus totus vtique præter pedes, vel nisi pedes, quos habet opus lauare, &c. Caietanus exponit, totus mundus est, postquàm pedes lauit: sed Christus perspicuè de homine loquitur antequam abluat pedes.

Caiet.

Tertius sensus est eiusdem Augustini, de spiritali illa ablutione, idest, de Baptismo hunc locum interpretatur; Qui lotus est, hoc est, qui Baptizatus est, & à peccatis expurgatus, non indiget, nisi vt pedes, id est, affectus lauet, quibus terram tangit, & peccata contrahit. Homo(ait Augustinus) in Baptismo totus abluitur, non præter pedes, sed totus omnino. Veruntamen cùm in rebus humanis postea viuitur, vtique calcatur. Ipsi igitur humani affectus, sine quibus in hac mortalitate non viuitur, quasi pedes sunt, vbi ex humanis rebus afficimur: & sic afficimur, vt si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos decipiamus: hæc ille. Beda verò hom. 40. tomo 7. Manifestè(inquit)indicat Dominus, quod lauatio pedum remissionem peccatorum designaret, non tamen eam quæ semel in Baptismate datur, sed illam potius qua quotidiani reatus mundantur, &c. Diuus Bernardus sermon. in cœna Domini: Lotus (inquit) est, qui grauia peccata non habet, cuius caput, id est, intentio, & manus, id est, operatio munda est: sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc puluere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, &c. Auctor antiquus sub nomine Cypriani in tract. de lotione pedum, de Baptismo etiam interpretatur verba hæc: Qui lotus est, i. qui baptizatus est: lotione vera pedum existimat pœnitentiam indicari: quoniam enim prima ablutio, id est, Baptismus, non potest iterari, datum est pœnitentię Sacramentum iterabile, quo lauentur pedes, i. conuersatio hominis terram perambulantis. Ait ergo Dominus, Qui lotus est, id est, baptizatus, est mundus totus per Baptismum. Neque verò potest iterum lauari siue baptizari. Nõ indiget ergo baptizari, sed indiget, vt pedes terram calcantes, sordesque contrahentes lauet lacrymarum aqua, & pœnitentia. De Baptismo etiam exponit Diuus Gregorius libro 9. epistola 38. & his verbis probat omnia peccata Baptismi vndis demergi. Si peccata(inquit)in Baptismo funditus minimè dimittuntur, quomodo is, qui lotus est, mundus est totus? &c. legendus sermo Diui Bernardi in cæna Domini.

August. *Baptism.* *Affectus animi pedes sũt sordes cõtrahunt ex terra.* *Beda.* *D.Bernard.* *D.Ciprian.* *Pœnitentia est ablutio.* *D.Gregor.*

Existimo Christum ad spiritalem lotionem sermonem conuertisse, vt Iudam non esse lotum, sed immunditia perditionis contaminatum indicaret; hoc sensu, Petre offers lauandas manus, & caput, præter pedes; satis est pedes offerre. Nam tu lotus es, hoc est, animo mundus: qui autem lotus est, & mundus animo, peccatisque mortiferis expurgatus, non indiget nisi vt pedes animi, i. affectus lauet, peccatisque expurget venialibus, quæ affectus contrahunt, veluti pedes puluerem. Neque verò tu solus mũdus es, sed alij quoq; socij tui mundi sunt anima, pedumq; sola ablutione indigent, i. affectuũ. Non tamen omnes mundi sunt, solaq; hac ablutione indigẽt. Adest enim Iudas, qui non pedes solũ, sed totum etiam animum, proditionis magno scelere inquinatum habet, aliàq; multo maiore ablutione indiget. Vel aliter; Petre satis est pedes porrigere: nam lotæ sunt reliquæ tui corporis partes. Qui autem lotas habet cæteras corporis partes, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mũdus totus, præter pedes. Hactenus de corporali loquitur ablutione. Deinde transit ad spiritalem, vt Iudæ sordes ostendat: [Et vos] (inquit) [mundi estis animo, sed non omnes.] sciebat enim Iudam proditorem esse. Ex his verbis compertum est, Iudam adfuisse cùm Christus pedes lauit.

CA-

CAPVT IIII.

Scitis quid fecerim vobis.

Reddit Dominus causam ablutionis pedũ.

DIxerat Dominus Petro; [Quod ego facio, tu nescis modò: scies autem postea.] Postquam ergo pedes lauit, quæ deposuerat vestimenta sumpsit, & rursus mensæ accubuit, causamq; reddidit, cur pedes lauisset, August. tract. 58. Huius (inquit) tanti facti, quoniam Christus Petro promiserat scientiam, dicens; [Scies autem postea;] quid sit, quod fecit, docere incipit, &c. [Vos (ait) vocatis me ò Magister, & ò Domine,] siue vocatis me magistrũ, & Dominum vestrũ, [& bene dicitis,] sum etenim Magister vester, & omnium hominũ, & Dominus, ac Deus. Loquitur Deus (ait Augustinus) nulla est hic elatio tãtę celsitudinis, &c. Etenim potest se Deus extollere, & laudare, quoniam omni extollentia, & laude dignus est, infinitaq; illi debetur gloria. At homo Prouerb. 27. admonetur: [Laudet alienus, & non os tuum,] &c. [In Domino laudabitur anima mea] (ait Psalmographus Ps 33.) Si in Domino laudari potest hominis anima, multò magis in seipso laudari potest Dominus, totius boni laudabilis fons infinitus. Est ille magister, est & Dominus: Domini verò maiestas magistri officio non obstitit. Magistri officium petebat, vt discipulos exemplo admirando humilitatem edoceret, & charitatem: Domini maiestati tantæ submissionis exemplum consentaneum minimè videbatur. Vicit tamen maiestatem Domini, officium magistri. Hoc est, quod suprà dixit Euangelista; [Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deũ vadit in cęlo] regnaturus, [surgit à cœna, & lauit discipulorum pedes] hoc idem hæc verba significant; Ego dominus vester laui pedes vestros, Dominus (inquam) Deus, cuius potestati omnia subiacent. Si ergo ego Dominus vester, & magister laui pedes vestros, meis vestigijs inhærentes, alter alterius debetis lauare pedes, mutuaque officiorum charitate, & humilitate vos inuicem prosequi. Idcircò enim hoc stupendum exemplum præbui, vt me magistrum discipuli, me Dominum serui imitemini. Argumentatur à maiori ad minus; Ego Dominus laui; vos serui idem facite. Diuus Cyrillus: Inexcusabiles (inquit) Christus reddidit arrogantes, propter suam præstantiam. Inde namq; humilitatis magnitudinem perspicies, si considerabis, quod natura terrenũ est, atque abiectũ, non posse humiliari. Quò enim descendet, quod iacet? sed quisquis in alto positus est, eum si sponte humiliatus infima petit, iure admirari debemus, quia vltrò abiecta, quæ naturaliter non habebat, suscepit. Nõ igitur abs re Christus non simpliciter dixit, Vt ego feci vobis, sic, & vos facere debetis; sed dignitatem, & gloriam suam prius exposuit, vt hac re gloriæ cupidos deprimeret; sic Cyrillus. A maiori autem ad minus progrediens, Christus, à Domino ad seruos; non æqualitatem postulat dignitatis, cùm ait: [Vt quemadmodum ego feci, ita, & vos faciatis;] sed pro virili parte nostram imitationẽ. Ille se Deum humiliauit, nos verò humum humiliamus; inter nostrã, & illius humilitatẽ infinita est distantia, quemadmodũ, & inter nostram illiusq; naturã. Quamuis rex sit quispiam, quáuis vir nobilissimus qui seipsum humiliat, à Christo se humiliante infinito dignitatis discrimine separatur. Ideò Chrysostomus particulam, [ita,] sic explicat; Quid (inquit) signat hæc particula, [ita?] significat secundum possibilitatem. Propterea enim à maioribus rebus accipit exempla, vt saltem minus faciamus. Etenim magistri pueris

Potest se Deus laudare & extollere, est .n. laude dignus.

Prou. 27.

Psalm. 33.

Exemplum Christi.

D. Cirillus.

Humilitas eius qui in alto est, mirabilis.

Imitatio Christi.

D. Chrisost.

pueris literas pulcherrimas scribũt, vt vel in deterius imitentur, &c.

Eximium humilitatis exemplar, à summo Magistro habemus nos discipuli; pulcherrimæ sunt literæ, sæpe illas, & legamus, & in animum transferamus; iuxta illud Pauli ad Philip. 2. [Hoc sentite in vobis, quod in Christo Iesu; qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinauiuit, formam serui accipiens, &c. Imitabantur Dominum olim, imitanturque etiam hodie multi serui, Domini sui exemplum, pedesque inuicem lauant. Augustinus tract. 58. Faciunt (inquit) sibi hoc inuicem fratres, etiam opere ipso visibili, cum se inuicem hospitio recipiunt. Est enim apud plerosque consuetudo huius humilitatis, vsque ad factum, quo cernatur expressa. Vnde & Apost. 1. Timoth. 5. Cum viduam bene meritam commendaret; [Si hospitio (inquit) recipit, si sanctorum pedes lauit. Et apud Sanctos vbicunque consuetudo hæc non est, quod manu non faciunt, corde faciunt; si in illorum numero sunt, quibus in hymno dicitur Dan. 3. Benedicite Sancti, & humiles corde Domino. Multò autem est melius, & sine controuersia verius, vt etiam manibus fiat, nec dedignetur facere Christianus, quod Christus fecit. Cum enim ad pedes inclinatur corpus, etiam in corde ipso, vel excitatur, vel si iam inerat, confirmatur, ipsius humilitatis affectus. Hæc Augustinus, morem abluendi pedes laudans. Lege eiusdem Epistolam 119. c. 18.

Ad Phil. 2.

D. August.

Pedum ablutio consueta inter christianos.

1. Tim. 5.

Ipsa corporis inclinatio, est mentis ad humilitatis affectum excitatio.

Ex Diuo Ambrosio libro 3. de Sacram. cap. 1. colliges hanc fuisse in Ecclesia Mediolanensi consuetudinem, vt baptizatorum pedes abluerentur ab Episcopo, & Presbyteris. huius ablutionis causam his verbis ille obscurè reddit: Quia Adam supplantatus est à diabolo, & venenum ei effusum est supra pedes; ideò lauat pedes, vt in ea parte in qua insidiatus est serpens, maius subsidium sanctificationis accedat, quo posteà te supplantare non possit. Lauas ergo pedes, vt laues venena serpentis. Et in lib. de ijs, qui initiantur, cap. 6. Mundus (inquit) erat Petrus, sed plantam lauare debebat. Habebat enim primi hominis de successione peccatum, quando eum supplantauit serpens, & persuasit errorem; ideò planta eius abluitur, vt hæreditaria peccata tollantur. Nostra enim propria per Baptismũ relaxantur; sic Ambrosius. Videtu dicere venenum serpentis effusum esse super pedes hominis, id est, peccatum originale super affectus. Nam ex peccato originali orta est concupiscentia, siue peccati fomes, atque ita venenum diaboli effusum est super pedes: quam ob causam ablutione indigent, quæ affectuum significat purgationem. Diuus Bernardus in serm. de Cœna Domini, Sacramentum esse putauit, quo peccata venialia abluerentur; Vt de remissione (inquit) quotidianorum minimè dubitemus, habemus eius Sacramentum, pedum ablutionem, &c. Sed huiusmodi Sacramentum non nouit Ecclesia. Exemplum humilitatis fuit, non Sacramentum remissionis.

D. Ambros.

Pedum ablutio affectuum significat purgationem.

D. Benard.

Non est Sacramentum ablutio pedum.

Significat autem ablutio pedum alia quoque mutuæ charitatis, & humilitatis opera, quibus Christiani alij alios prosequi debent. Quam obrem Theophylactus verba illa: [Vos debetis alter alterius lauare pedes;] sic explicat; Hoc (inquit) necessarium est, vt omni ministerio vobis inuicem seruiatis. Id enim vult per lotionem pedum, quæ est ministeriorum infima, vt & alia longè honestiora non detrectemus, &c. Idem docet Caietanus & Iansenius; Synecdoche (inquit) est, vt ex eo, quod seruilissimum videtur, & abiectissimum, omnia officia intelligantur. Qui enim eò demiserit sese, vt fratri lauet pedes, imò, & hosti, sicut Christus fecit, quid ille ministerij, quid officij detrecta-

Theophil.

Mutua charitatis opera ablutione pedum significantur.

Ablutio affectuũ & venialium pec. *D. August.*

trectabit? Hæc ille. Diuus Augustinus lotione pedum putat significatam ablutionem affectuũ, & venialiũ peccatorum, vt supra diximus, exemplumque nobis datum ait, quodammodo abluendi peccata fratrum orando, etsi quid aduersus nos commissum est remittendo. Nobis (inquit) delicta donemus, & pro nostris delictis inuicem oremus: atque ita quodammodo inuicem pedes nostros lauemus, &c. & Cyprianus tracta. de ablutione pedum, Quotiescũque (inquit) cohortamur pusillanimes, & ijs, qui Pharaoni in luto, & latere famulati sunt, persuademus vt exeant de Aegypto, quoties cum infirmis infirmamur, & cum ijs, qui scandalum ferunt, versamur, quoties cum afflictis gemimus, toties inhærens latum peccatorum, qua possumus sollicitudine lauamus, &c. Nicephorus lib. 1 cap. 28. lauisse ait, Dominum pedes discipulis, vt simul & nouam submissionis, atque humanitatis ostenderet sublimationem, & per symbolum, atque signum ipsis propriè competere mentis, corporisque expiationem, & purgationem declararet; insuper illud eis innuens, pedes eorum ad profectionem in gentes aptos, atque idoneos esse.

D. Cyprian. *Nicephor.*

Ad hæc, obscurè etiam diuinorum pedum, pacem lęta prędicatione annuntiantium pulchritudinem insinuans; sic ille.

Aduerte Dominum vnam tantùm huius ablutionis reddidisse causam, scilicet exemplum: alteram tacuit. Nam lauit pedes discipulorum, ante Eucharistiæ institutionem, vt tanto Sacramento accipiendo, ac tractando necessariam indicaret animi puritatem. Hanc causam in aliud tempus distulit, & Spiritui sancto docendam retulit, à quo discipuli stupendi Sacramenti dignitatem plenè didicerunt.

Ablutio pedum ante Eucharistiæ instĩonem, significat in ea accipienda puritatẽ.

A

Non est seruus maior domino suo.

HÆc verba ad illa referenda sunt; [Si ego laui pedes vestros Dominus, & magister, & vos debetis alterius lauare pedes.] Non est seruus, ò discipuli, maior domino suo, neque Apostolus, & legatus, maior est illo à quo mittitur. Vos serui mei estis, & Apostoli, legatique à me missi; nõ ergo me estis maiores. Quod ergo ego feci maior, facite vos multò me inferiores.

B

Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.

DIscipulos hortatur ad exequendum humilitatis datum exemplum. Dixerat supra: [Scitis, quid fecerim vobis?] Nunc ait: [si hæc scitis,] quæ feci vobis, hoc est, si me ad vestros pedes, Dominum ad pedes seruorum prostratum, pedesq; ipsos lauantem aspexistis, si causam tãtæ demissionis Domini, magistrique vestri cognouistis; beati eritis si feceritis ea, quæ vidistis, & cognouistis. Cùm autem hoc dico, non de omnib. vobis loquor. Est enim inter vos Iudas, Satan inter filios Dei, nec erit ille beatus, nec scit hæc, nec faciet. Nam ego scio, quos elegerim in ęternam illam beatitudinem: elegi vos, illum non elegi; vos beati eritis, ille damnatus. Rectè cohæret cum præcedentibus hic sensus horum verborum: ego scio quos elegerim, scilicet ad beatitudinem, de qua dixit; [Beati eritis;] sic Augustinus interpretatur. Est & alius sensus: [Beati eritis, si feceritis ea,] &c. [Non de omnibus vobis loquor, ego scio quos elegerim:] hoc est, scio, quosnam elegerim ad Apostolatum, scio qualis quisque sit, noui quales vos estis omnes, noui Iudæ auarum animum, magistrique proditorem. Est prætereà tertia interpretatio: [Scio

Ad imitatione Dominus hortatur.

C D E

quos

quos elegerim, tum ad Apostolatũ, tum ad beatitudinem.] Ioannis 6. ait Dominus: Nonne ego vos duodecim elegi? & ex vobis vnus, i. Iudas, diabolus est. Loquitur eo loco de electione ad Apostolatum: hic verò de electione ad beatitudinem, vel de vtraque. Indicat locus scientiam, virtutùmque cognitionem per se solam mancam esse, nisi actio adiungatur. [Si hæc] (ait Dominus) [scitis, beati eritis, si feceritis ea.] Diuus Cyrillus libro 9. in Ioannem cap. 9. Non magnum (inquit) est virtutem cognoscere; sed studiosè agere, id certè maximum est, &c. Addit: Quomodo non insani penitus est, si quod bonum sit noueris, & viuere bene contempseris? &c. insanus is appellatur, qui ratione, qua præditus est, non vtitur; similiter, & is, qui scientia pollet, eam verò ad bene viuendum non adhibet.

Scientia cũ operib. copulanda est.

D. Cyrill.

Sed vt impleatur Scriptura.

ALiquid subintelligẽdum est, hoc pacto: Ego scio quos elegerim, ad æternam beatitudinem: Iudam ad beatitudinem non elegi, qui inter vos est lupus inter oues: sed suo vitio efficiet miser, vt impleatur Scriptura, quæ de proditore vaticinatur. Aliter: Sed permisi illum auarum esse, vt impleatur Scriptura. Vel: Sed permittã illi, quod molitur exequi, vt impleatur Scriptura. Alio modo: Scio quos elegerim ab beatitudinem, & ad Apostolatum: Iudam non elegi, ad beatitudinem, sed elegi illum ad Apostolatum, quamuis prænoscerem esse proditorem, voluique impleri Scripturam per illius proditionem. Non tamen propterea Iudas Christum prodidit, quia id Scriptura prædixit: immo contra propterea Deus præsciuit, & per scripturam prædixit, quia Iudas id erat facturus, vt docet Diuus Cyrillus hoc loco, his verbis: Non vt adimpleatur Scriptura, nec ista de causa facta sunt à quibusdam, quæ scriptura prædixit; sed contra, quoniam ita nonnulli sponte facturi erant, idcirco præsciens Spiritussanctus futura prædixit. Hæc ille.

D. Cyrill.

Præscientia Dei non cogit hominẽ.

Leuauit super me calcaneum.

SCriptura quæ impleta est, extat Psal. 40 [Qui manducat mecum panem, leuauit super me calcaneum suum.] Septuaginta vertunt: [Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationẽ,]&c. Est sensus Scripturæ: Iudas qui manducat mecum panem, contra me calcaneũ [leuauit,] pro, [leuabit,] i. calce me petet; metaphora sumpta ab equo, qui Dominum pede percutit. Sic Iudas, quasi effrenatus equus calcem Domino suo impegit. Deut. 32. [Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit,]&c. Aliter, [leuauit super me calcaneum,] vt solent luctatores, & supplantauit me calcaneo suo siue pede interiecto. Hunc sensum habet versio Sptuaginta: [Qui edebat panes meos,] Iudas.] magnificauit super me supplantationem;] hoc est, magnam fecit supplantationem. Supplantatio autem significat fraudem, & supplantare significat fraudem committere: Gen 27. Iustè vocatum est nomen eius Iacob. Supplantauit enim me altera vice,]&c. Hebraicè, [nghacheu,] significat [calcaneum,] verbũ [nghachau,] significat [supplãtare calcaneo,] vel [pede] Illud Psal 48. [Iniquitas calcanei mei circundabit me: exponitur iuxta hanc significationem hoc pacto: Cur timebo in die mala mortis, vel iudicij? timebo, quia iniquitas calcanei mei, quo multos supplantaui, vel conculcaui, id est, fraudes, quas admisi, & oppressiones circundabunt me.

Psal. 40.

Iuda supplãtatio.

Gen. 27.

Psal. 48. Dies mala, est dies mortis & iudicij.

Dico vobis priusquam fiat.

REddit Dominus causam cur prę dicat proditionem Iudæ, vt scilicet cùm discipuli prædictionis videtur

Cur Christus prædicat Iudæ proditionẽ.

derint veritatem, intelligant omnia ipsi esse explorata, etiam futura; & in fide confirmentur. Dico (inquit) vobis, siue prædico vobis Iudæ proditionem, priusquam fiat. Causa prædictionis est, vt cum facta proditio fuerit, credatis, quia ego [sum,] videlicet Deus verus, totius scientiæ fons, cui futura omnia contingentia sunt cognita. Hoc enim proprium Dei est; vnde Isaiæ 41. demonstratur idola non esse Deos, quia futura prædicere nequeunt. [Annunciate] (inquit) [quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dij estis,] &c. Diuus Augustinus interpretatur, [Vt cum factum fuerit, credatis, quia ego sum,] videlicet ille, de quo Dauid vaticinium hoc edidit.

Cur Christus Iudæ proditionẽ prædixerit.

Proprium Deo futura contingẽtia prævidere. Isai. 41.

Qui accipit, si quem misero, me accipit.

Dixerat suprà Dominus; [Non est seruus maior domino suo, neq; Apostolus maior est eo, qui misit illum;] nunc ad hoc idem reuertitur, quasi misit illum, ego vos mittam in totum terrarum orbem, siquidem Apostoli mei estis in orbem mittendi. Amen, amen dico vobis, Qui accipit, si quem misero, me accipit: Et qui me accipit, accipit Patrem meũ. Itaque qui vos à me missos Apostolos hospitio acceperit, vobisque pedes lauerit, & ministrauerit, me, Patremque meum accipit, mihi Patrique meo ministrat, magnam inde remunerationem lucraturus. Alij aliter hæc verba cum superioribus connectunt: hic nexus mihi videtur probabilior. Rectius forsitan dicetur, his verbis Dominum ad ablutionem pedum, id est, ad opera charitatis, Christianos excitare. Siquidem qui pedes abluunt missorum, Christum ipsum excipiunt hospitio, eiusque pedes abluunt. Similia verba leges Matth. 10. [Qui] (inquit Dominus) recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui misit me,] &c.

CAPVT V.

Morale.

De ablutione pedum.

Sciens quia venit hora eius.

Fortissimus ille Sãson, dulcissimum mellis fauum, in ore leonis mortui, dicitur admirabiliter inuenisse Iud. 14. [Ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis.] Quis neget Christum Optimum Maximũ leonem esse ex tribu Iuda natum? siquidem id dilectus asseruit discipulus Apoc. 5. inquiens: [Vicit leo de tribu Iuda,] &c. Vicit leo hic potentissimus, sed mortuus vicit. In ore autem illius nondum mortui, sed iamiã morituri, nos mellis fauum, hoc Ioannis capite 13. ac sequentibus inuenie mus, videlicet sermonem quem extremum in vita mortali cum discipulis habuit, omni ambrosia, nectareque dulciorem. Neque sermonem tantum plenum dulcitudine, sed operum etiam mella reperiemus: nimirum pedum ablutionem, & augustissimi Sacramenti institutionem. Quod fecit Samson, idem, & nos faciamus. Ille vt eodem capite 14. legitur, [in manus fauum mellis sumens, comedebat in via:] nos quoque dulcissimos fauos nobis propositos, comedamus in via: comedamus, inquam, ore animi, qui intellectus est.

Iud. 14.

Sermo Domini in cœna, dulcissimus.

Eucharistia est fauus mellis cælestis.

Sicut enim corpus corporeos cibos ore: sic animus huiusmodi spiritales escas intellectus edit, seque ipsum suauiter pascit.

zed by Google

Tempus quo dulcissima fecit verba operaque stupenda Dominus exhibuit, signat Euangelista. [Ante diem] (inquit) [festum Paschæ sciẽs Iesus, quia venit hora eius.] Hora Christi erat illa, quia à Christo electa. Præsciebat ab æternitate omnia, secundum diuinitatem: secundum verò humanitatem à puncto Incarnationis omnia præcognoscebat. Horam hanc inter omnia præsciuit, & elegit ad moriendum, id est, tempus: nam hora tempus significat. Elegit redemptionis nostræ, mortisque suæ annum, elegit mensem, elegit diem, atque horam. Hominum nullus hæc valet eligere; quia nullus ea præuidet, nullus in potestate ea habet. Christus eligere valuit, quia & præsciebat, & in potestate habebat. Omnia namque ei tradidit Pater in manus, vt Euangelista affirmat: atque inter omnia mortis tempus Psal. 103. canit vates: [Sol cognouit occasum suum:] is quem cernimus Sol, occasum suum cognouit metaphoricè, quia ita ad occasum tendit, ac si illum cognosceret: at Sol splendidissimus, quem non cernimus, Christus, occasum cognouit suum, absque metaphora vlla, propriissime cognouit occasum, & tempus illius elegit. Annũ elegit mundi ferè quater millesimũ, iuxta Hebræorũ supputationem. Cùm enim cruci suffixus est, ad quattuor fere annorum millia mundi ætas peruenerat. Quarta mundi die Solem Deus condidit, illiusque luce orbem illustrauit. Quarto mundi millenario Christus crucem ascendit, atque inde omnes mundi regiones, & ætates clarissimo splendore illuminauit. Aetatis suæ annum elegit 34. quo ætas viget, ac floret, ætateque florente mortem voluit oppetere; vt nostræ ætatis florem suo iure, atque exemplo sibi vendicaret. Mensem elegit Nisan, qui Exod. 23. & 34. dicitur mensis nouorum, propter nouas fruges, si literam spectes; quocirca Exod. 13. & Deut. 16. appellatur mensis nouarum frugum. Si verò à litera ad spiritum transeas, mensis Nisan meritò mensis nouorum vocatus est, quia hoc mense res maximè nouas, atque admirabiles fecit Deus. Quid magis nouum, quam Eucharistiæ mysterium hoc mense institutum? Quid nouum magis, & admirabile, quàm Deus incarnatus, & ad pedes hominum abluendos prostratus? Quid magis nouum, & stupendum, quã Deus alapis, verberibusque cæsus & cruci suffixus? Quid magis inauditum, quàm carnis resurrectio in vitam sempiternam? Noua hæc omnia, & inaudita mense hoc nouorum facta sunt. Mense hoc occisus est in Aegypto agnus typicus, liberatique sunt ex Aegyptiaca captiuitate Hebræi, vt supra dictum est. Ideòque in mense eodem voluit agnus verus occidi, totumque humanum genus, ex teterrima Orci captiuitate liberare. Verni temporis mensis hic est, quo herbarum frondiumque viriditate, ac floribus, post horridam hiemem, tellus vndique exornatur. Quid mirum, si verno tempore Christus moritur, cuius mors post tenebrosam peccati hiemem, toto terrarum orbe placidissimum, florentissimumque ver effecit, & virtutum maximè odoriferis floribus, hominum animos exornauit: iuxta illud Cant. 2. [Iam hiems transijt, imber abijt, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florẽtes dederũt odorẽ suũ, surge amica mea,] &c. Prætereà diẽ mẽsis decimũquintũ elegit, quo Luna lumine plena erat: plena verò splẽdore Luna in morte Dñi, plenitudinẽ adũbrabat splẽdoris, quẽ Ecclesia velut Luna, ab illo velut Sole, in crucis fastigiũ ascendente, suscepit. Diẽ elegit festũ, quoniã cunctis hominibus dies mortis Christi fuit lætissimus, atque festiuissimus; quo ex teterrima Tartari seruitute agni immaculati sanguine erepti sunt. Erat aũt dies hæc parasceue Sabbati, id est, præparatio: feria .n. sexta ꝑparabant Iudæi res in Sabbatum

Christus mortis tempus elegit.

Psal. 103.

De anno, et mense, mortis Christi.

Mensis nouorum Nisan.

Verno tempore mortuus Dominus.

Cant. 2.

Luna plena crucifixus Christus, in parasceue, die festo.

batum necessarias. Meritò in parasceue Sabbati, crucis subijt mortem Dominus, quoniã morte sua illa nobis præparauit, quæ ad æternum Sabbatum, hoc est, ad æternam quietem cõsequendam, necessaria sunt. Præparauit ille necessaria; hoc est, sanguinem, Sacramenta, meritaq; sua, necesse tamen est, vt hæc nos medicaméta vulneribus adhibeamus, si ęternum Sabbatum, idest, quietem consequi cupimus. Elegit diem festum Paschæ, quo ex toto orbe Iudæi in vrbem Ierusalem cõfluebant: quia qui pro cunctis hominibus subibat mortem, à magna hominum multitudine in crucem sublatus conspici voluit, fontemque illum domui Dauid patere, de quo Zacharias 13. [Erit (inquit) fons patẽs domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, in ablutione peccatoris,] &c. Horam elegit duodecimam, qua hora Sol summum cęli verticem ascendit ardentior, eadẽ noster Sol ardentiores amoris flammas emittens crucem voluit ascendere. Ex summo cęli vertice, Sol terras ardore incendit, ex summo crucis vertice, Christus animas incendit amore. Hora meridiei duodecima splendidissima est: sic hora crucis Christi, hominibus fuit rutilantissima. Nulla rutilantior hominibus hora fuit, quàm illa, qua Christus pendens in cruce, radios fulgentissimos in totum dispersit orbem. In cruce namq;, instar fulgentissimi Solis, Dominus totum illuminauit mundum, sæcula illuminauit omnia, omnes ętates illi Christi radij, tempora, tum præterita, tum præsentia, ac futura, ipsamque æternitatem splendore cõpleuerunt. Quis enim ignorat per Christi cruci suffixi merita, non præsentis solum temporis, iustificari homines, quotquot iustificantur, sed præteriti quoque atque futuri? Quis nescit, quidquid in cunctis hominibus splendoris erit per totam æternitatem, id ex cruce emanasse? ò horam crucis splendidissimam. In hac hora cernere cupit sponsum cælestem, cęlestis sponsa, Cant. 1. [Indica (inquit) mihi, quem diligit aĩa mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiã post greges sodalium tuorũ,] &c. Vbinam meridiana hora cubat Christus, ouesq; suas, & sanguine pascit, & exemplo? Nonne in cruce? Meridianum somnum solent homines mollibus in lectis capere. At noster Rex meridianũ mortis somnum, durissimo capit in lecto, videlicet cruce, nec molle capiti ceruical, sed spinas subijcit. Hunc crucis lectũ durissimum, hæc ouium pascua suauissima, indicari sibi postulat sancta anima, & meridiana hac hora sponsum suum desiderat contemplari. Splendidissima namque hæc hora, splendore suo contemplantem intellectum illuminat, ardoreque cælesti incendit voluntatem.

Zachar. 13.

Hora sexta crucifixus Dominus.

Meritis Christi oẽs iustificati sunt, etiam ij qui præcesserunt eũ.

Crux Christi lectus fuit in meridie.

Indicant hanc horam nobis, dilecti verba discipuli; Ante diẽ (inquit) festum Paschæ sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mũdo ad Patrem,] &c. Cognouit horã suam Dominus venientem, veniebat illa, sed illam ille manibus ducebat, quia manibus illam tenebat, si nõ duxisset, nunquã venisset. Cognouit occasum suũ Sol noster, & ad illum sua sponte, vt sol properauit. [A summo cęlo egressio eius,] Ps. 18. [& occursus eius, vsque ad summũ eius,] &c. à summò cęlo, idest, ab oriẽte extrema cęli parte egreditur sol, & cursus eius ad alterã extremam partem, scilicet occidentem tendit, sic noster Sol à summo Oriente, idest, Patris sinu, egressus est, à quo, vt Tertullianus ait in Apologetico, cap. 21. non recessit, sed excessit: & cursus eius vsque ad extremũ tetẽdit occidẽtẽ, idest, mortẽ. [Exultauit vt gigas ad currendam viam sol,] Ps. 18. Sic noster Sol exultauit vt gigas: gigãteum enim habuit amorẽ, qui veluti gigas cursus maximam superauit difficultatem, superauit cruciatus, dolores, crucem. Paruus amor, ac pumilio à tormentis vincitur, sed Christi amor veluti gigas in finẽ vsq; omnia torméta vicit; dilexit enim in finem Sol occasum cognoscens minimè retroquertitur,

Psal. 18.

Amor Christi giganteus.

uertitur, sed ad cognitum occasum properat: ita noster Sol cognouit oc casũ properat ita noster Sol cognouit occidentẽ suũ, sciuit horã suam, neq; tamen retrocessit, sed ad cognitũ occidentem, i. crucem, magna voluntate, amoreq; ductus festinauit. [Sciens (inquit) quia venit hora eius; ὥρα. hora, [Græcè, [pulchritudinẽ] significat. Equidẽ hora Domini pulchritudo Domini fuit. Non. n. deformitatẽ vllã Christo crux, opprobria vulnera, & cruciatus, sed sũmã pulchritudinẽ attulerunt. Ab Isai. c. 63. [Formosus dicitur in stola sua, [tinctisq; sãguine vestibus. Quis (inquit) est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua,] &c. Formosus erat in stola sua, i. humanitate sua, sanguine cruẽtata, quia sanguis, & crux, non fœditatem aliquã, vt Iudæi putarunt, sed maximũ illi attulit decorẽ. Fuit hæc hora pulchritudo, quia Domino ornamenta pulcherrima, i. vulnera, dolores, cruciatusq́ præbuit, quibus animas in suũ concitat amorem. Vnde August. hom. 36 Spõsus (inquit) quãto magis deformis nobis commẽdatur, tanto charior, tanto dulcior factus est sponsæ, &c. & Bernardus sermone 1. Epiphan. Quanto pro me vilior, tanto mihi charior est, &c. Ps. 117. [Circundederũt me sicut apes,] &c. Circundederũt Iudæi sicut apes Christũ in passione, & quẽadmodũ apes mel efficiunt, sic illi in Christo suauissima mella extra opinionem fecere suã, nimirũ cruciatus, ac vulnera nobis oĩ melle dulciora. Zach. 13. [Quid sunt plagę istæ in medio manuum tuarum? & dicet: his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me,] &c. Odio quidẽ habuere Iudęi Christum, sed dilexisse dicũtur, quia præter opinionem, & voluntatem suam, id fecerunt, quod ipse maximè cupiebat, quodq́ue maximum ipsi decorem affert, videlicet cruciatus ac vulnera. Si podagra laborantem, hostis aliquo temporis spatio carcere includeret, fameq́; cruciatum præter voluntatẽ graui hoc morbo om-

Hora significat pulchritudinẽ.
Isa. 63.
Crux pulchritudo fuit Christi.
August.
Bernardus.
Zach. 13.
Decor Christi plaga.

A nino liberaret, sanè dici posset, hostem hoĩem dilexisse, quod tantũ illi peperisset bonum, sic Iudæi Christũ dilexisse dicuntur, quoniã quod ille optabat, perfecerunt, mundoq́; bonum maximum attulerunt, quamuis id vt hostes, non vt amici effecerint. Sciebat Dominus q̃a venit hora eius, in qua vulneribus, veluti rutilantissimis gẽmis, & sanguine veluti pretiosissima purpura erat exornandus, & B velut odore suauissimo aspergẽdus, quo animas vehemẽter traheret, iuxta illud Cant. 1. [Trahe me post te: curremus in odorem vnguentorum tuorum]

Hora autem mortis, ac dolorum, hora dicitur eius, quoniã erat in potestate eius. Nos horã mortis in potestate non habemus, illamq́; ignoramus, iuxta illud Salomonis Ecclesiastæ cap. 9. [Nescit homo finẽ suũ, C sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo cõprehenduntur, sic capiuntur hoĩes in tempore malo cum eis extemplo superuenerit,] &c. Vt pisces cũ minimè opinamur in nassam incidimus mortis, vt aues dolorum laqueis irretimur. At Dominus sciebat, quia venit hora eius, nõ incidit vt piscis in retia mortis, aut instar auis in laqueum. Dominus horæ erat, nos sumus serui. Ioan. 16. de D pariente fœmina loquens ait; [Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius,] &c. Horam fęminæ appellat, propter partum & cruciatus. Eundem in modum hora eius, id est, Christi hora fuit mortis, propter tormenta, finemq́ue vitæ præstantissimæ acerbissimum. In cruce enim dolores habuit, vt parturientis, idest, maximos. absque dolore Eua, ex Adami costa, ac latere ef- E formata est; at Ecclesia noua Eua, maximo cum cruciatu, Christo cruci suffixo, est procreata. Præterea, hora eius erat hora mortis, quia nos amabat pro quibus moriebatur. Amantis enim hora illa est, qua pro amico patitur. Denique hora eius fuit, quia id, quod maximè optabat eius amor, videlicet mundi redem-

Cant. 1.
Cur dicatur hora eius.
Ecclesi. 9.
Ioan. 16.
Amantis hora illa est qua pro amico patitur.

redemptionem attulit. Hominũ horæ horologij arenarij sunt; terræ siue arenæ, ex vna in alteram partem commutatio illas efficit, illam enim horam suã homo existimat, qua terreni boni possessio, ab altero in ipsum commutatur. At horam Christi non terreni boni commutatio, sed ardẽs sol effecit, idest, ardens amor. Hanc veluti ænea horologia, vates diuino sonitu ediderunt; Christus verò vbi primũ venit hęc hora eius, mox ad crucem venit, iuxta illud Psal. 39. [Tũc dixi, ecce venio,] &c.

Vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.

ANte diem festum Paschæ,] ait Euangelista 'sciebat Dominus aduenisse horam Paschæ suæ: significat enim, vt diximus, Pascha transitum. Sciebat ergo Dominus ante diẽ festum Paschæ, idest, ante diem festũ transitus, [Sciebat (inquam) quia venit hora Paschæ suæ,] idest, transitus sui, [vt transeat ex hoc mundo,] per passionem, [ad Patrem.] Paschale tẽpus floribus complet agros, sic Pascha hoc Christi, floribus lilijsque hortum cõpleuit Ecclesiæ. Duo fuere tunc transitus, quorum meminit Euangelium; alter fuit Christi, alter Iudæ. Omnis transitus duos habet terminos, terminum à quo, vt vocãt philosophi, & terminum ad quem. Terminus à quo trãsitus Christi fuit mundus, terminus ad quem Pater. Vt transeat (inquit) ex hoc mundo ad Patrem;] transit Christus ex hoc mundo ad Patrem; transijt Iudas à Christo ad diabolum, ex hoc mũdo transijt ad Tartarum. Christum Dei, hominumq; duxit amor; Iudam duxit amor pecuniæ. Ad Patrem Dei proximiq; amor ducit hominem, ad Tartarum ducit effrænatus amor pecuniæ Multi cum Christo transeunt ex mundo ad Patrem, Deum, proximumque amantes; plures transeunt cum Iuda ad Tartarum, aurum, argentumque diligentes. Transiuit

Transitus Domini. & transitus Iudæ.

A olim Dominus in Aegyptũ, eius verò transitus Exod. 12. his verbis describitur; [Est enim phase, siue Pascha,] idest, transitus Domini, [& transibo per terram Aegypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Aegypti, ab homine vsque ad pecus, & in cunctis dijs Aegypti faciam iudicia] De Christi trãsitu idem dici potest, sed diuerso sensu: est enim Pascha, id est, transitus

Exod. 12.

B Domini, in Iudæa, non in Aegypto. In Aegypto Angelus pertransijt à Deo iussus, in Iudæa pertransijt ipsemet Deus. In Aegypto Angelus pertransiens primogenita percussit Aegyptiorum; in Iudæa ipse Dei, virginisque vnigenitus pertransiens percutitur, ac crucifigitur. In Aegypto fecit Deus iudicia in dijs vanis Aegyptiorum; in Iudæa fecit iudicia in Deo vero filio suo, acerbissimasque

C pœnas ob hominum scelera de illo sumpsit; Fecit etiam iudicia in malis dæmonibus, qui diuinitatem sibi toto orbe arrogauerant, iuxta illud Ioan. 12. [Nunc princeps huius mũdi eijcietur foras.] Ad hæc, in Aegypto transiuit Angelus primogenita percutiens, in Iudæa transiuit tartareus Angelus, percussitque Iudæ cor lethifera sagitta; [Cum diabolus iã misisset in cor (ait Euangelista) vt tra

Ioan. 12.

Transitus filiorum Israel per mare rubrum, & Christi per sanguinem.

D deret eum Iudas,] &c. Percussus autem Iudas pertransijt in Orcum, per cutiẽs proditione Christum Iudæisque tradens. Quemadmodum filij Israel mare rubrum pertransierunt, sic Christus mare pertransijt passionis sanguine rubrum, Pharaone, idest, diabolo demerso, ipsoque proditore suffocato. Filij Israel post transitum maris, in terram promis-

E sam fecere iter; tandemque ad illam peruenerunt: Christus post transitum passionis, venit ad Patrem. & in beatam cœli regionem, in sempiternum regnaturus ascendit; [Venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.] Pertransijt Christus mare passionis, transijt ex hoc mundo ad Patrem per crucem. Viæ non fecit mentionem

Auerte oculos ab asperitate viæ, fige in fine visu.

Euangelista, sed termini ad quem. Qui enim transire vult ex hoc mundo ad Patrem, ab asperitate viæ vt auertat oculos oportet, & terminũ viæ ad quẽ properat, intueatur. Hic est transitus Domini Exod. 12. Qui cum Domino vult transire transeat ex mundo, mũdũ deserat, illius tum prospera tum aduersa despiciat. Clamat in horto Christus, [trãseat à me calix iste,] iuxta carnis desiderium naturale. At non fuit transitus calicis, sed fuit transitus Domini; non transijt calix, sed transijt ex vita Dominus, quia opus erat transire Dominum, non transijt calix lege Augustinum q. 154. in Exod.

CAPVT VI.

Morale.

De ablutione pedum.

Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

Exod. 12.

EXod. 12. pręcipit dominus; [Non comedetis ex eo,] id est, agno, [crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tãtum igni,] &c. Quẽadmodum ore corpus escas diuidit, atque edit; sic animus suos spiritales cibos intellectu extenuat, ac comedit. Is agnum, id est, Christum crudum comedit, qui illum absque amore considerat. Is assum igne edit, qui amore hominum inflammatum intelligit. Qui crudum Deũ intellectu comedit, minimè sibi persuadebit pro hominibus voluisse mori; qui vero assum manducat, qui amoris flãmis incensum cogitat, mortem pro delictis voluisse pati facilè in animum inducit. Assum agnum nobis proponit Ioannes in cœna Paschali, assum, inquam, amoris igne. [Cum dilexisset (inquit) suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos,] &c. Fontem quasi intento digito indicat, ex quo stupenda beneficia emanarunt, quæ extremo illo vitæ tempore in homines contulit; is amor fuit. [Cum dilexisset, dilexit in finem,] idest, vsque in finem. Constantissimus fuit amor Christi, ac perseuerantissimus. Quære initium huius, [cum dilexisset suos;] equidem minimè reperies. Ab æternitate suos dilexit electos, suos amicos, fidelissimus amicus Christus. Ieremiæ 31. [In charitate (inquit) perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans, rursumque ædificabo te,] &c. Quia ęterna charitate suos dilexit, ideò ad se illos attraxit, & suos fecit; si non dilexisset, non attraxisset. Cum dilexisset, dilexit, cùm dilexisset ab æternitate, dilexit in tempore, & vsque in finem dilexit suos, qui erant in mundo. In mundo erant, & mundo seruiebant, sed cùm dilexisset, dilexit, & attraxit eos ex mundo miserans; destructi erant, atque euersi per peccatum, sed quia dilexit, ædificauit eos, effecitque vt templa sibi essent ornatissima. Cùm dilexisset, dilexit semper, [in finem,] idest, vsque in finem. D. Augustinus hanc interpretationem refellit tract. 55. his verbis: Video hæc verba, quodam humano modo, etiam sic accipi, tanquam vsque ad mortem Christus dilexerit suos, humana est hæc sententia, non diuina. Neque enim nos huc vsque Christus dilexit, qui semper, & sine fine nos diligit; hæc ille. Respondemus Patri sanctissimo, verba hæc, [in finem dilexit:] non significare Christum vsque ad mortem tantùm dilexisse, & cum morte dilectionem simul interijsse, sed significare amorem Christi erga suos ad mortem vsque perseuerasse, & in fine maiores effectus protulisse. Nec tamen negamus, etiam post mortem perseuerasse, imò per totam æternitatem perseueraturum fatemur, & cum eodem Augustino

De amore Christi in homines.

Christus agnus fuit amore assus.

In finem, vsque in finẽ.

Ierem. 31.

Aeternus amor Christi.

D. Augusti.

by Google

no eodem loco dicimus; Absit vt dilectionem morte finierit, qui non est morte finitus, &c. Aeternus Christus est, æterni eius amici sunt, æternus tam Christi, quàm electorum amicorum amor.

Amor Christi constans, & tenax.

Præstans amor Christi, ac verus perseuerans est, atque constans, nullis laboribus, nullisque periculis succumbit; de illo vero dicitur, cùm dilexisset Christum, in finem dilexit eum. Sit fortis, & constans amor tuus (ait Bernardus serm. 20. Cant.) nec cedens terroribus, nec succumbens laboribus, [Tenui eum, nec dimittam:] ait constans, & dilectrix anima Cant. 3. tenemus enim Christum, atque complectimur amore: non dimittimus amatum, si in amore constanti persistimus. O anima dilectrix, cur non ais; tenui eum, nec dimittam illum, nec ille dimittet me; nonne ille dimittere te potest, quamuis tu illum non dimittas? quod si dimiserit, non tenebis eum. Respondebit illa: fieri non potest vt ille dimittat me, si ego illum non dimisero prior. Etenim prior est in trahendo; prior in amando, posterior in deserendo amatum. Prior amando attrahit, iuxta illud citatum Ieremiæ 31. [Dilexit te, & attraxit te miserans:] prius amat nos, nos iam amantem redamamus, iuxta illud Diui Bernardi lib. de diligendo Deo: Prius (inquit) Deus dilexit nos, tantus tantillos, & tales, &c. Perseuerans, constansque est Christi amor: Cùm dilexisset dilexit, & semper diligit; nũquam amare desinit, si nos non desinamus: teneamus illum, nec dimittamus. O felicem, qui tenet, ò miserrimum, qui dimittit. Tenemus illum, & tenet ille nos charitate: charitas enim, vt Apostolus ait ad Coloss. 3. [Est vinculum perfectionis: hoc solo Deus ligari potest. D. Bernardus sermo. 79. in Cantica, amorem ait esse glutinum tenacissimum. Quid (inquit) hoc tenacius glutino, quod neque aquis eluitur, neque ventis dissoluitur, neque scinditur gladijs: &c. hoc

D. Bernard. *Cant. 3.* *Prius Deũ deserũt homines.* *D. Bernard.* *Coloss. 3.* *Charitas vinculum, & glutinum.*

A illi adhæret, qui Psal. 72. canit: [Mihi autem adhærere Deo bonum est,] &c. Sed vide, quid præcedat. [Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?] Omnia terrena pro nihilo se habere profitetur; quia vt quis Deo amoris conglutinatus glutino perfectè adhæreat, à terrenis rebus cor abstrahat necesse est. Nec tabula, cum tabula, terra intercedente conglutinari potest: nec Deus homini, terrenis rebus interpositis, perfectè adhærere. Tenacissimum glutinum, vinculumque constantissimum esse amorem Paulus indicat ad Roma. 8. dicens: [Quis me separabit à charitate Christi? certus sum quia, neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro,] &c. Sed aduerte inter omnia illa, quæ enumerat, non numerari voluntatem, quoniam neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, reliquave enumerata se parare nos à Deo possunt: sola potest voluntas nostra fortissimum charitatis vinculum frangere, glutenque tenacissimum dissoluere. Vnde Diuus Bernardus in serm. de duplici Baptismo: Caueamus (ait) à propria voluntate, tanquam à vipera pessima, & nequissima, & quæ sola deinceps damnare possit animas nostras, &c. Iud. 16. Dalila à Sansone scire peroptat, quonam constringi possit vinculo. [Dic mihi] (inquit) [obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, & quid sit quo ligatus erumpere nequeas, &c. Dicere noluit, & respondit: Si septem neruiceis funibus, necdum siccis, & adhuc humentibus ligatus fuero, infirmus ero, vt cæteri hominum, &c. Sed, vt docet Scriptura, ijs funibus ligatus, rupit vincula, [quomodo si rumpat quis filum de stuppa tortum sputamine. Nos verò si fortissimum nostrum Sansonem

Psal. 72. *Amor tenax.* *Rom. 8.* *Propria voluntas à Deo separat.* *D. Bernard.* *Iuds 16.* *Noster Sanson ligatur charitate.*

nem Christum rogemus, quo vinculo obstringatur, libentissimè respondebit, amore se ligari; hoc si illum obstringamus, vinculum non disrũpet, sicut Samson funes disrupit qua si stuppæ filum: quin potius, etsi tenuissimum sit charitatis filum, illo vinctus tenebitur. At voluntas nostra etiam fortissima vincula, si malè libuerit, vt Samson frangent, nosque à Deo nostro separabit.

In finẽ dilexit, i. vsque ad mortẽ.

Constanter cum dilexisset suos, dilexit Dominus in finem; & in ipso fine maiores dilectionis ostendit effectus. Flamma ignis pyramidis instar latior est in principio, tenuior in fine; at flamma ignis amoris Christi, latior, maiorque in fine, quam in initio apparuit. Motus naturalis, vt tradit Aristoteles lib. 1. de cælo capite 8. in fine velocior est, contra, violentus, tardior. Non fuit motus Christi in finem violentus, sed ab ardentissima voluntate profectus; non fuit tardior in fine, sed velocior. In fine enim ardentior amore, maiorique vsus est. [In finẽ dilexit,] id est, vsque ad mortem; hic est maximus amoris effectus in finem diligere, id est, mortem pro re amata perpeti. Hunc maximum effectum in fine ostendit Christus. in finem amoris peruenit illius amor: finis enim ac meta in quam amor peruenire potest, mors est pro re dilecta, iuxta illud Domini Ioan. 13. [Maiorem hac charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis,] &c. In hunc finem peruenit amor Christi: Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo mortui, in finem vsque amoris dilexit eos, mortem perpessus, vt vitam morte sua eis tribueret. Rupertus: Dilexit (inquit) Christus in finem, dilectionem erga suos eo vsque perfecit, vltra quod non posset augeri, videlicet, vt animam suam poneret pro illis, &cæt. Diuus Cyrillus: Dilexit in finem adeo vt non recusarit pro vita omnium mori, &c. Exiguus amor non diligit in finem hunc, ad metam hãc

Maximus amoris effectus.

Ioan. 13.

Rupertus.

D. Cyrillus.

A minimè pertingit; si labores, pericula, cruciatus, mortem opponas, deficit, vt paruus lucernæ ignis modico flatu extinguitur. Magnus vero diligit in finem, cruciatus omnes, mortemque constanter perfert, & instar magnæ pyræ cruciatibus velut magno venti flatu magis inflammatur. Cant. 8. [Aquæ multæ non potuerũt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam,] &c. Nam diuinum B ignem nulli aquarum turbulenti imbres, nulli fluminum, marisve fluctus possunt extinguere, Psal. 68. [Intrauerunt aquę vsque ad animam meã,] &c. Intrauerunt quidem aquæ vsque ad animam Christi, sed extinguere non potuerunt ignem Christi. [Veni] (inquit eodem Psalmo) [in altitudinem maris, & tempestas demersit me,] &c. Venit in altitudinem, idest, C profunditatem maris amoris ignis, sed in maris profunditate magis exarsit: tempestas demersit vitam, sed non demersit charitatem. Præcepit Deus Abrahamo Genes. 22. vt filium suum Isaac in holocaustum offerret; sed non peruenit in finem holocaustum: non enim morte affectus est Isaac: Christi verò holocaustum peruenit in finem: in cruce namque oblatus, in finem diligens, animam D exhalauit.

Magnus amor diligit in finem.

Cant. 8.

Psal. 68.

In finem suos dilexit, id est, vt interpretantur nonnulli, in beatitudinem: nam beatitudo æterna finis noster est. In hunc finem dilexit nos Dominus: ad eum vt nos duceret summos cruciatus, mortemque acerbissimam pertulit, scalamque fecit illi, quam Iacob vidit similem, in cælum vsque pertingentem, id est, cru E cem, per quam nobis ascensus patet in beatitudinem. Regnum cælorũ vim patitur, (ait Dñs Matth. 11.) & violenti rapiũt illud,] &c. Equidẽ tũc cælorũ regnũ vim maximã passum est, cum Christus amore, & cruce, illud oppugnauit, nobisque expugnauit, atque aperuit. Amor cælum oppugnat, & expugnat: ábsque hoc duce, vim cælo nemo facit, nemo cælorum regnum capit. hic violen-

In finẽ dilexit, i. in beatitudinem.

Matt. 11.

Christus intulit vim cælo.

lentus dux virtutum bonorumque operum exercitu comitatus, cæleſtia regna rapit. Sub vexillo amoris militet, qui cælum vult rapere; iuxta illud Cant. 1. ex alia verſione; [Vexillum eius ſuper me amor. In finem ſuos dilexit,] interpretatur Auguſtinus, id eſt, in Chriſtum, in ſeipſum: etenim finis noſter Chriſtus eſt. Cum autem finis ſit duplex, videlicet finis conſumens, atq; interimens, vt mors, quæ homines conſumit, & interimit; & finis conſummans, atq; perficiẽs, vt beatitudo, quæ eoſdem conſummat, & perficit: Chriſtus finis hominum eſt, non conſumens, ſed conſummans, non interimens, ſed perficiẽs. Chriſtus (inquit Auguſt. tract. 55.) eſt finis perficiens, non interficiens, finis quouſque eamus, non vbi pereamus. Ipſe eſt finis noſter, in illum eſt tranſitus noſter, &c. Dilexit ſuos in finẽ, idſeſt, in ſeipſum; vt tranſire illos faceret ex mũdo ad ſe, dilexit eos, qui erant in mundo, quique amorẽ ſuum impendebant mundo; dilexit, inquã, in finem, ideſt, in ſeipſum, vt raperet mundo eorum amorem, & in ſe conuerteret. Nulla maior ad amorem inuitatio, (ait Auguſtinus lib. de catechizandis rud. capite 4.) quam præuenire amãdo, &c. Præuenit nos amãdo, vt ex alienis, mundoq; mancipatis, faceret ſuos. Cant. 1. [Ordinauit in me charitatem,] ait ſancta anima, hoc eſt, veluti militũ ordinatũ exercitum, in me amorem immiſit, amore ſuo meum amorem oppugnauit; amorẽ [ordinauit] hoc eſt, in me veluti ſpicula, igneaq; iacula cruciatus direxit, vulnera, opprobria amore ſummo pro me tolerata. Aliter vertitur, [Vexillum eius ſup me amor;] amoris dux mihi beatum infert bellum, igne præliatur, amore vincit, amore ſuo amorem meum redigit in captiuitatem. O beatam captiuitatem qua mundi compedibus amor Chriſti ſe ſubijcit pedibus? In finem dilexit eos.

In finem, id eſt, in Chriſtum.

D. Auguſt. Chriſtus finis noſter.

D. Auguſt. Amore præuenire, eſt ad amandum excitare.

Cant. 1.

[Dei perfecta ſunt opera,] ait Moſes in Cantico: perfectus quoque eſt eius amor; dilexit nos in finem, ideſt, perfectam (ait Diuus Cyrillus) erga ſuos dilectionem oſtendit. Et Theophylactus, Cum dilexiſſet (inquit) dilexit in finem, hoc vult Euangeliſta, quòd nihil omiſerit Chriſtus eorum, quæ facere decet eum, qui multum diligit, &c. Totum amoris iter Dominus perfecit, in finem peruenit itineris, dilexit in finem. Apocal. primo capite, [Pedes eius ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti] &c. Tam longo enim, tamq; difficili, & aſpero itineri cõficiendo, ijs opus erat pedibus, duriſſimo ſimilibus metallo, atque igneis. Durus ad patiendum, igneuſq; amor, pedes duros, ardenteſque fecit, viæ aptauit, & in finem duxit, quia in finem dilexit eos. Ioan. 19. [Non fregerunt eius crura, ſed vnus militum latus eius aperuit,] &c. Nunquam Chriſtus fracta habuit crura, aut defeſſa; integra fuere ſemper, & metallo in fornace charitatis ardenti ſimilia, ad difficillimi itineris metam peruenerunt. Denique in finem dilexit Chriſtus; in finem mortis, quia mortem interemit, in finem peccati, quia peccato finem attulit, iuxta illud Dan. 9. [Vt finem accipiat peccatum,] &c. In finem temporis, & mundi, quia ad finem vſque mundi dilexit; in finem hominis, quia ad beatitudinem quæ finis eſt hominis, hominem ſanguine fuſo adduxit, vbi ſempiternus amor eſt.

In finem dilexit perfectè.

D. Cirillus. Theophyl.

Apocal. 1.

Ioan. 19. Chriſtus nũquam fuit in patiendo defeſſus.

Dan. 9.

O mortales, vt quid diligitis vanitatem? cur mundo amorem Chriſto debitum impẽditis? cur amantem nõ redamatis. Primo Reg. 18. [Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid, & dilexit eum quaſi animam ſuã, &c. Sic typicus Dauid gigantis victor, & Iſraelitarum liberator, amatur; quanam dilectione proſequendus eſt verus Dauid, de Tartareo gigante triumphator, omniumque hominum redemptor? Dauidi victoria contigit abſque cruore, & vulneribus, at Chriſto ex Tartareo regno, peccatoque, victoria maximè cruenta fuit; multũ ſanguinis pro nobis fudit, multa tulit vulnera nr̃æ libertatis vin-

1. Reg. 18. Redamandus eſt Chriſtus.

Digitized by Google

nera nostræ libertatis vindex; cur igitur illi moris glutine non conglutinatur anima nostra? cur illum non diligimus plusquam animas nostras? Etenim si satis fuit Dauidi Ionatham, quasi animam suam amare; nobis satis hoc esse non debet, quia dilectus Christus Deus est. Deus autem plusquam vita, anima, corpusque amandus est. O charitas (ait Iustinianus in libro de ligno vitæ cap. 6.) si contra Deum fortis fuisti, multo magis contra homines preualebis, &c. Heu contra Deum fortis fuit, contra improbos homines non præualet, quorum sunt corda adamantina. O vtinam præualeat contra nos charitas, vtinam iaculis suis ardentibus corda nostra vulneret; vt sub Christo triũphatore feliciter cadamus, qui sub mundo deceptore turpiter iacemus, iuxta illud Psal. 44. [Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum Regis, &c] Nostri triumphatoris sagittæ acutæ sunt, ignitæ sunt, amoris igne flagrant, corda petunt inimicorum summi Regis, vt inimicitias, vitiaque omnia interimant, & ex inimicis faciant amicos. Si corda beato vulnere sauciant, inimici facti amici, sub amante, ac iaculante Christo humilitate prosternũtur, sed charitate mirandum in modum extolluntur. Eodem Psalmo Christo dicente, [Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Specie tua & pulchitudine tua, &c.] Amor gladius est Christi, hoc feliciter sauciati mũdo morimur. Quis nolit ab isto ense mori? Speciosus est Dominus prę filijs hominum, tum humanitate, tum diuinitate. rapiat infinita pulchritudo corda nostra, rapiat mundo amor Christi amorem nostrum; idcirco amat, vt redametur, amantem redamemus. Bern. serm. 83 Cant. Cum amat Deus non aliud vult, quã amari, quippe non ad aliud amat, nisi vt ametur, faciẽs ipso amore beatos, qui se amauerint, &c. Diligamus in finem eum, qui dilexit nos in finem; sit amor noster constans, sit in laboribus perseuerans vsque in finem. Qui enim dilexerit in finem, in beatissimum perueniet finem, qui nullum habebit finem.

Iustinianus | *Psal. 44.* | *D. Bernar.* | *Ideo Deus amat, vt ametur.*

CAPVT VII.

Morale.

De ablutione pedum.

Cum diabolus iam misisset in cor Iudæ.

CHristus Opt. Max. in finem dilexit suos; Iudas in finem dilexit pecuniam. O quantũ amor distat ab amore! Ille diuinus amor erat, hic Tartareus: illum in cor Christi Spiritus sanctus miserat, hunc in cor Iudæ misit spiritus Tartareus. Cum (inquit Euangelista) diabolus misisset in cor Iudæ, vt traderet eum.] Misit prius pecuniæ amorem, postea misit traditionem. Fuit autem hæc missio, vt Augustinus docet tract. 55. Spiritalis suggestio Dæmonis, quæ non per aurum fit, sed per cogitationem. Mittit in corda Christus sagittas suas vt paulò antè ex Psal. 44. dicebamus: [Sagittæ tuæ acutæ in corda inimicorum, &c.] Diabolus quoque in corda sagittas iaculatur suas: [Cum misisset (inquit) in cor Iudæ, &c.] Cor scopus est; si durus est, iacula repellit; si mollis est scopus sagittas recipit. Offeramus Christo cor tenerum, quod illius sagittis salutiferis facilè transfigatur; diabolo cor durum præbeamus, & fidei, charitatisque scudo munitum quod illius iacula mortifera protinus repellat: Christo sagittanti cor pateat: a diaboli iaculis omni custodia seruetur. Diabolus enim (ait Origen. in Io.) velut sagittarius; sagit-

Iudas in finem dilexit pecuniam. | *Cor nostrũ esto scopus sagittarũ Christi, & sagittarum diaboli.* | *Origenes.*

Digitized by Google

sagittas ignitas confecit ijs, qui omni custodia cor suum non seruant, &c. Iudæ cor diabolo patuit, Christo marmore fuit durius. Misit Christus velut sagittas, pedum ablutionem, buccellæ oblationem, proditionis manifestationem, omne durum cor respuit: misit diabolus cupiditatem pecuniæ, & traditionem, mollissimũ cor præbuit, sagittas, lethiferaque vulnera libenter excepit. Origenes: Iudę (inquit) misit diabolus in cor, vt Dominum traderet, cum inuenisset eum non indutum omnem Dei armaturam, nec habentem fidei scutum, quo valet quis omnes mali illius sagittas extinguere, &c. Idem in impijs hominibus euenit. Cor adamantinum Christi inspirationibus; cor obedientissimum diaboli prębent tartareis suggestionibus. [Cum misisset (inquit) in cor Iudæ.] Diabolus mittit, cor verò emittit, iuxta illud Matthæi 15. [De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, &c.] Hæc emittit cor foras operãdo: Diabolus immittit multa suggerendo: Nam non omnia flagitia ex suggestione oriuntur diaboli, multa absque illius opera perpetrat homo. Quemadmodum terra ex seipsa nonnulla, alia verò profert ex semine immisso; sic homo ex seipso vitia multa, alia producit ex semine, id est, suggestione diaboli. Est enim diabolus seminator ille, qui Matth. 13. in agro cordis zizania superseminat. Caue ne diaboli zizania excipias ac foueas: si forte in cor ceciderint, abijce protinus, ne si foueas, amarũ fructum pariant. Si diaboli malum semen Iudas non fouisset, fructum amarissimum, id est, proditionem non protulisset. Hieronymus ad Ephes. 4. Primam (inquit) diabolus in Iudę cor iecit sagittam, vt traderet Saluatorem; quam si exceptam non fouisset, nunquam post intinctum panem, intrasset in illum Satanas, &c.

Facile suadet diabolus, cum cor non inuenit munitum Dei armatura.

Diabolus mala suggerit.

Matt. 13.

D. Hieron.

Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.

ANte oculos habebat Christus infinitam dignitatem, nullisq; terminis circunscriptam maiestatem suam; Dei se esse filium, Patri suo æqualem, omnium rerum Dominum, totiusq; orbis Monarcham, non ignorabat. Attamen a stupendo humilitatis opere, non eum infinita dignitas, non maiestas, non potestas excellentissima reuocauit. Magister discipulorum, Dominus seruorum, potentissimus Rex pauperum, Deus creaturarum infimarum pedes, humi flexis genibus, abluit. Exemplum dedit nobis humilitatis honoratæ; quam Diuus Bernardus, raram in mundo esse ait, hom. 4. super Missus; Non magnum (inquit) est in abiectione esse humilem. Magna prorsus, & rara virtus est, humilitas honorata, &c. Discant ab honoratissimo Magistro, honoratam illam humilitatem viri honorati, quæ in honorum sublimitate seruatur. Ipse honor humilitatis mensura, viro honorato esse debet; quantumq; habeat honoris attendat, tantumque humilitatis exhibeat, sublimitatem dignitatis, demissione exæquet humilitatis: magna dignitas, & magnus honor est; magna sit animi submissio, & magna humilitas. Eccles. 3. [Quanto maior es, humilia te in omnibus, &c.] id est, quanto altiorem honoris gradum obtines, tanto te præbe demissiorem. Augustinus libro de santa Virginitate, cap. 31. Mensura humilitatis, cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est, &c. At multi honores, ac dignitates mensuram faciunt superbiæ; quanto honoratiores tanto sunt arrogantiores instar Luciferi. Insilit in eos crudelis fera arrogantia, nolũtq; illam, facilè cum possint, fugare. Honoribus præcellentes viros, ait Diuus Cyrillus, superbiam veluti feram aggredi, libro nono in Ioannem, capite 3. Solet (inquit) viris illustribus, crude-

D. Bernar.

Rara virtus, humilitas honorata.

Honor humilitatis mensura.

Quãto maior, tãto humilior.

Eccl. 3.

D. August.

Honor mensura humilitatis.

Digitized by Google

crudeli arrogātiæ bestia insilere, &c. Sed facilè fugatur fera hæc crudelis; si humiliter vir illustris procumbat humi, protinus in fugā se bestia dat. Amplioribus (ait Augustinus loco citato) amplius superbia insidiatur &c. In ipsa amplitudine, quasi in nemore condenso superbia absconditur, ibique insidias parat; sola effugit humilitas paratas insidias, si humilitas nō adsit, in insidias incides. Idcircò Diuus Augustinus eos vult maximè humilitatem sectari, qui alijs præcellūt bono aliquo, libro de S. Virgin. cap. 33. Cum (inquit) Christianis omnibus custodienda sit humilitas, tum maximè virtutis huius sectatores, & conseruatores, eos esse conuenit, qui magno aliquo bono cæteris eminēt, vt magnopere curent illud Ecclesi. 3. Quanto maior es, humilia te in omnibus, &c.

Quā necessaria humilitas ī dignitate fulgentibus.

Ait Theophylactus hoc loco non timuisse Christum gloriæ suæ diminutionem, etsi ablueret discipulorum pedes, quia gloriam non rapuerat, iuxta illud ad Philip. 2. [Non rapinā arbitratus est, esse se æqualem Deo, &c. Sed innatam habebat, & propriam, nec timebat illa excidere, quamuis nimium se dimitteret. Et propterea (inquit Theophylactus) qui generosi non sunt, non dignantur humile quiddam facere; quoniam gloriam rapiunt, nolentes vllo modo humiliari, ne perdant quod rapuerunt, &c. Humiliet ergo se vir generosus ne honorem rapuisse videatur; sed ita insitum habere, atque innatum iudicetur, vt nulla sui ipsius abiectione possit maculam aliquam recipere. At quid nam dixi? Nunquid humilitas est abiectio? nunquid humilitatis opera abiecta sunt? Minimè sanè. Imò humilitas honor est ipsius honoris, iuxta illud Augustini sermo. 213. In summo honore summa tibi sit humilitas. Honoris laus, humilitatis virtus, &c. Dignitates illa illustrat; & quemadmodum picturam vmbra, sic honores eminere facit. Adeò verò excelsa est, adeò excelsæ sunt eius actiones, etsi videantur in-

Ad Phil. 2.

Theophyl.

Humilitas est honor ipsius honoris.

D. August.

A sipientibus abiectissimæ, vt nulla illis possint adæquari ducum superba trophæa. Humilitatem sublimitatem esse, sublimis Rex ostendit, ad pedes prostratus discipulorum. Valdè excelsa, sublimisq; humilitas est, quam tam excelsus, sublimisque Rex complectitur, suique regni proceribus exemplo cōmendat. Regni enim Christi proceres, magnates, & optimates, humiles sunt, iuxta illud Matthæi 18.

Humilitas est excelsa.

B [Quicunque humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum,] &c. Quasi dicat, hic ex proceribus est, & magnatibus Regni mei. Doctor orbis Christus fuit, doctorque virtutum omnium, adeò verò humilitatem præ se tulit, totque modis homines illam docuit, vt Diu. Augustinus humilitatis illum Doctorem appellet, lib. indicato de S. Virginit. capite 31. & capite 35. Non dicit

Christus fuit humilitatis doctor.

August.

C (inquit) Christus, discite à me mundum fabricare, aut mortuos suscitare; sed, [Quia mitis sum, & humilis corde,] &c. Discamus à tanto doctore præclarissimam humilitatis doctrinam. In finem equidem dilexit eam; in fine vitæ præclarissima illius documenta & exempla nobis exhibuit. Sciens quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, lauit discipulorum pedes, ante eos prostratus. Qui à Deo exeunt &

D ad Deum vadunt, ij humilitatem sectantur; obseruauit hoc Theophylactus: Considera (inquit) quòd humiliari opus est eius, qui à Deo egressus est, & ad Deum vadit; superbire, & fastuosum esse, opus est eius, qui à Dæmonibus exiuit, & ad Dæmones vadit, &c. Et Diuus Gregorius libro 34 Moral. cap. 17. Hoc (inquit) proprium esse solet specimē electorum, quòd de se semper sentiunt infrà quā

Theophyl.

Humiliari, opus est Dei filij, superbire verò, opus filij diaboli.

E sunt, &c. Superbi autem à Dæmone discūt, & ad eum multis se sceleribus inquinantes vadunt; quia, vt Iob ait capite 41. [Ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ,] &c Christus autem Rex est super omnes filios humilitatis Intuere huius Regni summi curiam, Apoc. 4. Regem cernes celso sedentem in throno; circundant illum

Iob 41.

Apocal. 4.

viginti

Digitized by Google

uiginti quatuor throni, in quibus viginti quatuor Seniores sedent. De his eodem capite dicitur; [Procidebant 24 Seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebãt coronas suas ante thronum.

CAPVT VIII.

Morale.

De ablutione pedum.

Ponit vestimenta sua, &c.

POsuit Dominus vestimenta, vt pedes discipulorũ ablueret, ne impedirẽt: ponamus nos impedimenta, vt nostros abluamus affectus, nostrumq; permundemus animum. Vide Christiane, quidnam tibi sit impedimẽto, ne sordidum cor abluas; quidquid illud est tolle. Expeditè, & alacriter Dominus opus humilitatis, ac charitatis perficit, ponit vestimenta, mittitque ipse aquam in peluim: expeditè diligenterque docet opera bona perficere. His duo aduersantur hostes, nimirum desidia siue negligẽtia, & gloria inanis; si humilia sunt opera, & abiecta, inuadit nos desidia; si illustria sunt, inanis gloria. Excute desidiam in abiectis, excute inanem gloriam in illustribus. Lege Diuum Gregorium libro 9. Moral. cap. 17. ad illa verba; [Verebar omnia opera mea: duo vitia ait in operibus formidanda, desidiam, & fraudem, iuxta illud Ieremiæ 48. [Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter:] Septuaginta vertunt, [Negligenter.] Desidia (inquit Gregorius) per torporem nascitur, fraus per priuatam dilectionem, &c. fraudem ait tunc in operibus committi, cùm propter inanem gloriam fiunt, non propter Deum, in quem debent dirigi omnia; desidiam, cùm torpemus, neque expeditè, & alacriter operamur. Expediuit se Dominus veste, linteo se præcinxit, alacriter misit aquam in peluim.

Impedimenta ablutionis amouenda.

Duo vitia fugiẽda desidia, et inanis gloria.

D. Gregor. Ierem. 48.

Ab operibus bonis abesse debet inanis gloria.

[Cœpit lauare pedes discipulorum;] Cœpit (inquit) & ad finem vsque opus perduxit. Sapientia enim diuina, vt legitur in lib. Sap. capite 8. [Attingit à fine vsque ad finem fortiter, &c.] Potuit Iudæ traditio obstare, cursumque remorari, ne ad finẽ vsque attingeret, cæteros ablueret, traditorem inablutum relinqueret; sed peruenit ad finem ablutionis fortiter, neque illud tantum facinus vllo modo remoratus est. Cœpit autem à Petro. Obstupefactus ille exclamauit; [Domine tu mihi lauas pedes?] Obstupescite ò cæli cum Petro super hoc, obstupescite Angeli, & exclamate; Deus coram hominibus prosternitur, Deus hominibus lauat pedes? Nonne vos illius serui estis? non vocat vos, non iubet aquã mittere in peluim, peluim pedibus Apostolorum non præcipit admouere, aut pedes abluere; ipse serui instar facit omnia. Is de quo cecinit vates Psalm. 44. [Accingere gladio super femur tuum potentissime,] & Psalm. 92. [Induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se virtute, &c.] nunc non gladio, non fortitudine, sed linteo præcinxit se. Is qui ex nubibus aquas mittit in terras, ad producendos flores, fructusque omnis generis; nunc manibus suis ex vase mittit aquam in peluim, ad abluendos pedes hominum, idque non semel, sed sæpius; Duodecim enim lauit discipulos, postquàm verò vnum abluerat, aquam ipse ex pelui effundebat, mundamque aliam infundebat, vt alterum ablueret. Iustinianus lib. de Christi agone capite 3. putat pedes non solum lauisse, sed oscula etiã addidisse; O humanæ (inquit) pudor superbiæ; ò alti-

Sap. 8.

Stupendum Christi factum, ablutio pedum.

Iustinianus

Digitized by Google

Lauat, & osculatur pedes Dominus.

ò altitudinis terrenæ confutatio singularis? videre Dei filium aquam infundere, & refundere, pedum puluerem abluere, & linteo extergere, atq; singulorum pedibus oscula imprimere dulcissimæ charitatis, &c. omnia Dominus manibus suis facit, non manibus seruorum; laudabilius enim est misericordiæ opera proprijs facere manibus, quàm seruorum; vnde Hieron. in epitaph. Fabiolæ: Quoties (inquit) morbo regio & pedore confectos humeris suis ipsa portauit? quoties lauit purulentam vulnerum saniem, quam alius aspicere non valebat? præbebat cibos propria manu, & spirans cadauer sorbitiunculis irrigabat. Scio multos diuites, & religiosos, ob stomachi angustiam exercere huiusmodi; per aliena ministeria, & clementes esse pecunia, nō manu: quos equidem non reprobo, & teneritudinē animi, nequaquàm interpretor infidelitatem; sed sicut imbecillitati stomachi veniam tribuo, sic perfectæ mentis ardorem in cælum laudibus effero. Magna fides ista contemnit, &c sic D. Hieron.

Quid significent particula, Tu, & mihi.

Meritò obstupescit Petrus, & exclamat, [Tu mihi lauas pedes? illud, [Tu,] totam Dei includit maiestatē, illud, [Mihi,] totam creaturæ indicat vilitatem. Plus distat illud, [tu,] ab illo, [mihi,] quàm distat cælum supremum à terra infima. Distat enim tantùm, quantùm Deus distat à creatura, quantùmque distat summum & infinitum ens, à nihilo. Lege Iustinianum de triumph. Christi agone capite 3. Obstupefieret homo si cælum videret terræ substerni. En, non cęlum, sed cæli Dominus, terrenis pedibus abluendis prosternitur. Quis non rapiatur in admirationem maximam? vidit olim Ioseph Genes. 37. somniū admirandum; [Vidi] (inquit) [per somnium quasi Solem, & Lunam, & Stellas vndecim adorare me,] &c. At quod Petrus non per somnium, sed re ipsa videt, multò est admirabilius; non Solem, & Lunam, & Stellas, sed Solis, Lunæ, Stellarumque Creatorē, ante pedes suos cernit prouolutum;

Gen. 37.

obstupescit, pedes ablutioni negat; [Non laudabis] (ait) [mihi pedes in æternum,] &c. O diuinam Petri reuerentiam, Deique venerationem? Ab amantissimo enim, obseruantissimoque Domini sui, nō ab inobedienti pectore profecta sunt hæc Petri verba. Quis non horresceret prostratum videns coram se Dominum? quis pedes proferre, prouolutum coram se cernens Seraphinorum summum Regem? Prodigium appellat Iustinianus d. cap. 3. Petrus (inquit) ad tanti expauit aspectum prodigij, &c. Item, à sæculis non est auditum tantæ humilitatis prodigium, &c. Mirabilis (inquit Diuus Cyrillus) horrorisque plena res erat. Quis enim non perhorruisset, cùm Dominum omnium huiusmodi ministerium discipulis exhibere videret, &c. horribilis erat peluis in manibus Domini; velut horribile, profundumque pelagus, refugiebat illam Petrus, pedes immittere non audebat: [Non lauabis] (inquit) [mihi pedes in æternum.] Territo, alium incutit Dominus terrorem, clauum clauo trudit, timoris stimulo in pelum m ducit refugientem. [Si non lauero] (inquit) [te, nō habebis partem mecum.] &c. Hic est Sanctorum terror, hic horror, non habere cum Christo partem, à Christi societate depelli. Nihil refugient, vt hoc vnum fugiant; omnia perpetientur, ne hoc vnum patiantur; ab omnibus mundi rebus se separabunt, ne à Deo separentur: dummodò cum Christo habeant partem, cū re nulla mundi habebunt partem. Hinc illud Pauli ad Roman. 8. [Quis me separabit à charitate Christi,] &c.

Petri reuerentia.

Iustinianus

D. Cyrillus.

Sancti separationem à Christo horrent.

Rom. 8.

Præcepit Christus his verbis Petro, obedientiamque imposuit, quam si non obseruasset, cum Christo partem non habuisset. At ille verè [Simon,] id est, [audiens,] siue [obediens.] continuò obtemperauit [Dicit ei Simon Petrus] (ait Euangelista) [Domine non tantū pedes meos, sed & manus, & caput,] &c Rupertus: Hoc (inquit) obedienter secundùm nomen suum bene locutus est Simon.

Obedientia Petri.

Rupertus.

Simō, idem est ac obediens.

Simon. Simon namque interpretatur obediens. Bene ergo nō vt paulò antè dixit Euāgelista; [Dicit ei Petrus.] sed, [dicit ei Simon,] id est, obediēs Petrus: [Domine non tātùm pedes, &c.] Hæc Rupertus. Obedientiā præstitit Simon, id est, obediens celerem, cæcam, abundantem; quæ tres sunt sanctæ obedientiæ præclaræ notę.

Obedientia tres notæ.

Celerem præstitit obedientiam, quia cognita Christi voluntate, nihil est cunctatus, nihil tergiuersatus, iuxta illud Psalm. 17. [In auditu auris obediuit mihi, &c.] In auditu auris, cùm primum aure mandatum accipit, statim obediens paret; sic Petrus. Cæcam præterea exhibuit obedientiam, quia obtemperauit, quamuis horribilis sibi præcepti causam ignoraret, iuxta illud: [Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem posteà, &c.] Obediens nunc causas obedientiæ ignorat, & instar cęci obedit; sciet autem posteà, cùm summam ex obedientia gloriam perceperit.

D. Gregor.

Diuus Gregorius lib. 1. Reg. cap. 3. Vera (inquit) obedientia neque præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit. Quia qui omne vitę suæ iudicium maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi pręcipitur, operatur, &c. Abundantem quoque, & cum cumulo exhibuit Petrus obediētiam, quoniā plus obtulit, quàm Dominus postulabat: [Nō solùm] (inquit) [pedes meos, sed & manꝰ, & caput, &c.]

D. Bernar.

Perfecta obedientia (ait Bernardus in tract. de præcept. & disp.) legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustijs professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis; & ad omne, quod iniungitur spontanea, vigore liberalis, alacrisque animimodum non considerans, in infinitam libertatem extenditur. Sic ille. Addam quod ait Theophylactus Ioan. 1. ad illa verba: [Tu es Simon, filius Iona:] Scias (inquit) quòd [Simon] interpretatur [obedientia, Ionas, columba;] igitur mansuetudinis, quæ per columbam significatur, filia est obedientia; & qui habet obedientiam etiam ipse Petrus efficitur, per obedientiam proficiēs, vt firmetur in bono; Hæc Theophylactus.

Theophyl.

Obediens columba est, & Petra.

Ex quibus colliges Simonem, id est, audientem, siue obedientem, filium esse Ionæ, id est, columbæ, moribus præditum columbinis, simplicitate, mansuetudine, modestia, esseque etiam Petrum, siue Petram, vel rupem, in religione firmum, iuxta illud Exod. 20. [Honora patrē tuum, & matrem tuam, vt sis lōgæuus super terram, &c.] Obediēs enim, qui obediendo patrem suum, id est, superiorem, & matrem suam, id est, religionem honorat, longæuus est super terram, id est, in ipsa religione perseuerat firmus, & immobilis, vt petra, siue rupes. Simon Petrus est, id est, obediens, & constans.

CAPVT IX.

Morale.

De ablutione pedum.

Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet.

SIgnificabat ablutio illa externa sub aspectū cadens, ablutionē animi internam, & affectuum, quæ ab aspectu remota est. [Vos] (inquit) [loti estis, & mūdi, sed non omnes;] aderat enim Iudas sordidissimus. Indigetis ablutione pedum, id est, affectuum, & peccatorum venialium, non alia maiori mortalium, siquidem ijs non estis coinquinati. Magna concionatoribus, quales Apostoli fuerunt, internæ ablutionis, ac puritatis cura esse debet: mortifera nō solùm scelera, sed etiam venialia magnoperè fugiant, quæ pedes, id est, affectus humi gradientes, instar pulueris

Concionatores peccata fugiant etiā venialia.

uerís

ueris venialiter solent inquinare; iuxta illud Diui Leonis ser. 4. de Quadragesima: Dum per varias actiones vitę huius solicitudo distenditur, necesse est, de mundano puluere etiam religiosa corda sordescere, &c. Mundanum puluerē peccata appellat venialia. Rupertus quoque hoc in loco: Ipsa (inquit) peccata, quæ non omnino potest effugere humana vita, per puluerem pedum solent significari, &c. De concionatoribus verba illa Christi exponit discipulis concionatoribus dicta Matth. 10. [Excutite puluerem de pedibus vestris;] oportet enim maximè diuini verbi Doctores non solùm maiora, sed minora quoque peccata excutere: vt non habeant (ait Rupertus) imprudētes homines, ob quam vitæ nostræ reprehensionem, videantur sibi quasi rationabiliter prædicationē nostram contemnere, &c. Sed difficile est puluerem hunc mundanum effugere, ideò timet sancta anima cùm à Deo ad docendum vocatur, iter puluerulentum aggredi, ex sententia Augustini. Nam tract. 56. in Ioannem, verba illa Cant. 5. [Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos, &c.] De concionatore interpretatur. Petit Dominus: [Aperi mihi soror mea, &c.] id est, vt Augustinus exponit, prædica me. Nam concionatoris lingua, clauis est aurea qua Spiritus sanctus Deo clausa corda aperit. Timet concionator rerum diuinarum contemplationi deditus, mundoq; mortuus, mundanum puluerem, inanem gloriam, aliaque venialia peccata, quæ concionantem possunt inquinare, & respondet: [Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? quasi dicat: Timeo Domine aperire tibi, quia vt aperiam oportet pedibus, quos laui, terram calcare, quòd si terrâ calcarint, timeo ne sordibus inficiantur. Augustinus; Quando (inquit) Christum prædicamus, terram calcamus, vt illi aperiamus, & ideò si reprehendimur, perturbamur: si laudamur, inflamur, &c. Addit: Tutius veritas auditur, quàm prædicatur: quia cùm auditur, humilitas custoditur: cùm autē prædicatur, vix non surrepit cuiuis hominum, quantalacunque iactantia, in qua vtique inquinantur pedes. Sic ille; precaturque Christum, Lana Domine pedes nostros antè mundatos, sed cùm ad aperiendum tibi per terram pergimus inquinatos, &c.

D. Leo. *Rupertus.* *Matth. 10.* *Puluis mūdanus sunt peccata venialia.* *D. August. Timet vir contemplationi deditus concionari.* *D. August. Tutius est audire, quā prædicare.* *Non ita facilè custoditur in concionatoribus humilitas.*

Timet anima aperire, timet puluerem; veruntamen surgit vt aperiat. Sed myrrhas plenas fert manus: [Surrexi] (inquit) [vt aperirem dilecto meo: manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima, &c.] Aperiant Christo ij, quorum manus, id est, actiones mortificatione, veluti myrrha plenæ sūt. Egregiè pedes manusque defendit myrrha, id est, mortificatio, quæ mundanum puluerem longè pellit: quia solùm quærit Domini gloriam, auditorumque vtilitatem. hæc concionatoris, id est, affectus, speciosos, pulchrosque efficit, iuxta illud Isaiæ 52. [Quā pulchri] (inquit) [super montes pedes annuntiantis, & prædicātis pacem: annuntiantis bonum, prædicantis salutem, &c.] Origenes tunc hoc vaticinium putauit impletū, cùm Christus discipulorum pedes lauit. Quando (inquit) Dominus lauit pedes discipulorum, tunc opinor illud prophetice dictum de Apostolis completum fuisse: [Quàm speciosi pedes euāgelizantium bona, &c.] Alio quidem tempore impleta sunt Isaiæ verba, cū Apostoli orbem terrarum speciosis corporis pedibus percurrerūt, æternamque hominibus salutē annuntiarunt. Pedes autem animi, id est, affectus, tunc speciosos Christus effecit cùm eos lauit, & ab omni terrenarum rerum cupiditate permundauit. Hi enim sunt pulchri pedes, hi speciosi, qui myrrha perfusi odorifera, cælestes domos perambulant, terrena verò omnia conculcant. Vnde D. Hieronymus Epistola 142. ad Damasum de visione Isaiæ: Vult (inquit) Dominus, Apostolos à delictis penitus liberare, vt eis possit prophetalis sermo congruere, quā speciosi pedes euangelizantium pacem, &c.

Cant. 5. *Concionatoris mortificatio.* *Isai. 52.* *Origenes.* *Pedes animi sunt affectus.* *D. Hieron.*

Mundi

Mundi estis, sed non omnes.

QVod in Collegio Christi cernimus, id in Ecclesia reperitur. mundi erant Apostoli, sed nō omnes erat vnus auaritiæ sordibus maculatus. Vtinam mundi essent omnes in Ecclesia, sed non est huius sæculi, omnium munditia; cælestis est regni Apoc. 21. [Ciuitas aurum mundū.] Tota illa ciuitas mundissima est, auri instar mundissimi, absque vlla scoria peccati: in terris multi mundi sunt, sed non omnes; est triticum in area, sunt etiam paleæ, sunt etiam zizania; sunt boni pisces in sagena, sunt & mali; sunt animalia munda in arca veri Noè, sunt & immunda. Aug. Ps. 25. in præfat. Nemo (inquit) quærat exire totam paleam, nisi tempore ventilationis, &c. Aderit iudicij tempus, tum triticum a palea separabitur in horreum; interim tolerandus est Iudas, tolerandi sunt impij, & ad mundiciam, verbis, exemplo, bonisque operibus prouocandi, sicut Dominus Iudam satis superque prouocauit.

Apoc. 21.

In Ecclesia nō sunt mūdi omnes.

D. August.

Mundi erant Apostoli, Iudas solus immundus. O quam immundos habebat pedes, tum corporis, tum animi! corporis pedes abluit Dominus, abluendosque præbuit proditor; animi pedes non abluit, quia ablui ille noluit. quemadmodum corporis pedes lauit, sic animi lauisset pedes, si mundari immundus voluisset. Miserat iam diabolus in cor Iudæ, vt traderet eum: sciens autem Dominus, quia omnia tradidit ei Pater in manus, etiam traditorem ipsum morti Tartaroque mox tradere noluit in manus sibi traditum. Tradidit Deus in manus Dauid hostem Saulem, primo Reg. 24. [Et dixerunt serui Dauid ad eum; Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te, ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei, sicut placuerit in oculis tuis, &c.] Dauid vero, [Propitius (inquit) sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est, &c.] id est, quia Rex vnctus est, pepercit Dauid typicus Regi suo sibi in manus tradito; Christus verus pepercit traditori suo. Discant Christiani a Christo, discant a Dauide, inimicis suis parcere, etsi lædere possint, vindictamque sumere, in manus traditos ne lædant. Nec solum parcant, sed beneficijs prouocent ad amicitiam, vt Iudam Christus prouocauit. Cum Saulem in manus traditum Dauid nollet occidere, comites verò id cuperent maximè 1. Reg. 24. [Confregit Dauid viros suos sermonibus, & non permisit eos, vt consurgerent, &c.] Dauid viros suos sermonibus confregit, ne vita Saulē priuarent; Christus vero neque sermonibus cor Iudæ confregit, neq; beneficijs D. Hieron. in epist. ad Rusticum: Iudas (inquit) de Apostolatus fastigio in perditionis Tartarum labitur, & nec familiaritate conuiuij, nec intinctione buccellæ, nec osculi gratia frangitur, &c. Cur ita? quia voluntas hominis Deo ipsi resistit; qui statuit neminem ad conuersionem cogere. Ad Ro. 12 ait Apost. [Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius. Noli vinci a malo, sed vince in bonū malum, &c.] Hoc Apostoli documentū exemplo confirmauit, Christus non est victus a malo, id est, Iudæ proditione, & scelere maximo, neq; .n. vinci poterat a malo tanta bonitas. Vincere in bono voluit malū, sed vinci noluit malus Iudas a tāto bono. Aduersarium, traditoremq; in mensam suam adduxit, cibo suo cibauit, potū suum illi dedit, ardentes carbones multos, multa beneficia congessit super caput eius. At [qui edebat (ait) panes meos,] Psalm. 40. [Magnificauit super me supplantationem, &c.] neque incenderunt frigidissimū caput, & gelidissimum cor, tot ardentes carbones, neque extinxerunt ardentem auaritiæ ignem, aquæ illæ in peluim fusæ: quia neque in caput, id est, intellectum, neque in cor, id est, affe-

Iudas pedes animi non tradidit abluendos.

1. Reg. 24.

Inimicis parcendum

1. Reg. 24.

D. Hieron.

Iudas a Christo ad conuersionē prouocatus.

Rom. 12.

Ardentes Christi amoris carbones Iudam incēdere nō potuerunt.

affectum, peruenerunt. Infelix enim proditor, neque intellexit illius potentiam, maiestatem, & amorē; qui pedes proditionis luto inquinatos abluebat, neque illius amorē, cor frigidius glacie concepit. Denique, dixit Petro Dominus; [Si non lauero te, non habebis partem mecū.] Non enim habet partem cum Christo is, qui cum mortiferi sceleris sordibus sit contaminatus, ablui non vult. Iudas proditionis crimine inquinatus, ablui noluit; partem cū Christo non habuit, habuit cum diabolo. Ambr. lib. 7. epist. 25. Immisit (inquit) se diabolus in cor Iudæ, quasi possessionē suam vendicans, quasi portionis suæ ius retinens, quasi dicens: Non est tuus (ò Christe) sed meus est minister; tuus proditor, &c.

Mortalis culpa conscius, partē cum Christo non habet.

CAPVT X.

Morale.

De pedum ablutione.

Ioan. 1. Ablutio discipulorum, spiritalē animorū ablutionē adumbrat.

DIscipulorum illa ablutio, aliā præcellentiorem adūbrabat, de qua Ioan. Apoc 1. [Dilexit] (inquit) [nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo &c.] Posuit Dominus vestimenta sua illa regia ac maiestate plena, de quibus Psalm. 103. legitur: [Amictus lumine sicut vestimento, &c] Linteo purissimæ humanitatis præcinxit se ad Philip. 2. [Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens] Misit aquā in peluim, Psalm. 21. [sicut aqua effusus sum, &c.] Effusus enim est sicut aqua, Christi sanguis in peluim Sacramentorum; qua non pedes solum, sed & manus, & caput, totusque homo abluitur. Gen. 49. [Lauit in vino stolam suam;] id est lauit sanguine Ecclesiam suam. Ad Titum 2. [Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operū, &c.] Redemit autem nos, atque abluit, & mūdauit sanguine suo. D. August. tracta. 55. in Ioannē: Quid mirum (inquit) si misit aquam in peluim, vnde lauaret pedes discipulorum, qui in terram sanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum? &c. Zachar. 12 [Erit fons patens domui Dauid in ablutionē peccatoris, &c] Patet omnibus fons, patet peluis, omnes Dominus vult abluere, ad peluim nos vocat Isaiæ c. 1. [Lauamini] (inquit) mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, &c.]

Psal'm. 103. ad Phil. 2. Psal. 21. Sāguis Christi in Sacramentis fusus non lauat. Gen. 49. ad Tit. 2. D. August. Zacha. 12. Omnes vult Christus ab luere.

Horreamus illud, quod D. Petrus horruit, [Si non lauero te, non habebis partem mecum, &c.] Quē enim non lauerit Dominus suo sanguine, is ab eius societate depellitur in sempiternum. Vnusquisq; igitur Christo se abluendum offerat, & cum Petro dicat: [Domine non tantum pedes meos ablue, sed & manus, & caput.] Hæc enim tria oportet ablui, & mūdari, caput in primis, id est, intellectum, vt pura fide niteat, pedes animi, id est, affectus, vt nullo terrenæ cupiditatis luto sordescant; manus, id est, opera, vt omni peccati macula careant. Clamet vnusquisque cum Dauide Psalm. 50. [Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me, &c.] D. Hierony. vertit; [multum laua me.] D. Aug. [magis, magisque laua me.] Pagninus, [plurimum laua me,] etenim sæpe oportet ad Sacramentorum peluim accedere, animumque lauare amplius, magis, magisque, & plurimū. Leprosum Naaman non semel tantū iussit ablui Eliseus in Iordane, sed sępius, 4. Reg. 5 [Vade] (inquit) [& lauare septies in Iordane, &c.] Is qui munditiam animi conseruare vult, sæpius ad peluim confessionis accedat, vt super niuem dealbetur, iuxta illud Psa. 50. [La-

Abluenda tria. Psal. 50. Confitenda peccata sępius. 4. Reg. 5.

50. [Lauabis me, & super niuem dealbabor, &c.] Fiatque illis columbis similis, quæ, vt legitur Cant. 5. [Lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.] Veluti lacte sunt lotæ columbinæ animæ, quia candore præstant, lacteo, ac niueo: resident iuxta fluenta plenissima, quia iuxta Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ plenissimos fluuios permanent, & si quas contrahunt sordes, protinus in his se fluuijs mergunt.

Cant. 5.

Pedes maximè oportet abluere, id est, affectus animi, quemadmodum enim pedibus corpus, ita affectibus mouetur animus. Eò corpus tendit, & rapitur, quò pedes ducunt, eundẽ in modum, eò tendit, rapiturque animus, quò ducunt affectus. Mundi pedes, id est, affectus, in sancta, puraque opera animum ducunt; immundi ad sordidas rapiunt actiones. Iræ affectus in vindictam rapit, amor turpis in libidinem, auaritia in rapinas, inuidia in detractionem. Heu quàm turpes sunt gressus spiritales hominis, qui lutulentis pedibus graditur! Iudę intuere pedes fœdissimos, ac sordidissimos, quibus ad proditionem raptus est. Contrà pulcherrimi sunt gressus illius animæ, quæ mundis incedit pedibus, id est, affectibus; quæq; vt eos ab omnibus defendat sordibus, calceamentorũ vtitur dura munitione. Vnde illud Cant. 7. [Quàm pulchri sunt gressus tui, in calceamẽtis, filia principis, &c.] Affectus autem pedes esse docet D. August. tract. 56. in Ioannem his verbis: Ipsi humani affectus quasi pedes sunt, vbi ex humanis rebus afficimur, &c.

Affectus animi abluendi.
Cant. 7.
D. August.
Humani affectus, pedes sunt animi.

Denique quod feria sexta Dominus erat in passione facturus, id feria quinta ablutione pedum adũbrauit. Nam feria sexta, antequàm in crucem ageretur, vestimenta sua posuit, cùm nudatus est, præcinxit se linteo honestatis causa, misit ex cruce aquam in peluim, qua abluimur, id est sanguinem misit in Sacramento, quo mundamur. Ipse verò, non alius, discipulos abluit, quia solus ipse hominum sordes, id est, peccata potuit abluere, non Angelus, non Seraphinus. Admirabilis fuit ablutio feriæ quintæ, sed multò admirabilior fuit ablutio feriæ sextæ. Admirabile fuit mittere aquam in peluim, & lauare pedes discipulorũ, admirabilius mittere sanguinem ex venis, & abluere sordes animorum. Lege Rupertũ lib. 5. de diuinis offic. c. 20 Surrexit (inquit) Dominus ex conuiuio paternę gloriæ, & posuerat vestimenta sua, quia semetipsũ exinaniuit, & carne nostra quasi linteo præcinctus, sanguinem suum quasi aquam effudit in peluim. Atque inde quotidie lauat pedes nostros cum illum in remissionem peccatorũ sumimus. Postquam lauit pedes, accepit vestimenta sua; postquam enim ministerium nostræ salutis peregit, recepit vestimenta gloriæ; Sic ille.

Exemplum dedi vobis.

Eximium legatum nobis relinquit Dominus, morti crucique proximus, videlicet exemplum suũ. Corn. Tacitus lib. 15. Annalium, de Seneca morti vicino sic scribit: Poscit testamenti tabulas: denegante centurione, conuersus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod vnum iam tamen, & pulcherrimum habebat, imaginem vitæ suæ relinquere testatur, &c. Reliquit Philosophus amicis suis, velut legatum, imaginem vitæ suæ: nobis Christus aliud legatum relinquit infinito pretio præcellentius, aliam sanctissimæ vitæ suæ imaginem, quæ sic sanctitate omnes hominum vitas antecelluit, vt sol minimas antecellit ignis scintillas. Speculum nobis legat pretiosissimum, quod intueamur semper, eiusque intuitu animos nostros exornemus; vestes legat fulgentissimas, quibus illos decoremus [Induimini Iesum Christum,] ait Paulus Roma. 13. Tunc autem Christum induimus cum illius vitam sanctissimam imitamur, & virtutibus, quibus illa fulget, veluti pretiosis indumentis,

De exemplo Christi.

Rom. 13.
Christũ induimus cũ eius vitam sanctissimã imitamur.
Aggæus 2.

tis, nos exornamus. Aggæi 2. [Ponam te quasi signaculum, &c.] ait Dominus Zorobabeli. Signaculũ nostrum verus est Zorobabel Christus, cuius vitæ imaginem pulcherrimam, vitæ nostræ ita debemus imprimere, vt non nomine solo, sed etiam vita à Christo Christiani appellemur. Vnde Chrysostomus orat. 5. contra Iudæos in fine; Propterea (inquit) Christianus es, ideò hoc nomen accepisti vt Christum imiteris, eiusque legibus operum exhibitione pareas, &c. [Pone me vt signaculum super cor tuũ] (ait Dominus Cant. 8.) [vt signaculum super brachium tuum, &c.] Ponendus enim Christus est, velut signaculum super cor, vt cordi nostro virtutes imprimat suas. Ponendus est super brachium dextrum, & super manus, vt tum brachio tũ manibus imprimat opera sua.

Chrysosto. Christianus imitator Christi.

Cant. 8.

At quis poterit eximias Christi virtutes operaque imitando exæquare? Nemo, At verò non exæquationẽ postulat, sed pro nostra tenui parte imitationem. [Exemplum] (inquit) [dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita, & vos faciatis, &c.] in quem locum Chrysostomus: Quid significat (inquit) hæc particula, [Ita?] secundùm possibilitatẽ. Propterea enim à maioribus rebus accipit exempla, vt saltem minus faciamus. Etenim magistri pueris literas quàm pulcherrimas scribunt, vt vel in deterius imitentur, &c. Quemadmodum pueri pulcherrimos magistri characteres, ad imitandum sibi propositos, conantur imitatione affingere: sic Christi nobis proposita

D. Chris.

Similitudo.

A pulcherrima exempla, pro virili emitamur operibus exprimere, etsi admirabilem illius perfectionem assequi non possimus. De nonnullis Diui Basilij imitatoribus, sic ait Diuus Gregorius Nazianzenus in oratio. de Sancto Basilio. Multos iam Basilios specie tenus videre licet, statuas nimirum in vmbris. Multum enim fuerit, si repetitam Echus vocem esse dixero. Nam illa quãuis postremam B duntaxat vocis partem, expressius tamen effingit; hi autem longius ab eo distant, quàm quantum accedere concupiscunt. Hæc ille. Erant imitatores illi similes Echo; sic nos, si cum Christo conferamur, similes sumus Echo: quia quemadmodum illa voces imperfectè refert, sic nos Christi virtutes admirabiles imperfectè exprimimus. Veruntamen ad perfectam imitationem aspirandum est, C ante oculos exemplar semper habendum, iuxta illud Exod 25. [Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est, &c.] In monte Sinai exemplar tabernaculi fabricandi ostendit Dominus Mosi; in monte autem Sion vbi cœnaculum erat, & in monte Caluariæ vbi cruci suffixus est, demonstrauit nobis exemplar omnium virtutum, præcipuè patientiæ, humilitatis, chari- D tatis, mundique contemptus Inspice Christiane, & fac secundum exemplar, quod tibi in montibus mõstratum est. Inspice prius, deinde fac: Christi actiones præclarissimas meditare, volue animo, mentis oculis intuere, deinde fac secundum exẽplar, quod ante oculos tibi proposuisti.

D. Gregor. Nazianz.

Imitatores Echo similes.

Exod. 25.

C A-

CAPVT XI.

De prædictione proditionis Iudæ.

MATTHAEVS CAPITE XXVI.

ET edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia vnus veſtrum me traditurus eſt. Et contriſtati valde, cœperunt ſinguli dicere: Nunquid ego ſum, Domine? At ipſe reſpondens, ait: Qui intingit manum mecum in paropſide, hic me tradet. Filius quidē hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo: Væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur; bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. Reſpondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego ſum Rabbi? Ait illi: Tu dixiſti.

MARCVS CAPITE IV.

ET diſcumbentibus eis, & manducantibus, ait Ieſus: Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, qui manducat mecum. At illi cœperunt contriſtari, & dicere ei ſingulatim: Nunquid ego? Qui ait illis: Vnus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino. Et Filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de eo: Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur, bonum erat ei, ſi non eſſet natus homo ille.

LVCAS CAPITE XXII.

VEruntamen ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa. Et quidem Filius hominis, ſecundum quod definitum eſt, vadit. Veruntamen væ homini illi, per quem

tradetur. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus eßet.

IOANNES CAPITE XIII.

CVm hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit: Amen, amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. Aspiciebant ergo ad inuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est, de quo dicit? Itaque cùm recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei: Domine quis est? Respondit Iesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxißet panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Et post buccellam, introiuit in eum Satanas. Et dixit ei Iesus: Quod facis, fac citiùs. Hoc autem nemo sciuit discumbentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis vt aliquid daret. Cùm ergo accepißet ille buccellam, exiuit continuò. Erat autem nox. Cùm ergo exisset, dixit Iesus: Nunc clarificatus est Filius hominis, & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso. Et continuò clarificabit eum.

Prædictio proditionis, Eucharistiæ institutionẽ præcessit.

DVbium est, num Christus proditionem Iudæ indicarit, antequã Eucharistiæ mysterium institueret, an posteà? Nam Diuus Lucas postquàm scribit Sacramentum A admirabile verbis prolatis confecisse, sic ait locutum: [Veruntamẽ ecce manus tradentis me, mecum est in mensa, &c.] Ergo post Eucharistiæ institutionem proditionem indicauit. B Matthæus autem, & Marcus, de manifestatione proditionis, prius mentionem faciunt posteà de Sacramento agunt: ergo priùs proditionem

nem manifestauit, posteà Sacramentum instituit. Respondemus, priùs Dominum proditionem manifestasse, posteà Sacramentum instituisse; idq; indicare duos Euangelistas Matthæum, & Marcum, qui rectum tenuere ordinem. Lucas enim recapitulatione vsus, postquàm de Eucharistiæ institutione egit, proditionis manifestationẽ subiecit. Itaque verba illa: [Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa;] ante Sacramenti institutionem dicta sunt, vt ex Matthæo, & Marco colligitur. Ex Ioanne etiã, ait enim Christum post pedum ablutionem discipulos allocutum, nimirum ante Eucharistiam, tum subijcit. [Cum hæc dixisset, turbatus est spiritu, &c.] Lauit igitur pedes ante Eucharistiam, significans ablutionem illam ac mentis puritatem, quam tantum mysteriũ flagitat; posteà discubuit iterum, allocutusque est discipulos; [Scitis quid fecerim vobis, &c.] Inter loquendum verò turbatus est spiritu, & proditionem prædixit: posteà augustissimum Sacramentum, sacrificiumque confecit.

Mysterium Eucharistiæ mentis puritatem requirit. Ordo gestorum.

Turbatus est spiritu.

HVmanos habebat Dominus animi affectus, quia homo erat; quos cũ opus, decensque fuit, adhibuit, non ab illis raptus, sed eos mouens. Vnde Augustinus lib 14. de ciuitate Dei cap. 9. Dominus (inquit) in forma serui, agere vitam dignatus est humanam, sed nullũ habens omnino peccatũ, adhibuit has affectiones, vbi adhibendas esse iudicauit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus, &c. Ostendit locus falsam esse Stoicorũ sententiam, qui opinabantur in Sapientem non cadere animi turbationem. At ipsa Dei sapientia Christus, turbatus est. Cadit ergo in Sapientẽ animi turbatio secundùm rationẽ. Idcircò August. tract. 60. Habeât (inquit) passiones animi, iustis de causis animi Christiani, nec Stoicorũ, vel quorumcunque similium, consentiatur errori, qui quemadmodum vanitatẽ existimant veritatem, sic stuporẽ deputant sanitatem, &c. Habeant Christiani animi passiones, vt ait August. sed Christum imitẽtur, qui eis ita dominabatur, vt nullus illarum motus, præter illius imperiũ, excitari posset. Non est hoc concessum nobis, vt nullus in nobis præter voluntatẽ, imperiumque nostrũ, motus siue perturbatio existat; est tamen concessum, insurgentes motus moderari, ac regere, prauosq; mox extinguere, ne exardescentibus flammis animũ exurant. Vnde D. Hieron. ad Demetriadem; Nos (inquit) affectus, & perturbationes moderari, & regere possumus; amputare nõ possumus, &c. Et in proœmio Dialog. aduersus Luciferianos; Nulli est dubiũ (ait) quin Stoicorũ, & Peripateticorũ, id est, veteris Academiæ, ista contentio sit, quòd alij eorũ, id est, Stoici, asserant perturbationes animi eradicari, & extirpari posse de mẽtibus hominum; Alij, id est, Peripatetici, frangi eas, regi, atque moderari, & quasi infrenes equos quibusdã lupatis coerceri, &c. Stoicorum falsa est sententia, Peripateticorũ vera. Non possumus animi perturbationes eradicare, penitusq; euellere; at possumus, ac debemus illas regere, & moderari, & quasi infrenes equos duris timoris Dei lupatis coercere. Id qđ fecisse Mosem ait Philo in vita Mosis: Dabat (inquit) operam Moses, vt ad primos impetus animi resisteret, quasi contumacẽ equum obseruans, &c. Dominus multò præcellentior Mose, nec obseruabat primos impetus animi, quasi contumacẽ equum, nec lupatis indigebat, non enim poterant absque imperio illius affectus moueri. Tunc mouebantur cùm imperabat, ideò dicitur Ioan. 11. cùm Lazarum vitæ restituit; [Infremuit spiritu, & turbauit seipsum, &c.] Turbauit seipsum, quia ipse affectum impulit. Sic hoc loco; [Turbatus]

August. Christus humanos habuit affect⁹. D. August. August. Frenandi animi affectus. D. Hieron. Passiones tollere nõ possumus, cohibere quidẽ. Sententia Stoicorũ, & Peripate. de affectibus. Absque imperio Christi non mouebatur affectus. Ioan. 11.

(inquit) [est spiritu:] hoc est, spiritu, vel animo suo, & voluntate sua, turbationem effecit. Neque verò spiritū Christi, mentisque celsitudinem turbatio attigit, sed in inferiore parte constitit. Iustinianus lib. de agone Christi c. 5. Turbatur (inquit) Christus potestate, non infirmitate, cùm vult, quādo vult, de quo vult, neque minus in eo laudabilis est ipsa perturbatio, quā animi illius plena tranquillitas, &c.

Iustinianus

Quæ fuerit Christi turbatio.

Quæ turbatio hæc fuerit, quæritur. Respōdetur, turbationem fuisse doloris, & commiserationis. Augustinus propinqua quoq; morte fortè turbatu ait, vt in hor'o postea, tract. 60. Siue (inquit) ipsum Iudā pereuntem miserādo turbatus est Christus; siue sua morte propinqua turbatus est. non est tamen dubitandum, non eum animi infirmitate, sed potestate turbatum. Affectum quippe humanum, quando oportuisse iudicauit, in seipso potestate commouit, &c. Iustinianus: Non propter se turbatur, non de sui dolebat iniuria vt turbaretur; sed Iudæ perditio eius turbationis erat efficiēs causa, &c. Itaque turbauit seipsum Dominus, propter ingens facinus obstinationemque, & suspendium, æternamque Iudæ damnationem. Quemadmodum videns euertendam ciuitatem, fleuit super illam; ita videns Iudam perditum, animo fleuit super illum: [Væ] (inquit) [homini illi per quem Filius hominis tradetur.] Bonorū virorum animæ (ait Chrys. hom. 25. in Genes.) magnam compassionem habere solēt, si quando vidēt puniri homines, etiāsi mali sint, qui pereunt, &c Si viri bonī compassionem habent, cur non Christus haberet, discipuli adhuc viuentis cernens interitum sempiternum, qui cum posset reuocare gradum, in Tartarum magno currebat impetu, pecuniæ cupiditate ductus? Sic etiam Paulus mundi habuit compassionem, iuxta interpretationem Bernardi illius loci epist. ad Galatas cap. 6. [Mihi mundus crucifixus est, & ego mūdo, &c.] in serm. de Quadrages. 7. de peregrino, &c. Posset (inquit) intelligi crucifixum mundum Paulo, reputatione: ipsum verò mundo crucifixum compassione. Crucifixum enim mundum videbat obligationibus virorum, & ipse crucifigebatur ei, per compassionis affectum, &c.

Cur Christus turbatus sit spiritu.

D. August.

Compassio iustorum.

D. Chrysos.

D. Bernar.

Et protestatus est, & dixit; Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me.

A Discipulo se prodendum hactenus non dixerat Dominus aperte, sed sermone obscuro indicauerat cùm Ioan 6. [Vnus] (inquit) [ex vobis, diabolus est,] & Ioan. 13. [Mundi estis, sed nō omnes,] &, [Qui mā ducat mecum panem leuabit contra me calcaneum suum, &c.] Nūc protestatur, hoc est, apertè id affirmat, ac testatur perspicuis verbis, neque tamen indicat proditorem. Græcè ἐμαρτύρησε, testatus est; [Amen] (inquit) [amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, &c.] Sic Ioa. Eūdem in modū Matthæus, & Marcus; Lucas verò ait, dixisse; [Veruntamē ecce manus tradentis me, mecum est in mensa, &c.] quod idem est. Aspiciebant ergo inuicem discipuli, hęsitantes de quo diceret] ait Ioan. Lucas verò: [Cœperunt quærere inter se quis esset ex eis, qui hoc facturus esset, &c. Aspicientes enim inuicem, & hæsitantes inter se quærebant, & rogabant, quis esset proditor. Deinde ad Christum conuersi summa affecti mœstitia, vt referunt Matthæus, & Marcus, [Cœperunt singuli dicere: Nunquid ego sum Domine?] Respondit Dominus, vt narrant Matthæus, & Marcus: [Qui intingit mecū manum in paropside, vel catino, hic me tradet.] Nam in circuitu mensæ accumbebant, &, vt Caietanus ait, plures erant patinæ, in quas plures manum mittebant. Rationi (inquit Caietanus) consentaneum est duos, aut tres catinos fuisse in mēsa, singulos inter quatuor, aut sex Christus

Ioan. 6.
Ioan. 13.

Prædicit Dominus proditionē Iudæ.

Rogabant Apostoli qs esset proditor.

Caietanus.

stus catinum demonstrat communem sibi, & quatuor vel sex alijs, dicendo; [Qui intingit mecum manum in catinum,] ac per hoc descendit ad magis specialia, non tamen ad indiuiduum. Hæc ille. Iam ergo poterant discipuli intelligere proditorem vnum esse ex illis quatuor, vel sex, quod nescio, an intellexerint. Dici potest vnum tantum catinum in mensa propositum, cum liquamine aliquo, vel condimento, in quo omnes intingerent cibum; ideoque nihil potuisse discipulos cognoscere. Neque verò his verbis signum aliquod cognoscendi proditoris Christus dare voluit, sed illius ingratitudinem, ac scelus redarguere, quasi diceret alijs verbis illud Psalm. 40. [Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem] Heu discipuli, qui mecum in mensa solet recumbere, & eadem in patina eodem liquamine escam condire, is me hostibus tradet. Græcè apud Matthæum est, ὁ ἐμβάψας, id est, [qui intinxit,] apud Marcum in præsenti, ὁ ἐμβαπτόμενος, [qui intingit:] significatur, id quod dictum est vtroque tempore, scilicet, solitum Iudam cum Christo cibum sumere. Probatur hic sensus, quia non videtur Dominus, nunc intinxisse panem, vel aliquid aliud in condimentum, vt ederet. Nam postquam lauit pedes, recubuit, vt ait Diuus Ioannes deinde discipulos allocutus illa dixit; [Scitis, quid fecerim vobis,] &c. Tum spiritu turbatus est, & proditionem prædixit, inter quæ locus non fuit vescendi, & intingendi.

Psal. 40.

Aliqui arbitrantur signum continere verba hæc, quo Iudas est demonstratus. Cum enim is solus impudenter cum Christo in eadem paropside intingeret, signum hoc dedit Christus: [Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet,] &c. Euthymius.; Ponit insigne Christus, quo Iudas posset dignosci. Adeò præceptorem despexerat, vt iam

An solus Iudas cũ Christo in eadẽ paropside intingeret.

Euthym.

A eum non vereretur, sed cum eo intingeret, &c. Chrysostomus verò existimat Christum hortatum esse Iudam vt in eadem secum patina cibum sumeret, sic illum in beneuolentiam voluit allicere. Quidam (inquit hom. 82) asseuerant Iudam ita fuisse impudentem, vt parui penden do magistrum cum ipso tingeret. Mihi autem videtur Christi hortatu id quoque factum fuisse, vel vt magis B sibi Iudas afficeretur, vel vt maiore detineretur pudore, &c. Diuus Thomas Matth. 26. Potest (inquit) dici, quòd duo, & duo sedebant, & Iudam secum posuerat Christus, vt ipsum retraheret; scilicet à proditione. Diuus Hieronymus sentit post prædictam proditionem, reliquos discipulos cibo abstinuisse mœrore perculsos, solum Iudam cum Christo intinxisse. Cæteris (inquit) contri- C statis, & retrahentibus manum, & interdicentibus cibos ori suo, temeritate, & impudentia, qua proditurus erat, etiam manum cum magistro mittit Iudas in paropsidem; vt audacia bonam conscientiam mentiretur, &c Solus mittebat manum cum Christo in catinum, fuit ergo hoc signum. At verò si solus Iudas cum Christo intingebat, manifestum fuit signum, ex quo Apostoli pro- D ditorem certissimè agnouissent. Cum autem non cognouerint, vt ex Petro constat Ioanni innuente vt rogaret; sequitur non solum Iudam in eadem patina cum Christo cibum liquamini intinxisse, sed alios etiam Apostolos.

D. Chrysost.

D. Thomas.

D. Hierony.

In eadẽ patina intinxerunt Apostoli cum Christus.

Quæritur cur Christus proditoré suum voluerit discipulis indicare? Respondetur, id fecisse, primò vt discipulis ostenderet, & ipsi proditori, E sibi nota esse omnia, sponteque se morti offerre, cum proditorem non caueret. Prætereà vt proditorem ad pœnitentiam prouocaret. Diuus Hieronymus: Christus (inquit) qui de passione prædixerat, & de proditore prædicit, dans locũ pœnitentiæ; vt cũ intellexisset sciri cogitationes suas, & occulta consilia, pœniteret eũ facti sui,

Cur Christus proditionis prædixerit.

D. Hieron.

Digitized by Google

fui, &c. Idem docet Chrysostomus, Beda,& alij. Ait autem idem Hieronymus, non designasse Iudam specialiter, ne manifestè coargutus, impudentior fieret. Addit; Mittit crimen in numero, vt agat conscius pœnitentiam, &c. hoc est, coniecit crimen traditionis non in vnum, sed in numero discipulorum, dicens; [vnus tradet me,] neminem designans, vt is, qui sibi conscius erat tanti sceleris, & ad quem crimen attinebat Iudas, ageret pœnitentiam. Iustinianus lib. de agone Christi, cap. 5. Poterat (inquit) hoc Iudæ ad emendationem sufficere, poterat Verbi præsentiam in Christo intelligere, dum cordis sui consilia deprehensa aspiceret, poterat bonitatis illius compungi dulcedine, cum se coram discipulis agnosceret occultari. Insigne namque præcipuè bonitatis argumentum est, insidias pati, & silentio tegere persequentem, calumniatoremque amando corrigere, &c. Diuus Thomas discrimen ponit inter paropsidem, & catinum. nullum tamen est, quia in Græco contextu tam apud Matthæum, quã apud Marcum idem extat nomen, τρύβλιον, idest, [catinus,] siue [paropsis.] Dicitur hic catinus in magna veneratione haberi apud Genuenses, esseque ex pretioso lapide confectus, scilicet Smaragdo. nonnulli volunt in Smaragdum esse commutatum. Calix fertur Valentiæ asseruari: mensa Romæ, in templo S. Ioã. Lateranensis.

Christus misit crimẽ in numero.

Iustinianus.

Catinus, & paropsis idem.

Valentiæ aiunt calicem seruari, Romæ mensam.

Quæritur secundò, cur discipuli, qui certò nouerant, nunquam sibi in mentem venisse proditionem, Christum veluti dubitantes rogarunt singuli; [Nunquid ego sum, Domine?] Respondet Euthymius; quia magistro maximè credebant tanquam veracissimo, & timebat quisque ne fortè talis euaderet mente excæcatus, &c. Similem in modum respondet Theophylactus. Et Diuus Hieronymus; Plus (inquit) credunt magistro quàm sibi, pertimescentes fragilitatem suam, tristes interrogant de peccato, cuius conscientiam non habebant, &c. Si alij essent, non rogassent; [Nunquid ego sum, Domine?] sed negassent: [Non ego sum, Domine.] Cõsueuerunt enim homines crimina à se depellere, præsertim cum sibi bene conscij sunt, sed credebant magistro, & scire cupiebant, quisnam esset traditor. Et hac cupiditate orta est interrogatio, Nunquid ego sum, Domine? Nam si Dominus respondisset omnibus; non es tu, necesse erat proditorem cognosci. Dionysius Carthusianus: Nouerat (inquit) vnusquisque Apostolorum se non habere propositum tradendi, sed quærit, vt excusetur, & certificetur à Christo, quòd non sit tantum flagitium peracturus. Et fortè quærebant, vt Christus traditorem monstraret; quo facto, ipsi illum compescerent, & proditionem impedirent, &c.

Cur discipuli rogat Dominum.

Euthymius.

D. Hieron.

Carthusia.

Quæritur tertiò, an Iudas simul cũ alijs interrogarit? Respondetur, colligi ex Matthæo non interrogasse, tunc cum reliqui interrogarunt, sed postea quam Christus dixit: [Væ homini illi,] &c. vt infra dicitur. Quæritur quartò, quodnam fuerit illud condimentum, quo cibum Apostoli intingebant? Respondet Caietanus fuisse acetum, in quod lactucas agrestes intingebant, quas cum agno asso comedebant. Diuus Anton. p. p. hist. tit. 5. c. 6. §. 2. Omnes (inquit) intingebant in vno catino, vbi erat succus lactucarum agrestium, vt salsamentum, secundum mãdatum legis, &c. Neque verò hunc lactucarum succũ quis irrideat. Nam in Rituali libro Hebræorum, hæc habentur verba, quæ refert Cardinalis Baronius, 1. tom. Annal. In Paschali conuiuio, posterior quæ esset mensa, non, vt in alijs dierum festorum secundis cœnarum mensis, bellaria apponerentur, sed tantum a lege statutus cibus; nimirum primo loco [Embamma (id est, condimentum, ab ἐμβάπτω idest, [intingo]) ex intybis, & lactucis agrestibus factum, alijsque rebus conditum, in quod primum Paterfamilias intin-

An Iudas interrogauit.

De condimento, quo intingebatur cibus.

Anton.

Baronius.

contingebat offam azymam, mox cæteri, sicque consumebant. At verò iam agni assi, & lactucarum cœna præterierat, vt diximus supra; post agnum alios sumebant cibos, quos intingebant in hoc condimentum, vel aliud præparatum.

Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo.

Terret Iudam Dominus denuntiato supplicio.
D. Hieron.

RESipiscere non vult monitus Iudas, fulminat idcirco summus Pontifex Christus aduersus eum æternum Væ. Diuus Hieronymus: Pœna (inquit) prædicitur Iudæ, vt quem pudor non vicerat, corrigant denunciata supplicia, &c [Filius quidem hominis vadit;] sicut Scriptura vaticinatur. Vadit, inquam, per mortem ad Deum, iuxta illud: [Sciens, quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit;] Vadit libenter suam prænoscens mortem, iterque ad Patrem, & traditorem; vadit ad mortem sicut scriptũ à Prophetis est de illo, impleri vult Scripturas. Apud Lucam dicitur; [secundum quod definitum est,] vadit; definitum enim, ac decretum erat à Deo, vt Christus crucifigeretur. Hoc tamen Dei decretum Iudæ libertati non obstabat. Multa Deus definit, quæ contingenter eueniunt, non necessariò necessitate consequentis, vt Theologi aiunt, quamuis eueniant necessario necessitate consequentiæ, & ex hypothesi præscientiæ diuinæ. Contingenter namque Petrus lauat manus, ac liberrimè: si tamen fiat hypothesis Deum id præscire, iam lauat manus necessario ex hypothesi, quæ libertati nullam affert vim. Nam Dei scientia nullam rebus necessitatem infert: quia res non eueniunt, quia Deus scit, sed Deus scit, quia illæ euenient. Lege hac de re Theologos Scholasticos.

Præscientia Dei non affert rebus necessitatẽ.

Res eueniũt nõ q̃a Deus scit, sed ille scit, quia euenient.

[Væ autem æternum homini, per quem tradetur; bonum erat ei,] hoc est, melius erat ei, (carent enim Hebræi comparatiuis) [si natus nõ fuisset homo ille,] &c. Quæritur: nunquid ei, qui natus non est, quique in rerum natura non existit, aliquid boni esse potest? cur ergo ait Dominus, [bonum erat ei, si natus nõ fuisset? Præterea, natum non esse, est priuatio quędam, & nihil; nihil autem non potest esse bonum, cum omne bonum sit ens. Respondent D. Hieronymus: Non ideo putandus est Iudas ante fuisse, quam nasceretur; quia nulli possit bene esse, nisi ei, qui fuerit. Sed simpliciter dictum est, multò melius esse non subsistere, quam malè subsistere, &c. Vlgari modo loquitur Dominus, homini nullo modo existenti, nihil vel boni, vel mali contingere potest; sed Iudę qui extitit, potuisset contingere non existere: & hoc melius illi fuisset iam existenti. Euthymius sic verba Christi interpretatur: Vtile (inquit) fuisset ei, cum in vtero matris cresceret, omnino non nasci, qui tale flagitium perpetraturus erat vt tali dignus esset futurus supplicio, &cæt. Et autor sub nomine Hieronym. in Marcum: Bonum (inquit) erat ei, si non esset natus, intimo latens vtero materno. Melius est non esse, quam ad tormenta esse, &c. Caietanus: Bonum (inquit) erat Iudæ si natus non fuisset, quia mortuus in vtero, incurrisset solam pœnam damni in limbo; modo autem incurrit etiam pœnam sensus, & tantam in inferno, &c. Ita etiam exponit Diuus Anto p. p. hist. titu. 5. cap. 6. § 2. Quamuis autem priuatio nihil sit, tamen priuatio mali subit rationem boni: quia conueniens est homini, & desiderabilis. Itaque priuatio mali bonum est, non entitatiuum, vt ita dicam, sed negatiuum.

An ei q̃ nõ est, bene esse possit.
D. Hieron.
Euthymius
Caietan.
Priuatio mali, subit rõnem boni.

Item quæritur; Estne melius non esse, quàm in tormentis esse? Respondet Hieronymus, multo melius esse non subsistere, quam malè subsistere. Idem habet Beda, & Glossa Ordin. Victor Antioch. in Marcum: Bonum (inquit) erat ei si natus non fuisset: hoc dicitur propter duros cruciatus, quos apud inferos expensurus.

An sit melius nõ esse, quã in tormentis esse?
Victor Ant.

Theophyl. furus erat. Siquidem satius est multo, omninò non esse, quam tantis miserijs, & calamitatibus perpetuo obstrictum esse, &c. Theophylactus in Marcum: Dictum (inquit) hoc est propter pœnam, qua cruciandus erat Iudas. Melius enim est omnino non nasci, &c. Simon Cassianus: Melius fuisset non sortirientis quamlibet bonitatem, quam æternos perpeti cruciatus, &c. Et Diuus Antoninus p. p. hist. Non esse, videtur melius, quàm malè esse: quia priuari malo, habet rationem boni. ideò melius Iudæ esset, si non fuisset, &c. Nec dubium (ait Carthusianus) quod miseri in inferno vellent se non esse, &c. Aduertant ergo impij, aduertant tormenta æterna, quæ talia sunt, vt sit satius non esse, quàm ea perpeti.

D. Anton.

Carthusia.

Nunquid ego sum, Rabbi?

Iudas post alios rogat Dominum.

ROgasse Iudam Christum, [Nunquid ego sum? simul cum alijs discipulis interrogantibus, existimat Iansenius. At ex Matthæo apertè colligitur, post alios rogasse; scilicet, postquam Dominus væ illi æternum interminatus est. Quamuis autem non interrogarit cum reliquis, non iudicarunt discipuli eum esse traditorem. quia vel non animaduerterunt, vel temerè iudicare noluerunt ex incerto signo. Maldonatus putat rogasse post acceptam à Christo buccellam, de qua Ioannes scripsit; sed ex Matthæo constat, rogasse prius, postquam verba illa audiuit; [Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur,] &c. Rogauit autem impudenter, ac dissimulanter, & tentans num Christus certò sciret eum esse proditorem, an vero ex aliqua suspicione loqueretur. Respondit illi Dominus: [Tu dixisti.] Putant autores citati, Christum his verbis significasse apertè Iudam esse proditorem. Arbitror id significasse, sed non apertè. Nam verba hæc: [Tu dixisti, aliter intelligi potuerunt à discipu-

An hæc verba, Tu dixisti, apertè affirment.

Obiectio.

Responsio.

A lis, non enim apertè affirmant id de quo quæritur, vt Augustinus docet. Obijcies Christum rogatum à Caipha, an esset Messias? Respondisse: [Tu dixisti.] Matthæi 26. & Lucæ 22. rogatum à Concilio Sacerdotum, & Scribarum, [Tu es filius Dei?] Respondisse: [Vos dicitis, quia ego sum] Ex verbis autem his intellexisse Caipham affirmanter respondere, similiter, & Sacerdotes, ac Scribas. B Respondemus, Christum Caiphæ non solum respondisse. [Tu dixisti:] sed, vt Marcus refert, dixisse: [Ego sum:] vtrumque ergo dixit. Quamuis autem apertè his verbis: [Tu dixisti: vos dicitis:] non affirmaretur perspicuè id quod rogabatur; tamen hostes illi impij affirmatum esse censuerunt. Pilato quoque quærenti Matth. 26 an esset Rex Iudæorum, respondit, [Tu dicis:] sed Pilatus non videtur intellexisse C illum affirmare se esse Regem: nam Ioann. 18. rogat: [Ergo Rex es tu? Respondet: [Tu dicis, quia Rex sum ego,] &c. Subijcit verò Pilatus; [Ego nullam inuenio in eo causam,] &c Si Pilatus ex responso Christi; [Tu dicis,] intellexisset ipsum affirmare apertè se esse Regem Iudæorũ; sanè magnam causam mortis in eo inuenisse se diceret. Cum verò di- D cat: [Ego nullam inuenio in eo causam:] non intellexit Christum id affirmare. Vnde sequitur verba hæc, [Tu dicis;] vel [Tu dixisti:] non significare apertè id esse verum, de quo quis rogatur. Hæc est sententia Augustini lib. 3. de consens. Euang. capi. 1. Non est (inquit) expressum (his verbis, Tu dixisti) vtrum Iudas esset proditor: potest enim adhuc intelligi, tanquam dixerit, Tu dixisti, E non ego dixi, &c. Idem Euthymius sentit Caiet. D. Thom. & alij. D. Clemens lib. 5. constit. c. 13. Quãuis (inquit) Iudas diceret; [Nunquid ego sum, Rabbi?] non rñdit Dñs, etiã; sed, (tu dixisti,) &c. ergo, [Tu dixisti,] nõ significat, (etiam.) Si quis velit satis significatũ fuisse his verbis Iudã esse proditorẽ, dicet discipulos id nõ intel-

D. August.

Euthym.
Caietanus.
S. Thom.
Clemens Alex.

Alia responsio.

by Google

intellexisse: quia submissa voce prolata sunt a Domino, ita vt solus Iudas illa intelligere posset, reliqui non intellexerunt, quia non audierunt. si verò audierunt, præ mœstitia, & animi perturbatione non animaduerterũt. Augustinus: Potuit (inquit) hoc dici sic à Iuda, & à Domino responderi vt non omnes aduerterent, &c. Simon Cassianus ait, impeditum Apostolorum intellectum, ne verbum intelligerẽt; Tenebatur (inquit) Christi voluntate, Apostolorum intellectus, ne intelligerent, ne aduersus proditorem tumultus insurgeret, &cæt.

August.

Obserua Christi mansuetudinem: scelestissimum proditorem nullo læsit verbo asperiori: respondit agnus mansuetus lupo, [Tu dixisti,] non lupum appellauit, non proditorem, nõ sceleratum, non verbum protulit durius. Chrysostomus: Quamquam (inquit) Christus dicere potuisset: scelleste, ac sordide, tam longo tempore hoc malum parturiens, & nunc diabolicis factis concilijs, argentum ex pacto habiturus: audes redargutus, quasi nullius tibi rei conscius interrogare? Nihil tamen horum dicere voluit: sed, [Tu dixisti:] ita terminos nobis, ac regulas obliuionis fixit iniuriarum. Hæc ille. Item ad illa verba superiora: [Qui intingit mecum manum in paropside,] &c. sic ait: Hæc omnia non sunt festinè trãscurrenda, sed nostris mentibus infigenda: sic enim nullum vnquam in nobis ira locum habebit. Quis enim rem illam animo voluens, & proditorem vna recumbentem cum Saluatore, ac eum, qui tradebatur, sic leniter, atque humiliter loqui; non eijciet omne furoris, atque iræ venenum? &c. Obserua præterea quam consulat Dominus famæ Iudæ, paulo post se manifestaturi. Quis sit proditor non vult aperire discipulis, donec ille se prodat. Disce proximi curare famam.

Christi mãsuetudo.

D. Chrysost.

Iniuriarum terminos fixit Christus nobis.

Præter hæc noluit Dominus traditorem indicare ne Apostoli aduersus eum insurgerent; fortasse (ait Chrysostomus) eum discerpsissent, fortasse Petrus eũ interemisset, &c. Et Theophylactus: Proditor (inquit) nõ est manifestatus: alioqui eũ discerpsisset Petrus fortè, & occidisset eum, &c. idẽ arbitratur Diuus Thomas in Ioannem: Ita (inquit) ferendus in amore Christi erat Petrus, quod si pro certo sciuisset Iudam fuisse Christũ traditurũ, statim occidisset eũ, &c. Verisimilius videtur Apostolos si proditorem cognoscerent, daturos operam fuisse, vt ab impia eum cogitatione depellerent, Magistrumq; liberarent. Nam occidere nõ auderẽt propter populi Magistratus, ne & ipsi occiderẽtur.

Fama proximi curãda.

CAPVT XII.

De manifestatione proditionis.

Innuit huic Simon Petrus, & dixit ei.

Non intellexerũt hactenus discipuli, quis esset proditor ex omnib. supradictis. Idcirco zelo ardẽs Petrus, Ioanni innuit, vt Christum interrogaret, quisnã ille esset? [Innuit] (inquit Euãgelista) [& dixit ei: Quis est de quo dicit?] Quæritur, an non solũ innuerit, sed protulerit ẽt hæc verba? D. August. tract. 61. putat solũ innuisse, & nutu id significasse, quod verba hęc significant. Innuit Petrus (ait August.) & dicit, vtiq; innuendo dicit. Hæc verba Petrus innuit, quia nõ sono vocis, sed motu corporis dixit, &c. hoc significãt Græca, νεύει πυθέσθαι, τίς ἂν εἴη, id est, [innuit interrogare,] vel [vt interrogaret, quis esset.] Videamus quo loco recubuerit Petrus: supra diximus recubuisse in lecto (si tamẽ in lectis recubuit Christus tũc cũ

D. August.

Quo Petrus Ioanni innuerit.

Apo-

Apostolis) supra Christum: Ioannem infrà: Christum vero medium tenuisse locum, ac præcipuum. Christus erat in sinu Petri, Ioannes in sinu Christi. Petrus ergo prope Ioannem erat, potuitque non solum nutibus, sed verbis etiam loqui cum Ioanne. D.Thomas credit, non recubuisse iuxta Christum, ideoque non rogasse, quis esset proditor: Petrus (inquit) nolebat, quod Dominus hoc publicè manifestaret, ita vt alij possent audire. Vnde quia ipse remotus erat à Christo, nec ipse tantum audiuisset, Ioannem excitat ad interrogandum, qui proximus erat Christo, &c. Fortè non curauit Petrus locum, & separatus à Christo, & Ioanne recubuit, ideo innuit. Noluit autem, vt ait Diuus Thomas, ipse interrogare Dominum, ne fieret crimen proditionis publicum. Aliter Diuus Chrysostomus: cum paulo ante (inquit) increpitus esset, quod Christum volentem lauare prohiberet: ideo veritus, cum neque pati posset, neque loqui auderet, per alium id tentat cognoscere, &c. Quorsum scire voluit? Respondeo, vt proditorem à tanto scelere omnino reuocaret, nō tamen vt occideret. Diuus Cyrillus existimat; reliquos Apostolos per Petrum, qui omnibus præerat, interrogare voluisse.

D.Thom. *D.Chrysost.* *Voluit scire proditorem Petrus vt à scelere reuocaret.*

Erat ergo recumbens in sinu Iesu, &c.

Montanus in Scholijs de hoc recubitu sic scripsit: Erat recumbens, id est, iuxta accumbens, ita vt olim in mensis recumbebatur. Hic erat proximus Iesu in illius sinu, hoc est, super ipsius vestes recumbens, ita vt ad vsque pedes illius accedere posset cum vellet. Omnes enim incumbebant alter in alterius sinu iuxta seriem, &c. Et Caietanus: Proculdubio (inquit) locum in quo recumbebat, Ioannes describit à sinu Christi. Et cum siue sedendo, siue iacendo, dispositi tamen ad vescendum manerent, non videtur congruere, quod discipulus ille in gremio Christi sederet, aut iaceret, ineptus enim talis situs fuisset vtrique ad vescendum. Quocirca appellatione sinus, aut fluentem vestem Christi, aut spacium, quod complexione brachij Christi comprehendi poterat, significat: describitur enim, quod discipulus ille recumbebat contiguus Christo, vtpote sedens in sinus vestis eius, seu infra ambitum, qui brachio comprehendi potest. Sic Caietan. Itaque dicitur Ioannes recubuisse in sinu Christi, eo quod infra illum, eodem in lecto recumbebat. Sic etiam vidisse dicitur Diues ex Tartaro Lazarum in sinu Abrahæ Lucæ 16. recumbentem. Helluo, qui epulabatur quotidie splendidè, & neque micas Lazaro dabat, Abrahamum vidit, & Lazarum infra cum in sinu, epulantes: guttamque petiuit aquæ ex oppiparo conuiuio.

Montanus. *Caiet.* *De recubitu Ioannis i sinu Domini.* *Lazarus in sinu Abrahæ.*

Sed maius aliquid videtur significare Ioannes, quam recumbendi ordinem, nimirum dilectionis signum magnæ. Etenim recumbebat in sinu Domini, veluti filius dilectus. Quod maius (ait Augustinus tract. 124.) dare potuit Dominus, maioris erga eum suæ dilectionis indicium, quam vt homo cum cæteris condiscipulis suis socius tantæ salutis, solus tamen discubuerit super pectus ipsius Saluatoris, &c. Dicitur à Patribus, & in officio Ecclesiastico ex Dominico pectore Euangelij fluenta potasse. Ambrosius Psal. 118. lit. 2. Ioannes (inquit) cum caput suum supra pectus Iesu Domini reclinaret, hauriebat profunda secreta sapientiæ, &c. Item; Constitue Dominum recumbentem in conuiuio, reclinantem se Ioannem super pectus eius: mirantes alios, quod seruus se supra Dominum reclinaret, quod caro illa peccatrix supra templum Verbi recumberet, quod anima illa carnis vinculis innexa aulam diuinæ plenitudinis scrutaretur, &c. August. tract. 36. in Ioan. Non sine causa de Ioanne in Euangelio narratur, quia & in conuiuio,

D. August. *D. Ambr.* *D. Ioan. ex pectore. Christi Euāgelij fluenta potauit.* *D. August.*

Digitized by

uio, super pectus Domini discumbebat. De illo ergo pectore in secreto biberat; sed quod in secreto bibit, in manifesto eructauit, &c. item tracta. 1. in epist. Ioan. Ioannes (inquit) de pectore Domini mysteriorum secreta bibebat, bibendo de pectore Domini, diuinitatẽ ructauit, In principio erat Verbum,] &c. & Psal. 144. Ille (inquit) auidissimus epulator Ioãnes, cui non sufficiebat ipsa mensa Domini, nisi discumberet super pectus Domini, & de arcano eius biberet diuina secreta, eructauit, [In principio erat Verbum,] &c. Diuus Hieronymus, Ezech. 28. Ioan. (inquit) recubuit in pectore eius, vt hauriret fluenta sapientiæ, & posset dicere: [In principio erat Verbum,] &c. Et in fine Zachariæ; Ioan. recubuerat super pectus Iesu, vnde & hauserat sapientiam, &c. Autor epist. 7. de viro perfecto, tom. 9 Hieronymi; Ioannes in ipso Domini pectore velut super arcam, noui, veterisque Testamẽti recumbens, non modò ad vestibulum aliquorum diuinorum oraculorum diligens inquisitor accessit, sed ipsum penetrale secretæ dispositionis, tanquam familiaris Sacerdos intrauit, &c. Origen. hom. 1. in Can. In his (inquit) certum est, quòd Ioannes in principali cordis Iesu, atque internis doctrinæ eius sensibus, requieuisse dicatur; ibi requirens, & perscrutans thesauros sapientiæ, & sciẽtiæ, qui reconditi erant in Christo, &c. Iustinianus lib. de agone Christi cap. 5 Sapientiæ (inquit) arcana (Ioãnes in pectore recumbens) contemplando rimaris, curris per Angelos, discurris per Archangelos, cæterasque cælestium spirituum legiones, considerationis penna percurrendo rimaris; tibi nunc panduntur indicibiles Sapientiæ thesauri, tibi referantur reuelationum sacra Mysteria, Diuinitatis altitudo, æterna Verbi generatio, & cælestis gloriæ triumphale regnum, &c. Rupertus Ioan. 13. Dignus (inquit) fuit Ioannes de ipso sacro Dominici pectoris fonte, diuinitatem eiusdem Verbi, & æterni potare secreta principij, &c. Quęritur, An tunc cum in cęna erat, hæc fluenta sapientię potauerit, an postea? Respondebit aliquis, post aduentum Spiritus sancti potasse Ioannem hæc suauissima flumina; dici autem potasse ex Christi pectore, quia signum fuit ille recubitus huius eximij doni. Vnde Diuus Augustinus tract. 18 in Ioãnem: Hoc (inquit) præcipuum donũ accepit à Domino, super cuius pectus in conuiuio discumbebat, vt per hoc significaret, quia secreta altiora de intimo eius corde potabat, &c. Beda tom. 7. hom. de sancto Ioanne: Futuri (inquit) erat signum mysterij (recubitus super pectus,) figurabatur enim iam tũc Euangelium, quod erat scripturus vberius, atque altius cæteris Scripturæ paginis, arcana Diuinæ Maiestatis esse comprehensurũ. Quia enim in pectore Christi sũt omnes thesauri sapientiæ & scientię absconditi, meritò super pectus eius recumbit, quem maiore cęteris, sapientiæ, & scientiæ singularis, munere donat, &c. & cap. 1 in Ioannem: Non frustra perhibetur Ioannes in cęna recubuisse super pectus Domini, sed per hoc verissime docetur, quia cælestis haustum sapientiæ, cæteris excellentius de eiusdem pectoris fonte potauerit, &c. Lege Haymonem in Ioannem. Diuus Antoninus p. p. hist. titu. 6. cap. 6. de sancto Ioanne: Super pectus (inquit) recubuit, in signum, quia de fonte diuinæ sapientiæ Verbi, maximam profunditatem debebat haurire, &c. Verumtamen verba Patrum indicant tunc Ioannem flumen sapientiæ hausisse cum in pectore recubuit. Idem significant verba illa officij Ecclesiastici: [Iste est Ioannes, qui supra pectus Domini in cęna recubuit, beatus Apostolus cui reuelata sunt secreta cælestia. Fluenta Euangelij de ipso Dominici pectoris fonte potauit, &c. Responderi potest, eodem modo dici Ioannem ex pectore Christi hausisse fluenta Euãgelij, quo dicuntur Sacramenta ex latere Christi iam mortui fluxisse, nempe significatiuè. Sed propter dicta

D. Hieron. *Origenes.* *Iustinianus* *Rupertus.* *An Ioan. in cæna potauerit fluenta Euang. ex pectore Christi.* *D. August.* *Beda.* *D. Anton.* *Magna cognitio diuinitatis*

Christi, in cœna Ioanni data est.

Non dormiuit Ioan. in sinu.

cta Patrum sit verisimile in sinu Domini donatum esse Apostolum, magna Diuinitatis Christi, & Trinitatis cognitione.

Dormiuisse illum in sinu Christi in cęna, nonnulli aiunt. Si de somno cõtemplationis intelligant, non repugno, si de alio, minimè assentior. Iustinianus quidem lib. de agone c. 5. Contemplationis appellat somnum. Verisimile est (ait Euthymius) quòd præcognita iam magistri morte, męstus admodũ erat; & propterea post pedum lotionem ascitus fuerat, & in sinu recubuerat, &c. Putat vocatum à Christo Ioannem męstum, & in sinu collocatum. Et Theophylactus; Permittit ei Dominus vt recumbat super pectus męrorem eius soluens, mitigans turbationem mentis illius, & in summam tristitiam sopiẽs, &c. Idem credit in sinu recubuisse Ioannem, vt se à proditione alienissimũ ostenderet: Recumbebat (inquit) in sinu Domini, qui præ omnibus alijs diligebatur maximè, & quia volebat se ostendere alienum à crimine, per hoc, quod tam libera illi cum Christo familiaritas, &c. Diuus Chrysostomus hom. 71. vult, męstitiæ causa recubuisse, & quia nondum Christi maiestatem penitus cognouerat. Cur (inquit) recubuit super pectus? Nondum debitum de Christo conceperant opinionem; præterea męrorem ita lenit. Credibile enim est, tunc męstos fuisse; eos igitur verbis consolatus Christus, permittit vt Ioannes super pectus recumbat.

Euthymius Cur Ioã. in sinu recubuerit.

Theophyl.

D. Chrysost.

Beda cap. 1. in Ioannem sentit, nõ in hac tantum cœna, sed in alijs etiã in pectore Christi solitum recumbere; Ioannes (inquit) plenius posuit, quæ Christi diuinitatem intelligentibus intimant, tanquam de pectore ipsius Domini, super quod discumbere in eius conuiuio solitus erat, secretum Diuinitatis eius vberius, & quodammodo familiarius biberet, &c. At ipse Ioannes indicat semel tãtum in cœna illa id contigisse, cum cap. 21 ait: [Conuersus Petrus, vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus sequentem, qui, & recubuit in cęna super pectus eius,] &c. [In cęna,] inquit, &c. quasi semel tantum illud contigerit. Nonnullis placuit Ioannem supra pectus essentiam vidisse diuinam. Placitum hoc, quia fundamento caret, mihi non placet. De sinu, lege Origenem in Ioannem.

Ioan. in hac solum cœna recubuit in sinu.

Ioan. 21.

Qui Dei, Theologiæque, & Scripturæ arcana vult intelligere, Ioanni sit similis; Christi enim amatoribus, humilibus, ac mansuetis, hæc aperiuntur arcana, quæ superbis abscondun tur hæreticis. Theophylactus Ioan. 13. Si vis (inquit) ipse prope Christũ recumbere, & in pectus eius cadere, & mystica ab eo discere, da operam vt propter simplicem bonamq; mentem, ab eo diligaris. talis esto, qualis Ioannes, & dignabitur te pectoris sui recubitu. id quod Theologicæ dignitatis Symbolum est. Hæc ille.

Morale. Humilibus & mansuetis, dat deus mysteriorũ intelligentiam.

Theophyl.

Quem diligebat Iesus.

Non ait Apostolus, quem diligebat Iesus præ cæteris, vel plusquam cæteros; sed simpliciter, [quẽ diligebat Iesus,] qui cæteros etiam Apostolos diligebat. Quæritur, an Christus plusquam cæteros omnes Apostolos Ioannem diligeret? Respondet Augustinus tract. 16. in Ioãnem: Ipse (inquit) est Ioannes, qui inter omnes discipulos super pectus Domini discumbebat, & quem Dominus, charitatem debens omnibus, tamẽ præ cæteris diligebat, &c. Hæc autem verba; [Discipulus, quem diligebat Iesus, per Antonomasiam dicta docet tract. 124. in Ioannem: Vbicunque (inquit) se commemorat Ioãnes, vt nomine suo tacito ipse possit intelligi, hoc addit, quod eum diligebat Iesus, quasi solum diligeret: vt hoc signo discerneretur à cæteris, quos vtique omnes diligebat. Quid ergo nisi amplius se dilectum, cum hoc diceret volebat itelligi, &c. Euthymius: Ioannem (inquit) diligebat Iesus plus videlicet cæteris; vt qui plus diligi dignus erat, &c. Theophylactus:

An Christus Ioannẽ præ cæteris dilexerit.

D. August.

Ioannem dilexit Christus plus quam cæteros.

Euthymius

Theophil.

lactus: Ioannes præ omnibus alijs diligebatur maximè, &c. Chrysostomus hom. 71. in Ioannem: & alij amabantur: sed Ioannes præcipuè, &c. Clemens lib. 5 constit. cap. 13. de Ioanne loquens; Quem (inquit) Christus magis amabat, &c. Diuus Thomas, Ioan. 21. Christus speciali dilectione præ cæteris Ioannem dilexit, &c. Denique in officio Ecclesiastico sic habes: Hic est beatissimus Ioannes, qui priuilegio amoris præcipui, cæteris altius meruit honorari, &c.

D. Chrysost. *D. Clemens* *D. Thom.*

Rursus quæritur, an Ioannem magis dixerit Dominus quàm Petrum? De hac quæstione agit Augustinus tract. 124. in Ioannem. Quod Ioannem plusquam Petrum dilexerit, probant ea, quæ dicta sunt: si enim præ cæteris diligebatur, etiam diligebatur præ Petro. Quod autem plus Petrum, quam Ioannem amarit Christus, probat illa ter repetita interrogatio, Ioan 21. [Diligis me plus his?] id est, superas amore erga me cæteros, etiam Ioannem? Nam hæc interrogatio significat Petrū plus dilexisse, quàm reliquos. Vnde Augustinus: Sciebat (inquit) Christus non solum quod Petrus diligeret, verum etiam, quod plus illis (id est, reliquis Apostolis) eum diligeret, &c Iam verò si Petrus plusquam Ioannes Christum dilexit, sanè etiam plusquam Ioannes à Christo est dilectus. Quia Christus eos magis amat à quibus amatur magis, vt compertum est. Augustinus ad mysticum sensum confugit, de duabus vitis significatis à Ioanne, & Petro vter fuerit magis dilectus, magisque dilexerit non aperuit. Alexand. Alensis p. p. q. 32. memb. 4. ait Petrum magis fuisse à Christo dilectū, iuxta illud Prouerb. 8. [Ego diligentes me diligo,] &c. Diuus Thomas, p. p. q. 20. artic. 4. respondet quosdā dixisse Petrum plus dilexisse Christū in membris: sicque fuisse in membris plus dilectum: vnde ei Ecclesiam commendauit. Ioannem vero plus dilexisse Christum in seipso, & sic etiam plus ab ipso fuisse amatum. Vnde ei commendauit matrem. Nonnulli arbitrati sunt Petrum magis dilectum, quantum ad excellentius donum charitatis, Ioannem vero quantum ad donum intellectus.

An dominus magis Ioannē dilexerit, quam Petrum. *D. August.* *Christ⁹ eos magis amat, a quibus magis amatur.* *D. Thom.* *Varia sententia.*

Vnde Petrus simpliciter fuit melior, & magis dilectus: at Ioannes secundum quid. Addit Diuus Thomas videri præsumptuosum hoc iudicare, quia, vt dicitur Prouerb. 16. [Spirituū ponderator est Dominus. Alij, vt docet idem Angelicus doctor Io. 21. putarunt voluntate, & dilectione diuina Christi: chariorem fuisse Petrum, voluntate verò, & dilectione humana Ioannem. Sed refelluntur eodem loco; quia quem Christus magis diligebat voluntate diuina, eūdē magis diligebat volūtate humana etenim volūtas humana Christi amans, cū diuina omnino cōsentiebat. Traditur alia sententia eodē capite, nimirū Petrum amasse magis Christum, quoad feruorem, & ardorem amoris, vt ex operibus eius constat: Ioannem vero magis dilectū esse à Christo, quo ad amoris indicia, quæ maiora illi, quam reliquis exhibebat. Itaque nō statuunt Patres, aut doctores, vter simpliciter magis amauerit, aut fuerit amatus, aut vter fuerit sanctior: id diuino relinquendum est iudicio. Si verba Scripturę premamus, Petrus videtur plus dilexisse; id enim significare voluit Dominus illa interrogatione, [diligis me plus his?] At illa verba: [discipulus quem diligebat Iesus;] nullam continent comparationem: potuit Christus diligere illum valde, & potuit alium diligere magis. Si dixisset: erat discipulus charissimus Iesu, nō inde efficeretur, fuisse cæteris omnibus chariorem. Idem autem est, [discipulus, quem diligebat Iesus,] & discipulus charissimus Iesu: dicitur autem charissimus illi, quia multa ei amoris peculiaria ostendebat signa.

Refellitur quadam responsio. *Christus Ioanni maiora exhibebat amoris inditia.*

Si roges cur Ioāni prę cæteris hec amoris indicia maiora Dominus exhiberet, respondet Diuus Thomas Ioa. 13. Fuit (inquit) Ioannes magis dile-

Cur Christus magis Ioannē amarit. *D. Thomas.*

ed by Google

dilectus à Deo propter tria: Primò, propter munditiã puritatis, quia virgo est electus, & virgo in æuum permansit. Secundo propter sublimitatem sapientiæ, quia cæteris altius arcana diuinitatis intuitus est. Tertio propter vehemẽtẽ feruorem affectus eius ad Christũ, &c. Ioan. 21. addit dilectũ plus quantũ ad familiaritatis indicia, propter iuuentutẽ. Quod attinet ad secundã dilectionis causam; intellige delictũ, non propter sapientiam, quã iam haberet, sed quia intellectus acumine præstabat: diligit enim magister magis eos discipulos, qui ingenio antecellunt reliquos. D. Hierony. amoris causam fuisse ait, virginitatem, lib. 1. aduersus Iouinianum: Ioannes (inquit) qui minimus traditur fuisse inter Apostolos, virgo permansit; & ideo plus amatur à Domino, & recumbit super pectus Iesu, &c. Eadẽ causa redditur in Ecclesiastico officio. Sed cum Iacobus frater Domini fuerit etiam virgo, vt ait D. Epiphanius hæresi 78. imo, & Iacobus frater ipsius Ioãnis, eodem teste, hæresi 58. cur Dominus propter virginitatẽ, chariorem habuit Ioannẽ? Respondetur, chariorẽ habuisse propter virginitatis pręstantiam, coniunctam cum adolescentia, morumque suauitate; magis enim in adolescente virginitas splendescit, ac puritas Euthymius Ioan. 13. Plus (inquit) diligi dignus erat Ioannes, propter virtutis magnæ prærogatiuam. Dicitur autem tantam à puero curam habuisse puritatis, vt ne turpẽ quidẽ cogitationẽ vnquã in cor suum ascẽdere permiserit. Dicit autem Chrysostomus, quod etiam amplius eum diligebat, propter excellentem animi humilitatem, ac mansuetudinẽ: quas adeptus erat postquam de præeminẽtia correptus fuerat. Hæc Euthymius Theophylactus: Ioannes (inquit) innocentissimus, simplicissimus, mansuetissimus omnium erat: ideo & diligebatur, &c. Erat hoc tempore Ioannes adolescens, minimus inter Apostolos, vt ait D. Hieronymus lib. 1. aduersus Iouin eodem loco adolescentem vocat, & penè puerum. Cardinalis Baronius initio tomi 2. arbitratur in hac cœna Sacerdotem creatũ cũ ageret annum ætatis vigesimumquintum. Sed de ætate Ioannis iam diximus tom. 2. lib. 3. cap. 1.

D. Hieron. *Euthymius* *Chrysost.* *Theophyl.* *Baronius.*

CAPVT XIII.

De prædictione proditionis Iudæ.

Itaque cum recubuisset ille super pectus Iesu, dicit ei.

OStẽdit Ioannes quomodo Christum rogarit: supra dixit, [Erat recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu: Græcè, ἀνακείμενος, id est, recumbens. hoc loco ait; [itaq; cum recubuisset ille super pectus;] non dixit, in sinu, Græcè est aliud verbum, scilicet, ἐπιπεσών, id est, [incidens,] in pectus, vel, [cum incidisset.] Quæritur an significet Ioannes his verbis, idem quod superioribus, an aliud.

Respondet D. Thomas: Notandum (inquit) quod cum Petrus innuit Ioanni, vt interrogaret, recumbebat Ioannes in sinu Christi. Nunc verò cum interrogat Ioannes, qui supra pectus eius recubit. Pectus. n. vicinius est ori, quam sinus. Ioannes ergo secretius audire volens responsum, & magis silẽter, de sinu cõscẽdit ad pectus, &c. Caiet. quoq; indicat, in pectus Dñi incidisse Ioannẽ, vt eũ interrogaret. Diuus Augustin. putat idem esse recumbere in sinu, & in pectore; nam sinus pars illa dicitur corporis, quæ est intra pectoris, brachiorumque complexum, ipsumque pectus indicat. Augustinus tract. 16.

D. Thom. *An Ioannes ex sinu ascẽderit in pectus.* *D. August.*

Quid

Digitized by Google

Quid dixerit Ioannes, [in sinu,] paulò post ait, vbi dicit, [supra pectus Iesu;] &c. Existimat ergo idem dicere Ioannem, cum ait; [Erat recumbens in sinu: & cum dicit; [Cum recubuisset supra pectus.] Est ergo sensus, Itaque cum Ioannes incidisset, siue recubuisset, siue esset in sinu, siue supra pectus Domini, (vt dictum est supra) rogauit illum. Dicitur autem Ioannes incidisse supra pectus, quia supra pectus Domini caput reclinauit, vel quia mœrore affectus ob proditionem, in illud incidit. Verisimilius fortè est, Ioannem recubuisse in sinu Christi infra pectus, cum Petrus illi innuit, deinde vt secretius interrogaret in pectus Christi incidisse, hoc est, caput suum reclinasse. Hunc sensum sequitur Euangel. Syriacum, sic enim habet, venaphal,] idest, [& cecidit,] siue [incubuit] discipulus ille super pectus Iesu, & dixit ei, &c. Incubuit (inquam) siue cecidit tunc cum interrogauit. Et Origenes in Ioannem: Ioannes (inquit) qui prius recubuerat in sinu Iesu, superascendit, & recubuit super pectus, &c. Item; Quamuis antea recumberet in sinu Iesu, deinde verò recubuerit supra pectus Iesu; notatur tamen in fine Euangelij, nō quia in sinu, sed quia supra pectus recubuerit, quasi hoc vltimum excellentius sit, &c.

Origenes.

Ille est, cui ego intinctum panem porrexero.

RESpondet Ioanni Dominus, signumque præbet ex quo traditorem agnoscat; [Ille (inquit) est, cui ego intinctum condimento panem,] Græcè, ψωμίον, idest, [buccellam,] siue [offam,] porrexero. Cumque offam intinxisset, dedit illam Iudæ. Supra c. 11. retulimus verba quædam ex Rituali Hebræorum, quæ indicāt in posteriori mensa Paschalis conuiuij embamma, siue condimentum, apponi solitum ex intybis, & lactucis agrestibus factum, alijsque rebus conditum, in quod paterfamilias primum azymam offam intingebat, deinde cæteri. Verum dubium est an hoc liquamen in cęna agni sumeretur, quem lex præcipiebat, cum lactucis agrestibus, an post agni cœnam, quam Rituale, posteriorem, appellat. Si post agni cęnam sumebatur, hicque mos seruabatur Christi tempore, in hoc embamma, offam intinctam, Iudæ videtur obtulisse. Nonius vino intinctam fuisse putat, sed non est id probabile. Alij arbitrantur fuisse alicuius boni ferculi offam, non panis. Nàm Hebræis, lechem, significat non solum [panem,] sed cibum quemcunque. Verisimilius est panis azymi fuisse buccellam intinctam condimento.

De buccella Iudæ data.

Dubitatur quorsum huiusmodi offam Iudæ dederit Dominus? Respondetur, vt signum præberet proditoris. At cur tali signo proditorem voluit prodere? Respondetur, quia accommodatum signum erat in cœna. Discumbebant adhuc, aderat cibus, facilè signum exhibuit offam intinctam; noluit enim verbo, aut signo alio manifestiori vti. Theophylactus ait offam obtulisse amicitiam indicantem, eiusdemque mensæ participationem. Dominus (inquit) dedit buccellam Iudæ, si fortè recogitaret amicitiam mensæ & panis, & a proditione desisteret, &c. Et Chrysostomus: Modus (inquit) reprehensiuus hic fuit, quòd neque mensæ communicationem reuereretur. Quòd si mensæ communicatio eum rubore non suffudit, hæc panis porrectio, quem non mouisset? &c. Diuus Cyrillus existimat Christum Psalmi 40. vaticinium respexisse, [Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem;] vel, [Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum,] &c. Panem porrexit Iudæ, vt illum esse indicaret, qui panem cum ipso edens leuabat contra eum calcaneum. Tinxit panem (ait Cyrillus libro 9.) & dedit Iudæ: leuaturum calcaneum aduer-

Quorsum Christus buccellā intinctam Iudæ dederit.

Theophil.

D. Chrisost.

D. Cirillus. Psal. 40.

Digitized by Google

aduersus se ostendens, qui panem illum manducaret, &c. Item Augustinus Psalmo 40. Per buccellam (inquit) Iudam designauit Dominus, vt appareret de illo dictum; [Qui edebat panes meos,] &c. Rupertus ait ad illud etiam Salomonis respexisse, Prouer. 25. [Si esurierit inimicus tuus, ciba illum,] &c. Iudam (inquit) tali voluit designare indicio, vt prophetiam veram esse ostenderet; [qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem,] & illud prior ipse faceret, quod per Salomonem docuerat, [si esurierit inimicus tuus, ciba illum,] &c. Indicabat praeterea hoc signum pacis, & amoris, signum illud quo Iudas Christum prodidit, videlicet osculum. Buccella signo pacis, & amoris, Christus Iudam Ioanni indicauit: quia Iudas Christum indicaturus erat militibus osculo, signo amoris, & pacis. Praeterea vult Augustinus offae intinctionem, Iudae significasse fictionem, est enim fictio, velut intinctio quaedam dulcedinis, sub qua latet amaritudo, tract. 62. Per buccellam tinctam (ait Augustinus) suum exprimit Dominus traditorem, fortassis per panis intinctionem, illius significans fictionem, &c.

D. August. *Rupertus.* *Signo pacis Christus proditorem Ioanni indicauit.* *D. August.*

Dubitatur etiam, An Eucharistia fuerit illa buccella? Respondetur, minimè fuisse: Augustinus tract. 62. Non tunc (ait) Iudas Christi corpus accepit, vt putant quidam, negligenter legentes, &c. Neque vero contrarium scripsit lib. 5. de Baptismo, cap. 8. inquiens; Iudas cui buccellam Dominus tradidit, non malum accipiendo, sed malè accipiendo locum in se diabolo praebuit, &c. Haec enim verba, & reliqua contrariam sententiam non significant. Iulius summus Pontifex in epist. ad Episcopos per Aegyptũ: Intinctum (inquit) panem alijs discipulis Christum praebuisse non legimus, excepto illo tantum discipulo, quem intincta buccella, magistri proditorem ostenderet; non quae Sacramenti huius institutionem signaret, &c. Innocentius 3. in lib. myst. Missae; Non debet intelligi quod sub buccella panis intincta, Christus Eucharistiam dederit traditori, &c. Eadem est sententia Diui Thomae, Euthymij, & aliorum. Origenes conijcit potius, quam affirmat, offulam a Christo datam Iudae, fuisse Eucharistiam. Sed fallitur cõiectura sua. Nec enim Christus intinctam dedit Eucharistiam, nec tũc illam dedit reliquis discipulis, cũ Iudae offam prębuit. Diuus Cirillus hãc buccellam benedictionem appellat, fortè putauit fuisse Eucharistiam.

An buccella illa, fuerit Eucharistia. *D. August.* *Iuli. s.* *Innocent.* *Origen.* *D. Cirillus.*

Ad haec, dubitatur an ex hoc signo buccellae agnouerint Apostoli proditorem? Respondet Diuus Cyrillus lib. 9. Perspicuum (inquit) signũ dedit Christus discipulis suis, tinxit enim panem, & dedit Iudae, &c. Si perspicuum fuit signum, ergo ex illo discipuli proditorem agnouerũt. At Chrysostomus certius inficiatur, datum est enim soli Ioanni secreto signũ. Tam submissa voce (ait Chrysostomus) Ioãni dixit Dominus; [cui ego intinctum panem porrexero, ille est;] vt minimè ab alijs audiretur. Etenim propterea Ioannes supra pectus recumbens, tantùm non ad aurem interrogat, ne palam fieret proditor, &c. Nunquid Ioannes ipse nouit proditorẽ? Idem Chrysostomus negat; Christus (inquit) non fecit palam proditorem, fortasse enim eum discerpsissent Apostoli, fortasse Petrus tũc interemisset. Ideo nemo recumbentium nouit quis esset, neque Ioannes, neque enim putauit discipulum in tantam proruputurum iniquitatem, &c At vero cum Christus perspicuum signum soli Ioanni interroganti dederit, probabilius est, reliquos non intellexisse, quis proditor esset; Ioannem verò intellexisse. Existimari etiam potest, raptum tũc temporis esse in Christi pectore, ad intelligenda diuina arcana, atque ideo cuinam Christus buccellam praebuerit non animaduertisse.

An ex signo buccellae cognouerint Apostoli proditorem. *D. Cirillus.* *D. Chrysost.* *An Ioãnes nouerit proditorem ex signo.*

Et

Et post buccellam introiuit in eum Satanas.

An Iudas intellexerit buccellã esse signũ proditionis, eã que comederit.

QVæritur Num Iudas intellexerit buccellam signum esse proditoris? Respondetur non intellexisse Ioannem, non alios, neque igitur Iudas intellexit. Secundo, quærit Origenes, an Iudas buccellam comederit? Respondetur comedisse, idque significare Euangelistam cum ait, [post buccellam,] idest, postquã buccellam comedit, introiuit in eum Satanas. Augustinus tract. 62. Cum homini (inquit) ingrato, idest, Iudæ, intrasset panis in ventrem, hostis in mentem, &c. Origenes verò sententiam suam explicat his verbis: Post offulam (inquit) fortasse à Iuda non comestam, anticipante Satana, qui ingressus fuerat in Iudam offulæ vsum, ne Iudas adiumentum perciperet ex data a Iesu offula; timens ne telum in Iudam emissum aberraret, si Iudas vsus offula fuisset; anticipans, mox atque Iudas sumit offulam, ingressus est in illum, tum scilicet cũ dixisset illi Saluator, [quod facis, fac citius,] accepissetque offulam Iudas, ingressus est statim, &c. Deinde addit, nouimus rationem in vtramque partem, siue necesse sit dicere, Iudã acceptam offulam comedisse, siue à Satana, qui in ipsum ingressus fuerat, prohibitum fuisse, &c. Conijcit autem ille offulam fuisse Eucharistiam. Non absurdum (inquit) diceretur offulam eiusdem generis fuisse, cum ea quam Dominus dedit cæteris Apostolis, dum dicit: [accipite, & comedite,] &c. Sed neque offula Eucharistia erat, neque prohibitus est à Satana Iudas illam comedere; post buccellam enim comestam introiuit in illum, & antequam Christus diceret, [quod facis, fac citius.] Quæritur tertiò cur post buccellam introiuit Satanas in Iudam? Quid mali habuit buccella illa? Respondetur, introisse tunc; quia tunc permissus est a Christo introire, ad exequendam proditionem. Iam enim venerat hora eius, omniaque Iudæ iam præstiterat, quæ illum a tanto facinore poterant auocare: illius pedes lauerat, sibi notum esse proditorem indicauerat, æterno veluti fulmine terruerat, ad extremum buccellam intinctã, maximi amoris signum, præbuerat, nihil aliud præstandum supererat. Cũ verò nollet resipiscere, obstinatus Satanæ relinquitur; post buccellam introiuit in illum Satanas. Iã introierat, & miserat in cor Iudæ, vt traderet magistrum: nunc iterum introiuit in eum a Deo derelictum, & maiori impetu impulit, vt quod iã decreuerat, re ipsa exequeretur. Augu. tract. 62. Intrauit (inquit) Satanas post buccellam in traditorem, vt sibi iam traditum plenius possideret; in quem prius intrauerat, vt deciperet, &c. Item: intrauit tunc Satanas in Iudam nõ ad hoc vt alienum tentaret, sed vt propriũ possideret, &c. Theophylactus: Iudas (inquit) cum neque data buccella emendaretur, tunc planè factus est Satanæ; & traditus ei vt inemendabilis, &c. Diuus Cyrillus lib. 9. in Ioannem cap. 16. Quoniam (inquit) etsi nihil Iudæ defuit, q vna cum cæteris amoris charitatisque Christi particeps fuit, & tamẽ in malis perseuerabat consilijs, nulla pœnitentia tactus, nulla Christi admonitione cõmotus, nullo saltem rubore, cum Christum scire omnia videret, affectus, imò verò magis magisq; in horas cupiditate patrandi sceleris ardens, idcircò desolatam, destitutamque ab auxilio animam eius diabolus videns, & mentem nulla custodia munitam, aspiciens, ingressus in eam est. Sic ille. Impletur hoc loco illud Ieremiæ capite 51. [Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam,] &c. Curauit Dominus Iudam, non est sanatus; reliquit eum Iustinianus lib. de agone Christi cap. 5 Hucusque (inquit) monitus est Iudas ne periret. Quantum in ipso est, Dominus omnes saluare desiderat, si qui pereunt, propria pereunt voluntate. Repudiant gratiam

D. August.

Origenes.

Intinctus panis non fuit Eucharistia.

Cur post buccellã Satanas in Iudam introierit.

D. August.

Theophil.

D. Cirillus.

Ierem. 51.

Iustinianus

Dominus omnes saluare desiderat.

gratiam & exhortantis, exorantisq; suasionem intelligere negligunt, &c. Pulsauit fores Dominus, ostium clausum noluit Iudas illi aperire; sed aperuit Satanæ. Introiuit in eum Satanas. Pulsauit autem fores Iudæ diabolus, per pecuniæ cupiditatem; hæc fores reserauit, hæc animam Iudæ expugnauit. Lege Diuum Cyrillum loco indicato.

CAPVT XIIII.

De prædictione proditionis Iudæ.

Quod facis, fac citius.

An verba hæc dicta sint Satanæ

QVæritur, an verba hæc Iudæ dicta sint, an Satanæ, q. in Iudam introiuerat. Sic enim Euãgelista scribit; [Et post buccellã introiuit in eũ, (scilicet Iudam, [Satanas, & dixit ei Iesus: Quod facis, fac citius,] &c. hoc est, intrauit Satanas in Iudam, & dixit ei, videlicet Satanæ, qui in Iudam introiuerat; vel, dixit ei, idest, Iudæ, in quem Satanas ingressus erat. Origenes vel diabolo dicta putat hæc verba, vel Iudæ. Diuus Cyrillus diabolo dicta arbitratur lib. 9. c. 17 Diabolo (inquit) non intelligenti patibulum crucis, suarum virium fore detrimẽtum, dicebat Dominus; [Quod facis, fac citius, ita minantis magis quam hortantis, hæc oratio est, &c. Respõdemus verba hæc dicta Iudæ, probatur ex verbis consequentibus: [Hoc autem nemo sciuit discumbentiũ ad quid dixerit ei,] idest, Iudæ. [Quidã enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum,] &c. De Iuda loquitur Euangelista, eique significat dixisse Do-

Origen.
D. Cirillus.

A minum, [quod facis, fac citius.

Dixit autem Dominus, [quod facis, fac citius;] vt intelligeret Iudas notam sibi esse proditionem, quã machinabatur, & vt sciret se sponte mori, nec eius insidias cauere. Prætereà indicauit his verbis Christus, se non permittente nihil posse proditorẽ facere, quasi diceret: Iuda si non permisero, efficere nõ poteris, quod decreuisti; iã id tibi permitto propter B magnum bonũ, quod in hominũ genus ex morte redũdabit mea. Chrysostomus, dixit Dominus: [Quod facis, fac citius,] vt vera esse ostenderet, quę ad Iudęos de morte dixerat; [Potestatẽ habeo ponẽdi aĩam meã, & potestatem habeo sumẽdi eam, & [Nemo tollit eam a me.] Quãdiu ergo retinere voluit, nemo contra valuit, cũ autẽ permisit, tunc facile fuit auferri; quæ omnia significãs, inquit, C [Quod facis, fac citius,] &c. Sunt autem verba hæc non imperantis, sed permittẽtis, & scelus maximum obijcientis, atque ante oculos proponentis. Theophylactus: Hoc (inquit) non est adhortantis ad perditionem, sed exprobrantis, & promittentis ei ad proditionem venire: quasi diceret; Ecce reliqui te facere, quod vis, non impedio tuam mẽtem. Hæc ille, &c. Et Diuus Chrysostomus: Illud (inquit) verbum; [fac citius;] non impe- D rantis est, neque consulentis, sed exprobrantis, & reuocantis ad emendationem, &c. Similia verba in Scriptura reperiuntur, quæ non sunt iubentis, sed vel permittentis, vel exprobantis, vt illa Iud. 10. [Ite, & inuocate Deos, quos elegistis, ipsi vos liberẽt,] &c. & Matth. 23. [Et vos implete mensurã patrũ vestrorũ,] &c. Ioã. 2. [Soluite templũ hoc,] &c. Ad E hæc, significãt verba hæc, [Quod facis, fac citius,] obstinationem Iudæ, quasi dicat Dominus; Si quidẽ resipiscere non vis, & in scelere pertinax es, vade, fac qd libet Ex snia Augustini, significant desideriũ crucis. O verbũ (inquit) libẽtius parati, quã irati. Dixit Christus, [quod facis, fac citius,] non tam in perniciẽ perfidi sequiendo

Cur Dominus dixerit Iudæ, quod facis fac, citius.

D. Chrysost.

Verba sunt permittẽtis.

Theophil.

D. Chrisost.

D. August.

Digitized by Google

Simon Cas. ulendo, quàm ad salutem fidelium festinando. Simon Cassianus: Festinabat Christus ad redemptionem, feruebat desiderium Saluatoris, &c. Diuus *D. Ambros.* Ambrosius lib. 2. de Abel, & Cain, c. 4. vult hoc dicto expulsum Iudam à Christi societate, quoniam Satanas in eum introierat. Dixit (inquit) Dominus Iudæ: [Quod facis, fac citius;] Quod illud? vt quia introierat in eũ Satanas, ipse abiret à Christo. Eijcitur itaque, & excluditur, eo quod iã cum Domino esse non possit, quia cœperat esse cum diabolo. Nulla enim [communicatio Christi ad Belial,] &c. Iam Iudas ante cœnam erat cum diabolo, sed non sic ab illo possidebatur: nunc omnino illi traditus pellitur. Diuus Chrysostomus: *D. Chrysost.* Cum (inquit) Iudas esset inemendabilis, dimisit eum Christus, &c. Væ homini quem Deus dimittit, & quod vult facere, permittit, dicens, [Quod facis, fac:] Iudæ exitum is assequetur. Psalm. 80. [Non audiuit populus *Psal. 80.* meus vocem meam, & Israel non intendit mihi. Et dimisi eos, secundũ desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis,] &c. Dimisit Dominus Iudam secũdum desideria cordis eius, videlicet secundum desideria pecuniæ: quia vocem eius non audiuit, & ijs non intendit, quæ fecit, vt illum ad meliorem mentem reuocaret: sic nos dimittet, si illum non audierimus.

Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei.

An Ioannes intellexerit quis esset proditor.

Dixit Iudæ Christus: [Quod facis, fac citius:] nemo autem ex discipulis horum verborum sensum intellexit, nemo existimauit significare proditorem. At videtur Ioannes intellexisse verba hæc. Nam cognoscebat iam proditorem, ex signo buccellæ sibi soli dato: ergo intellexit permitti à Domino his verbis, vt proditioni daret operam. Respondetur, in primis Ioannem intellexisse verba, scripsit autem neminem sciuisse discumbentium, quid significarent, seipsum excipiens: sibi enim iam dixerat proditorem ostensum signo buccellæ. Est sensus, nemo discumbentium sciuit, præter me, qui traditorem iam noueram. Secundo rectius respondetur, neque alios, neque Ioannem verborum sensum percepisse; quamuis enim Ioannes sciret Iudam esse proditorem, tamen non putauit tam citò proditurum Dominum, sed alio tempore. Cùm itaque audiuit, [quod facis, fac citius,] de proditione verba non intellexit. Quod si velis Ioannem raptũ esse ad arcana Dei intelligenda, cum audiuit verba illa: [Cui ego intinctum panem porrexero ille est:] raptus etiam permanebat cum Christus dixit; [quòd facis, fac citius:] ideo verba, neque auditu, neque intellectu excepit. Neque mirum, si non intellexerunt Apostoli ex his verbis proditorem. Non enim in animum inducere poterant, Christum imperaturum Iudæ, vt proditionem perficeret: siquidem prima facie verba illa: [Quod facis, fac citius:] imperantis videbantur, illi nesciebant esse permittentis. Putarunt ergo aliud imperare, non traditionem permittere. Rogabis, an Iudas verba intellexerit? Respondetur, intellexisse, conscientia sceleris sensum illorum manifestante. Obijcies verba Ioannis: [Nemo discumbentium sciuit;] Iudas verò ex discumbentibus vnus erat. Respondetur, excipi Iudam ab illa propositione; de reliquis enim Apostolis loquitur Euangelista.

Explicatio notanda.

An Iudas verba intellexerit.

Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas.

Qvomodo verba prædicta intellexerint Apostoli docet Euangelista: nimirum quia loculos Iudas habebat, quidam existimarunt iussisse Dominum, vt pararet ea, quæ collegio opus erant in diem festum Paschatis. Nam, vt ex dictis constat, feria quinta tempore nocturno Iudæ dixit

Quo intellexerint Apostoli verba Christi.

xit Christus,[Quod facis,fac citius;] A feria verò sexta sequenti festum Paschatis siue primus azymorum dies agebatur,de quo Ioannis 13.ait;[Ante diem festum Paschæ,] &c. In hũc festum diem vt pararet cibum, vel oblationes aliquas in templo offerendas, putarunt Apostoli iussisse Dominum Iudæ: aut vt pauperibus eleemosynam erogaret ex loculis. At infelix,quæ necessaria erant in diem fe B stum non emit, sed Saluatorem vendidit: egenis eleemosynam non dedit,sed 30. sibi argenteos pro vendito magistro comparauit. Dubitatur, quomodo discipuli existimare potuerint Christum dixisse Iudæ, vt emeret,quæ opus erant in diem festum: siquidem iam dies festus Paschatis, siue azymorum inchoatus erat. In festo autem Paschatis non videtur aliquid licuisse emere,aut vendere Re C spondetur, in ipso die Paschatis licuisse cibos coquere, vt diximus lib. 1.c.5.colligi verò ex hoc loco.licuisse quoque in illo festo illos emere.

In die Paschatis licebat cibos coquere, & emere.

Egregium documẽtum elicit hinc Diuus Cyrillus, videlicet, diebus festis non solum propriæ domus, sed etiam pauperum curam habendam: Perutile (inquit) nobis exemplum proponitur; oportet enim, qui festũ diem piè acturi sunt, non de seipsis D tantummodo curare, neque quomodo ipsi soli hilarè celebraturi sint, verum etiam egentium propter charitatem rationem habere Sic enim spiritaliter Christo dies festus peragetur, &c. Et quidem Diuus Paulus 1. Corinth.16.hortatur Corinthios, vt per vnam Sabbati (id est, die Dominica, quæ vna, id est, prima est hebdomadæ) seponant apud se eleemosynam donandam pauperib. E Est enim, vt ait Theodoretus, facto conueniens,dies Dominica. Et Theophylactus: A die (inquit) ad eleemosynam Corinthios hortatur, &c. à die, inquam, festo. Chrysostomus verò to.4. serm.de eleemos. & collatione: Spiritali (inquit) honore, hunc diem,id est, Dominicum, venerari oportet, indigentes fratres libe

De eleemosina. D.Cirillus.

ralitate facili iuuando,&c. Apostolorum simplicitatem,atque innocentiam obserua, nihil nihil mali de Iuda opinantur, temere iudicare nolunt, & fugienda docent iudicia temeraria. Iustinianus lib. de Agone, cap.5.Innocentes (inquit) & sancti cum essent Apostoli, nihil mali de proditore cogitare sunt ausi. Humilis namque difficulter proximorum corda scrutatur,& conscientiæ iudicium refugit alienæ &c. Aduerte etiam Dominum ex loculis siue marsupio,cuius curam Iudas gerebat solitum pauperibus eleemosynas elargiri, vt exemplum nobis præberet. Largiebatur autem eleemosynas, ex eleemosynis sibi datis,quas Iudas ferebat in crumena. Habebat(ait Augustinus) loculos Dominus, & à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus,& alijs indigentibus tribuebat. Tunc primò Ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta: vbi intelligeremus,quod præcipit, non cogitandum esse de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, vt nihil pecuniæ seruaretur a Sanctis, sed ne Deo pro ista seruiatur, & propter inopiæ timorem iustitia deseratur,&c.

Iudiciũ temerariũ fugiendum. Iustinian.

Christus ex eleemosinis, largiebatur eleemosinas D. August.

Quõ intelligendũ illud nolite curare de crastino.

CAPVT XV.

De prædictione proditionis.

Cum accepisset buccellam, exiuit continuo.

CVm accepisset buccellã, ait Euãgelista,continuo à mẽsa discessisse Iudã. Qũo buccellã acceperit dubitatur. Origenes vr̃ cõijcere Christũ dimisisse offam in catino, atq; inde eã iudã accepisse.Hæc.n.illius verba sunt: Cũ intinxisset Iesus offulam, & dimisisset

Qũo Iudas buccellam acceperit. Origenes.

Digitized by Google

fisset eã, licet in catino, ne vacet vox accepit, &c. Respondetur, verisimilius esse Christum offam intinctã non dimisisse in catino, sed manu obtulisse Iudę; Iudam verò, vel manu eã accepisse, vel ore ex manu Domini.

Card. Baronius. *An Iudas ptinus post buccellã discesserit.* Postquam verò buccellã accepit, arbitratur Cardinalis Baronius primo tomo Annalium, non protinus abijsse; sed Eucharistiæ institutionẽ expectasse: dici autem ab Euangelista exijsse continuo, quia sermonem, quem Christus habuit post datã Eucharistiam, non expectauit. Attamen Euangelista manifestè indicat, post acceptam offulam mox ex cœnaculo excessisse [Cum accepisset (inquit) buccellam, exiuit continuò] id est, protinus exiuit nulla mora interposita: idcirco Christus, quia preuidebat illius festinationem, non solum dixit illi [Quod facis fac] sed addit [citius] fac citius. fecit ille citius, properauit, continuò discessit a mensa. Præuiderat Dominus illum protinus abiturum, abreptum a Satana: ne ergo discipuli discessum repentinum obseruarent, ac mirarentur; dixit ei antequam discederet [Quod facis, fac citius] Quamobrem non sunt mirati, quod repente abiret, sed arbitrati sũt a Domino iussum, cito parare quæ in diem festum opus erant, aut pauperibus eleemosynam largiri.

Cur Iudas repente discesserit. Quæritur cur Iudas repente discesserit? Respondetur vrgente Dæmone id fecisse, calcaria enim illi admouit, & ad proditionem citò perficiendã impulit. præterea intellexit Iudas per Christi verba illa [Quod facis, fac citius] notam esse proditionem cognouit, non solum ipsi, sed forsitan, & discipulis, idcirco exiuit cõtinuo. Præterea exiuit, quia tempus aduenerat ad hostes properandi, & quæ opus erant ad patrandum scelus parandi. *Rupertus.* Rupertus ait, odium aduersus magistrũ concepisse, quod fuisset per buccellam indicatus. Per buccellam (inquit) designatus Iudas, maius odium spirabat contra illum, qui designauerat. Nam etsi solo amore lucri scelus proditionis incœperat, nunc tamen introeunte in illum Satana, mixtoq; odio cupiditati, totam crudelitatem anhelans, citius faciebat, instantius properabat. Hæc Rupertus. *Iudas non habuit odiũ Christum.* Reor tamen non odio, sed cupiditate argenti ductum esse Iudam. Postea enim cum videret Christum adiudicatum morti, valdè doluit; nimirum quia illum nec odio habebat, nec morti adiudicari cupiebat.

Erat autem nox.

Tempus indicat Euangelista, quo Iudas ex Collegio Apostolico, nunquam in illum reuersurus discessit, ad exequendam proditionem. Vt doceat nos (ait Theophylactus) quod neque tempus illum prohibuerit, sed nocte dolum struxerit, &c. At verò nocte ille Christum decernebat capere, absq; turbis, ne tumultus fieret in populo non prohibebat illum tẽpus, imò maximè iuuabat, ideoq; noctu abijt, vt opus tenebrarũ nox noctu faceret. *Iudas nox erat.* Nam Iudas, vt Aug. ait. nox erat, ipse (inquit) qui exiuit nox erat, &c. Iustinianus loco indicato; Occubuerat (inqt) Iudæ iustitiæ Sol, & fulgentissima claritas Sapientiæ, &c Nocte tenebrosa circũfusus erat infelix proditor, ideo tenebrarũ vacabat operibus, Christi radios repulerat, ideo crassissima caligine complebatur. *Psal. 57. D. August.* Illud Psal. 57. [Supercecidit ignis, & non viderunt Solem, &c. D. Aug. de igne cupiditatis sic interpretatur: Supercadit ignis concupiscentiæ, & Solem non videbitis, &c. Supcecidit in Iudam ignis concupiscentiæ argenti ex die fecit noctẽ, ex Apostolo traditorẽ, Solẽ iustitiæ Christum non vidit Io. 11. *Ioan. 11.* [Nonne duodecim sunt horæ diei?] Aug. eodem capite eundem Christum, cuius hæc sunt verba, clarissimum diem esse ait; horas duodecim, duodecim Apostolos. *Hora diei 12. Apost.* Fuit aliquando Iudas hora fulgens, fulgentissimi huius diei, videlicet anteq̃ cupiditate pecuniȩ captus esset. Veruntamen postquã huiusmodi cupiditate est obcœcatus, noctis obscurissimæ hora erat, cui illud ad

Iudæos

Luc. 22. *Iudas horologium, & hora Iudæorũ fuit, qua captus est Christus.*

Iudæos a Christo dictum satis congruit Lucæ 22. [Hæc est hora vestra] Nam ex Apostolo Christi factus est dux, & hora Iudæorum, imò horologium, quod tum manu, tum oris sonitu, ostendit horam, qua Dominus hortum petiuit, quaque absque turbæ tumultu comprehensus est.

Nunc clarificatus est filius hominis.

DIscessit ex cœnaculo nox, idest, Iudas, cum Iudæis de traditione acturus: mansit dies splendidissimus, id est, Christus cum duodecim præclaris horis suis, id est, discipulis loquens, admirandum Eucharistiæ Sacramentum instituturus. [Dies (ait Aug. tract. 62.) diei eructauit verbũ,] id est, Christus discipulis fidelibus, vt audirent eum, & amarent sequendo [& nox nocti annunciauit scientiam] id est, Iudas Iudæis infidelibus, vt venirent ad magistrum, & apprehenderent persequendo, &c. Post noctis teterrimæ, id est, Iudæ exitum, splendoris sui mentionem facit dies, id est, Christus. [Nunc (inquit) clarificatus est filius hominis.] Rupertus: A tempore (inquit) noctis, quod tũc erat, similitudine per contrariũ sumpta, clarificationem suam dies æternitatis, & Sol iustitiæ Christus iam adesse indicat, qua totum erat mundum illuminaturus, &c. Græcè verbum est, δοξάζω, id est, [glorifico, quod interpres vertit [clarifico] quod idem est.

Psal. 18.

De quanam clarificatione loquatur Dominus.

Quæritur, quænam sit hæc clarificatio, siue glorificatio, qua in cœnaculo Christus clarificatus est, siue glorificatus? Nunquid Iudæ discessus Christum clarificauit? Respondetur, Christum cum vidisset Iudam iam abijsse ad exequendam traditionẽ, initiumq; passioni iam dare: commemorasse glorificationem ipsius passionis suæ, quæ iam inchoabatur. Nã passio Christum maximopere glorificauit, iuxta illud Philip 2. [Propter quod, (id est propter passionem) & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, &c.] Neque verò loquitur de glorificatione aliqua, quam in cœnaculo ipso actu habuerit, sed de illa, quæ post futura erat, quæque in passione, veluti in causa meritoria inerat. Est ergo sensus: Nunc ò discipuli, Iuda abeunte, vt me hostibus prodat, clarificatus sum, quia nunc incipit causa clarificationis meæ, nempe passio, cuius initium est Iudæ proditio. Nũc etiam Deus pater in me clarificatus est, quia passio mea maximam illi gloriam pariet. Quod si pater in me per passionem clarificabitur, ipse Pater me clarificabit in semetipso, singularem mihi ipsi gloriam donans, iuxta illud Ioannis 17. [Ego te clarificaui super terram, & nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, &c.] illud 1. Reg. 2. [Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum, &c.] Neque in longum tempus gloriam hanc differet pater; protinus enim post passionem, maxima gloria per resurrectionem, & in ipsa etiam passione, miraculis clarificabit me. Theophylactus: Non tardabit (inquit) Pater, sed mox quando ignominiosam passionem patiar, quando videbor per mortem è medio tolli, tũc magis honorabit, tunc per resurrectionem clarum faciet, &c. Aug. Resurrectio est clarificatio Christi, resurrectionem suam Dominus, non sicut nostram in fine sæculi, sed continuo futuram prædicit, &c.

Ioan. 17. *1. Reg. 2.* *Theophyl.* *D. Aug.*

Aliter, Deus sumi potest pro Christi diuinitate, sed minus probabiliter hoc sensu: Nunc clarificatus est filius hominis; & Deus, hoc est, diuinitas, quæ latet; clarificabitur in eo, quia ab hominibus cognoscetur, & coletur. Si verò diuinitas in eo clarificabitur, ipsamet diuinitas eum clarificabit in semetipso, vel diuinitas, quam in semetipso habet, glorificabit eum protinus; ipsa enim Christi diuinitas a mortuis illum excitauit, summamque illi claritatem attulit, & diuinum honorem. Diuus Augustinus tractatu 63. interpretationem quandam proponit, sed minime probabilem; videlicet, loqui Christum

D. Aug.

Digitized by Google

-stum de glorificatione in die iudicij futura. Ait verò in cœnaculo glorificatum esse Christum significatiuè Iuda discedente: quia tunc significata est eius glorificatio tempore iudicij, quando separatis (inquit) iniquis, manebit in æternitate cum sanctis, quemadmodum videlicet, separato impio Iuda, mansit in cœnaculo cum sanctis Apostolis. Alterum adiungit sensum de gloria resurrectionis, quasi Dominus dicat; filius hominis nunc clarificatus est, id est, clarificabitur paulò post, per resurrectionẽ. Sumitur enim præteritum tempus, pro paulò post futuro. Præterea loquitur Dominus de futuris, tanquam de præsentibus, quia omnia futura ante oculos veluti præsentia habebat. Euthym. Tanquam factũ (inquit) dicit id quod futurum est, quia paulò post comprehendendus, & passurus erat, &c.

De futuro loquitur Dominus tanquam præterito.

Euthim.

Idem Euthymius Christum passione ipsa clarificatum esse ait; Nunc (inquit) glorificatus est filius hominis, afflictionibus, pro mundo toleratis. Nam gloria sunt Domino afflictiones, quas pro seruis tolerat, &c. Sic ille interpretatur, [Nunc clarificatus est,] id est, paulò post clarificabitur, [filius hominis,] per passionem, [& Deus Pater glorificatus est per eum,] id est, per eius vitam, & conuersationem, & opera; [& glorificabit eum Deus Pater in semetipso,] id est, per semetipsum edens miracula tempore passionis stupenda, [& continuò clarificabit eum,] id est, in ipsa cruce miraculis glorificabit. Theophylactus: Christus (inquit) per miracula in cruce glorificatus est, extincto sole, petris ruptis velo scisso, &c. Quemadmodũ tunc Dux clarificatur, cùm aduersus hostes pro patria fortissimè dimicans, multis acceptis vulneribus, eos prosternit: sic Christus tunc clarificatus est, cùm in cruce aduersus humani generis hostes pro mundi salute fortissimè pugnans, multis confectus plagis eos profligauit. Chrysostomus hom. 71. Hic (inquit) clarificari se dicit Christus, erudiens nos, nihil adeò turpe, adeò fœdum esse, quod non clariorem reddat eũ, qui id pro Dei facit voluntate, &c. Sic martyres ipsa vulnera, ipsa opprobria, ipsa denique mors, reddiderũt clariores. Quia enim pro Deo hæc perpessi sunt; ipsa causa velut Sol, has teterrimas licèt nubes, radijs inaurauit. Chrysostomus eadem homilia; Quòd (inquit) quis morte mortem vincat, maxima gloria est, &c. Theophylactus Ioan. 13. Gloria (inquit) est ipsa passio, & per ignominiosa hominibus honor conciliatur, &c.

Gloria Christi passio.

Res abiecta clarum reddunt hominem, si pro Deo fiant.

D. Chrys.

Theophil.

Præterea conciliatur honor hominibus per Dei gloriam. Nam Deus eos clarificat, à quibus clarificatur, iuxta illud Domini; [Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, &c.] Si Deus clarificatur in homine, per vitã, exemplumque sanctum, ac doctrinam orthodoxam, Deus vicissim clarificabit eum, à quo clarificatur. 1. Reg. 2. [Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contẽnunt me, erunt ignobiles, &c.] D. Cyrillus lib. 9 cap. 20. Si glorificauerimus (inquit) Deum, glorificabimur omnino ab eo: glorificatur autem in nobis, & per nos Deus, cùm sordibus peccati abiectis, illustrem virtutibus vitam viuimus. Hoc enim pacto ad gloriam Dei homines viuere dicuntur. Sic Cyrillus.

Deus glorificat eos, à quibus glorificatur.

1. Reg. 2.

D. Cirillus.

Titelmanus verbum, [clarificatus, præteritum tempus, & præteritam clarificationem Christi putauit significare, hunc in modum; [Nunc clarificatus est filius hominis,] id est, hactenus glorificatus sum in mũdo per miracula inaudita, & doctrinam diuinam, & Pater meus clarificatus est in me. Si verò Deus Pater glorificatus est hactenus in me, [ipse glorificabit me in semetipso,] id est, per semetipsum; præpositio enim, [in,] pro præpositione, [per,] sumitur. [Et continuò glorificabit me,] in ipsa passione, adde, & per resurrectionem. Quasi dicat, ne mœrore

Titelmannus.

mœrore afficiamini discipuli, propinqua est glorificatio mea per resurrectionem, Ascẽsionem, Spiritus sancti missionem, gentiumque ad fidem vocationem. Continuò glorificabit me Pater. Particula, [nunc] non fauet huic sensui, exponi tamen potest, sic. [Nunc,] hoc tempore vitæ meæ tam præterito, quàm futuro. In hoc [nunc] vitæ meæ, in hoc, [nunc,] cum vixi, viuo, atque viuam, clarificatus sum miraculis, & doctrina, proxima est glorificatio per resurrectionem, &c.

In Eucharistia clarificatur Dominus.

Forsitan Dominus de Eucharistia loquitur; si quis velit ante hæc verba institutum esse hoc admirandum Sacramentum, sic ea interpretabitur; [Nunc,] id est, hac nocte, & in hac mensa clarificatus est filius hominis, scilicet per institutionem stupẽdi Sacramenti, & sacrificij, quod maximã Christi gloriam affert. Et Pater clarificatus est in eo, id est, per filium Sacramẽtum instituentem; vel, & Deus, id est, diuinitas clarificata est in filio hominis, per hoc Sacramentum; solius enim Dei potentia effici potuit. Præterea Deus, & homo colitur in hoc Sacramento, maximeque diuinitas glorificatur. Quòd si Deus Pater clarificatus est per filiũ instituentem Sacramentum, & alia sanctissima opera efficientem, & ipse filium glorificabit, continuò per resurrectionem. Nos ineffabile Sacramentum, ac sacrificium, post hæc verba existimamus institutum, ideoque verba præteriti temporis, vt suprà, pro paulò post futuro, sumpta dicemus hoc pacto [Nunc,] in hac mensa, Iuda indigno sacrosanctis mysterijs discedẽte; [glorificatus est filius hominis;] hoc est, mox glorificabitur, per Sacramenti sacrifici, que stupendi, omnibusque sæculis duraturi institutionem, & Deus in illo glorificabitur, &c.

Humilitate & patientia clarificatur Dominus.

Non prætermittam alium sensum: Cùm exijsset Iudas (ait Ioannes) dixit Dominus; [Nunc clarificatus est filius hominis:] duabus rebus, triumpho humilitatis, & triumpho patientiæ. Nã tunc humilitas Christi triumphum agit, cùm pedes discipulorum stupenda humilitate Deus abluit; tũc patientia triumphauit, cùm proditorem suum Iudam, Dominus beneficijs affecit, ad pœnitentiam prouocauit, & ad proditionem peragendam illæsum abire permisit, neque fulmine diro hostem percussit, quem habebat in potestate. Propter hunc duplicem triumphum ait, [Nunc,] hac nocte, [clarificatus est filius hominis, & Pater clarificatus est in eo,] per humilitatem, ac patientiã. Quòd si Pater in eo glorificatus est, duplici hoc magnarum virtutum actu, & Pater glorificabit eum. Neque in longum tempus protrahet glorificationem, sed continuò eum glorificabit, post dies tres à mortuis excitando. Qui vult clarificari, humilitatem, patientiamque sectetur. Tunc enim clarificatur homo, cùm propter Deum se se ad opera abiectiora demittit; cùm inimicos beneuolentia prosequitur, cùm vindictam, quam capere potest, remittit, atque execratur. Denique cùm vincit in bono malum, iuxta illud Pauli Rom. 12. [Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.] Non tanta fuit charitas triũphorum, quos Romani omnes olim egerunt, quanta est horum triumphorum claritas, quos humilitas agit, atque inuicta propter Deum patientia.

Rom. 12.

FINIS LIBRI SECVNDI.

S E-

Digitized by Google

SEBASTIANI BARRADAS, E SOCIETATE IESV,

DOCTORIS THEOLOGI
Commentariorum in quatuor Euangelia, eorumque concordiam Euangelicam,

Liber Tertius.

CAPVT PRIMVM.

De Institutione Augustissimæ Eucharistiæ.

MATTHAEVS CAPITE XXVI.

COenantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait; Accipite, & comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens; Bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis; non bibam

Digitized by Google

bam amodò de hoc genimine vitis, vſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei.

MARCVS CAPITE XIV.

ET manducantibus illis, accepit Ieſus panem: & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite; hoc eſt corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effunditur. Amen dico vobis, quia iam non bibam de hoc genimine vitis, vſque in diem illum, cùm illud bibam nouum in regno Dei.

LVCAS CAPITE XXII.

ET cùm facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo, & ait illis: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequàm patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos: dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter, & calicem, poſtquàm cœnauit, dicens: Hic eſt calix nouum Teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.

HActenus Ioannem ſecuti ſumus, qui capite 13. de ablutione pedum egit, quæ Euchariſtiam præceſſit, vt ſupra indica- A uimus; egit quoque de manifeſtatione proditionis, quam etiam præceſſiſſe Euchariſtiam arbitramur. De Euchariſtię inſtitutione non ſcripſit,

quo-

quoniam reliqui Euangelistæ de ea satis scripserant; capite tamen sexto de illa copiose egit. Vnde Augustinus libro 3. de consensu Euang. cap. 1. Ioannes (inquit) de corpore, & sanguine Domini, hoc loco nihil dixit: sed planè alibi, id est, cap. 6. multo vberius hinc Dominum locutum esse testatur, &c. Dubitatur quonã loco Eucharistiæ institutio verbis Ioannis sit inserenda. Alij aliter inserunt. Mihi hoc loco inserenda videtur cũ Tatiano Alexandrino in Harmonia, post illa verba Domini iam exposita. [Deus clarificabit eum in semetipso, & continuo clarificabit eum, &c.] Non enim alium video locum commodiorem. Quod si opponas, ex hac serie colligi, Iudam Eucharistiæ Sacramentum non accepisse, diximus enim ex cœnaculo iã abijsse, libẽter id concedimus, infraque ostendemus. Postquam ergo Iudas diuino indignissimus Sacramento ex cœnaculo excessit, indignissimo traditore ex mensa submoto Dominus augustissimum instituit Sacramentum, & sacrificium, Apostolosque creauit Ecclesiæ Sacerdotes. Orsus verò est, vt reor, ab illis verbis, quæ extant Lucæ 22.

Ioãnes scripsit de Eucharistia, cap. 6.

D. Aug.

Iudas non accepit Sacramentum Eucharistiæ

Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum.

Singulis annis Christus ex legis ꝑscripto mãducauerat Paschalem agnum: sed non fuerant cœnæ illæ admodum desideratæ; hæc extrema sibi vendicat hunc titulum, hæc fuit Christi cœna desiderata. Cur ita? Quia in ea omnibus sæculis stupendum instituit Sacramentum. [Desiderio (inquit) desideraui hoc Pascha, id est, hunc agnum Paschalem, quem iam comedimus, manducare vobiscũ & hanc cœnam Paschalem vobiscũ agere, antequam patiar. Nõ quidem propter agni Paschalis esum, aut ꝓpter ipsius cœnæ cupiditatem, sed quia in hac mensa, Sacramentum effecturus sum, quod summam hominibus vtilitatem, mihi verò gloriã maximam conferet. Theophylactus in Lucam; Hoc (inquit) Pascha desideraui manducare vobiscum, eo quod magna mysteria in hac cœna vobis sim traditurus; nẽpe ea quæ sunt noui Testamenti, &c. Iustinianus in lib. de agone cap. 2. maximo cum iubilo a Christo hæc verba putat prolata: Plurimos (inquit) videns anima Christi per huius Sacramenti institutionẽ futuros esse Ecclesiæ suæ profectus, feruida charitate, iucunda exultatione, in lætissimæ iubilationis vocẽ prorupit, & ait; [Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar, &c.

Cœna, cur Christo desiderata dicatur.

Teophyl.

Iustinian.

[Antequam patiar] inquit Dominus. passionem propinquam cernebat, hanc extremam fore cum discipulis cœnã nouerat; nihilominus vicinam tot cruciatibus cęnam desideratam sibi fuisse ait. Mira res (ait Iustinia.) proximus erat passioni, noueratq; quantas ferre debebat contumelias; & tamen ex hilaritate cordis se noluit continere, quin desideriorũ suorum æstus exprimeret. Attendebat aliorum commoda, proprij immemor ludibrij, pœnarũ intrepidus, & de discipulorũ profectu solicitus; atq; amoris flamma succensus, qualis latebat intus, per oris apertionem manifestauit foris. Vt ignem igne, desiderium desiderio, & amorem excitaret amore, inquit [Desiderio desideraui hoc Pascha mãducare vobiscũ. Hæc Iustinianus. Chrysost. hom. 82. in Matthæum desiderij huius causam reddit, tum Eucharistiæ institutionẽ, tum salutem, quã hominibus in cruce Christus erat allaturus; Quare (inquit) hoc Pascha, id est, hoc anno comedere Pascha desiderauit Dominus? Quia videlicet salutem orbi allaturus esset; tunc mysteria traditurus, & dolores mortis obiturus erat. Ita sponte ad crucem accessit, &c. Et Titus Bostrensis, Per hæc (inquit) disertè significat, sed non inuitè ad mortem accedere, sed magno cum desiderio crucis supplicium pro mũdi salute subire, &c.

Passione imminẽte Christus cœnam desiderat.

Iustinian.

D. Chrys.

Titus.

Theo-

Tertullian. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 40. verba hæc, [Desideraui hoc Pascha comedere ;] de Eucharistia videtur interpretari hoc pacto; desiderio desideraui, hoc Pascha meum, scilicet hoc Sacramentum, manducare vobiscum. *Pascha quid hoc loco significet.* Professus (inquit) Christus se cócupiscentia concupiuisse edere Pascha vt suum, (indignum enim vt quid alienum Deus concupisceret) acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, &c. *D. Chrysost.* Item Chrysostomus hom. 83. in Matthæum: Hac (inquit) de causa desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, quò vos spiritales faciam, &c. *Eusebius.* Eusebius citatus in Catena à Diuo Thoma : Cùm (inquit) nouum Pascha celebraret, opportunè dixit; [Desiderio desideraui hoc Pascha,] id est, nouum mysterium noui Testamenti, quod tradebat discipulis, quod plures ante eum Prophetæ, & iusti concupiuerant. Sed & ipse sitiens communem salutem hoc mysteriũ tradebat, quod toti mundo competeret. Pascha verò Mosis statutum erat in vno loco, scilicet in Ierusalem, celebrari. Vnde non congruebat omnibus gentibus, & ideò non erat desideratum. Sic ille. Hunc sensum sequitur Roffensis lib. 5. contra Oecolampadium. Rectiùs Pascha sumitur hoc loco pro agno Paschali, quem iam Christus, & discipuli comederãt, vt supra exposuimus, & verba sequentia indicant. *Beda.* Sic Beda in Lucam interpretatur ; Desiderat (inquit) primò typicum Pascha cum discipulis manducare, & sic passionis suæ mundo declarare mysteria ; quatenus & legalis Paschæ probator existat, & hoc ad suæ dispensationis figuram pertinuisse docendo, carnaliter vltra vetet exhiberi ; imò vmbra transeunte, veri iam Paschæ lumen aduenisse demonstret, &cæt. Sic etiam exponit vtraque glossa, Iansenius, Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Eucharistia, capitulo 11. in fine, & alij. *Euthymius.* Pessimè Euthymius interpretatur Matth. 26. in hunc modum : [Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscũ:] hoc est, festinatione festinaui hoc anno Pascha edere vobiscum, antequam patiar, id est, non expectaui tẽpus à lege statutum, ne passio crucis prohiberet legalem cœnam, ac mysticam. Hæc ille, errans toto cælo. Vide quæ diximus lib. 1. cap. 4. de errore Græcorum circa tempus cœnæ.

Ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.

Reddit rationẽ Dominus, cur desiderarit Pascha hoc cum discipulis manducare ; videlicet, quia illi extremum fuit hoc Pascha legis veteris, cui successit Pascha nouum legis nouæ, id est, augustissima Eucharistia. *Extremũ veteris legis Pascha voluit Christ' cum discipulis celebrare.* Sensus est: desideraui hanc cœnam Paschalem vobiscum agere, dico enim vobis, quòd hæc mihi erit extrema legis veteris cœna Paschalis, in qua nouum instituam Pascha legis nouæ, quod veteris figuram implebit. Ex hoc (inquit) tẽpore, Græcè οὐκ ἔτι id est, [non amplius.] non posthac manducabo hoc Pascha legale, donec impleatur in regno Dei. *Quid significet hoc loco regnum Dei.* Quid significet hoc loco, [Regnum Dei,] dubitatur. Regnum Dei significare regnum cæleste, existimat Iansenius, hoc sensu: Non amplius manducabo Pascha hoc, donec impleatur in cælesti regno, nam in cælesti regno verum Pascha, verumque, & eximium conuiuium exhibetur, cuius fuit vmbra Pascha illud vetus, iuxta illud Lucæ 22 [Dispono vobis regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, &c.] *Luc. 22.* Euthymius quoque Matthæi 26. regnum Dei futuri sæculi regnum ait significare. *Beda.* Beda Luc. 22. regnum Dei Ecclesiam putat vocari, in hunc modum : dico vobis, quòd nequaquam vltrà manducabo Mosaicum Pascha, donec impleatur in Ecclesia. *Caietan.* Caietanus, & alij regnum Dei pro resurrectionis tempore accipiunt: quia post resurrectionem cœpit regnum Christi. Erit sensus : Non manducabo Pascha

scha typicum, donec impleatur typus in regno Dei, id est, in resurrectione mea. Si obijcias, Christum non manducasse post resurrectionem Pascha legale. Respondetur particulam, [donec,] appositam esse ad excludédum solum tempus, quod inter cœnam, & resurrectionem interiectum est; nec sequi posteà comedisse ex particula, [donec,] quemadmodum Psal. 109. non sequitur ex eadem particula, Christum non sessurum à dextris Dei, postquàm inimicos ei subiecerit, quia dicit ei; [Sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos scabellum pedum tuorũ.] Et Matthæi 1. dicitur; [Non cognoscebat eam donec peperit.] Neque tamen sequitur cognouisse postquam peperit. Psalm. 111. [Non commouebitur donec despiciat inimicos suos:] nõ sequitur, ergo postquam despexerit inimicos suos commouebitur. Aliter responderi potest, esse hunc sensum, [non manducabo illud, donec impleatur] in resurrectione, manducasse autem Christum Pascha typicum, sed iam impletum, in resurrectione, id est, Eucharistiam sumpsisse cum eam discipulis præbuit, vt illis, qui petebant Emmaus, vel dicitur comedisse, non per se, sed per membra sua, id est, per Christianos. Vatablus sic interpretatur; Non manducabo Pascha donec agnoscatis impletum esse, quod figurat hęc immolatio & esus agni, quod fiet cum post resurrectionem accepero regnum a Deo. Mihi sic videtur locus exponendus; Non manducabo Pascha typicum, donec impleatur à me in regno Dei, id est, in Ecclesia: impletum est autem Pascha typicum in regno Dei, cum Christus Eucharistiam instituit, vt in regno Dei, id est Ecclesia celebraretur. Significat ergo Dominus his verbis, se agnum Paschalem nunquam posthac manducaturum; velleque Sacramentum efficere, quod posthac in Ecclesia agni ipsius expleat typum.

Significatio particulæ donec. *Psal. 109.* *Matth. 1.* *Psal. 111.* *Autoris sensus.* *Regnũ Dei hic Ecclesiã significat.*

Et accepto calice gratias egit.

Ait Lucas post explicata verba, Christum calicẽ discipulis obtulisse, vt biberent. [Accepto] (inquit) [calice gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos, &c.] Rursus paulò inferius, de calice subijcit: [Similiter & calicem] (scilicet accepit) [postquam cœnauit, dicens &c.] Quæritur an Christus duplicem calicem in extrema illa cœna discipulis propinarit? Id enim Lucas videtur significare. Respondent Card. Caietanus, & Card. Bellarminus lib. 1. de Eucharistia, cap. 11. & libro 4. cap. 10. duplicem propinasse calicem. Videlicet post esum agni Paschalis, calicem vino plenum discipulis obtulisse; atque eo potu, cœnæ agni imposuisse finem: posteà verò alterum calicem sui exhibuisse sanguinis. Idem opinatur Theophylactus, Beda Lucæ 22. Carthusianus, Montanus, & alij. Diuus verò Hieronymus Matth. 26. etsi dicat Lucam duos calices commemorasse, quid de hac re sentiat, non satis aperit. Probatur hæc opinio ex consuetudine Iudæorum, apud quos, vt in eorum Rituali legitur, post agni esum paterfamilias calicem conuiuis propinabat, quod Dominus videtur obseruasse.

An Christus obtulerit discip. duplicẽ calicem. *Hieronym.*

Respondendum potius, Christum vnum tantum calicem discipulis propinasse sanguinis sui; Lucam verò de illo vno atque eodem calice bis locutum. Quæ sententia est Diui Augustini lib. 3. de consens. Euang. cap. 1. Euthymij Matth. 26. & Iansenij. Probatur, quia Lucas prioris calicis traditioni eadem verba subijcit, quæ Matthæus, & Marcus scribunt dicta à Christo cum calicem veri sanguinis sui tradidit, scilicet; [Non bibam amodò de hoc genimine vitis, &c.] Ergo idẽ erat calix sanguinis. Præterea Lucas nullam fecit mentionẽ eius agni, aut azymi panis, neq; dixit: Accepto agno, vel accepto pane

gratias egit, &c. Quorsum igitur de solo calice hoc dixit, cum in cœna potus sit inferior, & posterior cibo? Sanè propterea de solo calice locutus est Lucas, dixit & Christum illo accepto egisse gratias, quia calix ille ad agni cœnam non pertinebat, sed calix sanguinis erat. Vsus autem est præoccupatione, vt Augustinus docet; præoccupationis verò, siue anticipationis causa fuit, vt protestationẽ nõ bibendi, coniungeret cũ protestatione non mãducandi. Iterauit verò, quod dixerat, scilicet Dominum accepisse calicem, vt verba cõsecrationis memoriæ proderet. Quod attinet ad consuetudinem illam Iudæorum, probandum est tempore Christi extitisse, id quod non probatur; videtur enim ille mos à posterioribus Iudæis introductus. De calice infrà dicemus nunc de transsubstantiatione panis dicamus.

Lucas vsus est præoccupatione.

CAPVT II.

De institutione Eucharistiæ.

Cœnantibus autem eis.

ACcedit Dominus ad Sacramenti augustissimi institutionem. Dubium verò exoritur; Num adhuc cœnantibus Christo, & Apostolis, sit institutum Sacramentum, an post cœnam? Etenim Matthæus ait, institutum, [cœnantibus eis,] Marcus, [manducantibus illis.] Obserua autem Græcè tam apud Marcum, quàm apud Matthæum idem esse verbum, ἐσθιόντων αὐτῶν, id est, [edentibus ipsis.] Ergò adhuc edebant cum Sacramentum est institutum. At Lucas loquens de calice, [Similiter] (inquit) [& calicem,] videlicèt accepit, [postquam cœnauit dicens, &c.] Eundem in modum Diuus Paulus primo Corint. vndecimo, scribit Dominum calicem accepisse, & consecrasse post cœnam: Ergo post cœnam est effectum Sacramentum. Ob hanc causam Diuus Thomas primo Corint. vndecimo, ait Christum corpus suum dedisse Apostolis in ipsa agni Paschalis cœna, sanguinem verò post cœnam. Similiter Cardinalis Bellarminus libro quarto de Eucharistia, capite vigesimoseptimo, & Salmeron tomo nono, tractat. decimoquarto. verosimiliter opinantur non eodem tempore panem in corpus, & vinum in sanguinem suum conuertisse; sed prius panem in corpus, dum cœnaret cum discipulis, vt aiunt Matthæus, & Marcus; posteà post cœnam vinum in sanguinem transsubstantiasse, vt Lucas, & Paulus docent. Sed verisimilius videtur, quod Suarius arbitratur disputatione quadragesimaquarta, sectione quarta Dominum calicis consecrationem, à consecratione panis non separasse, totumque atque idem Sacramentum, duobus signis constans continuatis actionibus effecisse. Existimandum ergo est, panem prius in corpus conuertisse, discipulisque præbuisse; post exhibitum verò corpus, mox vinum in sanguinem transmutasse. Totum verò Sacramentum effectum est, postquàm cœnauit Dominus, id enim indicant Lucas & Paulus. Nam illa verba: [postquam cœnauit,] non solum ad consecrationem calicis, sed ad consecrationem etiam panis referenda sunt: quasi dicant; [Similiter postquàm cœnauit,] vt accepit panem, sic accepit calicem, & cæt. Probatur hæc sententia verbis hymni Ecclesiastici; [Post agnum typicum expletis epulis, corpus Dominicum datum discipulis, & cæt.] Expletis epulis datum dicitur corpus discipulis; ergò post cœnam, & epulas omnes. Confirmatur quoque, quia Lucas, & Paulus absolutè loquũtur; [Post-

An sit confectum Sacramentũ post cœnam?

Christus calicis consecrationem à consecratione panis nõ separauit.

Ecclesia de Sacramẽto Eucharistia.

[Postquam cœnauit] inquiunt. Non igitur sunt intelligendi de sola cœna legali, sed de tota cœna legali, & communi, quæ secuta est legalem. Vnde Innocentius Tertius libro quarto myst. missæ, cap. 13. Christus (inquit) post alios cibos tradidit Eucharistiam, Luca testante, qui dicit [similiter, & calicem postquam cœnauit, &c.]

Innocen.

Quamuis autem totum Sacramentum post cœnam institutum fuerit, in ipsius tamen cœnæ fine institutum est, cum adhuc discumberent, & manducarent. Nam manducarunt cibos alios, quousque ad institutionem cælestis cibi ventum est: ideoque Matthæus, & Marcus aiunt [Manducantibus ipsis] effectum esse Sacramentum. Adhuc enim manducabant cum Dominus accepit panem, benedixit, & fregit, &c. post Sacramentum credibile est ad profanos cibos minimè redijsse, illiusque cœnæ finem, felicissimamque clausulam fuisse Sacramentum dulcissimum: dulcia enim bellaria mensas solent claudere. Si buccellam Iudæ datam obijcias, supra iam ostendimus ante Sacramenti institutionem esse datam. Nonnulli verba Lucæ, & Pauli [Postquam cœnauit] de cœna agni legali interpretantur hoc modo: Similiter post cœnam legalem agni, accepit calicem, &c. Obijcitur, ex hac interpretatione sequi Christum panem consecrasse in ipsa cœna legali, post cœnam consecrasse calicem, &c. Id existimat Diuus Thomas supra citatus. Respondetur sensum verborum hunc esse; similiter, id est, vt panem accepit, & consecrauit; sic accepit, & consecrauit calicem postquam cœnauit, id est, postquam cœnam legalem absoluit. Itaque post cœnam agni vtramque speciem instituit. Etenim iuxta hanc interpretationem cœna legali perfecta, pedes abluit discipulorum; deinde discubuit cum discipulis, Sacramentum instituit post cœnam legalem. Post ipsam cœnam legalem, & Eucharistiæ institutionem, alios sumpsere cibos, alia in cœna, tùm Dominus, tùm discipuli. Sed quod supra dixi verius mihi videtur, scilicet post Eucharistiæ admiranda mysteria nihil cibi sumptum. Obserua institutionis tempus fuisse nocturnum. Erat enim nox cum Iudas abijt. Agni cœna cœpta est, post solis occasum, comederunt illum festinanter, vt lex præcipiebat; postea lauit Dominus discipulorum pedes, discipulis causam ablutionis aperuit, proditorem indicauit, postquam ille discessit, mysteria instituit non longè post noctis initium.

Illius cœnæ bellaria fuit Eucharistiæ Sacramentum.

Post Eucharistiam nihil cibi sumpsere discipuli.

Accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit.

VT in Rituali Iudæorum libro refertur, in fine cęnæ agni Paschalis, Paterfamilias initio conuiuij panem azymum integrum sumit, & in duas diuidit partes, quarum vni benedicit. Alteram autem partem recondit sub mappa; post cœnam resumit, ex ea parum quid comedit, singulisque accumbentibus distribuit. Deinde ad eundem modum discumbens bibit. Ad hunc Iudæorum morem respexisse dicitur Christus cùm panem, & calicem accepit, consecrauit, discipulisque distribuit. Sed incertum est, an mos hic antiquorum fuerit Iudæorum, Christi tempore obseruatus; ideoque parum curandus. Non fuit opus Christum ad aliquem respicere morem, cum nouum & inauditum conficiebat Sacramentum, stupendumque sacrificandi instituebat morem.

Iudæorum mos tempore Christi incertus.

Post cœnam panem accepit Dominus azymum; illis enim diebus fermentatus panis in Iudæorum domibus non erat, azymoque omnes vescebantur, vnde azymorum dies dicuntur. Diuus Thomas 3.p. q.81. art. 1. ad 1. Non est (inquit) intelligendum, quod Christus accepit panem solum in manibus, vt quidam dicunt; sed quod eo modo acceperit, quo alijs accipiendum tradidit, &c. hoc est,

D. Thom.

est, quod ipse etiam vt Apostoli Sacramentum sumpserit. Vera quidem est opinio Diui Thomæ Christum Sacramentum accepisse: verbum tamē [accepit] hic solum significat accepisse panem in sanctas ac venerabiles manus suas, vt est in Canone. Postquam accepit panem, vt Matthæus ait [benedixit, ac fregit] Marcus [& benedicens fregit] apud vtrunque Euangelistam verbum Græcum est, εὐλογῶ, id est [benedico.] Iansenius nescio cur dixerit Matthæum vsum verbo, εὐχαριστεῖν; Lucas sic [Accepto pane gratias egit, & fregit] Græcè verbum est, εὐχαριστεῖν, id est, gratias ago] apud Lucam, & apud Paulum 1. Cor. 11. [Accepit (inquit) panem, & gratias agens fregit, &c.] Paulus, & Lucas aiunt, gratias egisse Dominum; Matthæus, & Marcus benedixisse. Quæritur an idem sit gratias agere, & benedicere? Idem significare probatur, quia gratiarū actio, & benedictio, cum enim Deo agimus gratias, Deum benedicimus. Respondeo benedictionem distingui a gratiarum actione; cum enim Deum absque gratiarum actione laudamus, benedictio Dei est, nec tamen est gratiarum actio: cum verò Deo gratias agimus, absque vlla laudatione, gratiarum actio est, non benedictio. At quia semper cùm gratias agimus pro beneficijs acceptis, Deum laudamus, ideò ferè semper cum gratiarum actione coniuncta est benedictio, sumique potest benedictio, pro gratiarum actione, vt sumit Paulus 1. Cor. 14. cum ait: [Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen super tuam benedictionem: Græcè, εὐχαριστίαν, id est, super tuam gratiarum actionē. Apud Matthæum igitur & Marcum, benedictio sumi potest pro gratiarum actione; quoniam Dominus simul Deum laudauit, & gratias illi egit, hoc sensu: Accepit Dominus panem, & benedixit, hoc est, & gratias egit, ac fregit: idemque erit sensus Matthæi, Marci, Lucæ, & Pauli. Aliter sumi potest benedictio, pro sola laudatione Dei hoc pacto: [Accepit panem, & benedixit] id est, Deum laudauit, ait Matthæus, & Marcus: Lucas addit [& gratias egit] estq; sensus Matthæi, & Marci diuersus a sensu Lucæ & Pauli.

Christus accepit panem in manus.

1. Cor. 11.

An benedictio distinguatur a gratiarū actione.

1. Cor. 14.

Veruntamen probabilius est, apud Matthæum, & Marcum, benedictionem non esse referendam ad Deum; sed ad panem, hoc sensu: [Accepit panem, benedixit] ipsum panem, [& fregit.] Nā si reliqua duo verba [Accepit, & fregit] ad panem referuntur cur non referetur ad eundem panem verbum, benedixit? sic refertur ad panem idem verbum, benedixit, in verbis Ecclesiæ. Accepit (inquit) panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, & eleuatis oculis in cælum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, scilicet panem, vt indicat crucis signum, quod a Sacerdote hoc verbum, benedixit, proferente super panem efformatur. Videtur autem Ecclesia Matthæum, & Marcum interpretari, & ab eis verbum, benedixit, sumere. Pani ergo benedixit Christus. Itaque panem accepit, &, vt Ecclesia ait, eleuauit oculos in cælum eleuatis oculis gratias egit Deo, vt ait Lucas, & Paulus, tūm pro panis, rerumque omnium creatione, tūm vel maximè pro Sacramento instituendo. Præterea pani benedixit, postea fregit, fractumque in partes discipulis dedit. In liturgia Diui Basilij sic habetur: Debens Dominus exire in voluntariam, ac beatissimam, ac viuificam mortem suam in nocte, qua tradebat seipsum pro mundi vita; & accipiens panem in sanctis, ac immaculatis manibus, & ostendens tibi Deo, & Patri, gratias agens, benedicens, sanctificans, frangens, &c. quæ verba etiam extant in liturgijs Diui Iacobi, & Diui Chrysostomi. Quæritur, An Dominus externo aliquo manuum signo pani benedixerit? Nam Apostolis eleuatis sanctis manibus in Ascensione benedixit, paruulis etiam Marci 10. benedixit imponens ma-

Benedixit Christus panem.

An externo crucis signo panem benedixerit Christus.

manus super eos. Nonnulli dixerunt signo manus externo benedixisse, vt ait Albertus Magnus in tract. de offic. Missæ, quod fuerit signum non explicat. Et Innocentius Tertius libro quarto, de myster. Missæ capitulo 6. Quidam (inquit) intellexerũt, benedictionem fuisse, vel aliquod signum, quod super panem impressit, vel aliquod verbum, quod super panem expressit, &c. Salmeron existimat signo crucis benedixisse, tomo 9. tractat. 12. Ex vsu (inquit) Ecclesiæ habetur crucis signatio super hostiam, quam ex traditione Apostolica prouenisse credimus, quam viderunt Apostoli primum à Christo obseruatam, & in lege veteri indicatam. Nam sacrificium dictum, [Tenupha,] ad 4. orbis partes motum, signum crucis edebat, hoc ergo signo crucis, quo cætera omnia Sacramenta perficiuntur, benedixit sacrificium suum Dominus. Sic ille. Quòd si quis opponat: Signum crucis nondum illa nocte sanctificatum erat; ergo Christus illo vsus non est, ad benedicendum panem. Facilè respondebitur Christum ante oculos habuisse signi futuram sequenti die sanctificationem, ideoque eo vti voluisse, vt Apostolos, Ecclesiamque doceret, signo crucis benedicendum esse panem Eucharisticum. Si tamen quis volet solis verbis Christũ, dum gratias egit Patri, simul etiam pani benedixisse, non repugnabo.

Innocẽtius.

Ex vsu Ecclesiæ, fit signum crucis super hostiam.

Restat quæstio vna; Nũ benedictio hæc panis, fuerit consecratio? Affirmant Lyranus 1. Cor. 11. Hugo Card. Marci 14 & alij. Innocentius tertius lib. 4. de myster Missæ cap. 6. Quidam (inquit) dixerunt, quòd Christus confecit cùm benedixit, literam construentes hoc ordine: Accepit panem, benedixit, subaudiendum est, dicens, [Hoc est corpus meum,] & tunc fregit, & dedit, & ait; Accipite, & comedite: & iterauit; [Hoc est corpus meum.] Prius ergo protulit illa verba, vt eis vim conficiendi tribueret, deinde protulit eadem, vt Apostolos formam conficiendi doceret. Hæc ille. Addit: Sanè dici potest, quòd Christus virtute diuina cõfecit, & postcà formam expressit, sub qua posteri benedicerent, &c. & infrà: Ab huius (ait) quæstionis laqueo se absoluit, qui dicit, quòd Christus tunc confecit, cùm benedixit, &c. Odo Episcop. Cumeracens. exponẽs Canonem Missæ: Accepit (inquit) panem, & benedixit, id est, suum corpus fecit. Qui prius erat panis, benedictione factus est caro, &c. Probatur ex Ambrosio libro de ijs, qui initiantur, cap. 9. Hic est (inquit) panis, quem benedictio consecrauit. Maior est vis benedictionis, quàm naturæ: quia benedictione etiam natura mutatur, &c. Adde illud Pauli 1. Cor. 10. [Calix] (inquit) [cui benedicimus, εὐλογοῦμεν,] nonne cõmunicatio sanguinis Christi est, &c.] id est, calix quem sacerdotes benedictione consecramus. Ad hæc, per benedictionẽ suam Deus aliquid semper efficit: nõ enim in solis verbis Dei sistit benedictio; ergo benedictio Christi Dei aliquid effecit in pane. Quid verò aliud effecit, quàm conuersionem in corpus? ergo fuit consecratio. Respondetur benedictionem non fuisse cõsecrationem panis. Probatur, quia consecratio panis, & conuersio, tunc facta est, cum Dominus protulit verba consecratoria, atque operatoria, [Hoc est corpus meũ, &c.] Sed verba illa protulit postquam pani benedixit, illumque fregit, vt ex ordine ab Euangelistis obseruato constat; ergo neque cum benedixit consecrauit panem, neque benedictio est consecratio. Quamobrem Concil. Trident. sessio. 13. capitulo primo ait, Christum hoc Sacramentum instituisse, cùm post panis, viniquc benedictionem, se suum corpus discipulis præbere, ac suum sanguinẽ, testatus est. Si post benedictionem Sacramentum instituit, sanè benedictio non fuit consecratio. Ambrosius autem latè sumit benedictionis nomen, cùm ait panem benedictione consecrari. Sumit enim benedictionem pro verbis consecratorijs, quibus eximia, &c.

An benedictio panis fuerit consecratio.

Innocẽtius.

Odo.

D. Ambros. Maior est vis benedictionis quã natura.

1. Cor. 10.

Benedictio non fuit consecratio.

est, quod ipse etiam vt Apostoli Sacramentum sumpserit. Vera quidem est opinio Diui Thomæ Christum Sacramentum accepisse: verbum tamē [accepit] hic solum significat accepisse panem in sanctas ac venerabiles manus suas, vt est in Canone. Postquam accepit panem, vt Matthæus ait [benedixit, ac fregit] Marcus [& benedicens fregit] apud vtrunque Euangelistam verbum Græcum est, εὐλογέω, id est [benedico.] Iansenius nescio cur dixerit Matthæum vsum verbo, εὐχαριστέω; Lucas sic [Accepto pane gratias egit, & fregit] Græcè verbum est, εὐχαριστέω, id est, gratias ago] apud Lucam, & apud Paulum 1. Cor. 11. [Accepit (inquit) panem, & gratias agens fregit, &c.] Paulus, & Lucas aiunt, gratias egisse Dominum; Matthæus, & Marcus benedixisse. Quæritur an idem sit gratias agere, & benedicere? Idem significare probatur, quia gratiarū actio, & benedictio, cum enim Deo agimus gratias, Deum benedicimus. Respondeo benedictionem distingui a gratiarum actione; cum enim Deum absque gratiarum actione laudamus, benedictio Dei est, nec tamen est gratiarum actio: cum verò Deo gratias agimus, absque vlla laudatione, gratiarum actio est, non benedictio. Atqui semper cùm gratias agimus pro beneficijs acceptis, Deum laudamus, ideò ferè semper cum gratiarum actione coniuncta est benedictio, sumique potest benedictio, pro gratiarum actione, vt sumit Paulus 1. Cor. 14. cum ait: [Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen super tuam benedictionem: Græcè, εὐχαριστίαν, id est, super tuam gratiarum actioné. Apud Matthæum igitur & Marcum, benedictio sumi potest pro gratiarum actione; quoniam Dominus simul Deum laudauit, & gratias illi egit, hoc sensu: Accepit Dominus panem, & benedixit, hoc est, & gratias egit, ac fregit: idemque erit sensus Matthæi, Marci, Lucæ, & Pauli. Aliter sumi potest benedictio, pro sola laudatione Dei hoc pacto: [Accepit panem, & benedixit] id est, Deum laudauit, ait Matthæus, & Marcus: Lucas addit [& gratias egit] estq; sensus Matthæi, & Marci diuersus a sensu Lucæ & Pauli.

Christus accepit panem in manus.

1. Cor. 11.

An benedictio distinguatur a gratiarū actione.

1. Cor. 14.

Veruntamen probabilius est, apud Matthæum, & Marcum, benedictionem non esse referendam ad Deum; sed ad panem, hoc sensu: [Accepit panem, benedixit] ipsum panem, [& fregit.] Nā si reliqua duo verba [Accepit, & fregit] ad panem referuntur cur non referetur ad eundem panem verbum, benedixit? sic refertur ad panem idem verbum, benedixit, in verbis Ecclesiæ. Accepit (inquit) panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, & eleuatis oculis in cælum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, scilicet panem, vt indicat crucis signum, quod a Sacerdote hoc verbum, benedixit, proferente super panem efformatur. Videtur autem Ecclesia Matthæum, & Marcum interpretari, & ab eis verbum, benedixit, sumere. Pani ergo benedixit Christus. Itaque panem accepit, &, vt Ecclesia ait, eleuauit oculos in cælum eleuatis oculis gratias egit Deo, vt ait Lucas, & Paulus, tùm pro panis, rerumque omnium creatione, tùm vel maximè pro Sacramento instituendo. Præterea pani benedixit, postea fregit, fractumque in partes discipulis dedit. In liturgia Diui Basilij sic habetur: Debens Dominus exire in voluntariam, ac beatissimam, ac viuificam mortem suam in nocte, qua tradebat seipsum pro mundi vita; & accipiens panem in sanctis, ac immaculatis manibus, & ostendens tibi Deo, & Patri, gratias agens, benedicens, sanctificans, frangens, &c. quæ verba etiam extant in liturgijs Diui Iacobi, & Diui Chrysostomi. Quæritur, An Dominus externo aliquo manuum signo pani benedixerit? Nam Apostolis eleuatis sanctis manibus in Ascensione benedixit, paruulis etiam Marci 10. benedixit imponens ma-

Benedixit Christus panem.

An externo crucis signo panem benedixerit Christus.

manus super eos. Nonnulli dixerunt signo manus externo benedixisse, vt ait Albertus Magnus in tract. de offic. Missæ, quod fuerit signum non explicat. Et Innocentius Tertius libro quarto, de myster. Missæ capitulo 6. Quidam (inquit) intellexerũt, benedictionem fuisse, vel aliquod signum, quod super panem impressit, vel aliquod verbum, quod super panem expressit, &c. Salmeron existimat signo crucis benedixisse, tomo 9. tractat. 12. Ex vsu (inquit) Ecclesiæ habetur crucis signatio super hostiam, quam ex traditione Apostolica prouenisse credimus, quam viderunt Apostoli primum à Christo obseruatam, & in lege veteri indicatam. Nam sacrificium dictum, [Tenupha,] ad 4. orbis partes motum, signum crucis edebat, hoc ergo signo crucis, quo cætera omnia Sacramenta perficiuntur, benedixit sacrificium suum Dominus. Sic ille. Quòd si quis opponat: Signum crucis nondum illa nocte sanctificatum erat; ergo Christus illo vsus non est, ad benedicendum panem. Facilè respondebitur Christum ante oculos habuisse signi futuram sequenti die sanctificationem, ideoque eo vti voluisse, vt Apostolos, Ecclesiamque doceret, signo crucis benedicendum esse panem Eucharisticum. Si tamen quis volet solis verbis Christũ, dum gratias egit Patri, simul etiam pani benedixisse, non repugnabo.

Innocẽtius.

Ex vsu Ecclesia, fit signum crucis super hostiam.

Restat quæstio vna; Nũ benedictio hæc panis, fuerit consecratio? Affirmant Lyranus 1. Cor. 11. Hugo Card. Marci 14 & alij. Innocentius tertius lib. 4. de myster Missæ cap. 6. Quidam (inquit) dixerunt, quòd Christus confecit cùm benedixit, literam construentes hoc ordine: Accepit panem, benedixit, subaudiendum est, dicens, [Hoc est corpus meum,] & tunc fregit, & dedit, & ait; Accipite, & comedite: & iterauit; [Hoc est corpus meum.] Prius ergo protulit illa verba, vt eis vim conficiendi tribueret, deinde protulit eadem, vt Apostolos formam conficiendi doceret. Hæc ille. Addit: Sanè dici potest, quòd Christus virtute diuina cõfecit, & posteà formam expressit, sub qua posteri benedicerent, &c. & infrà: Ab huius (ait) quæstionis laqueo se absoluit, qui dicit, quòd Christus tunc confecit, cùm benedixit, &c. Odo Episcop. Cumeracens. exponẽs Canonem Missæ: Accepit (inquit) panem, & benedixit, id est, suum corpus fecit. Qui prius erat panis, benedictione factus est caro, &c. Probatur ex Ambrosio libro de ijs, qui initiantur, cap. 9. Hic est (inquit) panis, quem benedictio consecrauit. Maior est vis benedictionis, quàm naturæ: quia benedictione etiam natura mutatur, &c. Adde illud Pauli 1. Cor. 10. [Calix] (inquit) [cui benedicimus, εὐλογοῦμεν,] nonne cõmunicatio sanguinis Christi est, &c.] id est, calix quem sacerdotes benedictione consecramus. Ad hæc, per benedictionẽ suam Deus aliquid semper efficit: nõ enim in solis verbis Dei sistit benedictio; ergo benedictio Christi Dei aliquid effecit in pane. Quid verò aliud effecit, quàm conuersionem in corpus? ergo fuit consecratio. Respondetur benedictionem non fuisse cõsecrationem panis. Probatur, quia consecratio panis, & conuersio, tunc facta est, cum Dominus protulit verba consecratoria, atque operatoria, [Hoc est corpus meũ, &c.] Sed verba illa protulit postquam pani benedixit, illumque fregit, vt ex ordine ab Euangelistis obseruato constat; ergo neque cum benedixit consecrauit panem, neque benedictio est consecratio. Quamobrem Concil. Trident. sessio. 13. capitulo primo ait, Christum hoc Sacramentum instituisse, cùm post panis, viniquẽ benedictionem, se suum corpus discipulis præbere, ac suum sanguinẽ, testatus est. Si post benedictionem Sacramentum instituit, sanè benedictio non fuit consecratio. Ambrosius autem latè sumit benedictionis nomen, cùm ait panem benedictione consecrari. Sumit enim benedictionem pro verbis consecratorijs, quibus eximia, &c.

An benedictio panis fuerit consecratio.

Innocẽtius.

Odo.

D. Ambros. Maior est vis benedictionis quã natura.

1. Cor. 10. Benedictio non fuit consecratio.

Digitized by Google

Benedici est consecrari.

admirabilis benedictio pani confertur, cùm in corpus Christi conuertitur. Sic etiam Paulus sumit 1. Corin. 10. cùm calicem ait benedici, id est, consecrari à sacerdotibus, vel benedici ab hominibus, propter sanguinem Christi. Vnde Chrysostomus: Calicem (inquit) benedictionis, εὐλογίας, appellauit Paulus, quoniam cum pre manibus eum habemus, cum admiratione, & horrore quodã inenarrabilis doni, laudamus benedicentes, quòd sanguinem effusit, & eius nos participes efficit, &c. Ad illud quod preterea objicitur, benedictionem Dei aliquid efficere in pane, &c. Respondemus efficere conuersionem panis in corpus Christi, sed non per se, sed per verba consecratoria consequentia; est enim benedictio præparatio ad consecrationem. Obserua Christum egisse gratias vt solebat & cibum benedixisse antequam discumberet. Nunc autem peculiari benedictione, & gratiarum singulari actione vti, quia hic cibus discipulis exhibendus, peculiaris, singularis, ac cælestis erat, longè ab alijs diuersus.

D. Chrisost.

Benedictio nõ per se efficit consecrationem, sed per verba cõsecratoria quæ sequuntur.

An Christus Apostolos prepararit ad Euchari stiã sumendam.

Exoritur adhuc alia dubitatio; An Christus aliquibus verbis præpararit Apostolos ad tantum Sacramentum accipiendum, ac cognoscendum? Respondetur, cùm panem benedixit, gratiasque Patri egit, animos discipulorum verbis præparasse; illorum verò intellectum ad intelligendum tantum mysterium interna illuminatione illustrasse; post resurrectionẽ verò, & Spiritus sancti missionem multò amplius instruxisse. Accedit dubitatio alia; An fregerit Dominus panẽ ante consecrationem, an panis species, posteà? Existimarunt nonnulli post consecrationem, fractas species panis, & Euangelistas vsos esse anticipatione. Respondetur cum Diuo Bonauentura, & alijs, panis fractionem præcessisse cõsecrationem. Probatur ex ordine quem seruant Euangelistæ: [Accepit,] aiunt, [benedixit, fregit, posteà dedit discipulis:] verba proferens consecratoria. Accepit ex mensa panem azymum, benedixit, & in partes duodecim fregit eas consecrauit, vnam sumpsit, reliquas in patina discipulis distribuit.

An fregerit Dominus panẽ, antequã consecraret.

CAPVT III.

De institutione Augustiss. Eucharistiæ.

Deditque discipulis suis.

Discipulis dedit Dominus Eucharistiã. Quæritur an Iudæ etiam dederit? Dedisse probatur ex Diuo Luca, qui postquàm de Sacramenti institutione egit, adiungit Christum hæc protulisse verba: [Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa, &c.] Ergo aderat Iudas post institutionem Eucharistiæ, illique data est. Deinde Matthæus, & Marcus, aiunt discubuisse Christum, cum duodecim discipulis: posteà affirmant dedisse eis Sacramentum, nullumque excipiunt, ergo Iudæ etiam dedit, idque confirmant hymni Ecclesiastici verba illa, [Cibum turbæ duodenæ se dat suis manibus, &c.] & verba illa Marci 14. [Biberunt ex eo omnes.] Idem probant verba Psalmi 108. [Episcopatum eius accipiat alter, &c.] Episcopus enim, & sacerdos creatus est Iudas in cœna, ergo mysterijs interfuit. Præterea Iudæ peccatum occultum erat, nemini ex discipulis notum: ergo non est priuatus Eucharistia propter illud. Opinionem hanc, quæ Iudæ affirmat datam Eucharistiam, sequitur D. Aug. tract. 62. in Ioannem, & alijs locis D. Hieron. lib. 2. contra Iouin. D. Chrysostomus homil. 83. in Matthæum. D. Cyprian. in serm. de ablutione pedũ, Diuus

An Iudas Eucharistiã acceperit.

Pars affirmans multorum est.

Autoris huius sñia, Iudam non-

Diuus Bernardus in sermone de cœna. Eugenius summus Pontifex cap. si sacerdos, de officio iudicis ordinarij. Euthymius Matthęi 26. Diuus Leo sermone 7. de passione Domini. Diuus Thomas 3. q. 81. art. 2. & alij plerique Teophylactus Matth. 26. Iudas sanguinem quidem potasse, sed corpus Domini occultasse, vt Iudæis illud ostenderet. Quare (inquit) non dixit Dominus, Accipite, & comedite omnes? sunt qui dicant propter Iudam hoc dictum. Iudas enim panem accepit, & non comedit, sed occultauit, vt monstraret Iudæis, quod panem corpus suum vocaret Dominus: poculum autem inuitus bibit, cum non posset occultare. Hæc ille. Hæc diuinatio potius est, quam opinio.

Theophyl.

Contraria opinio sequitur ex ordine gestorum, dictorumq; Christi, quem secuti sumus. Indicat enim Iudam ante Eucharistiæ institutionem ex cœnaculo discedisse, atque adeò Eucharistiam non accepisse. Quod autem ordo sit probandus, ostenditur; quia, vt Ioan. ait, Dominus pedes discipulorum lauit, idq; ante Eucharistiæ institutionem, vt cōmunis fert opinio. Postquam pedes lauit recubuit iterum eodem teste, & dixit. Scitis, quid fecerim vobis, & quæ sequūtur. Postea consequenter, [Cum hæc (inquit) dixisset, turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit; Amen, amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me.] Cætera verò quæ sequuntur vsque ad discessum Iudæ, omnia sic continuata sunt, vt nihil inter ea commode interseri possit. Ergo ante discessum Iudæ non potest commodè interseri Eucharistiæ institutio. Vnde efficitur ante institutionem discessisse, mysteriorumq, participem minimè fuisse. Probatur hæc opinio; Quia Dominus bis in cæna Apostolis indicauit esse inter alios aliquem improbum, primū, cum dixit [Et vos mundi estis, sed nō omnes] Deinde, cum addit [Non de omnibus vobis dico, ego scio, quos elegerim.] Quid plura? Indicauit multis verbis, vnum ex ipsis esse proditorem. Iam ergo sciebāt Apostoli, vnū in mensa proditorem, atque improbū adesse. Si ergo Christus ei Eucharistiam præbuit, videbant Apostoli tantum Sacramentū impio tradi. Nō videtur autem probabile Christū id fecisse, quod tanto Sacramento posset aliquid afferre iniuriæ. Quamuis .n. Iudas esset occultus peccator, tamen publicum erat aliquem ex duodecim esse peccatorem, dariq; Eucharistiam improbo proditori Secundo probatur hunc in modum: Tota ratio cur creditur, Christum dedisse Eucharistiam Iudæ, est, quia erat peccator occultus: ea verò sic refutatur: Si aliquis Sacerdos sciret, peccatorem aliquem occultū velle Eucharistiam accipere, possetq; facilè illum a mensa sine vllo peccati indicio remouere, id deberet facere, peccatoque graui se obstringeret, si non remoueret. Christus sciebat Iudā peccatorem esse occultum, & potuit eū facillimè a mēsa sine peccati vlla manifestatione depellere, vt ostendit ordo propositus: ergo credendum est id fecisse, quod qlibet Sacerdos modò facere debet. Nam qui contrariā opinionē sequuntur, sentiunt a Christo datam Eucharistiam Iudæ, vt doceret Sacerdotem quid facere deberet exemplo suo. Sanè si factum Christi, exemplum est nobis propositum, & ille cum posset commodissime Iudam a Sacramenti participatione repellere, id non fecit: possumus Eucharistiam occulto peccatori præbere, etiamsi commodissimè illum possimus a mensa ablegare, sine peccati vlla insinuatione: hoc verò nemo concedet. Si hoc facere non possumus: non præbuit nobis Dominus huius facti exemplum facto suo.

Iudæ nō est data Eucaristia.

Probatur opinio.

Iudas discessit ante institutionē Eucharist.

Quod si opinionem alteram plerique omnes sequuntur, hæc suis non caret grauissimis Sectatoribus. Enim Clemens illam sequitur, Apostolisque ipsis tribuit, libro quinto constitut. Apost. cap. 13. his verbis: Cum mysteria pretiosi Corporis, & Sanguinis sui nobis tradidisset, absente Iuda, exijt ad montem Oliuarū, &c.

Qui senserint Iudam non accepisse Eucharistiam.

D. Clemens

Vides Iudam mysterijs non adfuisse cum reliquis Apostolis, ergo illorũ particeps non fuit. Diuus quoque Hilarius in hac est opinione Canone 30. in Matthęum. Post quę (inquit) Iudas proditor indicatur, sine quo Pascha accepto calice, & fracto pane conficitur. Dignus enim æternorum Sacramentorum communione non fuerat, &c. Est etiam in eadem Rupertus in Ioannem cap. 6. De participatione (inquit) corporis, & sanguinis Christi, potest aliquis opinari quod Iudas interfuerit. Sed profectò diligẽtius Euangelistarum narratione, doctorumq; consideratà diuersitate, citius deprehendi potest, huic quoque Sacramento illum nequaquã interfuisse, &c. Adde Innocentium Tertium lib 4. de myst. Missæ cap. 13. Patet (inquit) quod Iudas prius exijt, quam Christus traderet Eucharistiã, &c. Theophylactus quoque Matt. 26. aliquos pro hac opinione citat. Quidam (inquit) dicunt, quod egresso Iuda, tradidit Dominus Sacramentum alijs discipulis: proinde & nos sic facere debemus, & malos a Sacramentis arcere, &c. Adde Tatianum Alexandrinum, qui post Iudæ discessum in Harmonia Euangelica, Eucharist. institutionẽ collocat. Adde, & Georgium Pachimerem Areopagitæ Scholiastem; Excludit (inquit) Dominus, & segregat iustissimè Iudam, qui nõ sanctè conuiuio interfuerat. Nam cũ illum mystici panis, ac vini participem fecisset, mysteria discipulis, postquam ille è cœna discessit, solis tradidit: cum ijs indignus esset Iudas, &c. Videtur existimasse hic autor Christum panem aliquem, & vinum, quod appellat mysticum, dedisse Iudæ; post discessum verò illius, Eucharistiam præbuisse Apostolis. Adde Turrianum quoque, qui libro quinto constitutionnm Clementis, hanc sententiam sequitur, illiusque patronum esse vult Dionysium Areopagitam. Et Maximus antiquus Dionysij interpres Græcus: Ex his (inquit) Dionysij verbis aliqui rationabiliter dicere possunt, quod postquam exijt Iudas, tradidit Christus discipulis mysteria, vt qui eis non erat dignus, &c.

D. Hilar. *Rupertus.* *Innocen.* *Tatianus.* *Turrianus.* *Maximus.*

Ipsa tamen Dionysij verba non satis aperta sunt, imò iuxta versionem Perionij contrariam sententiam probant. Sanctissima (inquit) vnius eiusdemque panis, & calicis, communis, pacisque, ac tranquillitatis plena communio, diuinam eis morum similitudinem, concordiamque Græcè, ὁμοτρόπως, vt qui vnà educati fuerint, Græcè, ὁμοτρόφοις, lege, sancit. Facitque, vt diuinam illam cœnam, & quæ primum signum fuit eorum, quæ proficiuntur, Græcè dicitur, ἀρχισύμβολον τῶν τελουμένων, sacra memoria recolant. In qua etiam ipse signorum effector, Græcè, συμβόλων, iure optimo priuat sorte eum (id est, Iudam) qui non sanctè, neque concordi animo, Græcè, ὁμοτρόπως, Sacramenta secum sumpserat. docens sanctè simul, & diuinè, accessum ad ea, quæ diuina sunt, qui animi habitu, & constitutione verus sit, ijs qui accedunt, dare cum simili ipsorum communionem, atque societatem, &c. Græcè, χαρίζεται τὴν πρὸς τὰ ὅμοια καὶ τῶν κοινωνίαν, &c.

Verba Areopagita explicantur.

Hæc versio docti viri indicat Iudam Sacramentum percepisse, sed verbum Græcum, ἱερά, [sacra] significat, ideoque alij vertunt, [sacra perceperat.] Turrianus verò interpretatur, perceperat sacra, id est, agnum Paschalem, & azymos panes: hæc enim illo tempore sub lege veteri sacra erant. Fortè Georgius Pachimeres eodem modo exposuit, cum dixit Christum fecisse participem Iudam mystici panis, & vini, solisque discipulis dedisse mysteria, post illius discessum. mysticum panem, vocauit panem azymum, & vinum mysticum illud, quod in mystica agni mensa potabatur. Probatur hæc sententia; quia Dionysius (ait) Christum Iudam sorte priuasse, & expulisse, vt doceret accessum ad Eucharistiam largiri,

giri, *πρὸς τὸ ὅμοιον αὐ τῆς κοινωνίας*. A ergo non fecit illum Sacramenti participem. Video non malè etiam verba Dionysij de Eucharistia posse exponi, dicique Christum forte Iudam priuasse, id est, Apostolatu expulisse, vel beatitudine, *οὐχ ὁσίως αὐτῷ, καὶ ὁμοτρόπως, τὰ ἱερὰ συνδιειληφότα*, id est, [qui non sanctè, & similitudinem eorundem morũ non habens, Sacramentum perceperat:] & docuisse, Sacramentum Eucharistiæ largiri, *πρὸς τὸ ὅμοιον αὐ τῆς κοινωνίας*. Itaque dubia sunt Dionysij verba. B

Respondetur

Rationes, quibus prius sententia fulcitur, facilè soluuntur. Diuum Lucam iam supra diximus lib. 2. cap. 11. recapitulatione esse vsum, cum dixit, [Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa:] idque ostendimus ex Matthæo, & Marco, qui eadem verba, ante institutionem Eucharistiæ commemorant. Est hæc responsio Innocentij lib. 4. de myst. Missæ capite 13. Quod Lucas post calicem (inquit) commemorat traditorem; per recapitulationem potest intelligi, &c. Secundæ rationi respondetur, Christum discubuisse Eucharistiam turbæ duodenæ, vt est in hymno Ecclesiastico: sed non dedisse Iudæ, qui iam non aderat: appellatur autem turba duodena, quia ille numerus erat Apostolis destinatus, vt infra dicetur. Adde illum hymnum composuisse sanctum Thomam, qui in contraria est sententia. Quod autem ait Diuus Marcus: [Biberunt ex eo omnes:] sub intellige, [qui aderãt: verba Psalmi 108. Episcopatum, id est, Apostolatum eius accipiat alter. Non tamen inde sequitur fuisse Iudam Sacerdotem, & Episcopum; sed esse debuisse, si in virtute perseuerasset: hæc enim pars Apostolatus, nondum Apostolis donata erat à Domino cùm Iudas discessit. Rationi extremo adiectæ loco respondetur, peccatum Iudæ occultum quidem fuisse, sed quia Dominus facillimè, & commodissimè, absque proditionis manifestatione, eum a mensa repellere potuit, id fecisse opinamur, quod C D E

Turba duodena est numerus 12. Apostolorũ.

Nõ erat Iudas Episcopus sed fuisset si in virtute perseuerasset.

quiuis Sacerdos facere debet, si potest facere.

CAPVT IIII.

De institutione Eucharistiæ.

Hoc est corpus meum.

QVæritur: An Christus his verbis panem in corpus suũ transsubstantiauerit? Existimarunt nonnulli, vt ait D. Thom. 3. p. q. 78. art. 1. ad 1. Christũ qui potestatem excellentiæ habebat in Sacramẽtis, absq; vllis verbis hoc Sacramentum perfecisse: & postea quibus sacerdotes consecrarent, protulisse. Id videtur significare Innocentius tertius lib. 4. de myst. Missæ c. 6. Sanè (inquit) dici potest, quod Christus virtute diuina confecit & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent. Ipse namque per se virtute propria benedixit: nos autem ex illa virtute quam indidit verbis. Hæc ille. Titelmanus Canonem Missæ interpretans, probabilem censet hanc opinionem: Iuxta (inquit) nonnullorum probabilem sententiam, in huius Sacramenti institutione, ipsaq; Christi actione, ante prolationem huius sententiæ: [Hoc est corpus meum,] dicitur transmutatio siue transsubstantiatio à Christo fuisse perfecta per inuisibilem Verbi incarnati operationẽ, sine verborum ministerio, &c. Eandem sententiam probabilem esse existimant Gabriel lect. 36. & 48. in Canon. & alij. Est ergo opinio Christũ panem in corpus suum, vinumque in sanguinem conuertisse inuisibili operatione, absque vllis verbis: habebant enim super Sacramen-

De verbis qb. Christus Sacramentũ conficit.

Innocent.

Titelm.

Christū cōsecrasse sine vlla verborū prolatione volunt quidā.

menta potestatem excellentiæ, verbis minimè astrictā. Probatur autem non consecrasse illis verbis; [Hoc est corpus meum;] quoniam illa non videntur fuisse consecrantis, sed post consecrationem ostendentis quid discipulis daret. Nam priùs inuisibili operatione consecrauit, posteà discipulis dixit; [Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum.] Nam videntur supponere hæc verba, iam ante fuisse factam consecrationem. Idq; confirmatur ex Marco, ait enim cap 14. [Accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis; Hic est sanguis meus, &c.] Dedit Dominus discipulis calicem consecratum, & biberunt ex eo omnes; postquā verò biberūt, protulit verba illa, [Hic est sanguis meus, &c.] Ergo illis non consecrauit, siquidem cum illa protulit, iam sanguinem biberant Apostoli: Alij, vt eodem loco docet Diuus Thomas, putarunt Christum consecrasse aliquibus verbis, non tamen his, [Hoc est corpus meum,] sed alijs nobis ignotis; quæ opinio nihil habet firmitudinis.

Alia sctā.

Refellūtur illæ opiniones. Forma sacramenti.

Respondetur; Christum Sacramentum his verbis confecisse, & hac forma vsum fuisse, [Hoc est corpus meum.] Probatur ex Concilio Florentino, cuius hæc sunt verba, in instructione Armenorum: Forma huius Sacramenti, sunt verba Saluatoris, quibus hoc Sacramentum confecit, &c. & ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 1. Christus (inquit) in cœna hoc Sacramentum instituit, cum post panis, viniique benedictionem, se suum corpus illis præbere, ac suum sanguinem, disertis, ac perspicuis verbis testatus est, &c. Denique ne pluribus morer, hæc est communis sententia, atq; sequenda. Hoc enim nūc Ecclesia facit, quod Christus fecit, eodemque modo, & ijsdem verbis cō secrat, quibus Christus consecrauit. Argumento respondetur, verba hæc: [Hoc est corpus meum:] non solum esse ostendentis, quid daret, sed etiam consecrantis, & efficientis admirandam transsubstantiationem. Neque enim supposuerunt verba hæc factam consecrationem; sed diuina potentia concurrente illam effecerunt, quemadmodum nunc prolata à sacerdote efficiunt. Verba autem Marci quonam pacto exponenda sint infra dicetur, cum de consecratione calicis agemus.

Verba, hoc ē corpus meū, nō solū sunt ostēdētis qd daret, s.d ēt efficiētis sacram conuersionem.

Quæritur præterea quoties Dominus protulerit verba hæc? Nam, vt Diuus Thomas ait loco citato, quidam arbitrati sunt, bis à Domino esse prolata. Semel secreto cum consecrauit, postea manifestè, cum dixit: [Accipite, & comedite: Hoc est corpus menm. Respondetur semel tantum à Christo prolata verba palam, vt communis asserit sententia, & ex Euangelio colligitur, nullumque esse argumentum momenti alicuius, quod aduersetur. Ecclesia cum consecrat, addit particulam, [enim,] indicans verba rationem continere, cur Christus dixerit; [Accipite, & comedite.] videlicet, quia non erat cibus aliquis vulgaris, aut panis communis sed corpus Christi. Fortè probabilius est, particulam, [enim,] a Christo prolatam, & per traditionē D. Petri acceptam, iuxta illud Diui Thomæ 3. p. q. 78. art. 2. ad 5. Hæc (inquit) coniunctio, [enim,] apponitur in forma, secundum consuetudinē Romanę Ecclesiæ à beato Petro deriuatam, &c.

Semel tātū Christus formā protulit.

Particula .n. à quo sit addita formæ.

Quæritur tertio, quid indicet pronomen demonstratiuum, [Hoc.] Vt alios sensus probabilitate carentes omittam, duos proponam. Primò sensu pronomen, [hoc,] demonstrat, cōtentum sub speciebus, hunc in modum; Hoc quod sub his accidentibus panis continetur, est corpus meū Est Diui Thomæ 3. p. quæst. 78. arti. 5 & aliorum multorum probabilis. Altero sensu pronomen [hoc,] demonstrat ipsum Christi corpus, in quod panis conuertitur in fine propositionis, hoc pacto: Comedite, hoc est corpus meum. Neque verò vlla est tautologia in hac propositione sic explicata, quemadmodum neque in illa: [Hic est filius meus dilectus,] & in hac: Comede, hoc est pomum, quod

Quid indicet particula, hoc.

quod promisi tibi. Sic Christus: Comedite, hoc est corpus meum, hæc est caro mea, quam promisi vobis. Ioan. 6. [Panis quem ego dabo, caro mea est,] &c. Vt enim tautologia effugiatur, satis est rem eandem alio modo per subiectum significari, alio per prædicatum. Hic sensus placet Maldonato, mihi quoque. Etenim pronomen, [hoc,] eodem modo exponendum est in his verbis; [Hoc est corpus meum;] quo exponitur pronomen, [hic,] in illis verbis; [Hic est sanguis meus.] At verò pronomen, [hic,] manifestè indicat sanguinẽ, ergo, & pronomen, [hoc,] indicat corpus. Iansenius ait, rectè potuisse verti, [Hoc est sanguis meus;] sed melius vertit noster interpres, [Hic est sanguis meus,] τοῦτο αἷμα. Obijciet quispiam cum pronomen, [hoc,] profertur, nondum corpus Christi sub speciebus esse; falsum ergo demonstrare. Respondendum in huiusmodi propositionibus practicis, pronomen demonstratiuum demonstrare prædicatum ad finem propositionis, suspenditur enim demonstratio ad finem vsque. Id etiam aduerte stupendam transsubstantiationem, non esse actionem successiuam, sed in instanti fieri. Accipitur autem corpus, non pro toto homine, sed pro altera tantùm parte hominis, in solũ enim corpus, panis cõuertitur, verborum Dei potentia. Attamen anima, sanguis, & diuinitas simul cum corpore, per concomitantiam existunt. Itaque si in triduo mortis, Apostolus aliquis fecisset sacrum, sub panis speciebus corpus fuisset cum diuinitate, absque anima & sanguine. Nũc autem totus Christus adest immortalis, cùm Sacramentum instituit, mortalem in Sacramento Apostolis se præbuit.

Res eadem per subiectũ alio modo, & per prædicatum alio significata tollit tautologiã.

Iansenius.

Transsubstantiatio nõ est actio successiua, sed instantanea.

Affirmat summa Dei veritas, verbis maximè perspicuis, se discipulis corpus suum dare. Non tamen desunt homines, qui in Eucharistia corpus Christi esse impiè, ac perfidè inficiantur, Deique viuentis verba corrumpunt, ex fonte vitæ hauriunt mortem, cibum, potumq; cælestem, in venenum sibi vertunt, in perspicua Christi verba velut in offendicula impingunt, caduntque miserandum in modum. Quid mirum? Verum illud est Diui Hieronymi Matth. 15. Omnia (inquit) Euangeliorum loca apud hæreticos, & peruersos plena sunt scandalis, &c. Locus hic Euangelij, quo Dominus stupendum suæ Ecclesię tradit donum, apud illos plenus scandalis est, atq; ruinis. Lucæ 1. ait sanctus senex Simeon; [Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum, & in signum cui contradicetur,] &c. Heu; Christus Deus, quem in augustissimo Sacramento posuit ardẽs hominum amor, positus est in ruinam hominum multorum, qui cum maximè desipiant, superbissimo intellectu, se maximè sapere credunt. Positus quoque est in signum, & Sacramentum stupẽdum, cui ab ijs cõtradicitur, qui cum talpæ sint, lynces se esse putant. Vtinam ad omnipotentiam Dei cernendam lynceos oculos haberent; velatum, absconditumque sub sacramentalibus accidentibus Christum cernerent. At quia Dei omnipotentiam præ intellectus imbecillitate, & obscuritate non vident, ideò admirandum ipsius omnipotentiæ opus negant. Quis nisi imperitissimus homo neget Deum posse omnia? potest ergo panem in corpus suum, potest vinum in sanguinem conuertere, potest reliqua stupenda miracula operari, quæ in hoc Sacramento confitemur. [Hoc est corpus meum,] ait; quid clarius dici poterat? Fidei omnia, quæ Dominus affirmat, sunt perspicua, & aperta: perfidiæ omnia ita obscura, & clausa, vt nihil videat. Perfidas prætereo interpretationes, earumque refutationes, siquidem satis superque a multis viris doctissimis, qui aduersus hæreticos scripserunt, pessundatæ sunt, atque contritæ, neque opus est cęnum hoc mouere, ne fętidũ exhalet odorem.

Clarum est Christũ dare discipulis suũ corpus. Hæretici in ipso Euangelio scandala reperiũt in qua impingant. D. Hieron.

Luc. 1.

Hæretici Dei omnipotentiam nõ cõsiderant, ĩ hoc mysterio.

Omnia quæ Deus asserit fidei sũt perspicua.

Quod

Quod pro vobis datur.

DIuus Lucas hæc verba addit; ait dixisse Dominum, [Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.] Paulus verò 1.Cor.11. [Hoc est corpus meũ, quod pro vobis tradetur,] &c. Græcè apud Paulum legitur, κλώμενον, idest, [quod frangitur] pro vobis. Diuus Iacobus in Liturgia vtrumque coniunxit, sic enim habet: [Quod pro vobis datur, & frangitur in remissionem peccatorum,] &c. Vtitur Dominus præsenti tempore pro paulo post futuro; de futura enim, & propinqua passione sunt verba intelligenda hoc sensu, Hoc est corpus meum, quod pro vobis passioni, & morti, paulò post dabitur, siue tradetur; quodque pro vobis frangetur, verberibus, spinis, clauis, hasta; fracta autem caro corporis est, non ossa, vt Ioannes testatur capite 19. iuxta illud, [Nec os illius cõfringetis,] Exodi 12. Vsus autem est Dominus verbo, [frangitur,] quia panem ante consecrationem fregit, & quia post consecrationem species panis franguntur. Alter horum verborum est sensus, [Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur] idest, in Eucharistiæ sacrificio offertur Patri, vt vobis prosit, afferatque gratiam, & æternam vitam. Item; quod pro vobis frangitur secundum species panis, sub quibus latet. Ad Eucharistiam referunt hæc verba, [Quod pro vobis datur, & frangitur.] Iansenius, & Bellarminus lib.1. de Missa capite 12. ad Eucharistiam referunt hęc verba Noster interpres 1.Cor.11. vertit, Quod pro vobis tradetur, scilicet hostibus, & passioni, vel tradetur in Ecclesia in oblationem, & hostiam, iuxta illud Ephes.5. [Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis,] & Franguntur in Sacramento panis species, vnde a Luca Act. 2. [fractio panis] appellatur, & Paulus 1.Corin. 10. [Panis] (inquit) [quem frangimus,] &c. Lege Chrysostomum 1.Cor. hom. 24. Apertè dixerat Dominus esse corpus suum, quod discipulis dabat; apertius id indicat, cum addit, [quod pro vobis datur, & frangitur, quod pro vobis tradetur;] hoc est, quod pro vobis morti offeretur, & clauis frangetur. Hæc enim non nisi vero corpori congruere possunt.

Primus sensus.

Secundus sensus.

CAPVT V.

De institutione Eucharistiæ.

Accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis.

SEparatim à pane vinum consecrauit Dominus, quia passionem suã ante oculos nostros collocare voluit, in qua sanguis a corpore, per effusionem separatus est. Diuus Thomas 3.p.q.78.art.3. ad 2. Sanguis (inquit) seorsum consecratus, expresse passionem Christi repræsentat, &c. Et Cardinalis Bellarminus lib 1. de Missa capite 12. Ideo (inquit) in cęna seorsum consecratur corpus, & seorsum sanguis, vt intelligamus præsentiam corporis, & sanguinis in cęna, esse ad modum occisi, & mortui corporis, &c.

Sanguis separatim cõsecratur, vt passio repræsentetur.

Postquam panem in corpus suum conuertit, accepit calicem, Græcè, ποτήριον idest, poculum; & gratias egit, vt Matthæus, & Marcus aiunt. Lucas, [Similiter (inquit) & calicem postquam cęnauit:] hoc est similiter vt panem acceperat, & gratias egerat, accepit calicem, & gratias egit. Ecclesia docet gratias agendo benedixisse calicem, fuit enim gratiarum

actio,

Digitized by Google

actio, & calicis benedictio. [Accipiens (ait) & hunc præclarum calicẽ, in sanctas, ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit, deditque discipulis suis] &c. In Liturgia Diui Iacobi sic habetur; Similiter postquam cœnauit, accipiens calicem, & permiscens ex vino, & aqua, & aspiciens in cœlum, ac ostendens tibi Deo, & Patri, gratia agens, sanctificans, benedicens, implẽs Spiritu sancto, dedit nobis discipulis suis, &c. Dubitabis quonam sensu dicat sacerdos; Accipiens, & hunc præclarum calicẽ, &c. Nũquid Christus eundem illum calicem accepit in manus, quem sacerdos accipit? Respondetur vnum esse calicem Christi in tota Ecclesia, vnitate sanguinis Christi, quem continet, sicut vnum est altare vnitate sacrific j Vnde Odo Cameracensis Episcopus in canon. Calix (inquit) cum accipitur etiam ante verba diuina est vnus, sicut omnium Ecclesiarum altare dicitur vnũ, quia in eo secundum vnam fidem, vnum Dominici corporis offertur quotidie sacrificium, &c.

Vnus est calix Christi in tota Ecclesia, vnitate sanguinis Christi. Odo Cameracensis.

Hic est enim sanguis meus noui Testamenti.

DIuus Matthæus sic ait: [Accipiẽs calicem gratias egit, & dedit illis dicens, bibite ex hoc omnes; subijcit rationem, [Hic est enim sanguis meus; quasi dicat, do vobis calicem diuina potentia consecratum, nõ vinum vulgare vobis propino, sed sanguinem meum, idcircò bibite ex eo omnes, quisque partem; obtulit enim omnibus vnum calicem: ne verò totus ab vno exhaurirent, dixit: [bibite ex hoc omnes.] Matthæus particulã, [enim] apposuit calicis consecrationi, vnde inferri potest etiam in consecratione panis a Domino fuisse prolatam, vt supra diximus, & Ecclesia indicat.

Marcus sic: [Accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis, Hic est sanguis meus,] &c. Ex hoc Marci loco probauimus supra cap. 4. Christũ non consecrasse vinũ his verbis, [Hic est sanguis meus;] sed ante prolationẽ horũ verborũ, excellentię potestate, absq; verbis, vinũ in sanguinẽ conuertisse, postea verba protulisse. Nã Marcus prius ait, [biberũt ex calice cõsecrato oẽs: postea addit, [Et ait illis, hic est sanguis meus.] ante verba ergo consecrauit. Nunc respõdemus, Marcũ recapitulatione vsum dixisse, Apostolos oẽs ex calice bibisse, & postea adiecisse verba, quibus calix est consecratus. Prius tamen Dominus verba protulit, postea Apostolis calicẽ obtulit; itaq; est hysterõ proteron. D. Lucas hoc pacto habet: [Hic est calix nouũ testamentũ in sanguine meo, qui pro vobis fundetur, &c. Item D. Paulus 1. Cor. 11. [Hic calix, nouũ testamentũ est, in meo sanguine,] &c. Verba q̃ Matthæus, & Marcus referunt, satis perspicua sunt. Demonstrat Dominus sanguinẽ suũ, affirmat se sanguinẽ suũ discipulis tradere bibendũ, non aũt vinũ. Verba, quæ Lucas, Paulusq; referunt, hunc habent sensum, hic calix in meo sanguine, hoc est, cũ meo sanguine; (Hebræi enim præpositione, [be,] idest, [in,] pro, [cum,] vtuntur.) Hic calix plenus meo sanguine, non vino; est nouũ testamentũ. Idem est, hic calix in, vel, cum meo sanguine, ac, hic est calix sanguinis mei; ita enim hæc, quã illa verba significant, calicẽ cõtinere sanguinẽ Christi verũ. Idẽ. n. est calix sanguinis, & calix habens, vel continẽs sanguinẽ, vel calix cũ sanguine.

Explicatur Marcus.

1. Cor. 11.

Explicatur Lucas & Paulus

Quæritur, cur dicatur calix nouũ testamentum? Respondetur, calicem continentem Christi sanguinem, vel ipsum sanguinem contentum, dici nouum testamẽtum, id est, nouum pactum: quia nouum pactum Dei, cum hominibus confirmauit. Vetus testamentum Exod. 24. sanguine vitulorũ confirmatum est; figura erat vetus testamentum, noui testamenti, sanguis vitulorũ figura sanguinis Christi. Figura, figuram, idest, sanguis typicus, testamentum typicum tunc con-

Sanguis Christi cur dicatur nouum testamentum.

confirmauit. At modò Testamentum nouum quod figuras expleuit, non sanguis typicus, sed sanguis verissimus stabiliuit, Exod. 24. Moyses dimidiam partem sanguinis fudit super altare, quasi ipsum Deum sanguine perfunderet victimarum, vt Testamentum vetus sanguine cõfirmaret, & Christi sanguinem adumbraret. Assumpsit deinde volumen fęderis, siue Testamenti veteris, legitque populo audiente; postquam respondit; [omnia quæ locutus est Dominus, faciemus,] &c. Sanguine illum respersit dicens; [Hic est sanguis fęderis, siue Testamenti, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his,] &c. Ad hæc verba Moysis allusisse videtur Dominus cum dixit: [Hic est sanguis noui Testamenti, vel nouum Testamentum,] id est, quo nouum fędus confirmatur. Lege quæ diximus de Testamento, & fędere, primo tomo libro 1. cap. 1. vbi hac de re egimus; Lege item Paulum ad Hebræos 9. Dici præterea potest sanguis Christi Testamentum nouũ, idest, legatum nouum, & admirabile, hoc sensu, Hic calix cum meo sanguine est legatum nouum. Ecclesiæ enim suæ Christus opulentissimum legatum reliquit in Sacramento Eucharistiæ, sanguinem suum. Testamẽtum sumitur pro legato metonymicè, continens Testamentum sumitur pro contento legato, vel hęreditate, quæ testamento continetur; quemadmodum si filius ostendens a patre relictam opulentam hæreditatem, diceret; hoc est testamentũ patris mei, idest, legatum. Chrysostomus hom. 83. in Matthæum: Quemadmodum (inquit) vetus Testamentum pecudes, & vitulos habebat; eodem modo nouum dominicum sanguinem possidet, &c. Et Theophylactus: Sicut vetus Testamentum immolationem habebat, & sanguinem, sic nouum Testamentum sanguinem habet, ac immolationem, &c. Aliter, Calix hic cum meo sanguine, est testamentum nouum, quia quemadmodum per testamentum hęreditas acquiritur, sic per sanguinem meum æterna hæreditas comparabitur. Nã sicut ius ad hæreditatem præbet testamentum, ita ius æternæ glorię prębet sanguis Christi per Sacramenta, & bona opera hominibus applicatur. Apud Matthæũ ita habetur: [Hic est enim sanguis meus, noui testamẽti: eadem verba Marcus refert, coniunctionem (enim) omittit. Idem verò significant hæc verba, quod, verba illa apud Lucam, & Paulum, [Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo,] &c. Nam calix Christi sanguinem continens, nouum testamentum est, idest, pertinet ad nouũ testamentum Igitur calix est, & sanguis noui testamenti propter rationes supra redditas. Videlicet quia nouum testamentum confirmat, quia noui testamenti legatum est, quia per eum hæreditas noui testamenti æternæ gloriæ comparatur.

Exod. 24.

Testamentum nouum dici potest legatum nouum.

D. Chrysost.

Theophil.

Testamentum ius præbet ad hæreditatem, & sãguis Christi præbet ius ad æternam gloriã per Sacramenta.

Aduerte autem fędus Christi nouum dici testamentum, quia intercessit mors testatoris, ipsius scilicet Christi Dei, iuxta illud Pauli ad Hebræos 9]Vbi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamẽtum enim in mortuis confirmatum est: alioqnin nondum valet, dum viuit, qui testatus est. Vnde neque primum quidem sine sanguine dedicatum est,] &c. Est ergo nouum fędus Christi testamentum, quia mors testatoris intercessit, qua confirmatũ est: & sanguis Christi, est sanguis noui testamenti, quia nouum testamentũ confirmauit effusione sua, & morte testatoris Innocentius 3. cap. cum Matth. de celebrat. Missarum, sic interpretatur; [Hic est sanguis noui, & æterni testamenti,] idest, nouæ, & æternæ promissionis confirmator. Itẽ Diuus Chrysostomus ho 83. sanguinẽ noui testamenti vocasse ait Christum, idest, nouæ pollicitationis, & promissionis legis nouæ. Addit Christum his verbis mortem suam significasse. Moriturum (inquit) se hinc ostendens, & propterea testamenti mentionem facit; atque prioris quoque memoriam renouat. Nam & illud

Mors testatoris intercessit.

Innocẽtius.

D. Chrysos.

lud per sanguinem fuerat dedicatum A &c. Euthymius: Sanguis (inquit) noui Testamenti, siue nouæ legis lationis: siquidem sanguis figuratiui agni veteris erat Testamenti: sanguis autem veri agni est noui, &c. Diuus Thom. 3. p. q. 78. art. 3 ad 3. duobus modis ait sanguinem Christi hominibus exhibitum.

D. Thom.

Sãguis Christi exhibitus in figura prius, postea in veritate.

Primo quidem in figura, quod pertinet ad vetus Testamentum; secundò in rei veritate, quod pertinet ad B nouum Testamentum. Adiungit, dici sanguinem noui Testamẽti à Christo, quia iam non in figura, sed in veritate exhibetur. Cardinalis Bellarminus lib. 1 de Eucharistia capit. 11. ait, Eucharistiam dici Testamentum; quia non solum est instrumentum cõferendæ hæreditatis, sed etiam continet apertissimam repræsentationem effusionis sanguinis Christi, à quo C vim suam habet Testamentum nouum.

Et lib. 1. de Missa capitu. 8. ostendit Christum in cœna testamentum fecisse. Nam testator viuus, & sui iuris esse debet cum testatur: Christus in cœna testator viuus erat, & sui iuris; testator hæredibus aliquid mandat, Christus discipulis mandauit amorem; hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem. Testator aliquid D promittit, siue relinquit idque nominatim exprimere solet, & personas quibus relinquit; Christus remissionem peccatorum promisit in cœna, & personas, siue hæredes expressit, cum ait: [Pro vobis, & pro multis.] Testator testes adhibet, Christus testes adhibuit Apostolos; testator disertis verbis explicat se testamentum facere, Christus in cœna testamenti meminit: quemadmodnm Moyses E dicit: [Hic est sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus:] ita Christus, [Hic est sanguis meus noui Testamenti.] Testator instrumentum publicum conficit: quod perpetuo habeat vim applicandæ hæreditatis. Id instrumentum in cœna Christus fecit, cum Sacramentum Eucharistiæ instituit. Sic ferè ille.

Christus in cœna testamentũ fecit.

In verbis quibus Ecclesia vtitur ad consecrandum calicem, adduntur hæc verba: [Aeterni, & mysterium fidei:] hunc in modum, [Hic est enim calix sanguinis mei, noui, & æterni Testamenti, mysterium fidei,] &c. Quæritur vndœnam acceperit Ecclesia verba hæc? Respondeo à Christo dicta esse, & à Diuo Petro tradita Romanæ Ecclesiæ. Etenim si à Christo dicta non essent, Ecclesia verbis consecrationis, quæ omnia Christi sunt, illa minimè addidisset. Diuus Thom. q. 78. art. 3. ad 9. Quod (inquit) additur, [æterni, & mysterium fidei,] ex traditione Domini habetur, quæ ad Ecclesiam & Apostolos peruenit, &c. Lege Innocentium cap. cum Marthæ. P. Salmeron verbũ [æterni,] sumptum ait ex Paulo ad Hebr. 13. quo capite, [Deus] (inquit) [pacis, qui eduxit de mortuis pastorẽ magnũ ouium in saguine Testamenti æterni Dominum nostrum,] &c. Mysterium verò fidei, acceptum putat ex eodem Paulo 1. ad Timoth. 4. [Diaconos] (inquit) similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in consciẽtia pura,] &c. Sed verba alium etiam simpliciorem habent sensum: videlicet, habentes fidei occulta mysteria, fidei absconditam cognitionem possidentes, habentes fidei scientiam, & puram ab omni peccati labe conscientiam.

In cœna instrumẽtũ publicũ Christus fecit qđ vim ppetuo habebit.

A Christo addita sunt verba illa æterni, & mysterium fidei.

D. Thom.

Salmeron.

1. Tim. 4.

Appellatur autem Testamentum nouum, Testamentum æternum, quia æternam continet hæreditatẽ, iuxta illud Pauli ad Heb. 9. [Noui testamenti mediator est, vt remissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis,] &c. Præterea, quia nullnm aliud illi succedat. Testamentum vetus temporale fuit, & temporalẽ continuit hæreditatem; ideo æternum minimè vocatur: quamuis ipsa temporalis hæreditas adumbraret æternam. Innocentius 3. c. cum Marthæ, celebr. Miss. Vetus (inquit) Testm̃, qđ hircorum, & vitulorum sanguine fuit dedicatum, temporalia promittebat.

Ad Heb. 9. Cur dicatur æternũ testamentum.

Innocent.

Nouum

Nouũ testamētũ sãguine Christi fuit consecratũ.

Nouum autem, quod est Christi sanguine cõsecratũ, promittit æterna: & ideo illud fuit vetus, & trãsitorium, hoc autem est nouũ, & æternũ, &c. Addit: Vnde nouum, id est, vltimũ esse describitur, inde æternũ, idest, perpetuum esse comprobatur. Nouissimum enim hominis testamentum immobile perseuerat, quia testatoris obitu confirmatur, iuxta quod Apostolus testamentum in morte asserit confirmatum, &c.

Eucharistia mysterium fidei.

Verba illa: [Mysterium fidei.] augustissimi Sacramenti indicant sublimitatem, quæ omnium tam hominum, quam Angelorum naturalem captum superant. Mysteria enim res occultæ nominantur, hoc vero Sacramentum est mysterium, quia occultissimus, abditissimusque est in eo Christus. Sed mysterium est fidei, quoniam fidelium Sacramentũ est, fidem flagitat, fide cognoscitur. Innocentius 3. lib. 4. capitu. 36. Dicitur (inquit) mysterium fidei: quoniam aliud ibi cernitur, & aliud creditur veritas carnis, & sanguinis, &c.

Qui pro vobis, & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.

GRæcè præsentis est participium, τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, &c. id est, [hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine, qui calix pro vobis effunditur.

An intelligẽda sint verba, de effusione sanguinis in Eucharistia sacrificio.

Prima interpretatio, refert hæc verba ad effusionem in sacrificio Eucharistiæ, quam sequuntur Iansenius, Cardinalis Bellarminus, & Maldonatus: Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effunditur, hoc est, qui pro vobis, pro redemptione vestra, Deo libatur, offertur, & effunditur in hoc sacrificio. Si obijcias, sanguis Christi non effunditur in sacrificio Missæ: est enim sacrificium incruentum. Respondetur, non effundi sanguinem in propria specie, sed effundi in specie vini. Quæres quonam modo effunditur in Missæ sacrificio sanguis? Respondet Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 12. vbi hanc interpretationem sequitur.

Bellarm.

Effusio sanguinis ĩ Missa nõ facit sacrificiũ cruẽtum.

Dicitur (inquit) sanguis fundi dum in specie liquida in calice collectus offertur Deo, ac inde in eadẽ specie funditur in ora sumentium, sed hæc effusio non facit sacrificium cruentum. Sic ille. Probatur hæc interpretatio ex verbis Christi apud Lucam, ait enim; [hic est calix in sanguine meo, qui calix pro vobis funditur.] Nam relatiuum, [qui,] calicem refert, vt ex Græco contextu constat, ποτήριον τὸ ὑπὲρ ὑμῶν, &c. Ait ergo Dominus calicem fundi, id est, sanguinem fundi, vt est in calice, idque in sacrificio Missæ, in Missa enim, non alibi, est sanguis in calice. Addit, fundi [in remissionem peccatorum,] quoniam in sacrificio Missæ propitiatorio effunditur, & offertur Deo sanguis Christi in remissionem peccatorum. Probatur etiam ex Diuo Ambrosio libro 4. de sacram. capitu. extremo: Si quotiescunque (inquit) funditur sanguis, in remissionem peccatorũ funditur; debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata dimittantur, &c.

Quoties funditur Christi sanguis, in peccatorũ remissionem funditur.

Intelligẽda sunt verba, de effusione sanguinis ĩ passione.

Secũda interpretatio hæc est, cum prima recipienda: [Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur,] in passione, [in remissionẽ peccatorum.] Chrysostomus homil. 83. in Matthæum: Quòd (inquit) dicebat, vt ostenderet passionem, & crucem mysteriũ esse, & discipulos hinc consolaretur, &c. Autor sub nomine Eusebij: Hic (inquit) est sanguis meus, qui fundendus est: non alius iste, & alius ille, sed vnus idẽque iste, & ille. Cras igitur fundetur ex hoc meo latere, quem vos modò bibitis, & videtis in calice, &c. In hunc sensum interpretatur D. Thomas q. 78. art. 3. ad 7 quo loco rationẽ reddit, cur in consecratione sanguinis mentionẽ Christus fecerit suæ passionis. Sanguis (inquit) seorsum consecratus à corpore, expressius repræsentat passio-

D. Chrisost.

Eusebius.

D. Thom.

Cur in cõsecratione sanguinis fimẽtio passionis.

passionē Christi. Et ideò potiùs in cō A secratione sanguinis, fit mētio de pas sione Christi, & fructu ipsius, quā in cōsecratione corporis, &c. Lege arti culi corpus. Obijcies in passione non esse effusum calicem sanguinis; non ergo posse intelligi de passione hæc verba; [Hoc est calix, qui pro vobis, & multis effundetur.] In passione sanguis quidem effusus est, non calix, de calice igitur Eucharistico solum sunt verba intelligenda. Respondetur, sumi calicem pro contento sanguine; dicique effundendum calicem in passione, quia sanguis cōtentus calice tunc effusus est.

Metonimia.

Vrges: In passione sanguis Christi effusus est pro omnibus hominibus, at apud Matthæum, & Marcum dicitur fundendus, [pro multis,] apud Lucam, [pro vobis,] idest, Apostolis. Respondetur in passione effusum esse sanguinem pro Apostolis, & pro C omnibus hominibus sufficienter, vt aiunt Theologi. Omnes autem homines multi sunt, cum ergo Dominus ait: [Qui pro vobis, & pro multis effundetur,] idem est, ac si diceret, qui pro vobis, & pro omnium hominum multitudine effundetur. Euthymius: Multos (inquit) hic dicit Christus omnes. Nam omnes multi sunt, &c. Et Theophylactus: Pro multis dicit Christus effundi sanguinē, D idest, pro omnibus, sunt enim, & omnes multi, &c. Similiter Marci 10. Dominus ait; [Venit filius hominis vt daret animam suam redēptionem pro multis,] &c. idest, pro multitudine hominum. Lege tom. 3. lib. 6. c. 10. ad hæc verba Christi; [Venit filius hominis dare animam suam redemptionem pro multis,] &c. Alij hæc verba exponunt de efficaci effusione, hoc pacto, qui non solum pro vo- E bis discipulis meis vndecim qui adestis, pro multis etiam alijs prædestinatis, efficaciter effundetur. Duas alias interpretationes addit Diuus Thomas, quæst 78. art. 3. ad 8. Sanguis (inquit) Christi non solum habet efficaciam in Iudæis electis, sed etiam in Gentilibus electis: nec so-

Quomodo dicatur sanguis Christi effusus pro multis.

Euthim.

Theophil.

Marc. 10.

Alia explicatio de efficacitate.

lum in sacerdotibus, qui conficiunt hoc Sacramentum, vel alijs, qui sumunt, sed etiam in illis, pro quibus offertur. Et ideò dicit Christus; Pro vobis Iudæis, & pro multis, id est Gentilibus: vel, Pro vobis manducantibus, & pro multis, pro quibus offertur, &c. Illam ego opinionem non probo, quæ fert Christum non dixisse: [Pro multis effundetur,] sed tantum, [pro vobis effundetur.] vtrumque enim dixisse Ecclesia sentit, B & ex Euangelistis colligitur.

D. Thomas.

Non bibam amodò de hoc genimine vitis, &c.

DE agno Paschali dixit Dominus apud Lucam; [Ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.] Quæ verba explicauimus supra. Nunc postquam sanguinem suum discipulis præbuit, ait discipulis, vt Matthæus scribit; [Dico vobis, non bibam amodò de hoc genimine vitis, vsque in diem illū, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei,] &c. Eadem ferè verba refert Marcus; Lucas verò, vt diximus capite primo huius libri, vsus anticipatione, calicis meminit, & hæc verba subiecit; [Dico vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.] Prima interpretatio est Claudij, Titilmanni, & Iansenij, qui de statu futuræ vitæ exponunt in hanc sententiam, extrema cęna hæc est, nam de fructu vitis, sub cuius specie vobis meū sanguinem trado, non bibam vsque in diem illum, quo aliud vinum nouum, ac cæleste bibam vobiscum, aliudque conuiuium cæleste, & nouum vobiscum celebrabo in cælesti Patris mei regno. Opponitur huic interpretationi, Christum vinum potasse cum discipulis priusquam in cœlos ascenderet, postquam resurrexit. Vnde Petrus Act. 10 ait. [Manducauimus, & bibimus cū illo postquā resurrexit a mortuis,] &c. Respōderi potest Christū tunc non bibisse vinum, sed aquam,

Primus sensus.

Act. 10.

Secundus sensus. Caietan.

Secunda interpretatio Vatabli, Caietani, & aliorum est huiusmodi; [Non bibam ex hoc fructu vitis,] idest, vinum non potabo, sub cuius specie sanguinem meum vobis præbeo, vsque in diem illum quo bibam illud vobiscum nouum, idest, vsque in diem, siue tempus resurrectionis. Tunc enim, vt diximus ex Diuo Petro, Act. 10. Manducauit, & bibit cum discipulis. Obijcitur Christum postquam resurrexit, non bibisse cum discipulis vinũ nouum, sed vinum tale, quale erat illud cœnæ. Respondent Caietanus, & alij, dici vinum nouum, quod Christus post resurrectionem potauit, quia nouo modo illud potauit, cum immortalis iam esset, nullo potu, nulloque cibo indigens. Sic interpretatur Diuus Chrysostomus Et Theophylactus; Nouum (inquit) promittit, idest, nouum quendam modum sumptionis, in regno, hoc est, resurrectione; cum enim resurrexisset, comedit, ac bibit nouo quodam modo, non quasi indigeret cibò, &c. Carthusianus exponit, [nouum,] idest, recens vinum. Vatablus, [nouum,] id est, admirabile.

D. Chrysost. Theophil.

Tertius sensus.

Tertia interpretatio hæc sit; [Hic est sanguis meus,] &c. [Dico vobis, non bibam amodò de hoc fructu, vel genimine vitis, id est, de hoc meo sanguine, qui est fructus meus, iuxta illud Ioannis cap. 15. [Ego sum vitis vera.] Huius vitis genimen, & fructus est sanguis, [non bibam] (inquam) vsque in diem, & tempus quo illum bibam vobiscum nouum, id est, renouatum in hoc eodem Sacramento. per nouam illius celebrationem, & nouam consecrationem, renouatum præterea per nouam resurrectionem. Dicitur enim sanguis Christi nouus post resurrectionem, quia per resurrectionem est renouatus; quemadmodum etiam renouatum est corpus, non quod aliud esset corpus, vel alius sanguis, sed quod nouo, & immortali se haberet modo. Addit, [in regno Patris mei,] idest, cum iam fuero adeptus regnum Patris in resurrectione, iuxta illud; [Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra,] &c. Bibit autem Christus post resurrectionem cum discipulis sanguinem suum, quia aliquoties Sacramentum Eucharistiæ illis præbuit. Si enim duobus præbuit, a quibus exceptus est in Emmaus, cur non alijs etiam?

Ioan. 15.

Renouatus est sanguis Christi per resurrectionem.

Quæret aliquis; Num Dominus corpus suum, & sanguinem sumpserit? Respondetur absque dubio sumpsisse. Docere enim voluit sacerdotes, qui non solum sacrum faciunt, & Sacramentum exhibent, sed etiam corpus Christi, sanguinemq; sumũt. Chrysostomus hom. 83. Christus (inquit) bibit ex calice, ne auditis illis verbis dicerent; Quid ergo, sanguinem bibimus, & carnẽ comedimus? & perturbarentur. Ne igitur hoc accideret, primus ipse hoc fecit, vt trãquillo animo communicationem mysteriorum induceret, &c. Idem aiunt Theophylactus, & Euthymius. Hanc sententiam sequitur Diuus Thomas quæstio. 81. art. 1. & alij Scholastici Doctores. Fuit autem sumptio illa, & sacramentalis, vt placet Diuo Thomæ, & spiritalis. Sacramentalis quidem, quia verè Sacramentum accepit Christus; spiritalis, quia sanctissimè, ac dignissimè accepit. Quod si gratiam Sacramentum non effecit, nihil obstat, causa enim fuit, quia Christi gratia augeri non poterat. Diuus Thomas loco citato, ait Sacramentum effecisse in Christo spiritalem quandam dulcedinem, ac delectationem. Quamuis (inquit) Christo gratia, non fuerit augmentata ex susceptione huius Sacramenti; habuit tamen quandam spiritalem delectationem, in institutione illius. Vnde dicebat Lucæ 22. [Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum.] Hæc ille.

An Dominus sumpserit corpus suũ & sanguinem. D. Chrysost.

Quid Sacramenti sumptio in Christo effecerit. D. Thomas.

C A-

CAPVT VI.

De Institutione Eucharistiæ.

Hoc facite in meam commemorationem.

HAec verba prætermiserũt Matthęus & Marcus: Lucas verò scribit dicta esse à Christo, cũ corpus discipulis præbuit; [Accepto] (inquit) pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens; Hoc est corpus meũ, quod pro vobis datur; Hoc facite in meã cõmemorationẽ,] &c. Diuus Paulus 1. Cor. 11. dicta ait bis, semel cum corpus dedit discipulis, iterum cum dedit sanguinem. [Ego] (inquit) [accepi à Dño, quod & tradidi vobis; quoniam Dñs Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panẽ, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate; Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; Hoc facite in meam commemorationem. Similiter, & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine; facite, quotiescunque bibetis in meam commemorationẽ. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Dñi annũtiabitis donec veniat,] &c. Hoc facite (ait Dñs.) Nonnulli interpretantur, [Hoc facite,] id est, [sacrificate.] Verbũ enim, [facio,] sacrificare significat apud Maronẽ Ecloga 3. & alios. In Scriptura quoq; verbũ, [Gasa,] id est, [fecit,] eiusdem significationis esse obseruat Oleaster Leuit. c. 15. & Bellarminus lib. 1. de Missa, c. 12. Exod. 10. Hostias, & holocausta da nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro; &cæ. Hebraicè Gasinu, id est, [faciemus Deo,] &c id est, [sacrificabimus.] Leuit. 16. [offeret illum] (id est, hircum) [pro peccato,] &c. Hebraicè Gasahu, id est, [faciet eum] peccatum, sacrificabit eum pro peccato. Leuit. 17. [Qui obtulerit holocaustum siue victimam, & ad ostiũ tabernaculi testimonij non adduxerit eam, vt offeratur Domino,] &c. Hebraice:] non adduxerit eam ad faciendum Domino,] sic alijs locis. Alter sensus est; [Hoc facite,] videlicet, quod ego feci. Christus accepit panem, gratias egit, benedixit, consecrauit, deditque discipulis: similiter accepit calicem, gratias egit, benedixit, consecrauit. Idipsum præcipit discipulis, eorumque successoribus sacerdotibus, vt faciant. [Hoc] (inquit) [facite,] quod ego feci panem, & vinum, in corpus, & sanguinem meum, verbis meis conuertite, alijsque Christianis exhibete in meã commemorationem.

Bis dicta hæc verba. — *Hoc facite i. sacrificate.* — *Exod. 10.* — *Leuit. 16. & 17.* — *Apostolis & eorũ successorib. dictum hoc facite.*

Præterea in cœna illa Christus corpus, sanguinemque suum sub speciebus panis, ac vini Deo Patri obtulit, neque solum Sacramentum, sed sacrificium etiam in Ecclesia perpetuo offerendum instituit, in commemorationem, ac repræsentationem passionis suæ, ideoque Apostolos tunc sacerdotes creauit, eisque præcepit: (Hoc facite in meam cõmemorationem:) hoc est, meum corpus, sanguinemque sub speciebus panis, ac vini offerte Deo, sacrificiumque facite, & passionem meam repræsentate, vt ad finem vsque sæculi memoria permaneat tanti beneficij in homines à me collati. Quod autem in cœna illa extrema, Dominus sub speciebus panis, & vini, corpus, & sanguinem suum obtulerit Deo Patri, docet Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. his verbis: Christus sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, se in æternum constitutum declarans, corpus, & sanguinem suum sub specieb. panis, & vini Deo Patri obtulit, &c.

Christus sacrificiũ instituit & obtulit in cæna. — *Concil. Trid.*

Quod ꝑ hæc verba: (Hoc facite,) &c. Apostolis, eiusque successoribus præceptum dederit offerendi, ac

Digitized by Google

sacrificandi, eodem tradit loco; Sub earundem (inquit) rerum (id est, panis, & vini) symbolis, corpus, & sanguinem suũ Apostolis, quos tunc noui Testamenti sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit, & ijsdem, eorumque in sacerdotio successoribus, vt offerrent præcepit, per hæc verba; [Hoc facite in meam cõmemorationẽ, vt semp Ecclesia Catholica intellexit, & docuit, &c. Quod sacerdotes Apostolos cõstituerit eisdẽ his verbis [Hoc facite, &c. eodem capite canone 2. sic definit; Si quis dixerit illis verbis: [Hoc facite in meam cõmemorationem;] Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse vt ipsi, alijque sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum anathema sit, &c. His igitur verbis: Hoc facite in meam commemorationem:] sacerdotes cõstituit Dominus Apostolos, qui aderant, non Iudam, qui aberat; præceptumque sacrificãdi, & Eucharistiam ministrandi dedit. Quæres, an sint etiam tunc his verbis creati Episcopi? constat enim omnes fuisse Episcopos. Respondet Cardinalis Bellarminus de Sacram. confirmationis cap. 12. non fuisse creatos Episcopos in cęna: sed post resurrectionẽ, cum illis dictum à Domino est Ioa. 20. [Et ego mitto vos,] &c. In suam cõmemorationem iubet Dominus hoc facere.

Christus constituit Apostolos sacerdotes in cœna.

Concil. Trid.

Iudas sacerdos creatus nõ fuit aberat enim.

Creati fuerũt Apostoli in Episcopos, post resurrectionẽ.

Qualis vero hæc sit cõmemoratio, Diuus Paulus docuit 1. Cor. 11. illis verbis supra citatis; [Quotiescunq; enim manducabitis panẽ hunc & calicẽ bibetis, mortẽ Domini annuntiabitis donec veniat,] &c. Nã in sacrificio Euchar stiæ mors, & passio Domini annuntiatur, ac repræsentatur, idque fiet iugiter, donec ad iudiciũ ipse veniat, extremo mundi tempore. Vnde Diuus Thomas quæstione 83. artic. 1. Celebratio (inquit) huius Sacramenti imago quædam est, repræsentatiua passionis Christi, &cæt. Est quidem imago passionis & sacrificij, atque immolationis cruentæ, quæ in cruce facta est, sed simul etiam est verum ac proprium sacrificium, & immolatio incruenta, cruentam repræsentans. Hinc illa Diui Andreæ Apostoli ad Aegeam Proconsulem respõsio; Ego Deo immolo quotidiè, nõ taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in altari, &c. Ambrosius Lucæ 1. Cũ sacrificamus (inquit) Christus adest, Christus immolatur, &c. Nyssenus Gregorius in orat. de resurrectione: Dominus (inquit) præoccupãs impetum Iudæorum, seipsum victimam offert, idem simul sacerdos & agnus. Sed dices mihi, quando hoc accidit? tunc cum suum corpus ad comedendum, & sanguinem ad bibendum familiaribus dedit, &c. Augustinus Psalm. 33. Conc. 2. Ipse de corpore, & sanguine suo sacrificiũ instituit, secundum ordinem Melchisedech, &c. Rupertus lib. 2. Exod. cap. 6. Christus prius proprijs manibus Deo Patri semetipsum immolauit, accipiens panem, &c. Diuus Gregorius lib. 2. Dialogorum cap. 23. Dum (inquit) oblatio pro eis fuisset immolata, &c item lib. 4. cap. 58. pro nobis Christus in hoc mysterio immolatur; eius quippe corpus sumitur, &c. lege dist. 2. de consecratione. Denique vt alia omittã, Concil. Trid. sess. 22. Siquis (inquit) dixerit in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, anathema sit, &c.

1. Cor. 11.

Sacrificium Eucharistia

D. Ambr.

D. Gregor. Nyss.

D. Augustin.

Rupertus.

D. Gregor.

Quæritur de quanam commemoratione, Christi verb sint intelligenda? Nam dupliciter intelligi possunt. Primò sic: [Hoc facite in meã commemorationem,] hoc est, hoc facite, & cum feceritis mementote mei, & in memoriam reducite meam passionem. Secundò hunc in modum; [Hoc facite in meam commemorationem;] hoc est, hoc facite sacrificium, eoque passionem meam repræsentate, atque commemorate. Vt enim diximus, sacrificium ipsum commemoratio est, atque imago passionis, simulque verum, ac proprium sacrificium. Quemadmodum sacrificia antiquæ legis vera erant, & propria sacrificia, simulque

De cõmemoratione, q. Christus iubet facere.

que

In sacrificio Missæ victima incruentè immolatur.

que passionem, sed longè inferiori modo repræsentabant. Etenim in nostro sacrificio ipsa repræsentata victima incruentè immolatur, quã antiqua sacrificia solum adumbrabant. Respondeo, Paulum verba Christi exponere hoc secundo modo; [Quotiescunque enim (inquit) manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat,] &c. hoc est, Christus dixit: [Hoc facite in meam cõmemorationẽ. Nã ipso facto, ipso sacrificio, ipsa manducatione corporis, & potatione sanguinis Domini, annuntiatur, & cõmemoratur passio, & mors Domini ad Iudicij vsq; diem. Et Concil Trid sess. 13. c. 2. Saluator (inquit) noster Sacramentũ hoc instituit, & in illius sumptione colere nos sui memoriam pręcepit, suamq; annuntiare mortem, donec ipse ad iudicandum veniat, &c. Sed tamẽ non excluditur prior sensus, [Hoc facite in meã cõmemorationem,] hoc est, hoc facite, & cum feceritis, recordamini mei, & passionis meæ, quã hoc sacrificiũ & corporis mei manducatio, sanguinisque potatio repræsentat.

Quanã in re sacrificij essentia posita sit.

Ad hæc, dubitatur quanam in re sacrificij Eucharistici, quod Christus obtulit, essentia posita sit? Multa hac de re dici possent, sed paucis respondeo, sacrificij Eucharistici essentiã, ex essentia sacrificiorũ potissimorũ legis veteris petendam esse. In potissimis autem legis veteris sacrificijs, tria necessaria erant in quibus eorũ essentia cernebatur. Nam primùm victima immolabatur, siue cædebatur, deinde offerebatur Deo, & combustione absumebatur. Necesse erat immolari victimã, offerri Deo, & combustione absumi. Tria hæc ad sacrificij perfectam essentiam pertinebãt.

Essentialia sacrificij.

Tria cernũtur in sacrificijs præcipua, immolatio, cõsumptio.

Eundem ergo in modum, ad sacrificij nostri perfectionem, atque essentiam eadem tria pertinent: nimirum immolatio incruenta, oblatio, & consumptio. Immolatio verbis fit consecrationis; nam ex vi verborum corpus à sanguine separatur, & sanguis à corpore seiungitur, quamuis per concomitantiam sanguis, & corpus, diuinitas, & humanitas simul adsint; hæc autem separatio sanguinis a corpore immolatio est. Tunc enim animal, agnus, vel vitulus, cruentè immolabatur, cum cultro sanguis illius à corpore separabatur; cum ergo vi consecrationis sanguis à corpore Christi separatur, & corpus sub specie panis, sanguis sub specie vini ponitur, Christus in altari incruentè immolatur per consecrationem, quæ ad sacrificium necessaria est. Præterea quemadmodum legis veteris animalium iam immolatorum corpus, & sanguis Deo offerebatur, sic Christi incruentè immolati corpus, sanguisque Deo offertur. Denique quemadmodum animalia oblata Deo igne absumebantur in altari holocaustorum; sic Christi corpus, & sanguis sub speciebus panis, atque vini, a sacerdote consumitur in altari, quia species illæ consumuntur. Hæc tria Christus in cœna fecit, eadem sacerdotes suos facere docuit. Si quidem se ipsum prolatis consecrantibus verbis immolauit, dum separatim panem in corpus, separatim vinum in sanguinem transmutauit, relictis speciebus panis, & vini separatis, perinde ac si sanguinem a corpore separaret, ac funderet quemadmodum sanguis victimarum a corpore separabatur, ac fundebatur.

Tria illa ĩ Missæ sacrificio sunt.

Quomodo sanguis à corpore separetur.

Christi corpus sub speciebus panis & vini cõsumitur.

Posteà quàm immolauit, Patri seipsum sic incruentè immolatum, id est, corpus suum, & sanguinem suum obtulit. Vt enim Concilium Tridentinum tradit sess. 22. capit. 1. Christus in cœna corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini obtulit, ergo post consecrationem, & incruentam immolationem, oblationem fecit. Nam ante consecrationem panis erat, & vinum, ergo ante consecrationem nõ obtulit corpus, & sanguinem suum, sed postquam consecrauit. Quod sic obtulit, postquam consecrauit, post consecrationem oblationem fecit, vel verbo, vel eleuatione aliqua,

Christus Patri se obtulit.

Christus se in cœna sacrificio consumpsit.

aliqua, quam Euangelistæ prætermiserunt. Denique post oblationem, vt supra dictum est, corpus suum, & sanguinem consumpsit, deditq; discipulis, præcipiens; [Hoc facite in meam commemorationem.] Et sanè si Christus sacrificiũ non instituisset, in quo se incruentè immolaret, non opus esset sub diuersis speciebus separatim corpus sanguinemque consecrare. Ad Sacramentum enim satis fuisset, sub specie panis se tradere: verum quia non solum Sacramentum, sed etiam sacrificium voluit instituere; idcircò sub vna specie panis, corpus, sub altera vini, sanguinem præbuit. Vnde colligitur Sacramentum ministrari rectissimè posse sub vna tantum panis specie, sub qua totus Christus est. Omitto argumenta, quæ vt obijci, sic facilè solui possunt, qui volet, Doctores Scholasticos legat.

Sacramentum potest ministrari sub vna tãtum specie.

CAPVT VII.

Morale.

De augustissima Eucharistia.

ANte diem festũ Paschæ (ait dilectus discipulus) sciens Iesus, quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, cũ dilexisset suos, q erant in mundo, in finem dilexit eos, &c. Tempus prodidit memoriæ, quo admirabile Sacramẽtũ Dominus instituit, quemadmodum & Diuus Paulus 1. Cor. 11 cum sic scribit; [Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem,] &c. In qua nocte tradebatur hostibus, in ea se in cibum tradidit hominibus; Cum homines parabant illi mortẽ, ille illis parabat vitã; cum parabant amarã crucem, parabat illis cibũ dulcem; cum parabant fel, ille parabat mel. Verè in finẽ dilexit eos, dilexit inimicos, vt faceret amicos. [Dilexit suos, qui erant in mundo,] & qui manebant in mundo. Quia verò manebant in mũdo, cum illis voluit manere in eodẽ mundo. Ideoque Sacramentum instituit stupendũ, in quo maneret, sciens quia venit hora eius, vt transiret ex mundo, suosque relinqueret, Sacramentum effecit admirabile, vt & trãsiret ab oculis, & velo tectus maneret in oculis. In nuptijs Canæ Ioã 2. Matri petẽti vt vinum, quod deerat, suppeditaret, respondit; [Nondũ venit hora mea.] Nec dum venerat hora eius, vt aquã præludio quodam in vinum conuerteret, nec hora eius, vt multò mirabilius, panem in corpus, & vinum in sanguinem transmutaret. Fuit illud nuptiarum miraculum, huius summi miraculi, illa conuersio, huius admirandæ conuersionis, præludium quoddam. In nuptijs Canæ, id est, zeli (zelum enim significat nomen, Cana) illa facta est conuersio: in Ecclesiæ nuptijs, summo zelo, atque amore, hæc conuersio est peracta. In illa, aqua in vinum conuersa est, in hac panis, in corpus, vinum in sanguinem Christi est trãsmutatum. Illa viam ad fidem præmuniuit, vt ista crederetur, quamuis multò admirabilior. Turrianus tract. 1. de Eucharistia cap. 6. verba illa in Cana dicta, ad hanc conuersionem pertinere arbitratur, in hanc sententiam, [Nondum venit hora mea,] transmutandi vinum in sanguinem meum, & præbendi hominibus vinum mysticum, id est, sanguinem meum, omni vino dulciorem, ac pretiosiorem. [Nondum venit hora mea,] dixit in illa mensa; iam venit hora mea, dixit in hac cęna, [Sciens (inquit) quia venit hora eius,] &c. Illud miraculum in cęna patratum initium fuit miraculorum Christi, vt Ioannes ait cap. 2. [Hoc (inquit) fecit initium signorũ Iesus, in Cana Galileæ,] &c.

Cum cruce Christo parabant homines, epulum dulcissimum illis parauit Dominus.

1. Cor. 11.

Homines Christo fel parabant, Christus verò illis mel.

Ioan. 2. Interpretatio eximia verborum, nõdũ venit hora mea.

Conuersio aquæ in vinum, fuit præludium cõuersionis vini in sanguinem. Turrianus.

Ioan. 2.

Ad

Eucharistia miraculum summū fuit & finis miraculorum

At hoc summum Eucharistiæ miraculum non initium fuit miraculorū; sed in finem, veluti omniū miraculorum maximum reseruatum est; [In finē] (inquit) [dilexit eos:] ita vt illis in cibum, potumque se præbuerit, stupendo miraculo. In nuptijs illis ait spōso architriclinus: [Tu seruasti bonū vinum vsque adhuc,] &c. Idem nos Christo sponso Ecclesiæ dicere meritò possumus, Tu Domine bonum, imò optimum vinum, & suauissimum seruasti vsque adhuc, hoc est, vsque ad horam morti propinquam; [Sciens quia venit hora eius, in finē dilexit eos.

Extremo vitæ tempore, testamentum condunt qui è vita discedunt, dilectisque suis pretiosa legata relinquunt: sic Dominus extremo vitæ tempore testamentum condidit, & ijs, quos in finem dilexit, pretiosissimum reliquit legatum, quo nullum pretiosius esse potest. Pretiosius est omni auro, & gemmis, pretiosius terra cæloque, pretiosius Angelis, summisque Seraphinis. Quid enim pretiosius corpore, & sanguine Dei potest excogitari? Gen. 21. [Fecit Abraham grande conuiuium in die ablactationis Isaac,] &c. Ita Christus in die vitæ extremo, quo discipulos suos ablactabat, hoc est, suo conspectu mortali in corpore, veluti lacte priuabat, grande, & admirabile fecit conuiuium, in quo omnium donorum præstantissimum donum illis, nobisque legauit. Hæc sanè fuit hora eius, hora enim hominis liberalis illa est, qua liberalitatem exercet: exercuit hac hora Dominus summam liberalitatem: meritò ergo dicitur hora eius. Venerat in finem vitæ; in fine vitæ, dilexit in finem; & liberalis fuit in finem, inquam, donorum huius vitæ. Nam quod donum potest in hac vita hominibus dari maius ipsa Dei morte, corpore, & sanguine.

Pretiosissimū legatū Domini Eucharistia.

Gen. 21.

Liberalitas Domini.

In hac extrema hora, vitæque extremo tempore; [Sciens] (ait Euangelista) (quia venit hora eius, vt trāseat ex hoc mundo ad Patrem:) hoc est, vt exposuimus, sciens quia venit hora sui Paschatis, id est, transitus (Pascha, enim, transitum, significat) Pascha vetus comedit, quod typus erat: postea nouum Pascha instituit, id est, corporis sanguinisque sui Sacramentum, ac sacrificium; veritatēque, vt Chrysostomus ait homil. 83. in Matthæum, figuræ adiunxit, &c. Quemadmodum enim pictores, eadem in tabula picturas adumbrant, & colores superadijciunt: sic Christus eadem in mensa, & Sacramentum adumbrauit, cum Paschalem agnum manducauit, & veritatis colores superadiecit, cum seipsum non typicum, sed verum agnum in cibum potumque nobis tradidit. Euthymius Matthæi 26. (Sicut inquit) pictores in vna tabula, & lineas supponunt, & picturas adumbrant, & colores superinducunt, ac formant: ita quoque Christus in eadem mensa, & figuratiuum, ac vmbratile Pascha subscripsit, & verum, ac perfectū apposuit, &c. Sumpta similitudo est à Chrysostomo tom. 3. hom. de proditione Iudæ: Sicut (inquit) pictores pingendā tabulā quibusdam adumbrare vestigijs consueuerunt, & sic colorū varietate perficere; ita & Christus fecit in mensa & typum Paschę descripsit, & Pascha veritatis ostendit, &c. Figurę successit veritas, vmbram sol illuminauit. Vnde idem Euthymius eodem loco: Quia (inquit) cædes agni legalis cędē rōnalis agni præfigurabat, oportebat oīno vmbrā euanescere apparēte Sole, & figurā cedere aduenientē veritate, &c Diuus Leo sermone 7. de passione: Vt vmbræ (inquit) cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis antiqua; antiqua obseruantia nouo tollitur Sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalis festiuitas dum mutatur, impleatur, &cæt.

Christus veritatē figuræ adiunxit

Similitudo.

Euthymius

D. Chrysost.

Euthymius

Abscessit umbra adueniēte sole.

D. Leo.

Figuram, typumque Eucharistiæ fuisse Paschalem agnum Paulus indicauit 1. Corint. 5. (Pascha) (inquit) (nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur in azymis synceritatis, & veritatis,) &c. Epulabantur

1. Cor. 5.

Agnus Paschalis umbra fuit Eucharistia.

Iudæi cum agnum suum Paschalem manducabant: Christiani epulantur cum agnum suum, qui tollit peccata mundi, manducant. Illi agnum manducabant mense Nisan tempore verno, quo renouatur tellus, & florum amœnitate nitescit; hi quoque agnū suum manducare debent, verno tempore, non hyemali, hoc est, eo tempore, quo animus per se confessionē terra peccatorum hyeme expulsa renouatur, gratiæque, & virtutum veluti florum pulchritudine fulget: vnde Rupertus lib. 2. Exod Ipsa (inquit) mensis Nisan verna temperies, cū tellus refloreſcit, totusque post hyemē, quasi post senium, rursus iuueneſcit orbis: nonne sensatum hominem docet, quatenus spiritu mentis suæ renouatus, & fide viridis, speque lætus, & charitate floridus, spiritualibus agni Paschalis intersit epulis? &c. Iudæi agnum manducabāt post vernum Aequinoctium, cum diei lux aucta superare incipit tenebras; quod tempus indicat oportere Christianos post agni esum, in virtutibus progressum facere, gratiæ splendore accreſcente. Mensis Nisan, quo agnus immolabatur, Deut. 16. dicitur mensis nouarum frugum. (Obserua) (inquit) [mē sem nouarum frugum,] &c. fuit nāque mensis hic nouarum frugum, nouique panis; siquidem in eo præbuit nobis Dominus panem, qui de cælo descendit, admirabili nouitate stupendum. Nos verò sumpto cælesti cibo, oportet nouas fruges, bonorum operum, nouorumque morum proferre.

Pura conscientia Eucharistia sumenda.

Rupertus.

Deut. 16.

Manducabant Iudæi agnum in nocte, plena Luna; Christiani manducant agnum in nocte huius sæculi plena fide. Erat ille agnus sine macula, masculus, anniculus: noster agnus est non solum sine macula, sed omnes peccati suo sanguine abluens maculas: masculus, atque omni ex parte perfectus. Assus igne edebatur, agnus typicus, assus amore editur agnus verus. [Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igne:] præcipit Deus Exod 12. quia qui crudum, & amoris igne minimè inflammatum agnum considerat, quive aqua humana philosophiæ ipsum coquit, id est, humana tantum ratione Sacramentum expendit, tantā Dei in homines charitatem, ac largitatē non credit, huiusmodi sunt hæretici, vt est in Glossa ord. Omne quod subtiliter cogitamus, quasi mente coquimus: nihil ergo crudum ex agno comedimus, cum subtiliter eius amorem, & omnipotentiam gestaque, & dicta, mente fideli consideramus. Procul à mensa agni typici aberat fermentum, azymis solum panibus in ea locus erat. Procul quoque à mensa agni veri, id est, Christiano pectore, absit peccati fermentum, azymis puritatis tantum in ea locus sit, iuxta illud Pauli 1. Corint. 5. [Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri, aut in fermento malitię, & nequitiæ; sed in azymis synceritatis,] &c. Exod. 12. [Edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus;] Hebraicè, cum amaritudinibus. Azymis panibus adiunguntur amaræ, agrestesque lactucæ: lactucæ amaræ animi significant amarorem, ac pœnitentiam, quæ nequitiæ fermentum ab animo expellit; azymi panes synceritatem, ac puritatem indicant, mēsæ necessariam.

Exod. 12.

Azymi panes, synceritatem conscientia sine peccati fermento adūbrant.

1. Cor. 5.

Exod. 12.

Lactuca agrestes amaritudinem pœnitentia indicant.

Exod. 12.

Exod. 12. [Sic comedetis illum,] (addit Dominus) renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter; est enim phase] (siue Pascha) id est, transitus Domini, & transibo per terram Aegypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum, in terra Aegypti, ab homine, vsque ad pecus & in cunctis dijs Aegypti faciam iudicia, &cæt.

Sic comedendus est agnus Dei, accingendi sunt renes, castitatis cingulo, maximeque coercendi, juxta illud, quod sacerdos ac sacrum

Digitized by Google

-crum altare accessurus precatur, cũ sacro cingulo se præcingit;[Præcinge me Domine cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis, vt maneat in me virtus continentiæ, & castitatis, &c.] Quemadmodum legaliter immundi à mensa agni typici arcebantur; sic libidine sordentes à mensa Christi expelluntur. Pedes calceis muniendi sunt. Dictũ est suprà pedibus animi affectus signari, quibus anima veluti pedibus incedit; si pedes sanctis meditationibus, & virtutum habitibus, veluti calceis aduersus itineris spinas, serpentumque morsus, sunt muniendi. Præterea duo pedes animæ sunt intellectus, & volũtas, quibus graditur; Intellectum muniat fides, voluntatem ardens charitas. Baculus quoque sumendus est, id est, crux, non manibus, sed meditatione: nam cogitanda est Domini crux, & passio, cùm ad Eucharistiam accedimus; iuxta illud Pauli 1 Cor.11 [Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat, &c] Est præterea baculus fides firma. Quemadmodum vir imbecillis baculo eget cui innixus firmet gressus; sic nos quia admodum imbecillem habemus intellectum, fidei baculo indigemus, cui innitamur, intellectusque nostri gressus roboremus, iuxta illud hymni Ecclesiastici Diui Thomæ; [Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem, &c. Comedetis (inquit Dominus) festinanter, est enim transitus Domini, &c.] Non diu permanẽt in nobis sacramentales species panis, & vini, sed transeunt festinanter, quia est Pascha, id est, transitus Domini. Transit Dominus cum transeunt species, sed manet in nobis, & nos in illo per gratiam, & charitatem. Nunc comedimus festinanter, quia in via comedimus viaticum: in cælo non festinanter, nec in transitu comedemus, sed in æternum, quia iã in patria erimus. Nunc transit Dominus per terram Aegypti, percutit omne primogeni-

Affectus muniendi.

Pedes affectus mentis significant.

Baculus crucis sumẽdus, & fidei.

1.Cor.11.

Fides baculus.

Eucharistia idola euertit.

tum Aegyptium, omniaque idola Aegypti diruit; quoniã transitu suo, cùm eum dignè pectore excipimus, cupiditates effrenatas iugulat, mundanaq; omnia quæ veluti Idola chara habemus, prosternit. Magna illa femina Sunamitis 4. Reg.4. dixit ad virum suum de Eliseo loquens, [Animaduerto quòd vir Dei sanctus est iste, qui trãsit per nos frequenter: faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulũ, & mensam, & sellam, & candelabrũ, vt cum venerit ad nos, maneat ibi, &c] Hęc eadem facit magna anima, animaduertit, quòd vir sanctus, & Deus sanctus est, qui transit per eam frequenter, in speciebus Sacramenti; facit ergo ei cœnaculum paruum, id est, cor suũ humile illi præparat transituro. Ponit in eo lectulum charitatis, in quo quiescat: in charitate enim quiescit Dominus, vbi charitas non est, quietem non inuenit. Ponit mẽsam, & sellam, id est, virtutes alias, quibus pascitur, & oblectatur. Denique ponit meditationis candelabrum, quod cœnaculum totum suo cõplet splendore. Agni typici ossa non frãgebantur cùm edebatur Exo 12. [Nec os illius confringetis, &c.] Similẽ in modũ cùm noster agnus editur, eius corpus non cõfringitur, iuxta illud hymni. [A sumente non concisus, nõ confractus, nõ diuisus, integer accipitur &c.] Præterea Exod.12. [In vna domo comedetur] (ait Dominus) [neque efferetis de carnibus eius foras, &c.] Etenim agnus Dei in vna solum domo, i. Ecclesia editur, neque fas est extra Ecclesiam degentibus hominibus, augustissimum præbere Sacramentum. Nocte edebatur agnus, neq; licebat in lucem illius partẽ aliquam relinquere, Exod 12. [Neque remanebit quidquam ex eo vsque mane, &c.] Indicat hoc præceptum, Eucharistiæ Sacramentum tandiu celebrandum, quandiu nox huius sæculi, & status fidei durat. Cum verò matutinum æternæ gloriæ tempus, in die iudicij corporibus nostris illucescet, tunc non fore necessarium. Sic

4.Reg. 4.

Præparate animæ ad Eucharistiã cœnaculum magnũ charitate, paruum humilitate.

Christi corpus in Eucharistia nõ frangitur, sed species.

Eucharistia ad finem sæculi duratura.

typus

typus fuit Eucharistiæ Agnus Paschalis. Fuisse verò passionis quoque typum, suprà ostendimus libro 1. cap. 18. huius tomi. Libet hoc loco alteram quoque præcellentem Eucharistiæ vmbram addere, nimirum manna.

CAPVT VIII.

Morale.

De institutione Augustiss. Eucharistia.

Quid sit manna.

DE Mãna agitur Exodo 16. & Num. 11. Hebraicè appellatur, [Man.] cibus fuit, quo De⁹ Israeliticum populũ aluit in solitudine 40. annorum spatio, quousque ad terram promissam peruenit. Ortum nomen est ex interrogatione Israelitarum. Nam cum viderent Man, & quid esset, ignorarent, alij alios rogabant; [Manhu?] id est, [quid hoc?] Vnde nomen [Man,] & [Manna] emanauit. [Factũ est] (inquit Theodoretus) [vt interrogatio vicẽ nominis habuerit, &c.] & Card. Caietanus, [Interrogationis] (ait) [nota, versa est in nomen, &c.] Nonnulli [Man,] vocari putant, id est, [præparatũ] à verbo [Man] quod [præparare] significat, [numerare, & donare,] vnde alij vocari cẽsent [Man,] id est, [donum; [Oleaster verò arbitratur dici, [Man,] idest, [numerosum,] quod magno numero illius grana in terram descenderent, instar pluuiæ. Hæ omnes interpretationes, sacrosanctæ Eucharistiæ congruũt. Est enim [Man,] id est, [paratum à Deo; nimirum paratus hominibus à Deo cibus cælestis, paratus (inquam) in cœna extrema vt vidimus, Sapientiæ 16. [Paratum panẽ de cælo præstitisti illis, &c.] Est etiam donũ Dei præcellentissimum, quo in cælum discessurus dilectissimam spõsam suam Ecclesiam donauit. Vnde summus Pontifex Vrbanus in Clem. de reliq. & vener. sanct. lib. 3. Transcendens (inquit) omnem plenitudinem largitatis, attribuit seipsum in cibum, &c. Præterea stupendum hoc mysterium, adeò stupendum est, vt meritò exclamare possimus: Manhu? Quid est hoc? Deus sub panis, vinique speciebus homini se tradit edendum? O rem omni stupore dignissimam! Profecta est ex ignoratione, illa Israelitarũ interrogatio; [Quid est hoc?] rogabant. At nostra interrogatio, non ex ignoratione oritur; sed ex admiratione. Non licet ignorare; siquidem satis superque interrogationi respondit Christus: rogatis, [Quid est hoc? Hoc est corpus meũ; Hic est sanguis meus, &c.] Satis superq; Ecclesia, Patresque omnes ab initio Ecclesiæ responderunt. Rogant nihilominus adhuc hæretici: Quid est hoc? quid sit, adhuc ignorant, quia hæresi obcæcati, quid sit nõ vident. Oculos enim fidei eruit hæresis, quibus verum Christi corpus, verusque cernitur sanguis. Sed pergamus.

De nomine manna. *Sap. 16.* *Vrbanus.* *Eucharistia manna.* *De Eucharistia rogant hæretici, manhu? quid est hoc.*

Quale fuerit Mãna, docet Scriptura; colore album fuit, Coriandri granis simile, vel illis granulis, quę [Alio far,] nominamus, & simile pruinæ delicatum panem sapore referebat, imbutum melle. Exod. 16. [Appellauit domus Israel nomen eius Man, quod erat quasi semen Coriandri album, gustusque eius, quasi simile cum melle, &c.] Item, [Apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ, super terram, &c.] Erant enim Manna grana minuta, & similia granis tritici pilo tusi, ac decorticati, similia quoque pruinæ albæ. Duritiæ aliquid habebat, quocirca in mortario terebatur, deinde coquebatur in oll, afiebãtque ex eo tortulæ quædam, saporis veluti panis oleo permixti. Num. 11. [Erat Man, quasi semen Coriandri, coloris bdellij.

Exod. 16. *Quale fuerit manna.* *Num. 11.*

bdellij. Circuibatque populus, & colligens illud, frangebat mola, ſiue terebat in mortario, coquens in olla & faciens ex eo tortulas ſaporis, quaſi panis oleati, &c.] Sed iam Exo. 16. dictum erat habuiſſe ſaporem ſimilæ cum melle. Habebat igitur ſaporem & olei & mellis. Sapien. 16. omnes ſapores continuiſſe legitur. [Panem de cælo (ait Sapiens) præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem. Subſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat; & deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat conuertebatur, &c.] Continebat ergo manna ſapores omnes, vt Auguſtinus etiam docet epiſt. 118. In populo (inquit) vnicuique manna ſecundum propriam voluntatem in ore ſapiebat, &c. Chryſoſtomus in hom. cui titulus eſt, Quod nemo læditur niſi a ſeipſo: Hæc (inquit) fuit natura mannę, cibus quotidie nouus & ſaporem ſui pro deſiderio veſcentium ſubminiſtrans, &c. Diuus Hieronymus Pſalm. 147. Quidquid (inquit) volueris ex ſermone diuino naſcitur, ſicut tradunt Iudæi, quoniam manna quando comedebant, ſecundum voluntatem vniuſcuiuſque ſic ſapiebat in ore, ac ſi dixiſſet: Qui manna comedebat, ſi deſiderabat mala, ſi pyrum, ſi vuam, ſi carnes, ſecundum qualitatem, & voluntatem comedentis, ita & ſapor in manna erat, &c.

Omnes ſapores manna continebat. D. Chryſ. D. Hieron.

Sed quæritur; Num ſapores hi communes eſſent non ſolum iuſtis, ſed etiam impijs? ſi enim impij quoque in manna quemcunque cupiebant ſaporem experiebantur, cur de illo detrahebant. Num. 21. illis verbis [Anima nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo, &c.] Leuiſſimum appellant cibum, & ſuper eum nauſeant, neque verò nauſearent, neque leuiſſimum cibum appellarent, ſi omnes in eo ſapores paratos haberent. Reſponderi poſſet, tentatis hominibus, cælum (vt aiunt) videri cæpam: homineſque illos a dæmone tentatos cibum in quo ſapores omnes experiebantur deſpexiſſe; quod illos ſapores, nō ex granis, ſed ex rebus ipſis, quibus natura ipſa inſunt, vellent percipere; verbi cauſa, ſaporem gallinæ ex gallina in patina conſpecta, ſaporem perdicis, ex perdice in menſa collocata, ſicque aliarum ſaporem rerum. Veriſimilius tamen exiſtimatur improbos Iſraelitas in manna ſolùm ab Angelis inſitum ſaporem, & naturalem panis oleati, & ſimilæ cum melle percepiſſe: illos verò alios ſapores, quos Deus per miraculum efficiebat, minimè expertos eſſe. Idque confirmatur, quia Deus dicitur in his ſaporibus filijs ſuis dilectis dulcedinem ſuam oſtendiſſe; at impij filij non erant dilecti. Sapientiæ 16. [Dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebas, & deſeruiēs vniuſcuiuſque voluntati, &c.] Probatur quoque ratione ſupra poſita, quod ipſum manna improbi deſpexerint. In hac ſententia eſt Abulenſis, Numer. 11. quæſt. 16. Lyranus, & alij. Diuus Gregorius libro 6. moral. cap. 9. Manna (inquit) omnis ſaporis ſuauitatem in ſe habuit, quod videlicet in ore ſpiritualium, iuxta voluntatem edentium ſaporem dedit, &c.

An ipſi omnes ſapores in mãna experirentur. Num. 21.

Tentati hallucinantur.

Veriſimilius eſt impios non guſtaſſe in mãna varios ſapores ſicut pij. Sap. 16.

D. Greg.

Fiebat cibus hic ab Angelis, ideoque panis Angelorum vocatur Pſal. 77. Sapores autem illos varios Deus vel in ipſum manna inducebat, per miraculum, vel certè in guſtatu Iſraelitarum producebat, nulla facta mutatione in manna. Fiebat in aere, & ex ipſa aeris materia, idcirco panis cæli, id eſt, ex aere miſſus dicitur, veluti pluuia, Pſal. 77. Mandauit nubibus deſuper, & ianuas cæli aperuit, & pluuit illis manna ad manducandum. Panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo, &c. Poteſt etiam dici Panis Angelorum, id eſt, Angelicus cibus, & præſtantiſſimus panis. Neque verò ſolum ex aere manna deſcendebat; comitabatur illud ros, Exod. 16. [Manè ros iacuit per circuitum caſtrorum, cumque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſū, in ſimilitudinē pruinæ, &c. id eſt,

Cur dicatur manna panis Angelorum. Cur dicatur manna panis Chriſti.

Pſal. 77.

Cum manna ros deſcendebat. Exod. 16.

Digitized by Google

id est, cum ros terram operuisset, apparuit manna. Num. vndecimo. [Cum descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter, & Man, &c. Abulensis Num. 11. & Lyranus Exod. 16. putant rorem, siue pruinam, propterea prius ex aere defluxisse, ne in terram caderet manna, sed rore exciperetur. Rabbi Salomon putauit primum ex aere pruinam manna, ita vt manna super pruinam cadens, rore tegeretur; nam Numer. ex Hebræo sic legitur: [Cum descenderet ros super castra, descendebat super eum manna, &c. Ergo super rorem, siue pruinam manna defluebat. Rursus Exod. decimo sexto, ex Hebræo legitur [Manè fuit operimentum operis, &c.] ergo ros operiebat, siue tegebat manna. At superfluum videtur hoc roris operimentum. Verba verò Exodi decimo sexto sensum habent, quem expressit noster interpres, qui sic vertit [Cum ros operuisset faciem terræ] Non igitur operiebat manna, sed terram ros, tunc apparebat manna minutum quasi pilo tusum.

Num. 11.

Nocte descendebat per circuitum castrorum, maneque colligebatur a populo antequam sol exoriretur; Solis namque ardore liquefiebat, Exod. decimo sexto [Mane ros iacuit in circuitu castrorum, cumque operuisset faciem terræ, apparuit minutū, &c.] Item, Colligebat manè singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum, cumque incaluisset Sol liquefiebat, &c. Sapient. 16. Quæ ab igne non poterat exterminari, (id est, manna) statim ab exiguo radio Solis calefactū tabescebat, &c. Singulis diebus præter Sabbatum ex cælo defluebat, colligebantque Hebræi cibum in singulos dies, & erat ille panis quotidianus. Colligebat autem vnusquisque in diem quantum gomor capit, quæ mensura erat decima pars Ephi, idque Deus præceperat, Exod. 16. Neque qui plus collegerat, habuit amplius, neque qui minus parauerat, reperit minus, &c. Denique hoc pane aluit Deus Israeliticos, quousque in terrā peruenirent promissam, Iosue 5

Sole liquefiebat manna

Sap. 16.

Gomor mēsura manna colligenda.

A Augustissimæ Eucharistiæ habemus egregiam vmbram, siue typum. Vnde Paulus primo Corinth 10. Manna escam appellat spiritualem: Omnes (inquit) eandem escam spiritualem manducauerunt, &c. Corporalis esca erat; spiritualis tamen dicitur quia typus erat Christi. sic ad Rom. septimo, lex spiritualis appellatur; quia, vt Tertullianus ait libro quinto contra Marcionem, figura erat, & B prophetia rerum futurarum. Panis cæli dicitur Manna Psalmo 77. & Sapientiæ decimo sexto, dicitur paratus de cælo panis; sic Eucharistia verè panis cæli est, & ex cælo, iuxta illud Domini Ioannis sexto. Hic est panis descendens, &c. Panis est de cælo, & ducens in cælum. Est etiam panis Angelorum: non propterea, quod ab Angelis conficiatur, vt olim manna. Nulla enim vel Seraphinorum C potestas, hunc panem conficere potest, cuius confectio omnem creatam superat potestatem, increatamque postulat omnipotentiam. Sed panis Angelorum est, quia illo vescuntur Angeli, aliter tamen, ac nos: illi absque specierum inuolucris Christo perfruuntur; nos sub speciebus latente pascimur. Quia homines sub speciebus pascit hic panis, ideo hominibus illius conficiendi admini-D strantem potestatem Deus tradidit. Quamuis enim diuina omnipotentia Sacramentum conficiatur; sacerdotibus tamen administrantibus conficitur: sapor mannę dulcis erat simile cum melle, & oleo; quid Eucharistia suauius? Quodnam mel dulcius est? quodnam oleum blandius? dulcitudinem continet cælestis mellis, cælestis panis; & olei, id est, diuinæ mi-E sericordiæ saporem suauissimū exhibet. De Eucharistia præcipuo sensu a Sapiente verba illa dicta sunt, cap. decimo sexto. Panem de cælo præstitisti illi (id est, populo tuo) sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem, substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat, &c. Verè ostendit Christus in Eu-

Manna cur dicatur esca spiritualis.

1. Cor. 10.

Rom. 7.

Tertul.

Ioan 6.

Manna typus Eucharistia.

Sap. 16.

Digitized by Google

Eucharistia dulcedinem suam, & amorem dulcissimum, quo filios cōplectitur suos: suo illos nutriens corpore, & potans sanguine, cibumque illis prębens omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Rideo Poetarum fictum Nectar, rideo commentitiam Ambrosiā. En tibi verum nectar, en veram ambrosiam; si experiri dulcedinem hāc vis, terrenos sapores dulcedinesque sperne, cælestium rerum esto cupidus. Nec omnes Israelitæ, varios, suauesque in manna sapores percipiebant, sed probi solum: nec omnes Christiani ter maximi Sacramēti eximiam dulcitudinem percipiunt, sed ij solum, qui virtutem colunt, atque sectantur.

Non omnes dulcedinem Eucharistiæ percipiunt.

Nocte descendebat in castra manna Hebræorum: sic in hoc statu fidei, in quo veluti per caliginem noctis, multis fulgentibus syderibus, Deum videmus, in castra Ecclesiæ manna descendit Christianorum. Postquam in terram promissam ingressus est populus Hebræus, manna ex cælo minimè descendit: eundem in modum, postquam in cælestem patriam fuerit intromissus populus Christianus, cælestis Sacramenti manna minimè descendet. Nec manna typicum populo Hebræo dabatur Sabbato: nec mānna verū populo Christiano dabitur, cùm æternum Sabbatum, id est, æterna requies aduenerit. Cum descendebat manna, descendebat pariter & ros. Cur ita? quia cum descendit in pectus nostrum Christus, descendit pariter ros gratiæ. Eucharistiæ enim Sacramentum comitem habet magnam gratiam. Quod si ros manna excipiebat, priusque descendebat, quam manna; admonemur, vt ad hoc Sacramentum gratia diuina exornati accedamus. Gratiæ ros, non peccati turpitudo illud excipiat, prius descendat per confessionē ros gratiæ, postea descendat manna sacrosanctum. Eandē mensuram colligebant omnes Hebræi. [Neque qui plus collegerat, Exod. 16. habuit amplius, neque qui minus parauerat, reperit minus] Nonne hoc quotidie in augustissimo cernitur Sacramento. Qui paruam specierum particulam suscipit, nonne tantum suscipit, quantū is, qui magnam sumit hostiam? Neque qui plus colligit habet amplius, neq; qui minus percipit, reperit minus. Lege Rupertum lib. 3. in Exodum cap. 17. Erat manna Coriandro simile: coriandri autē partes. vel minimæ, si ipsum diuidatur (teste Philone lib. 2. Allegoriarum legis) terræ mandatæ, sic germinant vt integrum coriandrum: similiter in Eucharistiæ Sacramēto tantum germinant, tantumque fructus proferunt paruæ specierum partes, quantum hostiæ integræ. Abulensis Exod. 16. existimat antequam descenderet Manna, primo missum a Deo ventum, qui superficiem terræ purgaret, posteà pruinam, ipsumq; Manna esse secutum. Quod de vento ait incertum est in Manna Hebræorū; certum in Manna Christianorum. Etenim antequā in pectus hominis descēdat Christus si aliquæ in ipso pectore criminum sordes hærent, flatus emittitur Spiritus sancti, quo per confessionem expurgetur. Iuxta illud Io. 20. [Insufflauit, & dixit eis, accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.] Idem Abulensis eodem capite 16. Exodi, quæst. 8. ait Manna ita fuisse sanum, vt Hebræorum corpora, ne aliqua ægritudine tabescerent, conseruaret. Idipsum in Eucharistia reperitur: Manna est, quod animi sanitatem conseruat, peccatique ab ea depellit ægritudines.

Eucharistia est viaticū, in via datur.

Eucharistia dat gratiā.

Exod. 16.

Totus Christus est sub parua specierum particula.

Philo.

Cōfessio præcedit Eucharistiam.

Ioan. 20.

Eucharistia animam sanat.

Denique Manna sapore præstantissimum despexerunt multi ex Israelitis, Aegyptique, porros, cæpas, & allia illi interposuerunt. Numer. 11. Recordamur piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cæpæ, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man, &c.] En tibi hominum illorum imaginē, qui Aegypti, hoc est mundi porris, cæpis, & alliis oblectantur: quiq;

Eucharist. deuotionem efficit.

augu

augustissimi Sacramenti admirabilem dulcitudinem minimè curant, terrenarum rerum falsa dulcitudine inescati. At illi, qui mundanis rebus remiserunt nuntium, Aegyptique porros, cæpasque, atque allia fastidio habent, ex cælesti manna, miram capiunt voluptatem. [Anima nostra arida est;] aiebant illi, qui Manna fastidiebant, cibosque Aegypti appetebant. Eorum verò animas adumbrabant planè esse aridas, & deuotionis succo carentes, qui mundi escas concupiscunt, seque cælestis Sacramenti ambrosia, ac nectare minimè pascunt. Anima autem illorum, qui frequenter dulcissimo perfruuntur cibo, sicut adipe repletur & pinguedine, iuxta illud Psalmi sexagesimi sexti. [Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, &c.] In templo antiquo voluptatem Domini videre cupiebat Dauid Psalmo vigesimo sexto [Vnam (inquit) petij a Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini, & visitem templum eius, &c.] Sic probi viri in templum nouæ legis voluptatem Domini, quæ in augustissima est Eucharistia, videre, atque experiri desiderant, omnibus diebus vitæ suæ. Vnum hoc cupiunt, & petunt a Domino, vt habitent ad mortem vsque in domo Domini, id est, Ecclesia Catholica, vt visitent templa sancta eius, & ea voluptate, dulcedineque quam in Sacramento exhibet, perfruantur. Cant. 5. inuitat Ecclesia antiqua Christum, vt in hortum suū veniat, & poma sua carpat, atque edat. [Veniat (inquit) dilectus meus in hortum suum, & comedat fructū pomorum suorum] fructus enim, qui in horto Ecclesiæ sunt, poma Christi sunt. Respondet Dominus [Veni in hortum meum soror mea sponsa; messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo, & bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi, &c.] Venit in hortum suum Dominus, id est, in

Eucharistia deuotionē efficit.

Adipe, & pīguedine repletur spiritualis anima, quæ Eucharistiam frequentat. Psal. 26.

Voluptas tēpli Dei.

Cant. 5.

Inuitamur ad Eucharistiam.

A synagogam, plenum reperit myrrha, hoc est, tormentis, & doloribus; Messuit myrrham suam, hoc est, messuit tormenta, dolores, ac opprobria: [cum aromatibus suis,] id est, cum multis, infinitisque meritis, ac donis; multa enim nobis messuit merita, & dona pretij infiniti. Antequā myrrhæ amaritudinem demeteret, conuiuium exhibuit dulcissimum. [Comedi (ait) fauum cum melle meo;] B hoc est, corpus meum dulcissimum, ipse comedi sub specie panis, conuiuisque comedendum apposui, quod fauo melle referto est simile, & bibi vinum meum cum lacte meo: hoc est, bibi sanguinem meum sub specie vini cum lacte meo: quia vinum hoc, & vinum est, & lac. Instar vini sobriam affert, & sanctam ebrietatem, hominumque corda lætificat, iuxta illud Psalmi trecentesimi tertij. [Et vinum lætificet cor hominis, &c.] C Instar lactis innocentes dolo, crimineque carentes conuiuas nutrit. Addit. [Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi,] &c. Amicos & charissimos inuitat; est enim hoc conuiuium amicorum, & charissimorum. His ait, [Comedite, & inebriamini,] hoc est, sancta quadam ebrietate capti; a mundi curis, & cupiditatibus ad cælestia abstrahimini, D inebriamini amore meo, ita vt extra vos rapti in me diuinam quandam vitam traducatis. Psalmus trigesimus quintus. [Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, &c. Psalmus vigesimus secundus. [Calix meus inebriatus, quam E præclarus est.

CA-

CAPVT IX.

Morale.

De Augustissima Eucharistia.

POstquã Paschalem agnum comedit cũ discipulis Dominus, antequam à typo transiret ad veritatẽ, à cœna surrexit, albo linteo præcinxit se, misit aquam in peluim, discipulorumque pedes lauit. Adumbrauit hac re, id quod facturus erat. Nam paulò post veluti candido linteo præcinxit se; cum sub candidis speciebus panis se collocauit. Misit non aquã in peluim, sed sanguinem suum in calicem vt discipulorum suorum, id est, Christianorum lauaret animos. Ipsa verò pedum ablutione ante Eucharistiæ institutionem docuit nos, nonnisi lotis animis tantum mysterium percipiendum; [Si non lauero te] (ait Petro) [non habebis partem mecum, &c.] Similem in modum, si hominem crimine aliquo inquinatum per confessionem priùs non lauerit, non habebit ille in Sacramento partem cum illo. Postulat hoc Sacramentum mundissima omnia, templa, altaria, linteos, vasaque, animos præcipuè. Si non est fas immundo vase Eucharistiàm excipere, nũquid fas erit excipere immundo pectore? Absit. [Mundamini, qui fertis vasa Domini:] ait Isai. 52. Si mundari necesse est eos, qui ferũt vasa Domini, quanto mundiores eos esse oportet, qui excipiunt, ac ferunt corpus Domini? Matthæi cap. 5. [Si off rs] (ait Christus) [munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, &c.] Sicut is, qui fratri non est recõciliatus, prius reconciliari iubetur, quàm munus offerat; ita is qui Deo non est reconciliatus, prius cum Deo in gratiam redire præcipitur, quàm cæleste donum percipiat. Augustinus sermone 252. de tempe. Si ad mensam (inquit) cuiusque potentis hominis, nemo præsumit cum vestibus cõscissis, & inquinatis accedere, quãto magis à conuiuio æterni Regis, id est, ab altari Domini, debet se vnusquisque inuidiæ, vel odij veneno percussus, iracundiæ, vel odij veneno percussus, iracundiæ furore repletus subtrahere, propter illud, quod scriptum est: [Vade priùs reconciliari fratri tuo, &c.] Iudam immundum Sacramento priuauit Dominus, quoniam ab immundis Sacramentum augustissimum non est sumendum. Quòd si iuxta alteram opinionem, Iudæ, cuius peccatum occultum erat, Sacramentum præbuit; scelerato Iudæ similes sunt, qui immundi ad Eucharistiam accedunt. Audiant illi Chrysostomum hom. 83. in Matthæum: Nullus (inquit) impuro an mo sicut Iudas panem assumat, ne similia patiatur, &c. Matthæi 7. [Nolite] (ait Dominus) [dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, &c.] Canes immundi, porcique, homines sunt sceleribus contaminati; ijs sanctum non est dandum Christi corpus. Margarita illa fulgentissima omne superans pretium ante hos porcos mittenda non est. Exodi 19. & ad Heb. 12. [Si bestia tetigerit montem, lapidabitur, &c.] Mons celsissimus est altare, in quod veluti in montem Sinai, Deus descendit: ergo si bestiæ similis improbus homo ad montem, id est, altare accesserit, vt Sacramentum sumat, lapidatione dignus est. Exodi 19. antequam Dominus descenderet in montem Sinai, dixit Moysi: [Vade ad populum, sanctifica illos hodie, & cras, lauentque vesti-

Sanguine suo Christ° homines lauit.

Matth. 5.

D. August.

Matth. 7.

ad Heb. 12.

Exod. 19.

vestimenta sua, & sint parati in diem tertium. In die enim tertia, descendet Dominus coram omni plebe, super montem Sinai, &c.] Parare iubet Dominus populum, & sanctificare, lauare iubet vestimenta, cùm in montem Sinai est descensurus; docet videlicet, animos esse præparandos aliquot diebus, sordesque mentium abluendas, antequàm in pectus nostrum descendat.

Mũditiam animi magnam flagitat Eucharistia.

Sancta sanctis.

In Græcis liturgijs, clamat diaconus, [Sanctus sanctis; etenim sancta Eucharistiæ mysteria, sanctos flagitant conuiuas. Hos inuitat Christus Cant. 5. vt suprà diximus, inquiens: [Comedite amici, & inebriamini charissimi, &c.] Chrysostomus legendus homilia 17. ad Hebræos. Homilia verò 61. ad populum Antioch. Diaconus (inquit) acclamat sanctos vocans, &c. Item: Sublimis constitutus, magna voce, terribili clamore, quasi quidam præco, manum in altitudinem tollens, stans erectus, omnibus apparens, & exclamans, hos quidem vocat, hos autem arcet, &c. Et infrà; cum dixerit: [Sancta sanctorum] (vel, sancta sanctis) hoc dicit, si quis non sanctus, non accedat. Non simpliciter dicit, à peccatis purus, sed sanctus. Non peccatorũ tantum liberatio, verum, & spiritus præsentia, sanctum facit, & bonorũ operum diuitiæ. Hæc Chrysostomus. Lege Diuum Gregorium lib. 2. Dialog. capit. 23. quo refert sanctimoniales quasdam fœminas, excõmunicatas, post mortem clamante Diacono, in templo permanere non potuisse, forasque visas exire. Et Diuũ Cyrillum libro 12. in Ioannem cap. 50. Idcircò (inquit) & accedentibus ad benedictionem mysticam, ministri mysterij magna voce clamant; [Sancta sanctis:] solis sanctificatis spiritu tantũ, & sanctificationé corporis Christi, significantes, &c. Danielis capite primo: [Constituit eis Rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino vnde bibebat ipse, &c.] Quibusnam? pueris, vt idem Daniel ait, [In quibus nulla erat macula, decoris forma, &c.] Eundem in modum cælestis Rex, annonam, cibum, vinumque pretiosissimum constituit, quibusnam? ijs in quibus nulla est criminis macula, quique formam habẽt animæ decorem, id est, gratiæ pulchritudine præditam. Chrysostomus homilia indicata: Si Rex (inquit) Babylonius ex captiuitate deligens adolescentes pulchros specie, & decoros aspectu sumpsit: multò magis, & nos sanctæ mensæ assistentes regiæ, specie pulchros esse decet, aureum animæ mundum habentes, vestem puram, decorum animæ cultum aureum ipsius ornatum, &c. Lucæ 15. [Pater prodigo filio vitulum occidit saginatũ,] qui vmbra est Christi omnibus bonis plenissimi in Sacramento Eucharistiæ, vt Ambrosius docet; Occiditur (inquit) vitulus saginatus, vt carnem Domini spiritali opimam virtute, per gratiam Sacramenti mysteriorum consortio restitutus, epuletur, &c. At non accubuit mensæ filius, antequam pœnitentiam ageret, veniamque à patre deprecaretur & stolam primam reciperet. Quæ res indicat Eucharistiæ mensam in prodigo, improboque homine pœnitentiam, & stolæ gratiam flagitare, illãque nuptialem vestem, qua carens, & in nuptiale epulum intrans in carcerem mittitur, Matthæi 22. [Ligatis manibus, & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores, &c.]. De prodigo filio agens Tertullianus libro de pudicitia capite 9. Recordatur (inquit) Patris Dei, satisfacto redit, vestem pristinam recipit, annulum quoque accipit, atque ita exinde opimitate dominici corporis vescitur, Eucharistia scilicet. Hæc ille. Augustinus sermone primo de temp. Mutet (inquit) vitam, qui vult accipere vitam. Nam si non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam, &c. Mutauit vitam prodigus, antequam vitulum ederet saginatum; porcos, quos pascebat, reliquit; sic mutet vitam, qui Christum suscipere vult, immundos porcos, immundaque desideria deserat.

D. Chrysost. *D. Gregor.* *D. Cyrillus.* *Dan. 1.* *D. Chrysost.* *Luc. 15.* *Ambr.* *Euchari-stiã debet pœnitentia præcedere.* *Matth. 22.* *Tertull.*

Iob 3.

Digitized by Google

Iob 3. Iob 3. [Antequam comedam] (inquit) [suspiro, & tanquam inundātes aquæ, sic rugitus meus, &c.] Sic homo scelere contaminatus, antequam comedat panē cælestem, suspiret præ dolore, & tanquā inundantibus contritionis lacrymis, animū proluat. Ante peccatum sine sudore pane suo vesceretur Adā; at postquam se obstrinxit crimine Gen 3. audit; [In sudore *Genes. 3.* vultus tui vesceris pane tuo, &c.] Qui nullius sibi criminis cōscius est gratiaq; Dei prædictus, contritionis, & cōfessionis sudore non indiget vt comedat panē suum; at qui in scelus aliquod lapsus est, in sudore vultus sui comedat. Matth 27 [Accepto corpore Ioseph inuoluit illud in sindone munda, &c.] Sindonē mundam conscientiā mundam significasse ait Nyssenus Greg. ad Olympiū: Probet (inquit) seipsum homo, (ait Paulus.) eandē significationem videtur Euangelista confirmasse, cum passionis tempore, Ioseph munda sindone inuoluens Domini corpus in nouo, & puro monumento posuit. Quamobrē, & Apostoli præcepto, & Euangelistæ obseruatione cōmonemur, vt sanctum Domini corpus pura conscientia suscipiamus, &c. Ioseph in sindone munda, & monumento mundo Christi posuit corpus; nos in conscientia ponamus munda, & in pectore, cordeque mundo. Augustinus sermone 252. de tempore: Nunquid est aliquis, qui in arca sordibus plena velit mittere vestem suam? & si in arca sordibus plena, vestis non mittitur pretiosa; qua fronte in anima, quæ peccatorū sordibus inquinatur, Christi Eucharistia suscipitur, &c. Chrysostomus homil. 83. in Matthæum, gladium in viscera illum ait immittere, qui impura conscientia sumit sacrosanctam Eucharistiam; sic ille monet sacerdotes: Omnes (inquit) pellamus, quos indignè accedere videmus. Corpus Christi etiam hæc multitudo est, quare cauendum tibi est, qui hæc mysteria ministras, ne Dominū irrites, corpus hoc non purgando, ne acutum gladium pro cibo præbeas, &c. Nonne vides indigne sumentes acutum sibi ensem in præcordia condere? Ipse verò Chrysostomus mortem se potius subiturum affirmat eadē homilia, quam permissurum quenquam indignū cælesti mensæ accumbere. Animam (inquit) prius tradam meam, quàm dominicum alicui corpus indignè: sanguinemque meum effundi potius patiar, quam sacratissimum illum sanguinem præterquam digno concedam, &c. Corpus Christi mysticum, ait ille, esse multitudinem Christianorum, ad Eucharistiæ mēsam accedentium. Hoc corpus mysticum, simile esse oportet corpori Christi naturali. Corpus Christi naturale puritate incredibili, & sanctitate præditū est, infinitoque interuallo ab omni peccati impuritate distat: simili modo corpus mysticum, quod corpus sumit naturale, castitate, & virtute excellat longeque ab omni crimine seiunctum sit; candorem imitetur illarum specierum panis, sub quibus corpus naturale exhibetur. Candidæ sunt species & panis non fermentati, sed azymi, omni fermento carentis; sic candidæ sint animæ, candida castrate corpora, & ab omni nequitiæ fermento aliena, quæ sacræ mensa accumbunt Matthæi 26. ait Dominus; [Apud te facio Pascha cum discipulis meis, &c.] Cum discipulis suis, synceris, ac cōscientię puritate nitentibus, Pascha facit Christus. Quicunque ergo cum illo Pascha vult facere, discipulus illius sit purus, atque immaculatus. Vnde Chrysostomus homil. 83. citata: Nullus (inquit) Iudas adsit; Qui discipulus non est, secedat, qui tales non sunt, ab hac mensa excluduntur. Cum discipulis (inquit Christus) meis facio Pascha Sic ille.

Matth 27. *Nyssenus.* *Munda sindon, munda consciētia.* *D. August.* *D. Chrysos.*

Corp⁹ Christi mysticū est multitudo Christianorū ad Eucharistiā accedentium. *Species ī Eucharistia cādidæ sunt et non fermentatæ; sic anima sit casta & sine peccato.* *Matth. 26.* *D. Chrysos.*

Præparationem ad hoc Pascha eximium docet nos Dominus, vt suprà vidimus, rogarunt discipuli Dominum: [Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? &c.] indicat interrogatio hæc necessariam esse ad hoc Pascha præparationem. Quosnam quæso ad præparandum misit? Lucæ 22. [Misit Petrum, & Ioannem,

Præparatio ad sumidā Eucharistiam. *Luc. 22.*

Digitized by Google

nem. Petrũ misit cui posteà cælorum claues trãditæ sunt; & Ioannem cuius nomen gratiam sonat: nimirum, quia hominem ad comedendum sanctum Pascha, Petrus Dei clauiger, id est, confessarius, claues cæli habens, parat, & Ioannes, id est, gratia, vita animæ. Nam Sacramentum hoc viuorum est, non in peccato iacentium mortuorum. Quocirca necessaria gratiæ vita est, vt dignè sumatur; Paret ergo hominem Ioãnes, id est, Dei gratia, quæ Petri, id est, confessarij claues cælestes comitatur. Audiamus quid prętereà dicat Christus Luc. 22. [Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam, amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum in quam intrat, &c.] In domo illa facit Christus Pascha in quam intrat aqua; etenim vbi aqua non est, in primis Baptismi, deinde post Baptismum lacrymarum, hoc est, contritionis pro criminibus susceptæ, ibi nõ facit Christus Pascha. Addit Dominus: Paterfamilias [ostẽdet vobis cœnaculum magnum stratum, &c.] Volue quæso mente quale cœnaculum postulet tantum Sacramentum. [Cœnaculum] (inquit) [magnum, & stratum.] Magnum cęnaculum flagitat, adeò amplum vt non dilectos solum, & diligentes discipulos capiat, verùm etiam hostem Iudam; hoc est, cor postulat charitate ita amplificatum, vt non solum amicos, sed etiã inimicos amore prosequatur. Stratum prætereà omnibus cæli tapetibus oportet esse hoc cœnaculum, hoc est, omnibus virtutibus ornatum, mundum, & absque criminum sordibus.

Luc. 22.

Cœnaculũ Eucharistiæ ad omnes pertinet & venientes omnes recipit, si digni sunt.

Accubuit mensæ Christus, & antequàm Sacramentum institueret, verba illa amore plenissima protulit: [Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscũ, &c.] Quæ egregiam nos docent præparationem. Magnum animi cœnaculum atque stratum, Christi desiderijs æstuantissimis præparandum est; nam desideria parant hominem ad suscipiendũ Deum desideratum. Diuus Thomas p. part. quæst. 12. art. 6. Desiderium (inquit) quodammodo facit desiderantem aptum, & paratum, ad susceptionem desiderati, &c. Ergo flagrantissimis desiderijs Christum desideret, qui ad mensam sacram vult accedere, frequenterque Domini verba repetat; [Desiderio desidero hoc Pascha manducare tecum Domine,] vtinam mihi sit Pascha, id est, transitus à virtute in virtutem; tibi verò sit mansio in corde meo in sempiternum. Hæc ardẽtia desideria, passionis dominicæ memoria comitetur, & inflammet, iuxta illud Domini: [Hoc facite in meam commemorationem,] & illud Pauli 1. Cor. 11. [Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat, &c.] Quotiescunque ergo panem hunc cælestem manducaueris, Domini mortem, opprobia, cruciatus, commemora, & considera, diuinique amoris flammas in te excita hac consideratione, quibus diuinum excipias sacrificiũ. Quemadmodum enim antiquæ legis sacrificia igni imponebantur; sic ter maximum nouæ legis sacrificium, amoris igni est imponendum. Hic verò ignis noster, Christi igne illo est inflammandus, quo incensus diros pro nobis subijt cruciatus; ignis enim cordis nostri crucis ligno, & incenditur, & pascitur.

Sãcta & ar-dentia desideria animũ parant. D. Thom.

Passionis memoria.

1. Cor. 11.

Denique accedentes ad sacrã mensam id præstent, quod Paulus iubet 1. Cor. 11. [Probet] (inquit) [seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudiciũ sibi manducat, & bibit, &c.] hoc est, exploret homo seipsum, an crimine aliquo sit inquinatus diligenter inquirat, confessione animũ expiet, & sic edat. Theodoretus in Paulum: Tui (inquit) ipsius iudex, vitam tuã exactè iudica, conscientiã scrutare, & examina, & tũc donum suscipe, &c. Probet seipsum homo, velut aurum in fornace, quidquid habet scoriæ, abijciat. Probet seipsum homo, quia cibum mãducat viuum; [Ego] (inquit Ioan. 6.) [sum panis

1. Cor. 11.

Theodoretus.

Probet seipsum homo ad Eucha-

panis viuus, &c.] panis hic viuus edẽtem edit; Probet igitur seipsum homo, an viui panis palato sit idoneus videat; saporem afferat dulcẽ gratiæ, non amarum peccati. Geneseos 27. ait Isaac filio Iacob; [Cum venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer, vt comedam, & benedicat tibi anima mea, &c.] Vide quod dicat Iacob filio [Fac inde pulmentum mihi, sicut velle me nosti, vt comedam] Ita Christus ijs qui ad eius veniunt conuiuium: Facite (ait) mihi ex corde vestro pulmentum, sicut velle me nostis dulce, delectabileque palato meo, quod fidem sapiat, humilitatem, charitatem, virtutesq; reliquas. Facite cibum sicut velle me nostis, secundum voluntatem meam, hoc est, secũdum palatum meum: vt Poeta dixit lib. 14. Apophor. 110. Coquus domini sui debet habere gulam; id est, debet cibos eo modo coquere, quo vult dominus; sic nos cor nostrum, quod cibus est Christi Domini nostri, ita debemus parare, vt ille expetit. Si sic paremus, gratiæ benedictionem impertiet: [Fac (inquit) pulmentũ sicut velle me nosti, vt comedam, & benedicat tibi anima, &c.] Cibos insulsos, & malè coctos reprobat conuiua; ideo coquus cibos probat ne reprobentur. Probet seipsum homo, ne reprobetur: [Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, &c.] O horribilem manducationem! iudiciũ sibi manducat homo is, qui seipsum non probat, hoc est, manducat damnationem; immortalitatis antidotum, illi vertitur in venenum, cibus vitam mundo præstans illi immundo vertitur in mortem. Nã vt est in hymno Ecclesiastico; augustissimum Sacramentum [mors est malis, vita bonis.] Additur in eodẽ hymno, [vide paris sumptionis, quam sit dispar exitus.] Par quidem sumptio est externa; vt enim ore sumunt boni, sic & mali, at longè diuersa est sumptio interna. Mali malè, boni bonè sumunt bonum summum; malis bonum affert magnum bonum, hoc est, gratiam, æternamq; vitã, fitq; illud Ps. 17. Cum sancto sanctus eris, cũ peruerso peruerteris, &c.] Nam cũ sancto, qui sanctè sumit Sacramentum, Sanctus est Dominus, sanctitatemque illi impertit; cum peruerso, qui peruerso, & inquinato animo sanctæ accumbit mensæ, peruertitur, hoc est, in mortẽ illi vertitur. Iudicet ergo se homo, ne iudicetur; iudicium prius in se exerceat, ne manducet iudicium. [Si nosmetipsos dijudicaremus (ait Paulus eadem epistola prima, eodem capite 11.) non vtique iudicaremur;] id est, puniremur a Deo. Dixerat autem eos, qui indignè Eucharistiam sumũt a Domino puniri. [Ideo (inquit) inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi, &c.] hoc est, quia indignè ad mensam Domini acceditis, ideo inter vos multi sunt imbecilles, & infirmi, & somno mortis multi opprimuntur. Si ergo salutem corporis, vitamque diligimus; animo a vitijs mortiferis expurgato. Eucharistiam sumamus, ne vel morborũ, vel mortis acerbo supplicio a Deo mulctemur. Supplicium autem huiusmodi sumit Deus misericors, vt qui corpus Domini peccato inquinati suscipiunt, pœnitentiam agant tanti sceleris. Quamobrem ait Paulus; [Cum iudicamur a Domino corripimur, vt non cum hoc mũdo damnemur, &c. hoc est, cum punimur a Deo corripimur, Græcè, παιδευόμεθα, idest, erudimur temporali supplicio, vt pęnitentiam agamus, & cum hoc mundo, id est, cum impijs, sempiterno supplicio non afficiamur. Pacianus in Parænesi ad pœnitentiam. Si quis (inquit) futura non metuit, vel præsentem ægritudinem, præsentemque obitum reformidet; cum iudicamur (inquit Apostolus) a Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Lætare peccator si in hoc sæculo, aut morte interciperis, aut languore consumeris, ne puniaris post sæculum. Intellige quantum sceleris admittat, qui ad altare venit indignus, cui pro remedio computatur, cum aut morbis laborat, aut morte dissoluitur: hęc ille.

Gen. 27. *Psal. 17.* *Vita est bonis sacramentũ Eucharistia, mors verò malis.* *Temporale supplicium, pœnitentiã operatur.* *Pacianus.* *Diuersa, & inæqualis sorte mali, & boni sumũt Eucharist.* *Magnũ scelus indignũ accedere ad altare.*

Gen.14. [Melchisedech proferens panem, & vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei,] id est, Abrahamo, &c. Protulit panem, & vinum Melchisedech Sacramenti huius typum, deditq; Abrahamo victori, postquam de hostibus triumphum reportauerat: eundem in modum, sacerdotes Dei non victis, & peccatorum catenis obstrictis, sed victoribus, augustissimam Eucharistiam præbẽt, postquam de peccatis omnibus reportant victoriam. Manna Hebræis datum est, postquam mare rubrum cunctos hostes demersit; sic cæleste Eucharistiæ Manna, Christianis exhibendum est, postquam crimina omnia lethalia contritionis, confessionisque fluctibus oppressa fuerint. Nemo nisi ieiunus Eucharistiam sumit, vt enim ait Augustinus epistola 118. placuit Spiritui sancto, vt in honorẽ tãti Sacramẽti in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi, &c. Si Eucharistiam non nisi ieiunus a peccato eandem accipiat. Ester 7 ad conuiuium regis Assueri vocatus venit Aman, sed in ipso conuiuio lautissimo, quia scelere magno erat contaminatus, mortem reperit: sic Christiani improbi, in splendidissimo Christi summi Regis epulo, animi inueniunt mortem, si crimine aliquo mortifero inquinati discumbunt. Munda dicitur Eucharistiæ oblatio Malachiæ cap.1. [In omni loco offertur nomini meo oblatio munda, &c.] Munda oblatio, munda omnia flagitat, templa munda, altaria munda, vasa munda, pectora munda. Psal.2. pro verbis illis [Apprehendite disciplinam:] Diuus Hieronymus vertit: [Adorate purè:] si adorandus est Christus pure, multo maiori ratione sumendus est purè, adorandus purè sumendus purissime.

Eucharist. sumi debet a ieiuno. D. Aug: In Eucharistia sumenda os a cibo, sed cor a peccato magis sit ieiunum.

Malach. 1.

Psal.2.

CAPVT X.

Morale.

De Augustissima Eucharistia.

POstquam Dominus lauit Apostolorum pedes, animumque abluendum esse docuit, antequam mẽsæ sacræ accumbãt conuiuæ, rursus ad mensam reuersus, terræ, cæloque stupendum Sacramentum instituit. Albo linteo præcinxit se, misitq. aquã in peluim, vt discipulorum pedes ablueret: in mensam reuersus, præcinxit se, ac tinxit alio linteo, admirabili nempe specie panis candida, & misit nõ aquam in peluim, sed sanguinem suum in calicem vt mundaret, & super niuem Christianos suos dealbaret, iuxta illud vatis Psal 50. [Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor. Accipiens panem, verbo illum in suum corpus transmutauit, dicens. [Hoc est corpus meum] similiter accipiens calicem vinum in suum sanguinem conuertit dicens[Hic est sanguis meus, &c.] Verbo cuncta condidit Verbum diuinũ initio mundi, nunc verbo etiam admirabile Sacramentum confecit. Vnde Diuus Ambrosius lib. quarto de Sacramentis capite quarto. Sermo (inquit) Christi hoc conficit Sacramentum: nempe sermo is, quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & factum est cælum, terra, maria: iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides quam operatorius sit sermo Christi, [Ipse dixit, & facta sunt.] Non erat ante consecrationem corpus Christi, sed post consecrationem dico tibi, quod iam corpus est Christi. Ipse dixit,

Psal.50.

Verbũ Dei verbo cuncta condidit et verbo Eucharistiam confecit. D.Ambros.

dixit, & factum est, &c, & hymnus Ecclesiasticus [Verbum caro, panem verum, verbo carnem efficit: fitque sanguis Christi merum, &c.] Potentiā suam maxime verbum diuinum ostendit, cum condidit ex nihilo mundum verbo; eandem ostendere voluit, cum stupendum hoc Sacramentum verbo confecit, quod diuinam potentiam maxime demonstrat. [Quis loquetur potentias Domini,] ait vates regius Psal. 105. idem nos dicimus: Quis loquetur potentias Domini, quas in Sacramento hoc ostendit? quæ lingua, quæ eloquentia fando complecti poterit potentiæ Dei in hoc Sacramento mirabilia.

Psal. 105.

[Introibo in potentias Domini] ait idem vates Psal. 70. Qui enim vult de maiestate tanti Sacramenti cogitare, in potentias Domini necesse est vt introeat, ne cogitando succumbat mirabilibus, ac deficiat. Pelagus profundum est hoc Sacramentū, in cymbam introeamus potētiæ Domini, ne submergamur. [Introibo (inquit) in potentias Domini:] introibo in thesauros potentiæ Dei, infinitos esse videbo, in quibus tot continentur diuitiæ, quot nullo intellectu comprehendi possunt. Ex his suæ potētiæ thesauris eduxit Deus cælos admirabiles ex his Seraphinos, Cherubinos, Angelorumque multitudinem penè infinitam: ex his Solem, Lunam, stellas, ex his terram tot ornatā plantis, herbis, floribus, ex his flumina, maria, pluuias, ex his fulmina, ventos, furibundas procellas, ex his homines animantiaque reliqua emisit; ex his stupendum hoc Sacramentum cæteris omnibus operibus numeratis præcellentius, stupendum in modum nobis tradidit; ipse dixit, & facta sunt omnia, ipse dixit, & factum est hoc augustissimum Sacramentum. Qui in potētia Dei intrat, credit; qui non intrat, vt hæreticus, perit. Non sunt (inquit Chrysostomus, homilia 60. ad populum Antiochenum) humanæ virtutis, hoc est, potentiæ, opera proposita. Qui tunc ipsa fecit in illa cęna, idem ea nunc quoque facit, &c. Panem

Psal. 70.

Potētia Dei maximè ostenditur in Eucharistia

Operibus cūctis Dei, præstat Eucharistia.

D. Chrys.

Angelorum manducauit homo olim, hoc est Manna, quod panis Angelorum appellatur, vt ait Theodoretus Exod. quæstione vigesima nona: propterea quod Angelorum ministerio datum sit. Manna efficiebant Angeli, nunquid efficere etiam possunt hoc Sacramentum? Minimè. Non tanta est, vel supremorum Seraphinorum potentia. Potuere illi Manna efficere Hebræorum; solus Deus sacerdotum ministerio, manna potest efficere Christianorum. In cœna extrema illa hoc Manna effecit; quæ omnes superauit mensas, tum conuiuis, tum ferculis. Mensas alias reperies, in quibus Reges discumbant, aut Imperatores, virique alij nobiles, ferculaque magni pretij discumbentibus apponantur. At verò in mensa hac, ipse Deus regum omnium, atque Imperatorum Dominus discumbit, discumbuntque cum illo summi illi terræ principes, de quibus Psal. 44. dicitur [Constitues eos principes super omnem terram, id est, Apostoli. Vides quales sint conuiuæ? Fercula conuiuis apposita, omnia superant fercula, omnes superant creaturas, omnem superant eloquentiam, Deus ipse ferculum est, Deus ipse cibus est. O rem stupendam. Neque verò mensæ reliquias nobis reliquit Dominus; sed cibum eundem, atque integrum, quem summis terræ Principibus, id est, Apostolis apposuit, nobis quoque apponit. Chrysostomus loco citato: hæc (inquit) est illa mensa; & minus nihil habet, &c. Nihil habet nostra mensa minus, quam illa, in qua recubuerunt in cœnaculo Apostoli; idem integerque cibus in nostra est, qui in illa fuit; idem huius effector est Christus, qui illius, eadem omnipotentia hanc mensam parat, qua parauit illam.

Cœna illa omnes superauit cœnas & mensas.

Psal. 44.

D. Chrys.

Quis Christum in tam parua collocat hostiæ quantitate? Dei omnipotentia. Quis illum in tot locis simul collocat? Dei omnipotentia. Quis absque subiecto accidentia sustinet? Dei omnipotentia. Quis panē in corpus, vinum in sanguinem conuer-

uertit? Dei omnipotentia, cui facillima factu sunt omnia, quæque intellectum nostrum infinito transcendit interuallo. Non adeo miror, quod diuinitas Domini tam paruo sit in loco: quia diuinitas cum in toto sit orbe, locum minimè occupat, & in puncto est: sic Angeli, quia spiritus sunt, sic animi nostri, quia locum minimè complent, minimo in loco omnes adesse queunt. Illud miror, quod humanitas, quæ quantitatem habet, locumque exigit; sub tam parua hostiæ quantitate contineatur: sed mirari desino, cum Christi considero omnipotentiam; qua hoc Sacramentum conficitur. Non adeo miror, quod diuinitas multis in locis simul sit; est enim suapte natura in locis omnibus: miror quod humanitas tot in regnis, prouincijs, oppidisque in Sacramento adsit; sed si omnipotentiam Dei aspicio, facillimum hoc illi esse iudico. Miror quod species illæ Sacramentales, cum accidentia quædam sint, subiecto nulli inhæreant; sed ad omnipotentiam animum verto, hæc aliaque multa, quæ intellectus humani aciem superant, illi possibilia esse video. Miror, quod Deus, cuius infinita est maiestas, hominibus se voluerit in cibum tradere. Hic iam non in omnipotentiam, sed in amorem, oculos animi conijcio.

Diuinitas vbique est.

Omnipotentia Dei fit, vt humanitas sit in Eucharistia.

Omnipotentia Dei fit, vt species sint sine subiecto.

Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur, Maiestas, & amor, dixit Poeta. Maiestatē suppressit amor, bonitas illa immensa hominem sic dilexit in finem, vt cibus illorum esse voluerit: vt verò esse posset, maiestatis splendorem velo, id est speciebus panis, & vini occultauit: videor mihi videre verum Moysem è Monte descendentem facie splendidissima; sed propterea splendorē velo obtegentem, quod Israelitæ illius radios ferre non possint. Exod. 34. & 2. Cor. 3. obtegebat velo splendidam faciem Moyses; obtegit multò splendidiorem vultum Christus velo specierum vt possit esse cibus hominum. O amorem, bonitatemq; inauditam Esther 1. Rex Assuerus fecit magnum conuiuium, vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui, ac magnitudinē, & iactantiam potentiæ suæ, &c. Sic Christus Rex regum fecit grande conuiuium, vt ostenderet non solū diuitias omnipotentiæ suæ, sed & amoris erga homines. Vnde Concilium Tridentinum sess. 13 cap. 2. Saluator (inquit) noster in Sacramento hoc, diuitias diuini sui erga homines amoris velut effudit, &c. Vrbanus sūmus Pontifex in Clement. hunc Christi amorem exuberantem; Volens (inquit) Christus suam exuberantem charitatem præcipua liberalitate monstrare semetipsum nobis exibuit, &c. Præterea vocat amorem transcendētem, Transcendens (inquit) omnem plenitudinem largitatis, &c. Vocat amoris excessum; Excedens (inquit) omnem modum dilectionis, attribuit seipsum in cibum, &c. Exuberans ergo amor in hoc Sacramento cernitur, transcendens amor, & omnia excedens. Exæquauit amorem Dei donum: amor infinitus donum dedit infinitum. Deus dedit seipsum, dedit, inquam, seipsum, vt hominem vniret sibi. Vnit enim per Sacramentum amor.

Bonitas, & amor Christi ostenditur in Eucharistia.

Exod. 34. Moyses vero tegebat splendorem.

Esther 1.

Conc. Trid.

Vrbanus.

Amor Christi transcendens.

Vniuit sibi Deus humanam naturam vnione magna similitudinis. Gen. 2. [Creauit Deus hominem ad imaginem suam, &c.] Vniuit vnione gratiæ, & amoris; vniuit vnione maxima idest, vnione hypostastica. His vnionibus minimè contentus, amor aliam inuenit vnionem, nempe, sacramentalem. Chrysostomus homilia 61. ad populum Antioc. Propterea (inquit) seipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperauit, vt vnum quid efficiamur tanquam corpus capiti coaptatum. Ardenter enim amantium hoc est, &c. Exclamat Iustinianus in libro de ligno vitæ cap. 6. O charitas, quam magnum est vinculum tuum, quo Deus ligari potuit, &c. Potuit charitatis vinculum incarnatum Deum columnæ, & cruci alligare, cum immortalis erat, & versabatur in orbe terrarum. Postquam verò immortalis in cælum ascendit, potuit

Amor per Sacramentū vnit nos Deo

D. Chrysost.

Vnit nos Christo Eucharistia.

Iustinianus

Amor Christi.

Digitized by Google

potuit eadem charitas illum speciebus sacramentalibus veluti alligare; quandiu enim species sacramentales durant, sub illis est Christus veluti ligatus dulci, voluntarioque amoris vinculo. Cant.7. verba: [Sicut purpura regis vincta canalibus, &c.] Septuaginta Interpretes vertunt: [Rex ligatus in transcursibus, &c.] Rex hic, Christus est: ligatus verò dicitur [in transcursibus,] i. in speciebus panis, atque vini, per quas ad nos transcurrit. Triumphat de Deo amor: dixit alicubi Bernardus. Equidem de Deo triumphat amor in hoc Sacramento, veluti curru regio. Nonne triumphat amor de Deo, cum Deũ sub speciebus modici panis, ac vini veluti alligat? Quid Sacramentum hoc est, nisi eximium quoddam diuini amoris Trophæũ? Cant.2 [Ordinauit in me charitatẽ, &c.] Ordinat dux exercitum in hostes, vt illos vincat, sibique subijciat: summus verò dux Christus, instar exercitus, charitatẽ ordinat, non in hostes, sed in amicos in hoc Sacramento, vt illorũ affectus penitus vincat, & in potestatem redigat. Est hoc Sacramentum celsa turris nostri Dauid, in qua ipse adest, charitatisque exercitum in nos ordinat, eoque cor nostrum oppugnat? O vtinã penitus expugnet. Act.14 aiunt Paulus, & Barnabas. [Non sine testimonio semetipsum reliquit Deus benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra, &c.] Non sine testimonio reliquit semetipsum Deus; Deum enim esse testatus est operibus, nimirum pluuijs, terræ fructibus, ciborumque copia. Neque sine testimonio reliquit amorem suum; amare se homines hoc Sacramento abundè testatus est; est enim Sacramentum hoc diuini amoris testimonium omni exceptione maius. Verè cum Paulo dicere possumus: Non sine testimonio reliquit amorem suum Deus implens cibo, & lætitia corda nostra, &c. Nam cælesti hoc cibo corda implet Deus, lætitiaque cumulat. Itaque vt suum testaretur amorem, itemque vt suam testaretur omnipotentiam, augustissimam Eucharistiam instituit Christus.

Cant.7.

Triumphus amoris Dei in Eucharistia.

Cant.2.

Act.14.

Testimoniũ amoris Dei Eucharistia

Prætereà vt memoriam excitaret nostram, omnemque obliuionem beneficiorum Dei à Christiano pectore pelleret, [Hoc] (inquit) [facite in meam commemorationem.] Ps 110. [Memoriam fecit] (ait vates) mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timẽtibus se, &c.] Eucharistiæ Sacramentũ memoria est, siue memoriale stupẽdum mirabilium Christi. Mirabilia autem Christi illa maximè fuere, quæ pro hominibus pertulit opprobria, ac tormenta. Mirabile fuit Deum incarnatum alapas tolerare, mirabile tolerare ignominias, & verbera, mirabile tolerare crucis mortem, plenam dedecore. Horum mirabilium memoriale est Sacramentũ, iuxta illud Pauli; [Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat, &c.] In fine orationis epilogum facit orator, habenasque laxat affectibus: sic Dominus in fine vitæ, mirabilium suorum admirabilem fecit epilogum, affectuique suo, id est, amori habenas laxauit, cum in Eucharistia veluti epilogo, memoriam mirabilium suorum nobis reliquit. Non indiget ille nostra memoria; sed tamen meminisse nos vult acceptorum beneficiorum, amoremque in nobis illorum recordatione vehementer excitare. Filijs Israel super flumina Babylonis sedentes, filiæ Sion obliuisci nequeunt; iuxta illud Psal. 136. [Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus dum recordaremur tui Sion. Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui; si non propoluero Ierusalem in principio lætitiæ meæ, &c.] Quid par est nos facere super flumina sedentes sanguinis Christi? Equidem par est dominicam passionẽ memoria sæpiùs repetere, sanguinem pro nobis fusum frequenti recorda-

Psal.110.

In Eucharistia memoriam fecit Dominus suorum mirabilium.

Psal 136.

tione, atque amore venerari, Christumque in principio lætitiæ nostræ ponere. Ordinarii glossa, & Card. Hugo Christo illa accommodant verba Thren.3. [Recordare paupertatis meæ, & transgressionis meæ, absynthij,& fellis, &c.] Recordare ò Christiane (ait Dominus) paupertatis,quam pro te pertuli, & transgressionis, id est, descensus mei è cælo in terram; recordare absynthij, & fellis,hoc est,passionis meæ amarissimæ. Vt verò recorderis, memoriale tibi reliqui, videlicet stupendum Sacramentum, quod ea quæ pro te perpessus sum, in memoriam semper tibi reuocet. Quid ad hæc respondebit vir probus? Audi illum eodem loco respondentem: [Memoria] (inquit) [memor ero, & tabescet in me anima mea,&c.] Non obliuiscar tui Domine, memoriale tuum semper ante oculos proponam, viuet semper in me, atque vigebit tuorum memoria mirabilium: adeò verò vigebit, vt tabescere faciat mundo animam meam, mundique cupiditatibus. Memor ero tui, mundi verò penitus obliuiscar: tabescent in me mundi desideria, tabescet mundi amor, cæli verò desideria, semper virescent, perpetuaque beneficiorum tuorum memoria irrigatus florebit amor tuus.

Thren 3.

Memoria Christi.

Cant.2.

Cant.2. [Vox dilecti mei: Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles,similis est dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorũ. En ipse stat post parietem nostrũ respiciens per fenestras,prospiciens per cancellos &c.] Vox (inquit sãcta anima) dilecti mei; illa videlicet vox; [Hoc est corpus meum.] Vbi primum vox hæc,dilecti mei,in altari sonat,mox ille admiranda velocitate adest, venit veluti saliẽs in montibus, & transiliens colles,hinnuloque similis, ac capreæ velocissimæ. En stat in Sacramento absconditus, veluti post parietem nostrum; nihilominus diuinis oculis videt nos, sed non videtur: Veluti per fenestras cancellatas cernit Deus absconditus, & non cernitur. Ad Sacramentum deinde vocat animam,sequitur; [En dilectus meus loquitur mihi; surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea,& veni. Iã enim hyems transijt,imber abijt,& recessit,flores apparuerũt in terra nostra. columba mea in foraminibus petræ in cauerna maceriæ,ostende mihi faciam tuam, &c.] Surge (inquit Dominus) propera ad Sacramentum, amica mea, colũba,& formosa. Amicas enim oportet esse animas ad Eucharistiæ conuiuium accedentes, oportet esse formosas,gratiæ præditas, decore. oportet esse columbas, in fide simplices, Dei arcana nimia curiositate minimè perscrutantes, oportet virtutum vernis floribus esse ornatas, peccatorũ hyemali frigore,atque imbribus repulsis: ideoque additur; [Iam hyems] peccatorum [transijt,imber abijt,& recessit;] virtutum flores verni [apparuerunt,in terra nostra.] Denique oportet colũbas esse in foraminibus, hoc est,in vulneribus Petræ Christi, & in cauerna maceriæ,id est,latere eius nidulantes, passionemque illius animi gemitibus meditantes. Vnde sequitur; [Columba mea in foraminibus Petræ, in cauerna maceriæ,&c.] Iudith cap. 16.] Vniuersa vasa bellica Holophernis,& conopœum,quod ipsa sustulerat de cubili ipsius,obtulit in anathema obliuionis,&c.]hoc est,obtulit in donarium,& oblationem contra obliuionem tanti beneficij, ac victoriæ à Deo Israelitis concessæ de Holopherne. Vel, obtulit ad anathematizãdam obliuionem Sic Christus obtulit corpus, sanguinemque suum in anathema obliuionis: summus Pontifex feria quinta cœnæ Domini scelera nonnulla committentes, anathematizare solet; Eadem feria quinta in cœna summus Pontifex Christus anathematizauit obliuionem, cùm Sacramentum Eucharistiæ instituit in anathema obliuionis, fecitque memoriam mirabilium suorum. Excommunicata ergo sit obliuio tanti beneficij, nemo illam domo, id est, animo recipiat, sed recipiat memoriam mirabilium Dei, & illius comitem amorem. Vt enim Christus obliuionem ana-

Deus in Sacramẽto vi-

Iuxta per cancellos cernit & stat post parietem.

Memoria Christi.

Iudith 16.

Beneficiorũ recordatio.

anathematizauit, ita Paulus in eum, qui amore Christi caret, anathema dixit, 1. Cor. 16. [Si quis] (inquit) [nō amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema,] &c. Beneficijs Ecclesiasticis sæpe pensiones imponit Pontifex: Deus vero omnibus suis beneficijs duas apponit pensiones, alteram memoriæ siue gratitudinis, alteram operum bonorum; vnde Seneca lib. 2. de beneficijs capit. 22. Qui gratè (inquit) beneficium accepit, primam eius soluit pensionem, &c. Prima igitur pensio est beneficij grata memoria, quæ animo, verbisque ostēditur. Captiuitate Aegyptiaca magnis editis miraculis Israelitas liberauit Deus; tanto beneficio pensionem subiecit memoriæ: idcirco enim Paschalem agnum iussit annis singulis immolari, & cū lactucis agrestibus, azymisque panibus, comedi: vt tanti beneficij recordarentur. Manna illis è cælo misit; pensionem apposuit aduersus obliuionem, Exod. 16. [Imple] (inquit Dominus) [gomor ex eo, & custodiatur in futuras retrò generationes, vt nouerint panem, quo alui eos in solitudine,] &c. Cum verò homines ex Tartarea redemit seruitute; eandem commemorationis pensionem postulauit: [Hoc] (inquit) [facite in meam commemorationē.

1. Cor. 16.

Seneca.

Beneficijs additur pensio gratitudinis.

Exod. 16.

In mensa eadē duo illa nocte memorialia extitere: alterū vetus veterū nouū noui Testamenti. Memoriale vetus Testamēti veteris, agnus fuit Paschalis, cuius esus vetus beneficiū in memoria reuocabat. Memoriale nouū Testamenti noui, nouū Sacramentū fuit, quod nouū passionis Christi beneficiū ante mentis oculos ponit. [Hoc] (inquit) [facite in meā cōmemorationē.] Hoc fit nouū Testamenti noui memoriale. Ex manna iussit Deus seruari mēsurā gomor, vt nō solū manna, sed beneficij quoq; memoria in vase seruaretur: at ex nostro māna non mensurā aliquā, vel partē seruari iussit, sed totū nobis manna reliquit. Per quadraginta annos Angeli, manna illud antiquū ex aere effecerūt, postea ab efficiēdo destiterūt: at noui manna, id est Sacramenti effectores Angeli, hoc est, sacerdotes, ab eo conficiendo nunquā desistent, quandiu mundi hæc machina steterit. In cœnaculo Ierosolymitano summus Sacerdos Christus nostrum manna confecit: exacti sunt anni plurimi, nec aliquando defecit, neque deficiet omnino, ad diem vsq; Iudicij. Non reliquit Dominus manna suum, in mensura gomor; sed sine mensura, omniam temporum, omniumque tradidit potestatem. Non dixit discipulis: [Implete gomor ex eo:] quod dixit Moysi, [vt custodiatur in futuras retro generationes, vt nouerint panem quo alui eos in solitudine,] &c. sed dixit: [Hoc facite in meā commemorationem,] &c. Stupendamque potestatē tradidit, stupendum conficiendi Sacramentum. Vt meminerint omnes generationes, illius immensæ charitatis, qua incensus, cruciatus acerbos, opprobrioq; plenam mortem subijt. Spartanus dux, Leonides olim suos milites ita prandere iussit, vt recordarentur, se apud inferos cœnaturos: at summus Imperator noster, ita nos iubet cælestem cibum sumere, vt mortis eius recordemur, ac victoriæ, & præclaræ alterius cœnæ sumendæ apud superos.

Memoriale veteris Testā. et memoriale noui.

Eucharistiā nō reliquit Christus in mēsura gomor. sed sine mēsura locorū, & tēporū sit durat.

Eucharistia iis cibus arra est cælestis & futura vitæ.

Differt hoc memoriale ab alijs longissimo interuallo. Memoriæ causa extruunt homines Trophæa, statuas, imagines, superbaque ædificia: omnia tamen hæc mortua quædam sunt memorialia, quæ ipsum quem memoriæ produnt, minimè continent. Augustissima verò Eucharistia memoriale est admirabile, non mortuum, sed viuum, ipsum Christum continens, cuius est memoriale. Illi quos memorialia reliqua, in memoriam reducunt, vel vita iam sunt functi, vel alijs in locis degunt: is quem sacrum memoriale indicat, viuus est, & in ipso adest memoriale à quo indicatur. Memoriale sub oculos cadit: ille sub memoriali latet. Non posset memoriale memoriā nobis afferre, nisi sensibile esset, quia per sensus res in intel-

Memoriale Christi, cōtinet Christū.

Sub sensibili datur intelligibile.

tellectum memoriamque nostram intrant; nec posset memoriale esse Domini, nisi ille lateret: Nam si cerneretur præsens, memoriali non indigeret. Itaque habemus in hoc Sacramento rem sensibilem, videlicet Sacramentales species; & rem intelligibilem, quæ non oculis, sed intellectu, fideque percipitur, nempe corpus, sanguinemque Christi. Quoniam enim (ait Chrysostomus homilia 83. in Matthæum) anima conserta est, in sensibilibus, præbet nobis Dominus intelligibilia, &c. Cant. 6 [Descendi in hortum nucum,] &c. Hortus hic nucum Ecclesia est, in qua Sacramentum nuci simile est. In nuce dulcis nucleus non cernitur, in Sacramento Christus non videtur. Qui vult edere nucleum, nucem frangit; eundem in modum, qui vult edere panem viuum, species frangat, frangat, inquã, intellectu, ac fide, suauissimumque nucleum omni melle dulciorem reperiet. Cernamus ergo oculis species visibiles, inuisibilem verò Christum sub illis absconditum magna fide suscipiamus, veneremur, diligamus, illiusque memoria animum afflictum consolemur, ac reficiamus. Ecclesiastici 49. [Memoria Iosiæ in compositionem odoris facta, opus pigmentarij, in omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini,] &c. Si de Iosiæ Regis memoria hæc dicuntur, quid de memoria Christi Regis Regum dicere par erit? Equidem memoria Christi quam nobis affert augustissima Eucharistia, omnes odores, omnia mella, omnem superat musicam. Si odore suaui animum cupis reficere, si sapore dulci, si musica delectabili, in memoriam Christum reuoca. Multo enim magis memoria Christi, quam memoria Iosiæ ex mille virtutum odoribus compositum est; in omni ore memoria eius quasi mel indulcatur; similis musicæ est suauissimæ, conuiuio sanctissimę Eucharistiæ. Memoriam autem hanc comitetur gratiarũ actio: id quod ipsum Eucharistiæ nomen nos docet. Eucharistia enim Græcum nomen, gratiarũ significat actionē. Christus cum Sacramentũ confecit, gratias egit, Lucæ 22. [Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis: dicens,] &c Nos quoque cum Sacramentũ idē suscipimus, immortales Deo gratias, & habeamus, & agamus. Legendus Chrysost. hom. in Matth. Optima (inquit) beneficiorũ custos, est ipsa beneficiorum memoria, & perpetua gratiarum actio. Propterea & reuerenda, ac salutaria, illa mysteria, quæ in omni Ecclesiæ cõgregatione celebramus, Eucharistia, id est, gratiarũ actio, nuncupatur. Sunt enim beneficiorũ recordatio plurimorum, caputque ipsum diuinæ erga nos charitatis ostendũt, nosque faciunt debitas Deo gratias semper exoluere, &c.

D Chrysost. *Cant. 6.* *Fides.* *Eccl. 49.* *Memoria Christi suauissima est.*

CAPVT XI.

Morale.

De augustissima Eucharistia.

INstituit, vt diximus Dominus Eucharistiæ maximũ Sacramentũ, vt omnipotentiam suã, amoremque erga homines demonstraret; præterea vt passionis suæ memoriale nobis relinqueret. His addendæ sunt aliæ rationes.

Prima est: Comparauit suo sanguine Christus eximium in terris regnum, videlicet Ecclesiam: cuius rex ipse est sempiternus. Regem autem in regno oportet habere sedem, neque vero decebat Christum Deum in suo regno sic habere sedem, vt omnibus conspicuus esset, quod infra

Cur Christus in Eucharistia Sacramẽto m.. nere voluerit.

Christus Rex in regno Ecclesiæ mansit.

frà docebimus ad illa verba; [Vado ad eum, qui misit me; ideoque Sacramentum instituit, in quo in regno maneret suo, sed specie veluti peripetasmate tectus, iuxta illud Matthæi vltimo; [Ecce ego vobiscũ sum, vsque ad consummationem sæculi, &c. Sum (inquit) vobiscum, idest, ero in meo regno, quod profuso acquisiui sanguine, vsque in finem mundi, non solùm secundùm diuinitatem, sed etiam secundùm humanitatem. Etenim Rex est regni Ecclesiæ non solùm vt Deus, sed etiam vt homo. Oportebat ergo secundùm vtramq; in eo manere naturam; oportebat quoque in cœlum ascendere, & in cœlo ad dexteram Patris sedere. Vtrumque factum est: in cęlum ascẽdit, ad dexteram Patris sedit; in regno terrestri mansit in Sacramento velut Throno stupendo, pręsentiaq; sua ex terra nobis cęlum fecit, vt Chrysostomus ait, 1. Cor. homi. 24. Dum (inquit) in hac vita sumus, vt terra nobis cęlum sit, facit hoc mysterium, &c. De Throno Salomonis scriptum est 3. Reg. 6. [Non est factũ tale opus, in vniuersis regnis,] &c. Idipsum de mirabili Christi Throno, idest, Sacramento, verissimè potest affirmari Non est factus talis Thronus, qualis est Eucharistiæ Sacramentum, in vniuersis regnis Nullus terræ rex, aut Imperator tam mirabilem habere potest sedem: sedes hæc filius Dei sedes est. [Thronus eius sicut Sol,] Psal. 88 Equidem Thronus hic, in quo Christus summus Rex in regno suo manet, Soli similis est, quẽadmodum enim Sol orbem, ita hoc Sacramentum totam Ecclesiam illuminat: radijs fulgentibus orbem calefacit Sol, radijs amoris ardentibus Ecclesiam incendit Eucharistia; rebus corporeis vitam impertit Sol; animis spiritalibus æternam vitam impertit Eucharistia. Sol in sterquilinia cloacasq; intrat, nihil tamen immunditiæ recipit; Eucharistia aliquãdo in pectora sterquilinijs, cloacisq; similia ingreditur, nihil tamen sordium contrahit. D. Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 50. Quemadmodum (inquit) radij solares a sorditie terrarum nullo modo maculantur, nec putredinis fœtor vllus officere illis potest, sic sanctissima illa natura nullam maculam suscipit, &cæt. Solem intueri nequeunt vespertiliones, & noctuæ, sic solarẽ hunc Christi Thronum, splendidissimumq; Sacramentum, hæretici noctuis vespertilionibusque persimiles cernere non possunt. Aquilarum oculos Thronus hic flagitat, hoc est oculos fidei clarissimos, hos qui habent Christiani, in solari Throno regem suum venerãtur, atque adorant Psal. 67. de Christo dicitur;] Iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus Iehoua nomen illi,] &c. Sol noster in hoc Throno, non est in Oriente, quia nõ oritur, & apparet nobis: est in occasu, quia non apparet, in hoc occasu ascendit, quia summoperè colitur toto orbe. Act. 1. [Eleuatus est, & nubes suscepit eum, ab oculis eorũ, &c. Eleuatus & Rex noster, in suũ regnum cęlorum: sed nubes specierum Sacramentis suscepit eum ab oculis Christianorum, sicque in regnũ cælorum ascendens, in regno quoque Ecclesiæ mansit. D. Leo sermone 2. de Ascensione: Quod (inquit) Redemptoris nostri conspicuum fuit, in Sacramenta transiuit, &c. Conspicuus est Angelis, ac beatis hominibus in cælesti Throno, nobis absconditus est in throno terrestri.

D. Chrysost.

Thronus Christi augustiss. sacram.

Psal. 88.

Confertur cum Sole Sacramentum augustiss.

D. Cyrillus

Solis radij nõ luto coinquinantur, ita nec Christus in Sacramẽto.

Psal. 67.

Act. 1.

D. Leo.

3. Reg. 8. ait Salomon, [Dominus dixit, vt habitaret in nebula,] &cæ. Quæ noua est hæc Domini habitatio? quænã est nebula in qua Dominus habitat? Equidẽ Eucharistiæ Sacramentum est, in quo veluti in nebula, siue nube, absconditus habitat in Ecclesia. Congruit huic loco illud Psal. 67. [Psallite Deo, qui ascendit super cęlum cæli ad Orientem. Ecce dabit voci suæ vocem virtutis. Date gloriam Deo super Israel, magnificẽtia eius, & virtus eius in nubibus. Mirabilis Deus in sanctis suis,] &c. Hoc est, laudate, gratiasque agite Deo, qui ex monte Oliueti, ad Oriẽtem

3. Reg. 8. In nebula Dominus habitat.

Psal. 67.

Digitized by Google

tem ciuitatis Ierusalem sito, ascendit in cælum cæli empyreum. Ascendit quidem, sed etiam mansit. Nam ecce, ò rem admirabilem; dabit voci suæ vocem maximæ virtutis, & potentiæ. Voci (inquam) illi: [Hoc est corpus meum; Hic est calix sanguinis mei,] &c. Dabit potentiam stupẽdam, ad conuertẽdum panem in corpus suũ, & vinum in sanguinem; sicque in Sacramento manebit Eucharistiæ, idest, gratiarum actionis. Date igitur gloriam Deo, laudate illũ, & agite pro tanto beneficio gratias. [Magnificentia eius, super Israel,] idest, super populum Christianum cernitur, in hoc Sacramento: & virtus, hoc est, potentia eius, cernitur in nubibus, idest, in speciebus panis, & vini, sub quibus veluti duabus nubibus, admirabili potentia latet. Mirabilis est Deus in sanctis suis, idest, in sanctuario suo, vt vertit D. Hieronymus, & in templo suo, in quo sub his nubibus est absconditus, id quod arca illa sanctuarij adumbrabat velo tecta, & abscondita. Quidnam velum illud Sancta sanctorum, & arcam oppansum indicabat? Nõne specierũ nubem, & velum, quod ante Sanctum sanctorũ, idest, Christum, veluti oppansum cernimus? est ergo in cælo Rex noster in throno gloriæ suæ. sed est etiam in terra in throno amoris sui. Audeo dicere, admirabiliorem esse thronum amoris, quàm gloriæ. Nam vt in cælesti gloriæ throno sedeat Christus, miraculo non est opus, vt verò in terrestri amoris throno sit, multa, magnaque efficit miracula. Multo igitur admirabilius in Eucharistia est, throno amoris sui, quàm in cælesti throno gloriæ suæ. Meritò sanè vates Isaias capite 12. exultare Sionem iubet, & laudare regem suum, quod in stupendo throno Sacramenti, præsentem illum habeat. [Exulta (inquit) & lauda habitatio Siõ, quia magnus in medio tui sanctus Israel,] &c. Exulta Sion, & Deum lauda, quia magnus est in medio tui, in templis tuis, sanctus Israel Rex tuus, habitatio

Potentia Christi manifestatur sub speciebus.

Mirabilior videtur thronus amoris, quã gloriæ.

Isai. 12.

Habitus Christus in Ecclesia.

A illius cælum est, nihilominus, tu quoque illius habitatio es. Lauda habitatio Dei Sion. magnus in cælo Rex, magnus etiam est in medio tui, Hebraicè be quirbec: verti potest, [in interiori tuo, quæ versio in biblijs est regijs, hoc est, lauda Sion, & exulta, quia in interiori tuo, in pectore tuo, magnus est Deus Christus; lauda, & exulta, quod Deum tuum interiori pectore, visceribusque tuis in B Sacramento Eucharistiæ recipis.

[Venite ergo,] vt regius vates hortatur Psa. 94. exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro; [siue vt Hieronymus vertit, [Iesu nostro Venite adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, nos autẽ populus eius, & oues pascuæ eius,] &c. Venite, inquam, exultemus, & iubilemus Christo, Deo nostro, adoremus regem nostrum in palatijs suis, id est, templis C habitantẽ, & in throno admirando Eucharistiæ sedentem. Quoniam ipse Deus, & Rex noster est, nos autem populus eius sumus, & oues pascuæ eius, quas admirabilibus in pascuis, corpore, sanguineque suo saginat. Psal. 98.] Adorate scabellum pedum eius,] idest, corpus Dei, vt exponit Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto capite 12. Per scabellum (inquit) terra D intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysterijs adoramus] &c. & Augustinus Psal. 98. Inuenio (inquit) quomodo sine impietate adoretur scabellum pedum eius, idest, terra. (iuxta illud Isaiæ 66.] Terra scabellum pedum meorũ.]) Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de car E ne Mariæ carnem accepit: & quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem manducandam nobis ad salutem dedit, nemo autem illam carnem mãducat, nisi priùs adorauerit, inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, vt non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando, &c.

Psal. 94.

Oues sumus Dei & innitamur ad euchari-stiam, qua ager pascuus est Christi.

Psal. 98.

D. Ambros.

D. August.

Adorandus Dominus in Sacramento eucharistiæ.

Secunda

Digitized by Google

Secunda causa cur Christus in Eucharistiæ Sacramẽto voluit manere.

Secunda causa cur Sacramentũ instituerit Dominus fuit, vtilitas nostra, summã enim vtilitatẽ nobis parit hoc Sacramentum; effectusque in ijs, à quibus dignè suscipitur, habet singulares. Hos effectus indicant ipsæ species panis, & vini. Quod enim panis, & vinum efficiunt in corpore, id Christus in Eucharistia præsens efficit in animo. Panis corpus nutrit, Eucharistia nutrit animũ, ac signat, iuxta illud Tertulliani in lib. de resurrectione carnis: Caro (inquit) corpore, & sanguine Christi vescitur; vt anima de Deo saginetur, &cæ. Oseæ 11. [Ego (ait Dominus) quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachijs meis,] &c Nutritius noster est Dominus, in brachijs suis, & auxilijs nos portat in cœlum: nec solùm nutritius est, sed nutrix quoque, & mater, plus etiã quàm nutrix, & mater. Etenim nutrix lacte suo infantem nutrit, mater filios alijs nutricibus tradit alendos: at Christus corpore, & sanguine suo nos alit. Vnde illud Chrysostomi homilia 60. ad populum Antioch. Quis pastor oues proprio pascit cruore? & quid dico pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores, filios alijs tradunt nutricibus: hoc autem Christus non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, &c. Peregrinantibus in solitudine Israelitis, manna veluti viaticum 40. annorum spatio præbuit: nobis verò præbet Eucharistiã. Est enim viaticum nostrum quo in solitudine mundi huius peregrinantes alimur Deut. 15. [Quem (ait Dominus) libertate donaueris (scilicet seruum) nequaquam vacuum abire patieris, sed dabis viaticum de gregibus, & de area, & torculari tuo,] &c. Quod præcepit Dominus, ipse seruauit: libertate donat homines peccati seruos; nec vacuos abire permittit, sed viaticum dat gratiæ, & donorum cœlestiũ. Dat etiam Eucharistiam, vt docet Diuus Cyrillus libro 7. de adoratione; Liberauit (inquit) nos gratis Dominus; postquàm verò liberos nos fecit, idest, à peccatis absoluit, adiecit semetipsum viaticum, tanquam victima oĩs maculæ expers, cõcedens vt viuificã benedictionem participaremus, sanctam dico carnem, & sanguinẽ Hoc existimo esse, quod ait lex, oportere suppeditari viaticũ de ouibus, & de frumento, ac vino vocatis ad libertatem. Hæc Diuus Cyrillus.

Tertullianus.

Oseas 11.

Alit nos Dominus corpore suo veluti pane cælesti.

D.Chrysost.

Eucharistia viaticũ nostrum.

Deuter. 15.

D. Cyrillus

Secundò panis corpori robur affert, iuxta illud Psal. 103. [Et panis cor hominis confirmet,] &c. Eucharistia aio vires aduersus Tartareos hostes suppeditat, iuxta illud Ps. 22. [Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me, impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians, quã præclarus est,] &c. Ecce paratã militibus Christi mẽsam, aduersus Tartareos hostes, in qua mentis caput cælesti deuotionis vnguento impinguatur, & aius cælesti dulcedine veluti inebriatur; ecce mensam in qua Christi milites armãtur aduersus hostes, qui tribulãt eos: ecce mensam quæ tantã illis fortitudinem parit vt igneis leonibus reddat similes, iuxta illud Chrysostomi homilia 61. ad populum: Tanquam leones ignẽ spirantes ab illa mensa recedamus, diabolo terribiles, &cæ. Psal. 77. [Panem Angelorum manducauit homo,] &c. Hebraicè abirim,] idest, panem fortium. est enim mensa hæc, mensa fortium, qui cum mũdo, carne, diaboloque fortiter certant. Fortes efficit Christianos mensa hæc, atque generosos, ideò illam parauit Christus, vt nos generosos reddat, quod Chrysostomus docuit homilia indicata, in qua sic Christũ loquentem inducit: Ego carnibus meis vos alo, & meipsum vobis appono, vos omnes generosos esse volens, &c. Cui non afferat robur magnum, tam eximij roboris cibus? quẽ non faciet generosum animoq; forti excelsum, & caducarum rerum contemptorem, adeò generosa mensa? Cibus hic, vt Augustino dictum est, edentem in se transmutat; transmutat ergo edentem in Christum, quia Christi virtutibus illum exornat,

Psal. 103.

Psal. 22.

Eucharistia robur affert magnum.

D.Chrisost.

Psal. 77.

D.Chrysost.

nat,

Digitized by Google

nat, inter quas est fortitudo. [Pone me iuxta te (ait Iob cap. 17.) & cuiusuis manus pugnet cōtra me,] &c. Iuxta se ponit nos Dominus per Sacramentū, pugnet igitur omnis manus contra nos; vincemus. Psal. 22. [Etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecū es,]&c. Nobiscum Deus est, per Sacramentum, ergo non timebimus mala, quoniam ille nobiscū est. Iud. 7. [Panis tabernaculum Madianitarum] euertere videbatur: ecce tibi panem fortissimū, qui non Madianitarum, sed dæmonum, mundi, carnisq; tabernacula euertit. Quamobrem D. Cyprianus epist. 54. Eucharistia ait illos armandos, quibus martyrij imminet prælium; Viuentibus (inquit) communicatio à nobis danda est, vt quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis, & corporis Christi muniamus. Et cùm ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus, &c. Itē; Idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium, & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit, & accendit, &c. Itē in ser. de Natiu. Sacramentorum cōmunicatio, per quam Christi corporis synceritati vnimur, in tantū nos corroborat, vt de mundo, & diabolo, & de nobismetipsis victoria potiamur, &c.

Iob 17. Psal. 22. Iud. 7. D. Cipria. Euchariſtia armat martyres.

Panis terrestris famem corporis pellit; mensa Christi pellit famem animi. Quænam fames est animi? nonne cupiditas? Auri fames, cupiditas est auri; honoris, voluptatumque fames, cupiditas est honoris; & voluptatum. Qui cupiditate conficitur, fame conficitur; qui verò cupiditatem caducarum rerum ex animo expulit, diram famem expulit: hæc autem fames, quæ animum Tartarea consumit tabe, in mensa Christi aboletur. Qui enim Christi experitur dulcedinem, mundi cupiditatem, siue famem animo abigit. Quemadmodū calor natiuus humorem absumit, quo vita corporis continetur, sic cupiditatis ardor, charitatem nititur absumere, in qua sita est animi vita. Humorem à calore natiuo assumptum, reparat cibus sumptus: feruorē charitatis à cupiditate extinctū reficit, atque incendit augustissima Eucharistia. Quamobrem meritò cum arbore paradisi confertur, quæ arbor vitæ nominatur, illa enim vim habuisse dicitur, reparandi humoris radicalis, quo calor natiuus, vt ignis oleo fouetur. D. Augustinus lib. 13. de ciuitate Dei c. 23. de arbore vitæ sic scribit: Primus (inquit) homo ligno vitæ à mortis necessitate prohibebatur, atque in iuuētutis flore tenebatur, &c. & lib. 8. de Genesi ad literam cap. 5. Arbor (inquit) illa talem præstitit cibum, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, &c. Congruunt hæc omnia Eucharistiæ. Illa enim sic caloris, id est, cupiditatis actionem moderatur, ac premit, vt interitum per peccatū mortiferum nunquam afferat. Illa hominem in virtutū flore retinet, & in charitate senescere non patitur; illa mentem in spirituali sanitate confirmat. Peccatum quidem potest committere mortiferum, qui hoc Sacramento frequenter pascitur, sed tamen illius vi in charitate stabilitur, mortiferaque peccata effugit; habet enim vim hominem in charitate cōfirmandi.

Euchariſtia famem animæ pellit. Cupiditas fames animæ. Euchariſtia eſt arbor vitæ. D. Auguſt. Euchariſtiæ vi in charitate firmatur qui illā frequenter ſuſcipit.

Quartò panis corpus satiat; Eucharistia aio saturitatem affert. Psal. 147. [Adipe frumenti satiat te,] &c. Ps. 87. Panē Angelorū manducauit homo, cibaria misit eis in abundantia, &c. Ps. 21. Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominū, qui requirunt eum, viuent corda eorum, in sæculum sæculi, &c. Psal. 80 Dilata (inquit Dominus) os tuū, & implebo illud, &cæ. Dilatare enim oportet os animi, vt à Deo impleatur. eodem Psalmo; De petra, melle saturauit eos, &cæt. Petra autem (ait Paulus 1. Cor. 10.) erat Christus, &c. Ex hac petra

Euchariſtia animo, affert ſaturitatem. Pſal. 147. Pſal. 77. Pſal. 21. Pſal. 80.

Digitized by Google

petra in Sacraméto mel fluit dulcissimum, quo satiatus animus mundi voluptates omnes fastidit. Deut. 32. cibo terrestri [incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, dereliquit Deum factoré suũ,] &c. At cibo incrassatus, & saturatus, dilectus, non recalcitrat, sed iugum suscipit Domini: non relinquit Deũ factorem suum, sed adhæret Deo salutari suo.

Deut. 32.

Eucharistia gratia & charitatis incrementũ affert.

Quinto; Panis corpori, animo Eucharistia incrementũ affert. tunc accrescit corpus, cum maioré comparat quantitatem; animus vero tunc augetur cum maiorem acquirit gratiam, & charitatem. Vt enim Bernardus ait, sermone 27. in Cantica, animi quantitas charitas est. Illud corpus maius est, quod maiorem habet quantitatem; ille verò animus maior est, qui maiorem habet charitatem. Corporis quantitas terminũ habet, ac finem; non enim semper hominis corpus augetur. Animi quantitas, id est, charitas, termino, fineque caret; semper enim quandiu in via sumus, animus potest charitate crescere. Stat corporis quantitas, neq; progredi potest: nunquam stat, sed semper progredi potest vlterius quantitas animi, id est, charitas. Decrepiti senis corpus non accipit à natura incrementum, sed decrementum: at animus eiusdem senis, potest accipere ab Eucharistia incrementum maximum. Auget namque Eucharistia animum, ad mortem vsque, si dignè sumatur. Quotiescunque dignè sumitur, nouam adijcit quantitatem animo, id est, nouam gratiam, & charitatem. Si corpori quotidiè noua adderetur quantitas, gigas homo euaderet. O sacerdotes, qui sacræ mensæ quotidiè accumbitis, gigantes vos esse oportet animi quantitate, id est, gratia, & charitate: siquidem quotidie si dignè accumbitis, noua vobis quantitas adijcitur. Si autem gigantes estis charitate, id ostendite operibus, & virtutibus giganteis, hoc est, magnis, scilicet eleemosynis, animarum zelo, modestia, humilitate, castitate, mundique contemptu. Quicunque alij Sacramentum hoc frequentatis, & charitatis, gratiæque incrementum accipitis, Sacramentum ipsum honore afficite: tunc vero afficietis honore, cum gratiã, & charitatem, quam ab illo accipitis, sanctis actionibus demonstraueritis. Diuus Petrus epistola 1. vt nonnulli volunt, lac appellat Eucharistiã: Quéadmodũ vero lac vim habet augendi, ita Eucharistia; vnde Diuus Petrus capit. 2. [Deponentes] (inquit) [omné malitiã, & omné dolũ, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones: sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac cõcupiscite, vt in eo crescatis in saluté: si tamen gustastis, quoniã dulcis est Dominus, &c.] Est Eucharistia lac sine dolo, quia nõ fallit rationem fide præditam: nullus in ea dolus est, sed verissimè in ea Christus adest. Præterea non est lac (vt ita dicam) sensuale, quia sensibus Christus minime percipitur, est lac rationale, quia percipitur ratione, per fidem illuminata. hoc lac vim habet magnam ad augendum animum, gratiæ incrementa, ac virtutum afferendo: idcirco Diuus Petrus ait: [Vt in eo crescatis in salutem, &c.] Sumendum verò puro animo illa verba indicant, [Deponentes omnem malitiam, &c.] Dulcissimum esse illa alia ostendunt; [Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus, &c.] Non dixit, si tamen gustastis, quoniã dulce est lac; sed quoniam dulcis est Dominus, quia in lacte Eucharistiæ gustatur Dominus, propereaque dulce est lac, quia dulcis est Dominus, qui gustatur. [Lac] (inquit) [concupiscite; si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus. Qui enim Domini in Eucharistia dulcitudinem gustant, ij Eucharistiæ lac concupiscunt. Reliqui manna fastidiunt.

Charitas termino caret.

Videant sacerdotes.

Eucharistiã sumentes illã honorãt, si exemplo lucent.

1. Petr. 2.

Eucharistia lac rõnale.

CA-

CAPVT XII.

Morale.

De augustissima Eucharistia.

PAnis corpori corpoream, Eucharistia animo vitam donat spiritalem. Ioan. 6. [Qui manducat me, & ipse viuet propter me, &c.] Multiplex est vita, vita arboris, vita pecudis, vita hominis, vita Christi. Vita arboris, arborem vegetat; vita pecudis, pecudi præterea sentiendi vim tribuit; vita hominis, ratiocinandi facultatem adijcit; vita Christi, virtutes Christi, homini inserit. [Viuit in me Christus,] ait Paulus ad Gal. 2. Viuebat in Paulo Christus, viuitque in viris virtute exornatis, quia suam illis vitam, suam impertit gratiam: hanc vitam in Sacramento Eucharistiæ proposuit Dominus. Est enim Sacramentum vitæ, est vitæ arbor in paradiso, id est, Ecclesia collocata, est vitæ fons. Panis corpoream vitam corpori præstat, conuersus in corpus; at Christus in Eucharistia spiritalem vitam animo tribuit, non conuersus, sed animum in se suasque virtutes conuertens. Hinc illud Augustini lib 7. confess. cap. 10. Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me, &c. Hæc mutatio in Christum, vita est hominis. Duplex conuersio fit in Sacramento: conuertitur panis in verum corpus Christi, vinum conuertitur in verum illius sanguinem: per Sacramentum verò, fit alia conuersio; etenim ita conuertitur homo in Christum, vt

Ioan 6.

Eucharistia vitã donat.

Multiplex vita.

Gal. 2.

D. August.

A Christo similis esse videatur. Satanas Euæ suasit in fructu arboris vim inesse conuertendi homines in Deos, [Eritis] (inquit) [sicut dij, &c.] Mentitus est pro more suo. Non enim in fructu arboris paradisi, sed in fructu Virginis Deiparæ, ad efficiendam huiusmodi conuersionem vis inest. Erimus sicut dij, si puro atq; immaculato corde Eucharistiã acceperimus; quia in Christum conuertemur. Vtinam similis sit in nobis hæc conuersio conuersioni panis, & vini. Nihil panis, nihil B vini remanet; Christi tantum diuinitas, atque humanitas in Sacramento est. Vtinam sic in Deum cõuertamur, vt nihil in nobis aliud remaneat quã Christus. Vtinam cum Paulo verè quilibet nostrum dicere possit; [Viuo iam non ego:] hoc est, nihil in me remanet mei, [viuit verò in me Christus;] hoc est, in Christum totus cõuersus sum. Post conuersionem panis, & vini accidentia absque subiecto C consistunt: sic post hanc conuersionem hominis in Deum, caduca omnia bona, absque subiecto in homine sunt: qúoniam nec diuitijs subijcitur, nec honoribus, nec voluptatib. dominatur. Post cõuersionẽ panis, & vini, accidẽtia frãgũtur, nõ frãgitur Christus: sic post conuersionẽ hominis, licet opes, honores, & reliqua bona accidentaria frangantur: non frã- D gitur in homine Christus, hoc est, Christi charitas. Vitam præstat Eucharistia spiritalem gratiæ, ac charitatis: vitam quoque affert corpori sempiternam gloriæ. Id quod Christus affirmat Ioa 6. [Qui manducat] (inquit) [meã carnem, & bibit meũ sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eũ in nouissimo die, &c.] Quæres, quonammodo resurre- E ctionem corpori, & æternã vitã efficiat hoc Sacramentum? Respondeo, ideo dici à Domino efficere resurrectionem, & vitam glorię ęternã, quia gratiam charitatemque efficit, & cũ Christo hominem coniungit, quæ est causa resurrectionis vitæque sempiternæ.

Cõuertitur homo ĩ mores & virtutes Christi.

Christus nõ frangitur in fractione specierum.

Eucharistia vitã affert & animæ et corpori.

Septimò: Vinum corpus calefacit, læti-

Psal. 103. Eucharistia cor incēdit, & lætificat. Psal. 67. Psal. 83.

lætitiamque homini parit, iuxta illud Psal. 103. [Vinum lætificet cor hominis, &c.] Similiter Eucharistia cor incendit, affertque illi exultationẽ, iuxta illud Psal. 67. [Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectẽtur in lætitia, &cæt.] & illud Psalmi 83. [Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum, &c.] Sequitur eodem Psalmo; [Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, altaria tua Domine, &c.] Nam Christiani, qui non humi repunt, sed volucribus similes, mente in cælum volant, in templis, & altaribus Christi nidulantur, magnaque perfusi cordis lætitia laudes illi veluti auiculæ canunt.

Eucharistia hoĩem ext. effrenatas rapit cupiditates. Psal. 22. Ruffinus. D. Cyprian. Calix inebriãs spiritaliter, exuberans, peroptimus.

Octauò; Vinum inebriat: Eucharistia hominem extra effrenatas animi cupiditates rapit, iuxta illud Psalmi 22. [Calix meus inebrians quam præclarus est. [Verè præclarus calix (ait Ruffinus) quo sanguis offertur immaculatus. Hoc calice fidelium inebriatur affectus, &cæt. Diuus Cyprianus epistola *63*. legit: Calix tuus inebrians quam peroptimus. Deinde: Quàm peroptimus (inquit) calix, quòd scilicet calix Dominicus sic inebriet bibentes, vt sobrios faciat, vt mentes ad spiritalem sapientiam redigat, vt à sapore isto sæculari, ad intellectum Dei vnusquisque resipiscat; & quemadmodum vino isto cõmuni mens soluitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur, ita epoto sanguine Domini, & poculo salutari exponatur memoria veteris hominis, & fiat obliuo conuersatio pristinæ sæcularis, & mæstum pectus quod prius peccatis angentibus premebatur, diuinæ indulgentiæ lætitia resoluatur. Hæc Cyprianus. Ex Hebræo verti potest; [Calix exuberãs:] exuberans est, quia Deo exuberat: inebrians est, quia animum ab humanis affectibus abstrahit; exuberans est diuina charitate, præclarus est, amore, non furore: Ieremiæ 25. [Sume] (inquit) [calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas mittã te,

Ierem. 25. Calix nõ furoris, sed amoris Dei.

&c.] At lõgè aliter Apostolis ait Dominus; Sumite calicem non furoris, sed amoris; & propinabitis illum cunctis gentibus. Nam in cũctis orbis gẽtibus Eucharisticum sacrificium celebrabitur. Apoc. 17. Babylon aureum calicem præfert manu, plenum abominatione, atque immunditia, eosq; inebriat, qui in terra habitant. At Ierusalem, id est, Ecclesia longè alium sacerdotibus suis propinat calicem, quos non in terra, sed in cælo corde habitare oportet; propinat, inquam, calicem plenum Deo.

Ioan. 15. Christus vitis, Christi sãguis vinũ mirabile, germinans virgines. D. Ciprian. Ad Ephe. 5.

Nonò, Christus vitis dicitur Ioan. 15. [Ego sum vitis vera:] Christi sanguis dicitur vinum huius vitis. Vnde Diu. Cyprianus epistola *63*. Cum (inquit) dicat Christus, [ego sum vitis vera:] sanguis Christi non aqua est vtique, sed vinum, &c. In vino vulgari, vt Paulus ait ad Ephesios 5. inest luxuria; [Nolite] (inquit) [inebriari vino in quo est luxuria, &c.] At in vino Christi est castitas, ac virginitas, iuxta illud Zachariæ capite 9. [Quid (inquit) [est bonum eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorũ & vinum germinans virgines, &c. Bonum Christi, & pulchrum Christi, appellat augustissimam Eucharistiam: appellat præterea frumentũ, siue panem electorũ, quia sub specie panis Christus nobis datur: appellat vinũ, quia sub specie vini latet: germinans virgines, quia castitatẽ germinat, ac nutrit Quasi dicat vates; vinũ Christi, maximè differt à vino vitis. nã vinũ vitis libidinẽ concitat: vinũ Christi castitatẽ ingenerat, vnde Cant. 1. [Meliora] (inquit Ecclesia) [sunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis &c. Duo vbera Christi, quibus Ecclesiã humilitate paruulã pascit, corpus eius, & sanguis sunt; multò præstantiora vino mũdi, & si suauissimũ videatur. Vinũ enim homini rationis vsum eripit, libidinemcõmouet, rixas, iurgiaque prouocat: vbera verò Christi lacte plena suauissimo, rationis vsum rectũ, animi, corporisque puritatẽ, pacẽ, concordiamque afferunt. Quanta verò alacritate, ac desi-

Zach. 9.

Cant. 1.

Vbera Christi corpus Christi, & sanguis.

desiderio hæc vbera sint expetenda, ostendit Diuus Chrysostomus homilia 60. ad populum Antioch. Non videtis (inquit) quanta infantes animi alacritate mammillas arripiunt? qua pressione papillis infigunt labia? Non minore cupiditate nos quoque ad hanc mensam, & ad huius calicis spiritalem accedamus papillam: immo vero maiore desiderio, quasi lactentes pueri gratiam spiritus sugamus. Vnus sit nobis dolor, vna mestitia, si hoc a liméto spiritali priuamur. Hęc ille. Isaiæ 25. [Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuiũ vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ, &c.] En tibi Eucharisticum conuiuium, in monte Sion factum est; conuiuium est pinguium medullatorum, & vindemiæ defæcatæ, hoc est, vini quod in vindemia ex compressis botris efficitur, vini, inquam; purissimi omni fæce carentis. Conuiuium est pinguium, & medullatorum; in hoc enim epulo, pinguissimus, ac medullatus cibus proponitur, qui animo gratiæ affert, & deuotionis pinguedinem: proponitur quoque vinum suauissimum, ac defæcatissimum, quod mentes diuina sobriaque ebrietate in Deum rapit.

D. Chrysos.

Magna aniditate sumẽdum Sacramentum.

Isai. 25.

Conuiuium Christi.

Decimo; Panis ex multis tritici granis fit, vinum ex multis botris in vnũ redactis; quemobrem panis, vinique species indicant mysticum Christi corpus; & vnitatem illam, atque concordiam, quam inter Christianos vigere necesse est. Quod Diuus Augustinus docuit tract. 26. in Ioannem: Sicut etiam (inquit) ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus corpus, & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur ex multis. Namque panis in vnum, ex multis granis conficitur; & vinum ex multis acinis, in vnum confluit, &c. Diuus Cyprianus epistola 63. ipso Sacramento populus noster ostenditur adunatus; vt quemadmodum grana multa, in vnum collecta, & commolita, & commixta, panem vnum faciunt; sic in Christo, qui est panis cœlestis, vnum sciamus esse corpus, cui coniunctus sit noster numerus, & adunatus, &cæt. Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. Christus Sacramentum Eucharistiæ pignus esse voluit futurę nostræ gloriæ; adeoque symbolum vnius corporis, cuius ipse caput existit, cuique nos tanquam membra arctissima fidei, spei, & charitatis cõnexione astrictos esse voluit; vt idipsum omnes diceremus, & neque essent in nobis schismata, &c. Oportet ergo Christianos, qui hoc pascuntur pane cælesti, licet multi sint, in vnum per charitatem redigi, panique similes esse ex multis tritici granis, & vino ex multis racemis effecto. iuxta illud Pauli 1. Corint. 10. [Panis quem frangimus, nonne cómunicatio Christi est. Vnus panis, vnum corpus, multi sumus omnes, qui de vno pane participamus, &c.] Quemadmodum mẽbra illa, quæ vno, atque eodem penitus cibo aluntur, vnius tantum corporis sunt membra: sic Christiani, qui vno eodemque cælesti epulo pascuntur, nempe Christo, vnius corporis mystici membra sunt, & vnum corpus efficiunt. [Vnum] (inquit) [corpus sumus, qui de vno pane participamus, &c.] Vnius autem, & eiusdem corporis membra, maxima charitate oportet inter se cohærere; hanc charitatem, atque vnitatem, repræsentat nobis sacra Eucharistia Itaque verum Christi corpus est in Eucharistia, naturale re ipsa est sub speciebus: mysticum in ipsis speciebus est, repræsentatum, atque adumbratum, quia, vt Paulus ait, [Vnus panis, vnum corpus sumus, &c.]

Species Eucharist. indicant corporis mystici cõcordiã & vnitatẽ.

D. August.

D. Cypr.

Conc. Trid.

Cõcordia et vnitas Christianorum.

1. Cor. 10.

Fideles unũ corpus sunt qui de vno pane participant.

Vndecimò: Panis, & vinum hominum lassum reficiunt; Eucharistia lassos reficit Christianos. Vnde viaticum nominatur, quia in via hac, quæ in cælum ducit, nos reficit, ac roborat; adumbraturque illo pane, quem Angelus ad Eliam iter facientẽ attulit. Elias 3. Reg. 19. [Ambulauit in fortitudine cibi illius, 40. dieb. & noctibus, vsque ad montem Dei Horeb, &c.] Similem in modum nos in

Lassos reficit Eucharistia.

3. Reg. 19.

in fortitudine, ac robore, quod nobis Eucharistia impertit, ambulamus vsque ad montem Dei, id est, vsque in cælum. Psalm.67. [Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditatis tuæ; & infirmata est, tu vero perfecisti eam. Animalia parabunt in ea: parasti in ea dulcedine tua pauperi Deus, &c.] De manna exponunt locum hunc nonnulli, quod instar pluuiæ ex aere effluebat; Psal. 77. [Pluit illis manna ad manducandum, &c.] Exod. 16. Ecce ego (ait Deus) pluam vobis panes de cælo, &c.] equidem nostro manna valdè congruunt Psalmi verba; Ecce Dominus pluit nobis panem de cælo; pluuiam, nedaboth, Hebraicè, hoc est, munificam, & liberalem, pluuiam voluntariam a liberalissima Dei voluntate profectam segregauit, ac seperauit Dominus suæ hæreditati, suæque Ecclesiæ Christianæ: non enim pluit Deus è cælo panem in reliquos populos; Christianorum tantum hæc est pluuia. Infirmata est hæc hæreditas, lassa est, & dæmonis, carnis, mundique tentationibus afflicta; sed hoc cælesti cibo perficitur, ac corroboratur. [Infirmata est (inquit) hæreditas, tu verò perfecisti eam, &c.] Animalia, ouesque tuæ habitabunt in hac hæreditate, id est, in Ecclesia, hisque pascuis alentur. O Deus dulcissime, parasti pauperi homini tam dulces epulas, in dulcedine tua, hoc est, propter tuam dulcedinem, ac bonitatem; quia suauis, & dulcis es, suaue, dulcemque cibum Ecclesiæ tuæ præstitisti, iuxta illud Sapien.16. [Panem de cælo præstitisti illi, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantia enim tua, dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat, &c.

Psal. 67.

Pluuia mānna.

Pluit Deus in sua Ecclesia volūtarium cibum, scilicet, corpus suum, & sanguinem.

Sap. 16.

Duodecimo; vt cibi aliqui aduersus venena, vel morbos, medicina sunt; sic cælestis cibus Eucharistia, aduersus peccatorum venenum, & morbos, medicamentum est è cælo datum. Venenum habuit cibus ille vetitæ arboris, quod non solum primos parentes, sed cūctos illorum natos, vita priuauit: Eucharistia verò aduersus venenum continet remediū quod primorum parentum filijs vitā tribuit sempiternam. Lethalia venena peccata sunt mortifera, ab his præseruat Eucharistia, vt docet D. Thomas quæstione 79. art.6. Sacramentū (inquit) hoc præseruat a peccato; roborat spiritalem vitam hominis, tanquā spiritalis cibus, & medicina spiritalis, &c. Item, Sacramentum (inquit) hoc confirmat cor hominis in bono; per quod etiam præseruatur homo a peccato, &c. Feminas quasdam nobiles scribit Plinius lib.8. cap. 32. a febribus præseruatas, quod ceruorum carnem degustare solitæ essent quotidie. Quasdam (inquit) principes feminas, scimus omnibus diebus matutinis carnem ceruorum degustare solitas, longo æuo caruisse febribus, quod ita demum existimant ratum, si vno vulnere interierit, &c. Nōne Christus cerua matutina dicitur, iuxta versionem Diui Hieronymi in titulo Psal.21. huius ceruæ carne, qui pascitur, a diris peccati febribus præseruatur, vt dixi tomo 1. libro 3. cap.21. Cant. 1. [Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur, &c.] Præseruat mirrha corpus a corruptione; sic dilectus Christus inter vbera, & in pectore per Sacramentum collocatus, a corruptione peccati præseruat corda. Psal. 21. [Viuent corda eorum in sæculum sæculi, &c.] Diuus Bernardus sermone de cœna Domini; hoc Sacramentum (inquit) minuit sensum in minimis, & in grauioribus tollit omnino consensum, &c. Præseruatio verò hæc, tum per feruorem, & ardorem charitatis, tum per Dei auxilia. Debitam quoque pœnam criminibus lethiferis abolet Sacramentum, iuxta feruoris, & deuotionis, qua excipitur modum, vt docet D. Thomas q. citata 79. art.5.

Aduersus venenū peccati Eucharistia est antidotum.

D. Thom.

Plinius.

Cant. 1.

D. Bernar.

Si autem roges num culpa lethifera per hoc Sacramentum remittatur. Respondetur minimè remitti, imò si quis conscientiæ culpa: inquinatus lethiferæ, illud sumat, nouam committi.

mitti. [Qui enim manducat, & bibit indignè,] vt Paulus ait 1. Cor. 11. [iudicium sibi manducat, & bibit.] Est hoc Sacramentum institutum ad nutriendum, vt Diuus Thomas docet articulo indicato; mortuus autē non nutritur, sed viuus; viuum ergo esse necesse est, qui ad illud accedit, vt nutriatur; si mortuus quis accedat, non solum non nutritur, verum iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini. Per accidens tamen contingit aliquando, vt primam gratiam attrito donet propter ignorantiam, qua de re legendus est Diuus Thomas quæstione 79. articulo tertio, & alij: Potest (inquit) hoc Sacramentum operari remissionem peccati perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam, & affectum non habet. Fortè enim primo non fuit sufficienter contritus, sed deuotè, & reuerenter accedens consequenter per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati. Sic Diuus Thomas. Et in responsione ad primum, docet, cur hoc Sacramentū ab Ecclesia dicatur ablutio scelerum; Petimus (inquit) vt sit ablutio scelerum hoc Sacramentum, vel eorum, quorum conscientiam nō habemus, secundum illud Psalmi 18. Ab occultis meis munda me, vel vt contritio in nobis perficiatur, ad scelerum remissionem; vel etiam vt nobis robur detur ad scelera vitanda, &c. De peccatis venialibus alia ratio est; per hoc enim Sacramentum ea remittuntur, teste eodem Magistro sanctissimo. Nam hoc Sacramentum (ait ille articulo quarto) sumitur sub specie cibi nutrientis, nutrimentum autem cibi est necessarium corpori ad restaurandum id, quod quotidie deperditur, per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiscentiæ, per peccata venialia, quæ diminuunt feruorem charitatis: & ideo competit huic Sacramento, vt remittat peccata venialia. Res autem huius Sacramenti est charitas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc Sacramento, per quod peccata venialia soluuntur. Vnde manifestum est, quod virtute huius Sacramenti remittuntur peccata venialia, &c.

D. Thom.

Quomodo hoc Sacramentum sit ablutio scelerum.

Psal. 18.

An venialia peccata remittātur per hoc Sacramentum.

Venialia remittuntur per feruorem charitatis.

Decimotertio, Eucharistia peccati fomitem frenat, ac cohibet. Diuus Thom. q. 79. art. 6 ad 3. Licet (inquit) hoc Sacramentum non directè ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadā consequentia, in quantum auget charitatem: quia sicut Augustinus ait in lib. 83. quæstionum, quæstione 36. augmentum charitatis, est diminutio cupiditatis. Sic Diuus Thomas. D. Bernard. serm. 1. in cœna Domini: si quis (inquit) vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, inuidiæ, aut cæterorum huiusmodi, gratias agat corpori, & sanguini Domini, quoniā virtus Domini operatur in eo, &c. Et Diuus Cyrillus libro 4. in Ioannem cap. 17. Sedat cum in nobis maneat Christus sæuitatem membrorū nostrorum, legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, &c. Et de ira loquens Chrysostomus homilia 4. in Matthæum rogat, Quonammodo ab hac tam noxia peste fugiemus? Respondet; Si vllam vtique potionem bibamus, id est, Christi sanguinem, quæ omnes intra nos vermes, serpentesque mortificat, &c. Danielis 14. [Tulit Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit, fecitque massas, & dedit in os draconis, & diruptus est draco, &c.] Draconem colebant Babylonij, illum Daniel missis in os eius massis disrupit: similem in modum animi cupiditates, quas Chrysostomus serpentes appellat, nos occidemus, hosque iam nos dracones dirumpemus, si in os, pectusq; nostrum datam augustissimam Eucharistiam magno cum animi feruore susceperimus. De catulis Leonum vates Psal. 103. canit [Ortus est Sol, & congregati sunt, &c.] Eodem pacto cum in pectore nostro frequenter Sol oritur Chri-

Eucharistia frenat fomitem.

D. Thom.

D. August.

D. Cyrillus

D. Chrysos.

Dan. 14.

Psal. 103.

Christus in Eucharistia, catuli Leonum rugientes, hoc est animi effrænatæ perturbationes congregantur, & in cubilibus suis collocatæ, animum minimè perturbant; etenim Sol est Christus in Eucharistiæ mensa. Cuiusdam mensæ Solis meminit Diuus Hieronymus in epistola ad Paulinum; Apollonius (inquit) perrexit Æthiopiam, vt Gymnosophistas, & famosissimam Solis mensam videret in Sabulo, &c qualis ea fuerit in Aethiopia. Herodotus libro 3. indicat: Solis (inquit) mensa talis esse memoratur; Est in suburbanis pratum omnium quadrupedum assa refertum carne, quam per noctem singuli ciuium magistratus properant ponere: ad eamque vbi illuxit, cuilibet epulatum licet accedere. Hæc autem à terra reddi assiduè, indigenæ aiunt. Sic ille. Ideo Cælius libro 29. lect. antiquarum, ait, diuitum domos, omni rerum copia affluentes, expositasque inopum necessitatibus, atque alimentis, rectè dici mensam Solis; sed multò rectius, famosissima mensa Solis, maximi solis, id est, Christi mensa appellari potest, in qua non quadrupedum assæ carnes, sed ipse splendidissimus Sol seipsum nobis tribuit, suisque radijs animum illustrans, catulos Leonum rugientes, in cubicula sua recedere compellit. Ad hæc, meminerit Christianus se in mensa Solis, ipsum Solem in viscera condere. Exeant ergo foras radij fulgentes, qui introgressum esse Solem ostendant; sit Christiani vita splendida, radijsque exempli fulgida; quali pascatur mensa demonstrans, nempè mensa Solis.

D. Hieron.

De mensa solis Herodotus.

Eleemosyna.

Christi mensa, mensa solis.

Exempla.

CAPVT XIII.

Morale.

De institutione Augustiss. Eucharistia.

Mysterium fidei, nũcupatur hoc admirabile Sacramẽtum. quæ nuncupatio sublimitatẽ illius ostendit esse tantam, vt intellectus nostri captũ superet, fidemq; postulet maximã. Mysterium est abscondisum, tam corporis oculis, quam animi, si fidei face non illuminentur. Cernunt quidem oculi corporis species, sed intus latentem Christum soli fidei vident oculi, plusquam lyncei, animumque confirmant. Quamobrem egregiè Diuus Thomas in hymno Ecclesiastico fidem vocauit animosam: [Quod non capis (inquit) quod non vides, animosa firmat fides præter rerum ordinem,] &c. Animosa fides est, animosumque hominem reddit, vt ea, quæ non videt in hoc Sacramento, absque hæsitatione vlla credat. Qui pusillanimes sunt, & animosa fide carent, hi minimè credunt, hæreseosque laqueos irretiuntur, quos verò reddidit animosos fidei vigor, ijs credere facile est illa, quæ corporeo intuitu non cernunt, iuxta illud magni Leonis, sermone 2. de Ascensione; [Magnarum (inquit) hic vigor est mentium, & valde fidelium hoc lumen animarum, incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu, & ibi figere desiderium, quò nequeas inferre conspectum, &c. Ad adorandum

Fidei mysterium eucharistia.

Animosa est fides.

Hæretici pusillanimes.

D. Leo.

Adoratio Christi in præsepio cõformis cum adoratione eius in sacramento.

dum Christum infantẽ fascijs inuolutum, & in præsepi positum, stella Magos duxit; sic ad adorandũ eundem Dominum in altari, veluti in excelso, honorificoque præsepi collocatum, & accidentium inuolucris tectum, stellæ fulgentis instar, orthodoxos fides ducit animosa. Vnde Chrysostomus in oratione de S. Philogonio; Si cum fide (inquit) accesserimus, proculdubio videbimus Christum in præsepio iacentẽ. Nam hæc mensa (id est, altare) vicem præsepis explet, siquidem, & hic ponitur corpus dominicum, non quidem fascijs inuolutum sicut tunc, sed vndequaque Spiritu sancto conuestitum. Ac Magi quidem nihil aliud, quàm adorarunt, tibi verò si cum pura accesseris conscientia, permittemus, vt sumas, & sumpto domum abeas, &c.

D. Chrisost.

Ezech. 1.

Ezech. 1. [Facies Aquilæ desuper ipsorum quatuor,] &c. Aquilinis oculis prædita est fides Solẽ ipsum Christum in Sacramento firmo obtutu cernit. Quẽadmodum vero Aquilæ facies, & oculi, desuper 4. animalia erant, quæ Ezechieli visa sunt, sic fidei oculi desuper 4. oculos hominis sunt. superant enim duos corporis oculos duosque animi, videlicet memoriam, atque intellectum. Mysteria quæ hi oculi cernere nequeunt, fides intuetur. [Argumentum enim nõ apparentum,] dicitur a Paulo ad Hebr. 11. quia quæ oculis non apparent, ea ita nobis demonstrat. ac si certissimis argumentis, siue demonstrationibus probata essent. Nõ apparet in Sacramento Christus, adesse tamẽ in Sacramẽto credimus. Cur? quia fides argumentum est rei non apparentis, quia fax est id indicans, quod nõ videtur, quia demonstratio est id diuina autoritate comprobans, quod latet. Vnde illud Augustini ser. 2. de verbis Domini, & alijs locis: Sacramentum fidelium agnoscunt fideles, &c. Nimirum quoniã fides fidelibus Sacramenti maiestatem demonstrat, quam ignorant infideles, atque hæretici, quia fidei expertes sũt. [Fides autem, vt Paulus Rom. 10. ait, [ex auditu, auditus per verbũ Christi,] &c. Audiamus ergo verbũ Christi: Verbũ Christi est; [Hoc est corpus meum,] &c. [Hic est sanguis meus,] &c. Diuini verbi verbo, quis nisi planè cæcus, fidem non habebit? Diuus Chrysostomus homilia 60. ad populum: Quoniam (inquit) Verbũ dicit, [hoc est corpus meum;] & pareamus, & credamus, & intellectualibus ipsum oculis intueamur, &c. Diuus Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 4. Cum Christus ipse (inquit) affirmet, atque dicat de pane, [Hoc est corpus meum,] quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante, & dicente, [Hic est sanguis meus:] quis dubitet, & dicat non esse illius sanguinem, &c. Diuus Hilarius libro 8. de Trinitate: Ipsius Domini professione verè caro est, & verè sanguis est, &c. Diuus Ambrosius libro 4. de Sacram. cap. 5. Ipse (inquit) Dominus testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus, & sanguinem. nunquid debemus, de eius fide & testificatione dubitare, &c.

Ad Hebr. 11.

Fides animosa Christum in Eucharistia ostendit.

D. August.

Rom. 10.

D. Chrisost.

D. Cirillus.

D. Hilarius.

D. Amb.

Non capiunt quidem huius Sacramenti mirabilia, sensus, atque intellectus noster, sed audi Diuum Chrysostomum homilia 60. ad populum: Credamus (inquit) vbique Deo, neq; repugnemus ei, etiamsi sensui, & cogitationi nostræ, absurdum esse videatur, quod dicit; Superet, & sensum, & rationẽ nostram sermo quæso ipsius. Quod in omnibus rebus, sed præcipuè in mysterijs faciamus, non illa, quę ante nos iacent, solum modò aspicientes, sed verba quoque eius tenentes Nã verbis illius defraudari non possumus; sensus verò noster deceptu facillimus est, quoniam ergo ille dixit: [Hoc est corpus meum;] nulla dubitatione teneamur, sed credamus. Sic Chrysostomus. Illud in hoc Sacramento maximè faciendum, quod fecisse matrem suam S. Monicam scribit Diuus Augustinus libro 9 confess. cap 13. Ad cuius (inquit) pretij Sacramentum, ligauit ancilla tua animam suam

D. Chryso. Captiuandus intellectus in obsequium fidei.

D. August.

suam

Digitized by Google

suam vinculo fidei, &c. O beatum vinculum fidei, ò vinculum felicissimũ, animũ à diris hæreseos vinculis liberans, ò vinculum diuinum, imbecillem intellectum cum diuina veritate alligans. Alligemus hoc vinculo firmissimo animas nostras ad Sacramentum, si hæreseos vinculo cupimus liberari. Columnam viæ ducem, dedit Deus olim Hebræis; nobis dat columnam fidei, cui Ecclesiæ domus tota innititur; hanc sequamur quacunque duxerit, ne nobis illud congruat, Psal. 94. [Dixi semper, hi errant corde: ipsi verò non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea si introibunt in requiem meã,] &c. Corde errant semper, qui columnam, id est, fidem Ecclesiæ non sequuntur: vias Dei minimè cognoscunt, quas columna demonstrat. Qui vero vias Dei non cognoscunt, quæ in cælum tendunt, in requiem cęlestem non introeunt.

Eucharistia columna fidei cui domus tota Ecclesia innititur.

Psal. 94.

Obedientia fidei præstanda est: nõ sensibus errorũ magistris iuxta illud, Act. 6. [Multa turba sacerdotum obediebat fidei,] &c. Chrysostomus in epistola ad Romanos homilia 27. Obedientiam (inquit) fides exigit, non curiositatem, &c. Si sensum solum sequaris, in barathrum errorum profundissimum te præcipitem dabunt: si illorum tantum testimonio habueris fidem, diuinam amittes fidem. Sensus verè quidem iudicant: sed, vt Diuus Thomas ait in homil. de Eucharistia, de accidentibus sibi notis tantummodo iudicant: Sensus (inquit) à deceptione redduntur immunes, qui de accidentibus iudicant sibi notis, &c. At verò quod sub accidentibus occultetur indicare nequeunt. Sublimius ergo testimoninm est sequendum, quo nullum verius excogitari potest, nempe Dei, qui asserit, [Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus,] &c. Si tuis credis sensibus, accidentia demonstrantibus: firmius crede verbis Dei, sub accidentibus corpus sanguinemque suum esse testificantibus. Bernardus sermone 77. in Cant. Si tuorum (inquit) oculorum testimonium fidele putas; testimonium Dei maius est, &c. Gen. 49. Filiæ discurrerunt super murũ,] &c. hoc est, feminæ Aegypti incolæ, ex murò aspexerunt Ioseph. Non videtur verus Ioseph Christus ab ijs, qui humi, in suis sensibus cogitat onibusque consistunt. Murus excelsus fides est, hunc necesse est ascendere, super hunc discurrere, si nostrum pulcherrimum Ioseph in Sacramento cupimus cernere. Discurrant animæ super murũ fidei; quoniã nulli intellectus nostri discursus, satis esse possunt ad videndum Christum, nisi super fidei discurrat murum. Nemo Iesum videre potest, (ait Ambrosius libro 8. in Lucam) constitutus in terra, &c. Statura pusillus Zachæus Iesum videre non potuit: quia turba Dominus circundatus erat, ascendit in arborem excelsam, inde illum vidit, & postquam vidit, hospitio excepit: similem in modum, Christum non turba, sed panis vinique speciebus circundatum, oculis cernere non possumus: in arborem ergo ascendamus celsissimam, id est, fidem, inde facile illum aspiciemus: & pectoris hospitio magna cum voluptate excipiemus.

Act. 6. Obedientiã fides exigit. D. Chrysost.

Fallax sensuum testimonium. D. Thom.

D. Bernar.

Gen. 49.

D. Ambr.

In terra Deus nõ videtur, ascẽdẽdũ est in arborẽ excelsam fidei.

Dices: cur Dominus sub tã simpliciũ rerũ accidentibus, voluit in terra manere, scilicet panis, & vini, quæ vulgares & simplicissimæ res sunt? Cur sub accidentibus splendidissimi non mansit auri, aut sub accidentibus lapidis alicuius pretiosissimi? Respondetur facile, quia voluit nobiscum manere, non solum vt adoraretur, verum etiam vt magna cum vtilitate nostra à nobis sumeretur. Si sub splendentibus gẽmarũ, aut auri accidentibus mansisset, adoraretur quidẽ & coleretur; sed non sumeretur, neque in pectus nostrũ sũma cũ nostra vtilitate induceretur. Vt ergo hæc nobis vtilitas ex tanto Sacramento emanaret, sub simplicissimarũ rerũ panis, & vini speciebus, latere voluit, quæ edũtur, & potantur. De Sacramentorũ simplicitate legendus Tertullian. lib. de Baptismo c. 2. Nihil (inquit) ad

Noluit Dominus sub gẽmarũ vel auri accidẽtib. manere.

by Google

eo est, quod obduret mentes hominũ, quã simplicitas diuinorũ operũ, quæ in actu videntur; & magnificentia, quæ in effectu repromittitur. Vt hic quoque, quoniam tanta simplicitas sine pompa, sine apparatu nouo aliquo, denique, sine sumptu, homo in aquam demissus, & inter pauca tinctus, non multò, vel nihilo mundior resurgit; eò incredibilis existimetur consecutio æternitatis. Proh misera incredulitas, quæ denegas Deo proprietates suas, simplicitatem, & potestatem, &c.

Admirabile Sacramẽtũ Eucharistiæ *Psalm. 67.*

Admirabilia sunt, quæ de hoc Sacramento credimus. Etenim, vt canitur Psal. 67. [Mirabilis est Deus in Sãctis, siue sanctuarijs, [suis,] id est, in tẽplo suo, in quo Eucharistia colitur, & adoratur. Admirari licet, atque obstupescere; dubitare non licet, immo ad credendũ incitare nos debet ipsa admirabilitas. Nam cũ Dei opera, vt Scriptura prædicat, mirabilia sint,

Psalm. 85.

Psal. 85. [Magnus es tu, & faciens mirabilia,] &c. credendũ est mirabilia omnia, quæ in Eucharistia confitemur, Dei esse opera: tribuendaque illis fides, eo quod stupore sint dignissima. Vt enim ait Tertullianus loco indicato; Qualia decet esse opera diuina, nisi super omnem admirationem? &c. Addit: Nos quoque miramur: sed quia credimus. Cæterũ incredulitas miratur, non credit: miratur enim simplicia, quasi vana, magnifica, quasi impossibilia. Hæc ille. Miratur incredulitas in hoc Sacramento simplicia, i. simplices species panis, & vini, quasi vanas, hoc est, quasi Christo Deo vacuas: Chistũ. n. sub ipsis contineri nolunt increduli credere. Præterea miratur incredulitas magnifica, quasi impossibilia: hoc est, miratur illa, quę huic Sacramẽto magnifica, & admirabilia insunt, quasi fieri nõ possint. Qui verò animosam habẽt fidẽ, diuinamque omnipotentiam infinitam esse, & nostrũ intellectũ infinito interuallo superare animaduertunt: sanè quæcunque de tam admirabili Sacramento magnifica, & admirabilia creduntur, ab infinita omnipo-

Opera Dei mirabilia sunt. *Tertull.*

Incredulitas.

A tentia fieri posse non dubitant. Audi incredulitatẽ, Psal 77. [Male locuti sunt de Deo, dixerunt: nunquid poterit Deus parare mẽsam in deserto?] Item: [Nunquid poterit dare, aut parare mensam populo suo? &c. Potuit ò creduli Hebræi, potuit Deus parare mensam, dareque panem ex aere populo suo quem oculis ipsis vidistis.

B Potuit idẽ Deus omnipotens, & voluit, ò increduli hæretici, parare mẽsam aliam, panemque aliũ multo admirabiliorem populo suo Christiano qui oculis cernitur fidei. Omnipotens est, potest omnia: amator hominũ est, vult eis seipsum tradere. Quia omnipotens est, facere potuit stupendũ Sacramentũ, quo se hominib. traderet: quia hominum amator est, facere voluit. Dignum opus fecit omnipotentia sua dignum infinito amore suo: denique dignum Deo, dignũque summa fide. Non sunt opera Dei

C intellectu nostro metienda; est enim minima, fallaxque mensura. Operũ Dei mensura est voluntas Dei, atque omnipotentia. Psal. 110 [Confessio, & magnificentia, opus eius:] hoc est, opus Dei est omni confessione siue laude prædicandũ: opus Dei est magnificẽtissimum, & præcellentissimũ. Quomodo vero exquirendum sit, &

D perscrutandum, docet vates cum ait eodem Psalmo: [Magna opera Domini exquisita in oẽs voluntates eius,] &c. Hieronymus vertit, [exquirẽda.] Exquisita ergo sunt, siue exquirenda opera Domini, & perscrutanda, non secundum intellectum nostrum imbecillimum, sed secundum voluntatem omnipotentem Dei, [qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ,] vt Paulus ait ad Ephes.

ad Ephes. 1.

E 1. quique, vt est in Psalmo 134. [omnia quæcunque voluit, fecit in cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis, &c.]

Optimus & maximus est Deus: quia optimus, hoc Sacramentum plenum bonitate sua voluit instituere; quia maximus est, & potentissimus, quod voluit, potuit efficere. [Notas facite

in

in populis adinuētiones eius, ait Isa. cap. 12.] En tibi stupendam Dei adinuentionem notam facimus Amor, & bonitas diuina, hanc (vt ita dicam) inuentionem inuenit; diuina omnipotentia effecit. Animo concipiamus regem aliquem, post reportatam de hostibus in bello victoriam, idipsum bellum in scena populo representari voluisse: eundemque regem personatum scenam ingressum, eadē illa, quæ in bello gesserat, representasse. En tibi Christi regis magni inuentionem. Post reportatam admirabilem de Tartareis hostibus victoriam, ipsum passionis maximè cruentum prælium in Eucharistico sacrificio representari iussit. Qua in representatione, ipse velut personatus, hoc est, speciebus panis, & vini velatus, populo apparet, passionis representans prælium, celeberrimum triumphum, quē de hostibus egit, in memoriam reuocans, lautissimo epulo populum excipiens, dapes illi omni pretio pretiosiores, omni dulcitudine dulciores, omni salute salubriores exhibēs, corpus nimirum, sanguinemque suum. O summi Regis admirabilem inuentionem! humilitati Christi illam tribuit Diuus Augustinus Psal. 33. concl. 1. his verbis; Nisi humilis esset Dominus neque manducaretur, neque biberetur, &c. & Dionysius Alexand. in epistola ad Paulum Samosat. exinanitionem Christi vocat. Hæc (inquit) est Dei ad nos exinanitio, vt admittamur ad capiendum eum; hoc enim Sacramentum tremendum dicit Apostolus cum ait ad Philip. 2. [quod seipsum exinaniuit, &c.]

Isa. 12.

Adinuētio Dei Eucharistia.

Passio in Eucharistico sacrificio representatur

D. August.

Dion. Alex. Christi humanitas in Sacramēto.

[Hoc est corpus meum (ait) Lucæ 22. quod pro vobis datur,] & 1. Cor. 11. [Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, &c.] Item Matth. 26. [Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, &c.] Non typū, vel figuram corporis, & sanguinis sui tradidit nobis Dominus, sed ipsummet corpus, quod hostibus tradidit cruci suffigendum, ipsummet sanguinem, quem pro hominū multitudine effudit, id quod satis superque verba hæc demonstrant. Apertissimè loquitur Dominus; sic enim oportebat loqui, cum omnium Sacramentorum præcellentissimum institueret, in Ecclesia ad iudicium vsque permansurum, atque frequentandum, stultumque est existimare tropicè locutum, & obscurè absque vlla tropi explanatione. Eandem veritatem Paulus indicat, cum ait 1. Cor. 11. [Probet seipsum homo; & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Equidem si corporis, & sanguinis sui, signum solum nobis præbuisset Dominus probationē minimè requireret Paulus adeò seuerè; quemadmodum neq; requisiuit Moyses ab ijs, qui manna edebant, quod corporis Christi typus erat. Iam verò illa alia Pauli verba, cui non persuadeant nisi superbissimo hæretico? [Qui enim (inquit) manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini, &c. Item: [Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini, &c. Videsne ingens illius scelus, qui Eucharistiam augustissimam indignè sumit? Quis ergo adeo erit cæcus, vt dicat solum corporis, & sanguinis Christi signum sumi? Tantum scelus manifestè indicat, corpus verum, verumque sanguinem Christi in Sacramento contineri. Iudicium enim is sibi manducat, & bibit, & reus est corporis veri, & sanguinis veri, qui sumit indignè. Idipsum indicat morborum, mortisque supplicium; [Ideo (inquit) inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi, &c.

In Eucharistia realiter Christus est

1. Cor. 11.

Morbi, & infirmitates supplicia sūt eorum, qui indignè cōmunicant.

Si sola signa, & typos corporis, & sanguinis Domini haberet Ecclesia; sanè præstantiora signa habuisset Synagoga, & præstantiora sacrificia: præstantiori enim modo significabat manna, agnusque Paschalis corpus Christi, quam significet nudus panis. Sanguis quoque animalium, Christi sanguinem præstantiori modo indicabat, quam indicet vinū, ani-

animalium verò sacrificia multo præstantiora erant, quàm sacrificium panis. Quis autem nisi insanæ mentis homo, affirmare audebit, Synagogam præcellentiora habuisse Sacramenta quam habeat Ecclesia, aut præcellentiora habuisse sacrificia, sacrificio Eucharistiæ maximo? Ad hæc, nemo dicet figuras, ac typos rebus ipsis figuratis, ac adumbratis præcellentiores: signa omnia huius Sacramenti, figuræ erant, ac typi ipsius; ergo omnia illa signa multo erant inferiora Sacramento. Vide Diuus Hieronymus in com. epist. ad Titum cap. 1. Tantum (inquit) interest inter panes propositionis, & corpus Christi, quantum inter vmbram, & corpora, inter imaginem, & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipsa, quæ per exemplaria figurabantur, &c. Inferiores autem erant figuræ ipso Sacramento, quia Sacramentum Christum verè continet, quod figuræ tantummodo repræsentabant. Origenes homilia 7. in libro Numer. Lex (inquit) Dei iam non in figuris, & imaginibus sicut prius, sed in ipsa specie veritatis agnoscitur, & quæ prius in ænigmate designabantur, nunc in specie; & veritate complentur. Ante in ænigmate fuit Baptismus in nube, & in mari, nunc autem in specie regeneratio est in aqua, & Spiritu sancto. Tunc in enigmate erat manna cibus, nunc autem in specie caro verbi Dei est verus cibus, sicut ipse dicit: Caro mea verè est cibus. Hæc Origenes. Non habemus laicos panes (dixit olim Achimelech sacerdos cum Dauide typicè loquens 1. Reg 21.) sed tantum panem sanctum, &c. Non est.n. panis Eucharistiæ laicus, hoc est popularis, nõ est panis is quem laici coquunt: sed panis est sanctus, ex cælo descendens, panis est viuus, ipsum Christum continens, quem Christiani sacerdotes diuina potestate conficiunt, panis est quẽ ipsi Angeli in terris adorant, ꝙ ex Patribus probatur.

D. Hieron. *Origenes.* *Baptismus olim fuit in ænigmate in nube, & in mari.* *1. Reg. 21.* *Anastasius.*

Anastasius Patriarcha Antioc. hoc (inquit) sacrificium astantibus Angelis, & eorum præsidio conficitur, &c.

A In Missa Diui Iacobi: Taceant omnes mortales, stent cum metu, ac tremore, nihil terrenum cogitent. Rex enim regum Christus Deus noster erit, vt mactetur, & detur in cibum fidelibus eum verò chori Angelorum antecedunt, &c. D. Chrysostomus in hom. de diuina mẽsa, & iudicio: O (inquit) miraculum mensæ mysticæ, tam magnificè instructæ! in qua agnus Dei, pro te mactatur; ad quam assistunt B Cherubini, descẽdunt Seraphini, qui senis alis præditi vultus demittunt. Vbi omnes Angeli cum sacerdote, pro te legationem obeunt, &c. Nilus Chrysostomi discipulus, ad Anastasium Episcopum de Diuo Chrysostomo scribens Sæpe (inquit) vidit ferè omni tempore in Ecclesia Angelos, sed maximè tempore sacrificij Missæ. Itaque admiratione, & lætitia plenus amicis multum spiritualibus seorsum C narrabat, quemadmodum cum sacerdos oblationem sanctam facere inciperet, plurimi Angeli è cælo delapsi splendidissimis stolis induti, nudo pede, aspectu intento, vultu demisso, circunstantes altare, magna reuerentia, & quiete, ac silentio, vsque ad mysterij consummationem assistunt. Deinde discurrentes Episcopos, ac Presbyteros, qui corpus, ac sanguinem distribuunt, adiuuant, & corroborãt. D Hæc ille. Diuus Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 58. Quis (inquit) fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora cælos aperiri, in illo mysterio Angelorum chorosadesse, &c. Alia testimonia lege tomo 1. lib. 7. c. 2. Denique verissima hæc veritas ipso Sole splendidior est ei, qui cæcus esse non vult, satis superque confirmata Scripturæ verbis, Ecclesiæ definitionibus, miraculis, testimonijs Patrum, E Doctorum omnium, totiusque populi Christiani, quæ persequi longũ esset. Lege, si libet, eos doctores, qui scripserunt aduersus hæreticos, quorũ tanta cæcitas est, vt clarissimis veritatis radijs circũdati, nihil videant, quia videre nolunt Et est vt apud Iob 24. lumini rebelles sunt. Sap. 14. de tenebris, quibus Aegyptij circũfusi &c. legi-

Angeli Christum in Eucharistia adorant. *D. Chrys.* *Nilus.* *Angeli summa cum reuerentia sacris intersunt.* *D. Greg.* *Iob 24.* *Sap. 14.*

legitur: [Ignis nulla vis, poterat illis lumen præbere, nec syderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam, &c.] Quæ quidem verba egregiè in tenebras, quibus hæretici oppleti sunt, quadrant. Nulla enim vis ignis, hoc est, diuinorũ verborum, potest illis lumen præbere; nec syderum limpidæ flammæ, hoc est, Ecclesiæ definitiones, miracula, Patrumq; testimonia, illuminare possunt illorum noctem, cæcitatemque horrendam. Cur ita? quia illuminari nolunt; cæci sunt, & cæcitatẽ amant suam, superbum intellectum in fidei obsequiũ captiuare nolunt, impiamque sectantes libertatem, heu, miserandum in modum, in æternã se præcipitant captiuitatem. Debuerant equidem alieno lautiores esse exemplo. Nonne vident Arianos hæreticos, Macedonianos, Pelagianos, Manichæos, Nestorianos, similesq; alios, eandem tenuisse viam, quam ipsi tenent; nimirum intellectum in fidei obsequium captiuare noluisse, ab Ecclesia defecisse; illorũ verò mẽdacia omnino euanuisse? cur seipsos in similibus veluti in speculo non cernunt? cur idẽ sibi euenturũ non vident? Mirum est homines rationis participes, errores rationis expertes sequi, mirũ falsis, & commentitijs placitis hominum flagitiosorum fidem adhibere, mirum pro fide Catholica, atq; antiquissima opiniones nouas heri natas, & ab impurissimis autoribus absq; vllis miraculis traditas amplecti, mirũ certissimum æternæ damnationis discrimen non formidare, mirum in ipsis Tartareis tenebris, in tanta securitate vitam degere, stimulis conscientiæ non agitari (si tamen non agitantur) mirum veritatem non inquirere & cælestem lucem in tanta caligine non implorare, mirum Babylonicam hæreseon, imò Tartaream captiuitatem nõ effugere, sed in captiuitatem teterrimam animum redigere, vt viuendi falsam quandam libertatẽ seruent. O vtinam sapiant, & intelligant, & nouissima prouideant, Deique in nos amorem, & omnipotentiam expendant. [Quis loquetur potentias Domini,] Psal. 105. quę in hoc stupendo Sacramento fidei oculis cernuntur, [quis auditas faciet omnes laudes eius,] quibus propter tãtum beneficium dignus est? Nemo omnipotentiæ Dei figat terminos, aut amori. Amauit nos, voluit amorem suum stupendo demonstrare mysterio, voluit, & potuit. voluit, inquam, quia amauit; potuit quia est omnipotens. Psalmo 77. [conuersi sunt, & tentauerunt Deum, & sanctum Israel exacerbauerunt, &c] Hebraicè verbum est, [Taua,] quod significat [signare, Tau,] signum. Vnde nonnulli vertunt, [Sanctum Israel signauerunt;] hoc est, signum posuerunt potentiæ Dei, quod transgredi nequiret: aliqui vertunt, [Sanctũ Israel limitauerũt;] hoc est, Dei potentiam limitauerunt, quasi Deus infinitam non haberet potentiam, sed limite circunscriptam. Non habet limitem Dei potẽtia, potest omnia, etiam illa quæ captum intellectumque nostrum longè superat. Admirabilia sunt Dei opera in hoc Sacramento, sed omnia Deo possibilia; stupenda sunt, sed maximè credibilia. Cæci sunt hæretici, cæco Isaaco similes, qui Iacob alieno amictu indutum non cognouit, quamuis illius vocem, Iacob vocem esse asseruerit: [Vox] (inquiens) [vox Iacob est, &c.] Eundem in modum hæretici, Christum alieno specierũ amictu obtectum cognoscere nolunt, quamuis illius vocem audiant: [Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus:] & Christi vocem esse fateantur. Similes quoque sunt Achimelecho, qui Dauid vidit, sed non agnouit, quia, vt legitur 1. Reg. 21. [immutauit os suũ coram eo,] & in titulo Psalmi 33. immutasse dicitur vultum Dauid coram Achimelech. Ita hæretici, verum Dauidem Christum, non cognoscunt, quia immutat vultum suum corã hominibus, nec in regia maiestate conspicuus, sed panis, viníque speciebus velatus apparet. De hoc Psalmi titulo lege Augustinum Psal. 33. conc. 1. Quod 1. Reg. 21. legitur; [collabebatur

Mirũ homines nouas opiniones nullis miraculis traditas amplecti.

Psal. 77.

Potẽtia Dei infinita.

Cæcitas hæreseos.

1. Reg. 21.

Christ⁹ speciebus velatus ab hæreticis non agnoscitur.

bebatur Dauid inter manus eorum,] id est, seruorũ Regis Achis, siue Achimelech; iuxta versionem Septuaginta Interpretum legit, [Ferebatur Dauid in manibus suis:] idque non Dauidi, sed Christo congruere ait, cùm in cœna venerabile Sacramentũ manibus suis tulit: Ferebatur (inquit Augustinus) Christus in manib. suis, quando commendans ipsum corpus suum ait, [Hoc est corpus meum.] Ferebat enim illud corpus in manibus suis, &c. Hęreticos relinquamus, Deumque precemur, vt horrendam in qua sunt noctem, cælesti luce depellat, ipsum verò fidei Catholicæ fulgorem, quo nostros illustrauit animos, sua ope semper seruet.

D. August.
In cœna Christus ferebatur manibus suis.

Mysterium fidei Sacramentum Eucharistiæ appellatur à Domino, & quidem mysterium est maximum. Mysterium fidei maximum, fidem flagitat maximam. Qui absque naui pelagum aggredi tentant, submerguntur; qui verò absque fide mysterium fidei contemplantur, admirabilis mysterij magnitudine opprimuntur. Tũc illud Chrysostomi homilia 32. in Ioãnem; Sine fide (inquit) nullam magnarum rerum doctrinam percipere quispiam potest, sed illis similis est, qui sine naui pelagus transnare aggressi, parum profecti, lassatis manibus, pedibusque fluctibus continuo obruuntur. Neque aliter, qui suis rationibus nituntur, ante cognitam veritatem naufragium faciunt, &c. heu quot nostris temporibus, magno animi cũ dolore, conspicimus fidei naufragia, quot naufragos videmus, qui oblatas sibi non tabulas, sed tutissimas naues nolunt prehendere, hæreseosque fluctus effugere. [Apparent rari nantes in gurgite vasto,] dixit olim Poeta. At nos verè nunc dicemus; Apparent non rari, sed plurimi nantes in gurgite vasto Hæreseos. Nunc natant miseri, paulò post æternis Orci ignibus demergentur. Naufragium autem faciunt, vt ait Chrysostomus, quia suis rationibus abiecta fide innituntur, sibique sapientes esse videntur. Vide quales nos fidei esse sectatores velit idem Chrysostomus 1. Cor. homilia 10. Nisi (inquit) æquo iure cum idiota teipsum fidei præbeas; nihil sanè generosum intelliges. Etenim strabones nisi conniuentibus oculis alijs se credant, sed vitiato oculorum suorum aspectui se commiserint, longè magis, quàm qui nihil penitus vident, aberrant, &c. Huc attinet illud Pauli 1. Cor. 3. [Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo; stultus fiat, vt sit sapiẽs, &c.] Etenim stulto similis, sed re ipsa sapientissimus, is est, qui humanas rationes non sequitur, sed fidei documenta quæ rationem superant, complectitur. Nihil peius est (ait idem Pater sapientissimus homilia 24. in Ioannem) quàm humanis rationibus spiritalia subijcere. Ideò nos fideles appellamur, vt humanarum cogitationum vilitate contempta, ad fidei altitudinem euadamus, &c. Et Diuus Bernardus epistola 190. Quid magis (inquit) est contra rationem, quàm ratione rationem conari transcendere? & quid magis cõtra fidem, quàm credere nolle, quidquid nõ possis ratione attingere, &c. non potest ratio seipsam transcendere, suos enim habet terminos. Vt verò ad Sacramenti huius intelligentiam perueniat, necesse est vt seipsam transcendat; transcendit autem per fidem. Cum verò fidei obiecta, rationis captum longè superent; ipsi rationi aduersatur, qui ijs fidem non vult adhibere, ad quæ ratio, & intellectus, absque fide non pertingit.

Mysterium fidei magnã postulat fidem.
D. Chrisos.
D. Chrisost.
1. Cor. 3.
Sapiens est qui hic humanas rationes non sequitur.
D. Chrisost.
D. Bernar.

[Animalis homo] (ait Paulus 1. Cor. 2.) [non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, &c.] Nõ potest animalis homo opera Dei intellectu assequi, spiritu fidei indiget, vt intelligat. Nam absque fide, Dei mirabilia opera nequeunt intelligi, vnde Diuus Cyrillus Ioan. cap. 6. Præcedit (inquit) fides; cognitio sequitur, &c. & Diuus Augustinus tract. 29. in Ioannẽ: Crede (inquit) vt intelligas, &c. Item: Intellectus merces est fidei, &c. Isaiæ 7. iuxta versionem Septuaginta Interpretum. [Nisi credideritis, non intelli-

Animalis homo non percipit spiritualia.
1. Cor. 2.
Credo, vt intelligas.
D. Cyril.
D. August.
Isa. 7.

telligetis, &c. Ne innitaris prudétiæ tuæ,] (ait Salomon Prouerb. 3.) est enim baculus arundineus, cui si innitaris, frangitur, innitentemque vulnerat. Innitamur ergo omnes baculo fortissimo, cui etsi totis viribus incumbamus, minimè frangetur; innitamur, inquam, fidei, Deique omnipotentiæ, cuius opera adeò sunt sublimia, vt humana ratione comprehendi non possint. Vnde D. August. epist. 3. ad Volusianum: Tota (inquit) ratio facti, est potentia facientis, &c. Ad Ephes. 3. [Qui] (inquit) potens est omnia facere superabundanter, quàm petimus, aut intelligimus, &c.] Si naturæ opera intelligendo complecti nequimus, qui fieri potest, vt opera illa, quæ naturam vincunt, complectamur? Quomodo ignoras, quæ sit via spiritus] (ait Ecclesi. cap. 11.) [& qua ratione compingátur ossa, in ventre prægnantis; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium, &c.] Ignorat homo corporis sui in vtero fabricationem, animum ignorat suum, naturę arcana mille ignorat, vt August. docet libro 21. de ciuitate Dei, ignorat artificum mille opera, quæ nisi videret facta, fieri non posse iudicaret: persuadeat ergo sibi Deum omnipotentem, multa, & posse facere, & fecisse quæ ipse ignoret, intellectusque acie attingere nequeat Iob 36. [Quis poterit scrutari vias eius, &c.] Item: Meméto quod ignores opus eius, de quo cecinerunt viri; Ecce Deus magnus vincés scientiam nostram, &c.] Psal. 91. [Quā magnificata sunt opera tua Domine: nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ, vir insipiens non cognoscet, &c.] Superbi est animi, & stulti, id nolle credere, quod credendum Ecclesia tradit, quia intellectum, rationemque vincit, fidem penitus is euertit. Rerū enim quas intellectu, ratione que comprehendis, scientia est, nō fides; earum fides est, quæ intellectus aciem fugiunt, quas non ratio, sed diuina certissimè persuadet autoritas, atque omnipotentia. Ideò maximum meritum fides parit, quia, quæ ratione, & experientia homo non percipit, ea credit certius, quā si ipsis oculis intueretur; vnde illud D. Gregorij homilia 26. in Euang. Fides non habet meritū, vbi humana ratio præbet experimentum, &c. Demus (ait August. epistola 3.) Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse, &c. imò, demus Deum infinita posse facere, quæ nos non possumus intelligere. Qui infinita potest facere opera, quæ nostri intellectus acutissimam etiam aciem effugiant, augustissimum fecit Eucharistiæ Sacramétum, cuius miracula stupenda intellectus capere nequit; idcirco mysterium fidei appellatur. Fide ergo tátum mysterium complectamur, fide veneremur, atque adoremus, fide suscipiamus, iuxta illud Pauli ad Hebræos 10. [Accedamus] (inquit) [cū vero corde, in plenitudine fidei, aspersi corda à cósciétia mala, &c.] Accedamus ad Christi velamē, id est, carnem in Eucharistia velatam, cum vero, ac syncero corde & veritatis amante, cum fide plena, atque perfecta, cum conscientia pura, nullius criminis conscij. In cęlo velamen tolletur, & fidei succedet clarissima visio, iuxta illud Diui Bernardi in sermone de cœna Domini: In terra (inquit) sponsum habes in Sacramento: in cælo habiturus sine velamento, &c. interim in terra credamus, quod non cernimus [Præstet fides supplemētum sensuum defectui,] vt Diuus Thomas hortatur in hymno Ecclesiastico.

Marginalia: Prou. 3. — D. August. — Ad Ephe. 3. — Eccl. 11. — Natura opera intelligere non possumus. — Iob 36. — Psal. 91. — Fidei meritum. — D. Greg. — D. August. — Ad Hebr. 10. — Quæ virtutes afferéda ad Eucharistiam.

CAPVT XIV.

De sacrificio Eucharistiæ.

SAcerdos summus, Pontifexque Ecclesiæ maximus, est Christus, secundum ordinem Melchisedech, vt vaticinatus est Rex Dauid Psal. 109 [Iurauit (inquit) [Domi-

[Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum, secūdum ordinem Melchisedech, &c.] Quibus verbis docet Christum fore sacerdotem; sacerdotiū verò eius fore æternum, & a sacerdotio Iudaico diuersum, ordinisq; alterius videlicet Melchisedech.

In primis sacerdotem fore ait Dei æternum, iureiurando constitutum, populi Christiani: [Iurauit] (inquit) [Dominus, & non pœnitebit eum, &c.] Dicitur Deus pœnitere metaphoricè, non propter affectum, sed propter effectum, quia sic se habet in effectu, ac si eum pœniteret. Theodoretus Psalm.109. Humano (inquit) more hæc dixit vates, quādoquidem affectus expers est diuinitas, affectus est autem pœnitentia, &c. August. libro 15. de ciuitate, cap.25. Non sicut hominem (inquit) ita Deum cuiusquam facti sui pœnitet; cuius est de omnibus omnino rebus tàm fixa sententia, quàm certa præscientia. Vnde tropica locutione pęnituisse legimus: sic ille. Tropicè igitur, siue metaphoricè loquitur Dominus Genes.6. cum ait, [Pœnitet me fecisse hominem, &c.] & 1.Reg.15. [Pęnitet me, quod constituerim Saul Regem, &c.] Simile est illud Psal.105. [Pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ, &c.] Contra 1.Reg.15. ait Samuel: Deus pœnitudine non flectetur. Nec enim homo est vt agat pœnitentiam, &c.] Sic hoc loco; [Iurauit Dominus, & nō pęnitebit eū. &c.] Solent illi quos pœnitet, reuocare factum: quamobrem significat vates, Deum nunquam abrogaturum Christi sacerdotium, quemadmodum abrogauit sacerdotium Aaronis, foreque sempiternum. Aaronis sacerdotium definitos habuit terminos tum loci, tum temporis; loci quidem, quia in vno tantummodò templo Ierosolymitano sacerdotibus Aaronicis fas erat sacrificia Deo offerre, vt constat ex Leuit.17. & Deut.12. temporis verò, quia sacerdotium secundum ordinem Aaronis, ad Christum vsq; permansit, abolitumque est, & antiquatum. At Christi sacerdotium, neque terminum habet loci, neque temporis. loco minimè circūscribitur: quia in toto terrarū orbe sacerdotes Christiani sacrificium Deo offerunt; iuxta illud Malachiæ 1. [In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo, oblatio munda, &c.] Tempore non terminatur, quia æternum est. [Iurauit] (inquit)] Dominus, & non pęnitebit eum: tu es sacerdos in æternum? Respondetur, quia illud imperfectum erat, hoc perfectissimum. Vnde Paulus ad Hebræos 7. [Si consummatio] (inquit) [per sacerdotium Leuiticum erat, quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici, &c.] quasi dicat; si per sacerdotium Aaronicum cōsummatio, id est, perfectio dabatur expiationis peccatorum, & gratiæ, atque gloriæ, nō opus fuit alio sacerdotio. Sed quia sacerdotium illud imperfectum erat, neque consummationem afferebat populo gratiæ, aut gloriæ, ideò fuit necessarium sacerdotium aliud perfectissimum, quod populo peccatorum expiationem, gratiamque, & gloriam afferret. Addit Paulus: [Reprobatio fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatē. Nihil enim ad perfectū adduxit lex, &c.] Reprobatam ait, & antiquatam legem, & sacerdotium, quia imperfectum erat, quia infirmum, & inutile ad peccata expianda, gratiāque efficiendam. Sacerdotium verò Christi nunquam à Deo reprobabitur, nunquam antiquabitur, æternum erit, [Tu] (inquit) [es sacerdos in æternum. lege quæ dicta sunt tomo primo, de prærogatiuis noui Testamenti.

Docet prætereà vates, quodnam sit huius æterni perfectissimique sacerdotij sacrificium: dū addit, Christum sacerdotem esse secundum ordinem Melchisedech. Est enim sacerdos, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinē Melchisedech: quia sub speciebus panis, ac vini corpus,

Quomodo dicatur De⁹ pœnitere.
Theodor.
D. August.
Propter affectum, non propter effectum Deus dicitur pœnitere.
Gen.6.
1. Reg.15.
Psal.105.
1.Reg.15.
Christi sacerdotium sempiternū est.
Malach. 1.
ad Hebr.7.
ad Hebr.7.
Christi sacerdotiū secundum ordinem Melchisedech.

pus, sanguinemque suum, quotidie Deo, per Sacerdotes suos offert. Aaronis ordo sacrificia offerebat cruēta; ordo Melchisedech offert incruenta. Nam Melchisedech non cruenta sacrificia, sed panem tantummodo, & vinum Deo offerebat. Eusebius libro quinto de demonst. Euang. cap. 3. Melchisedech (inquit) nusquam videtur sacrificijs corporalibus functus, sed solo vino, & pane, dum ipsi Abrahæ benedicit, &c. Theodoretus Psalm. 109. Inuenimus (inquit) Melchisedech Sacerdotem, & Regem esse, offerentem Deo non sacrificia ratione carentia, sed panem, & vinum, &c. Primasius ad Hebræos 5. Melchisedech (inquit) non fuit Sacerdos secundum legalia mandata, sed secundum cuiusdam singularis sacerdotij dignitatem, panem offerens Deo, nō brutorum animalium sanguinē, &c. Oecumenius ad Hebr. 5. Melchisedech fuit primus, qui hostiam sine sanguine, panem, inquam, & vinum obtulit, &c. Diuus quoque Hieronymus in Epistola ad Euagrium, ex antiquioribus Patribus Irenæo, Hippolyto, & alijs, docet Melchisech carnis, & sanguinis victimas non immolasse, nec brutorum animalium sāguinem dextra suscepisse; sed pane, & vino simplici, puroque sacrificio Christi dedicasse Sacramentum. Adde Hebræos, qui teste Genebrardo libro 1. Chronograph. cēsent Melchisedech panem, vinumque sacrificasse. Templum (inquit) extruxit Melchisedech, in quo sacrificasse panem, & vinum, more veterum, quorum sacrificia ferè erant incruenta, Hebræorum nullus negat, &c. lege Galat. lib. 10. cap. 5. Probatur hæc sententia, quoniam ex Psalmo 109 constat diuersum fuisse ordinem Melchisedech ab ordine Aaronis; idemque docet Paulus ad Hebræos 7. ergo omnia Melchisedech sacrificia incruenta erant. Nam si cruenta fuissent vitulorum, aut aliorum animalium, non fuisset diuersus ordo secundum Melchisedech, ab ordine secundum Aaronem: diuersitas enim maxime in sacrificijs cernitur. Idem ostenditur ex illis verbis Gen. cap. 14. [Melchisedech Rex Salem, proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei] id est, Abrahamo, &c. Quidnam protulit Melchisedech? Sanè nō vitulos, aut arietes, sed panem, & vinum, & sacrificauit; quoniam Sacerdos Dei Altissimi erat, Abrahæq; benedixit: sacrificium verò obtulit Deo in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ: post sacrificium victores pane, vinoque refecit, vt Iosephus docet. Tertullianus contra Iud. Damasc. libro quarto fidei cap. 14. & alij.

Euseb. *Melchised. non offerebat pecudes sed panem, & vinum.* *Theodor.* *Primasius.* *Oecumenius* *Sacerdotiū Melchised. diuersum erat a sacrificio Aaronis* *Gen. 14.*

Hoc sacrificio, sacrificium Christi manifestè significauit fore interuentum, sub speciebus panis, atque vini, vt Patres docent. Clemens Alexandrinus Stromatū lib. 4. Melchisedech (inquit) Sacerdos Dei Altissimi, qui vinum, & panem sanctificatum dedit nutrimentum, in typum Eucharistiæ, &c. Eusebius Cæsar. lib. 5. de demon. Euang. cap. 3. Mysteria Melchisedech spiritu diuino cognouerat, & rerum futurarum imaginibus vsus fuerat, sicut Scriptura testatur, dicens; [Melchisedech protulit panes, & vinum, &c. Diuus Augustinus lib. 1. contra aduersarium legis, & Prophet. cap. 20. Nouerunt (inquit) qui legūt, quid protulerit Melchisedech? Vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe, &c. Et lib. 16. de ciuitate cap. 22. Ibi (inquit) primum apparuit sacrificium, quod nunc a Christianis offertur Deo, &c. Diuus Cyprianus epistola 63. In Scerdote (inquit) Melchisedech sacrificij dominici Sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod Scriptura testatur Genesis 14. &c. Diuus Ambrosius libro 5 de Sacrament. cap. 1. Cognouimus Sacramentorum istorum figurā præcessisse, quando obtulit sacrificium Melchisedech, &c. Diuus Hieronymus in epistola ad Marcellam; Melchisedech iam tunc in typo Christi, panem, & vinum obtulit, &c. Damascen. Mensa illa Melchisedech mysticam hanc adumbrabat; quemadmodum,

Typus Eucharistia, et sacrif. Christi fuit sacrificium Melchisedech. *Clemen.* *Euseb.* *D. Aug.* *D. Cyprian.* *D. Ambros.* *D. Hieron.* *D. Damasc.*

dum, & sacerdos ille veri Pontificis Christi figuram præ se ferebat, &c. Lege Galat.lib.10. cap.5.

Christus in cœna typū impleuit.

Eximiũ hunc typum, impleuit Dominus in extrema cœna: eundem implet quotidie per sacerdotes suos offerens seipsum vsque ad finem, ideoque dicitur sacerdos in æternũ, quia ad finem vsque orbis per sacerdotes suos offeret, vt ait Oecumenius ad Hebræos 5. Non ad ipsam (inquit) tantum, quæ à Deo semel facta est hostiam, & oblationem dixit, [in æternum,] sed ad nostri temporis sacerdotes inspiciens, per quos Christus, & sacrificat, & sacrificatur, &c. Quia verò Christus, & sacrificat, & sacrificatur, idcircò ab Augustino libro 4. de Trinitate cap.7. dicitur sacerdos, & hostia; sacerdos, quia sacrificat per sacerdotes; hostia, quia sacrificatur incruente. Theophylactus eodem capite 5. ad Hebræos: Qui (inquit) dixit; [In æternum?] quoniã etiam nunc, vnà cum corpore quod pro nobis immolauit, apud Deũ, & Patrem intercedit, hoc est, quas pro nobis pertulit afflictiones proponit, etiam sine voce, reipsa nimirum Patri loquens; Pro humana natura sustinui hæc, miserere igitur horum, pro quibus ego pati, & mori sustinui. Vel quia quæ in singulos dies fit, & futura est in perpetuum oblatio per Dei ministros, ipsum habet Pontificem, & sacerdotem Dominum; atque adeò ipsam hostiam, qui seipsum pro nobis sanctificat, & frangitur, & distribuitur. Hæc Theophylactus. Diuus Ambrosius Psalm. 83. Christus (inquit) offerre manifestatur in nobis (scilicet sacerdotibus offerentibus) cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur, &c. Concilium Tridentinum sess.22.cap.2. Vna (inquit) eademque est hostia, idem nunc est offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tũc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa, &c. Theodoretus Psalm. 109. Exorditur (inquit) sacerdotium Christus in nocte, qua crucem subiuit, cum accepit panem, & gratias egit, fregit, & dixit: Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum; similiter & calicem, &c. & Oecumenius ad Hebræos 5. Sacerdotibus (inquit) in mystico illo conuiuio, ac cœna, sacerdotij huius Christus tradidit formulam, &c. & D. Irenæus lib.4. cap. 32. Noui (inquit) Testamenti, nouam Christus docuit oblationem (scilicet in cœna) quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in toto mundo offert Deo, &c. Diuus Chrysostomus 1. Cor. homilia 24. Pro brutorum (inquit) cæde seipsum offerendum præcepit, &c. Augustinus Psalm. 33. Christus (inquit) de corpore, & sanguine suo sacrificium instituit secundum ordinem Melchisedech, &c. Præterea vt suprà ostendimus tunc discipulos primos mundi sacerdotes creauit, secundum ordinẽ Melchisedech, vt docet Concil. Trid. sess.22. can.2. cum dixit, [Hoc facite in meam commemorationem, &c.] Hoc (inquit) facite, quod ego feci, offerte in sacrificium Deo, corpus, sanguinemque meum; sumite, & alijs distribuite. Hæc enim omnia fecit tunc Christus, obtulit, sumpsit, & Apostolis distribuit. Quòd distribuerit Apostolis, perspicuũ est, quòd sumpserit, suprà ostendimus capitulo 5. quòd obtulerit, probatur, quia Apostolis dixit, [Hoc facite,] quod ego facio; at Apostoli obtulerunt, & illorum successores offerunt; ergo, & Christus obtulit, & ab illo didicerunt. Præterea Christus tunc sacrificium instituit, vt paulò ante diximus: ergo tunc sacrificauit, tradiditque Ecclesiæ Eucharisticum sacrificium. Nam vt Theodoretus ait, in cęna sacerdotium exorsus est Christus; ergo tunc sacrificauit secundum ordinem Melchisedech. Diuus Cyprianus lib.2. epistola 3. Christus, inquit, sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, panem scilicet, & vinum, hoc est, suum corpus, & sanguinem, &c. Diuus Gregorius Nyssenus Orat. 1. de resur. pro ineffabili, arcanoque, & qui ab hominibus cerni nequit sacrificij modo, sua dispositione, & administratione, præoccupat Christus

Marginalia: Oecumenius. — Theophyl. — D. Ambros. — Theodor. — Oecumen. — D. Iren. — D. Chrysost. — D. August. — Christus in cœna obtulit, sumpsit, Apostolis distribuit. — Christus in cœna obtulit sacrificium. — Theodor. — D. Cyprian. — D. Gregor. Nyss.

stus impetum violentum. Ac sese obla A tionem, ac victimam offert pro nobis sacerdos, & agnus Dei. Quando hoc accidit? Cum suum corpus ad comedendum, & sanguinem ad bibendum, familiaribus præbuit, &c. Rupertus lib. 2. in Exod. cap. 6. In angustia (inquit) passionis agonizans Christus prius proprijs manibus Deo Patri seipsum immolauit, accipiens panem, &c. Diuus Cyprianus epistola 63. Si Christus (inquit) est summus sacerdos B & primus seipsum in sacrificium obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit: vtique ille sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id, quod Christus fecit; imitatur, & sacrificium verum, & plenum tunc offert in Ecclesia, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse, &c. Denique Christum in cœna obtulisse Deo corpus, sanguinem sub speciebus panis, & vi- C ni, ait Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 2.

Rupertus. *D. Ciprian.* *Conc. Trid.*

Instituit ergo Dominus in cœna, tum sacerdotes, tum sacrificium Eucharistiæ eximium, quod vnicum in Ecclesia est, abrogatis sacrificijs legis veteris, quæ omnia hoc vnicum sacrificium infinito interuallo antecellit. In antiquis enim sacrificijs, oues, hircique & alia bruta animantia offerebantur; in sacrificio autem Euchari D stiæ Christus ipse offertur, ideoque sacrificij significatio in eo maxima est. Nam sacrificium supremam significat Dei excellentiam, & primi principij, ac vltimi finis, Dominique rerũ omnium præcellentissimi dignitatem. Hæc autem significatio in sacrificio maximè cernitur, in quo in honorem cultumque Dei, non vituli, aut agni offeruntur, sed corpus, sanguisque E Christi hominis atque Dei. Nihil ad cultum Dei supremum poterat maius offerri, nullum præstantius holocaustum poterat excogitari. Cætera sacrificia vmbræ fuerunt imperfectæ, hoc veritas est, & consummatio, atq; perfectio. Vnde illud Concilij Tridentini sess. 22. cap. 1. Hæc (inquit) est oblatio, quę per varias sacrificiorum

Eucharistia sacrificium præcellentissimum est. *Conc. Trid.*

naturæ, & legis tempore, similitudines, figurabatur; vtpote, quę bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio, & perfectio complectitur, &c. In hoc sacrificio manna dulcissimum fit, non Angelorum, sed Dei omnipotentis opera, & sacerdotum ministerio: in hoc agnus Paschalis, non typicus, sed verus immolatur, atque editur; in hoc non taurorum, aut hircorum carnes, & sanguis, sed infinitæ cuiusdam victimæ corpus, sanguisque Deo offertur. Hoc est holocaustum, omnibus holocaustis præcellentius, sacrificiũ pro peccato præstantissimum, hostia pacifica nobilissima, sacrificium laudis, quod Deum maximè honorificat, iuxta illud Psalmi 49. [Sacrificium laudis honorificabit me, &c.] hæc est hostia illa munda, de qua Malachiæ cap. 1. huiusmodi vaticinium extat [Non est mihi voluntas in vobis (videlicet in sacerdotibus antiquæ legis) dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab hortu. n. Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio mũda, quia magnum est nomen meum in gentibus, &c.] Abroganda indicat Dominus Iudaici sacerdotij sacrificia; offerendam verò toto terrarum orbe ostiam mundam, id est, Eucharistiæ sacrificium, vt interpretantur Patres, Diuus Irenæus, lib. 2 cap. 33. Diuus Cyprianus lib. 1. contra Iudæos cap. 16. Diuus Augustinus lib. 18. de ciuit. cap 25 Iustinus in Dialogo, Damasc. lib 4 de fide, cap. 14. & alij. Appellatur autem Eucharistiæ oblatio munda, quia nulla offerentium nequitia contaminari potest, vt est in Concilio Tridentin. sessione 22. cap. 1. Hæc (inquit) illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium, inquinari potest, quam Dominus per Malachiam, &c. Præterea, quia hostia est incruenta, sacrificia autem legis veteris, pleraque cruenta erant. hanc hostiam hostia illa Abelis præsignificabat, de qua Gen. 4. legitur. [Respexit Dominus

Psal. 49. *Malach. 1.* *Oblatio munda apud Malachiam dicitur Eucharistia sacrificium.* *Gen. 4.*

minus ad Abel,& ad munera eius. Ad Cain autem, & ad munera eius non respexit,&c.] Respicit Deus ad verũ Abel Christum gratissimum filium suum, sacerdotemq; summum: respicit ad munera, & sacrificia ab ipso per sacerdotes oblata, quia summopere placent. Ad Cain autem, id est, ad populum Iudaicum, cuius Cain typus fuit, & ad munera eius, iam non respicit, vt Rupertus interpretatur. Sophoniæ 3. [Reddam populis labiũ electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiãt ei humero vno vltra flumina Aethiopiæ, inde supplices mei filij dispersorũ deferent munus mihi &c] D. Fulgentius libro 2. cap. 5. Ecce (inquit) Christus, qui suprà expectandum se in die resurrectionis suæ præcipit ipse sibi hostias ab omnibus gentibus offerendas ostẽdit, vt agnosceretur sacrificium illud esse acceptabile Deo, quod supplex offert, fidelium puraq; deuotio,&c.

Sophon. 3.

Psal. 21. in quo de passione Christi agitur, titulus huiusmodi est [Pro susceptione matutina] Chaldeus vertit [Super potenti oblatione perpetua auroræ, hymnus Dauid,&c.] Potens oblatio Christi fuit in cruce, sed eadem perpetua est, quia perpetuò in Eucharistico sacrificio idem Dominus offertur: estque Eucharistiæ oblatio potens, & perpetua, ad finem vsque orbis permansura. Preterea oblatio est auroræ, quia ab aurora incipit offerri. lege to. 1. lib. 3. cap. 21. Isa. 19. [In illa die erit altare Domini in medio terræ Aegypti.] Item [Cognoscent Aegyptij Dominum in die illa, & colent eum in hostijs, &c.] Prædicit Isaias sacrificium Eucharistiæ a gentibus offerendum Deo; Erit (inquit) altare in terra Aegypti, similiterque reliquarum gentium, in quo sacrificium offeretur nobilissimum; cognoscent Aegyptij, & gentes Deũ, & colent eum hostijs incruentis Eucharistiæ, & cap. 56. [Adducam eos in montem sanctum meum, id est, Ecclesiam, & lætificabo eos in domo orationis meæ, holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo,&c.] Lege Diuum Cyrillum in hunc locum. De eodem altari loquitur Paulus ad Hebræos 13. cũ ait: [Habemus altare, de quo edere non habent facultatem, qui tabernaculo deseruiunt,&c.] & 1. Cor. 10. [Non potestis (inquit) mensę Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum,&c.] id est, altaris Dei, & altaris dæmonum. de eodem loquitur Christus Matth. 5 [Si (inquit) offers munus tuum ad altare,&c.] De altari loquitur nouæ legis, Christianos enim præcipuè illo sermone docebat. Lege Diuum Irenæum lib. 4. cap. 34. & Optatum Mileuit. lib. 6. contra Parmen. Ezechielis cap. 43. dicitur altare holocaustorũ Ariel, id est, Leo Dei; quia instar leonis animalia rationis expertia vorabat; similem in modum dicitur Genes. 49. Beniamin lupus rapax; propter ipsum altare tẽpli, quod in sorte erat Beniamin, vt docet Chaldæus, & alij. Lege tom. 2. lib. 3. cap. 11. At nostrum altare Ariel est, idest, Leo Dei, quia leonẽ habet Dei, de tribu Iuda Christum, & propter tantum sacrificium Leo Dei est aduersus hostes Tartareos Altare Iudæorum concauum erat, & inane, Exod. 27. [Nõ solidum, sed inane, & cauum intrinsecus facies illud,&c.] & meritò, quia gratiam non continebat, & vi sua minimè largiebatur. Et altare Christianorum solidum est, ac plenissimum Deo, & Dei gratia, quam Eucharistiã donat ex vi sua, Præterea altare Iudæorum, ex impolitis lapidibus construebatur, siue ex terra. Exo. 20. [Altare de terra facietis mihi, quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus,&c.] Etenim terrena erant sacrificia, rudia, atque impolita vitulorũ, ouium, hircorum. Nostrum verò altare, non terrenum, sed cæleste est, cæleste enim habet sacrificium; non impolitum, sed expolitissimum est, tantique sacrificij dignitatem ornatissimum.

Psal 21. *Eucharistia oblatio potens, & perpetua.* *Isa. 19.* *Altare Christi in terra Aegypti.* *Isa. 56.* *Hebr. 13.* *Matt. 5.* *Ezech. 43.* *Gen. 49.* *Exod. 27.* *Exod. 20.* *Altare Iudæorum nõ erat solidũ, sed concauũ nec gratiã continebat.*

CA-

CAPVT XV.

De sacrificio Eucharistiæ.

Dan.12. Daniel cap. 12. Sacrificium Eucharistiæ, iuge vocat, illis verbis [Cum ablatum fuerit iuge sacrificiũ &c.] Videlicet, tempore Antichristi: dicitur autem iuge sacrificium, id est, perpetuum. Dauid Ps.71. Erit (inquit) firmamentum in terra, in summis mõtium, &c. *Psal.71.* Hebraicè erit, pisat bar; significat autem dictio, pisat, fragmentum, particulam, volam, & palmam manus; bar verò significat fragmentum. Diuus Hieronymus vertit: Erit memorabile triticum in terra: Chaldæus Paraphr. Erit panis, saguid, id est, corroborans, cõfirmans, vel substantificus in terra, in capite montiũ. *Eucharistia firmamentũ in terra.* Alia translatio Chaldaica, Rabbi Ionathe, ben Vzielis, teste Galatino lib. 10. cap. 4. sic habet; Erit Corban, id est, oblatio panis in terra, in capite montium Ecclesiæ, &c. Burgensis trãsfert: erit placenta frumenti in terra. Montanus: erit particula frumenti. Congruunt ter hæc omnia ter maximo sacrificio. Est enim firmamentum in terra, id est, panis cor firmans, ac corroborans in Ecclesia, in summis montium, id est, in templis, & aris; templa enim & aræ sunt Ecclesiæ mõtes, in quibus Eucharistiæ sacrificium Est memorabile triticũ, vt vertit Hieronymus; est panis corroborans, & substantificus, vt vertit Chaldæus: est oblatio panis cælestis, vt est in alia versione Chaldaica: est placenta, siue particula frumenti, propter species panis, vt vertunt Burgensis, & Montanus in summis montibus, id est, in templis, & aris. *D. Hieron. Templa, & aræ, sunt Ecclesiæ mõtes.* Hebraicè legitur, in capite montium, id est, in capite summorum Pontificum, Episcoporum, & cæterorum Sacerdotum, qui Ecclesiæ montes sunt propter celsissimum sacerdotalis dignitatis gradum. Extant in hunc locum nonnulla Hebræorum dicta non prætereunda silentio, quæ commemorat Galat. lib. 10. cap. 4. In libro, qui dicitur a Iudæis, Collectionum, hæc leguntur: *Galatin.* Dicit Chaldæa translatio Rabbi Ionathæ; [Et erit Corban, id est, oblatio panis in terra in capite montium Ecclesiæ.] Videat, qui habet oculos, quod sicut dictum est, ille est Messias, de quo loquitur totus Psalmus. *Placenta tritici.* Cum ergo ait: [Et erit placenta frumenti in terra, in capite montium; vult dicere, quod placenta panis fiet sacrificium, in capitibus sacerdotum, qui sunt in Ecclesia, &c. Item, in expositione Ecclesiastę super illud cap. 1. [Quid est, quod fuit? idipsum quod futurum est;] Rabbi Barachias in nomine R. Isaac dixit, quod quemadmodum fuit Redemptor primus, id est, Moses; ita erit Redemptor vltimus. Sicut enim Redẽptor primus fecit descendere manna, ita Redemptor vltimus, id est, Messias, erit placenta frumẽti in terra, iuxta illud Ps. 71. Erit placenta frumenti, &c. Et in expositione lib. Gen. R. Mos. Adarsan super illud Oseæ 11. Declinaui ad eũ, vt vesceretur; sic scribit, id est, submittam ad eum cibum bonum suauem & magnum, cui non est alius similis, de quo dictum est Psal. 71. Erit placenta frumenti, vel fructum panis in terra, &c.

Psal.21. De Eucharistia exponitur. Psalmo etiam 21. de Eucharistia vaticinium est: Vota mea reddã (ait Dominus) in conspectu timentium eum; edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum. Viuent corda eorum in sæculũ sæculi, &c. Augustinus in prima expositione eiusdem Psalmi: Vota mea interpretatur, id est, Sacramenta corporis, & sanguinis mei reddam, &c. Et in secunda expositione eiusdem Psalmi: Quæ (inquit) sunt vota? Respondet, sacrificium, quod Christus obtulit

Digitized by Google

lit Deo, &c. Idem sentit Cassiodorus, Remigius, & alij. Edunt hanc hostiam pauperes homines, meritis indigentes, & gratia, & saturantur, fiuntque diuites, Deũ laudant, gratiasque agunt, suscepto Sacramento Eucharistiæ, id est, actionis gratiarum. Viuent hoc Sacramento corda eorum vita gratiæ, & gloriæ. Addit vates: [Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ; in conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram, &c] Hoc est; cibum cælestem manducabunt omnes pingues terræ, id est, opulenti, & nobiles, reges, & principes Christiani, & quamuis reges principesque sint, ipsum Sacramentum adorabunt, quia Christum hominem, Deumque continebit. Denique in conspectu Christi in Sacramento contenti cadent, id est, prosternent se omnes, qui descendunt in terram, id est, omnes homines, qui in sepulchrum descendunt, omnes mortales, qui fide illuminati fuerint. Quæret aliquis, Num Dominus vouerit Eucharistiæ sacrificium? Vouisse probant verba citata, [Vota mea Domino reddam.] Quòd si quis respondeat, [vota] significare [desideria:] probatur id esse falsum ex nomine Hebræo, [neder,] quod non [desiderium,] sed [votũ] propriè significat, siue votiuam oblationem, quemadmodum, [nedabah,] spontaneam.

Hostiã hãc qui edunt saturantur gratia.

Salomon sapientissimus Prouerb. 9. [Sapientia] (inquit) [ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suã, &c.] Etenim infinita patris Sapientia Christus, Ecclesiæ domum sibi extruxit, septem, id est, multas columnas in ea constituit (sumitur enim numerus septenarius pro multis) sunt autem hæ columnæ Apostoli, reliquique Ecclesiæ Pastores, ac Doctores. Immolat verò victimas suas, Hebraicè [tibchah,] id est, [victimam suam,] miscet vinum, & mensam suam proponit in sacrificio Eucharistiæ. Nam de Eucharistia locum hunc interpretatur D. Cyprianus epistola 63. Augustinus lib 17. de ciuitate cap. 20. & alij. Obtulit Deo sacrificium manne coram Angelo Iud 13. [Cumque ascenderet flamma altaris in cælum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit, &c.] Arbitratur Augustinus in quæst. in lib. Iudicũ quæst. 54. hoc Angelo Christum adumbrari, magni consilij Angelum, sese patri offerentem. Augustinus: Quod (inquit) stetit Angelus in altaris flamma, magis significasse intelligendus est, illum magni consilij Angelum, in forma serui, hoc est, in homine, quem suscepturus erat, non accepturum sacrificiũ, sed ipsum sacrificium futurum. Hæc ille. Est quidem Christus ipsum sacrificium, id est, res oblata, & quidem in flamma ignis, hoc est, magna cum amoris flamma. Erat apud Hebræos oblationis genus quoddam quod dicitur oblatio pro gratiarũ actione, Hebraicè, [todah,] Leuit. 7. [Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerẽt panes absque fermento conspersos oleo, & lagana azyma vncta oleo, coctamque similam, & Collyridas olei admixtione conspersas, panes quoq; fermentatos cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis, &c.] Ecce nostri summi sacrificij vmbram, quod sacrificium est, [toda,] id est, laudis, vel gratiarũ actionis, est enim sacrificium Eucharistiæ; Eucharistia autem Græcis significat gratiarum actionem offerturque Deo panis cælestis, id est, Christus, oleo summæ misericordiæ conspersus. Congruit illud Psalmi 49. [Immola Deo sacrificium laudis, &c.] Item illud, [sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quòd ostẽdam illi salutare Dei, &c.] Hebraicè legitur; [sacrificans laudem, honorificabit me;] sacrificat quidẽ laudem, & gratiarum actionẽ, sacerdos in hoc sacrificio, quia Deũ laudat, illique gratias agit, quod est sacrificium metaphoricè. Vnde Augustinus eodem Psal 49. Quod est (inquit) sacrificiũ laudis, nisi gratiarum actio? Aut vnde Deo maiores gratiæ sunt agendæ, quàm per Christum Domi-

Prouerb. 9.

Sapientia miscuit vinum & posuit mẽsam in institutione Eucharistiæ.

Iud. 13.

D. August.

Leu. 7. Oblatio pro gratiarum actione.

Psalm. 49. Sacrificium laudis.

D. August.

Digitized by Google

Dominum nostrum, quod faciunt fideles in Ecclesiæ sacrificio, &c. Sed huic sacrificio metaphorico, proprium adiungitur sacrificium omni laude, & gratiarum actione dignissimum; sacrificium, inquam, corporis veri, verique sanguinis Domini. Sacrificium ergo laudis, & gratiarum actionis simul est, cum sacrificio corporis, & sanguinis Christi. Illic verò, id est, in hoc sacrificio iter, & via est in cælum, in quo Deus ostendit salutare suum, id est, Christum. Via in cælum ducens Christus est, iuxta illud Ioannis 14. Ego sum via: hæc via, hoc iter, in sacrificio est; est etiam via in cælum gratia, & virtutes, quæ per sacrificium hoc impetrantur. Est etiam in hoc Sacramento via, quia via est, & viaticum in cælum. Præterea via Dei est in hoc sacrificio, quia est in eo caro Christi, per quam nobis nouam vitam in cælum initiauit, vt Paulus ait ad Hebr. 10. [Habentes (inquit) fiduciam in introitu Sanctorum (id est, cæli) in sanguine Christi, qui initiauit nobis viam nouam, & viuentem, per velamen, id est, carnem suam, &c.] Initiauit (inquit) nobis Christus viam nouam in cælum, per carnem suam, qua velata erat diuinitas, quæque in Sacramento velata est. Velũ, ait Theodoretus vocauit corpus Christi, quia quemadmodum Pontifex per velum templi intrabat in Sancta Sanctorum nec aliter ingredi poterat; sic qui in Dominum crediderunt, per communionem sacrosancti corporis cælesti vita potientur, &c. Et Diuus Thomas in Paulum. Per velamen (inquit) initiauit viam, id est, per carnem suam, datam nobis sub velamento speciei panis, &c. Est oblationis alius modus Leu. 2. in quo hęc sunt verba Dei; [Anima cum obtulerit oblationem sacrificij Domino simila erit eius oblatio, fundetque super eam oleum, & ponet thus, &c.] appellatur hæc oblatio Hebraicè, mincha, typus quoque est Eucharistici panis, qui è cælo descendit. funditur super similam oleũ, vt Christus sub panis specie oblatus

Ioan. 14. Via in cælũ est i Eucharistia.

Ad Heb. 10

Corpus Christi velum. Theodor.

Alius oblationis modus.

Mincha typus Eucharistia.

adumbretur; nomen enim Christi vnctum significare notissimum est; adde fundi oleum, vt ipso oleo misericordia Dei indicetur, quam nobis hoc impetrat sacrificiũ. Adiungitur thus, quod orationem significat, quia, vt paulò antè diximus, sacrificio corporis, & sanguinis Christi, Dei laus, oratio, gratiarumq; actio adiungitur.

Præter hæc, admirabile hoc sacrificium adumbrabant, panes propositionis, de quibus Leuit. 24. [Accipies ait Dominus Mosi) similam, & coques ex ea duodecim panes, quorũ senos altrinsecus super mensam purissimã coram Domino statues, & pones super eos thus lucidissimũ, vt sit panis in monimentum oblationis Domini, &c.] D. Cyrillus, lib. 13. de adoratione; Mensa (inquit habens propositionem panum, significat incruentã hostiam, per quam sanctificamur comedentes panem de cęlo, id est, Christũ, &c. Erant panes illi ante Deum in tẽplo propositi; similem in modum noster panis cælestis in templo, & in sacrificio proponitur ante Deum, vt respiciat in faciem Christi sui, nosque protegat, ac misericordia prosequatur, iuxta illud Ps. 83 [Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui, &c.] Ponebatur super panes thus lucidissimum, sal quoque, vt indicant 70. Interpretes; ponitur in sacrificio Eucharistiæ, thus lucidissimum orationis, & sal doctrinæ, quæ præcipuè in Epistolis, & Euangelijs continetur. Erat panis ille, vt ait Dominus loco citato, in monimentum oblationis Domini; est etiam Eucharistiæ sacrificium incruentum in monimentum oblationis Christi cruentæ, iuxta illud Lucæ 22 [Hoc facite in meam commemorationem. Num. 28. Iubet Dominus offerri holocaustum, manè agnum vnum, vesperi alterum: dicitur autem hoc sacrificiũ iuge, quia iugiter offerebatur. Typus verò erat holocausti Christi, quod in cruce obtulit cruentum, quodque singulis diebus offert incruente; hoc autem est iuge sacrificium Ecclesiæ. Duo illi agni eundem

Typus Eucharist. panes propositionis.

Leu. 24.

D. Cyrillus

Thus significat orationem.

Num. 28.

Iuge Ecclesia sacrificium.

Christum adũbrabant sed duo erant, vt duplex sacrificium significarent; cruentum crucis, & incruentum Eucharistiæ. Quanuis enim si rem oblatam, siue hostiam cõsideremus, idem omnino sit sacrificium cruentum crucis, & incruentum Eucharistiæ, quia idẽ Christus offertur, iuxta illud Tridentini Concilij sess. 22. cap. 2. Vna eademque est hostia, idemque nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit; sola ratione offerendi diuersa, &c. tamen si actiones diuersas, & oblationes, modumq; offerendi cruente. & incruente spectemus, plura sunt sacrificia, & oblationes, quia sæpius Christus offertur, alioque modo in cruce oblatus est, scilicet, cruente, alio in Eucharistia offertur, nimirum incruente.

Plures oblationes, & sacrificia quo modo sint.

Ad Heb. 10

Paulus ad Hebræos 10. Vnius oblationis meminit, scilicet cruentæ; [Vnum] (inquit) [pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei; vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos, &c.] Vnam appellat hostiam cruentam crucis, qua sanctificatos in sempiternum consummauit. Hæc tamen hostia non aduersatur hostiæ incruentæ, imò maximè cum illa cõsentit, quia cruẽta hostia puteus est quidã profundus aquę viuæ, hoc est gratiæ, sed haustris indigemus, vt ex illo hauriamus aquam: haustra verò, siue pretiosa vasa, quibus ex hoc puteo gratiã haurimus, Sacramenta sunt, & eximium Eucharistię sacrificium. Etsi cruci suffixus est Christus, non satis, id est, vt salutem homines consequantur; alioquin omnes illam consequerentur: opus prætereà est canalibus, per quos Christi sanguis ad illos perueniat, illisque applicetur: hi autẽ canales, Sacramenta sunt, & hostia Eucharistica, illi qui hos canales despicit, neque vasa ad hauriendã adhibet aquam viuam, illud congruit Samaritanæ Ioan. 4. [Neque in quo haurias habes, & puteus altus est, &c.] De hostia quoque cruenta verba illa Pauli ad Hebræos 10. intelligẽda sunt, [Vbi horum] (id est, peccatorum) [remissio,] scilicet est, [iam non est oblatio pro peccato, &c.] Significat enim Apostolus Christum hostiam fuisse in cruce pro peccatis omniũ hominum sufficientissimam, vt constat ex antecedenti testimonio Ieremiæ quod citat. Vbi verò peccatorũ remissio est, per hanc hostiam cruentam sufficientissimam, iam non est hostia alia similis, & cruenta pro peccato, superuacanea enim esset. Est tamen eadem hostia incruẽte sæpius oblata, per quam cruenta, quę sufficiens est, fiat efficax; quemadmodum est Baptismus, & Sacramenta reliqua. Eandem in sententiam loquitur Apostolus c. 9. cum sic ait: [Non in manu facta Iesus introiuit, sed in ipsum cælum, vt appareat vultui Dei pro nobis, neque vt sæpius offerat semetipsum, &c.] De cruenta oblatione loquitur: non enim introiuit in cælum Christus, vt sæpius crucifigatur, sed tamen sæpius illa cruenta oblatio incruente repræsentatur, sæpiusque ipse Pontifex, & hostia offertur. Nonne ipse Christus offert se Patri, suaque vulnera in cælo pro nobis? quod significat Paulus eodem capite dicens, [Introiuit in ipsum cęlũ, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. [Et ad Romanos 8 [Qui est] (inquit) ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis, &c.] Quẽadmodum hæc apparitio Christi, & vulnerum oblatio, & hęc interpellatio pro nobis, nihil sacrificio crucis officit in cælo sic Eucharistiæ oblatio, in qua idem Christus sub speciebus panis, & vini apparet, offertur, & suo sacrificio interpellat pro nobis, nihil obest eidem sacrificio crucis in terra; in cælo Christus interpellat pro nobis, vt crucis sacrificium fiat efficax in nobis; in terra per Eucharistiæ sacrificium idem præstat. & gratiam donat. Illa verò verba, quæ cap. 10. extant; Voluntarie peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, iam nõ relinquitur pro peccatis hostia, &c.] De peccato infidelitatis explanantur hoc pacto; voluntariè peccãtibus nobis, id est, à fide discedentibus, post per-

Hostia incruenta non aduersatur cruenta.

Ioan. 4.

Ad Heb. 10

Hostia cruenta offertur incruente.

Ad Heb. 9.

Sæpius cruenta hostia incruente repræsentatur.

Rom. 8.

Christus interpellat pro nobis.

Ad Heb. 10

perceptam fidei cognitionem, iã non relinquitur hostia vlla pro peccatis expiandis. Nõ enim relinquuntur hostiæ legales, quia vi expiatrice peccati caret, non relinquitur hostia cruenta crucis, neque etiam incruenta Eucharistiæ, quia in perfidia permanentibus perfidis ad expianda peccata non prosunt.

CAPVT XVI.

De sacrificio Eucharistiæ.

An Eucharistia sacrificium sit infinitum.

Rogabit aliquis: An incruentum Eucharistiæ sacrificium sit infinitum, siquidem eadem infinita hostia, scilicet Christus, in eo offertur, quæ in sacrificio crucis infinito oblata est? Respondetur primò, Eucharistiæ sacrificium infinitum esse, si res oblata consideretur, quæ est infinita, nimirum Christus. Secundò esse finitum si actio ipsa, & oblatio spectetur, quæ finita est. Præterea aduertendum est, primò, in sacrificio crucis fuisse dolores mortemque Christi, actu in eo toleratam; in sacrificio autem Eucharistiæ, non esse actu hos dolores, neque mortem esse actu, sed repræsentari. Secundò aduertendum, Christum in sacrificio crucis, infinitum cõparasse meritum, in sacrificio autem Eucharistiæ nihil mereri, quoniam cælestis gloria, qua perfruitur in cælo, meritum excludit. Non enim beati meritũ aliquod consequuntur, vnde sequitur non noua aliqua Christi merita in Eucharistiæ sacrificio offerri Deo, sed eadem illa infinita, quæ in sacrificio crucis cruento comparauit. Itaque offertur Christus infinitus, offeruntur que eius infinita merita; quamobrem id quod offertur, infinitum est, atque idem in omnibus sacrificijs incruentis, quod fuit in illo vnico crucis cruentissimo Crucis verò merita vim habent infinitam impetrãdi omnia, quæ à Deo postulari possunt, eandem quoque vim habent eadem merita in sacrificio Eucharistię, atque adeò sacrificium Eucharistiæ, infinitum est ad impetrandum quoad sufficientiam, tum propter merita infinita, tum propter personam infinitam Christi, à qua offertur, sufficit enim ad impetranda omnia, quæ postulauerimus à Deo, non tamen est hæc impetratio infallibilis, non enim promissionem habet Dei. multaque postulare possumus, quæ Deus minimè largietur, vel quia nos ad accipiendum donum, quod petimus, apti non simus, vel quia dari non expedit. Offertur (verbi causa) pro improbo homine sacrificium; fortè non impetrabit illi primam gratiam, quia liber est, à Deo non cogitur, pœnitentiam agere non vult, ideoque resistit.

In Eucharistia sacrificio mors nõ est sed repræsentatur.

Cur Deus postulata non concedit, etsi sacrificio postulentur.

An cõferat sacrificium gratiam ex opere operato.

Si roges an ex opere operato (vt Theologi loquuntur) aliquid conferat hoc sacrificium? Respõdetur primò conferre sic gratiam Eucharistiæ Sacramentum sumptum; non tamen ipsum sacrificium. Nam Eucharistiæ Sacramentum ad largiẽdam gratiam ex opere operato institutũ est à Christo, sacrificiũ verò ad soluendas peccatorum debitas pœnas. Vnde Diuus Thomas 3. par. quæst 79. artic. 5. Hoc (inquit) Sacramentum simul est sacrificium, & Sacramentum. Rationem sacrificij habet in quantum offertur; rationem Sacramenti in quantum sumitur. effectum Sacramenti habet in eo, qui sumit: effectum sacrificij in eo, qui offert, vel in ijs, pro quibus offertur, vt Sacramentum, est institutum ad nutriendum, in quantum sacrificium, habet vim satisfactiuam. Hæc Diuus Thomas. Quamuis autem gratiam nõ conferat sacrificium ex opere operato, potest tamen tum remissionem peccatorum, tum gratiam impetrare. Secundò respondetur sacrificiũ ex opere operato conferre remissionem pœnæ debitæ peccatis,

D. Thom.

catis, modò tamen is pro quo offertur, & pœnam debet, gratiam habeat. Nam vt ait Diuus Thomas 3. part. quæst. 79. articulo 7. ad secundum, sicut passio Christi, prodest quidem omnibus, quantum ad sufficientiam, & ad remissionem culpæ, & adeptionem gratiæ, & gloriæ; sed effectum non habet nisi in illis, qui passioni Christi coniunguntur per fidem, & charitatem; ita & hoc sacrificium, quod est memoriale Passionis, non habet effectum nisi in illis, qui coniunguntur huic Sacramento per fidem, & charitatem, &c. Confert autem sacrificium ex opere operato, & infallibiliter, remissionem pœnæ debitæ, non solum viuis charitate præditis, sed etiam defunctis, quorum animæ igne expurgantur, si pro illis Deo offeratur. Itaque est hoc sacrificium impetratorium, habet enim vim ad impetrādum omnia, quæ à Deo petuntur, vt diximus, tam spiritalia, quàm caduca bona. Est præterea propitiatorium, siue expiatorium, quia pœnas pro peccatis debitas, ex opere operato expiat. Culpas verò delet, & gratiam confert, auxilium à Deo ad agendam pœnitentiam impetrando, non tamen infallibiliter; Concil. Trident. sess. 22. capitulo secundo. Docet (inquit) sancta Synodus, sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, vt si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia, contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Item: Oblationis cruentæ fructus, per hanc incruentam vberrimè percipiuntur; tantum abest, vt illi per hanc quouis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur. Hæc Concilium. Quòd si petas, an sit infinitus illius effectus, siquidem res oblata est infinita, ipsumque infinitam vim ad impetrandum habet? Respondetur, infinitum effectum dari non posse; dari finitum, iuxta Christi mensuram. Quamuis enim crucis sacrificium Oceanum quoddam mare sit, remissionis peccatorum, gratiæque, infinitum; tamen canales habet certos, hoc est, Sacramenta. & sacrificium, per quos non infinitus, sed finitus funditur effectus. Fuit olim in templo magnum quoddam aquarum receptaculum, quod abluendis sacerdotibus præbebat aquam per epistomia, de quo egimus tomo secundo libro tertio, capitulo 34. appellatur autem in Scriptura Mare. Quemadmodum magna illa aquæ copia, quæ in mari erat, per epistomia fundebatur, sic infinita donorum copia, quæ Christi sacrificio cruento velut mari infinito continetur, per Sacramenta sacrificiumque incruentum velut per epistomia funditur, finitusque effectus datur De sacrificio Eucharistiæ hæc sint satis.

D. Thom.

In quibus habeat effectum hoc sacrificium.

Sacrificium Eucharistiæ est impetratorium, & propitiatorium.

Sacramēta sunt epistomia maris meritorum Christi.

Reliquum est, vt ij à quibus offertur, dignos se præbeant tanti sacrificij sacerdotes. Cùm ipsum sacrificium agunt summos abluunt digitos, huius ablutionis animaduertant significationem; abluantque animi partes omnes, ad extremos vsque digitos, hoc est, ad extremas vsque cogitationes. Vnde Diuus Dionysius Areopagita libro de Ecclesiasti. Hierarch. capitulo 3. Luter (inquit) erat in legis hierarchia, nunc autem, & à Pontifice, & à sacerdotibus, adhibita manuum expiatio, eum indicat; ij enim qui ad sanctissimum sacrificium veniunt, expiati esse debent, etiam ab extremis animi phantasijs, & secundum similitudinem ipsius, quantum est possibile, accedere, &c. Malachiæ 3. Ipse quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos, quasi aurū, & quasi argentum;

De puritate sacerdotum offerentium sacrificium Eucharistiæ

D. Dionysi. Areopag.

Malach. 3.

De puritate offerentium, sacrificium

tum;& erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia, &c.] Vide quam purgatos velit Dominus esse filios Leui,id est,sacerdotes; [Purgabit] (inquit)[eos,& colabit, quasi aurum:] omni enim spurcitia expurgatos esse oportet, ipsoque auro flammis probato,puriores. Addit; [Erunt Domino offerẽtes sacrificia in iustitia:] hoc est,in sanctitate, & in conscientiæ puritate;iuxta illud Leuit.21.[Incensum Domini, & panes Dei sui offerunt;& ideo sancti erunt,&c.]Itẽ; [Sint sanctus](sacerdotes,ait Dominus) [quia & ego sancti sum Dominus, qui sanctifico eos,&c.]Itẽ eodẽ capite;[Homo de semine tuo](id est, Aaron,siue sacerdotum)[qui habuerit maculam,non offeret panes Deo, suo,nec accedet ad ministerium eius, Mundamini,qui fertis vasa Domini, Isaiæ 52. Si mundos eos esse oportet, qui ferunt vasa Domini, quanto mundiores esse necesse est eos, qui Dominum,& ferunt,& offerunt,& pectore excipiunt? Antequam igitur ad Eucharistiæ sacrificium accedant sacerdotes probent se,& expurgent, quasi aurum; prius Deo offerant sacrificium illud,quod regius vates memorat Psal. 50.dicens:[Sacrificium Deo spiritus contribulatus,cor contritum,& humiliatum Deus non despicies,&c:] Cor prius contritũ, atque humiliatum mactent, mundent confessione, diuinis flammis conflent, incendantque charitate; postea verum Eucharistiæ sacrificium peragant. Docet hoc magnus Gregorius lib.4.dialog.cap.50.Necesse (inquit)est,vt cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus.

Leuit.21.

Isai. 52.

Probare se dẽnt sacerdotes anteq̃ accedãt ad sacrificium.

D.Gregor.

Tunc verè pro nobis hostia erit Deo, cum nos ipsos hostiam fecerimus, &cæt. Introibat olim summus sacerdos Israeliticus in Sancta Sanctorum,in die expiationis, vt Abulensis scribit Exod 39.gemens, & afflicto corde,pro peccatis suis, & populi; timensque ne fortè à Deo aliquibus exigentibus peccatis occideretur. Eundem in modum intret sacerdos Christianus in Sancta Sanctorum Christiana, gemens, contritoq; corde: timeatque ne si indignè introierit,morte a Deo vel morbo mulctetur,iuxta illud Pauli 1.Corint.11. [Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles,& dormiũt multi.,idest,ideo multi morbis, vel etiam morte afficiuntur, quia indignè Eucharistiam sumunt.

1.Cor.11.

Modestiam magnam, ac reuerentiam in sacrificio peragendo seruet, Angelosque imitetur illos quos S.Nilus scribit loco supra citato à Diuo Chrysostomo conspectos. Narrabat (inquit) quemadmodum cum sacerdos oblationem sanctam facere inciperet,plurimi Angeli splendidissimis stolis induti, nudo pede, aspectu intento, vultu demisso, circunstantes altare,magna reuerentia, & quiete, ac silentio,vsque ad mysterij consummationem assistunt, &c.Quonammodo assistere debeant homines, ostendunt Angeli: nimirum aspectu intẽto in sacrificium, vultu humili, magna reuerentia,magnaque quiete, ac silentio. De silentio veteris legis sacerdotum in templo, ac reuerentia, Aristeas in bello de 72. interpret. sic scribit: Ministerium sacerdotum, robore,decore, & silentio cuncta superabat. Silentium tantum inest, vt cum septingenti ferè ministrorum continuo adsint, & offerentium libamina multitudo ingens, nec vnum quidem hominem in loco versari putes:summa namque veneratione cuncta,& magna Dei pietate,perficiuntur,&c. Illud quoque admirabile, quod Iosephus memoriæ prodit lib. 2.de bello,capit.5. Circumsepto(inquit)vndique fano a Pompeio, alios aliò fugientes vel repugnantes Romani interficiunt.

Reuerẽtia, ac modestia in faciendo & audiendo sacro seruanda.

S.Nilus.

Aristeas.

Iosephus.

Vbi plurimi sacerdotum quamquam hostes strictis gladijs irruentes videbant, intrepidi tamen in peragendis rebus diuinis perseuerabant, & in ipso libandi, templumque adolendi ministerio mactabantur, &c. Discant ab antiquæ legis sacerdotibus, quorũ sacrificia vm-

Mactabantur antiqui sacerdotes antequàm ministeriũ desererent.

vmbræ erant; discant, inquam, nouæ legis sacerdotes, quanta cum reuerentia, silentio, & ardore, non vmbratile, sed verum Eucharistiæ sacrificium offerre debent. Diui Bonifacij martyris dictum illud est, quod extat in Concilio Triburiensi, & de consecrat. dist. 1. c. 44. Quondam sacerdotes aurei, ligneis calicibus vtebantur, nũc sacerdotes lignei, aureis vtuntur calicibus, &c. Vtinam aureos sacerdotes Deus Ecclesiæ suæ donet: ligneos, ferreos, luteosque submoueat. Tunc aurea erit Ecclesia cum aureos Præsules, aureosque habuerit sacerdotes, vt docet autor imperf. homilia 38. in Matthæum: Si stomachus (inquit) sanus fuerit, totum corpus validum est: si autem dissipatus fuerit, totum corpus infirmum est; Ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret: si autem corruptum fuerit, omnium fides marcida est; cor autem, & stomachus sacerdotes intelliguntur, quia in rebus spiritalibus per eos totus populus gubernatur, &c. Item: Quemadmodum cum videris arborem pallentibus folijs marcidam, intelligis quia aliquam culpam habet circa radicem; ita cum videris populum indisciplinatũ, & irreligiosum, cognosce, quia sacerdotium eius nõ est sanum. Hæc ille. De sacerdotibus alijs locis egimus. Lege si placet, quæ dicta sunt tom. 2. lib. 2. de ministris templi, eorumque vestibus, præsertim summi sacerdotis.

Sacerdotes aurei quidã alij lignei.

Autor imperf.

Multũ cõferũt sacerdotes probi, ad probitatem populi.

Simile exẽplum.

CAPVT XVII.

De contentione discipulorum.

LVCAS CAPITE XXII.

Facta est autem, & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat: vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo: & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.

Mirum

Digitized by Google

Contēdebāt Apostoli de primatu.

Mirum sanè est, discipulos hoc tempore, & loco de primatu contendisse, posteaquā corpus, sanguinēque Christi acceperunt, & eximię humilitatis pedum ablutione exhibitum exemplum viderunt. At vero non mirum. Nondum enim honoris cupiditatem, reliquosque huiusmodi affectus Spiritus sanctus igne suo decoxerat. Fortè dicet aliquis neque hoc tempore, neque hoc loco contentionem hanc subortam, sed alio tempore, alioque loco; videlicet cum Christus paruulum in medio eorum statuit, dicens; [Ni conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum,] Matthæi 18. vel cum indignati sunt discipuli, propter petitionem matris Iacobi, ac Ioannis, Matthæi 20. Nam ij eos verbis ad humilitatem tunc adhortatus est, quæ hoc loco extant: [Scitis quia Principes gentium dominantur, &c.] At vero non fuisse ortam hanc cōtentionem eo tempore, quo Christus proposito exemplo paruuli, discipulos humilitatis commonefecit, compertum est ex Diuo Luca: capite enim 9. scribit: [Intrauit cogitatio in eos, quis eorum maior esset, at Iesus apprehendit puerum, &c.] Capite autem 22. [Facta] (inquit) [est contentio inter eos quis eorum videretur esse maior, &c.] Diuersa ergo fuit prior illa cogitatio, de qua egimus tomo 2. lib. 10 cap. 33. ab hac contentione, tum tempore, tum loco, siquidem idem Euangelista Lucas diuersis locis, & temporibus de illis agit. Quod vero non fuerit orta contentio, ex petitione matris filiorum Zebedæi, de qua egimus tomo 3 probatur, quia, vt ex Matthæo cap. 20. constat, cum Christus Ierosolymam peteret, accessit mater, & pro filijs postulauit, [Dic vt sedeant vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo, &c.] contentio autem hæc orta est Ierosolymis in cœnaculo, vt Lucas indicat. Respondebis Lucam illam matris postulationem prætermisisse; prætermissam verò contentionem nunc commemorasse: sed verisimile non est, tam alieno loco commemorasse; videlicet cum de factis, dictisque extremi temporis vitæ Christi sermonem haberet.

An sit orta hac cōtētio tū Christus paruulū statuit in medio discipulorum.

Matth. 18.

Matth. 20.

P. Salmeron ait non esse alienum à verisimilitudine contentionem hanc excitatam ante pedum ablutionem, in ipso cœnaculo, & ante Eucharistiæ institutionem: forte antequam cœnæ accumberent, excitata contētio est propter mensæ loca potiora: Lucas verò recapitulatione vsus hoc loco illius fecit mentionem. Beda ait, non esse incredibile, contentionem humilitatis fuisse potius quam superbiæ: Non est (inquit) incredibile, quia honore se inuicem præueniēdo certarint, &c. sed Christi commonefactio aliud indicat. Isidorus Clarius ortam conijcit ad deprehendendum proditorem: Cum audissent (inquit) vnum ex duodecim fore proditorem, arbitrati sunt, hunc qui id esset auсurus, patraturum hoc facinus gratia imperandi alijs. Atque ita quærebant, quis eorum videretur esse maior, vt aliquo modo deprehendi proditor posset, &cæt. Non congruit hæc opinio cum admonitione Christi. Theophylactus vero: Inciderunt (ait) Apostoli in hanc litem, quia verisimile est, quod inter se dixerint vnus alteri: Tu proditurus es: & alius alteri: & inde eo peruenerunt, vt dicerent, Ego sum melior, & ego sum maior, & similia, &cæt. At verò quamuis nondum Spiritus sancti igne essent hoc tempore inflammati, atque expurgati: tamen ad huiusmodi verba deuenisse non est probabile: præsertim in conspectu magistri. Euthymius existimat intellexisse discipulos Christum tradendum discipulo, & occidendum: atq; ideo de

An sit excitata cōtētio post Eucharistia susceptionem.

An fuerit humilitatis

Beda.

Vnde fuerit orta cōtētio Clarius.

Theophyl.

Euthym.

de primatu contendisse futuro post illius mortem; Iam (inquit) certiores facti de morte magistri, inquirebant quis eorum videretur esse maior, vt cæterorum fieret magister, &c. In eadem sententia est Diuus Antonius, Carthus. Caietauus. Iansenius, & Græcus anonymus in catena D. Thomæ: Hæc (inquit) contentio habuisse videtur motiuum, quod cum Dominus ab hominibus transmigraret, oportebat aliquem eorum fieri aliorum principem, quasi Domini vicem gerentem, &c. Objicitur, vel discipuli sciebant Christum resurrecturum, vel id ignorabant (qua de re suo loco agemus.) si sciebant resurrecturum, nec sciebant in cælos discessurum, non fuit alio opus, qui illius vices gereret: si putabant non resurrecturum, simul videbant congregationem illam eo mortuo non esse permansuram, atque idcirco non indigere Præposito aliquo: quorsum igitur de Præposito agebant? Responderi potest, discipulos de futuro rerum statu dubitando egisse hũc in modum: Post mortem magistri, quis maior erit, & nostrum caput, &c.

Obiectio.

Respondendum, non quæsiuisse, quis eorum esset maior, vt cæteris post Christi mortem ille imperaret: sed tantum quæsiuisse, quis eorum tunc videretur esse maior inter reliquos: similem enim in modum quæsierunt Marci 9. [In via] (inquit) inter se disputauerant, quis eorum maior esset, &c.] Forsitan orta quæstio est, quia viderant Petrum ante reliquos omnes esse à Domino ablutum; viderant præterea eundem Petrum, & Ioannem iuxta Christum mensæ accubuisse. Oriri autem potuit tũc cum quæsierunt quis futurus videretur proditor: quod innuit Diuus Lucas, sic scribens cap. 22. [Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset: facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior, &cæt. Dum de proditore quærerent facile fuit in contentionem delabi. Duobus item modis contentio fieri potuit: altero, ita vt maiorem se cæteris esse quisque contenderet, quod erat arrogantiæ: altero, ita vt alij de alijs quærerent, quisnam cæteris videretur præcellere, virtute, nobilitate tribus, & cognatorum prudentia, & alijs similibus, quod sine arrogantia fieri poterat. Chrysostom. Matth. 26. Inani gloriæ contentionem ascribit; In cœna (inquit) quisnam inter eos maior esset ambigebant, adeo inanis gloriæ passio, animos eorum adhuc turbabat, &c. Dicet aliquis, nonne discipuli sciebant Christum claues regni cælorum Petro permisisse? nonne audierant verba illa; [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?] cur igitur dubitabant Petrum reliquis omnibus esse maiorem? Respondetur, non satis tunc verba Christi intellexisse: fortè etiam plerique pro Petro contendebant, illum maiorem affirmantes, alij pro alijs, vel pro se.

Responsio iunior. *Marc. 9.* *D. Chrysost.*

Reges gentium dominantur eorum, &c.

COmpescit Dominus contentionem, & humilitatis documentum tradit. Reges (inquit) gentium, id est, Ethnicorum, qui fidei luce carent, Ethnicis dominantur, & qui super Ethnicos potestatem habent, appellantur benefici, id est, principes. Vos autem non sic: hoc est, vos discipuli mei doctrinæ meæ splendore illuminati, non eritis Ethnicis similes, cum superbia dominantes principes.

Qui inter vos maior est minorem se exhibeat, & qui reliquos præcedit, exhibeat se ministrum, non dominum. Minor Græcè dicitur, νεώτερος, id est, iunior; Qui maior (inquit) est, fiat sicut iunior, id est, sicut minor. Iuniores enim minores sunt, & ministri. Præcessor Græcè, ἡγούμενος, id est, [dux,] qui reliquos præcedit. Obserua præterea, nomen,

Benefici dicuntur principes.

nem,[beneficus,] &, εὐεργέτης. Græcum, hoc loco significare [principem.] Nam Hebræi principes appellãt.[Nedibim, idest, [beneficos,] verbum [nadab,] significat [sponte largiri, & donare, vnde, nadib, significat spontaneum, liberalem, beneficum, & principem, quia decet principem beneficum esse, atque liberalem, quemadmodum à regendo Reges, ab imperando Imperatores dicuntur, sic a benefaciendo benefici. Isaiæ 32. [Non vocabitur vlterà is, qui insipiens est, princeps; [Hebraicè,] non vocabitur nadib.] libro primo Regum 2. [vt sedeat cum principibus:] Hebraicè, cum nedibim. Prouerb. 17. [Non decet Principem, Nadib, labium mentiens. Prouerb. 19. [Multi colunt personam potentis, Nadib, id est, principis. Prouerb. 8. [Per me potentes,] Nedibim, decernunt iustitiam,] &c. Isaiæ 13. Ingrediantur portas duces, Hebraicè Nedibim. Verè beneficus fuit Titus Imperator qui recordatus die quadam, quod nihil muneris cuiquam dedisset, dixit; Amici diem perdidi. Illius quoque illud est; Neminem à vultu Principis tristem discedere oportet.

Isai 32. *1. Reg. 2.* *Prouerb. 17.* *Prou. 19.* *Prouerb. 8.* *Isai. 13.*

In medio vestrum sum, sicut qui ministrat.

EXemplo suo humilitatis documētum confirmat Dominus. Nonne (inquit) qui mensæ accumbit, maior est illo, qui ministrat? ego autē inter vos similis sum, non maiori, qui recumbit, sed minori, qui ministrat, discite ergo a me humilitatem. Dubitatur cur Christus dicat, [Ego in medio vestrū sum, sicut qui ministrat,] &c. Titus Bostrensis ad pedum ablutionem hoc ministerium refert, similiter Euthymius, & Beda. Theophylactus ad administrationē Eucharistię, quam Christus Apostolis distribuerat. Addit Beda, posse verbo ministrãdi intelligi omnia, quæ Christus in carne gessit. Existimo Christū his verbis humilitatem indicare suam, versabatur enim inter discipulos, nō tanquam Dominus imperans illi cū fastu, sed velut minister. Ministrauit verò illis cum pedes eorum lauit, & fortè sæpius mensæ accumbentibus ministrare solebat, vt ex hoc loco colligitur [Maior (inquit) est, qui recumbit, quam qui ministrat, ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat, videlicet vobis recumbentibus. Simile illud est Matth. 20. [Nō veni ministrari, sed ministrare,] &c. Vt enim discipulis, & nobis, exemplum humilitatis præberet, ministrabat, humilitatisq; opera exequebatur. eodem capite Matthæi 20. Cum discipuli indignati sunt, quod mater Iacobi, & Ioannis primas sedes filijs petijsset, ijsdem verbis discipulos ad humilitatem est adhortatus, quibus hoc loco vsus est, ea explicata sunt tomo 3. lib. 6 cap. 10.

Quomodo Christus ministrarit. *Christus versabatur inter discipulos nō tãquam dominus.* *Matth. 20.*

Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.

SVauiter monet discipulos, & monens laudat, præmiaq; promittit, & veros honores, vt fucatos pro nihilo ducant, Perseuerantiã in primis laudat, & fidelitatem; Vos estis, qui fideliter perseuerastis mecū, in tentationibus meis, hoc est, in laboribus, & in persecutionibus, quas à Iudæis sum perpessus: vel, permansistis in tētationibus meis, quibus vestram probaui constantiam. Suorum enim tentat constantiam, probatq; Dominus, vt perseuerantes coronet. Ioan. 12. [Ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Phariseos non confitebantur, vt è Synagoga non eijcerentur,] &c. Nō fuerūt ijs similes Apostoli, sed crediderūt, & permanserunt cū Christo magistro. Ioã. 9. Cōspirauerãt Iudæi, vt si quis eū cōfiteretur esse Christū, extra Synagogam fieret. & cap. 11. dederunt Pontifices, & Pharisæi mandatum, vt si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprehendant eum, & cæt. Item Ioan. 10. Sustulerūt lapides Iudęi, vt Christū lapidarēt, ille verò trãs Iordanē abijt.

Apostolorū perseuerantiã laudat Dominus, et fidelitatem. *Ioan. 12.* *Ioan. 9. & 11.*

In

In ijs omnibus tentationibus, & alijs, Apostoli permanserunt. & Thomas Ioan. 11. aiebat; [Eamus nos, & moriamur cum illo,] &c. Ioan. 6. alij discipuli à Christo defecerunt, & retrò abierunt: at Apostoli perseuerarunt. Adde Christi paupertatem, vitæ asperitatem, labores, & sermones de abnegatione, & periculis subeundis; quæ omnia illos nequaquam deterruerunt.

Addit Dominus cęlestis regni pollicitationem: [Et ego (inquit) dispono, ac destino vobis regnum cœleste,] sicut Pater mihi idem regnum disposuit, ac destinauit, vt edatis, & bibatis super mensam meam, velut regni primates in regno meo. Loquitur autem Dominus metaphoricè, & cœlestes voluptates, quæ sub sensum non cadunt, visibili potu ciboque significat. Titus: Hoc (inquit) non asserit, quasi in cœlo esculentis vllus locus futurus sit; sed quod res spiritales, rebus apud nos vsitatis exprimere voluerit. Tum rursum, vt ostendat quemadmodum ij, qui primas apud terrenos reges obtinent, eadem cũ illis domo, & mensa vtuntur, ita sanctos Apostolos quoque, primis honoribus apud immortalem regem potituros. Hæc ille. Addit Dominus aliud præmium; [Et sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel,] &c. Etenim in iudicio iudicabunt Apostoli mundum vniuersum. Hæc verba latè explicauimus, hoc eodem tomo lib. 5. cap. 10. nõ solùm de thronis in quibus sedebunt in die iudicij; sed etiam de ijs in quibus sederunt dum viuerent, iudicantes ac gubernantes Ecclesiam. Autor sub nomine Eusebij Emisseni, verba illa; [Dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater vt edatis,] &cæ. de Ecclesia interpretantur his verbis: sic vobis Ecclesiæ regnũ trado, & dispono, sicut & Pater meus mihi illud disposuit, vt mea vice illud regatis, & super mensam meam edatis panem verum, qui de cœlo descendit, & bibatis calicem noui testamenti. Hæc ille. Sit itaque secũdus sensus, dispono vobis Ecclesiæ regnum gubernandum, quod sanguine meo comparo, vt in eo edatis meum corpus, & bibatis meum sanguinem sacrificantes, & sitis Ecclesiæ principes, ac gubernatores, sedẽtes super thronos 12. iudicantes, ac gubernantes Israelitas Dei, id est, Christianos.

Titus. Cælestes voluptates cõ unio significantur.

Ecclesia regnum mensam habet & cõuiuiũ eximium.

CAPVT XVIII.

Morale.

De contentione discipulorum.

SI contendebant Apostoli (ait hoc loco Ambrosius) non excusationi obtenditur, sed cautioni proponitur, &c. Omnis enim contentio cauenda est; vnde illud Prouerb. 20. [Honor est hominis, qui separat se à contentionibus,] &c. Et Apostolus 2. ad Timotheum 2. [Noli (inquit) contendere verbis,] &c. Item; [Seruũ Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes,] &cæ. Et ad Titum 3. [Stultas quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita, sunt enim inutiles, & vanæ,] &c. Ad Romanos 13. [Non in contentione, & æmulatione,] &cæt. & ad Philip. 2. [Nihil (inquit) per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes,] &c. Et Dominus Matth. 5. [Et (inquit) qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, & pallium,] &c. Chrysostomus homilia 5. in epist. 2. ad Timotheum: Sem-

Prou. 20. Fugienda contentiones. 2. Tim. 2. Ad Tit. 3. Matth. 5. D. Chrysos.

Digitized by Google

Semper (inquit) gestit humanus animus rixari, atque litigare, &c. Hinc illud Isaiæ 58. de Iudæis; [Ecce ad lites, & contentiones ieiunantis, &c.] quocirca non immerito dicitur contentio Græcè apud Lucam φιλονεικία, & contentiosus à Paulo 1. Corin. 11. dicitur φιλόνεικος, à φίλος, id est, [amicus,] &, νεῖκος, id est, [iurgium,] siue [rixa,] quasi rixæ amicus. Oportet ergo vigilanter philoniciam cauere, in disputationibus, in litibus, in honoribus, cæterisque similibus. Carnalium hominum, non spiritualium est contentio; hinc illud Pauli 1. Corint. 3. [Cum sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundũ hominem ambulatis, &c.] Et Galat. 5. Inter opera carnis numerat contentiones, æmulationes, iras, rixas, dissensiones. Qua de re legendus est Iustinianus Patriarcha in lib. de disciplina monastica cap. 13. Qui (inquit) à contentionibus linguam cohibet, humilitatis amator est: contentiosus verò, & pertinax, elatione se plenum esse confitetur. vt victor appareat cõtentiosus, fratrem in publico confundere non veretur, & de fratris opproprio magnum se putat reportare triumphum, &c. Item, ò quoties veritas occultatur, & falsum pro vero defenditur, timore confusionis. Pessimum namque malum est, contentioni vacare, per quam amicitiarum cõpago dissoluitur, & animorum dulce vinculum dissipatur, &c. Lege eundem in lib. de interiori conflictu capit. 2. quo ait contentionibus hæreses ortas esse, & opiniones falsas, hoc suadente superbia: legendus quoque Diuus Ambrosius lib. 1. officiorũ cap. 22.

Contẽtio est hominũ carnalium. 1. Cor. 3. Ad Gal. 5. Iustin.

Si contendendum est, de humilitate contendamus, iuxta illud Ambrosij hoc loco: Vna (inquit) datur omnibus forma sententiæ, vt non de prælatione iactantia sit, sed de humilitate contentio; eo quod se Dominus proponit imitandum, &c. sic contendit cum Baptista, Matth. 3. [Ioannes prohibebat eum, dicens: ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me,] &c. At Christus, [Sine] (inquit) [modo,] &c. & baptizatus est ab inferiore.

Sic cõtendẽdũ est, de humilitate contẽdamus. De humilitate cõtẽtio gloriosa. D. Ambros. Matth. 3.

Sic etiam contendit cum Petro; [Non lauabis mihi pedes in æternũ;] aiebat Petrus. at contendit Dominus de humilitate respondens; [Si non lauero te, non habebis partem mecũ, &c.] Cum ipsis latronibus de inferiore loco contendisse videtur; medium enim locum inter illos habuit, quasi latronum signifer, ac dux; hanc contentionem docet Diuus Paulus ad Romanos 12. illis paucis verbis: [Honore inuicem præuenientes, &c.] Qui enim honore se inuicem præueniunt, de humilitate videntur certare. & D. Petrus epistola 1. ca. 5. [Omnes] (inquit) [inuicem humilitatem insinuate, &c. Græcè πάντες δ' ἀλλήλοις ὑποτασσόμενοι, τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε, id est, [omnes inuicem,] siue [alij alijs,] subiecti, humilitatem, ἐγκομβώσασθε, insinuate, vertit noster interp. id est, in sinum, & pectus mittite, in sinu, & pectore ferte, tanquã rem charissimam humilitatem. Pagninus vertit, humilitatem animi vobis illigatam habete. nam, κόμβος, nodũ, significat. Vatablus, humilitatem animi vobis infixam habete, vel arctè, seu nodis illigatam tenete. Syri; Circumamicti estote mansuetudine, &c. Commẽdant hę omnes versiones humilitatem, docentque nos non de honore, sed de humilitate inuicem certare, humilitatem in pectore, & sinu ferre, tanquam antidotum præsentissimum aduersus superbiæ inflationẽ, eandem arctissimis nodis illigare cordi & infixam habere, ne à dæmone, & mundi vanitate surripiatur: denique eadem veluti veste pretiosissima indui. Potest præterea esse sensus: humilitatem insinuate, id est, in sinum aliorum mittite, vestro exemplo. Nam qui humilitatem exemplo docet, insinuat eam alijs, hoc est, in sinum pectusque aliorum mittit.

Etiã inter latrones videtur Christus de humilitate contẽdisse. Ad Rom. 12. 1. Pet. 5. Humilitas cõplectẽda.

Digitized by Google

Reges gentium dominantur eorum.

Correptio sit suauis. NOn corripit discipulos Dominus acerbè, sed suauiter: suaues enim oportet esse correptiones, nisi aliud prudentia flagitet, vt ostendimus tomo 2. lib. 10. cap. 36. legendus Augustinus epistola 64. Senec. lib. 1. de Clementia c. 17. *Seneca.* Morbus (inquit) animi mollem medicinam desiderat, ipsumque medentem minimè infestū ægro, &c. [Reges] (inquit Dominus) [gentium dominantur ipsis gentibus, qui potestatem habent super eos benefici vocantur.] *Principes sint benefici Isai. 1.* Obserua principū, regumque nomē esse, nedibim, id est, [benefici, liberales,] quo mouentur, vt populo benefici sint, non malefici, qualès illi de quibus Isaias capit. 1. *Isai. 32.* [Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones; pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos, &cæt.] Benefici vero ab eodem Isaia describuntur cap. 32. [Ecce] (inquit) [in iustitia regnabit Rex, & principes in iudicio præerunt. Et erit vir sicut, qui absconditur à vento, & celat se à tempestate. sicut riui aquarum in siti, & vmbra petræ prominentis in terra deserta, &c.] Ecce quales sunt benefici principes. Hi iustitiam, iudiciumque seruant, Rempublicā tuentur, instar sunt tabernaculi, in quo à vento, & tempestate populus absconditur, vmbra sunt plebis, ac tegumentum, veluti rupes in terra deserta longè prominens, vmbramque efficiens viatoribus, fontes sunt aquarumque flumina, populi restinguentia sitim. *Principes boni Reip. curāt cōmoda* Hoc documētum ex Platone tradit Marcus Tullius Reipublicę Principibus, vt populi curent commoda, sua obliuiscantur, li. 1. de officijs: *M. Tullius. Documētū Platonis.* Omnino (inquit) qui Reipublicæ præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant: vnum, vt vtilitatem ciuiū sic tueantur, vt quidquid agunt ad eam referent, obliti commodorum suorum. Alterum, vt totum corpus Reipublicæ curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Vt enim tutela, sic procuratio Reipublicæ, ad vtilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est. Sic ille. Ideo de pastoribus Ezech. 34. Deus conqueritur, ad vtilitatem suā, non ad commoda Reipublicæ omnia referentibus; *Ezech. 34.* [Væ (inquit) pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos; lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis, &c. [videlicet commoda sua curabant, populum verò negligebant. Sequitur; [Quod infirmū fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, &c.] Dignissimus sanè erat principis, & benefici nomine Iob, cuius illa sunt verba cap. 29. *Iob. 29.* [Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, &cæt.] Similiter Dauid qui populi salutem vitæ suæ prætulit 2. Reg. 24. sic Deum deprecans; [Vertatur obsecro manus tua contra me, &c.] Xenophon lib. de dictis & fact. Socrat Rex (inquit) eligitur, non vt sui ipsius curam habeat; sed vt per ipsum, qui eum elegerunt, in felicitate viuant, &c. *Nō eligitur Rex vt sui curā hēat.*

De beneficētia prīcipis. Principes esse debēt erga subditos sicut cæli erga terram. Quemadmodum cæli erga terram inferiorem benefici sunt; sic principes erga populum inferiorem, beneficos esse oportet. Cæli pluuijs terrā irrigant, soleque illuminant; Principes subditos beneficijs ornāt, & beneuolentiæ suæ luce illustrant. Confertur Rex Babylonius Daniel 4. cum arbore procera; *Dan. 4.* [Fructus (inquit) eius nimius, & esca omniū in ea: subter eā habitant bestiæ agri, & in ramis eius cōmorantes aues cæli, &c.] Arbor est princeps beneficus fructu plena, esca omniū in ea, quia subditos fructu suo pascit: sub vmbra eius pace fruitur plebs, & in ramis eius nobiles veluti volucres cæli versantur. At priceps, qui accipit, nec largitur, cum mari conferri pōt, de quo Ecclesiast. 1. legitur. *Eccl. 1.* [Oīa flumina intrāt in mare, & mare non redūdat, &c. Intrant enim opū flumina in thesauros hu-

huiusmodi principis, neque in subditos redundant. Est verò beneficentia principi maxime necessaria, vt subditorum sibi comparet beneuolentiam: ideò Agapetus Diaconus in epistola ad Iustinianum Imperatorem scripta, quæ extat in fine tomi 7. Analium Cardinalis Baronij, inter alia eximia documenta, hoc etiam Imperatori tradit; Si honore (inquit) qui ab omnibus proficiscitur, perfrui vis, præsta te communem omniũ benefactorem. Nihil enim adeo attrahit ad beneuolentiam, vt beneficij gratia, quæ datur indigentibus, &c. Tanta verò est beneficentiæ vis, vt ipsas etiam feras ad amorem prouocet, teste Diuo Basilio in regul. breu. interrog. 176 De se (inquit) bene meritos etiam bestiæ naturaliter diligunt, &c. Dilectissimus princeps Titus, qui amor, & delitiæ humani generis habitus est, adeo fuit beneficus vt recordatus aliquando super cœnam, quod eo die nemini quidquam præstitisset, Imperatore benefico dignam illam vocem emiserit; Amici diem perdidi: videlicet beneficentia arbitrabatur se dies lucrari; si nihil largiretur perdere. Illius quoque benefici pectoris vox est: Non oportet quenquam à Cæsaris colloquio tristem discedere. Denique beneficentiam complectantur principes, sintque benefici, quoniam principem, thronumque illius ipsa stabilit, ac tuetur. Prouerb. 20. [Misericordia, & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius, &c.] Vatablus vertit, beneficentia, & fides seruant regem, beneficentia suffulcitur solium eius, &c. sit beneficus princeps, sit veritatis, id est, fidei Catholicæ, quæ veritas est, studiosissimus, sicque thronum fulciet. Glorians Augustus Cæsar dicere solebat: Romam lateritiam accepi, marmoream relinquo. hæc benefici principis sit gloria, Rempublicam si lateritiam, hoc est, pauperem, imbecillem, ignobilem, siue euersam accepit; marmoream, hoc est, diuitem, munitam, fortem, nobilem, & omnibus bonis cumulatam relinquere. Idem Augustus teste Macrobio lib. 2. Saturn. cap. 5. duas dixit habere se filias, alteram Iuliam, alteram Rempublicam. Filiam suam Imperator, Rempublicam appellabat; quoniam principis est erga populum, parentem se præbere, beneficum, ac liberalem.

Agapetus. Magna vis beneficẽtia. D. Basil. Beneficus Imp. Titus. Prouerb. 20. Augustus Cæsar. Respub. est filia principis

---

CAPVT XIX.

Morale.

De contentione discipulorum.

Vos autem non sic.

CHristi discipulos oportet ea via minimè incedere qua mũdi discipuli incedunt. Vos (inquit) non sic, vt reges gentium facietis; aliam tenebitis viam, alios mores seruabitis. Lõgè diuersam tenẽt nauigationẽ ij, qui in Orientẽ nauigant ab ea, quã ij seruãt, qui in Occidẽtẽ tendũt. Christi dilectores Orientẽ, mundi vero amatores Occidentẽ petunt; diuersus ergo sit cursus, diuersum toto cælo iter. Excelsa, lubricaq; superbi fastuosiq; imperij via, mundi amatores gradiũtur, vt ille, qui Senatores mãcipia togata appellabat: Christi vero discipuli, humilitatis humilẽ, tutãq; viã tenẽt. [Qui maior (inquit dñs) est in vobis, fiat sicut minor: & qui præceptor est, sicut ministrator, &c.] Cũ Iacob. & Ioan. primas postulauere sedes, & reliqui indignati sunt, ait auctor imperfectus hom. 35 vidisse Christum alienum spiritũ in cordibus discipulorũ, quasi hostẽ in suis castris vagantẽ. Alienus. n. spiritus à Christi di-

Alia via incedũt Christi discipuli, & diuersa à discipulis mundi. Ambitionis spiritus hostis.

Digitized by Google

discipulis, est spiritus ambitionis, ac superbiæ: hostis est, qui Domini castra inuadit, ac diripit. Christi spiritus humilitatem docet, non fastum, honorum contemptum, non desideriũ. Ante aduentum spiritus huius, Apostoli contendebant, quis eorum maior esset; postquam aduenit illorum corda incendit, omnique honoris vana cupiditate expurgauit.

Spiritus S. humilitatẽ docet.

Qui maior est statu (ait Dominus) maiorque præsulatu, minor fit. Non sunt hæc contraria, potest maior esse præsul, & minor, maior statu, minor humilitate, & honoris despicientia. Potest præesse & subesse; [Qui præcessor (inquit) est, sit sicut ministrator.] Non sunt opposita, præesse imperijque dignitate reliquis præcellere & ijsdẽ subesse ac ministrare; præesse potest officio, subesse, atque ministrare animi submissione. Vnde illud Diui Augustini Psalmo 126. Quomodo vinitori altior fit locus ad custodiendam vineam; sic & Episcopis altior locus factus est: & de ipso alto loco periculosa ratio redditur, nisi eo corde stemus hic, vt humilitate sub pedibus vestris simus, & pro vobis oremus. Sic ille. Dixit olim Rex Antigonus, regnum splendidam esse seruitutem; multo sanè splendidior seruitus est præsulatus, si Præsul sit sicut qui ministrat, ac seruit. Etenim regnum aiebat Antigonus esse splendidam seruitutem, propter auri, argenti, honoris, dignitatisque splendorem: at humilis Prælulatus seruitus est splendida, propter magnum humilitatis fulgorem. Hoc fulgore splendebat nobilissima illa Paula de qua Diuus Hieronymus in epitaphio illius sic scribit: Tanta se humilitate deiecit, vt qui eam non vidisset, & pro celebritate nominis videre gestisset; ipsam esse non crederet, sed ancillarum vltimam. Et cum frequentibus virginum choris cingeretur, & incessu, minima omniũ erat. Hæc Hieronymus. Eodem loco Hieronymus humilitatem primam vocat Christianorum virtutem. Qui illa caret, Christianorum alphabetum adhuc ignorat: ab alphabeto humilitatis sapientiæ cælestis ducitur initium, ab humilitate tanquam fundamento cæleste ædificium inchoatur. Stabile hoc fundamentum virtutum omnium iacebat, cum pedes discipulorum Dominus abluebat, cũque ad animi submissionem exhortãs aiebat: [Qui maior est vestrum fiat sicut iunior, vel minor.] Maior erat Paulus, sed sicut minor fiebat. Vnde illud Act. 20. [Vos scitis à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Deo cum omni humilitate, &c. Præcessor erat, sed fiebat sicut ministrator; [Ad ea (inquit eodẽ capite) [quę mihi opus erant, & his qui mecũ sunt,] ministrauerunt manus istæ. Et 2. Cor. 4. [Non nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum: nos autem seruos vestros per Iesum, &cæt.

Maior & minor idem esse potest.

Superior præesse officio debet, & subesse humilitate.

D. August.

Antigonus. Regnum est seruitus splẽdida.

D. Hieron.

Humilitas prima virtus Christianorum.

Act. 20.

2. Cor. 4.

Ad hanc humilitatem Ecclesiæ maiores adhortatur Diuus Petrus epistola 1. cap. 5. [Pascite (inquit) qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè. Neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo, &c.] Hoc est, pascite gregem pastores, prouidentes, Grecè, ἐπισκοποῦντες, [episcopantes,] officio episcopi fungentes, non coactè, sed sponte, ac libenter; hilarem enim datorem diligit Deus. Neque αἰσχροκερδῶς, id est, [propter turpe lucrum.] sed, προθύμως, id est, [prompto animo,] ac volũtate. neque κατακυριεύοντες, id est, [neque dominãtes cleris, id est, clericis, vel Ecclesijs, quæ dicuntur cleri, id est, sortes Domini; non inquam dominantes cum fastu, & arrogantia, sed exemplo gregem præcedentes, τύποι γινόμενοι, id est, [facti exemplaria, & typi gregis; illis minimè similes, de quibus Ezechielis 34. dicitur; [Cum autoritate imperabitis eis, & cum potentia, &cæt. Sanctissimum, summumque Pontificem Diuum Gregorium libro 26. Moralium cap. 19. audiamus; Seruata (inquit)

1. Petr. 5.

Hilarẽ datorem diligit Deus

Nõ dẽnt superiores dominari cũ fastu & arrogantia.

Ezech. 34.

D. Gregor.

(inquit) autoritate regiminis, ad cor nostrum sine cessatione redeamus; & consideremus assiduè, quod sumus æqualiter cum cæteris conditi, non quod temporaliter cæteris prælati. Potestas enim quantò exterius eminet, tantò premi interius debet; ne cogitationem vincat, ne in delectationem sui animum rapiat, ne iam sub se mens eam regere non possit, cui se libidine dominandi supponit. Hec ille. Quanto erit maius ædificiū (ait Aug serm. 10. de verbis Domini) tanto altius fundamētum, &c. Altius est ædificium præsulatus; ergo altius sit etiam fundamentum humilitatis: quanto maior est, tāto sit minor Præsul. Quanto arbor est excelsior, tanto est profundior: profundas enim radices postulat proceritas, atque altitudo; celsa arbor est, qui præest reliquis; quanto celsius eminet, tanto profundius ad ima se deijciat. Nam si profundis radicibus arbor careat, vento impellēte facilè prosternitur. Inanis gloriæ turbo, proceras perflat arbores, celsis in montibus, id est, dignitatibus collocatas; prosternet illas si altissimas humilitatis radices non egerint. Ideò meritò consulit Augustinus serm. 213 in summo honore summa tibi sit humilitas, &c. Sicut turpe est, præsertim viro religioso, in dignitate superbiæ signa dare; sic gloriosum est animi submissionem, morumque humilitatem exhibere. Vnde D. Gregorius libr. 26. Moral. cap. 19. Mirum (inquit) valde est, cum in cordibus sublimiū regnat humilitas morum. Subtilissima ars viuendi est, culmen tenere, gloriā premere, esse quidem in potentia, sed potentem se esse nescire, &c. Difficile hoc est; ideoque qui humilitatis studiosi sunt, infimum, absconditumq; locum eligunt; celsum ventisque expositum fugiunt, subesse, quam præesse malunt, in veste, mensa, socijs ea, quæ abiectiora sunt consectantur.

Potestas debet in corde premi, ne extollat.

D. August. Fundamentum humilitas, & radix.

D. Aug.

Mira est humilitas sublimium.

Nidum struit auis, vt pullos excludat, atque alat; nidum struit humilis, vt humilitatis fœtus producat, ac nutriat. humilitatis autem nidus infimus est locus, infima vestis, mensa, & similia.

In hoc nido humilitatem quæsiuit Chrysostomus, & inuenit. Quærit ille homilia septuagesima tertia in Matthæum: Vbi inueniemus humilitatem? Respondit: in sanctorum tabernaculis, Montibus, atque vallibus, sublimitatem, atque humilitatem videbimus. Ibi sunt homines, quorum alij dignitatibus præfulserunt, alij diuitijs excelluerunt: qui omnes mirabiliter se vndique vestitu, domo, ministerijs, cæteris omnibus ad præcipuam humilitatem reduxerunt. Omnia, quæ ad superbiam incendunt, iacent ibi humi prostrata: opera ipsa ad humilitatem exhortantur, & superbire non sinunt. Quis enim vnquam fodiens, plantas rigās, sportas, & sacculos texens, cæteraque similia faciens, multum sibi poterit arrogare. Quis præterea pauper, inedia seipsum domās, hac ægritudine laborabit? Nemo profectò. Propterea facilis ibi est humilitas. Hæc Chrysostomus. Facilis est humilitas si in nido maneas humilitatis: difficilis, si extra nidum versari velis. De isdem præclaris viris adiungit idem Chrysostomus: student non vt honorentur, sed vt honorent. Quanta apud nos cōtentio de primatu est, tantum apud eos certamen de contemnendo est primatu, &c. Item: Omnes inferiores se cæteris ducunt, & hac ratione maiores efficiuntur. Magnus est apud eos, qui vilia opera rapit. Magni, & parui, solummodo virtute sunt, &c.

Humilitas infimum petit locum. D. Chrys.

Exēpla humilitas.

Cōtentio de contemnendo primatu.

Iam verò putabit aliquis amaram esse hanc humilitatem: at minimè amara est, sed dulcis: quietus nidus est, de quo Iob, [In nidulo (inquit) meo moriar, &c.] Ostendit hanc dulcedinem Rex Suatocopius, qui, vt Aeneas Sylius in historia Bohemica capite decimo tertio, scribit, regno pulsus, cum tribus Anachoretis, ad mortem vsque, ignotus humilem vitam egit, extremo autem vitæ tempore his verbis omni memoria dignis, eos est affatus. Nondum quis

Humilitas duplex.

fuerim nouistis, Rex ego Morauorum prælio victus, ad vos confugi, & regiam vitam, & priuatam expertus morior. Nulla regni fortuna est tranquillitati eremi præferenda, hic securus somnus, dulces herbarum radices, atque vndas efficit, ibi curæ, atque pericula, nullum cibum, nullum potum non amarum reddunt. Quod vitæ mihi datum est, apud vos felix peregi. In regno quicquid eius transactum est, mors verius, quam vita fuit, sic ille dulciorem regno esse humilem vitam demonstrauit satis. O felicem illam omnium congregationem, vbi humilitas regnat stabit profectò, & florebit perpetuò, contra verò illa vbi tumor, ac fastus sedem fixerit, diruitur: Præclarum ædificium, lapidum ad ima pondus stabilit, si volarent lapides, vel summum tenere locum niterentur, mox solo æquaretur, etsi ingens palatium, vel templum. Eundem in modum, præclaras congregationes, humilitatis pondus, & infimi loci cupiditas confirmat, ac conseruat, si volare velint religiosi, fastuque, atque insolentia elati, celsiora loca conscendere nitantur, religio euersa lugebit.

Regis Morauorū exēplum.

Humilitas relig. stabilis reddit.

Christi ergo seruemus adhortationem, si stare cupimus congregationes, ab ipso, fundatoribusque sanctissimis, in fundamento humilitatis collocatas, verba hæc in corde, & ore semper feremus, [Qui maior est in vobis fiat sicut minor. Nec solum verba in corde feramus, & ore, sed maximè exemplum, quo verba confirmauit [Ego (inquit) in medio vestrum sum, sicut, qui ministrat, &c] & Matthæi 20. Non veni ministrari, sed ministrare, &c. vt Macrobius ait lib. 21. Saturn. cap. 7. Potestas, id est, princeps, nō solum si inuitet, sed etiam si supplicet, cogit, &c. Iuuitat nos princeps summus Christus, ad humilitatem, verbo, atque exemplo, & supplicat, ergo cogat tanti Regis exemplū. Non aduersatur humilitas præsulatui aut principatui, potest esse præcessor sicut ministrator, potest esse maior sicut minor. Exemplo suo id Dominus ostendit: maior erat omnibus, non solum hominibus, sed etiam Angelis, infinito interuallo præcellebat: tamen de eo ait Isaias capite quinquagesimo tertio. [Vidimus eum nouissimum virorum.] & Paulus ad Philippenses secundo] Cum in forma Dei esset, humiliauit semetipsum, &c. Præcessor erat, dux, Rex terræ totius, atque cæli, tamen sicut ministrator, discipulis ministrabat; [In medio (inquit) vestrum sum, sicut, qui ministrat.] In summo totius Orbis Monarcha, simul cum summo imperio humilitas summa fuit; non ergo aduersatur humilitas imperio. Imò imperio maximum affert splendorem, vt Augustinus docet sermone 213. de tempore: Honoris (inquit) laus est humilitatis virtus, &c. Contra verò honoris, & imperij, maximum dedecus est vitium insolentia. Illud tamen obseruandum, ne sic præsul humilis fiat, vt subditorum effrænatam licentiam compescere non audeat, quod Diuus Gregorius monet libro 26. Moralium cap. 19. his verbis: Solerter (inquit) intuendum ne dum immoderatius custoditur virtus humilitatis, soluantur iura regiminis; & dum Prælatus quisque plus se quam decet deijcit, subditorum vitam stringere sub disciplinæ vinculo non possit. Hæc ille, & alia in hanc sententiam. Beda Lucæ 22. Necesse (inquit) est, vt rectorem subditis, & matrem pietas, & patrem exhibeat disciplina. solicita circunspectione prouidendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa, &c.

Macrobius.

Exemplum Christi cogat nos.

Humilitas & dignitas simul esse possunt.

Isa. 53.

Philip. 2.

D. Aug. Humilitas decus est honoris.

Prælati humilitas qualis.

Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.

EOs commendat Dominus, qui in tentationibus permanent. Quò enim difficilius est, in rebus aduersis perseuerare, eo est laudabilius.

Hanc ob rem commendat etiam Iobum cap. 2. cum Satana loquens; [Nunquid (inquit) considerasti seruum meū Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex, rectus, ac timens Deum,

In tentationibus perseuerantia cōmendatur.

Iob 2.

Digitized by Google

Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam, &c.] Adhuc (inquit) retinens innocentiam, perseueransque in rebus aduersis. Difficile hoc esse atque arduum. Satanas ipse prædicauit, Iob. 1. cum Deus Iobum laudaret, respondit Satanas: [Nunquid frustra Iob timet Deum? nonne tu vallasti eum, ac domũ eius, vniuersamque substantiam per circuitum, operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra, &c.] Quasi diceret: facile est, eũ qui ad nutum cuncta habet, in virtute persistere. deinde addit; [Sed extẽde paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi, &c.] Tange (inquit) illum percute, incommodis affice, tẽtationibus concute, equidem nõ perseuerabit, sed blasphemabit. At deceptus temerariè iudicauit Satanas. Nã permansit cum Deo in tentationibus Iob, quod scriptura significauit illis verbis cap. 1. [In omnibus ijs non peccauit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Deum locutus est, &c.] Quasi dicat: perseuerauit Iob in innocentia sua in omnibus his tentationib. Extendit Deus manum, & tetigit cuncta, quæ possidebat, sed Iob non benedixit Deo in faciem. non blasphemias stultè, vt Satanas aiebat, sed Dei laudes ore protulit sapienter.

Difficile est perseuerare ĩ reb. aduersis

Permansistis (ait Dñs) mecũ in tentionibus meis, & ego dispono vobis regnũ. Perseuerantibus enim regnũ datur, non deficiẽtibus, Iacob. 1. Beatus (inquit) vir, qui suffert tentationem.

De perseuerantia.

Quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus, &c.] D. Bernardus epist. 129. legendus, Perseuerãtia (inquit) sola meretur iuris gloriã, coronã virtutibus; absque perseuerãtia, neq; qui pugnat victoriam, neq; palmam victor consequitur, &c. Beda hoc loco; Non inchoatio (inquit) patientæ, sed perseuerantia, cælestis regni gloria donatur, &c. Eodẽ loco perseuerantẽ constantiã, colũnã esse ait virtutum; & merito quidẽ, quia in ea virtutum innititur ædificium, totũque concidit, si tollatur. Perseuerantia (ait Beda) quæ & constantia vocatur, cunctarum est columna virtutum.

D. Bernar.

Beda.

Quod si aliquo deijciatur impulsa turbine, nõ sola labitur: omnia enim prorsus animi bona simul corruunt, &c.] Præterea commendat Christus his verbis discipulorum fidelitatem; fideles fuistis discipuli, non deseruistis me in tentationibus meis: fidelis enim discipulus, vel amicus, in rebus amici aduersis, cum permanet, de infidelibus illud vulgatum est: Cũ fueris felix multos numerabis amicos, Tempora si fuerint nubila, solus eris. Idcircò Paulus vinctus Ephesios rogat ne nubilo tẽpore deficiant, c. 3. [Peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra &c.] Etenim gloria discipulorũ est, cum magistro in persecutionib. permanere, & non deficere, dedecus verò est deficere. deficientibus illud cõgruit Luc. 8. Radices non habent, ad tempus credunt & in tempore tentationis recedunt.] & vt est apud Matthæum ca. 13. [Temporales sunt.] Radices non habent, & tẽporales sunt, minimè fideles discipuli. At fideles radices habent amoris: temporales non sunt, sed æterni, in tempore tentationis non recedũt, sed permanẽt. Ecclesiasticus 6. [Si possides (inquit) amicum in tẽtatione posside eum, & ne facile credas ei: est enim amicus secundum tempus, & non permanebit in die tribulationis, &cæt.] Sunt ij amici mensæ tantum, non etiam periculi. Eodem capite Ecclesiasticus: [Est (inquit) amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis, &c.] Amicus perseuerans eodem loco appellatur fixu: [Amicus (inquit) si permanserit fixus, erit tibi coæqualis, &cæt. Hos amicos fixos, non mobiles, laudat Dominus; his cæleste regnum testamento suo legat: [Vos (inquit) estis, qui permansistis mecũ in tentationib. meis, & ego di-

Fidelitas.

Ephes. 3.

Luc. 8.

Matth. 13.

Eccles. 6.

Amicus mẽsa, & amicus tribulationis.

Amicus fixus, & amicus tẽporalis.

spono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo,] cælesti, in quo epulæ sunt, quarũ exuberans dulcitudo, omnia A mella superat. has epulas significat Angelus Raphael, cum Tobiæ 12. ait: [Ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor, &c.] Vtinam eo nos quoq; vtamur.

CAPVT XX.

De mandato nouo.

LVCAS CAPITE XIII.

Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me: & sicut dixi Iudæis: Quò ego vado, vos non potestis venire: & vobis dico modo. Mandatum nouum do vobis; vt diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.

POstquam Dominus B ad humilitaté discipulos hortatus est, illorũ fidelitatem, & perseuerantiam cõmendauit, regnũ que promisit: valeis dicere incipit. Filioli (inquit) Græcè, τεκνία, non longo, sed modico tẽpore mea fruemini præsentia: paulò C post à vobis auellar. Tenero & amoris pleno cõpellat nomine, [filioli:] plurimum enim illos amabat. Origenes in Ioannem ostendit (inquit) nõnullum blandientis affectum, simulque docet, Apostolos etiam dum animo pusillo esse, &c. Diu. Cyrillus lib. 9. ca. 21. filiolos appellari putat, quia homines si cum Deo conferantur, in D fantes sunt. Discipulos (inquit) appellauit Dominus filios, & quasi nuper natos infantes, ostendens infantem esse apud Deum, & parui momenti hominem, etsi perfectissimus esset, &c. Rectius Rupertus duo indicari putat hoc tenero nomine; videlicet, & Christi dilectionem, & Apostolorum imbecillitatem, atque infantiam: Vno (inquit) eodemque nomine, paternam sui amoris gratiã; & infirmam tunc tẽporis Apostolorum designat infantiam, &cæt. Erant tunc infantes Apostoli, & imbecilles, adeo vt dilectissimum Patrem sequi non valerent; idcircò adijcit: [Quò ego vado, vos non potestis venire.] Petro verò, qui sequi se posse asseuerauit, respondit; [Ter me negabis;] quasi diceret, infans adhuc es, non poteris me sequi, vt infans cades.

Origenes. Cur Dominus Apostolos appellarit filiolos.

Rupertus.

Quæritur de quonam modico, loquatur Dominus? Nam verba intelligi possunt, vel de modico tempore, quod superaret, vsque ad passionem; vel de eo, quod supererat, vsque Ascensionem. Vnde Augustinus: Vel (inquit) loquutus est Dominus de infirmitate mortali, qua cum discipulis erat, vsque ad passionem suam: aut de præsentia corporali, qua cum illis

De quo modico loquatur Dominus.

August.

Digitized by Google

illis futurus erat, vsque ad Ascensionem, &c. Mihi videtur loqui de modico illo tempore, quo cum Apostolis fuit in carne mortali, vsque ad cóprehensionem; quæ est sententia Ruperti: Modicum (inquit) vobiscum sum, donec Iudas accepta cohorte redeat. Ex tunc enim comprehensus, tandemque interemptus iam vobiscũ non ero, nisi quod ad horam videbo vos, &c. Confirmant sententiã hanc, Lucæ 24. Christi verba illa; [Hæc sũt verba, quæ loquutus sum ad vos, cũ adhuc esse vobiscum,] &cæ. Essem, inquam, in carne mortali. Ita hoc loco; [adhuc modicũ vobiscum sum:] in carne mortali.

Rupertus.

Luc. 24.

Quò ego vado, vos non potestis venire.

SIgnificauit Dominus se à discipulis discessurum post breue tempus: possent dicere; sequemur te Domine. Respondet, non poteritis me modo sequi, sine vobis nunc discedam; [Quò ego vado, vos non potestis venire,] &c. Putat Chrysost. hæc dicta à Christo vt excitaret sui desiderium vehemẽtius, quia nitimur in vetitũ. Cum.n.(inquit) aliquẽ charissimorum discedentem videmus, & in eum maximè locum, quo nobis non est accedere, maiorem in modũ mouemur, atque incendimur, &c. Nonnulli verba illa, [Et vobis dico modò,] cum sequentibus copulant, in hunc sensum, & nunc dico vobis, mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, &c. sed cũ antecedentibus coniungẽda sunt. Ioan. 7. Christus Iudæis ferè eadem dixit, quæ hic Apostolis dicit: [Adhuc (inquit) modicum tempus vobiscum sum, & vado ad Deum, qui me misit. Quæretis me, & non inuenietis, & vbi ego sum vos non potestis venire,] &cæ. Quæ verba explicata sunt tomo 3. lib. 1. c. 9. Ideo Apostolis sic loquitur hoc loco: [Filioli, adhuc modicum vobiscum sum; quæretis me, & sicut dixi Iudæis, quò ego vado, vos non potestis venire, & vobis dico modo,] &c. hoc est, verba quæ alio tẽpore dixi Iudæis, dico vobis nunc, sicut dixi Iudæis: quo ego vado, vos non potestis venire, sic vobis dico modo. Ibat Christus ad passionem, ibat per passionem in cœlum, ad Patrem, non poterant Apostoli illũ sequi, non poterant eo venire, quo ille ibat, hoc est, ad passionem, & per passionem in cœlum. nondum enim ad tolerandam pro Christo mortẽ, satis apti erant, ac maturi, vt ait D. Augustinus tracta. 64. in Ioannem: Quomodo (inquit) iam fuerant secuturi moriturum Dominum, adhuc martyrio non maturi, &c. Præterea oportebat illos in vita permanere, vt toti orbi Euangelium nuntiarent.

D. Chrysost.

Ioan. 7.

Apostoli nõ poterãt nũc sequi Christum, quomodo.

D. August.

Mandatum nouum do vobis.

CVm pater in ianuis est mortis, mandata aliquot & monita dat charis filijs. Summus omnium Pater Christus, ad fores iam peruenerat necis crudelissimæ, mandata dat, & monita natis dilectissimis. Primum mandatum, ac inter omnes præcipuum, de dilectione est mutua. [Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos,] &c. Difficile est explicatu cur mãdatum hoc nouum Dominus appellet, cùm sit antiquissimum. Extat enim in lege veteri Leuit. 19. [Diliges amicum tuum sicut teipsum,] &c. Ipsa etiam natura diligẽdum docet proximum. quãobrẽ Matthæi 22. rogatus Dominus, [quod est mandatum magnum in lege? respõdit: Diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde, & diliges proximum tuum sicut teipsum, &c. Deu. 6. extat præceptum de diligendo Deo; [Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde,] &c. Sed hic diligendo proximo agitur. Respondet Augustinus, mandatum dilectionis nouum dici ab effectu, quia homines innouat; quemadmodũ mors dicitur pallida, quia pallidos hoĩes, & frigus pigrũ,

Cur dicatur nouũ mandatum.

Mandatum de diligendo proximo fuit in lege.

D. August.

quia pigros efficit. Nam charitas hominem veterem, vetustate peccati spoliat & vitæ Christianæ nouitate induit. Dilectio (ait Augustinus tracta.65. in Ioannem) nos innouat, vt simus homines noui, & hæredes. Testamenti noui, &c Quicunque renouatur, per charitatem renouatur: ab orbe condito per charitatem omnes iusti renouati sunt semperque renouabuntur; vnde idem Augustinus eodem tract. Hæc (inquit) dilectio Patriarchas, & Prophetas, sicut postea Apostolos, innouauit. Ipsa & nunc innouat gentes, & ex vniuerso genere humano facit nouum populum, &c. Eodem loco charitatē ait Ecclesiam dealbare, ac dealbando innouatur iuxta illud Cant ex versione Septuaginta interpretū; [Quæ est ista, quæ ascendit dealbata, &c. Vtique dealbat, (ait Augustinus) quia innouata: vnde nisi mandato nouo, &c. Equidem si nouum hoc mandatū seruaretur ab omnibus, totus mundus dealbatus esset, ac nouus: nullæ rixæ essent, nulla litigia, nulla bella, nulla odia, nulla egestas; omnes enim suas egentibus opes impertirent.

Charitas hominem renouat.

Charitas dealbat Ecclesiam.

D. August.

D. Cirillus.

Cyrillus lib. 9. in Ioannem c. 23. nouum mandatum dici putat, propter modum: quoniam nouo modo seruādum est. Nouo enim modo Christiani diligere debent Christianos: modū verò nouū explicauit Dominus illis verbis: [Sicut dilexi vos] Non solūmodo dixit Christus (ait Cyrillus) mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem; sed nouitatem rei ostendens adiecit, [sicut dilexi vos, ita & vos diligatis inuicem, &cæt. Diuus quoque Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Rupertus, nouum appellari existimant, propter nouitatem modi: modum sic explicat Montanus in Scholijs: Vt sit (inquit) dilectio ad exemplum dilectionis Christi, feruentissima, officiosissima erga omnes, etiam erga inimicos, ad omne officium prompta, ad exponendum sanguinem, & animam pro salute fratrum, &c. Lyranus nouum idcirco dici arbitratur, quia differentiam constituit noui, & veteris Testamenti. Nam vetus Testamentum fuit timoris, & seruorum: nouum est amoris, & filiorum, vt ostendimus tomo 1. lib. 1. cap. 7. & 8. Diuus Thomas nouum dici censet primo propter effectum renouationis, vt ait Augustinus: præterea propter causam, quia efficitur a spiritu nouo amoris, qui est noui testamenti; tertiò propter effectum, quem constituit, scilicet nouum Testamentum. Addit hæc verba: Hoc mandatum pertinebat ad nouum Testamentum; vnde erat in veteri lege non tanquam proprium eius, sed vt præparatiuum nouæ legis. &c. Pertinebat autem mandatū amoris ad nouum Testamētum, quia nouum Testamentum amoris est. Præterea quia omnis charitas est noui Testamenti: quemadmodum & gratia, quoniam Christus, qui noui Testamenti est autor, charitatem, & gratiam meritus est hominibus, vtriusq; Testamenti: meritò ergo potest dici mandatum amoris nouum, siquidem charitatis est, quæ ad nouum Testamentum pertinet. Potest præterea appellari nouum mandatum, quia renouatum à Christo est, quem in modum ad Gal 6. appellatur [noua creatura renouata Mandatum, inquit, nouum do vobis,] hoc est, mandatum dilectionis renouo, præcipio vt vos inuicem diligatis, [sicut ego dilexi vos]

Modus diligendi.

Lyranus.

D. Thom.

Charitas ad nouū Testamentū pertinet.

Existimo appellari à Christo nouum mandatum, quia hactenus illud illis non tradiderat, hoc sensu: mandatum nūc vobis do quod ad hoc vsque tempus nondum dedi, sed in hūc extremum discessum reseruaui: nūc primò hoc mandatum vobis trado, ideoque nouū appello. Hac ratione dicuntur noua monita, quæ pater primo filijs tradit, etsi per se ea considerata sint vetera: nouum quoque ipsis discipulis dicitur mandatum, quoniam illo modo traditum nondū audierant. In lege veteri Leu. 19 & Matth. 22. dicitur, [Diliges proximum tuū, sicut teipsum;] hoc est præceptū

Matth. 22.

Digitized by Google

veteris. At Dominus ait. [Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos, &c.] hoc est nouum. Præterea dicitur nouum, quia volebat Christus, tunc illos nouiter incipere illud obseruare; quemadmodum si pater filijs mandatum traderet quod vellet nouiter filios deinceps exequi, rectè diceretur mandatū nouum. Adde Dominum loqui de familiari quodam amore, & coniunctissimo, quo discipuli se inuicem prosequebantur, qui nouus in mundo erat. Neque displicet Caietani sententia, qui arbitratur nouum dici mādatum, quia nouo modo traditur; videlicet, de dilectione vsque ad tolerantiam mortis, si fuerit opus: Hæc (inquit) est noua forma dilectionis, hoc mandatum nouum, vt sicut Christus dilexit nos, non carnaliter, sed spiritualiter, ponendo vitam pro nobis, & volendo nobis bona vitæ æternæ; ita nos diligamus inuicem, parati ponere vitam pro spiritali salute proximorum, & velimus proximi bona æternæ vitæ plusquam bona mundi huius, & plusquam vitam corporis. Hoc enim ad noui Testamenti statum pertinet: hoc nusquam fuerat in veteri Testamento explicatum; vnde meritò nouum mandatum dicitur a Christo. Sic ille. Non tradidit Dominus mandatum de diligendo Deo, quoniam id perspicuum erat: præterea, quia mutuam charitatem animis discipulorum volebat infigere, de illa præcipuè in hoc sermode verba fecit.

Caietan.

De Charitate.

Deus voluit amorē nostrum communem esse non priuatum.

Quod priuatum erat, ait Iustinianus Patriarcha in fasciculo amoris, capite primo. Voluit Christus esse commune, &c. Hoc est, amorem voluit Dominus, non esse proprium, & priuatum, sed diffundi. Noluit hominem amare seipsum solum, sed etiam cæteros. Alter Respublica non posset salua consistere, proprius namque amor Reipublicæ pestis est, non curat publica, sed propria, ac priuata. Voluit (ait Iustinianus) Dominus hanc pestem suo abolere mandato. Mandauit quatenus diffunderetur amor, vt cresceret, &c.

A Charitas philauriæ pestem abolet, amorem diffundit; hæc tamen diffusio, non illam minuit, sed auget. Quis auarus aurum non effunderet, si effusione augeretur? Augetur effusione, & communicatione amor, quo pluris, & vehementius amas, eo charitas maius accipit incrementum. Effunde ergo in omnes amorem, & vehementer effunde; mandatum nouum custodi, vt immensum consequaris lucrum.

Amorē auget diffusio in plures.

B [Fortis vt mors dicitur dilectio] Cant. 8. & meritò quidem, quia proprium occidit amorem priuataque commoda, iuxta illud Pauli 1. Corin. 13. Charitas non quærit quæ sua sunt, &c. Mortem hanc ne fugias; suauissimè enim interficit. Augustinus tract. 65. in Ioannem; quam mirāda (inquit) generis mors est, cui parum fuit non esse in pœnis, nisi esset insuper in delicijs, &c. Dedit Deus hominibus vinculum

Cant. 8.

Charitas philautiam perimit. 1. Cor. 13.

D. August.

C culum quoddam naturale, quo inter se colligarentur, de quo Lactantius lib. 6. instit. capite decimo. Dedit (inquit) Deus pietatis affectum, vt homo hominem tueatur, diligat, foueat; summum inter homines vinculum est humanitas, &c. Præter hoc aliud dedit vinculum supernaturale, multò fortius, quo multo arctius homines constringantur, videlicet vinculum charitatis, alium dedit affectum amoris naturam superantis, vt alij alios

Vinculū hominum pietas, & charitas.

D ardentius diligant, foueant ac tueantur. Summum vinculum vocat Lactantius humanitatem, vinculum inquam naturale: ac charitas naturæ excedit metas. Vinculum hoc dulce appellat Augustinus tract. 65. in Ioannem, non asperis, aut duris, ferreisq; catenis nos constrinxit Dominus, sed aureis, ac dulcibus. Quid enim dulcius charitate? Addit idem Lactātius;

Dulcis est charitas.

E Qui homini non prodest, hominis se appellatione dispoliat. Quia humanitatis officium est, necessitati hominis, ac periculo subuenire, &c. Similem in modum dici potest: qui fratrem non diligit, discipuli Christi se appellatione priuat: quia discipulorum Christi officium est inuicem diligere, vnde sequitur.

Lactantius.

In

In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, &c. Quemadmodum vexillum principem ostẽdit, sub quo milites pugnãt: sic charitas Christum principem indicat esse illorum, qui se inuicem diligũt. Est enim Christi vexillum, iuxta illud Cant. 2 ex Hebræo, [Vexillum eius super me amor. Hinc illud Diui Thomę Ioan. 13. Quicunque (inquit) adnumeratur militiæ alicuius regis, eius insignia portare debet. Insignia autem Christi sunt insignia charitatis. Quicunque ergo vult adnumerari militiæ Christi, debet charitatis charactere insigniri. Hæc ille. Quemadmodum ars discipuli indicat magistrum; sic charitas discipuli, Christum magistrum demonstrat. Diuus Cyrillus libro nono, cap. 24. Contenderim (inquit) non alia corona, non alio torque, atque signaculo: discipulos Christi cognosci oportere, quam a vinculo charitatis. Quia quemadmodum, qui fabrilem aliquã artem didicit, vt verbi gratia, Argentarius faber operibus suis clamat, artem se ab argentario didicisse; eodem modo eos, qui charitate inter se continentur, re ipsa clamare arbitror, Christi qui supremam habet charitatem, se discipulos esse, &c. Verus discipulus præceptorem imitatur; præceptor noster Christus valde dilexit, si discipuli sumus, præceptorem imitemur, diligendoque eius in nobis imaginem exprimamus. Vt enim ait Diuus Cyrillus Ioan. 13. Facies, atque imago Christi nobis insculpta, qua sui esse cognoscimur, charitatis gloria est, &c. Discipulus ille est, qui doctrinam magistri addiscit, & sequitur, discipuli Aristotelis dicebantur qui Aristotelis, discipuli Platonis, qui Platonis discipuli Zenonis, qui Zenonis dogmata sequebantur. Magistri summi dogma nouum est, Inuicem diligite: hoc discant discipuli, hoc sequantur, & exequantur.

Charitas vexillũ est militum Christi.

Ex charitate cognoscũtur Christi discipuli.

Imitemur charitatem Christi magistri nostri.

Diligite (inquit) sicut dilexi vos. seipsum proponit ante oculos vt exemplar, id iubet, quod facit. Quamobrẽ, ait Rupertus Ioan. 13. Non facit Dominus sicut Scribæ, & Pharisæi, qui Matth. 23. alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt super humeros hominũ: digito autem suo nolunt ea mouere, sed prior ipse facit. Item, de ijs qui potestatem habent super eos, nonnunquam quæri possunt milites, quod dura imperia subiectis imponant, & illis in sudore, & puluere sanguinem fundentibus, ipsi in delicijs subsistant. Non ita in Christo iustam habemus querelã Hæc ille, &c. Nam Christus docuit, & fecit, præit exemplo, nos sequimur, sed vt Petrus a longè: Luc. 22. [Petrus (inquit) sequebatur eum a longe.] Iosue 3. Arca viã Israelitis per Iordanem aperuit, sed inter populum, & arcam interuallum erat bis mille cubitorum: similiter prę cedit nobis vera arca Christus exemplo, viamque patefacit; sed nos longe ab illius vestigijs distamus. Demus operam vt prope accedamus diligendo. Lapides omnes, vt firmum ac stabile sit ædificiũ, calce firmiter colligatos esse oportet: Christi discipuli Ecclesiæ lapides sunt, teste Diuo Petro epistola prima, cap. 2. [Tanquam lapides (inquit) viui superædificamini, &c.] Necesse ergo est, maximopere esse coniunctos, & charitate, veluti feruentissima calce, conglutinatos. Ex fructibus arbor cognoscitur: similem in modum præstãtissimæ Ecclesiæ arbores Christi discipuli, ex fructibus cognoscuntur, hoc est, ex operibus charitatis, iuxta illud Ioann. 3. Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate, &c. Onusti erant fructibus charitatis antiqui illi discipuli, de quibus Diuus Lucas Act. 4 Multitudinis (inquit) credentium erat cor vnum, & anima vna. Erant illis omnia communia, &c. Et Tertullianus de suo tempore, in Apologetico scribit Christianorum charitatem ab Ethnicis ipsis obseruatam: Dilectionis (inquit) operatio notam nobis inurit, penes quosdam (scilicet Ethnicos) Videte inquiunt, vt inuicem se diligant, & vt pro alterutro mori sint parati, &c. Eodem loco ait notasse etiam Ethnicos fratrum nomen, quo se Christiani compellebant Quod (inquit)

Exemplum Christi.

Rupertus.

Christus facere capit, & docere.

Christũ sequimur a lõge.

Iosue 3.

Christianorum charitas.

1. Petr. 2.

1. Ioan. 3.

Antiquorũ Christianorum charitas.

Act. 4.

Tertull.

(inquit) fratres nos vocamus, infamant; fratres autem vestri, id est, Ethnicorum, sumus iure naturæ matris vnius. At quanto dignius fratres, &c. habentur, qui vnum Deum patrem agnouerunt, qui vnum spiritum biberunt sanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad vnam lucem expauerint veritatis, &c. Item ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos dirimit fraternitatem. Itaque quia animo, animaq; miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. omnia indiscreta sunt apud nos, præter vxores. Sic ille.

Non dixit Dominus, vt obseruat Chrysostomus, in hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si miracula feceritis; sed [si dilectionem habueritis ad inuicem] Omissis miraculis (ait Chrysostomus) quæ ipsi erant facturi, dilectionis signo annotat &c. Reddit rationem; Quoniam vel hoc maximè (videlicet dilectio) sanctorum hominum est indicium: etenim omnis virtutis fundamentum est, propter hanc in primis omnes salutem consequemur, hoc est (inquit Dominus) esse discipulum, sic ab omnibus laudem consequimini, cum viderint vos meam imitantes dilectionem. Sed nonne potius miracula hæc ostendũt? Minimè. Multi enim dicent Matth. 7. [Nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, &c.] Atqui miracula orbem allexerunt: sed cum dilectio præcessisset; aliter nulla secuta essent miracula. Hoc enim eos, & bonos reddidit, & benignos, quod scilicet vnus erat animus omnibus. Quod si varia fuissent sententia, omnia perdidissent. Hæc Chrysost. similiter Diuus Augustinus tract. 65. Alia (inquit) habent munera mea vobiscum, etiam non discipuli mei, non solum naturam, vitã, sensum, rationem, salutem; verum etiam linguas, Sacramenta, prophetiam, sciẽtiam, fidem, distributionem rerum suarum pauperibus, & traditionem corporis sui, vt ardeant, sed quoniam charitatem non habent, vt cymbala concrepant, & nihil sunt. Non ergo in illis, quamuis bonis muneribus meis, quæ habere possunt etiam non discipuli mei, sed in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem, &c. De charitate diximus alijs locis, dicemusque infra Ioan. 15. loco Christus hoc repetit præceptum hic appellauit nouum, ibi appellat suum. [Hoc (inquit) est præceptum meum, vt diligatis inuicem. Item; hoc mando vobis, vt diligatis inuicem.] Magni momenti est hoc præceptum, quod toties Dominus inculcat.

D. Chrysost. *Cur non dixerit Dominus: in hoc cognoscent vos esse meos discipulos, si miracula feceritis.*

Matth. 7.

D. August.

CAPVT XXI.

De prædictione negationis D. Petri.

MATTHAEVS CAPITE XXVI.

TVnc dicit illis Iesus: Omnes vos scandalum patiemini in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Postquam autem

Digitized by Google

autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Respondens autem Petrus ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequàm gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.

MARCVS CAPITE XIV.

ET ait Iesus: Omnes scandalizabimini in me in nocte ista: quia scriptum est: Percutiam pastorem, & dispergentur oues. Sed postquàm resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Petrus autem ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te: sed non ego. Et ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquàm gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. At ille ampliùs loquebatur: Etsi oportuerit me simul commori tibi, non te negabo: similiter autem & omnes dicebant.

LVCAS CAPITE XXII.

AIt autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire. At ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. Et dixit eis: Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter, & peram: & qui non habet,

Digitized by Google

vendat tunicam suam, & emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea, quæ sunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit eis: Satis est.

IOANNES CAPITE XIIII.

DIcit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Respondit Iesus: Quò ego vado, non potes me modo sequi: sequeris autem postea. Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modò? animam meam pro te ponam. Respondit ei Iesus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: non cantabit gallus, donec ter me neges.

OMnes Euangelistæ A narrant, Christum Petro negationem prædixisse; sed diuerso narrant modo. Quamobrem quæstio exoritur, an Dominus semel tantum negationem prædixerit, an sæpius, vt Euangelistæ videntur indicare? Diuus Augustinus libro 3. de consensu Euangelistarum cap.2. arbitratur Christum ter prædixisse Petro negationem: Hoc (inquit) est credibilius, quod ter ostenderit præsumptionē suam Petrus, & de trina sua negatione, ter a Dño audierit prædictionē ꝙ ex ipsis Euāgelistarũ verbis probatur: Sic ille. Probatur autem hæc sententia ex Euangelist. in hunc modum: Vt Ioan. cap. 13. ait, Christus discipulis dixit [Quo ego vado, vos non potestis venire] Interrogauit vero Petrus: [Domine quò vadis?] Respondit Dominus; [Quò ego vado, non potes me modò sequi, sequeris autē postea.] Adiecit Petrus: [Quare non possum te sequi modò? animam meam pro te ponam.] Tum Christus semel negationem prædixit his verbis: [Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus donec ter me neges, &c. Quia Petrus dixerat; animam meam pro te ponam; falli illum indicauit Christus & negaturum affirmauit. At verò Lucæ 22. aliorum verborum occasione B oblata, idem asseruit. Cum dixisset Dominus; Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, &c. respondit Petrus confidenter: [Domine tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem.] Christus verò negationem iterum prædixit, dicens; [Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me, &c.]

An Dominus sæpius prædixerit D. Petro negationem.

D. Augustinus ter ait prædixisse.

Probatur opinio.

Prima prædictio. Ioan. 13.

Secunda prædictio. Luca 22.

&c.] Tertio quoque prædixisse indicant Matthæus 26. & Marcus 14. Nam Matthæus sic scribit; [Hymno dicto exierunt in montem Oliueti. Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte, &c. Respondens autem Petrus ait illi; Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Iesus, Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis, &c.] Eodē modo scribit Marcus, Ioannes, & Lucas indicant semel, atque iterum negationem prædixisse Dominum, antequam hymnum diceret, & in montem Oliueti egrederetur. Matthæus, & Marcus, significant post hymnum dictum, & post egressum in montem, tertiò prædixisse: diuersis ergo oblatis occasionibus, & Petrus confidenter locutus est, virium suarum imbecillitatem minimè expendens, & Dominus ter negaturum asseruit. Obijcitur non esse verosimile Petrum toties Christo affirmanti, & prædicenti negationem repugnasse, & contrariū affirmasse. Respondetur, Petrum ardore animi ductum, suæque fragilitatis oblitum, toties repugnasse; quia mori potius apud se statuerat, quam negare.

Tertia prædict. Matth. 26. & Mar. 14

Obiectio.

Responsio.

Iansenius existimat plausibilius dici, semel tantum Christum negationē prædixisse, hoc pacto; Dixit Petrus, vt est apud Ioannem; [Animam meam pro te ponam:] respondit Christus, Animam tuam pro me pones;] deinde adiunxit, quod est apud Lucam; [Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego rogaui pro te, confirma fratres tuos, &c.] Adiecit quoque id, quod est apud Matthæum, & Marcum: [Omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista, &c.] Tunc respondit Petrus [Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor, Domine tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire.] At Dominus post hæc omnia, semel tantum negaturum illum asseruit, dicens [Antequam gallus cantet ter me negabis.] Si obijcias; Matthæum, & Marcum indicare post egressum ex cœnaculo prædictam negationem; Respondetur, hos Euangelistas vsos esse recapitulatione; hanc rationem concordiæ secutus dicitur Ammonius Alexandrinus in harmonia Euangelica; sed ille solum scribit Christum trinam negationem Petro prædixisse; quoties prædixerit minimè refert: sequitur tamen illam Tatianus Alexandrinus in sua harmonia Euangelica, in qua indicat Christum semel tantum negationem prædixisse. Ego Augustinum sequor; nulla enim ratio illius opinionem faciliorem, & Euangelistarum narrationi magis contentaneam refellit, quæ facilè non dissoluatur. Intoleranda (ait Iansenius) fuisset Petri præsumptio, si post tertiam prædictionē, vt est apud Matthæum, & Marcum, ausus fuisset dicere: Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo, &c. Respondetur, præsumptionem quidem fuisse, sed ab animo Christū valde amante profectam, qui mortem pro illo oppetere nō dubitabat: idcoque sæpius eodem modo respōdisset, si sæpius Dominus negationem prædixisset. Obcæcauerat enim eius mentem nimius ardor pectoris, ex quo fumus quidam præsumptionis exoriebatur.

Alia opinio semel tantū prædictā negationem.

Opinio Augustini præfertur.

Respōdetur Iansenio.

Domine, quo vadis.

Dixit discipulis Dominus: Quo ego vado, non potestis venire; vt Ioannes narrat. Diuum Petrum magistri amore ardentem, verba hæc perculerunt: nolebat enim ab illo separari Idcirco interrogauit: Domine quo vadis? interrogauit autem quò iret, sequi cupiens, vt ait Augustinus; sic (inquit) hoc dicit Petrus, tanquam sequi paratus, &c. Videbat Magister, quo tenderet discipuli interrogatio, & respondit; Petre, Quò ego vado, non potes me modò sequi, sequeris autem postea, &c.] Ibat ad passionem, & per passionem in cælum: non poterat Petrus tunc eum sequi, per passionem siue martyrium in cælum, tum quoniam opus erat illum viuere,

D. August.

vt

Digitized by Google

vt Ecclesiæ teneret clauum, Euangeliumque orbi promulgaret, tum quia nondum satis virium ad subeundum martyriũ habebat. Quid festinas Petre? (ait Augustinus) nondum te suo spiritu solidauit petra. Noli extolli præsumẽdo, non potes me modò sequi, &c. Et Rupertus: Hoc (inquit) rei euentus probauit, negauit enim tertiò, &c. Secutus est tamen postea per crucem Petrus, idque prædixit Dominus; [Sequeris] (inquit) [posteà.]

Rupertus.

Animam meam pro te ponam.

ARdebat Petrus amore magistri, per tela, per ignem, illum decreuerat sequi, non satis illi erat, sequi posteà, volebat sequi statim. Ideoque cum audisset, [Non potes me sequi modò;] animo respondit feruido; [Quare te non possum sequi modò?] hoc est, quænam res difficilis, atque horrida esse potest adeò, vt me à te sequendo deterrere queat? neque ipsa quidem mors hoc valebit efficere; nam vitam pro te ponere, mortemque oppetere paratus sum. Magni feruoris (ait Diuus Cyrillus) plena est hæc pollicitatio Petri, &c. Magna quidem laude, dignus est eius amor erga Christum, ex quo flagrãtia hæc verba proficiscebantur, velut ex fornace, sed virium suarum imbecillitatem non expendebat, quam animaduertere, auxiliumque diuinum implorare oportuerat. Præoculis habebat Petrus (ait Rupertus) cupidissimam voluntatem sequendi Dominum; nondum expertus, quid ferre valerent humanæ imbecillitatis humeri. Et Diuus Augustinus; Quid (inquit) in animo eius esset cupiditatis, videbat Petrus; quid virium, non videbat, &c.

Animus Petri feruid⁹. *Cyrill.* *Rupertus.* *D. August.* *Nõ videbat vires suas D. Petrus.*

Non cantabit gallus, donec ter me neges.

VOluit Dominus experientia Petrum docere, quàm esset naturæ fragilis, ac caducæ; ideoque cadere permisit caducum, casumque prædixit. Animam (inquit) id est, vitam Petre, asseueras te positurũ pro me? falleris, viresque tuas minimè metiris. Promissum non exolues. Amen dico tibi, antequam cantet hac nocte gallus, ter me negabis. Promittis te subiturum mortem pro me, exolues negationem; non morieris pro me, sed negabis me: nunc amas, posteà timebis; amor vitam mihi pollicetur, timor promissis non stabit. Dubitatur, an Petrus de suis viribus præsumpserit, cum dixit: [Animã meam pro te ponam?] Respondetur, Petrum amore raptum de virium suarum potentia, vel imbecillitate non cogitasse. Amori omnia videntur facilia, ideoque ei, qui valde amabat, etiam ipsam mortem pro amato Domino perpeti, facilè videbatur. [Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma,] vt Dominus ait Matthæi 26. Diuus Augustinus præsumpsisse ait tract. 66. Superbè (inquit) præsumpsit, &c. Debuit sanè Petrus vbi audiuit: Non potes me modò sequi; Christo minimè reluctari, sed feruido amori danda venia.

Cur cadere Petrum permisit Christus. *Petrus amore raptus vires suas non expendit.* *Amori omnia vidẽtur facilia.*

Apud Matthæum sic Dominus negationes prædicit: [Antequam gallus cantet, ter me negabis.] Apud Lucam: [Non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.] Apud Ioannem, [Non cantabit gallus donec ter me neges.] Marcus verò scribit dixisse, [Priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus,] quod diuersum est. Nam verba, quæ extant apud reliquos Euangelistas, significant Petrum ter negaturũ ante omnem galli cantũ; posteriora Marci, significant non negaturũ ter, ante omnem galli cantum, sed ante secundum. Diuus Augustinus lib. 3 de consensu

Prædictio negationis. *Concord. Euangelist. D. August.*

nec ter me neges.] Numerum negationum commemorarunt, quoties verò gallus esset cantaturus dicere omiserunt, id verò Marcus suppleuit.

CAPVT XXII.

De secunda prædictione.

Simon, Simon; ecce Satanas.

VT supra diximus, secũda prędictio extat apud Lucã; prima apud Ioannẽ. Nonnulli tamẽ volũt eandẽ esse prędictionẽ apud Lucam, & apud Ioannem, vnde sequitur Christum Petro bis tantum negationem prædixisse, non ter (vt ex sententia Augustini dicimus videlicet semel in cœnaculo, vt Ioannes, Lucásque scribunt; iterũ postquam ex cœnaculo exijt, vt Matthæus, Marcusq; narrant, in qua sententia est Euthymius Ioan. 13. Iuxta hanc opinionẽ verba Christi, quæ apud Ioannẽ, & quæ apud Lucam extant, in hunc redigenda sunt ordinẽ. Dixit Petro Dominus apud Ioannẽ: [Quò ego vado non potes me modò sequi, sequeris autem posteà.] Dixit ei Petrus: [Quare nõ possum te sequi modò? Animã meam pro te ponam.] Respondit ei Iesus [Animam tuã pro me pones? Simon, Simon] (vt est apud Lucã) [ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticũ; ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos] Qui dixit ei: [Domine tecũ paratus sum, & in carcerem, & in mortẽ ire.] At ille dixit: [Dico tibi Petre non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me, &c.] Hic verborũ ordo ex verbis Christi Ioan. 13. & Lucæ 22. sic contextus, indicat in cœnaculo semel tantũ prædictam esse negationem. Verùm nõ egisse de

An fuerint duæ solum prædictiones.

A eadem prædictione Lucam & Ioannẽ, ex verbis illis Christi Luc. 22. probatur: [Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos:] ea enim post negationis prædictionem dicta sunt: ergo iã prædixerat Christus, negationem apud Ioan. cum hæc verba protulit, quæ extãt apud Lucã; post quæ iterum negationem prædixit. Quòd autem verba illa, [Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, à Christo dicta sint post prædictionẽ negationis confirmatur: quia prius de casu Petri, & negatione egit, quàm de conuersione. Non enim dixisset conuertendum à peccato, nisi prius prædixisset peccatum. Vide infra verborum interpretationem.

B

Quidã sic legunt: Ait autem Dominus Simoni: Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. Sed vera lectio, quę extat in editione correcta, & Græcis codicibus, hæc est: [Ait autem Dominus: Simon, Simõ, ecce Satanas expetiuit vos, &c.] Geminat nomen, quemadmodum Lucæ 10. [Martha Martha solicita es, &c.] & Act. 9. [Saule, Saule, quid me persequeris?] id quod sæpe facere solemus. Indicabat autem repetitio hæc nominis, Petrum animi sui confidentia falli, quasi diceret: Simõ, Simon, quàm falleris confidentia tua virium tuarum imbecillitatem, & Satanæ insidias ignorans, vel commiserationis est nominis geminatio, & admonitionis; ò Simon, Simon, ecce Satanas vos expetiuit, vt cribraret. Dubitatur quonammodo diabolus Apostolos expetiuerit? Beda in Lucam, sic respondet; Satanæ (inquit) expetere bonos ad cribrandum, est ad afflictionem eorum, malitiæ æstibus anhelare. Quò enim eorum tentationem inuidens appetit, eò illorũ quasi probationem deprecans petit, &c. Sentit Beda diabolum non propriè à Deo petiuisse vt permitteret sibi tentare Apostolos; dicique expetere iustum ad tentandum, non quia à Deo facultatem petat, sed quia id valde desiderat. Nihil tamen obstat quò minus verbum, [expeto] in pro-

C

Luc. 10.

D

Quonã modo diabolus Apostolos expetiuerit. Beda.

E

in propria significatione accipiatur. A Græcum verbum est, ἐξῃτήσατο, quod significat [exposcere.) Dæmon ergo postulauit facultatem à Deo tentandi Apostolos, quemadmodum potestatem petiuit ad tentandum Iob. Ostendit autem locus hic id quod ait Euthymius: Mos (inquit) est diabolo, præstantiores expetere ad palæstram, &c. qua de re plura diximus tomo 2. lib. 2. cap. 8. lege Bernardum sermone 7. Psal. [Qui habitat:] Perfe- B ctiores (inquit) Dæmon vehemétius pulsat, iuxta illud: [Esca eius electa, &c.] Ostēdit prætereà habere dęmonem ligatas vires, neque posse tentare, nisi facultaté accipiat à Deo permittente, vt diximus tomo 2. libro 5. cap. 18 & lib 2. cap. 8. Bernardus loco citato: Non sine certa (inquit) diuini dispensatione consilij diab. tentat; nec imperfectiores supra id quod ferre possunt Deus tentari permittit, C faciens cum tentatione peruentum, & perfectioribus non modò gloriosiores, sed numerosiores parat ex hoste triumphos, &c.

D. Bernar.

Cribrare quid sit. *Euthymi⁹.* *Quid significet cribrare sicut triticum.*

Dubitatur secundò quid significet hic verbum, [cribraret,] Græcè σινιάσαι. Id exponit rectè Euthymius his verbis; Cribrare, est [turbare, mouere,] concitare. Nā in cribro triticum transfertur, & concutitur, ac cōfunditur, &c. Sensus est; postulauit vos D Satanas, vt tentationibus concuteret ac perturbaret, & à fide moueret sicut triticum in cribro concutitur, ac mouetur. Vel aliter: Postulauit vos Satanas vt cribraret; si verò aliqui ex vobis instar pulueris leues essent, hos deijceret cribrando, ac perderet; quemadmodum concusso cribro puluis deijcitur, ac perit. Autor sub nomine Eusebij Emisseni; Diabolus (inquit) Apostolos cribrauit si quid fortè zi- E zaniæ in eis inueniret, &c. Quemadmodū cribrando zizania separantur à tritico; sic diabolus volebat zizania inuenire, & separare à Christo discipulos. Hac cribri similitudine vtitur Deus Amos 9. [Concutiam (inquit) [in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticū in cribro, & non cadet lapillus super terram, &c.] Difficultatem parit hic locus Amos; quoniam cum triticum in cribro concutitur, lapilli ipsa concussione non cadunt, sed manu colliguntur, & extra cribrum pelluntur. Cur ergo ait Dominus concutiam domum Israel sicut triticū in cribro, & lapillus non cadet. Respondetur lapillum, id est, paruum lapidē, significare Israelitas, estque sensus, concutiam Israelitas vt triticum, & nullus ex eis peribit. Secundus simplicior: Concutiam filios Israel vt triticum in cribro: omnes quidē concutientur, omnes vexabuntur; tamen neque granum vllum, neque lapillus cadet in terrā; id est, nullus peribit ex ijs quos statuit seruare, puluis tantum cadet, id est, impij. D. Hierony. Deus (inquit) pro magnitudine sua, vtraque manu tenens cardines terræ, quasi cribrum huc, illucque concutiet, vt paleis, ac sordibus peccatorum in terrā cadentibus, purum frumentum remaneat, quod condatur in horrea. Miserabilem domum Israel toto orbe dispersit, & concussit in cribro; lapillisque, & calculis, super terrā non cadentibus, morientur in gladio, qui propter sordes, & puluerē peccatores populi nominantur; sic Hieronymus. Et Vatablus: Puluis tantū decidit; lapilli, & grana remanēt in cribro, id est, electi, & boni seruabūtur, alij peribunt, &c. Aliter; significant hæc verba omnes impios concutiendos, ac vexandos vbicūq; fuerint, hoc pacto, cōcutiā in omnibus gētibus domū Israel, & nullus ex impijs euadet. Quemadmodum ne lapillus quidē ex cribro cadit, sed grana omnia, & lapilli concutiuntur: sic omnes Israelitæ affligētur. Sequitur: [In gladio peribūt omnes peccatores terræ, &c.] Alij seruabūtur per Christum: vnde addit, [In die illa suscitabo tabernaculum Dauid, id est, Ecclesiam, in qua seruabuntur, &c.]

Amos 9.

D. Hieron.

Videtur aduersari his, quę diximus Ecclesiastico, cap. 27. [Sicut] (inquit) [in percussura cribri, remanebit puluis: sic aporia hominis in cogitatu illius, &c.] Diximus ex cribro puluerem

Ecclesi. 27.

Digitized by Google

rem decidere; grana, & lapillos remanere. Ecclesiasticus verò ait, puluerem in cribro remanere. Respondetur duplex esse genus cribri; sunt cribra quibus res expurgantur, ita vt reiectamenta defluant: sunt alia, quibus expurgantur res, videlicet calx, farina, & aliæ, ita vt reiectamenta, vt furfures, vel sordes in cribro remaneãt, farina, cæteraque decidant. Amos 9. de cribro prioris generis habetur sermo apud Ecclesiasticum de cribro posterioris, in hanc sententiam: sicut cum percutitur, vel concutitur cribrum, remanet puluis, Græcè κόπρια, id est, puluereum stercus, & sordes, paleæ, vel furfures; latè enim sumitur nomen, puluis, pro reiectamentis cribri: ita aporia hominis in cogitatu illius, &c. Græcè, σκῦλα, in Regia, & Compluteñsi, id est, spolia. Aliter, σκύβαλα, id est, quisquiliæ, vel sordes. Fortè noster legit, aporia, vel explicuit sententiam. significat autem, aporia, perplexitatem, consilij inopiam, desperationem, & egestatem. Est sensus quemadmodum cum percutitur, vel concutitur cribrum, puluereum stercus, paleæ, furfures, siue alia reiectamenta remaneant; ita cum homo cogitatione veluti cribro res concutit, commouet, animoque voluit; remanent in ipsa cogitatione perplexitas, & dubia multa, quoniam pleraque homo ignorat. Aliter; quemadmodũ in cribro delabitur id quod melius est, id verò remanet, quod est deterius; sic in cogitatu hominis, sæpe quod præstantius, & verius est transmittitur, quod deterius est, retinetur: sæpe enim quod præstantius est reijcit, quod deterius est complectitur, farinam repudiat, furfures eligit. Aliter; sicut cum cõcutitur farina in cribro, remanent furfures; sic cum homo sua omnia, seque ipsum cogitatione concusserit, atque examinarit, furfures remanebunt & peccata; hoc est, nihil se esse reperiet, & peccatorem, bona ad Deum pertinere intelliget, mala sibi attribuet.

Cribri duplex genus.

Animus hominis, sæpe quod deterius est amplectitur.

Apostolos expetiuit Dæmon vt cribraret sicut triticum; expetit etiam maximè viros iustos, vt cribret, vt perturbet, & a charitate dimoueat. Cribrat Deus vt est Amos, cribrat Dæmon: Deus cribrat, id est, vexat, vt puluerem excutiat, mentemque expurget; diabolus, vt loco nos moueat & a Deo separet. quod maximè cauendum est. Ecclesiast. 10. [Si spiritus (inquit) potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio faciet cessare peccata maxima, &c.] hoc est, si spiritus Dæmonis potestatem habentis a Deo super te ascenderit, teque infestarit, cribrarit, tentationibusque vexarit, ne dimiseris locum tuum, ne cadas ex cribro velut puluis, ne disiungaris a Deo, ne quem habes in cælo paratum locum amittas. Vtere bene ipsa cribratione, ac vexatione, Satanę resiste fortiter, ne ab statione discedas, ne mouearis loco; quoniam cribratio siue tentatio est curatio quædam, & medicina, quamuis molesta, quæ maximis peccatis medetur, vt superbiæ, ambitioni, gloriæ inani, & similibus. Psal. 1. Iustus cum arbore confertur: [Erit tanquam lignum quod plantatũ est iuxta decursus aquarũ, &c.] Impius pulueri similis esse dicitur: [Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis quem projicit ventus a facie terræ, &c.] Arbor etsi ventis, procellisque agitetur, firmis hærens radicibus, in eodem persistit loco: puluis modico flante vento, locum mutat, eundem in modum, qui firmas in virtute radices egerunt, quamuis cribrentur, tentationibusque concutiantur, in eodẽ perseuerant vestigio: leues verò, atque inconstãtes, instar pulueris, quolibet vento rapiuntur, locumque deserunt. Aliter: Ne dimittas locum, sed resiste tentationi, tibique ipsi medicinam affer, & tentationi: nam curatio adhibita tentationi, cessare faciet peccata maxima mortifera. Quod si curationem non adhibeas tentationi incides in peccata maxima. Diuus Hieronymus sic interpretatur: (si inquit) in cor nostrum ascenderit rector tenebrarum, & animus malæ cogitationis vultus acceperit: non debemus

Tentat diabolus viros iustos.

Eccl. 10.

In tentatione seruã da constantia.

Psal. 1.

Impius pulueri similis.

Perseuerantia.

Tentationi resiste.

D. Hieron.

mus locum vltrò tribuere, sed pugnare contra cogitationem pessimam, & liberari à peccato maximo, ne scilicet cogitationem opere cópleamus, &c. Symmachus hoc pacto: Si spiritus principis irruerit tibi, loco tuo ne recedas: quia pudicitia cóprimit peccata magna, &c. Hoc est (ait Hieronymus) si titillauerit mentem tuam diabolus, & te ad libidinem concitarit; ne sequaris cogitationem pessimam, sed ita fortis, & rigidus, frigore castitatis, flammam voluptatis extingue, &c. Et Chaldæus: Si (inquit) spiritus concupiscentiæ malæ dominatus in te fuerit, & adeò inualuerit, vt super te conscendat, locum tuum bonũ ne dimittas, &c. Potest esse sensus; si Dæmon per peccatum aliquod ascẽderit super te, & tibi dominatus fuerit, ne desperes, & desperando dimittas locum tuum, sed cura peccatum, & age pœnitentiã, quia hæc curatio cessare faciet peccata maxima.

Tẽtatio libidinis viriliter superanda.

Diximus duo esse genera cribrorum, quædam retinent, quod est præstantius, vt triticũ, quod deterius est, deijciunt, vt puluerem: hoc cribro concutiuntur iusti, gratiam, Deique charitatem, quæ pręstantior est, cum cribrantur retinent, cætera caduca, & instar pulueris deteriora proijciũt. Contrà sunt alia cribra, quę deterius seruant, quod præstantius est transmittunt: hoc cribro agitantur ij, qui cum tentantur pro deterioribus, præcellentiora amittunt, vt pro diuitijs, honoribus, vel vita, gratiam, charitatem, Deum ipsum Psal 108. [Diabolus stet à dextris eius:] Ait Augustinus à dextris illorum stare diabolum qui meliora, quæ dextera manu significantur, postponunt deterioribus, quæ indicantur manu sinistra. Stet (inquit August.) diabolus à dextris eius, dictũ est, quia opera diaboli præposuit operibus Dei. Diabolus stetit à dextris Iudæ, quando præposuit auaritiam sapientiæ, & pecuniam saluti suæ. Hæc Augustinus. Diabolus à dextris Iudæ stetit, & stat à dextris eorum, quos tentat, quia nititur ea, quæ sunt dextera, id est, præstantiora, surripere: seruãdum est dextrum latus, clypeoque fidei protegendum. Lege Bernardum sermone 7. in Psal. [Qui habitat:] suis ille auditoribus, aiebat; Videmini exposuisse aduersario latus sinistrum liberè tundẽdum, vt dextrum tota solicitudine conseruetis, &c. Hoc religiosi faciunt viri, siquidem inferiora, & caduca bona spernunt, vt æterna præcellentiora nanciscantur, Zachar. 3. A dextris Iesu filij Iosedec, sacerdotis summi, dicitur stetisse Satanas, vt aduersaretur ei: sic à dextris nostris stat, vt tẽtet, & cribret; caueamus nobis, Deumq; oremus. Orauit Christus pro Petro: orare nos docuit pro nobis: [Vigilate] (inquit) [& orate, ne intretis in tentationem.] Eccles. 10. [Locũ tuum ne dimiseris, &c.] Qui locum suum dimittit, is in tentationem à loco suo discedit, & tentationem intrat. Qui verò in loco suo stat orans, is non intrat tentationem, quia pedem extra locum suũ non profert. Quis non orabit, perpetuoque in corde, & ore gestabit regij vatis versiculum illum: [Deus in adiutorium meum intende, &c.] si fragilitatem suam animaduerterit? Horreamus (ait Theophylactus Luc. 22.) considerantes quantũ contra remissos valeant insidiæ diaboli. Ecce Petrus, quia paruo tempore per dispensationem relictus est, eò peruenit vt negaret, &c. Negauit: si verò Christus non orasset, peiora passus esset.

Iusti bona caduca amittere malunt, quam bona gratiæ.

Psal. 108.

Diabolus dicatur à dextris stare.

D. August.

D. Bernar.

Zach. 3.

Theophyl.

Petrus paruo tempore relictus negauit Christum.

Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.

POllicetur Dominus Petro, auxili in tentatione. Expetitos dicit esse omnes Apostolos à Satana, & cribrandos, sed pro Petro tantũ se orasse asserit, ne amitteret fidem. Cribraberis Petre, graui tentatione concutieris, sed ego pro te oraui, ne fides tua pereat. Non petiuit à Patre Dominus, ne Petrus negaret, & ne deficeret eius charitas, quoniã negationem

tionẽ permittere voluit, propter causas, quas infra cõmemorabimus, sed petiuit ne fides Petri deficeret. Dubitatur an Christus orauerit, vt non deficeret fides Petri solius, an vt non deficeret fides Petri, & successorum eius in Pontificatu Romano? Respondetur, Christũ orasse pro Petro, cui iam pollicitus fuerat claues Ecclesię, ne fides deficeret, non solum ipsius, verum neque successorũ eius. Quod pro Petri orarit fide, docet Augustinus lib. de correptione, & gratia capitulo 8. Theophylactus in Lucã, Beda, & alij. Quòd autẽ rogauerit pro Petri fide vt capitis, & pro fide successorum, docet D. Bernardus epistola 190. ad Innocentium summũ Pont. Oportet (inquit) ad vestrum referri Apostolarum pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei: ea præsertim, quæ de fide contingũt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua sedis: cui enim alteri aliquando dictũ est; [Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua?] ergo quod sequitur à Petri successore exigitur; [Et tu aliquãdo conuersus cõfirma fratres tuos.] Hæc Bernardus. Diuus Leo sermone 3 de Assumpt. ad Pont. Instante (inquit) passione Dominus Simoni, inquit; [Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, &c.] Commune erat omnibus Apostolis periculum, specialis tamen cura Petri à Domino suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omniũ fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis cæteris conferatur, &c. Lucius summus Pontifex antiquissimus, in epistola missa ad Episcopos Galliæ, & Hispaniæ, tom. 1. Concil. Dominus fidem beati Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres admonuit, quod Apostolicos Põtifices fecisse semper cunctis est cognitum, &c. Item: hæc sancta, & Apostolica, mater omniũ Ecclesiarum Christi Ecclesia, (.i. Romana) vt in exordio, normam fidei Apostolicæ percepit, illibata fine tenus manet; secundum ipsius Domini pollicitationẽ, qui discipulorũ principi fatus est; [ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua, &c. Agatho S. P. in epist. ad Constantinũ Imperatorẽ, quæ extat in 6. Synodo act. 4. Dominus fidẽ Petri non defecturam promisit, & confirmare eũ fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices fecisse semper cunctis est cognitum, &c. Innoc. 3. cap. [Maiores causas,] extr. de Baptis. & ei⁹ effect. Maiores (inquit) Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referẽdas intelliget, qui eum quærenti Domino, quem discipuli dicerent ipsum esse, respondisse notabit; [Tu es Christus filius Dei viui,] & pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides eius, &c.

D. Bernar. — *Prærogatiua sedis Petri est vt nõ deficiat.* — *D. Leo.* — *Specialis cura Petri à domino suscipitur.* — *Lucius S. P.* — *Agatho S. P.* — *Innoc. 3.*

Fuit efficax Christi oratio, quod petebat impetrauit, tam Petro, quam successoribus. Leo 9. in epistol. ad Petrũ Antiochenum; Petrus (inquit) solus est, pro quo ne deficeret fides ei⁹ Dominus asseruit se rogasse, dicẽs: [Rogaui pro te, &c.] Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur, in throno eius, vsque in sæculũ sæculi, sed confirmabit corda fratrũ varijs concutienda fidei periclitationibus, sicut vsq; nunc cõfirmare nõ cessauit, &c. Qualem autem fidẽ Christus impetrarit Petro, disce ex Augustino lib. de correptione, & gratia c. 8. Quando (inquit) rogauit Christus vt non deficeret fides Petri, quid aliud rogauit, nisi vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimum voluntatẽ, &c. defecit in Petro quidẽ, cũ negauit oris confessio, sed non defecit cordis fides folia, i. verba confessionis abiecit hostis, radix fidei semper vixit. Theophylactus in Lucã: Quamuis (inquit) concutiẽdus sis Petre, habes tamen recondita semina fidei, vt etiamsi

Oratio Christi efficax fuit quod petebat Petro impetrauit. Leo 9. — *Qualis fides Petro impetrata à Christo. D. August.* — *Theophyl.*

etiamsi folia abiecerit spiritus inuadentis, radix tamen viuet, & non deficiet fides tua, &c.

Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.

Ad Petrum pertinet confirmare fratres.

HÆc etiam verba ad Petrum pertinent, quia caput Ecclesiæ, vt docent Patres, Diuus Bernardus, D. Leo, Lucius, Agatho, Leo 9. & Nicolaus primus in epistola ad Michaelem, item Theophylactus: Quia (inquit) Petre te habeo principem discipulorum, confirma cæteros. Hoc enim decet te, qui post me Ecclesiæ petra es, & fundamentum, &c. & Titus Bostrẽsis: Esto (inquit) posthac Petre eorum doctor, & firmamẽtum, qui mihi per fidem adiungentur, &c. Prædixit Dominus primò negationem Petri, & peccatum, vt Ioannes docet cap. 13. nunc prædicit conuersionem, & cæteros iubet confirmare. [Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos:] quasi dicat, Negabis me Petre, crimen committes, sed conuerteris ad me, pœnitentiam ages: Tuique muneris erit fratres tuos Apostolos, & Christianos omnes in fide, quę in te nunquam deficiet, & charitate, quam per pęnitentiam recuperabis, confirmare doctrina tua. Probãt hæc verba, vt suprà diximus, diuersam esse negationis prædictionem, quæ extat apud Ioannem, ab illa, quæ extat apud Lucam. Nã prior fuit illa cuius meminit Ioannes, prædictio negationis, præcessitque prædictionem conuersionis; illa verò fuit posterior quã memorat Lucas, ipsamque prædictionem conuersionis secuta est, vt legenti liquet. Prius verò prædixisse Christum Petrum negaturum, quàm conuertendum confirmatur: quia nõ est rationi consentaneum homini prædicere conuersionem, ante prædictionem peccati: ergo prius Dominus Petro prædixit negationem apud Ioannem, quàm conuersionem apud Lucam. Respondebit aliquis, verbum, [conuersus,] non significare cõuersionem à peccato, sed conuersionem ad fratres, hoc sensu, non deficiet fides tua, & tu aliquando conuersus ad fratres tuos Apostolos, cõfirma eos, sed interpretum alia est sententia. Beda de conuersione pœnitentiæ, locum intellexit: Tu (inquit) infirmiores fratres exemplo tuæ pœnitentiæ, ne de venia fortè desperent, confortare memẽto, &c. Theophylactus sic exponit: Tu (inquit) conuersus, hoc est pœnitentiam agẽs, & lachrymas profundens, & à negatione resiliens, esto etiam alijs pœnitentiæ exẽplar, ne desperent, &c. Item: Tu Petre conuersus, bonum exemplum eris omnibus, vt nullus credentium in te respiciens desperet, qui cum Apostolus fueris, & negaueris, iterum tamen receperis primatum omnium, & præfecturam orbis per pœnitẽtiam. Hæc ille. Euthymius sic interpretatur, conuersus post negationem, per fletum amarum, hoc est, in pristinum locum denuò restitutus, &c. Reliqui quoque Interpretes, de pœnitentia Petri locutum Christum arbitrantur, & particula, [aliquando,] id indicat.

Theophyl.

Titus.

Prius Dominus prædixit Petro negationem, quàm conuersionem.

Beda.

Theophyl.

Conuersus est Petrus per pœnitentiam.

Euthymius.

Domine tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire.

Animosa est charitas. Theophyl.

MVlta charitas (ait Theophylactus) animosum reddidit Petrum, &c. Animosa enim charitas est animosósque reddit eos in quorum est pectore. Repetit Petrus quod dixerat apud Ioannem cap. 13 [Quomodo nõ possum te sequi modò? Animam meam, id est, vitam pro te ponam, &c.] Sic hoc loco paratus sum te sequi paratus sum tecum in carcerem, & in mortem ire. Repetit etiam Dominus, quod dixerat eodẽ capite, [Non cãtabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me, &c] Petrus feruore incensus se ad mortem vsque secuturum Christum, secundò affirmat: Christus secundò ei prædicit trinam negationem. Laudandus Petri feruor sed vt Euthymius adnotauit, oportebat fortitudinem, atque auxilium à Chri-

Digitized by Google

à Christo petere. Dulce bellum (vt aiũt) inexpertis; inexpertus Petrus, audet, magna pollicetur, impendens bellum non formidat, non petit auxilium: at prælium ingressus horruit, defecit, scutum abiecit.

Dulce bellum inexpertis.

D. Chrysost.

Petro victo ostẽdit Chrysostomus homilia 83. in Matthæum, non satis esse hominis vires, & feruorem absque Dei subsidio, ad propulsandas tentationes. Magnum (inquit) dogma hinc discimus: quia videlicet, nullo modo hominis volũtas sufficit, nisi auxilio superiori roboretur, &c. Ostendit præterea ex Iuda, non esse satis diuinum auxiliũ, nisi homo cum Deo concurrat, auxilioque Dei vti velit: Iudas (inquit) confirmat, quòd nunquam lucrari poterimus superiori patrocinio, si voluntas nostra repugnat: Iudas enim, etsi largum præsidium Christi habuerit, tamen quoniam noluit attendere, nullam inde vtilitatem consecutus est. Quas ob res vehementer rogo, ne velitis ita omnia Deo attribuere vt oscitandũ, dormiendumque vobis putetis, nec rursus si vigilatis, laboribus rem vestris aliquam effici arbitremini. Hæc ille. Idem docet Theophylactus Lucę 22. & Euthymius Matth. 26.

Diuinũ auxilium homini est necessarium.

CAPVT XXIII.

Dè prædictione scandali discipulorum, & tertia prædictione negationis Petri.

Quando misi vos sine sacculo, & pera.

PRædixit Dominus Petro negationem, nũc prædicit ænigmaticè tempestatẽ Apostolis imminentem. Rogat illos; Quando misi vos binos ad docendos Iudæos, præcepique, vt neque sacculum portaretis pecuniæ, neq; peram cibi, neque calceos, nunquid aliquid defuit vobis? Responderunt: Nihil nobis defuit. De hac missione egit Lucas capite 9. Matthæus 10. nos egimus tomo 2. libro 9 cap 11. Addit Dominus, tunc præcepi vobis, vt neque sacculum, neque peram, neque calceos, portaretis: nunc autem qui habet sacculum pecuniæ, siue marsupium, & qui peram habet cibi, assumat sacculum, & peram, neque satis est sacculus, & pera, gladium etiam quærat, qui gladium non habet: adeò enim erit necessarius, vt vel vendita tunica sit emendus. Imminet enim tempus calamitosum, quo ab hostibus comprehendendus sum, & cum latronibus affigẽdus cruci, sicut Isaias cap. 53. est vaticinatus dicens, [& cum iniquis deputatus est,] scilicet latronibus. Nam quę tum Isaias, tum alij Prophetæ, [de me,] hoc est de passione mea scripserunt, [finem habent] hoc est, paulò post finẽ sortientur, crastina die ad finem, & exitum perducentur, vel, omnia, quę de me sunt scripta, finem habẽt, id est, implebuntur omnia, ad finemque & perfectionem peruenient, inde illa verba Domini: Consummatum est, &cet.

Dubitatur, an Dominus significet ijs verbis se discipulis permittere, vt pecuniam habeãt, loculos & peram portent. Respondet Diuus Basilius in regul breu or. inter. 251. non esse hic præceptum aut permissionẽ, sed prophetiã Christi prædicẽtis, quòd Apostoli gladio essent vsuri. Interpretatur autem verba hoc modo; tollat sacculum, & peram, id est, tollet; emat gladium, id est, emet: sed prophetiam non esse credendum potius est. Theophylactus respondet hoc modo: Christus Apostolorum curam habens, faciebat eis omnia necessaria affluere abundè, citra ipsorum curam. Nunc autem contraria præcipit, ostendens eis, quòd vsque ad hoc tempus tanquã paruulos gestarit, & nõ fecerit eos de quoquam

D. Basilius. An Dominus discipulis permittat loculos, & peram.

Theophyl.

solicitos. Nunc autem opus est eis vt curent ea, quæ virorum sunt, & prouideant sibi ipsis. Ego enim (inquit) Pater vester vestri curam gerens iam ab eo, ex hoc tempore parati estote, & ipsi rerum vestrarum curam gerite & nolite omnem curam in me reijcere, &c. Sic vero verba Christi explanat; Ex hoc tempore (inquit) & peras gestate, hoc est, sic effecti estote, & curam habete, vt esuriem habituri, & gladium emite, quod est; sic prouidete vobis ipsis tanquam ij, qui in bella, & prælia multa incident. Hæc Theophylactus. Euthymius similem in modum; Aufert (inquit) necessitatē Christus, & permittit Apostolis, vt loculos habeant, & peram, quo virtus eorum appareat, qui nulla vigente necessitate sectantur inopiam. Dimisit illos vt sibi essent auxilio, quasi iam robustiores effectos: nam per sacculum, & peram hoc significatur, &c. Chrysostomus homilia 83. in Matthæum; In principio (inquit) Christus teneros Apostolos virtute sua fouebat; nunc quasi e nido pullos educens, suis etiā pennis vti hortatur, &c. Idem Chrysostomus homilia in Priscillam, & Aquilam ad Romanos 16. Quemadmodum, qui natandi artem docent, principio multa diligentia discipulos gestant; post vnum autem, & alterum, & tertium diem, subtracta dextera illis præcipiunt, vt seipsos iuuent, & nonnunquam illos parumper mergi sinūt; ita cum discipulis Christus faciebat, initio nihil eos pati sinebat, sed vbique aderat muniens, & circumuallās eos, faciensque, vt omnia vbertim eis affluerent, cum verò tempus esset, vt virilem ætatem suam declararent, subtraxit aliquandiu beneficium, &c. legenda reliqua Chrysostomi, quæ breuitatis causa omittuntur. Beda sic; Missis (inquit) ad prædicandum discipulis, præcipit ne quid tollerēt in via videlicet ordinans, vt qui Euangeliū annuntiant, de Euangelio viuant.

Euthymius Apostolis peram habere permittitur

D. Chrys.

Similitudo.

Mortis autem instante tempore, & tota simul gente pastorem pariter, gregemque persequente, congruam tempore regulam decernit, pecuniam scilicet victui necessariam, donec sopita persecutorum insania, tempus euangelizandi redeat, tollere permittendo, &c.

Respondemus duplicem esse quæstionem altera est, num Christus permiserit Apostoli habere sacculum, & peram, postquam ab illis discessit? Altera, an hæc permissio his verbis significetur? Priori quæstioni respōdimus tomo 2. lib. 9. cap. 11. Permisisse Dominum Apostolis Euangelizantibus, sacculum habere, & peram. Posteriori respondemus, hæc verba non ideirco esse a Christo hoc in loco dicta, vt peram & marsupium discipulis permitteret: sed vt hoc loquendi modo, & velut ænigmate quodam posteà a Discipulis intelligendo, ostenderet calamitosum impendere tempus passionis suæ, & periculi plenū, quo non solum marsupium, & pera, ad comparandum victum, sed etiam gladij necessarij videri poterant, ad propellendas hostium iniurias. Prædicit atrox bellū discipulis: ad bellum autem necessariæ sunt pecuniæ, edulia, & arma ideo ait, tollat sacculum pecuniæ, qui habet, tollat etiā peram, & qui non habet, gladiū emat: cæterarum rerum, vel etiam tunicæ dispēdio comparet illum: nam bellum imminet atrox. Potest etiā locus explicari, sed minus probabiliter, hoc pacto: qui habet pecuniæ sacculū, tollat illū, & peram assumat, & pecunia emat gladium ex sacculo, & qui nō habet sacculum pecuniæ, & peram, vt emat gladium, vendat ipsam tunicam, & emat illum.

Hic duplex quæstio.

Permisit Dominus discipulis euangelizātibus ferre peram

Significat Dominus tēpestatem imminentem.

Ecce duo gladij hic.

Intellexerunt discipuli periculum imminere aliquod, dominumq; iubere, vt gladios pararent, ideo respōderunt: [Domine, ecce hic duo sunt gladij, quos tollemus] siquidem iubes nos gladios emere, & tollere. Respondit Dominus; [satis est.] Quidam, vt ait Theophylactus, dixerūt verba hæc Christi fuisse ironica, quasi

Theophil.

Digitized by Google

quasi dicat: satis sunt duo gladij, aduersus hostium magnam multitudinem: minimè verò. At dicendum potius, non esse vsum Dominũ ironia, non dixit satis sunt duo gladij, [sed satis est,] hoc est, hac de re satis dictum, & ad alia transijt. Quæritur, an discipuli ferrent illos duos gladios? Diuus Cyrillus in Ioannem: de gladio Petri loquẽs existimat tulisse gladios aduersus feras: Cum ad hortos (inquit) & loca condensa nocte concubia diuerterent, credendum est illos prouidisse (scilicet gladios) ne à feris bestijs læderentur, quæ variæ in Iudæa reperiuntur, &c. Euthymius in Lucam ait Apostolos illis duobus gladijs vsos fuisse ad immolationẽ, & diuisionem agni. Theophylactus quoque in Ioannem: Disce (inquit) quod Petrus portauerit gladium in vsum agni Paschalis, etiam post cœnam, &c. Obijcies agnum Paschalem non fuisse concissum gladijs, sed cultris; respondetur Græcè nomen esse, μαχαίρα, quod significat [gladium, & cultrũ.] Ferebant ergo Apostoli iuxta hanc sententiam machæras, id est, magnos quosdam cultros. Non est tamen probabilis: siquidem ad secandum agnum non erant opus magni cultri, præsertim cum ossa non essent confringenda, vt lex præcipiebat: gladios ostenderunt Christo, nõ cultros. Addit Theophylactus, Petrum insidias timentem, olim præparasse gladiũ, quæ est Chrysostomi opinio in Ioannẽ. Quomodo (inquit) Petrus gladiũ habet? vt puto hoc metuens, iam se præmunierat, &c. Caietanus ait, forsitan demonstrasse non gladios, quos ferebant, sed qui erãt in domo illa, in qua cœnauerant. Probabilior est hæc sententia, ideoque aiũt Apostoli, [Ecce duo gladij, hic,] id est, in hac domo: neque verò dicunt, ecce duos habemus gladios. Ex illa ergo domo cõmodatũ accepit Petrus gladiũ, quo aurẽ Malcho abscidit, alius forte discipulus alterũ tulit.

An discipuli gladios duos ferrẽt. *D. Cyrill.* *Euthym.* *Theophyl.* *Chrysost.* *Caiet.* *Sñĩa probabilior.*

D. Bernardus lib. 4. de consider. ad S. Põtif. Eugen. c. 3. duos hos gladios, sensu mystico, ait significare duos Ecclesiæ gladios: alterũ spiritalem, alterũ materialem. Vterque, inquit, Ecclesiæ gladius, & spiritalis, & materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exercendus est, &c. Item, Si nullo, inquit, modo gladius materialis ad te, s. Pontif. S. pertineret, dicentibus Apostolis, [Ecce gladij duo hic;] non respondisset Dominus; [satis est:] sed, nimis est. Vterque ergo gladius Ecclesiæ, & spiritalis, & materialis. Hæc Bernardus. Eũdem in modum loquitur Bonifacius 8. in extrau. vnam sanctam, de maioritate, & obedientia; In Ecclesia, inquit, eiusque potestate duos esse gladios, spiritalem, & temporalem, Euãgelij dictis instruimur. Nam dicentib. Apostolis, [Ecce duo gladij hic;] non respõdit Dominus, [nimis esse;] sed satis esse, vterque gladius est in potestate Ecclesiæ, spiritalis, & materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exercendus; ille, sacerdotis, is manu regum, & militum, sed ad nutum, & patientiam sacerdotis. Oportet autẽ gladium esse subdio, & tẽporalem autoritatem spiritali subijcit potestati, &c.

D. Bernar. *Duo gladij Ecclesiæ, spiritalis & materialis.* *Bonifacius*

Significat quoq; gladius verbũ Dei, vt Paulus idicat ad Eph. 6. [Et gladiũ (inquit) spiritus assumite, q̃ est verbũ Dei.] Et D. Amb. Luc. 22. duos gladios nouũ, vetusq; Testamentũ adũbrare credit. Mouet, ait Ambr. q̃ duos gladios discipuli protulerũt, ne forte vnũ noui, alterũ veteris Testĩ, quib. aduersus diaboli armamur insidias. Dicit Dñs: [satis est:] quasi nihil desit ei, quẽ vtriusq; Testĩ doctrina munierit, &c. His gladijs pugnare nos docuit Dñs, cum in solitudine à diabolo est oppugnatus: Scripturæ. n. verbis hostẽ profligatũ in fugã cõuertit. [Qui non hẽt,] s gladiũ, ait, [vendat tunicã suã, & emat gladiũ, &c. Sunt. n. admodũ necessarij hi gladij, eo præsertim tpe, quo hæretici fidei hostes à diabolo excitãtur. Docuit diabolus milites suos vti his gladijs in prælio, diximus to. 2. lib. 2 c. 4 & c 11 Sed carent acie illorum gladij, acie inquam veritatis, nescio quas commentitias, & men-

Gladius significat verbum Dei. Ephes. 6. *D. Ambros.* *Duo gladij, duo testamẽta sunt.* *Hæreticorũ gladij plumbei.*

& mendaces Scripturæ afferũt interpretationes, quæ ferire nemine possint, nisi stupidum aliquem hominem, atque ignorantem. Qui vero gladios habet noui, veterisque Testi diuinæ veritatis acie, vtriusq; interpretationibus fulgentes, is hæreticorum gladios, veluti plumbeos, imo stupeos facilè dissecat. Cant. 3. [Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel: vniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos, &c.] Ecclesię pastores ac doctores Ecclesiã veluti Christi lectũ circundant, ac proteguut; gladiũ habent super femur id est, Dei verbum, propter timores nocturnos dæmonum, atque hæreticorũ. Est etiam egregius gladius mortificatio effrænatæ cupiditatis, adeo verò necessarius vt et vendita tunica sit emendus.

Vetus & noui Testamẽtũ sunt armandus sus hæreticos. Cant. 3.

Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.

PRædixit iam Dominus bis soli Petro negationem: semel apud Ioannem, iterum apud Lucam, vt indicatum est: hoc loco Matthæi 26. Marci 14. postquam egressus est ex cœnaculo omnibus discipulis præsignificat scandalum, & Petro prænuntiat negationem, quia Petrus sua confidentia occasionem præbuit; [Omnes (inquit) vos discipuli in hac nocte scandalum patiemini in me.] Quodnam fuerit hoc scandalum discipulorum, an fidem amiserint necne, infra Deo fauente dicemus, cum de fuga illorum agemus. Scandalum nomen Græcum, offendiculum significat, in quod impingimus, & ad casũ impellimur. Scandalizati sunt discipuli, quia passi sunt scandalum, & veluti impegerunt in Christum cõprehensum, hostibusque traditum, & ad casum sunt impulsi: an impingendo ceciderint postea aperiemus. Nemo in lapidem impingit, qui in sublimi loco est collocatus, sed in eum, qui humi iacet: sic discipuli nõ sunt passi scandalum, quandiù miracula patrauit Christus, & magna cum gloria docuit; sed cum sese humiliauit, hostiumque manibus tradidit, tunc cum lapis humi iacuit, in eum impegerunt. [In ista (inquit) nocte scandalum patiemini:] in nocte enim impingere solent homines in lapides, & similia; similiter discipuli in nocte cum Sol iustitiæ Eclipsim passus est, impegerunt.

Scãdalũ qd significet.

Vnde discipulis scandalũ natum.

Percute Pastorem, & dispergentur oues.

PRobat Dominus scandalizandos ac dispergendos discipulos, testimonio petito ex Zacharia capit. 13. [Framea (ait Zacharias) suscitare super pastorem meum & super virũ cohærentem mihi, dicit Dominus exercituũ: Percute pastorem, & dispergẽtur oues: & conuertam manũ meã ad paruulos, &c.] hoc est, framea, siue ensis super pastorem meũ excitare, & super virum mihi cohærentem, scilicet, super Christum, qui Pastor est summus, & vir cohærens Deo, quia humana Christi natura cohæret diuinæ naturæ, in eodem Christi supposito. Versio, quæ in Vatablo erat, sic habet: super virũ coæqualem mihi, Christus enim coæqualis est Patri, quia Deus est; significat etiã nomen Hebræum, [proximũ, & sociũ.] Percute ò framea pastorẽ hunc, & dispergentur oues, videlicet discipuli. Apud Prophetam legitur; [Percute,] apud Euangelistam, [percutiam; idẽ tamen sensus est: nã Dei permissu gladius Christum percussit, ideoque dicitur Deus percutere. Cum Christus comprehensus est, cœpit framea, siue gladius pastorem percutere, dispersique sunt discipuli; post resurrectionem vero qui dispersi erant, sunt congregati. quod prædicit Dominus, dicens; [Postquam autem resurrexero, Præcedam vos in Galilæam:] in Galilæa enim ad Christum cõuenerunt. hanc discipulorũ cõgregationẽ, prædixit etiã Zacharias verbis illis consequentibus: [Et cõuertam

Zach. c. 13.

Humana Christi natura cohæret diuinæ naturæ.

Deus Christũ dicitur percussisse cũ à Iudæis captus est.

Digitized by Google

tam manum meam ad paruulos &c.] hoc est, conuertam manum meam, & potentiam, ad congregandos paruulos Apostolos dispersos, congregabo discipulos meos ad me post resurrectionem, vt pastor solet luporum metu dispersas oues cógregare ad se.

Et si omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor.

Petri ardor in Christũ.

ADmirabilis est Petri in Christũ amoris ardor, nõ potest in animum inducere, se scandalizandum; ex amoris verò & fidei, veluti fornace, hæc, & alia similia exilijsse verba, veluti scintillas, docẽt Patres in Matthæum. Hilarius; Petrus (inquit) pro fidei suæ calore respondit, nunquam se scandalizandum. In tantum enim, & affectu, & charitate Christi efferebatur, vt & imbecillitatem carnis suę & fidem verborum Domini non contueretur, &c. Hieronymus: Non est (inquit) Petri temeritas, nec mendacium, sed fides est Apostoli Petri, & ardens affectus erga Dominum, &c. idem habet Beda, &c. Chrysostomus: vnde (inquit) hoc accidit? ex multo certè amore, & multa voluntate &c. Theophylactus quoque: Ex magno (inquit) amore cœpit Christo reluctari, &c. Idem Theophylactus ex magna confidentia orta verba sentit: Ob multam (inquit) mentis confidentiam pollicebatur se non scandalizandum, &c. Euthymius verò in tribus errasse Petrum notat, cũ hæc verba protulit, [Etsi omnes scandalizati fuerint, &c.] Primò quod Christo contradixit; secundò, quod alijs se præposuit; tertiò, quod in se fiduciam habuit: Sed Petrus hos errores amore raptus non animaduertebat.

D. Hilarius *D. Hieron.* *D. Chryſ.* *Theophil.*

Obiectio.

Dices, nonnè sciebat Christum filiũ Dei esse, futuraque omnia prędidere, neque posse falli. Cur igitur reluctatur & contradicit illis verbis? Christus ait; [Omnes scandalizamini:] ille ait, etsi omnes, non ego: Christus ait; [ter me negabis,] ille; [Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.] Respondent Hilarius, & Beda, verbis citatis suprà: In tantum affectu & charitate Christi efferebatur, vt & imbecillitatem carnis, & fidem verborum Domini non contueretur, &c. Non contuebatur Petrus Christi verbis debitam fidem; totus erat in negando se negaturum.

Responsio: Petrus animi ardore efferebatur, et verbis Christi fidem debitam nõ attendebat.

Antequam gallus cantet, ter me negabis.

TErtiò prædicit Dominus Petro negationem. Cùm Petrus auxilium diuinum minimè commemorás, audacter dixisset: [etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor:] vt retunderet audaciam, dixit illi: [Antequam gallus cantet, ter me negabis.] Petrus verò cum deberet fragilitatem suam respicere, auxiliumque a Domino negaret postulare: in audacia persistens, quam ardor animi pariebat, respondit: [Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.] Diuini auxilij immemor de se præsumpsit, ideò humiliatus est, iuxta illud Iudith 6. [Non derelinquis præsumentes de te, & pręsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humilias, &c.] Congruit Petro illud quod olim Archidamus dixisse fertur filio pugnanti inconsideratius: Aut adde viribus, aut detrahe animo, &c. Nemo suis confidat viribus, sed diuinum in rebus omnibus postulet præsidium: qui enim suis confidit viribus cadit. Vnde illud Diui Augustini Epistola 52. ad Macedon. Quædam (inquit) acutissima, & excellentissima ingenia, tantò in maiores errores ierunt, quantò præfidentius tanquam suis viribus cucurrerunt; nec simpliciter, ac veraciter Deum vt viam ostenderet, petiuerunt, &c.

Tertia prædictio negationis Petri apud Matt. & Marcũ.

Iudith 6.

Auxiliũ Dei petendum.

D. August. Qui cõfidit viribus cadit.

Addit Matthæus: Similiter, & omnes discipuli dixerunt, &c. Omnes amore in magistrum inflammati affirmarunt, non esse ab eo defecturos, etsi mortem oppetere opus esset. At vero facilè est dicere, difficile est facere, facilè est promittere, difficile est

Dicere facile, facere difficile.

est soluere; verba dederunt, non res, A quales fuerint ante diuini spiritus aduentum ostenderunt, vt ostenderent postea non suum esse, sed Dei robur, quo præcellebant. Nunc natabant, sine cortice illius magni auxilij; animus autem (ait D. Cyrillus lib. 9. in Ioan.)nondum superna firmatus gratia,timidus & instabilis nimiũ est,&c. At verò diuino roboratus auxilio omnia superat. Vnde idem Cyrillus; Nõdum (inquit) Apostolis inerat ne cadere possent: quod posteà de superiore virtute roborati, id est, Spiritus gratia,muniti habuerunt,&c.Confirmati enim ita sunt Spiritus sancti robore, vt mortiferum crimen committere nõ possent,vt alibi dicetur.Causas, propter quas Dominus Petrum negare permisit tunc ostendemus, cũ de negationibus suo loco verba fecerimus. Ostendit Christus Deum se esse futura multa vaticinans in cœna hac,iuxta illud Isaiæ 41. [Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos, &c.] Prædixit primò Iudæ traditionem; secundò eius damnationem, cùm dixit; [Melius erat ei si natus non fuisset homo ille:] videlicet,quia Tartareis tormentis erat mancipandus. Tertiò Petri trinam negationem; quartò fidem Petri B non defecturam; quintò passionem suam:[Quæ sunt de mẽ (inquit)finem habent:] item: [Hoc quod scriptum est,oportet impleri in me; Et cum iniquis reputatus est,&c.] Denique prædixit scandalum,fugam, & dispersionem discipulorum, suam quoque resurrectionem, & eorundem in Galilæa conuentum.

Fragilitas hominum.

Apostoli cõfirmati in die Pentecostes.

D.Cirillus.

Isai. 41.

Multa prædixit Christus in cœnaculo.

FINIS LIBRI TERTII.

SEBA-

Digitized by Google

SEBASTIANI BARRADAS, E SOCIETATE IESV,

DOCTORIS THEOLOGI Commentariorum in quatuor Euangelia, eorumque concordiam Euangelicam,

Liber Quartus.

CAPVT PRIMVM.

De ſermone Domini in cœnaculo.

IOANNES CAPVT XIIII.

NON turbetur cor veſtrum. Creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Si quo minus dixiſſem vobis: Quia vado parare vobis locum. Et ſi abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis, & quo ego vado ſcitis, & viam ſcitis,

& v.

Digitized by Google

nulloq; modo in tantis malis perturbentur: sed ne rationi offundat tenebras perturbatio nimia. ex hortatur vt forti, robustoq; animo sint, descēdantque in prælium corde intrepido, quasi dicat: Estote viri strenui, nō turbato, sed magno, & iuicto aīo certare. Vnd D. Cyril.: Imperat (inquit) Dñs Apostolis, ne turbentur, vt doceat oportere certaturos oī abiecto terrore, labores, & pericula pro vera gloria libenter subire. Magnū.n. fortitudinis fundamētū est animus nō turbatus, &c. Vt aūt turbationū procellas cōpescant, animiq; tranquillitatē, & robur nanciscantur, remedium adhibet, videlicet fidem in Deum.

D. Cyrill.

[Creditis in Deū, & in me credite.] Græcè vtrobiq; est, πιστεύετε, in Imperante modo, vel in indicante, vertiq; pōt locus primo, vt noster vertit interpres, πιστεύετε, creditis in Deū, & in me πιστεύετε, [credite.] secundo verti pōt, [credite ī Deū, & in me creditis: tertiò creditis in Deū, & in me creditis: quarto credite in Deum, & in me creditè: sed eodē tendūt oēs versiones: fide illos armat aduersus animi perturbationes, [Creditis (inquit) in Deū, & in me credite,] qa sum Deus: consequēs est (ait Augu.) vt si in Deū creditis, & in me credere debeatis: q̄ non esset consequens si Christus non esset Deus, &c. Credite, inquit, in me Deū, fide meæ diuinitatis, veluti scuto, protegite cor, ne turbetur. Etenim Deus sum oīpotens, possum vos ex oib. eripere periculis; possum auxiliū præsentissimū ferre, q̄ me facturū debetis cōfidere; sicq; animo ꝑturbationem pellere. Cum ad mortē me duci videritis, sponte duci credite, siquidē Deus homo factus non potest mori inuitus; cū in crucē videritis actū, & mortuū, tertia die me in vitā rediturū sperate, facilè enim Deo est in vitā humanitatē suā reuocare. Augustin. Mortē, inquit, metuitis huic formæ serui? Non turbetur cor vestrū: suscitabit illā forma Dei, &c. Ruper. aliter hæc explanat, nec malè, hoc pacto: [Non turbetur cor vestrū;] hoc est, non deficiat fides vestra, non ita fluctib. turbetur cor, vt fidei iacturā faciat: [creditis in Deū, & in me credite,] .i. fidē seruate q̄ habetis. Quāuis (ait Ruper.) hyemis ingruentis aspe ritas, confessionis vestrę folia virētia deterat, ac dispergat: viuat saltē intrinsecus radix, vt postq̄ hyems transierit, de radice credulitatis, quæ viget in corde, reflorescat oris confessio, &c. D. Cyrillus putat Christū dixisse; [creditis in Deū, & in me credite:] vt fidem noui Testī explicitam indicaret. Iudæi credebant in vnū Deū explicitè, sed implicitè in Filiū, & Spiritum sanctū. Christus discipulis ait, [creditis in Deum, non satis est implicita hęc fides, explicate fidē, & in me credite fide explicita, quia Deus sum: de Spiritusancto postea agit. Sed non placet: si n hoc vellet Dñs Patrē nominaret hoc loco, & spiritum sanctū; de fide suæ Diuinitats agit, illaq; Apostolos munit. Ita ēt intellexit Chrysost. In me (inquit) & in Patrem fides, oib. vos persequentib. potentior est: & nihil vos superabit, &c.

Varia versio.

D. Aug.

Fidei scutū aduersus perturbationes animi.

Deus homo factus non potest mori inuitus.

Rupert.

Nō mergatur fluctib. fides.

D. Cyrillus. Fides implicita, & explicita.

D. Chrysost.

D. August. tract. 29 in Ioann. discrimē esse ait, inter [credere Deo, & credere in Deum;] Credimus, inquit, Paulo, sed non credimus in Paulum; credimus in Petrum. Credere in Deum est credendo amare, credendo in eū ire, & eius membris incorporari, &c. Et serm. 61. de verbis Dñi; Ille, inquit, credit in Christum, qui & sperat in Christum, & diligit Christum. Nam si fidē habet sine spe, ac sine dilectione, non credit in Christnm, &c Lege D. Thomam 22. q. 2. art. 2. & q. 1. art. 9. & Magistrum lib. 3. dist. 23. Rectè quidem August. & Theologi hoc discrimen sequuntur. Id tamen in Scriptura sacra non seruatur: idem enim significat [credere Deo, & credere in Deo, & credere in Deum.] Exod. 14. [Crediderunt in Domino, & Moysi seruo eius, &c.] Hebraicè legitur, [crediderunt in Deo, & in Moyse seruo eius.] vel, [crediderunt in Deum, & in Moysem seruum eius, &c.] capitu. 19. [Et populus credat tibi in perpetuum, &c. Hebraicè, & credat in te, Ionæ 3. [Crediderunt Niniuitæ in Deo;] vel

Discrimen inter credere Deo & credere in Deum. D. Aug.

Credit in Christū qui sperat in Christū & eum diligit.

Psal.77. vel in Deum: Psal.77. [Non crediderunt in Deo, &c.] Item, [Non crediderunt in mirabilibus eius, &c. Præterea Scriptura ait credere in Deum et eos, qui Deum non diligunt. Ioan. 12. [Multi ex principibus crediderunt in Iesum, sed propter Pharisæos non confitebantur, &c.] cap. 7. [Qui credit ei, qui me misit, habet vitam æternam, &c.] & epist. 1. ca. 5. [Qui credit in filium Dei habet testimonium Dei in se. Qui non credit filio mendacem facit eum, quia non credit in testimonium qđ testificatus est de filio suo, &c.] Credere in testimonium, est credere testimonio; & credere in filium, est credere filio. Ipse etiam Diuus Augustinus credere in Deum illos affirmat, qui charitate carent. lib. de fide, & operibus ca. 14. Paulus, inquit, non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem definiuit, planèque Euangelicam, cuius opera ex dilectione procedunt, &c. Similem in modum loquitur eodem libro capitu. 27.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

ARmauit Discipulos fide, nunc armat spe gloriæ sempiternæ. in cælo mansiones multas esse ait, ad quas parandas discedat reuersurus, eosq; in illas intro missurus. [In domo, inquit, Patris mei mansiones multæ sunt,] Græcè, *μοναὶ*, à manendo dicuntur [mansiones,] quia in sempiternum in eis beati manebunt. Has Apostolis ob oculos proponit Dominus, earumque pollicitatione eos consolatur, & excitat. Iouinianus hæreticus, mansiones has in terra collocabat, multasque Ecclesias toto orbe diffusas esse dicebat. Confutatur à Diuo Hieronymo lib. 2. aduersus Iouinianum, cap. 15. Compertum est enim Christum, de mansionibus cælestibus loqui, quæ iam tum in cælo erant, cum loquebatur: non de Ecclesijs toto orbe diffusis, quæ nondum extabant. In domo, inquit, Patris mei, mãsiones multæ iam nunc sunt. Manifestissimè docet Euangelium, ait Hieronymus, non de Ecclesiarum numero, sed de cælorum mansionibus Domino fuisse sermonem, &c. Diuus Cyrillus; Multas, inquit, mansiones, ait Dominus in domo patris esse; capacitatem cæli ostendens, &c. Multas autẽ mansiones esse ait D. Irenæus lib. 3. capi. 21. quoniam multa sunt Christi membra, multi habitatores.

Spes gloriæ armat.

Hæresis Iouiniani.

Mansiones cælestes.

D. Hieron.

D. Cyrillus

Irenæus.

D. Hilarius Psal. 64. scribit multas esse, propter diuersa habitantium merita: quemadmodum enim non sunt merita eadem: ita eædem non sunt mãsiones. Plures mansiones, inquit Hilarius, diuersæ dignitati habitantium præparantur, &c. & Diuus Augustin. in lib. de sancta Virginitate capit. 26. Quia (inquit, in vita æterna distinctè fulgebunt lumina meritorum, multæ sunt mansiones apud Patrem, &c. D. Cyrillus in Ioannem: Mansionum, inquit, multitudo differentiam gloriæ significat: omnes enim vitæ suæ congruentem honorem suscipient. &c. lege Basilium lib. de Spiritusancto c. 16. & Gregorium lib. 9. Mor. cap. 39. Si quis opponat, omnibus ijs, qui in vinea laborantes perseuerarunt, Matth. 20 denarium eiusdem pretij dari, id est, eandem gloriam, atque adeo non esse distinctas mansiones cælestes: Respondet Augustinus eodem loco hunc in modum: denarius significat aliquid, quod omnes communiter habebunt, sicut est ipsa vita æterna, ipsum regnum cælorum, vbi erũt omnes, quos Deus prædestinauit; stella tamen ab stella differt in gloria, vt Paulus ait 1. Cor. 15. sic, & resurrectio Sanctorum: hęc sunt merita diuersa Sanctorum, &c. Itaque vna est omnium beatorum mansio, videlicet ipsum cælum maximum, atque empyreum, nihilominus sunt in eadem mansione, & in eodem cælo, diuersæ mansiones, aliæ alijs præstatiores, quemadmodum ex beatis, alij alijs sunt præcellentiores. Legendus lib. 5. Hypognosticon capitu. sexto. Legendus quoque Augustinus libro secundo, de origine animæ capitu. 10. & lib.

D. Hilarius

Multæ sunt mansiones, quia multi beati.

D. Aug. Diuersæ mãsiones sunt, quia sunt merita beatorũ diuersa.

Idem denarius quo.

Cælum est cõis beatorũ mãsio, in qua tamẽ variæ sunt mansiones.

Digitized by Google

& lib. 3. capitu. 11. Noli (inquit) credere, nec dicere, nec docere, aliquas mansiones esse extra regnum Dei, quas esse Dominus dixit in domo Patris sui, si vis esse Catholicus, &cæt.

Si quominus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum, &c.

GRæcè, εἰ δὲ μή, εἶπον ἂν ὑμῖν, id est, [si verò non, dixissem vobis.] Diuus Hieronymus lib. secundo, aduersus Iouinianum, capitu. 15. hæc verba exponit his verbis: Dicerem vobis, quia vado, & præparabo vobis locum, si non mansiones multæ essent apud Patrem; hoc est, si non vnusquisque mansionem sibi non ex largitate Dei, sed ex proprijs operibus præpararet. Et ideo non est meum parare, sed vestrum: quia & Iudæ nihil profuit paratus locus, quem suo vitio perdidit, &cæt. Similem in modum illud interpretatur Matthæi 20. [Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo, &c. Paratæ (inquit) sunt in cælo diuersæ, & plurimæ mansiones, plurimis diuersisque virtutibus, quas non personæ accipiunt, sed opera. Frustra ergo à me petitis, quod in vobis situm est, quod Pater meus illis parauit, qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem. Hæc Hieronymus. Existimat ille intelligendum locum hoc pacto: in domo Patris mei mansiones multæ sunt, vestris operibus, non sola largitate Dei præparandæ; si ita non esset, hoc est, si non essent mansiones, & vestris operibus præparandæ, dixissem vobis, quod vado vobis illas præparare, sine operibus vestris: sed non est meum, sic illas præparare. Diuus Cyrillus de præparatione itineris sic interpretatur: Si non essent mansiones, abirem vt locum vobis præpararem, nunc verò cum multæ mansiones paratæ sint, non hac de causa abiturus sum; sed vt vobis viam efficiam, & præparem iter inuium hactenus in cælum. Diuus Augustinus tracta. 68. esse ait mansiones in prædestinatione, sed à Christo præparari, cum per fidem, & charitatem, legisque diuinæ obseruantiam parat homines, qui in illis maneant: hoc sensu, [In domo Patris mei mãsiones multæ sunt:] in prædestinatione diuina;] si quominus,] id est, si non essent in prædestinatione, [dixissem vobis, quia,] id est, quòd [vado parare vobis locum, & mansiones in prædestinatione, quòd vado prædestinare vos. & si abiero à vobis, & præparauero vobis locum, iterum veniam, &c. hoc est, si discessero, & discedens, ac me aspectui hominum subtrahens, præparauero vos ipsos per fidem viuam, quæ credit, quod non cernit, reuertar iterum. Tunc locus paratur (ait Augustinus) si ex fide viuatur, creditus desideratur, vt desideratus habeatur, desiderium dilectionis præparatio est mansionis, &c.

Per opera bona præparãtur mãsiones caelestes Deo auxiliante.

D. Hieron.

D. Cyrillus.

D. August.

Quo præparet Christus mansiones.

Desiderio dilectionis præparatur mãsio.

Alij sensus.

Præter hos, sunt alij sensus magis inhærentes verbis Domini. Primus est huiusmodi; in domo Patris, idest, in cælo mansiones multæ sunt; si non essent hæ mansiones in cælo, dixissem vobis non esse mansiones: & probarem, quia vado parare vobis locum, id est, ipsas mansiones in cælo. dixissem etiam, & si abiero, & præparauero vobis mansiones, quæ nondum sunt paratæ, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, vt mecum omnes sitis in cælo: dixissem, inquam, hoc, si non essent mansiones paratæ, sed esset vobis parandus locus; quia verò mansiones sunt paratæ, non dico hoc. Secundus sensus: in cælo mansiones multæ sunt, si non essent, dixissem vobis, quia, id est, quod vado parare vobis locum, id est, mansiones, & dixissem, si abiero, & præparauero mãsiones, iterum veniam, & accipiam vos, & in mansionibus à me paratis collocabo. Probabiles sunt hi sensus: sed videt Dominus dicere, & affirmare illa verba, & si abiero, & præparauero vobis locũ, iterum veniã, &c. non

Digitized by Google

non igitur sunt coniungenda cū, [dixissem vobis.] siquidem dicit ea, & asseuerat; ideo alios appono sensus, quibus verba illa asseuerari à Domino, & affirmari intelliguntur. Primus si non essent mansiones, dixissem vobis, quia, id est, quod vado parare vobis locum, & mansiones: hic sententia absoluitur. Sequitur, [& si abiero,] hoc est, quod si abiero, & discessero à vobis vt præparem vobis mansiones, reuertar ad vos, & in cælum ducam. Secundus, si non essent mansiones, dixissem vobis non esse; quia vado parare vobis locum, i. quoniam totus in eo versor, vt vobis in cælo parem mansiones, ideoque in mundum veni, & crucem subibo. Si ergo non essent neque vos deciperem neque propter mansiones parādas mortem oppeterem; & si abiero, & præparauero mansiones, ad vos reuertar, &c. Tertius; in cælo sunt multæ mansiones, quod sequitur veluti per parēthesim est accipiendum, (Si quo minus, dixissem vobis, non esse mansiones) deinde probat esse mansiones in cælo, quia, inquit, vado parare vobis locum: ergo mansiones sunt in cęlo. Quod si abiero, & præparauero vobis locum, reuertar, &c. Aduerte Græcè non legi nunc particulam, quæ respondeat Latinæ particulæ, [quia,] potest particula, [quia,] accipi pro [vtique,] vt alijs locis Lucæ 4. Quia hodie impleta est hæc prophetia in auribus vestris,] id est, vtique, Lucæ 5. [quia vidimus mirabilia hodie, &c.] Luc. 21. [Multi venient dicētes, quia ego sum,] id est, vtique ego sum. erit ergo sensus: in cælo mansiones multæ sunt, si non essent, dixissem vobis: finis est sententiæ hoc loco, deinde alia inchoatur; Quia, id est, vtique vado ad Patrem, & si abiero, præparauero vobis mansiones, iterū redibo, & accipiam vos, &c. Hi sensus verisimiliter ostendūt verba hæc; [etsi abiero, &c.] à Christo asseuerante dici. Autor sub nomine Eusebij Emisseni sic interpretatur: [si quominus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum;] non tamen turbari, sed lætari deberetis. Item si minus in aliquo, & non tam sufficienter dixissem vobis, quia vado parare vobis locum, valde tamen desiderare, debuistis, vt quanto citius illuc irem, & in gloriam beatitudinis vos introducerem: Nunc autem cum toties vobis id dixerim, atque promiserim, quid trepidatis? Certi igitur estote, quia si ego abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad meipsum, &c. Sed hic autor multa subintelligit.

Alij sensus.

Etsi abiero, & præparauero vobis locum.

QVæritur quomodo præparauerit Christus locum discipulis? Respondet Augustinus, præparasse, tunc cum discipulorum corda per fidem viuam mundauit. & Beda: Parat (inquit) mansiones Christus mansionibus parando mansores, & cæt. Euthymius præparasse putat, cum ascensum in cælum aperuit, in quod ante Christum via minimè patebat. Et Diuus Cyrillus: Non ibo (inquit) māsiones paraturus, quæ multæ sunt, sed viam innouaturus, quam propter peccatum amisistis, vt per eam ad Angelorum cōsortia conscendere possitis, &c. Respondeo præparasse Christum mansiones discipulis, alijsque, hominibus, per meritum suorum operum, & sanguinis effusi. Erant quidem mansiones in cælo, erat gloria, ac beatitudo maxima, multis hominibus ab æterno destinata à Deo per Christi merita, & sanguinem; has mansiones, & beatitudinem præparauit, per merita, effusumque sanguinem. Dici præterea potest, parasse Dominum mansiones cum in cælum ascendit, cælique viam clausam aperuit. Clausum erat cælum, eo quod nondum Christi merita extarent. Reipsa effudit sanguinem, in cælum ascendit, suisque meritis, & ascensione mansiones præparauit. Obijcies, Matth. 25. dicitur regnum paratū à constitutione mundi; [Ve-

Quō Christus mansiones præparauerit.
D. Aug.
Beda.
Euthym.
D. Cirill.
Christus per passionē heibus mansiones præparauit.
Obiectio. Matth. 25.

Digitized by Google

Matt. 25. [Venite (ait Dominus) benedicti, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi, &c.] Ergo mansiones cælestes, cum orbem condidit, parauit Christus hominibus, non autem cum in orbem venit, & mortem perpessus est. *Responsio.* Respondetur parasse, Deũ mansiones cælestes hominibus, cum orbem condidit, quia nunc illis parauit cælum empyreum, in quo mansiones sunt. Vel, dicitur tunc parasse hominibus mansiones, quia homines tunc creauit, quamuis ab æterno illas parauerit in prædestinatione. Cũ verò in orbem venit per merita parauit, & sanguinem. *Tribus modis paratæ dicũtur mãsiones.* Itaque tribus modis paratæ dicuntur mansiones; primò in prædestinatione Dei ab æterno; secundò ab orbe condito, quia tunc conditum est cælum empyreum beatorum sedes, cœperuntque tunc homines procreari: tertiò per vitam, ac passionem, & Ascensionem Christi.

Iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum.

De quo aduentu Christi hic intelligendum. D. Cyrill. QVæritur de quonam Christi aduentu intelligenda sunt verba hæc? Respondet Diuus Cyrillus intelligenda de secundo Christi aduentu; verisimilius intelliguntur tum de aduentu in morte discipulorum præcipuè, tum de aduentu ad Iudicium. In morte enim venit Dominus ad discipulos, & animas eorum accepit: Iudicij extremi tempore veniet, & indutas corporibus beatis animas, accipiet ad seipsum. Est ergo sensus: si abiero ad patrem per passionem, & præparauero vobis mansiones, quæ iam sunt in cælo: non obliuiscar vestri, sed citò redibo ad vos in morte, accipiamque animas vestras: veniam iterum extremo iudicij tempore, & accipiam tum animas, tum corpora ad meipsum, [& vbi ego sum, & vos sitis.] Ego sum in cælo nunc diuinitate, eoque etiam humanitate, in cælum vos quoque adducam. Erimusq; simul omnes per æternitatem.

Et quò ego vado scitis, & viam scitis.

INdicant hæc verba, illa alia: [Etsi abiero, & præparauero vobis locum, &c.] asseueranter dicta esse a Domino, & illa similiter: Quia vado parare vobis locum.] Subijcit enim: [Quo ego vado scitis:] quasi dicat; ego vado parare vobis locum, & postquam præparauero, ad vos reuertar, & in locum paratum intromittam Quod si rogetis, vt Petrus rogauit: [Domine quò vadis?] dico vos scire, quò ego vado, scire quoque viam: quamobrem sequi me poteritis, & venire eò quò ego vado. At Thomas, neque quò Christus abiret apertè sciens, neque viam agnoscenis: *Christũ Thomas interrogat.* Domine (inquit) tu dicis nos scire quò abeas, & viam quoque non ignorare, qui fieri hoc potest? si nos locum, in quem a nobis discedis, ignoramus quonam modo viam, qua iter es facturus, scire possumus? vtrũque ignoramus, & quò vadis, & viam qua vadis.

Ego sum via, veritas, & vita.

DOcet Thomam Dominus, reliquosque discipulos, & explanat verba illa, quæ dixerat: Quò vado scitis, & viam scitis.] Viam seipsum esse indicat, & quò vadat ostendit, videlicet ad patrem. Ego (inquit) sum via: Est autem via tribus modis, primò, per merita, secundò per exemplum, tertiò per fidem viuam, & doctrinam fidei, quam tradidit. *Christ' via est trib. modis.* His enim tribus modis in cælum tendimus, & in Deum: scilicet per merita Christi, per exemplum, & per doctrinam diuino auxilio cooperantes. Addit: [Nemo venit ad patrem nisi per me:] his verbis docet, cur dicatur via: dicitur namque via, quia per illum ad patrem imus: ijsdem verbis innuit se quoque, ire ad

Digitized by Google

Christus dicitur via, quia per illum ad patrem imus.

ad Patrem. Cum ergo ait: [Quò ego vado scitis, & viam scitis:] significat discipulos scire patrem, & scire ipsum Christùm, hoc sensu. [Quò ego vado scitis;] quoniam patrem cognoscitis, cuius sæpe feci mētionem: ego autem ad patrem vado in cælum; ergo scitis quò vado, nimirum in cælū, ad patrem. [Et viam scitis;] quia meipsum scitis, ego autem viam sum. Addit: [Sum veritas, & vita.] Cur dicat se esse viam, apertum est; nimirū, vt ostendat discipulos viam cognoscere, quę in cælum ad patrem ducit, ipsum scilicet Christum. Cur addat se esse veritatem, & vitam, dubium est. Respondetur, veritatem se esse ideò addere, vt discipulos consoletur, & illorum confirmet fidem hac extrema hora, ostendatque omnia, quæ loquitur esse verissima, tam de mansionibus cælestibus, quam de illarum prępáratione, de via ad Patrē, & reliquis omnibus. Suprà dixerat; [Creditis in Deum, & in me credite;] nunc dicit: [Ego sum veritas:] quæ nec falli potest, nec fallere, mihi credite: vitam autem se appellat, morte iam pulsante fores vt indicet se mortem imminentem superaturum, & post crucem in vitam rediturum; superatur enim mors a vita essentiali, essentialis autem vita secundum diuinitatem Christus est. [Ego (inquit) discipuli sum via in cælum] vos & alios ducens ad patrem [sum veritas] nihil falsum fari possum, quidquid vobis dixi, dicamque verissimum est, [creditis in Deum, & in me credite,] vadam, reuertar ad vos, & accipiam vos ad meipsum, vt mecum semper sitis. [Sum vita] quamuis me cruci videatis suffixum, ac mortuum, ne despondeatis animum, mox resurgā; [sum vita] mortem sponte perpetiar, confestim in vitam, & ad vos reuertar. Hæc mihi videtur accommodatior cæteris interpretatio.

Christus veritas est nec falli, nec fallere potest.

Accōmodatior est explicatio.

Addo alias; Prima, Ego sum via, in cælum ad patrem; Sum veritas, quia per veritatem homines in cælum duco, id est, per fidem viuam, doctrinamque verissimam; Sum via, per veritatem tanquam medium Et ne quispiam deciperetur, & putaret esse viā, non autem terminum viæ, adiungit, sum vita; hoc est, ita sum via, vt sim etiam terminus, & finis viæ, quæ ducit ad vitam. Sum via veritas, & vita; (per Hebraismum) sum via vera, & ad vitam ducens, vel sum via veritatis, & vitæ, id est, qua ad veritatem pergitur, & ad vitam. Sed hic Hebraismus non satis placet. Aliter: Sum via, & sum veritas, id est, veritatis luce viam illumino, & sum vita, ad quā via ducit. Itaque sum via in cælum, sum fax, & finis, terminusque vitæ. Aliter: Ego sum via, sum etiam veritas; quia viam falsam ostendere nequeo, illa verò via in cælum est, quā ego ostendo. Sum denique vita, ad quam via fert viatores. Græcè apponitur articulus his tribus nominibus; ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς, καὶ ἡ ἀλήθεια, καὶ ἡ ζωή. De eximia enim, & singulari, ac suprema via, veritate, & vita Dominus loquitur Videlicet de seipso, qui vnica via est ad cælum ducens. Vnde adiungit, Nemo venit ad patrem, nisi per me: nisi enim per Christi doctrinam, fidem, exemplum, meritaque pergat, nullus hominum in cælum ad patrem perueniet. Est etiam veritas essentialiter, & essentialiter est vita ipsa, nullis circumscripta terminis.

Alia explicationes.

Christus via est scilicet, terminus vi[æ]

Christus vnica via est ad cælū ducens.

Quæritur, an Christus appellet se viam, quia per seipsum ad patrem iuit? Respondetur, id eius verba postulare, hoc sensu: [Quo ego vado scitis, & viam scitis,] hoc est, scitis viæ finem, scilicet patrem, ad quem vado: scitis etiam viam, per quam ego vado.

Nam ego ipsa sum via, per quam ad patrem abeo, neque ego tantum, sed quicunque ad patrem venit, per me venit. [Nemo enim venit ad patrem, nisi per me.] Caietanus: Christus (inquit) siue faciens, siue docens, siue moriens, resurgens, &c. via est, & qua ipse iuit, & qua nobis eundum est. Sic ille. Et Augustinus: Ibat (inquit) per seipsum Christus, &c. Quomodo via sibi fuit Christus? Respondetur fuisse sibi viam, quia

An Christus sibi fuerit via.

Caiet.

D. August.

quia non per aliena, sed per propria merita, qua homo est, in cælum ascendit ad Patrem: nam ascensionem in cælum sibi meruit; fuit etiam sibi via, quia per propriam potentiam cæli viam peregit.

CAPVT II.

De sermone Domini in cœnaculo.

IOANNES CAPITE XIV.

Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis.

DIxerat Dominus: [Nemo venit ad Patrem, nisi per me:] possent discipuli dicere: nos Domine Patrem de quo agis, non cognoscimus: ideo de cognitione patris agit, illumque tunc cognosci affirmat, cum ipsemet filius cognoscitur: [Si (inquit) me cognouissetis, & Patrem meũ, ad quẽ vado, cognouissetis:] si cognouissetis me, viã cognouissetis, & terminũ viæ. Aliter: [Nemo venit ad Patrem, nisi per me, &c.] non solum per mea merita, doctrinam, & exemplum ad Patrem peruenitur: verum etiam per cognitionem mei peruenitur ad cognitionem Patris. Si me cognouissetis, cognouissetis ex me Patrem. Videntur hæc verba cum illis pugnare; [Quo vado scitis, & viam scitis:] quę significat discipulos Patrem, & viam ad Patrem scilicet filium cognoscere. nunc vero significat, illos neq; Patrem, neque Filium cognouisse. Re- A spondetur, discipulos Patrem, filiũq; Christum, cognouisse imperfecta quadam cognitione; non cognouisse, cognitione perfecta. Vera igitur sunt verba illa, [Quo vado scitis, & viam scitis; quia cognitione quadam intellectus imperfecta Patrem nouerant, ad quem ibãt, & filiũ ipsum, qui via est. Cognitione verò perfecta, neque Patrem cognoscebant, neq; filiũ; veraq; sũt hęc, [si cognouissetis me,] B .s. cognitione perfecta, vt Filium Dei Patris, [& Patrem meũ vtiq; cognouissetis.] Non. n. põt cognosci Filius Dei Patris perfectè, nisi Pater cognoscatur, siue de cognitione fidei agamus, siue de cognitione, qua Deus in cęlo cognoscitur: quia vnã, eandẽq. numero naturã habẽt. D. Hilarius lib. 7. de Trinitate legit, [Si scitis me, & Patrem meũ scitis &c.] D. Augusl in tracta. 70. & Tertullianus lib. contra Praxeam c. 24. [Si cognouistis me, & C Patrem cognouistis:] quo modo Grę ca verti posse putat Iansenius. Rectius noster Interpres vertit vt ostendit particula Græca, ἂν ἐμὲ ἐγνώκειτέ με, καὶ τὸν πατέρα μου ἐγνώκειτε ἄν.

Apostoli quo cognouerint filiũ Dei, & Patrem.

Filius perfectè cognosci sine Patre nequit.

Et amodo cognoscetis eum, & vidistis eum.

D GRæce legitur, ἀπ' ἄρτι γινώσκετε αὐτὸν, id est, amodo cognoscitis eum. Caietanus mauult vertere, [cognoscite eum,] imperatiuè, est enim ambiguum verbum Græcum: Noster Interpres futurum legisse videtur, vel præsens pro futuro putauit, & in futuro vertit, [cognoscetis] quem in modum legit Diuus Hilarius 7. de Trinitate, & alij. Diuus E Chrysostomus de aduentu Spiritus sancti interpretatur: Cognoscetis eum cum Spiritus sanctus in vos aduenerit, vestrasque illuminarit mentes. Ait ergo Dominus; si cognossetis me perfecta cognitione; patrem etiam meum cognouissetis, & amodo cognoscetis eum perfectè, Spiritus sancti fulgore illustrati: vel, amodò cognosce-

Caiet.

D. Hilar.

D. Chrysos.

tis eum perfectissimè visione beata, cum vos ego in cælestes mansiones adduxero. Addit Dominus: [Et vidistis eum.] Dubitatur quonam modo Patrem Apostoli viderint? Respondetur, vidisse oculis mentis, quia enim credebant Christum esse Filium Dei, oculis mentis videbant Patrem, sed imperfecta cognitione, ac intellectus visione. Visionem, inquit, Chrysostomus dicit Dominus mentis cognitionem, &c. Diuus Cyrillus interpretatur, Patrem visum esse in miraculis, quæ Christus operabatur. Cognouimus solum, sed etiam vidimus; cognitio mentis speculationem significat, quam mens humana de natura diuina habere potest: visus autem miraculorum certitudinem denotat, &c. Tertullianus lib. contra Praxeam capit. 24. Instruitur, inquit, Philippus visibilem Patrem in filio fieri ex virtutibus, non ex personę repræsentatione. Item: Vicarium se patris ostenderat, per quem Pater, & videretur in factis, & audiretur in verbis, & cognosceretur in filio, facta, & verba Patris ministrante, &c. Diuus Thom. in Ioannem de visione corporali, locum videtur intelligere. Viderunt (inquit) Apostoli Christum secundū carnem assumptam, in qua erat Verbum, & in Verbo Pater. Vnde in ipso viderunt Patrem. Sed attende, quod Pater non erat incarne per vnitatem personæ, sed erat in Verbo incarnato, per vnitatem naturæ: & in Christo incarnato videbatur Pater, iuxta illud Ioannis 1. [Vidimus gloriā eius, quasi vnigeniti à Patre.] Hæc Diuus Thomas. Diu. Chrysostomus: Visam (inquit) Patris substantiam ait Christus, secundum discipulorum possibilitatem; ostendens quod qui ipsum vidit, Patrem vidit: vidit autem ipsum non in nuda substantia, sed carne vestitum, &cæt. Placet hæc interpretatio, sumit enim propriè verbum, [vidistis,] pro visione oculorum corporalium, crescitque Domini sermo hoc pacto: [Cognoscetis eum, & vidistis eum:] cognoscetis, inquam, eum post Spiritus sancti aduentum, immo iam vidistis eum, quodammodo oculis corporeis, in meipso. Nam videbāt Christum Deum, & eo modo quo Deum in Christo videbant, videbant Patrem, id est, naturam Patris diuinam. Vel quia cum Christum videbant Apostoli, Patris imaginem, verbumque videbant, ipsum Patrem vidisse dicuntur, eo modo quo videbāt Patris imaginem. Diuus August. tracta. 70. [Amodo cognoscetis eum, & vidistis eum;] dictum est propter omnimodam similitudinem, quæ Filio cum Patre; vt ideo, amodo dicerentur nosse Patrem, quia nouerant similem filium, &c. Obijcitur, falsam esse hanc propositionem; [Vidistis eum,] id est, Patrem, me videndo oculis corporeis, respondebimus infra.

Quo Apostoli patrem viderint. *D. Chrisost.* *Pater videbatur ī miraculis quæ Christus faciebat.* *D. Cirillus.* *Tertull.* *D. Thom.* *Pater erat in Verbo incarnato per vnitatem naturæ.* *D. Chrisost.* *Placet Chrisostomi explicatio.* *Patri similis est filius.* *Obiectio.*

Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.

De Patris cognitione egit Dominus, dixitq; [vidistis eum,] id est, Patrem. item, [cognoscetis eum.] Philippum desiderium cepit Patrem cognoscendi; ideo rogat Christum, inquiens, Domine ostende nobis Patrē & sufficit nobis.] Dubitatur quonam modo ostendi sibi Patrem, petiuerit Philippus? Respondet Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 24. petiuisse ostendi sibi visibilem Patrem oculis corporeis. Philippus (inqnit) sugillatur, Patrem videre desiderans, quasi visibilem, &c. Et Chrysostomus homilia 73. in Ioannem: Philippus, inquit, carneis oculis videre volebat Patrem: Prophetas forsitan recordatus, quod Deum viderint, &cæt.

Item: Philippus visus cognitionem quærebat, & cum Christum se vidisse arbitraretur, volebat eodem modo, & Patrē videre, &c. Diitem Cyrillus; Philippus, inquit, putabat oculis huius corporis diuinā posse videre naturā, &c. Eadem est sententia Theophylact. & Lyrani, autor quoque sua nomine Eusebij Emisseni; Philippus, inquit, non solum men-

An Philippus voluerit Patrē videre oculis corporeis. *Prima responsio.* *Tertull.* *D. Chrisost.* *D. Cirillus.* *Theophil.* *Liran.*

mente, & fide, sed etiam carnis oculis Patrem videre desiderabat.

Secunda responsio. Secundò respondetur, voluisse Philippum ostendere Patrem, id est, doceri se a Christo quisnam esset Pater doceri inquã verbis; ignorabat enim quis Pater esset: quasi dicat: expone nobis, & perspicuè doce quis sit Pater, & sufficit nobis. *D. Hilarius* Diuus Hilarius libro 7. de Trinitate, Philippus (inquit) non ostensionem, veluti corporalis contemplationis desiderauit, sed demonstrationem intelligendi eius, id est, patris, postulauit, &c. Tertiò respondetur, voluisse ostendi sibi Patrem, eo modo, quo cognosci potest, hoc est, voluisse cernere ipsam patris naturam, atque essentiam, oculis siue spiritualibus, siue corporeis: nondum enim forsitan sciebat, Patrem carere corpore. *Tertia responsio magis probatur.* Hæc tertia responsio, mihi magis probatur, quæ primam non excludit.

Quid significet, sufficit nobis. Dubitatur præterea quid indicent verba illa; [Et sufficit nobis] multiplicem illa sensum habent. Primus est ostende nobis Patrem, & sufficit nobis, quia in Patre esse putabat summam beatitudinem, summaque gaudia *D. Cyrill.* Diuus Cyrillus sic explanat: Sufficit nobis, omnes nos gaudio plenos profitebimur, neque deesse nobis ad beatitudinem quidquam arbitrabimur, si quod maxime optamus, Deum Patrem videbimus, &c. Aliam addit interpretationem: Sufficit nobis, Patris ostensio vt Iudæorum contra te obiectiones, ac contradictiones possimus superare. Innumeris (inquit) signis Iudæorum impudentia repelli potest; sed nihil omnino deerit, si Patrem nobis ostenderis: hoc enim maxime faciet, vt Iudæorum ora consuere possimus, &c. *D. Chris.* Diuus Chrys. tertium addit sensum, Sufficit nobis, nihil aliud a te quærimus, nihil aliud nunc postulamus, contenti erimus hac ostensione: Ne (inquit) videretur molestus esse Philippus, & post Iudæos magistrum tentare interrogando putaretur; addit, Et sufficit nobis, id est, nihil aliud quærimus, &c. Quartam *D. Hilarius* adiungit Diuus Hilarius 7. de Trinitate, sufficit nobis ad fidem firmandam. Ad id (inquit) quod dixerat Philippus, Ostende nobis Patrem, vt ostensio illa intellgendi potiùs esset demonstratio, quam videndi, subiecit, & sufficit nobis. Non adempta est fides dicto, sed cognoscendi demonstratio est postulata, quæ sufficeret ad fidem dicti, quia per Domini Professionẽ autoritas esset non incerta crẽdendi, &c. Quinta est Cardinalis Toleti; *Card. Tol.* Ostende nobis patrem, & sufficit nobis, ad pellendam animo tristitiã, ac timorem. sunt hi sensus omnes veri. Arbitror tamen Philippum de cognitione Dei loqui hunc in modum; Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis, nunc hæc cognitio de Deo, quã habemus de te, & habebimus de Patre, si nobis illum ostendas. hoc pacto videtur interpretari Rupertus, *Rupertus.* cuius hæc est explanatio; Iam (inquit) nihil superest, nisi vt patrem nobis ostendas. Nam de te sufficit nobis, &c. & Euthymius, *Euthimius.* ostende patrem, & sufficit (inquit) nobis, vt qui te iam anteà cognouimus, &c.

Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me?

Respondet Dominus Philippo, & conqueritur amicè ac suauiter, quod a discipulis nondum sit cognitus, tam longo temporis spatio, nempe triennio, ex miraculis & doctrina. Vnde Chrysostomus sic interpretatur: Philippe tantam accepisti doctrinam, magna signa, & propria diuinitatis, & non cognouisti me? &c. Græcè legi potest, οὐκ ἔγνωκάς με φίλιππε, id est, non cognouisti me Philippe? nostra lectio habet, non cognouistis me. Deinde, Philippe qui vidit me, &c. Eadem tamen est significatio, nisi quod nostra alios etiam Apostolos complectitur, qui nondum Christi diuinitatem hoc tempore plenè cognouerant. *D. Aug.* D. Aug. arbitratur, Philippum postulasse ostendi sibi Patrem, quod putaret Patrem esse maiorem filio Christi: Ideò, inquit Augustinus:

Christus discipulum arguebat, quoniam cor postulantis videbat. Tanquam enim melior esset Pater, quàm filius, ita Philippus patrem nosse cupiebat, & ideò neque filium sciebat; quo melius esse aliquid credebat, &c.

Qui videt me, videt & Patrem.

Vna & eadem est patris, & filij essentia.

GRecè, ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα, in præterito, id est, videns, vel qui vidit me, vidit patrem meum: sed idem sensus est. Docet Philippum, & reliquos Apostolos Patrē per filium cognosci, & ostendi, vnāque esse patris, & filij, & eandem essentiam. O Philippe, petis vt Patrem tibi ostendamus, patrem cupis videre? iam tibi patrem ostendi, iam patrem vidisti: [Qui enim videt me, videt & patrem meum] cùm me vides, patrem vides. quomodo igitur petis, vt tibi patrem ostendam? Dubium est, quonam modo dicatur videre patrē, is qui videt Christum? Cardinalis Toletus existimat, locum hunc de visione corporali interpretandum, eritq; sensus; qui videt me corporeis oculis Philippe, vt tu vides, videt etiam Patrem, quoniam patris natura diuina in me est: etenim Deus cerni potest, vel corporis, vel mentis oculis. Corporis oculis per se videri nequit, sed videri dicitur per creaturam, vt per Angelum, per ignem, per columbam. Mentis oculis, videtur dupliciter, vel per lumen fidei, vel per lumen gloriæ Verba Domini [Qui videt me, videt & patrem meum.] de visione per aliud intelligenda sunt, id est, per humanitatem Etenim per humanitatem videbatur in Christo verbum, videbatur etiam pater, qui Deus est, vnius naturæ cum Verbo. Attamen pater videbatur ratione naturæ diuinę, Verbum etiam ratione personæ, quoniam persona patris non assumpsit humanitatem, sed persona filii.

Toletus.

Deus corporis oculis per se videri nequit.

Oculis mentis dupliciter Deus videri potest.

Obiectio.

Quomodo Pater visus sit in Christo.

Obijcitur, non esse veram hanc propositionem; [Qui videt me oculis corporeis, videt & patrem] si enim vera hęc esset, pariter, & illa vera esset: [Qui interficit me, interficit patrem.] Non enim tribui possunt patri ea, quæ Deo tribuuntur per communicationem idiomatum, ratione humanitatis assumptæ. Falsæ sunt hæ propositiones [Christo orante, pater orat, Christo ambulante, pater ambulat, Christo ascendente in cælum, pater ascendit in cælum.] Respondetur illam propositionem: Qui videt me oculis coporeis, videt patrem, intelligi de visione per aliud, ac propterea veram esse. Verum namque erat eos, qui videbant Christum, per humanitatem, videre Dei naturam, atque patris naturam, ipsumque patrē, sed per aliud, & imperfectè. Respondetur præterea huiusmodi propositiones, esse expendendas magno iudicio, ne aliquid patri tribui videatur falsum, & a dignitate patris abhorrens. Quamobrem propositio illa; [Qui interficit me interficit patrem] fugienda est, ne, cum Sabellianis patripassianis, patrem per se crucifixum esse dicere videamur: similem in modum aliæ sunt explodendæ. Quamuis si rem præmere velimus, non desit huic propositioni sua veritas, quamuis impropria: Qui me interficit, interficit patrem, per aliud id est, per humanitatem, in qua pater est, nihil enim aliud significatur, quam in Christo, qui interficitur, esse patrem, sed vitandæ sunt huiusmodi enunciationes. At hæc propositio; Qui videt Christum, videt & patrem: vera est, vt diximus, nihilque indicat quod a patris dignitate alienum videatur, ideoque non fugienda est; est propterea Diui Chrysostomi, & Diui Thomæ, quos supra citauimus. In Christo (inquit Diuus Thomas) incarnato videbatur pater, &c. Diuus Hilarius, & Diuus Cyrillus de visione mentis, verba intelligunt Christi, non abnuit Chrysostomus, & hæc est communis interpretatio. Existimo tamen Christum amplo significato vsum verbo [videt] omneque genus visionis esse complexum, hoc sensu; Philippe, qui videt me, quocunque videat modo, siue corporeis

Quæ Christo, Deo tribuuntur per communicationem Idiomatum patri nequeūt communicari propriè.

Responsio.

Quid in hac propositione cauendū sit.

Explicatur propositio supra posita.

D. Thomas.

poreis oculis, siue spiritualibus per fidem, vel per gloriæ lumen videt, & patrem; si me videt corporeis oculis, eiusdem videt patrem, per aliud: si me videt per fidem, videt etiam patrem; si me intuetur per lumen gloriæ, intuetur & patrem. Chrysostomi alius est sensus huiusmodi: Philippe, putas me a te videri, patrem verò videre cupis? non me vides? nam qui videt me, videt & patrem; si me videres, patrem quoque videres, neque ille videri potest, neque ego.

Chrysost.

Non credis quia ego in patre, & pater in me est?

OStendunt verba hæc, & superiora, duarum personarum patris, & filij distinctionem, aduersus Sabellianos: & vnius, eiusdemque naturæ vnitatem, contra Arianos. Reddit Dominus rationem, cur is, qui videt filium, videat & patrem: nimirum quia pater est in filio, & filius in patre, necesse est eum, qui vnum videt, videre etiam alterum. Diuus Augustinus tractatu 70. idcirco ait patrem videri per filium, quia filius est perfectissima patris imago: Qui videt (inquit) me, videt & patrem, non quod ipse sit pater, & filius, sed quod tam similes sint pater, & filius, vt qui vnum nouerit, ambos nouerit; solemus enim de duobus simillimis ita loqui eis, qui vnum illorum vident, & qualis sit alius volunt nosse, vt dicamus; vidistis istum, illum vidistis, &c. Euthymius; Non credis (inquit) Philippe, quod mutuò vnus per alterum cognoscimur, tanquam omnino similes? &c. Theophilactus; In patre (inquit) est filius secundum quod in substantia ipsius apparet; & rursus pater in filio, sicut rex in imagine sua apparet, & imago in rege, vnus enim caracter imaginis, & regis, &c. Addendum, patrem videri in filio, quia in filio totus est pater; est enim vna, eademq; natura patris, & filij: ergo pater in filio est, siquidem in filio est tota natura patris, & in filio videtur. Augustinus, siue Fulgentius de fide ad Petrum libro primo. Per vnitatem (inquit) naturalem, totus pater in filio, & Spiritu sancto est; totus filius in patre, & Spiritu sancto est; totus quoque Spiritus sanctus, in patre, & filio. Nullius horum extra quemlibet ipsorum est, &c. Chrysostomus homilia 73. in Ioannem: Qui me (inquit) videt, videt & patrem; si alterius esset Christus substantiæ, non hoc dixisset. Nemo qui aurum ignorat, in argento auri substantiam videre potest. Non enim alia per aliam apparet natura. Non credis Philippe, quia ego in patre, hoc est in illius substantia appareo, &c. Diuus Cyrillus; Ego Philippe genitoris naturam, vt imago substantiæ eius, perfectissimè ad illam formatus, in me totam exprimo: non exterioribus, neque aduentitijs dignitatibus, sed naturalibus naturæ patris perfectionibus splendens: id enim sum verè, quod pater est, identitatis substantiæ ratione, &c. Lege Magistrum, & Doctores 1. sent. dist. in 19. hæc personarum mutua inexistentia appellatur a Theologis circumincessio, Græcè, περιχώρησις.

D. August. Filius est imago patris. *Euthymius* *Theophil.* *Pater in filio est, & filius in patre.* *D. Fulgen.* *D. Chrys.* *Cirillus.* *Circumincessio est mutua personarum inexistentia.*

Verba quæ loquor vobis, à meipso non loquor.

DIxerat se esse in patre, & patrẽ in se. Probat habere in se patrem ex doctrina, & miraculis. Diuus Chrysostomus: Duo (inquit) hic ponit Dominus, scilicet doctrinam, & miracula, &c. Verbis doctrinam significat, operibus miracula. Verba quæ loquor, a me ipso non loquor, subaudi cum Euthymio, sed a patre; pater in me manens facit opera, id est, miracula; ergo in me est pater: si enim non esset in me, non efficeret verba mea, & doctrinam, & opera. Dices patrem verba hominis cuiuslibet, & opera facere, per cõcursum vni-

Obiectio.

vniuersalem: non tamen sequi esse in homine, vt erat in Christo. Respondetur, multò aliter Patrē verba Christi, & opera effecisse: quia erat in Christo per vnitatem eiusdem naturæ diuinæ, quæ per humana verba miraculaque efficiebat. Vrgebis: ergo verba, & opera filij, erant verba, & opera Patris, vnde sequitur multa falsa tribuenda Patri: Nam (vt alia omittā) si quando Christus ait Ioannis 13. [Ego laui pedes vestros;] hæc verba sunt Patris, Pater lauit pedes discipulorum, quod est falsum. Item, cum Christus orabat, cum concionabatur, cum cibū sumebat, si hæc opera sunt Patris; Pater orabat, concionabatur, & sumebat cibum, quod repugnat veritati. Respōdetur Patrem effecisse opera Christi miraculosa, quæ diuinitatis propria sunt, eaque Patri etiam tribui. At verò opera, & verba, quæ humanitatis erant, ea ita efficiebat Pater, vt illi tribui nequeāt quia suppositi sunt humanitatis. D. Augustinus tracta 71. & Chrysostomus, quia Dominus ait: [Verba quæ ego loquor, à meipso non loquor, Pater autē in me manens ipse facit opera, &c.] inferunt, verba esse opera, quasi Dominus ipsa verba opera vocauerit. Nam qui proximum (ait Augustinus) loquendo ædificat, bonum opus operatur, &c. verisimilior est Euthymij suprapositа explanatio: [Verba quæ ego loquor, à meipso non loquor,] subintellige, sed à Patre. Diuus Chrysostomus homil. 73. Quomodo (inquit) à verbis incipiēs Christus transit ad opera? Dici enim poterat, verba quæ ego loquor vobis, ipse Pater loquitur, sed duo hic ponit Dominus, doctrinam, & signa; vel, quod etiam verba erant, opera, &c. Diuus Cyrillus, [à meipso non loquor,] sic explicat, Non aliter Pater si vobiscum verba facere vellet, quam ego, locutus esset; tanta enim inter nos identitas est, vt voces meæ illius sint, & quæ facio illius sint opera, &c Diuus Augustinus aliter, [à meipso non loquor,] id est, à meipso non sum, qui loquor; Patri quippe

Responsio.
Quid & quō pater agebat in Christo.
D. August.
Probatur Euthym. explanatio.
D. Chrysost.
D. Cyrillus
D. August.

A tribuit, quod facit, de quo est ipse qui facit. Filius enim à Patre est, lumen de lumine, Deus de Deo, &c. simile illud Ioan. 7. [Mea doctrina non est mea,] quem locum explicauimus 3. tomo lib. 1. cap. 8.

Ioan. 7.

Maiora horum faciet.

B PRobat Patris naturam in se habere, Deumque se esse æqualem Patri, quod non solum miracula operetur, sed potestatem etiam sit daturus discipulis suis, vt miracula operētur illius maiora, quæ ipse est operatus, quod solus Deus potest facere. Credite discipuli propter miracula, quæ hactenus feci, me in Patre esse, & Patrem in me. Multa hactenus miracula per metipsum feci, multa quoque per discipulos meos faciam, non solum C similia, sed etiam maiora, quæ meam potestatem, diuinitatemque demonstrabunt, & quamuis moriar demonstrabūt me surrexisse, & viuere. Theophylactus, In tantum (inquit) non apparebo infirmus, etiamsi moriar, vt alijs ad maiora opera facienda vires daturus sim, &c. Magnum est miracula facere, mirabilius alijs potestatem tribuere miracula efficiendi, vtrum-D que ait Christus se habere, atque adeò Deum esse Patri æqualem. Non dixit Christus (ait Euthymius) maiora facere possum, ijs quæ feci, sed q̄d mirabilius est, etiam alijs tribuam, vt talia operentur, &c. Diuus Cyrillus obseruat Christum potuisse multò maiora miracula facere, sed non fecisse, quia nihil maius occasio attulit. Quænā sunt hæc maiora, quæ di-E scipuli facient? Origenes homil. 7. in Num. ait spiritales esse victorias. Verè (inquit) maius mihi videtur, quod homo in carne positus superet dæmonum legiones. Quamuis Christus sit qui vincit in nobis, plus tamen est, quod per nos, quàm quod per se vincit, &c. Homil. 6. in Isaiā, aliter Christi verba sic explanat: His (inquit) quæ ego feci corporaliter, vos maiora facietis: ego feci resurgere ex mortuis

Christus potestatem dedit discipulis faciendi miracula.
Theophyl.
Euthymius
D. Cyrillus
Quænam dicātur maiora miracula.
Origenes.

mortuis corporaliter, vos resurgere facietis ex mortuis spiritualiter: ego cæcis sensibile hoc lumen infudi, vos spiritalem lucem non videntibus dabitis, &c. Diuus Chrysostomus homilia 22. in Acta Apostolorum, de Petro loquens, vmbra ęgrotos sanâte: Hoc (inquit) in Christo non est factum, proinde videre licet re ipsa impletũ esse, quod dixerat: [Maiora horum faciet,] qui in me credit, &c. Item D. Augustinus tractat. 72. maius credit fuisse, vmbræ transitu, quod Petrus fecit, quàm fimbriæ tactu sanare languentes, quod fecit Christus: maius quoque fuisse Iudæos multos, & gentes ad fidem conuertere, quod fecerunt Apostoli, quàm Iudæos paucos, quod fecit Christus, sed Christus de miraculis videtur loqui, non de conuersione ad fidem, & alijs operibus spiritualibus. Prætereà maius est, quatriduanum Lazarum vitæ restituere vno verbo, quàm ægrotos sanare vmbra. Respondetur, Apostolos aliosq; credentes, multa fecisse miracula nobis ignota, & in ijs aliqua fuisse maiora Lazari resurrectione, quæ fuerint ignoramus. Aliter respondetur, verba hæc sub conditione dicta esse hoc sensu: [Maiora faciet;] si fuerit opus. Eundem in modum Lucæ 17. loquitur Dominus: [Si habueritis fidẽ sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro; eradicare & transplantare in mare, & obediet vobis, &c.] quod an sit factum, non constat.

D. Chrysost.

D. August. *Quæ maiora miracula fecerunt Apostoli quam Christus.*

Verba Christi possunt sub cõditione intelligi. *Luc. 17.*

A B C D

Quia ego ad Patrem vado.

QVomodo Apostoli, cæteriq; credentes miracula sint facturi, docet Dominus; nempe, non proprijs, sed à se acceptis, & precatione impetratis viribus, facturos esse demonstrat. Facient credentes miracula etiam illis maiora, quæ ipse feci, quia ego in cælum ad Patrem vado; vos autem manebitis, & miracula facietis. Cum verò in cælo fuero, ad facienda miracula ad Patrem, & me orabitis, [in nomine meo,] id est, inuocato nomine meo, per me, & per nomen meum: ego verò qui idẽ sum cum Patre Deus, id faciam cum Patre, quod vos in nomine meo postulabitis, scilicet eadem potentia, ego, & Pater miracula faciemus, ad quæ facienda vos adhibebitis preces in nomine meo. Ostendit igitur miracula effici diuina potestate à Deo, ab hominibus verò credentibus effici veluti à Dei instrumentis, impetrata per preces diuina virtute. Vrget Chryso. verbum, [faciam.] Ego (inquit) [faciam.] Ecce Christi authoritatem, quæ per alios fiunt, ipse facit, &c Et Augustinus: Non poterit esse maior, qui credit in me, sed ego facturus sũ, & tunc maiora, quàm nunc, &c. Euthymius quoque: Dixit Christus, [faciam,] suam ostendens potentiam, &c. Docet etiam Christus, nos ipsum in cælo existentem orare, vt Deum verum: [si quid] (inquit) [petieritis me in nomine meo, hoc faciam, &c.]

D. Chrysost.

Euthym.

E

CAPVT III.

Morale.

De sermone Domini.

Non turbetur cor vestrum, &c.

NOn sunt homines ἀπαθεῖς, hoc est, [passionum expertes;] animi habẽt appetitiones, quæ quia cor perturbant, animi perturbationes nominari solent. Cur igitur ait Dominus; [Non turbetur cor vestrum]Nũquid fieri potest, vt non turbetur cor circumda-

Homo est passionibus obnoxius.

cumdatum animi perturbationibus? A Respondetur, fieri quidem non posse, pro humana imbecillitate, vt non turbetur cor, perturbationibus subitis, voluntatem omnino præcurrentibus; fieri tamen posse vt non turbetur perturbationibus voluntatem ipsam superantibus, atque hoc Christū à nobis postulare. [Nō turbetur cor vestrum,] sic videlicet, vt voluntas superetur, & in peccatum inducatur. Turbatum est cor Caini inuidia; ita B verò turbatum est, vt perturbatio voluntatem superarit, & ad homicidium duxerit. Eundem in modum turbatum est cor Petri timore in domo Caiphæ, & in negationem præcipitatum. Cor Iudæ turbatum est argenti cupiditate, & ad turpissimam proditionem perlatum. Cor Dauidis turbatum est amore, & in adulteriū perductum. Huiusmodi cordis turbatio magnopere Christiano fugienda est? C [Non turbetur] (ait Dominus) [cor vestrum;] ideoque vbi primum animi appetitio insurgit, protinus frænanda est, atque suffocanda, antequā volūtatem deprimat ac superet. [Irascimini] (ait vates Psal. 4.) [& nolite peccare, &c.] hoc est si ira perturbari mentem contingat, cauete ne in peccatum voluntatē impellat. Diuus Augustinus sic interpretatur; si motus insurgit iræ, non consentiat ratio. D Ad Ephe. 4. Paulus; [Sol] (inquit) [non occidat super iracundiam vestram, &c.] hoc est moraliter, splendor rationis, qui veluti Sol mentem illuminat, non occumbat: non sic inualescat perturbatio animi, vt rationi offundat tenebras, & in crimen aliquod voluntatem inducat. Animi appetitiones nubes sunt, quæ ex carne crassa, veluti ex terra ascendunt, solemque, id est, rationem, nituntur obscurare. Sed dissipantur terræ huiusmodi nubes, eiusdem rationis ardentib. radijs, hoc est, de Tartareo igne, cælestique gloria, alijsque huiuscemodi, ardentibus cogitationibus.

Cordis perturbationes fugiendæ, et mortificandæ.

Psal. 4.

Ad Ephe. 4.

Magnam in animo excitant tempestatem, animi cupiditates, vt Ambrosius ait in Apologia Dauid poster. cap. 3. his verbis: Magnam faciunt tempestatem, multitudines cupiditatum, quæ velut in quodam freto corporis nauigantem, hinc, atque inde perturbant, &c. At verò ventorum fluctuumque excitata tempestate, si nauis gubernator somno opprimatur, scopulis nauis allidituri; eundem in modum, cupiditatū procella exorta, si dormiat ratio, diuinisque cogitationibus minimè inuigilet, flagitijs turpissimis alliditur animus. Vigilet ergo ratio, sanctisque se exerceat meditationibus, ne affectuum fluctibus iactati, naufragium faciamus. Non ægrotet ratio, valida sit viribusque præstans, vt validi instar aurigæ, Deo iuuante, frenatas animi perturbationes, veluti obtemperantes equos moderari possit. Vnde illud Theodoreti Psalmo 6. Si ratio (inquit) in nobis non ægrotabit, perturbationes nequaquam tumultuabuntur. Quandoquidem si auriga validus fuerit, & equos scienter moderatus fuerit, saltationes non habebunt locum, &c. Affectus animi feri quidem sunt, & immites, animiq; perturbatores, sed danda opera est, vt cicurentur, & mites fiant, animumque in tranquillitate, paceque degere sinant, vt enim ait Olympiodorus in catena Iob c. 28. Affectus si comprimantur, disciplina mites fiunt, & boum more fœno vescuntur. Contrà, socordia agrestes euadunt, & belluarum immanitate vtuntur, &c. si mites, & cicurati fuerint, non turbabitur cor nostrum; si agrestes, atque immites, turbabitur perpetuò Seneca lib. 8. epistola 60. E Talis (inquit) est sapientis animus, qualis mundi status, super Lunā; semper serenum illic est, &c. Infra Lunam magnę sunt in aere perturbationes, ventorum, pluuiarum, tonitruorum, fulminum; supra Lunā sunt omnia tranquilla ac serena. Qui tranquillam vitam ducere vult, supra Lunam cor collocet, cæloque infigat: si Lunæ se subiecerit, mille perturbationibus agitabitur. Psalm. 4. [In pace In idipsum dormiā, & requiescā;] ait Psalmographus. Qui in pace dormire

D. Ambros.

Tempestas perturbationū animi. Simile.

Theodor.

Olympiodorus.

Appetitus ratione comprimi debet.

Seneca.

Psal. 4.

mire vult, & requiescere animi affectus ita frenet, vt tumultus non moueant. vnde Diuus Chrysostomus eodem Psalmo; Si quis (inquit) perturbationes animi composuerit, & improbatarũ cogitationum belluas suffocans nõ permiserit vt in antris delitescant, manifestissima pace fruetur, &cet.

Creditis in Deum, & in me credite.

Fides scutũ aduersus animi perturbationes. D. Cyril.

ADuersus animi turbationem, ac terrores clypeus fortissimus fides est. [Non turbetur] (inquit Dominus) [cor vestrum, creditis in Deũ, & in me credite,] qui Deus sum. Arma dat Christus Apostolis (ait D. Cyrillus) quibus omnia aduersa superare queant. Arma, clypeusque, qui telis hostium frangi non potest, fides est. Sic ille Quis animo perturbabitur, ac perterrefiet, si in Deum credat, fide habente oculos vigiles, ac Dei amorem, sapientiam, prouidentiam, omnipotentiamque considerante amorem, quo suos milites complectitur, ac defendit; sapientiam, qua omnia illorum pericula, tentationes, & prælia ante oculos habet; prouidentiam qua cunctis fert auxilia; omnipotentiam, qua omnibus periculis est superior? Credebat in Deum Dauid, ideoque imperturbato imperterritoque corde canebat: Psal. 26 [Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meę, à quo trepidabo? si consistant aduersum me castra, non timebit cor meũ, &c.] Credebat in Deũ Moses, ideoq; Pharaonis iram minimè timuit. Ad Heb. 11. [Fide] (ait Paulus) [reliquit Aegyptum Moses nõ veritus animositatẽ regis (scilicet Pharaonis) [inuisibilem enim tanquam videns sustinuit, &c.] Obserua qualis fuerit fides Mosis, quàm lynceos habuerit oculos. Deum inuisibilem sustinebat, ac si oculis corporeis illum intueretur: huiusmodi fides, quæ Deũ pręsentem sic intuetur, corde imperturbato

Psal. 26.

ad Heb. 11.

A bato nihil formidat, neque Pharaonis exercitum se persequentem, neque rubri maris vndas, neque asperam solitudinem, neque obuios quousque hostes metuit, inuisibilẽ enim Deum tanquam vidẽs sustinet. Quid de Paulo dicam? Quidnam formidabat ille, cuius illa vox est ad Romanos 8. [Quis me separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames, an nuditas? an periculum, an B persecutio? an gladius, &c.] & illa: [si Deus pro nobis, quis contra nos, &c.] Quidnã illud est, quod tot martyres, cruciatus horrendos minimè perturbato corde, imò lætissimo, subire compulit? Nonnes fides? [Sancti] (ait Paulus ad Hebræos 11.) [per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sũt circuierunt in melotis, & in pellibus C caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, &c Hæc est victoria quæ vincit mundum] (ait Ioan. epist. 1. c. 5.) [fides nostra, &c.] Non turbantur qui fide valent; turbantur, qui modicæ fidei sunt. Vnde illud Christi Matthei 8. ad discipulos; [Quid timidi estis modicæ fidei?] turbantur procellæ metu, rationem reddit Dominus, quia modicæ fidei erant: similiter Petrus, Matthęi 14. cũ D super mare graderetur, videns ventum validum, timore turbatus est, cępitque mergi At Christus: [Modicæ] (inquit) [fidei, quare dubitasti, &c.] modica fides, causa est cur turbetur cor nostrum, & perturbationum fluctibus demergatur. Fides magna, fluctus superat: si turbari cor tuum non vis, clypeum fidei arripe, illumq; hostibus irruentibus oppone, iuxta illud Diui Petri epistola 1. cap. I. [Cui E resistite, fortes ĩ fide, &c] Rugit Leo Tartareus, bella mouet, resiste fortis per fidem. [Leua clypeum] (ait Dominus Iosue 8.) [contra vrbẽ Hai, &c.] Idem nobis dictum putemus, leuemus contra hostes fidei clypeum, vincentur. Iosue, vt eodem legitur capite, [non contraxit manum, quã in sublime porrexerat, tenens clypeũ, donec inter-

Fides Deo firmiter adhæret.

ad Rom. 8.

ad Heb. 11.

1. Ioan. 5.

Matth. 8.

Matth. 14.

Fides tuetur cor à perturbationibus.

1. Pet. 5.

Iosue 8.

Fidei scutũ.

interficerentur omnes habitatores Hai,&c.]Similem in modum,nos manum ne contrahamus, fideique clypeum, in sublime elatum semper teneamus; donec de cunctis hostibus nostris, & animi perturbationibus, victoriam reportemus. [In omnibus] (ait Paulus ad Ephes.6.) [sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere,&c.]

Ephes.6.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

Spes animũ corroborat aduersus hostes.

CORroborat corda fides, ne perturbationibus,ac terroribus succumbant; corroborat etiam æternæ gloriæ spes. [Non turbetur cor vestrum] (ait Dominus) [in domo Patris mei mansiones multæ sunt, &c. ne succumbatis laboribus, tentationibus,vitæque periculis,in cęlum attollite oculos,paratas vobis mansiones æternæ gloriæ, contemplamini; tanti boni,tantique gaudij spes, animum formidine, perturbationeque liberet, in medijsque vitæ fluctibus, velut firma anchora contineat. Est enim spes glorię,firma,& tuta anchora, vt ait Paulus ad Hebr.6.[Quàm] (inquit) sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentẽ vsque ad interiora velaminis,&c.] habemus spem bonorum cælestium, sicut anchoram firmam, quia firmat nauẽ,id est,animum, inter fluctuum perturbationem. Anchora ex naui in terram iacitur: spes velut anchora in terram illam beatam conijcitur, vbi beati Deo fruuntur,quam significant interiora velaminis,id est,Sancta Sanctorum. Multas esse ait Dominus, in domo Patris mansiones, quoniam vt ait Propheta Baruc cap.3.domus Dei amplissima est; [O Israel] (inquit) quam magna est domus Dei,& ingẽs locus possessionis eius Magnus est,& non habet finem,excelsus,& immensus,&c.] Magna est domus Dei,multas habet mansiones: etenim Deus in cuius visione beatifica hominis bea-

Ad Heb.6.

Baruc 3.

A titudo posita est,infinitus est, etsi infiniti essent homines,non deessent illis mansiones in Deo immensę. Prætereà cælum empyreum maximum est, omnium hominum,& Angelorum capax. Hæ autẽ multæ mansiones,ęquales non sunt, sed variæ, ac diuersæ, quia varia,ac diuersa sunt merita beatorum, vt Paulus docet 1.Corin 15. [Alia] (inquit) [claritas Solis, alia Lunæ,& alia claritas stellarum: stella

Multa sunt mãsiones in cælo, & varia.

1.Cor.15.

B enim à stella differt in claritate:sic & resurrectio mortuorum,&c.] Tertullianus in Scorpiaco: Quomodo (inquit) multę mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? quomodo & stella à stella distabit in gloria, nisi pro diuersitate radiorũ, &c. Diuus Gregorius Iob cap.3. ad illa verba, [Paruus,& magnus ibi sunt;] Quia (inquit) in hac vita est discretio operum, erit in illa discretio di-

Tertull.

Varietas mansionũ, est varietas meritorum.

D. Gregor.

C gnitatum,vt quo hic alius alium merito superat: illic alius alium retributione transcendat, &c. Gregorius alter Nazianzenus orat.16. Vt varij (inquit) sunt vitarum delectus, ita multæ quoque apud Deum mansiones sunt; quæcũque pro merito suo, & dignitate distribuuntur,&c. Idem docet Augustinus libro de sancta virgine,cap.26.& alij. Lege Diuum Bernardum initio Apologiæ ad Gulliel-

D.Greg. Nazian.

D mum.

Si roges; Nunquid beati inferiores molestè ferunt, quòd ab alijs beatitudine vincantur? Respondit Augustinus libro 22. de ciuitate Dei cap.30. his verbis; Sic habebit donum alius alio minus, vt hoc quoq; donum habeat,ne velit amplius,&c. & Gregorius Magnus Iob 40. ad illa verba: [Dedit eis Pater suus hæreditatem, &c.] Vnusquisque (inquit) iuxta im

D. August.

D. Gregor.

E par meritum, locum disparem percipit; sed eiusdem disparilitatis damna non sentit, quia tantum sibi sufficit, quantum perceperit, &c. Diuus Anselmus libro de similitud.cap.64. In illa (inquit) glorificatione ciuitatis Dei, ita quisque quod adeptus fuerit amabit, vt statum suum potiori gradu immutari non velit. Quia cuique

D,Anselm.

satis

Digitized by Google

fatis erit sua felicitas, & beatitudo, sibi pro meritis suis misericorditer impertita, &c. Adde beatum inferiorem non solum non ferre molestè, quòd ab alijs beatitudine vincatur, sed maximum etiam gaudium ex alio rum maiorum beatitudine percipere, eamque suam quodammodo efficere, de ea gaudium maximum percipiendo. Gregorius loco iam citato Iob.3. In ijsdem, ait, multis mansionibus, erit aliquo modo ipsa retributionum diuersitas concors. Quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, vt quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet, &c.

D.Greg.

Mansiones in domo Dei omnes implebuntur.

Multæ sunt variæque mansiones in domo Dei, nulla vacua permanebit; omnes impleri oportet. Gregorius Nazianzenus orat.38. Supernum, ait, mundum impleri oportet, &c. & Lucæ 14. vocare iubet conuiuas paterfamilias; [vt impleatur], inquit, [domus mea, &c.] Non enim plures sunt mansiones præparatæ, quàm habitatores. O terque, quaterque beatus, qui habitator fuerit alicuius. Multas autem mansiones, & varias esse, ait Diuus Cyprianus, dixisse Dominum, vt ad celsiores nos prouocaret, in libro de disciplina, & habitu virginũ. Cùm habitationes (inquit) multas apud Patrem suum dicat Christus; melioris habitaculi hospitia demonstrat: habitacula ista meliora vos petitis; (videlicet virgines) carnis desideria castrantes, maioris gratiæ præmium in cælestibus obtinetis, &c. In terra quod præstantius est hospitium eligimus, in cælo quoque celsiores mansiones affectemus.

Ad celsiores mansiones animus attollēdus auxilio Dei.

D. Cypria.

Mansiones cæli stabiles sunt & æterna.

Nomen ipsum mansionis stabilitatem indicat. In vita hac nõ sunt mansiones, quia nihil in ea est manens, ac fixum, omnia sunt mobilia, inquilini hic sumus, ac peregrini, paulò post migrabimus. Augustinus Psalm.148. Inquilinus (inquit) es, non possessor. domus locata est tibi, non donata, etsi nolis migrabis, &c. [Non habemus hic manentem ciuitatem] (ait Apostolus ad Hebræos 13.) [sed futuram inquirimus, &c. vbi sunt principes gentium] (quærit Baruc c.3.) [Et qui dominãtur super bestias quę sunt super terram? qui argentum thesaurizant, & aurum, & non est finis acquisitionis eorum, &c.] Numquid permanserunt in regnis suis, & gloria? Respondet sibi Propheta, [Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij loco eorum surrexerunt, &c.] Migrarunt (inquit) quia inquilini erant, non possessores; domus eorum alijs locatæ sunt, illi verò ex terra ad inferos sunt exterminati: at beati in regno suo permanebũt in sempiternũ. Si quæras vbi sunt principes Dei, & qui dominantur super cælum empyreum, qui instar Solis fulgent, cælestibusque diuitijs, ac delicijs, vndique affluunt? non respondebimus; Exterminati sunt, & alij loco eorum surrexerunt; sed, in regno cælesti permanent, nullos successores timent. nulli enim loco eorum surgent, nemini domus illorum locabuntur; quoniam inquilini nõ sunt, sed mansiones, domosque possident in cælo sempiternas. [Coronemus nos rosis antequàm marcescant:] aiunt quidam Sap.2. Rosis sese coronant filij huius sæculi, quarum, & odor, & decor commento temporis euanescit. at filij cæli, non rosis, sed lapidibus pretiosis coronantur, quarum pulchritudo diu manet, iuxta illud Psalm.20. [Posuisti in capite eius coronã de lapide pretioso, &c.] Apocal.12. in capite admirandæ illius feminæ, corona est non rosarum, vel gemmarum, sed syderum. Quemadmodum namq; sydera sunt æterna; sic iustorũ coronæ sunt perpetuæ. Sapien.5. [Spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffusus est, & tãquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis. Iusti autem in perpetuum viuent, &c.]

D. August.

Hebr.13.

Baruc 3.

Quæ sunt in terra, instabilia sũt.

Angeli in cælo stabiles sunt in æternum.

Sap.2.

Mundana sunt caduca, cælestia sunt sempiterna.

Psalm.20.

Sap.5.

Vado

Digitized by Google

Vado parare vobis locum.

QVæritur: Cur Deus antiquis Patribus, in cælestibus mansionibus gloriam non dederit, ante aduentum Christi, dederit autem Angelis? Nam Angeli qui in cælo improbis cadentibus permanserunt, mox beatitudine donati sunt; Patres autem multis sæculis Christi aduentum in subterraneo loco expectarunt, cum tamen gratia exornati essent, quæ semen est gloriæ. Respondetur, Deum dedisse mox Angelis gloriam, in cælestibus mansionibus: quia Angelorum mansiones non indiguerunt præparatione Christi. Non dedisse verò antiquis Patribus: quia Christi præparatione eorum mansiones opus habuerunt. Et enim Christus optimus maximus, Angelis, qui non peccauerunt, neque gratiam meritus est, neque gloriam, vt verior, & communis fert opinio; Patribus autem, & reliquis hominibus, tum gratiam, tũ gloriam, per incarnationem, &c. passionem suam obtinuit. Cũ ergò à Christi incarnatione, & passione Angelorum gloria non penderet, ante aduentum Christi data est Angelis. non est autem data Patribus, quia eorum beatitudo propter Christi aduentum, & merita donanda erat. Ideò Christus hoc loco; [Vado] (inquit) [parare vobis locum:] id est, vobis hominibus nõ Angelis, vado per merita mea parare mansiones, quæ in domo Patris mei sunt. Gratiam quidem donauit Deus Patribus propter prçcognita Christi merita; gloriam noluit donare, antequam pretium persolueretur. Nàm gratia omnino necessaria erat, vt Dei essent amici, idcircò differenda non fuit: gloria verò differri debuit, quousque Christus mãsiones pararet, in gloriam suam intraret, illosque secum duceret. Itaq; clausum fuit cælum quousque Christus ad parandas mansiones ascendit.

Post lapsũ malorũ Angelorum, boni receperũt beatitudinem.

Parauit Christus locum hominibus per merita sua, nõ Angelis.

Parauit autem mãsiones, & locum hominibus in cælo, per merita sua, A præterea viam in cælum pandens ascensione sua. Ad Hebræos 6. [Vbi] (inquit Paulus) pro nobis præcursor introiuit Iesus, secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in çeternum, &c.] Introibat singulis annis Pontifex legalis in Sãcta Sanctorum; eũdem in modum introiuit Christus in cælum, in die Ascensionis. Præcursor autem dicitur noster in cælestes mansiones, quia primus omnium hominum B cælum ingressus est, viam aperuit, & mansiones præparauit. Pontifex antiquus in Sancta Sãctorum introibat, non sine sanguine, vt idem Apostolus ait ad Hebræos 9. similiter Christus in Sancta Sanctorum, id est, cælum, introiuit non sine sanguine, nam vt eodem capite ait Paulus, [Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta, &c.] hoc autem sanguine mãsiones C nobis præparauit. Paratæ quidẽ erant ab æterno, per diuinam prædestinationem, paratæ etiam dicuntur Matth. 25. à constitutione mundi; paratæ tandem sunt in aduentu Christi. Per prædestinationẽ paratæ sunt, quia Deus ab æterno mansiones cælestes prædestinatis decreuit; paratæ dicuntur à constitutione mũdi, quia tunc cælum empyreum beatorum sedes D est conditum, vel quia tunc homines creari cœperũt: denique in Christi aduentu maximè paratæ sunt per illius crucem, ac merita. Sed aduertamus non ita à Christo paratas esse, vt ignauis ac dormiẽtibus, & nihil agentibus dentur; non huiusmodi hominibus dandæ sunt, sed strenuis, vigilantibus, ac rectè operantibus, non imparatis sunt tribuendæ sedes paratæ E sed paratis, iuxta illud Matth. 24. [Estote parati, quia qua nescitis hora filius hominis venturus est, &c.] & Matth. 25. [Quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, &cet.] Nonne vides paratos in mansiones recipi, excludi verò imparatos? siquidem imparatæ virgines à nuptijs, & mansionibus exclusæ sunt, paratæ receptæ, atque intromissæ. Paratæ sunt mãsiones à Christo, à nobis quoque paran-

viã Christus parauit locũ in cælo. ad Heb. 6.

ad Heb. 9.

Parata mãsiones à Christo, hominibus.

Matth. 24. & 25.

Parati recipiuntur in mansiones paratas.

Hominibus per sua me-

D. Aug.

parandæ sunt, iuxta illud Augustini sermone 40. de Sanctis: Beatitudo (inquit) hic parari potest: possideri hic non potest, &c. Paratæ autem sunt à Christo mansiones cruce, flagellis, sanguine; sic quoq; à nobis parandæ sunt. Ad Romanos 8. [Si filij, & hęredes hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi si tamen compatimur, vt & conglorificemur, &c.] hæredes sunt mansionũ Dei filij, si tamen cum Christo patiuntur, vt cum illo glorificentur. Lucæ 24. [Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suã, &c.] Oportuit Christũ pati, & ita in gloriã suam intrare: sic nos oportet pati, & ita intrare in gloriam nostram. Per proprium sanguinẽ [introiuit Christus semel in sancta,] ait Paulus ad Hebræos 9. nos similit. r per proprium, si non sanguinem, at laborem, & sudorem in Sancta illa sanctorum æterna introeamus Psal. 29.

Rom. 8. Luc. 24. Ad Heb. 9 Psal. 29.

[Ad vesperum demorabitur fletus (ait Psalmographus) & ad matutinum lætitia. Ego autem dixi, in abundantia mea non mouebor in æternum, &c.] Ad versperum vitæ huius, super flumina sedentes Babylonis, fundamus lacrymarum flumina, dum recordamur Sionis nostrę: illucescet tandem splendidissimus ille gloriæ dies, quo æterna lætitia ad matutinum totum perfundet cor, tunc omnibus diuitijs, sanctisque voluptatibus circumfluens animus securus canet: [Ego autem in abundãtia mea non mouebor in æternum.] Deniq; qui vult coronari, certet; nam vt dicitur 1. Regum 17. [Virum qui percusserit eum, id est, gigantem, ditabit rex diuitijs magnis, & domum patris eius faciet absque tributo in Israel, &c.] percutiendus est gigas, vincendus est Tartareus hostis, tunc qui vicerit, is à Deo rege summo, magnis in cælo diuitijs locupletabitur nullum per totam æternitatem tributum, vel dolori, vel męstitiæ, vel morbis, vel morti soluet: ab omni malorum tributo liber, omniumque bonorum copia affluens, perpetua perfruetur gloria.

Non coronabitur nisi q certauerit.

A Vt Marcus Tullius Tuscul. 3. ait, gloria virtuti resonat, tanquam imago.

Tul. Tusc. 3 Gloria, virtutis comes.

Vt vmbra sequitur hominẽ, sic gloria sequitur virtutem, ac laborem. Virtutis Echo est beatitudo: sed tamen Echo non omnia verba, cogitationes, operaq; hominis bona beat. vt lapis qui cæditur, dolatur ferro, atque expolitur. in præcipua aliqua ædificij parte ponitur: sic homo, qui B laborib. doloribusq. propter Deum affictatur, & angitur, in præcipua gloria collocatur: vnde illud Augustini Psalmo 36. Noli mirari, quia in laboribus pararis: ad magnum aliquid pararis, &c. scilicet ad magnam gloriam.

D. August.

Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.

C IN quo posita sit cęlestis beatitudo hæc verba indicant, posita namq; est in visione Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Meritò ergo ait Philippus: (Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis:) sufficit visio Patris, quoniam, qui videt Patrem, videt etiam Filium, & Spiritum sanctum: in Patre enim Filius est, & Spiritus sanctus; neq; videri Pater põt, quin Filius, & Spiritus sanctus videantur. Vn D de illud: (Philippe, qui videt me, videt & Patrem: nõ credis quia ego in Patre, & Pater in me est, &c. Et Augustinus lib. 1 de Trinitate cap. 8.

Beatitudo æterna posita est i Dei visione.

Beatus qui videt Patrẽ videt etiam Filium & Spiri. S.

Siue, inquit, audiamus, ostende nobis filium, siue audiamus, ostende nobis Patrem: tantundem valet: quia neuter, sine altero potest ostendi, vnum quippe sunt. &c. Item: E Spiritus sanctus solus sufficit ad beatitudinem nostram, quia separari à Patre, & Filio, non potest: sicut Pater solus sufficit, quia separari à Filio, & Spiritu sancto non potest: & Filius ideo sufficit solus, quia separari à Patre, & Spiritu sancto non potest, & cætera. (Videbimus eum) (ait Ioannes epistola prima, capitulo 3.) sicuti est, &c.) est autem Deus

D. Aug.

1 Ioa. 3.

Digitized by Google

vnus essentia, trinus personis: videbimus eius essentiam, videbimus quoque personas. [Nunc (ait idem Apostolus eodem loco) filij Dei sumus; & nondum apparuit quid sirimus. scimus quoniam cum apparuerit quid erimus: quoniam videbimus eum sicuti est, &c.] Viri iusti quandiu in vita manent, filiorum Dei maximam habent dignitatem: occulta autem est hæreditas horum filiorum, & gloria, quã possidebunt: apparebit post mortem hæreditas hæc; ea verò in similitudine, & visione Dei sita est. [Cũ, inquit, apparuerit hæreditas, similes ei erimus.] Beatus est Deus, sapiens, potens, suo fruens conspectu semper, se ipsum amans, omni voluptate plenus immortalis, impassibilis, omni malo carens, omni bono abundans; similes ei erimus pro modulo nostro: beati sapientes, potentes, illius fruentes visione perpetua, ipsum amantes, æterna voluptate pleni, immortales, impassibiles, omni malo carentes, omni bono redũdantes, in Deo tamen beatitudo infinita est, in nobis erit finita. [Similes (inquit) ei erimus, quoniã videbimus eum sicuti est.] Ex visione enim Dei veluti fonte cætera emanant.

Similes Deo erimus in cælo.

In Deo beatitudo est infinita, in hoĩbus finita.

[Et sufficit nobis,] ait Philippus: Prouerb. 30. [Ignis nunquam dicit, sufficit, &c.] Quemadmodum ignis, sic & cupiditas hominis, nunquam in hac vita dicit, [sufficit;] vnus Pellæo Iuueni non sufficit orbis. Ad satiandum sensualitatis appetitum (ait Richardus Victorinus de Beniamin) totus mundus non sufficit, &c. Sufficit visio illa Patris, Filij, & Spiritus sancti: ostende nobis te ò Trinitas beatissima, & sufficit nobis. [Satiabor] (ait regius vates Psal 16.) [cum apparuerit gloria tua.] Et Augustinus lib. 1. confess. cap. 1. fecisti nos ad te; & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te, &c. Quamdiu in centrum non peruenit lapis, & in portum nauis, requiescere nequit: Deus centrum est cordis nostri, & finis, portusq; tranquillissimus, vt August. docet lib. 10. de ciuitate c. 4. Deus (inquit) est fons nostræ beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis, &cæt. in hoc centro requiescet cor nostrũ in hoc portu tranquillabitur, in hoc omnis appetitionis fine dicet;] sufficit.] Dicitur Hebraicè Deus, [Sadai,] quod nomen [sufficientem] significat, vt ait Diuus Epiphanius hæresi 40 sufficit sibi [Sadai,] nulla enim alia re indiget: sufficit creaturis omnib. si ostendat nobis seipsum, sufficiet nobis, omnesque mentis nostræ cupiditates explebit. Augustinus Psalm. 55. Noli (inquit) extra Deum aliquid ab eo quærere: ipse tibi sufficit. Quantumlibet sis auarus, sufficit tibi Deus. Etenim auaritia terrã quærebat possidere totam, adde, & cælum. Plus est, qui fecit cælum, & terram. Hæc Augustinus.

Prouer. 30.

Cupiditati nihil sufficit

Richard. Vict.

Psal. 16.

D. Aug.

Sufficit nobis visio Dei

D. August.

Deus centrũ & Sadai.

D. Aug. Solus Deus capacitatẽ oẽm explere potest.

Ego sum via, veritas, & vita.

De beatitudine egimus; quæ in illam via ducat, indicat Dominus. [Ostende nobis Patrẽ:) (aiebat Philippus) (& sufficit nobis.) At Dominus nõ ostendit in hac vita Patrẽ perspicuè, sed viam ostendit ad Patrem. In hac enim vita tempus non est ostẽdendi Patrem: sed demonstrandi viã, quę ducit ad illum. Sufficit nobis in hac vita Patrem videre per fidem, in cælo videbimus per speciem. Viam in cælum ducentem scire necesse est: quamobrem illam demonstrans Christus ait: (Ego sum via,) via est Dominus, quia ducit nos in cælum vt via. Ducit autem quatuor modis: primò meritis suis, secundò auxilijs, tertiò doctrina, quarto exemplo: (Trahe nos post te) (ait anima Christiana Cant. 1.) (curremus in odorẽ vnguẽtorum tuorum, &c.) Trahit nos Christus suo auxilio voluntarios, trahit meritis, & doctrina, trahit exemplorum. in odorem horum vnguento, currimus in cælum. Item Cant. 8. (Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suũ, &cæt. Ascendit per accliuem viam Christia-

Christus est via, in calũ quatuor modis ducens.

Cant. 1.

Cant. 8.

Christiana anima, affluens virtutum delicijs, sed super delictum innixa; si enim illius meritis, auxilijs, doctrina, exemploque non inniteretur, caderet, non ascenderet. Oseæ 11. [Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachijs meis, &c. Hebraicè, tirgalthi; hoc est, Ambulare feci super pedes, vt infantem Ephraim: Christus enim nutritio similis, in brachijs nos portat, suis auxilijs, & velut infantes docet nos, & facit ambulare in via virtutum. De hac via Iustinianus in fasciculo cap. 4 Christus (inquit) via est recta, carens anfractibus ab erroribus munda, & absque terrore vllo, in qua non discurrunt latrones, nec leonum perambulant catuli rugientes In hac, qui simpliciter graditur, confidenter ambulat, gratia illum præcedente diuina, comitante Deo, Angelo protegente subsequentibus meritis. Regia via est ducens vsque Ierusalem sanctam, &c.

Osea 11.

Christus nutriti similis

Iustinian.

Est via Dominus, est etiam viæ terminus: [Ego (inquit) sum veritas, & vita:] Est veritas illa summa, cuius visio beatos reddit homines: veritas est, omnes veritates continens, & omnes res veras, velut infinitum speculum representans: est preterea vita æterna nullo non bonorum genere referta. Veritas est per essentiā, quia essentiam habet verissimam, quæ desinere non potest, vnde illud: Ego sum, qui sum. Veritas est in verbis, quia fallere, aut mentiri nequit: veritas est in cogitationibus, quia falli non potest: veritas est in operibus, quia omnia illius opera vera sunt, & diuino consona intellectui. Verus est, & ipsa veritas. Viam se esse ait, falli non potest, aut fallere, quia veritas est: credamus ergo illi dicenti, se esse viam in cælum, credentesque viā ingrediamur. Quamuis mūdus, aut diabolus alias ostendat vias & amœnas, & voluptate plenas, fidem minimè adhibeamus mendacibus. Christus veritas est, illi credamus: vnica tantum in cælum via est, videlicet Christus: hac itur ad astra, reliquis itur ad Orcum: hac itur ad vitam æternam, alijs itur in mortem æternā [Ego (inquit) sum via, sum veritas: credite mihi nullam aliam esse viam, quæ in vitam æternam ferat homines, vitam æternā concupiscitis, ego sum vita æterna, per me iter facite ad me; per me viā, ad me vitam tendite. Si via laborem affert, non solum sum via, sed etiam vita, vt via sit facilis, vitam aspicite. Bernard. initio tract. de gradu humilitatis: Clamat (inquit) Christus errantibus, & viam ignorantibus, ego sum via; dubitantibus, & non credentibus, ego sum veritas: iam ascendentibus, sed lassescentibus, ego sum vita, &c. Diuus Leo verba de quibus agimus, sic explicat sermone 2. de resurrectione: Christus (inquit) via est conuersationis sanctæ, veritas doctrinæ diuinæ, & vita beatitudinis æternæ, &c. Diuus Bernardus sermone 2. de Ascensione, hoc modo interpretatur: Sequamur (inquit) te, per te, ad te. Quia tu es via, veritas, & vita: via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio, &c. initio autem tractatus de duodecim gradibus humilitatis: Viam, ait Bernardus, dicit Dominus humilitatem, quæ ducit ad veritatem, &c. Item: Cum dixisset Christus, ego sum via, & veritas, subdidit, & vita. Ac si diceret, ego sum via, quæ ad veritatem duco; ego sum veritas, quæ vitam promitto, ego sum vita, quam do, &c. Ait verò Bernardus humilitatem esse viam ad veritatem, quia humilibus veritas a Deo demonstratur, iuxta illud Lucæ decimo [Abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus] id est, superbis, Bernardo interprete, [& reuelasti ea paruulis] id est, humilibus, &c Veritas (inquit ille) quæ superbis absconditur, humilibus reuelatur, &c. Denique omnia nobis Christus est; est via, est viaticum, est viæ finis, vita videlicet, sempiterna, omnibus bonis affluens. Aduerte, eum qui per viam graditur, viam ipsam semper habere ante oculos. Via Christus est, semper ergo ante oculos est habendus, illius virtutes semper animo sunt voluendæ, illius dolores, cruciatus, gestaque om-

Christus est veritas.

Deus veritas est per essentiam.

Via Christus in celū.

D. Bernar.

D. Leo.

D. Bernar.

Christus est via humilitatis ad veritatem.

Luc. 10.

Si diligitis me, mandata mea seruate.

HActenus Christus de tertia sanctæ Trinitatis persona siluerat; hoc loco de illa iam verba facere incipit, cósolaturq; discipulos, dum alium illis paracletum, id est, consolatorem promittit, videlicet Spiritum sanctũ. [Si diligitis (inquit) me, ò discipuli, mandata mea seruate, & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis:] qui vos perpetuò consoletur. Diuus Chrysostomus, & Diuus Cyrillus, hæc verba; [Si diligitis me, mandata mea seruate:] cum superioribus connectunt in hunc modum; dixit supra, [Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, &c.] Nunc adijcit conditionẽ, faciam, si faciatis; faciam quod petieritis, si tamen dilexeritis me, & mandata mea seruaueritis. Addit Chrysostomus præterea, dicta hæc a Christo hoc sensu; Turbamini, quod dixerim me a vobis discedere, nõ est hæc turbatio amoris indicium, verum amoris indicium est, mandatorum obseruatio; si diligitis me mandata mea seruate. Veruntamen multo verisimilius est, verba hæc, cum sequentibus sensu copulanda, hoc pacto; si diligitis me, seruate mandata, & patrem rogabo, vt Spir. S. vobis largiatur. Sic Augustinus, Beda, & alij.

D. Chrys. D. Cirillus.

Amoris verum indicium est obseruatio mandatorum.

Quæstionem parit hæc copulatio, quam mouet Augus. vt Christus ametur, eiusq; mandata seruentur, opus est Spiritu sancto; ergo qui amat, & mandata seruat, Spiritum sanctum iã habet. Cur ergo Christus ait: [Si diligitis me, mandata mea seruate, & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis:] indicans dandũ

D. Augustini quæstio.

A Spiritum sanctum postquam Apostoli dilexerint, & mandata seruarint? Quomodo diligimus (ait Augustinus) vt Spiritum sanctum accipiamus, quẽ nisi habeamus, diligere non valemus? Aut quomodo mandata seruabimus, vt Spiritum sanctum accipiamus, quẽ nisi habeamus, mandata seruare non possumus, &c. Respondetur quæstioni, discipulos absque Spiritu sancto Deum diligere minimè potuisse, aut B mandata seruare, habuisseque Spiritum sanctum, cum hæc a Christo audiebant. At verò datus nondum erat diligentibus, & mandata seruantibus aspectabilis, signis linguarum ignearum in magna copia, quem in modũ in die Pentecostes datus est. Habebant (ait Augustinus) Spiritum sanctum discipuli, & non habebant, qui quantum habendus fuerat, nondum habebant: habebant minus, C dandus erat ei amplius, habebant occultè, accepturi fuerant manifestè, &c.

Sine Spiritu sancto diligere nõ possumus.

Responsio.

D. Aug.

Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.

COnsolatur discipulos, consolatorem alium sibi æqualem promittens; Spiritum sanctum. Discedo D discipuli, sed alium mihi æqualem vobis promitto paracletum: qui vos diuina semper consolatione afficiat, cælestibusque dilicijs reficiat. Loquitur autem maximè humilis Dominus humiliter, capite decimosexto, ait: [Mittam eum ad vos;] & loquitur secundum diuinitatem: hic secundum humanitatem loquens ait, E [Rogabo patrem.] Nam secundum humanitatem, patrem orauit sæpissimè Christus in terris vitam agens, in cælo etiam rogat, vt hic locus indicat, qua de re alibi dicemus. Chrysostomus rogat cur Christus dixerit, rogabo patrem, vt det vobis Spiritũ sanctum, & non dixerit, mittam vobis Spiritum sanctum. Respondet: Quoniam si dixisset mittam, non ita

Cur Christus nõ dixerit, ego mittam vobis Spiritũ sanctum. D. Chrys.

fidem adhibuissent discipuli,&c. eodem modo respondet Theophylact. Euthymius ait;non dixisse;[Mittam,] ne Dei aduersus videretur. Minimè placent rationes: siquidem in eodem sermone dixit infra capitu.16. [Mittam Spiritum sanctum ad vos, &cęt Rectius dicemus propterea dixisse: [rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis:] vt officio mediatoris, & Pontificis summi se functurum in cęlo ostenderet; Nam vt hominum mediator, & Pontifex summus, in Sancta Sanctorum, idest, in cęlum ingressus, Patrem orauit, vt Apostolis Spiritum sanctum daret. Forsitan noluit dicere: [Mittam eum ad vos,] quod erat diuinitatis, sed: [Ego rogabo Patrem,&c.]quod erat humanitatis; vt significaret Spiritus sancti singularibus humanitatis suę, cum diuino supposito coniunctę,meritis esse tribuendam.

Orauit in cælo Christ⁹ patrem, ut mitteret Spiritū san&ū.

Ex hoc loco constat Christum in cęlo existentem orasse Patrem, vt spiritum mitteret. Quomodo orauerit dubium est,orauitne in cęlo, sicut in terris orare solebat? an modo alio, videlicet, seipsum, & merita sua Patri exhibendo? Respondeo, orasse in cęlo sicut in terris orare solebat:non tamen ea submissione corporis,& genuflexione,qua in terris vsus est:nam status gloriosus hanc submissionem videtur excludere. Vnde Gregorius Nazianzenus orat. 36. Aduocatum (inquit) habemus Iesum, non vt nostra causa sese ad Patris pedes aduoluentem, seruilique modo abijcientem: procul sit ista seruilis suspicio, &c. Rupertus lib. 9. de Diuinis officijs cap.3. hæc verba [Ego rogabo Patrem:] de oratione interpretatur à Christo in terris habita, non in cęlo: sed verisimilius est, in cęlo etiam rogasse Patrem,vt Spiritum sanctum mitteret.

D.Gregor. Naz.

Rupert.

Paracletus hic, significat aduocatum.

Alium paracletum appellat Spiritum sanctum; alium quia alia est persona sanctæ Trinitatis. Paracleti autem nomen Grecum est, παράκλητος, significat hoc loco ex sententia Augustini, (Aduocatum;)eten im Christus aduocatus est noster, vt constat ex epistola 1. Ioannis capit.2. (Aduocatum, inquit,habemus apud Patrem Iesum Christum,&c.) Alius paraclitus,id est, Aduocatus, est Spiritus sanctus. At vero Spiritus sanctus non potest propriè dici aduocatus: quippe qui Deus sit, cui non cōgruit Aduocati nomen, & officium, nisi velis dici Aduocatum, quod nos ad orandum Deum impellat, iuxta illud Pauli ad Romanos 8. (Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus;)id est, postulare facit, & orare nos maximis cum gemitibus. Rectius dicemus paraclitum hoc loco significare consolatorem: hæc enim significatio, & tempori, quo Christus loquebatur, & Spiritui sancto, magis conuenit. Tempori quidem, quia indigebant Apostoli consolatore;Spiritui autem sancto, quia proprie consolator est. Eum optimum consolatorem Ecclesia in hymno appellat. (Veni lumen cordium, cōsolator optimè, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.) hunc optimum consolatorem, dulcem animæ hospitem,dulceque refrigium, discipulis pollicetur Dominus.

Nomē paraclitus significat & cōsolatorem. Rom.8.

(Alium,inquit,paraclitum, id est, consolatorē,dabit vobis,)aliū dixit, significans se quoq; esse paracletum, & consolatorem: paracletus enim dicitur Christus,epist.1 Ioa.c.2.)Aduocatum habemus apud Patrem Christum,&c. Græcè legitur, παράκλητον, paracletum habemus, id est,Aduocatum apud Patrem habemus Christū. Eo loco Aduocatum significat; hoc est, consolatorem. Est Christus paracletus, id est, aduocatus, & consolator; est etiam Spiritus sanctus paracletus,& consolator, vnde Act. 9. (Ecclesia,inquit Lucas,consolatione sancti Spiritus replebatur, &c.)Spiritui sancto consolatio tribuitur. significat verbum Græcū, παρακαλεῖν, consolari,exhortari,rogare,patrociniū alicuius suscipere: παράκλητος verò nomen,consolatorem,significat,[exhortatorem, precatorem, & aduocatum.

Christus, dicitur & paraclitus & consolator.

Act.9. Sp.S est consolator.

vt

Vt maneat vobiscum in æternum Spiritum veritatis.

Quomodo Spiritus sãctus dandus erat.

QVonam modo Spiritus sanctus sit dandus docet: Dabitur (inquit) vobis, non vt paruo aliquo temporis spatio, vobiscum maneat, vt hospes aliquot dierum, vel annorum sed vt maneat vobiscum in æternum: est enim immortalis Spiritus hic, & æternus. His verbis, vt Chrysostomus existimat, insinuat Christus Spiritum sanctum non passurum mortẽ, vt ipse Christus est passus, & non discessurũ a discipulis, sicut ipse Christus discessit, secundum humanitatẽ. quasi dicat; dabit vobis pater alium consolatorem, qui neque morietur, neque a vobis discedet, sicut ego moriturus sum, & a vobis discessurus: sed manebit vobiscum in æternum. Obijcitur S.S. non mansisse in æternũ cum Apostolis omnibus, siquidem Petrus post hæc verba, Spiritum sanctum amisit negando Christum. Respondetur verba hæc Christi intelligenda de missione Spiritus sancti, in die Pentecostes: post illam autem missionem, cum Apostolis omnibus Spiritus sanctus in æternum mansit, quoniam postea, mortifero crimine, nullus se inquinauit. Non deest, qui verba hæc sic explanet: dabit vobis Spiritum, vt maneat vobiscum in æternum, idest, per tempus huius vitæ, sed nõ est opus huiusmodi explanatione. In propria significatione verba accipienda sunt, siquidem nihil obstat. Dedit Deus Spiritum sanctum Apostolis, vt in vita, & post vitam, cum illis maneret in æternum, & omnibus quibus dat, in æternum dat, si illi domo non eiecerint. Potest horum verborum huiusmodi esse sensus, Alium paracletum dabit vobis, & Ecclesiæ, vt maneat vobiscum, id est, in Ecclesia in æternum, vsque ad sæculi finẽ. Simile illud est Matthæi 27. [Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, &c.] Appellat autem Dominus Spiritum sanctum spiritum veritatis, vt indicet venturum in discipulos vt doceat illos veritatem. iuxta illud quod infra capite 16. ait. Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, &c. Spiritus dicitur veritatis, id est, spiritus verax, quemadmodũ vir fortitudinis dicitur homo fortis, vsitato Hebraismo. Ait ergo Dominus hoc loco, Spiritum sanctum post missionem in die Pentecostes, in æternũ, cum discipulis permansurum, præterea paracletum esse, id est, consolatorem, eosque consolaturum, esse quoque spiritum veritatis, & omnem veritatem Apostolis traditurum. Euthymius spiritum veritatis ait appellari, id est, verum ac præcipuum, quantum ad alios spiritus, videlicet Angelos, & animas hominum. Neque placet hæc interpretatio, neque Theophylacti, qui arbitratur dici spiritum veritatis, id est, noui Testamenti non veteris. Nam vetus Testamentum figura erat, & vmbra, nouum est veritas, quæ vmbras, figurasque compleuit. Neque etiam placent aliæ, & illa Diui Cyrilli, interpretantis spiritum veritatis, spiritum filij, qui veritas est, iuxta illud Ioannis 14. [Ego (inquit) sum via, veritas, & vita,] vere loquuntur, sed probabilior, & accommodatior est interpretatio prima, qua spiritus veritatis, spiritus verax dicitur, siue spiritus docens veritatem.

D. Chrysos.

Spiritus sanctus post diẽ Pentecostes in æternum mansit cum Apostolis.
Obiectio.
Responsio.
A die Pentecostes nullus Apostolorum mortaliter.
Non est necessaria explicatio.

Matth. 27.

Spiritus veritatis cur dicatur Spiritus sãctus Ioan. 16.

Euthymius

Theophyl.

D. Cyrill.

Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum.

DOcet Dominus non omnes homines, Spiritum sanctum accipere, sed probos tantùm, scelerisque puros; quales erant Apostoli. Mundus (inquit) id est, mundi amatores, non Dei, homines flagitijs mancipati, spiritum hunc accipere nequeunt; quia neque vident eum, neque sciunt eum.

Obiectio.

Obijcies; eundem in modum probari posse, neque probos homines Spiritum sanctum posse accipere; quia

Responsio. quia probi homines, non vident spiritum oculis corporeis. Respondetur, Christum non loqui de corporea visione, sed de intellectuali, Spiritus enim sanctus corporeis oculis cerni nequit. Quem (inquit) spiritum flagitiosi homines accipere non possunt, quia non vident eum mentis oculis, neque cognoscunt eum.

D. August. Non enim (inquit Augustinus) habet inuisibiles oculos, mundana dilectio, per quos videri Spiritus sanctus potest; qui videri, nisi inuisibiliter non potest, &cæt. *Cognoscēdus esse Sp. S. vt recipiatur.* Antequam hospes domo excipiatur cognoscendus est, vt ita excipiatur, sicut dignitas illius postulat: eundem in modum, antequam Spiritus sanctus animo recipiatur, per fidem est agnoscendus, vt pro diuina dignitate recipiatur. Non reddit Dominus hoc loco causam plenam, cur Spiritum sanctum non possint homines accipere. Nō solum enim non possunt accipere, quia illum non cognoscunt; verum etiam, quia impij sunt. multi enim sunt, qui Spiritum sanctum cognoscunt per fidem, illum tamen non possunt in se habere, videlicet, quia sceleribus adhærent. Dicuntur autem huiusmodi homines Spiritum sanctum accipere non posse, quandiu fide, & Spiritus sancti cognitione carent, vel sceleribus adhærent.

Etsi fidē habeamus tamē nisi peccatū à nobis reijciamus Sp. S. non recipiemus. Nam si fidem comparent, & flagitijs nuntium remittant, poterunt illum accipere. Necessariam ergo docet Dominus esse Spiritus sancti cognitionem per fidem, vt in mentem illabatur; atque ideo homines impios, & fide carentes, illum accipere non posse, quod cognitione illius careant, quam fides affert. *Obiectio.* Obijcitur, Iudæos probos ante fidei promulgationem Spiritum sanctum accepisse, eum tamen onn cognouisse.

Respōsio. Respondetur, Iudæos probos fidem habuisse de Spiritu sancto, si non explicitam, saltem implicitam, vt Theologi vocant. Præterea respondetur, Christum loqui de acceptione Spiritus sancti tali, quali Apostoli illum exceperunt, nempe in linguis igneis cognitum per fidem, expectatum, ac desideratum. Nullus autem Iudæorum Spiritum sanctum eo modo ante Apostolos accepit.

Euthimij interpretatio. Euthymius verba hæc aliter exponit, in hanc sententiam: Ne arbitremini spiritum hunc consolatorem in carne venturum ad vos, quemadmodum ego veni, & corporeis oculis cernendum. Non potest mundus eum accipere sensibiliter: quia non videt eum corporaliter, cum corpore careat: neque cognoscit eum, quia illum non videt. Theophylactus sic: Non versabitur vobiscum Spiritus sanctus, sicut ego. Non enim potest eum mundus capere corporaliter. vobiscum habitabit, sed in ipsis animabus vestris spiritaliter. Præstantior est iam proposita explanatio.

Vos autem cognoscetis eum.

Opponit Apostolos mundo, idest, amatoribus mundi; mundus Spiritum sanctum non cognoscit: Apostoli verò cognouerunt: in mundo, id est, amatoribus mundi non manet, neque est: Spirit. Sanct. in Apostolis mansit, & fuit; [Vos, inquit, cognoscetis Spiritum sanctum, quia apud vos manebit,] & i animis vestris erit. habitabit in vobis, ideo cognoscetis eum; *Habitātes domus nostra cognoscimus* habitatores enim domus nostræ non possumus non cognoscere: cognouerunt autem Spiritum sanctum Apostoli per linguas igneas perque insolitos effectus, quos in ipsis habitans in die Pentecostes, & consequenti tempore operatus est, per donum linguarum, & alia dona, quæ illis impertiuit.

Non

Digitized by Google

Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos.

DIscedebat à discipulis, filijsque suis Dominus. Patre charissimo discedente, orphani remanere videbantur discipuli, ideo consolatur illos dicens: [Non relinquam vos orphanos;] non diu me patre carebitis; discedam à vobis, & cruci suffigar, sed resurgã, [& veniam ad vos] postquam resurrexero. Orphani filij dicuntur, quorum Pater è vita migrat; Christus è vita migrauit, cum est actus in crucem, & orphanos discipulos reliquit. Sed alijs patribus non erat similis. Alij enim patres è vita discedunt, in quam vsque ad Iudicij diem non redibunt ideoque filios orphanos penitus id est, patre carentes relinquunt. At Dominus è vita quidem discessit, tertia vero die in vitam redijt, venitque ad discipulos, filiosque suos vita fruens, & summa gloria: non igitur illos reliquit orphanos: habebant enim Patrem viuũ & summo honore, ac gloria preditũ; non ergo erant orphani. tribus tantũ diebus, quibus Pater Christus mortuus fuit, orphani fuere: postquã Pater reuixit iam non fuere orphani. [Non relinquam vos orphanos] (ait) quemadmodum patres orphanos solent filios suos relinquere: quia in sepulchro manent ad Iudicij vsque diem. tribus diebus tantum eritis orphani, post tres dies resurgam, & veniam ad vos rediuiuus: viuentemq; patrem habebitis, & orphani non eritis. Paulo ante filiolos appellauerat Christus discipulos capi. 13. [Filioli, inquit, adhuc modicum vobiscũ sum &c.] Præterea discipuli filij appellabantur, vnde filij Prophetarum, in sacris literis Prophetarum dicuntur discipuli, teste Chaldæo 4. Reg. 1. Denique filij erant Christi Apostoli per adoptionem, quoniam filij Dei erant; idcircò ait, non relinquam vos orphanos, quasi de filijs verba faciens. D. Cyrillus verba hęc de aduentu spiritali exponit, viros .n. iustos Deus orphanos non relinquit, sed ad eos spiritaliter venit. Christus (ait Cyrillus) postq̃ hinc abijt, inuisibilis est terrena sapientibus; visibilis autem sanctis. Diuinum enim, & intellectualẽ fulgorem; & cognitionẽ congruam, in animis eorum spiritus inserit, & oculos cordis mirum in modum illuminat. Hæc ille.

Quo orphani discipuli.

Simile. Orphani dicuntur filij quos pater moriens relinquit.

Discipuli dicuntur filij.

D. Cirill.

Adhuc modicum, & mundus me iam non videt.

POst resurrectionem, non est visus Christus alijs hominibus. visus tamẽ est discipulis; id significat his verbis: [Adhuc modicũ est, & mundus,] id est, impii homines, me iam non vident, id est, me iam non videbunt, vtitur enim præsentibus pro futuris. Modicum tempus intercerat vsque ad sepulturam: in illo modico tempore Christum vidit mundus, id est, impij homines Caiphas, Pilatus, satellites, qui eum vinculis obstrinxerunt, Pharisæi, & alij: in cruce enĩ omnib. se præbuit spectandum: post illud tẽpus modicum, non vidit mundus, neque videbit Christum vsque ad diem Iudicij. Viderunt soli discipuli, cum quibus quadraginta dierum spatio versatus est, vt ait Lucas Act. 1. [Præbuit, inquit, seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis, per dies 40. apparens eis, &c.] ideo adiungit, [Vos autem videtis me;] id est, videbitis me post hoc modicum: [Quia ego viuo, & vos viuetis, &c.] hoc est, quia ego viuam, quamuis sim mortem perpessurus, in vitam enim tertia die redibo; & vos viuetis, & incolumes eritis cum resurrexero, vt me videatis. Non enim resurrectionem meam diu differam; vobis viuentibus resurgam. Viuum ergo me, vos viui prosperaque fruentes valetudine, videbitis. Non relinquam vos orphanos: post resurrectionem ad vos veniam, & tunc non reliquis Iudæis, sed vobis apparebo.

Post passionẽ mũdus Christũ nõ vidit amplius, discipuli quidẽ viderunt & modicũ.

Act. 1.

Quia

Digitized by Google

D. Aug. [Quia viuo ego, & vos etiam viuitis. Diuus Augustinus, vsum esse ait Dominum tempore præsenti, viuo, propter celeritatem resurrectionis, quoniam mortis tépus breue fuit vix trium dierum, mox q; in vitam rediit; Præsentis (inquit) temporis verbum, scilicet viuo, posuit Christus propter significandã celeritatem resurrectionis, &c. Verbum sequens, viuetis, simili modo de resurrectione Apostolorum interpretatur hoc pacto, ego viuo, hoc est, ego mox resurgam, & vos viuetis, hoc est, in fine mundi resurgetis. Duas (ait Augustinus) resurrectiones, suam scilicet mox futuram & nostram in sæculi fine venturam, duobus verbis præsentis temporis, & futuri (videlicet, viuo, & viuetis) eleganter, breuiterque promisit, &c. Ait autem Dominus: [Quia ego viuo, & vos viuetis;] ex sententia Augustini, quoniam Christi vita, & resurrectio causa est vitæ nostræ, & resurrectionis. sed probabiliora visa sunt nobis, quæ suprà diximus. Verosimiliter Chrysostomus, verba Christi de vita vtraque intelligit [Viuo ego, & vos viuetis] non solùm in hoc sæculo, sed etiam in cælesti gloria, erit sensus; mundus me non videbit, vos autem videbitis me post resurrectioné, quia viuam ego in æternum a mortuis excitatus, & vos viuetis, cum ad vos rediero. Et quemadmodum ego post mortem rediuiuus viuo in æternum; sic vos post mortem vitæ restituti, in æternum viuetis.

D. Aug.

Resurrectio, & Christi vita, causa est nostra vita.

D. Cyrill. Diuus Cyrillus, & Augustinus tractatu 76. locum hunc de extremo tépore interpretantur in hanc sententiam; Adhuc modicum, & mundus me iam non videt, hoc est, adhuc modicum tempus est, ad Iudicij vsque diem, & finem sæculi; Nam vt est in Psalmo 89. Mille anni in conspectu Dei, tanquam dies hesterna est, quæ præterijt. Augustinus; Modicum (inquit) dixit Dominus, quia & id quod prolixum videtur hominibus, breuissimum est ante oculos Dei; de hoc quippe modico ait Ioannes 1. Ioann. 2. Nouissima hora est, &c. Et, mundus

Psal. 89.

Tempus breue est.

1. Ioan. 2.

A me iam non videt, hoc est, & impij me nó videbunt in gloria cælesti; vos autem videbitis me, & cęlesti perfruemini beatitudine. Quia ego viuo, & vos mecum viuetis, in sempiternum beatam agentes vitam.

Nobis propositus initio sensus magis placet, & rectè consideranti magis probabitur.

B *In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in patre meo, & vos in me, & ego in vobis.*

DIes pro tempore sumitur; In illo die, hoc est, in illo tempore, cognoscetis. Diuus Cyrillus, & Diuus Augustinus, de die cælestis gloriæ, verba hæc intellexerunt, in quo Apostoli manifestè cognoscunt Christũ esse in patre, &c. Nos quia de tépore, quod resurrectionem Christi consecutum est, superiora explanauimus; hæc etiam de eodem tempore cum Chrysostomo, & alijs explanamus. Cognouisse autem dicuntur Apostoli illo tempore, post resurrectionem Christi, & aduentum Spiritus sancti, Christũ esse in Patre, & reliqua, quia multò clarius, quàm anteà cognouerant, eadem cognouerunt. In illo (inquit) tempore post resurrectionem, & aduentum Spiritus sancti, cognoscetis id, de quo paulò ante egi cum dixi Philippo: Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est, &c. Cognoscetis, inquam, me esse in Patre: prætereà cognoscetis vos esse in me, & me esse in vobis.

D. Cyrillus D. Augus.

Dies pro tempore sumitur.

C D

E Quonam modo Christus sit in Patre, suprà est explicatum: nimirum, quia vna eademq; numero est Patris, filijque natura, siue essentia. Si enim essentia Filij, essentia est patris, non potest non esse in Patre Filius modo ineffabili. Inquirendum quomodo Apostoli in Christo fuerint, & Christus in Apostolis. Theophylactus ait Apostolos in Christo fuisse, sicut mébra sunt in capite, & Christum in Apostolis, sicut caput in membris.

Christus est in Patre, quia vna numero est patris & filij natura.

Quomodo fuerint Apostoli in Christo, & Christus in Apostolis.

Ali-

Aliter, ait Apostolos fuisse in Christo, ratione auxilij, tanquam custoditos in custodiente, & Christum fuisse in Apostolis, tanquam custodientem in custoditis. Similiter Euthymius; Vos (inquit) in me custoditi, & roborati, & ego in vobis custodiens, ac roborans vos, &c. Ex Chrysostomo hunc sensum mutuati sunt, sic enim habet Chrysostom⁹; In Apostolis Christus concordia, & auxilio, &c. Erant ergo in Christo Apostoli vt in domo refugij, & in turri munitissima; iuxta illud Psalmi 30. [Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, &c.] Ex sententia Haymonis, erant Apostoli in Christo per susceptionem fidei, & Sacramentorũ; erat Christus in Apostolis per dilectionem & obseruantiam mandatorum. Ex sententia Diui Cyrilli, erant Apostoli in Christo per susceptionem fidei, & Sacramentorũ; erat Christus in Apostolis per dilectionẽ & obseruantiam mãdatorum. Ex sententia Diui Cyrilli, erant Apostoli in Christo, & Christus in Apostolis per naturam humanam, quam Christus assumpsit, verba Christi sic exponit; Vos (inquit) in me, & ego in vobis, ea ratione, qua homo factus sum, & sic vos diuinæ feci naturæ participes cum spiritum meum habitare in vobis effecerim, &c. Diuus Ioannes in prima epistola c. 4. sic scribit, [Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, &cet.] Vnde colligitur Apostolos fuisse in Christo, & Christum in Apostolis per dilectionem, & charitatem, cap. 3. ait idem Apostolus: [Qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo, &c.] Item: [In hoc scimus quoniam manet in nobis de spiritu quem dedit nobis, &c.] & cap. 2. [Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est, & in hoc scimus quoniam in ipso sumus, &c.] Fuerunt ergo Apostoli in Christo, & Christus in illis, quia mandata seruabant, & quia Spiritum sanctum habebant. Omnes hi modi veri sunt; omnibus in Apostolis fuit Christus, & in Christo fuere Apostoli.

Theophyl. *Euthym.* *D. Chrysost.* *Psal. 30.* *Haymo.* *D. Cyril.* *1. Ioan. 4. & 3. & 2.*

Addo præterea ex Caietano Apostolos fuisse in Christo veluti membra in persona, Christum in Apostolis veluti personam in suis membris. Addo quoque Christum Deum fuisse in Apostolis, per essentiam, præsentiam, potentiam, & dilectionem, & Apostolos fuisse in Christo Deo, per conseruationem, quia in ipso viuimus, mouemur, & sumus, & per charitatem. Ijs adiungo, Christum fuisse in Apostolis, & Apostolos in Christo, per augustissimum Eucharistiæ Sacramentum. De hoc enim Sacramẽto ait Dominus Ioan 6. [Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo, &c.] Cur ergo ait Dominus: [In illo die cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis, &c.] Significat post resurrectionem & aduentum Spiritus sancti duo mysteria difficillima Apostolis declaranda esse, videlicet Trinitatis mysterium, atq; Eucharistiæ, ea enim nondum satis nouerant: Cognoscetis (inquit) discipuli me in Patre esse, atque adeò Trinitatis personas, & vnitatem: cognoscetis me in vobis, & vos in me esse, & manere per Eucharistiam, ipsumque admirabile Sacramentum vobis bene notum fiet. Adde, si placet, cæteros modos numeratos, quos etiam cognouerunt Apostoli.

Modus communis, quo Deus est in rebus omnibus. *Christus fuit in Apostolis per Sacramẽtum Eucharistia.* *Ioan. 6.*

CAPVT

Mandatorũ obseruatio magni est ponderis.
Ioan. 14.
D. Chrysost.

QVia magni ponderis A est mandatorũ obseruatio, iterum, atque iterum illam commendat Dominus, extremo vitæ tempore. Dixerat paulò antè: [Si diligitis me, mandata mea seruate,] B hoc loco iterum de eadem agit dicens: [Qui habet mandata mea, & seruat ea, &c.] & infrà: [Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, &c.] Item, [Qui non diligit me, sermones meos non seruat, &c.] Diuus Chrysostomus, & sectatores eius, putant, Dominum his verbis indicare discipulis non mæstitia, sed mandatorum obseruatione amorem ostendendum, quasi dicat; qui mandata C obseruat, is est, qui diligit me: mandatorum enim obseruatione amor ostenditur, non mæstitia. Verisimilius est, voluisse Dominum ostendere quanti sit momenti præcepta Dei exequi. Præterea voluisse demonstrare quanam in re amor Dei verus, & non fucatus cernatur, atque probetur, nimirum in mandatis exequẽdis. [Qui habet] (inquit Dominus) [mãdata mea, & seruat ea, ille est, qui di- D ligit me:] hoc est, Lydius lapis, quo amor Dei, veluti aurum exploratur, mandatorum est obseruatio: ille est, qui diligit me, qui mandata seruat, qui non seruat, non diligit. 1. Ioan. 5. [Hæc est (inquit) [charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, &c.] & cap. 2. [Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est, &c.] Diuus Augustinus, Opere (inquit) est demonstranda dilectio, ne E sit infructuosa nominis appellatio, &c. [Qui habet] (inquit) [mandata & seruat:] Non enim (ait Chrysostomus) satis est habere, nisi diligenter seruentur, &c. habere autem mandata, est mandata Dei cognoscere, & intelligere: sic enim mãdata Dei habentur: habentur, inquam, in cognitione, seruãtur in opere; habentur, & possidentur, velut thesaurus opulentissimus. Sed parum prodest thesaurus, si in arca tantum est, neque expenditur: eundem in modum parum prosunt mandata, si in cognitione vel intellectu tantum sunt, neque opere præstantur. Augustinus quid sit habere, & seruare mandata, explicat his verbis: Qui habet mandata in memoria, & seruat in vita; qui habet in sermonibus, & seruat in moribus: qui habet audiendo, & seruat faciendo: aut qui habet faciendo, & seruat perseuerando, &cet. Et Diuus Cyrillus: Habet (inquit) mandata, quicumque fidem suscepit, & tenaci memoria Euangelicorum præceptorum cognitionem retinet, seruat autem si secundum ea viuit, &c.

1. Ioan. 5.
D. August.
Probatur charitas mãdatorum obseruatione.
D. Chrysost.
D. August.
D. Cyrill.

Præmium proponitur seruantibus mandata, Christumque diligentibus: est autem præmium Dei amor, & manifestatio. [Qui] (inquit) (mandata seruat, diligit me, qui verò diligit me, à Patre meo diligetur, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.] Magnum præmium est diligi à Patre, & à Filio, & à Spiritu sancto. Nam amor Dei non est otiosus, sed beneficentissimus, si homo diligit, semper amor Dei est mutuus. Diligit homo hominem, sed aliquando nõ est amor mutuus, quia non diligit, is qui diligitur, imò fortè odio habet. At Deus semper eum amat, à quo amatur. [Qui] (inquit) [diligit me, ego diligam eum, &c.] Addit: [Et manifestabo ei meipsum:] quoniam amantis est dilecto seipsum manifestare. Thophylactus, & Cardinalis Toletus putant loqui Dominum de manifestatione post resurrectionem, hoc sensu; manifestabo ei meipsum rediuiuum, postquàm resurrexero, sed post resurrectionem solis discipulis se manifestauit: hic autem vniuersè loquitur de omnibus diligentibus, & verba ipsa ampliorem sensum exposcunt. Est secun-

Præmiũ proponitur seruãtibus mãdata.
Dei amor semper est mutuus.
Theophil. Tolet.
Sensus alius.

Digitized by Google

secundus sensus: [Manifestabo ei meipsum;] per diuinas illuminationes, & per maiorem in dies cognitionem. Tertius sensus præstat, qui est Augustini, & aliorum: [Manifestabo ei meipsum:] in æterna beatitudine. Tunc enim, qui mandata seruantes Deum diligunt, videbunt eum sicuti est manifestè. Est ergo præmium obseruationis mandatorum, amor Dei, & visio beatifica, gloriaque sempiterna.

Manifestatio Dei in cælo, præmiū est obseruationis mandatorum.

Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes.

CVm Dominum audisset Iudas Thaddæus (non ille Iscariotes, traditor, qui iam ex cœnaculo discesserat, & huic sermoni non intererat) rogauit: [Domine quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum & non mundo?] Rupertus his verbis interpretatur hanc Iudæ interrogationem; Domine quid factum est, &c. subauditur, si tu nondum nobis manifestatus es? si enim teipsum nobis, & non mūdo manifestaturus es; nam te quomodo nos vidimus, sic vidit mundus. Sic Rupertus. Sed nihil opus est subaudire quidquam: sic verò explicanda est interrogatio: Domine quid factum est, id est, quid accidit, quæ causa est, cur manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo: Dixerat Dominus suprà: [Adhuc modicum, & mundus me iam non videt, vos autem videtis me;] dixerat præterea;] Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum, &c.] Ex his rectè collegit, Christum se manifestaturum Apostolis, & non mundo, & rogauit huiusce rei causam. D. Chrysostomus arbitratur cum Christus dixit; [Manifestabo, & meipsum;] existimasse discipulos, Christum moriturum, & vt mortuum in somnijs, ita eum visuros. Et Theophylactus: Iudas (inquit) existimabat, quòd mortuus Dominus, spectrum se exhibiturus esset, &c. cum aiunt Christū cùm respondet: [Et ad eum veniemus, & māsionem apud eum faciemus, &c.] significare non in somnijs, vel sicut spectrum, sed eo modo se manifestaturum, quo se manifestat Pater. Non id videtur existimasse Iudas Thaddæus, quod putat Chrysostomus. Probabilis est sententia, eorum, qui putarunt apud Theophylactum, Iudam optasse non solos discipulos, sed totum etiam mundum vtilitatem, ex manifestatione Christi percipere; ideò rogasse, cur non mundo, sed solis discipulis se esset ostensurus. forsitan magistrum rogauit, cur non esset se manifestaturus mundo? quia credebat illum esse Messiam, & regem mundi: regem autem oportebat mundo manifestari, non paucis solum hominibus. Rogat ergo, Domine cum tu Messias sis, & mundi rex, regem autē toti regno oporteat manifestari, cur paucis tantum hominibus, id est, nobis, manifestandum te dicis, non autem toti mundo?

Rupertus.

De interrogatione Iudæ Thaddæi.

D. Chrysost.

Theophyl.

Probabilis sententia.

Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.

QValis futura sit summi regis Messiæ manifestatio, docet Dominus. Docet (inquam) non fore corporalem in hoc orbe terrarum, id est, oculorum corporis, sed animi, atque mentis spiritalem. Est quædam Dei manifestatio, (ait Augustinus) interior quam prorsus impij non nouerunt, &c. O Iuda (inquit Dominus) ego Messias sum, mundique rex totius, non vobis solum me sum manifestaturus, sed toti mundo; non autem manifestatione corporali, sed spiritali. Manifestatione quidem corporali, discipulis meis solum apparebo, post resurrectionem: sed spiritali, toti apparebo mundo, ijs, qui me dilexerint, & mandata mea seruauerint; hæc enim est Messiæ manifestatio in orbe terrarum. In cælo per speciē manifestatur, in terra per fidem, & charitatem. Si quis diligit me vbicumque

D. August.

Manifestatio Messiæ qua.

cumque gentium fuerit, in toto mundo, is sermonem meum, doctrinam meam, & mandata mea seruabit, & Pater meus diliget eum, & manifestabimus nos illi, manifestatione quadã spiritali. [Nam ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.] Nonne qui mãsionem apud aliquem facit, ei se manifestat? sed qualis mansio est, talis est manifestatio: spiritalis est mansio, spiritalis quoque manifestatio, neque aperta, sed obscura, non per speciem, sed per fidem, & amorem. Hi autem, qui me non diligunt, sermones meos, & præcepta mea non seruant; quamobrem hac manifestatione, & mansione carebunt. [Sermones] (inquit) [meos non seruant,] qui Dei sermones sunt magna digni obseruatione: nam doctrina, & [sermo, quem audistis, non est meus,] sed Patris in me manẽtis; similiter, & præcepta; etenim natura mea diuina, natura Patris est. Et quemadmodum Patris est natura, sic etiã sermo, & pręcepta non sunt mea, ita vt ab aliqua natura diuina à natura Patris diuersa emanent, sed sunt Patris, quoniam à Patris natura, quæ eadem mea est, emanant, & Dei sermones sunt summa cura custodiẽdi. sic Ioan. 7. ait: [Mea doctrina nõ est mea, sed eius qui misit me, &c.] Græcè, ὁ λόγος ὃν ἀκούετε, id est, [sermo quem audistis.] Interpres vertit, [sermonem quem audistis;] sic Maro libro 1. [vrbem] (dixit) quam statuo vestra est,] & Comicus in Prologo Andriæ: [Populo vt placerent, quas fecisset fabulas, &c.] similiter 1. Ioa. 2. [Vnctionem quã accepistis ab eo, maneat in vobis,] & Psalm. 117. [Lapidem quem reprobauerũt ædificantes, hic fact⁹ est in caput anguli, &c.] Ita Dominus respondit Iudæ Thaddæo, & dum illi respondet, cœptum sermonem de conseruatione mandatorum nõ intermittit. Dicebat enim; [Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum, &c.] Nunc eadem ferè repetit; [si quis] (inquit) [diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eũ, & ad eum veniemus, & mansionẽ apud eũ faciemus, &c.] Idem ferè significant hæc verba, & superiora; nisi quòd in his loquitur de mansione, & manifestatione in terra; in illis cum ait, [Manifestabo ei meipsum;] loquitur de manifestatione in cælo: non erit tamen absurdũ, de manifestatione, quæ in terra fit, eadem verba intelligere. Itaque de mandatorum, & diuini sermonis obseruatione sermo est continuatus.

Ioan. 7. *Ioan. 1.* *Qui Christũ diligit, diligitur à Patre æterno.*

Simplicius dici potest, Dominũ respondere quæstioni à Thaddæo propositæ hoc pacto: rogauit ille, cur nobis Domine, & non mundo te es manifestaturus? Respondet Dominus, & causam reddit, quare Apostolis se sit manifestaturus, & non mundo, id est, impijs: videlicet, quia manifestat se, & mansionem facit cum Patre, in cordibus eorum, qui mandata seruant, & charitate præditi sunt, quales Apostoli erãt; in illis verò minimè mansionem facit, qui mandata non seruant, quales mundi dilectores sunt, non Dei. Diuus Cyrillus existimat Iudam Thaddæũ, non rectè verba Christi intellexisse, quamobrem Dominum id quod dixerat repetiuisse: Cum (inquit) videret Christus verba sua, non rectè à discipulo intellecta, repetit rursus, qđ dixit, &c. Theophylactus quorundã refert sententiam, aientium Iudam rogasse Dominum, cur mundo se non esset manifestaturus, quia cupiebat non solos discipulos, sed etiam totum mundum vtilitatẽ ex manifestatione Christi capere. iuxta hanc sententiam, ostendit Dominus, eos qui mandata seruarint, vtilitatem percepturos, reliquos condemnandos.

Alius sensus. *D. Cyrill.* *Theophyl.*

Quæres, cur Dominus non meminerit Spiritus sancti, cum ait, [Pater diliget eum, & ad eum veniemus, & mãsionem apud eum faciemus, &c.] Respondeo Christum Spiritum quoque sanctum his in verbis intellexisse absque dubio; [Ad eum veniemus,] scilicet, Pater, ego, & Spiritus san-

Quæstio. *Responsio.*

sanctus: si verò nō dixit, Pater meus, & Spiritus sanctus diliget eum, neq; etiam dixit, Pater meus diliget, & ego diligā, seipsum in prioribus verbis prætermisit, & Spiritū sanctum; at in sequentibus tres personas Trinitatis intellexit: [Ad eū veniemus.] Vsus autem numero plurium, vt indicaret personarum numerum, sic dicitur Gen.1. [Faciamus hominem, &c.] Lege Augustinum lib.2. de Gen. ad lit. cap.39. & Basilium homilia 9. hexam.

Quæstio. Responsio. Quonā modo Deus veniat in hominem, & maneat in homine.

Rursus rogabis, Quonam modo Deus venit in hominem? Quonā modo mansionem facit in hominem? Respōdemus, si regem venire audimus, equo, vel curru vectum venire intelligimus; si audimus venire nauem, fluctus secando venire, mente concipimus; si audimus venire Aquilā, volando venire cogitamus: proque cuiusque rei modo, aduentus modū cogitatione effingimus. Cùm ergo audimus venire Deum, pro summi Regis dignitate infinita, aduentus hic est intelligendus. Non enim Deus mouetur non equo vehitur Rex hic, aut curru, auro gemmisque fulgenti, non nauigat, non volat. Quonam igitur venit modo, paucis dicam; Venit vt Deus: absque vllo motu venit, cum vel gratiam in homine operatur, vel illuminat, vel opem fert, vt aliquid in eo operatur, absq; vlla sui mutatione. Manet verò in omnibus hominibus, per præsentiam essentiam, & potentiam, sed in iustis multò altiori alio manet modo, videlicet, per gratiam, & amorem. De hac mansione hoc loco est sermo: [Ad eum veniemus,] absque vllo motu, in eo spiritaliter operabimur, illum illuminabimus, inflammabimus, & iuuabimus, & māsionem apud eum faciemus per gratiam; neque verò otiosi erimus, non est Deus otiosus vbi est, sed magna operatur. Diuus Fulgentius lib. 2. ad Transimundum: Non efficitur absens localiter Deus cum iustè relinquit impium: neque loco præsens efficitur, cum misericorditer visitat quem fecerit dignum, &c. Item: ve-

Deus sine motu ad nos venit.

niunt atque abeunt proprio, atque incomprehensibili modo, Pater & Filius, & Spiritus sanctus, neque tamen localiter, aut Pater, aut Filius mouetur, aut Spiritus sanctus Nouerunt sic venire atque abire, vt neque ad locum localiter veniant, neque de loco localiter discedant. hic aduentus Patris, & Filij, & Spiritui sancti, non mobilitatem, sed pietatem Dei venientis ostendit. Hæc D. Fulgentius Diuus Augustinus tract.76. Facit (inquit) Spiritus sanctus cū Patre, & Filio in sanctis mansionem, intus vtique tanquam in templo suo. Deus Trinitas Pater, Filius, & Spiritus sanctus, veniūt ad nos, dum venimus ad eos. Veniunt subueniendo, venimus obediendo; veniunt illuminando, venimus intuendo, veniunt implendo, venimus capiēdo, vt sit nobis eorum non externa visio, sed interna, & in nobis eorum non trāsitoria mansio, sed æterna, &c.

Paracletus autem spiritus, quem mittet Pater.

MVlta discipuli audiuerant à magistro cælesti, quæ iam vel obliti erant, vel non intellexerant. Vnde Petrus, [Domine] (inquit) [quò vadis?] Thomas: [Nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire.] Philippus; [Domine ostēde nobis Patrem, & sufficit nobis.] Consolatur illos affirmans Spiritū sanctum, omnia quæ non intellexerant, explanaturum, & quæ obliti erant, in memoriam reuocaturum. Addit præterea omnia docturum, quæ illos scire oportuerit. [Hæc] (inquit) [locutus sum vobis apud vos manens. Hæc (inquit) hac nocte dixi, vel potius, hæc hactenus his tribus annis apud vos manens, locutus sum; quasi dicat: hæc hactenus locutus sum vobis, vobiscū versans in corpore mortali, hic extremus sermo est. Alium vobis mittet Pater doctorem, alium paracletum, id est, exhortatorem, videlicet Spiritum sanctum: [is docebit

Doctor Apostolorū Spiritum sanctum.

bit vos omnia & suggeret vobis omnia quæcūque dixero vobis;] Græcè legitur nunc, quęcumque dixi vobis, ὑμῖν; [suggeret,] Græcè ὑπομνήσει, id est, [in memoriã reducet.] Duos sensus possunt hæc verba habere; prior est, Spiritus sanctus docebit vos omnia: [Omnia] (inquam) [quęcumque dixero vobis, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.] Hoc sensu significant hæc verba Spiritum sanctum docturũ Apostolos, ea quæ iam à Christo audierant, eademque suggesturum, & in memoriã reuocaturum. Posterior est probabilior; [docebit vos omnia:] nimirum quæ vos scire oportuerit: non enim Mathematicas scientias docuit Apostolos Spiritus sanctus, & similia, illorum munerimin imè necessaria. Sic infrà Ioa. 16. [Cùm venerit] (inquit) [ille spiritus veritatis, docebit vos omnẽ veritatem, &c.] Præterea suggeret vobis, & in memoriam reuocabit, ac explicabit, omnia quæcũque dixero vobis. Theophylactus: Spiritus (inquit) sanctus, & docuit, & suggessit; docuit quidem quæcũque non dixerat eis Christus, vtpote portare valentes nõ erant. Suggessit verò, quęcumque dixerat quidẽ Dominus, sed obscurius, vel quæ propter imbecillitatem rationis, memoria cõprehendere non valuerunt. Hæc ille.

Sensus probabilior.

An Apostolos docuerit Spirit⁹ sanctus sciẽtias Mathematicas.

Theophyl.

Nostra versio alium præ se fert sensum; [Spiritus sanctus vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quęcumque dixero vobis:] hoc est, hæc locutus sum vobis apud vos in corpore manens; postquam verò in cælum abiero, non desinam loqui vobiscum, per Spiritum enim sanctum omnia vobis suggeram. Spiritus sanctus docebit vos omnia, & suggeret omnia, quæcumque vobis deinceps dixero, id est, quęcũque loquar ad vos, per Spiritum sanctum loquar. Verisimilior est sensus antepositus, siquidem illud, [suggeret,] significat in memoriam reuocare iam audita. Verba autem illa; [quæcumque dixero;] significant quæcumque dixi, & dicturus sum. Non poterant ergo Aposto-

Præfertur prior sensus

A lità veritate aberrare, cum Spiritum sanctum docentem, ac suggerentem haberẽt. Dubium est, quonam modo dicatur missus Spiritus sanctus in nomine Christi? [Quem] (inquit) [mittet Pater in nomine meo:] D. Cyrill. in nomine Christi missum ait, id est, per Christũ, quia spiritus Christi est. Theophylactus, in nomine Christi, interpretatur in gloriã nominis Christi. Rectius Euthymius, in nomine B Christi Spiritum sanctum missum censet, hoc est, vice Christi. Nã quoniam Christus ad Patrem ascendit, discipulosque reliquit, in nomine illius, id est, vice illius missus est Spiritus sanctus: sic in nomine regis legatus mitti dicitur, hoc est, vice regis, regis enim vicibus fungitur. Est alia interpretatio apud Theophylactum; missum Spiritum sanctũ in nomine Christi, id est, cum nomine paracleti. Quia C enim Christus appellatur paracletus 1. Ioan. 2. vt diximus, & Spiritus sanctus dicitur paracletus, missus est in nomine Christi paracleti. Probabilitate caret. Adde, dici etiam missum Spiritum sanctum in nomine Christi, id est, per nomen, & merita Christi, quia illius aduentum Christus meruit. Ait ergo: [Quem Pater mittet in nomine meo,] id est, propter nomen meum, propter me, & merita D mea.

Quomodo dicatur Spiritus S. missus in nomine Christi.

D. Cyrill.

Theophyl.

Euthym.

Hæc explicatio, In nomine, id est, cũ nomine, reijcitur.

CAPVT VI.

De sermone Domini in cœnaculo.

E Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.

VLtimum vale dicit Dominus discipulis charissimis. Etenim Iudæi, tum accedentes, tum discedentes pacem amicis precabantur. Discedens Christus non precatur pacem, (quip-

S

corde amoris pleno illā donat. Theophylactus sic: Non est talis pax mea, qualis mundi, quæ sæpe in malo fit, & planè stulta est, &c. Euthymius: Mundana sapientes pace mutuo dant mali causa, ego verò pacem do vobis boni causa, &c. Potest aliter locus hic explicari, ita vt non sint verba hæc, vale dicentis, sed pacem commendantis, & velut legatum Apostolis relinquentis in hanc sententiā; [Pacem relinquo vobis,] velut legatum pretiosissimum pacem, mutuamque concordiam, & amorem do vobis, tanquam donum eximium, ac cęleste. Sic Diuus Cyprianus interpretatur lib. de vnitate Ecclesiæ, & Augustinus sermone 166. de tempore. Pacem (inquit) nobis Christus dedit, concordes, atque vnanimes esse prçcepit, hanc suis hæreditatem dedit, &c.

Theophyl.

Euthym.

Alius sensus.

D. August.

Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem.

VAle dixit Apostolis, pacemque extremam dedit discessurus ab illis: hunc verò suum discessum non mæstitia, aut timore, sed gaudio prosequendum esse ostendit. Discedo (inquit) à vobis discipulis, pacem, & vale vobis dico: non turbetur cor vestrum, neque formidet, quòd vos deseram. Audistis modò me dicentem; [Vado, & venio ad vos;] vado quidem, sed non vos deseram; ad vos reuertar, semperque vobis feram auxilium: non turbetur igitur cor vestrū mæstitia, aut formidine mali alicuius. Si vos perturbat, ꝙ dixerim me à vobis discessurū; consoletur vos, pellatque animo perturbationem, ꝙ dixerim me ad vos venturū, sanè si me diligeretis lætitia afficeremini, ꝙ ad Patrē proficiscor. Nā amicorum est, amici bono gaudere; cū ergo maximū mihi bonū sit, hic ad Patrē discessus, si amici essetis mei, gauderetis, ꝙ ad Patrē abeo. Videtur ex his verbis effici, Apostolos non dilexisse Christū; ait enim, [Si diligeretis me, gauderetis vtique, &c.] Negamus Apostolos non dilexisse Christū hoc tempore, quamuis doluerint, quòd discederet. Non enim Christus ait, si diligeretis me, nō doleretis vtique, sed ait: [gauderetis vtique:] subintellige, si sciretis quāta me expectat gloria; at Apostoli discedentē Dominum, quæ gloria expectaret ignorabāt, & imperfecti adhuc erant, ideò non gaudebāt. Obijcies. Quamuis Apostoli maximè diligerent, gaudere nō poterant: quia gloria, quę discessum Chisti sequebatur, illos latebat. Qūo ergo ait, [Si diligeretis me, gauderetis vtique.] Respondetur, subintelligenda nonnulla verba in hunc sensum; si diligeretis me, & quæ gloria meū discessum sequatur intelligeretis, gauderetis vtique. D. Bernar. lege serm. 20. Cant. Diligebant (ait) Apostoli, & non diligebant: diligebant dulciter, sed minus prudenter; diligebant carnaliter, sed nō rationabiliter. Dilectio eorū contra salutem eorum. Vnde aiebat. [Expedit vobis, vt ego vadam:] culpans consiliū, non affectū, &c. D. Cyrillus, iucundissimum, atque optatissimū est cum Christo semper versari, qui propter nos ad seruilem habitū descendit. sed non est Christo hoc commodū, sed illud potius gloriosum, vt ad dignitatem, potestatem, ac gloriam Deitatis apertè redeat, & à dextris Patris sedeat. Et certè argumentum amoris discipulorum fuisset, non dolere Christo abeunte, sed meminisse potius à Iudæorum turba ad Deitatis gloriam ipsum redire, atque ideò gaudere. Hæc Cyrillus.

Verus amor de amici bono gaudet.

Obiectio.

Responsio.

D. Bernar.

D. Cyril.

Quia Pater maior me est.

REddit Dominus causam cur ascēdat ad Patrē; [Vado ad Patrem, quia maior me est:] Si enim maior nō esset, ad eum non irem. Vado, inquā, ad Patrem secundum eam naturā, secundū quam maior me, id est, secundum naturam humanam, secundum quam minor illo sum. Vado ad illum, quia maior me est, quia me secūdum naturam humanam, potest summo in cæle-

Ratio cur Christus ad Patrem iret est quia est maior.

Digitized by

fidei nō initium significat, sed augmē-tum. Augustinus tractatu 76 Crediderunt (inquit) non fide noua, sed aucta aut certè cum mortuus Christus esset defecta, cum resurrexisset, refecta. Neque enim eum Dei filium non & ante credebant; sed cum in illo factum esset, quod ante prædixit, fides illa, quæ tunc quando illis loquebatur, fuit parua, & cum moreretur penè iam nulla, & reuixit, & creuit. Hæc Augustinus. Quæritur præterea cum fides non sit rerum earum, quæ fieri videntur, sed earum, quæ fieri non videntur, cur dicat Dominus [vt cum factū fuerit] vobis videntibus, credatis; etenim cum facta res est nobis cernentibus, iam non creditur, sed cernitur. Si fides (inquit Augustinus) est rerum, quæ creduntur, eademque fides earum rerum est, quæ non videntur, quid sibi vult quod Dominus ait: [Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt cū factum fuerit credatis?] Nonne potius dicendum fuit, & nunc dixi vobis priusquam fiat, vt credatis, quod cum factum fuerit videatis? &c. Respondetur, Apostolos vidisse quidem prædicta a Christo, atque adeo eorū fidem non habuisse, sed perspicuam cognitionem. Credidisse tamen ex illis, id quod non cernebant; videlicet Dominum esse Messiam, & Dei filiū. Viderunt enim Christum mortuum & resurgentem, viderunt in cælos ascendentem, viderunt Spiritus sancti aduentum; quæ omnia Dominus prænuntiauerat. Crediderunt verò ex his Christum verum Messiam esse, & Dei filium Deo æqualem, quod non videbant. Sic Thomæ Ioan. 20. ait Dominus; quia vidisti me Thoma credidisti; Aliud vidit (ait Augustinus) aliud credidit. Vidit enim hominem, credidit Deum, &c.

D. August. *Fides defecta, & refecta in Apostolis.* *Fides est argumentū rerum nō apparentium.* *Apost. Christum hominē videbant & tangebant, sed Deum, & Messiam verum credebant.* *Ioan. 20. August.*

Venit enim princeps mundi huius, et in me non habet quidquam.

HVnc extremum fore sermonem ait Dominus, quem cum discipulis sit habiturus, neque cum valdè longum. Iam (inquit) non multa loquar vobiscum: reddit rationem, venii enim princeps mundi huius, hoc est, diabolus iam mihi machinatur mortem, satellites Satanæ iam vincula parant, quibus me hac ipsa nocte comprehendant, non suppetit ad multa facienda verba tempus. Oppones, satellites veniebant, diabolus non veniebat.

Respondetur, satellites, Iudam, & sacerdotes, venisse ad capiendū Christum, a diabolo impulsos, ideoque dici, venire diabolum, quia ipsos inuisibiliter comitabatur Innocentiam præterea suam demonstrat Dominus vinculaque & mortem perpessurum se testatur, nullum ob scelus suum. Et in me (inquit) non habet quidquam: mundi princeps. Nihil autem in Christo Satanas habebat, quia nullo Christus peccato fuerat contaminatus. In eo Satanas aliquid habet, in quo peccatum habet; in eo nihil habet, qui peccato caret. Peccatum, & peccati origo (ait Cyrillus) diaboli sunt, Christus verò natura Deus, naturaque immutabilis, peccare non poterat, &c. ita etiam interpretatur Augustinus, Beda, & alij. Alio modo sic intelligi possunt hæc verba; [venit princeps & in me non habet quidquam] id est, nihil habet in me, quod possit tollere, in hominibus etiam impijs habet diabolus animam, quam rapit, ducitque ad inferos; in Christo nihil habuit, quod raperet, imo ille animas omnes rapuit, quæ apud inferos in limbo Patrum degebant.

Principem mundi appellat Dominus diabolum tum hoc loco, tum Io. 12. [Nunc (inquit) princeps huius mū di eijcietur foras, &c.] Ioan. 16. Princeps huius mundi iam iudicatus est, &c. & ad Ephes. 6. Mundi rectores tenebrarum harum vocat Paulus dæmones. Appellatur verò princeps mū di a Christo propter idololatriam. In idolis enim toto orbe colebatur, iuxta illud Psalmi 95. [omnes dij gentium dæmonia. Mundi igitur Princeps erat idola colentis. Præterea mundi prin-

In impijs diabolus aliquid hēt. D. Cyrill. *Prīceps mūdi cur dicatur diabolus. Ioan. 12. & 16. Ad Eph. 6.* *Psal. 95.*

princeps dicitur, id est, hominũ, propter quælibet peccata mortifera; habet enim in homines illos principatum, qui flagitijs sese mancipant, peccatique sunt serui, iuxta illud Domini Ioan. 8. [Qui facit peccatum seruus est peccati] 2. Timoth. 2. [A diabolo] (inquit) [captiui tenentur ad ipsius voluntatem, &c.] si consideremus genus humanum, absque Christo redemptore, post peccatum, omnes homines diaboli premebantur iugo, eratque ille princeps mundi totius. At verò Christus redemptor, iugum à ceruicibus hominum, sua cruce depulit, eosque à captiuitate dæmonis redemit. Qui in captiuitate est, ideo est, quia non vult liberari. Adulterinum vocat hũc diaboli principatum Cyrillus lib. 10. cap. 40. Adulterinum (inquit) diabolo principatus nomen est; non natura, sed errantium prauitate perdurans, &c.

Ioan. 8. *2. Timoth. 2.* *Adulterinus diaboli principat⁹. Cyrillus.*

Queritur quid significet, [mũdus,] cum dicitur diabolus princeps mundi? respondet D. Basilius in homilia, cui titulus est, quòd Deus non sit autor malorum, his verbis: Idcirco diabolus mundi princeps appellatur, quoniam circa terras est eius imperium, &c. videtur mundum pro ipsa fabrica mundi, & machina accipere, ita vt diabolus princeps dicatur mundi, quia in hoc mundo circa terras dominatur, sed tamen non dominatur ipsi machinæ mundi, sed impijs hominibus, qui in mundo habitant: quia impij illi sceptrum donãt, iuxta illud Iob 41. [Ipse est rex super omnes filios superbiæ, &c.] D. Augustinus metonymicè, continentem mundũ accipi putat, pro hominibus contentis: dicuntur mũdus homines mundi incolæ, & amatores, qui mũdum, & creaturas plusquam Deum diligunt. horum princeps est diabolus. Aliter, dicitur diabolus princeps mũdi huius, quia in hoc tantum mundo principatum siue Tyrannidem habet in altero non habebit. Sic principes mundi huius sunt iniqui principes. In hoc mundo, principatum habent, in altero torquentur.

Quid significet mundus. *Diabolus nõ dominatur huic vniuerso.* *Iob 41.*

Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem.

NIhil in Christo princeps habebat mundi huius; nulla in eo culpa erat morte luenda. Quamobrem occurrit huiusmodi tacitæ obiectioni; Domine si nulla in te culpa est, mortem cur es passurus? Respondet, mortis suæ causam esse Patris dilectionem, & mãdatum, paratissimumque ad subeundam mortem animum exhibet; [Vt cognoscat] (inquit) [mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatũ dedit mihi Pater, sic facio; surgite eamus hinc:] hoc est, nullam in me mortis causam habet diabolus; sed vt mundo mea erga Patrem dilectio, & obedientia patefiat, surgite eamus hinc, ad mortem properemus, in locum proficiscamur, in quẽ mundi princeps, & hostes vt me comprehendant, venturi sunt hac nocte; surgite ex mensa, in hortum Gethsemani discedamus. Promptissimum ad oppetendam mortem animum hæc verba ostendunt, obedientiã, & amorem erga Patrem toti mundo patefaciunt. Discumbebat Dominus cum discipulis, vt promptitudinem, fortitudinemque animi sui, & dilectionem erga Patrem, atque obedientiam demonstraret; [Surgite] (inquit) [eamus ad mortem;] Tunc surrexerunt omnes. Verba hæc, [Surgite eamus hinc:] cum superioribus coniungo, sic coniungere videtur Augus. lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 31. & tract. 79. & Psal. 137. & Hilarius lib. 9. de Trinitate, sensum enim non explicant. Sic etiam coniungunt Toletus, & Salmeron.

Causa mortis Christi. *Paratissimũ se ostendit Dominus ad subeundam mortẽ.* *D. August.* *D. Hilarius*

Alij à superioribus seiungunt, initiumque nouæ sententiæ esse volunt; [Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio.] Hoc loco sententiæ finem statuunt, deinde sequitur altera sententia, ab hac separata; [Surgite, eamus hinc.] Sic dispungit Tatianus in harmonia, Chrysostomus,

Duplex dispunctio.

mus, Theophylactus, Euthymius, & plerique alij: estq; aliquid subaudiendum hoc pacto: Non habeo peccatum, sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatũ dedit mihi Pater, sic facio; ideò mortẽ libenter oppetam, iam surgite discipuli, abeamus. Probabilis est hic sensus, & receptus. At sensus suprapositus videtur accommodatior. Primò, quia non est opus aliquid subintelligere, sed plena est in ipsis verbis sententia; secundò, quia Christus & si oppetiuit mortem, vt mundus cognosceret, quia diligebat Patrem, & obediebat Patri: magis eam oppetiuit, quia Patrem diligebat, & illi parere cupiebat, dixit; [Surgite, & eamus hinc.] vt cognosceret mundus ex verbis illis, & animo ad mortem paratissimo, ac promptissimo, quòd diligebat Patrem, illiusque mandato obtemperare cupiebat.

Sensus accommodatior.

Surgite, eamus hinc.

Chrysost.

EX sententia Chrysostomi, & sectatorum eius, Christus discipulos surgere præcepit, duxitque in locum alium, magis abditum, eo quòd timore correpti, quæ dicebat minus attento animo audiebant. Euthymius: Videns (inquit) discipulos admodum metuentes, & se iam comprehendi, & interfici imaginãtes, & propterea crebrò retrorsum se conuertendo, non satis ijs, quæ dicebantur, aduertere. Siquidem maximum illis angorem inducebat, tum locus publicus, tum nox, & præcipuè quòd dixisset, venit princeps mundi huius: trãsfert illos in locum alium tutiorem, quo existimantes in tuto esse, absque vllo metu audirẽt, &c. iuxta hanc opinionem sensus est horum verborũ, [Surgite eamus hinc,] in locum tutiorẽ, vbi attentius metu soluti, me attentè audiatis. Alijs placet Dominum præcepisse Apostolis, vt surgerent, & in hortum Gethsemani discederẽt, protinusque ex cœnaculo exijsse, & in via ea fecisse verba quæ continentur Ioannis capitulo 15. 16. & 17.

Euthym.

An totus hic sermo in cœnaculo sit habitus.

Verisimilius est totum sermonem in cœnaculo habitum. Non enim par est existimare in via, nocte intempesta tam nobilem sermonem esse peractum. Probatur, quia Ioãnes post absolutum sermonem cap. 18. subiũgit: [Hæc cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, &c.] Vnde egressus est? sane ex cœnaculo; non enim Ioannes alterius domus fecerat mentionem, vnde posset Christus cum discipulis egredi. Quo tempore egressus sit indicant illa verba, [Hæc cum dixisset;] hoc est, postquam hunc sermonem & orationem absoluit. Recessisse autem Dominum cum discipulis in locum tutiorem, quod vult Chrysostomus, non satis firmum videtur: si enim locus ille in eadem domo erat, non multò tutior esse poterat. Egressum autem non esse Dominum ex domo vbi cœnauit, Ioannes docet cum ait; [Hæc cũ dixisset egressus est, &c.] nimirum ex cœnaculo. Non ergo antequam sermoni finem imponeret, egressus est. Existimo Dominum, vt suprà dixi, paratissimum animum ad subeundam mortem, & cum principe mundi congrediẽdum his ostendisse verbis; Mũdi princeps venit, & in me nihil habet, sed surgite eamus hinc ad congrediendũ cum illo, eiusque satellitibus, vt cognoscat mundus dilectionem meam erga Patrem, & obedientiam. His dictis Christus alacri animo, ac prompto ad perferendam mortem ex discubitu surrexit, surrexere quoque discipuli, tum stans & velut iam discedẽs, quod reliquum erat sermonis absoluit. Posteà egressus est ex cœnaculo, trans torrentem Cedron. Itaque illa verba [Eamus hinc:] non significant Christum mox postquam ea protulit abijsse, sed surrexisse, seque ad discedendum accinxisse, & iam discedere incœpisse: sæpe enim dicimus, [Eamus hinc,] tamen non statim imus, sed aliquantulum immoramur.

Verior sententia.

Ioan. 18.

Chrysost.

Fortis Christi animus ad mortem pergentis.

Digitized by Google

Sicut dedit mandatum mihi Pater, sic facio.

DVbium est an Christus à Patre mandatum acceperit perpetiendi mortem? Diuus Chrysostomus inficiatur homilia 59. in Ioannem, in illa verba Christi Ioan. 10. [Hoc præceptum accepi à Patre,] sic scribit. Quemadmodum Christus dicendo: [Propterea me diligit Pater,] spontaneam indicauit voluntatē, & contrariam amouit suspicionē; ita in hoc loco præceptum à Patre se accepisse dicens, nihil aliud ostendit, quā idem Patri videri, quod ipse facit, &c. & infrà: Nihil aliud (inquit) hoc in loco præceptum signat, quàm cum Patre concordiam, &cet. Lege eundem Chrysostomum hom. 68. in Ioannem & 75. Item Theophylactus Ioan. 15. ad illa verba; [Sicut ego Patris mei præcepta seruaui &c.] Hoc (inquit) dixit Dominus attemperans se auditorum infirmitati. Non enim qui omnium est legislator, mandatis obnoxius, & sine mandatis paternis, viuere non potest suam vitam. hoc enim cogitare fuerit absurdissimum, &c. Idem hæc verba, [Sicut mandatū dedit mihi Pater sic facio;] sic exponit; Mandatum dedit: hoc est, voluit, dixit, approbauit, decreuit, &c. Præterea D. Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 8. Mandati Christo dati nomē ita interpretatur; Quod (inquit) dicitur mandatum; ne sermonē imperiosum, per vocalia organa prolatum, intelligamus filio velut obedienti præscribētem, quid facere debeat, sed iuxta sensum Deo dignum, intelligamus voluntatis trāditionem, instar formę cuiuspiam, in speculo relucentis à Patre in Filium, sine tempore demanantem, &c. Item: Christus ait, [Quemadmodum mandatum dedit mihi Pater, sic facio;] non quòd caruerit libero proposito, neque quòd ex signis ab imperante datis, occasionem expectarit; sed vt declararet suam mentē, per naturæ vnitatem, & indiuiduum consensum cum Patre coniunctam esse. Sic Diuus Basilius. Clemens Alexandrinus lib. 4. stromatum, negare etiam videtur huiusmodi præceptū; siquidem ait, Christū cruciatus, mortemque tolerasse, non volente, sed permittente Patre. Neque enim (inquit ille) Dominus passus est voluntate Patris, sed nihil fit sine voluntate Domini: restat itaque vt dicamus, ea quæ sunt huiusmodi euenire Deo non prohibente, &c.

An Christ⁹ mandatum acceperit à Patre mortem subeundi.

Theophyl.

D. Basilius.

Clemens Alexandri.

Respondemus, Christum mandatum accepisse à Patre, crucis mortem subeundi. Probatur ex hoc Ioannis loco; [Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio,] & Ioan. 10. [Hoc] (inquit) [mandatum accepi à Patre meo; [scilicet vt animam meam ponam pro ouibus ad Philip. 2. [Factus obediens (ait Paulus) [vsque ad mortem, mortem autem crucis, &c.] Scripturæ autem verba, si fieri potest, in propria significatione retinēda sunt ergo mandatum propriè sumendum est pro præcepto imposito Christo, secundum humanam naturam. Nihil enim est, quod obstet. Quæ sententia vera, & recepta est. Quod verò ait Clemens Christū passum non volente Deo, sed permittente, intelligendum est de peccatis occisorum: non enim volente, sed permittente Deo, illa peccata perpetrata sunt; at mors à Christo non solum Deo volēte, sed etiā iubente tolerata est, quod etiam in martyribus euenit. Permittit quidem Deus tyrannorum peccata; imperat autem martyribus, vt mortem fortiter ferant. Neque solum mandatū Christus accepit, mortem perferendi, sed etiam multa alia faciendi. Multa enim Christum mandata à Patre accepisse; confirmant hæc illius verba Ioan. 12. [Qui misit me Pater, ipse mandatum mihi dedit, quid dicam, & quid loquar, &c.] & illa Ioa. 14. [Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea; sicut & ego pcepta Patris mei seruaui, & maneo in eius dilectione, &c.] Itē Deut. 18. [Ponā verba mea] (ait Deus) [in ore eius, & loquetur, qui pcepero ei, &c.

Respōdetur quæstioni.

Christus recepit mādatum moriendi.

Philipp. 2.

Martyrib. imperat Deus vt mortē fortiter ferant.

Ioan. 14.

Deut. 18.

Accepit

Accepit igitur Christus pcepta multa a patre nempe ea faciendi, quæ ad salutem hominum, Deique gloriam pertinebãt; tota enim Christi vita ꝑpetua quædam fuit obedientia. Ex obedientia non solum operabatur, sed etiam loquebatur. [Pater (inquit) mãdatũ mihi dedit quid dicam, & quid loquar, &c.] Vnde Paulus ad Philip. 2. ait Christum factum obedientem per totam vitam vsque ad morté crucis. Factus (inquit) obediens mandatis patris vsque ad mortem; hoc est toto vitæ tempore vsque ad crucem. Hæc autem mandata Christo imposita sunt secũdum humanam naturam, secundum quam minor est Patre, habetque voluntatem humanam patri subiectam imò & sibi, & Spiritui sancto, itaque secundum humanam naturam mandata Christus accepit a Patre, a Verbo, a Spiritu sancto; sed de Patre tantum loquitur, quia Trinitatis mysterium nondum erat manifestatum. Petes cur pater tot mandata Christo dederit? Respondetur voluisse totam Christi vitam, vt diximus, perpetuam quandam esse obedientiã exemplumque tantum, tantæ virtutis hominibus præberi. Præterea, quia Adami inobedientia homines perdidit, eosdem homines per Christi summam omnibus in rebus obedientiam seruare statuit, iuxta illud Pauli ad Romanos 5. [Sicut per inobedientiã vnius hominis, peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi, &c.] Inobedientia quidem Adami, in vna re, nempe in cibo vetito edendo, versata est; at obedientia Christi in omnibus totius vitæ rebus splenduit. Ad de voluisse Deum hominibus ostendere, quam debeant Deo esse subiecti; siquidem Christum hominem, qui simul, & Deus erat, tot mandatis subiectum esse voluit secundum humanam naturam. Nec poterat peccare Christus, nec a voluntate patris discrepare, sed tamen hanc voluntatem quæ a bono ne latum quidem vnguẽ recedere poterat, voluit Deus multis præceptis esse subiectam, vt intelligerent homines, humanas omnes voluntates Dei præceptis summo conatu debere subijci. Rogabit aliquis, an Christus legis naturalis præcepto ad subeũdam mortem fuerit obstrictus? Respondetur Christum secũdum humanam voluntatem legi naturali fuisse subiectum. Cum ergo naturalis lex præcipiat vitam temporariam pro salute hominum spiritali, morti offerre, efficitur Christum secundum humanam naturam mortem oppetere debuisse ex præcepto legis naturalis, vt humanum seruaret genus.

Christi vita perpetua q̃dam fuit obedientia.

Philip. 2.

Multa mãdata Pater dedit filio.

Rom. 5.

Exemplum obedientiæ, Christi.

An Christus præcepto legis naturalis fuerit obstrict° ad subeundam mortem.

A B C D E

CAPVT VII.

Morale.

Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me.

Signũ proponit ante oculos Dominus, ex quo dilectio Dei cognoscitur, mandatorum obseruationẽ. Qui (inquit) habet mãdata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me, &c.

Diligenti duo tribuit, alterum est habere mandata; alterum eadem seruare. Habenda sunt Dei mandata in corde, & in intellectu, ac memoria. Præceptorum Dei egregius obseruator Dauid, de quo legimus dictum a Deo Act. decimo tertio. [Inueni Dauid filium Iesse, verum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas, &c. Psalmo centesimo decimo octauo, quo in loco præcepta Dei habenda sint, his verbis docet. [In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi, &c.] hoc est, reposui in corde

Habenda Dei mandata in corde.

Act. 13.

Psal. 18.

meo

meo mandata tua, vt ad ea, veluti ad normam opera mea dirigerem, peccatumque sic effugerem. In arca testamenti auro vndique contecta, decem legis mandata tabulis lapideis inscripta olim asseruabãtur: similem in modum in corde, omni ex parte, auro amoris fulgente, Dei præcepta ita asseruanda sunt, vt nunquam inde ab hostibus auferantur. Inter hostes Iudæorum Philistæos versata est Arca septem mensibus. 1 Reg. 6. at verò lapideas tabulas, in quibus mandata Dei erant exarata, semper conseruauit: sic cor Deum diligens, etsi inter hostes Christi, vitæ huius tempore, versetur, semper Dei mandata retinet. Arca tabulas habens legis, Philistæos prostrauit, eorumque Idolum Dagon euertit: similiter cor Dei habens præcepta, dæmones profligat, omniaque mundi Idola diruit. Qui Deum diligit, mandata quoque diligit; qui Deum habet in corde, mandata quoque in eodem corde habet. Non enim potest in corde manere, Deus, in quo mandatorum dilectio, non simul manet. Audiamus Dauidẽ illo Psalmo iam indicato: Dilexi (inquit) mandata tua super aurum, & Topazion, &c. Valde diligunt homines diuitias: sed super diuitias omnes diligẽda sunt mandata Dei, & in corde habenda. Israelitis mandata tradidit Deus in lapidibus exarata, at Christianis, in cordibus illa scripsit Ier. 31. [Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, &c.] Psalm. 39. [In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam Deus meus valui, & legẽ tuam in medio cordis mei, &c.

Mandata Dei diligenda. *Ierem. 31.* *Psal. 39.*

Habenda quoque sunt in intellectu Dei præcepta, hoc est, meditanda sũt habenda in memoria, & ante animi oculos semper proponenda. Psalm. 118. [Adiuua me (ait Dauid) & saluus ero & meditabor in iustificationibus tuis semper, &c.] Item [In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, &c.] Meditabor in mandatis tuis, quę dilexi, &c. In toto corde scrutabor mandata tua, &c. Prouerb. 15. Mens iusti (ait Salomon) meditatur obediẽtiam, &c. Hæc verò mandatorum meditatio, ac memoria, intellectum illustrat, hominemque reddit verè prudentem; vnde vates regius eodem Ps. [Quomodo (inquit) dilexi legem tuã Domine: tota die meditatio mea est. super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est. super omnes docẽtes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. super senes intellexi, quia mandata tua exquisiui, &c. Item; A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis, &c. A mandatis, siue ex mandatis colligit iustus, meditando prudentiam, atque intelligentiam, intelligitque quid facere, quid fugere, quæ media ad finẽ eligere debeat. eodem Psalm. Consilium (inquit) meum iustificationes tuæ, &c. mandata Dei consiliarij erãt Dauidis prudentissimi, eumque reddebant prudentem. Deut. 6. [Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo: & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis, sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens: & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, & mouebuntur inter oculos tuos, scribesq; ea in limine, & ostijs domus tuæ, &c. Expende quæso, quam memores nos velit esse præceptorum Deus. Vult præcepta a patribus tradi filijs, omnes in eis meditari, tum domi, tum in itinere, tum noctu, tum interdiu: ligari quasi signum in manu, in limine, & ostijs domi scribi, denique ante oculos semper haberi. Numer. decimo quinto. Israelitis præcipit vt fimbrias per angulos palliorum faciant, ponentes in eis vittas hyacinthinas: [Quas (inquit) cum viderint recordentur omnium mandatorum Domini, &c. De viro beato legimus Ps. 1. In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte. Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructũ suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia quæcunq; faciet prosperabũtur. Beatus ille ẽ, q man-

Mandata Dei habenda in intellectu, & memoria. *Psal. 118.* *Prouer. 15.* *Mandata Dei hominĩ prudẽtiam afferunt.* *Deut. 6.* *Memoria mandatorũ Dei.* *Num. 15.* *Psal. 1.* *Meditatio mandatorũ Dei.*

mandata seruat: huius voluntas in le ge Dei, eiusque præceptis radices altissimas agit, intellectus eadem semper meditatur; fitq; arbori similis iuxta aquas consitæ. Nam quemadmodum arbor huiusmodi virorem, pulchritudinemque nunquam amittit, & fructum cultori fert iucundissimum: sic is, qui pręcepta diligit, meditatur, ac custodit, gratiæ virorem, pulchritudinemque semper seruat, & fructus operum bonorum Deo suauissimos producit.

Similitudo.

Non est satis mandata habere, necesse est ad opus progredi, eademq; seruare. [Qui habet, inquit, mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.] hac vna re amor Dei maximè ostenditur, si præcepta illius seruantur. Vnde Dominus Ioan. 15. [Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione,] &c. & Ioan. 14. [Vt cognoscat, ait, mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio, surgite eamus hinc, &c.] Item: [Si quis diligit me sermonem meum seruabit, &c.] Itẽ; [Qui non diligit me sermones meos non seruat, &c. Ioan. 15. addit: Vos amici mei estis si feceritis, quæ ego præcipio vobis, &c.] Amicorum est idem velle, & idem nolle: oportet igitur eos, qui Dei amici sunt, idem velle, quod Deus vult, idem nolle, quod Deus non vult: atque adeo eius mandata affirmantia seruare, quæ quid ille velit indicant, & negantia, quæ quid ille nolit, demonstrant. Non est solum in folijs, id est, verbis, posita Dei dilectio, sed maximè in fructib. id est, operibus cernitur, vnde illud Matth. 7. [Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnũ cælorum, sed qui facit voluntatẽ Patris mei,] &c. Et illud eodem capite; [Omnis arbor quæ non facit fructũ bonum excidetur, & in ignem mittetur, &c.] quamuis folijs sit arbor referta mittitur in ignem, ita Christianus, etsi verbis sit plenus, mittetur in Orcum. fructus quæritur maximè, non sola folia. Addit Dominus: [Ex fructib. eorum cognoscetis eos, &c. Ex operibus cognoscitur homo, sicut arbor ex fructu, ex mandatorũ diligenti obseruatione cognoscitur is, qui Deum diligit; ex negligentia verò, ac socordia in seruandis mandatis cognoscitur is, qui non diligit.

Obseruatio mandatorũ Dei.

Qui amat Deũ præcepta eius seruat.

Ioan. 15.

Ioan. 14.

Ioan. 15.

Amicorum est eadẽ voluntas.

Verba sunt sicut folia, opera sicut fructus.

Matth. 7.

Simile.

In mandatorum obseruatione, dilectionem suam erga Patrem Dei filius naturalis ostendit: in eadem suam dilectionem ostendere necesse est filios adoptiuos. Christi vita tota vt supra diximus, perpetua fuit obedientia mãdatorum, quæ acceperat à Patre; Christiani quoque vita sit perpetua obedientia præceptorũ, quæ à Deo illi sunt imposita. factus est obediens vsque ad mortem Christus: fiat obediens vsque ad mortem Christianus. O illum felicissimum, cuius tota vita obedientia est. ò illum infelicissimum cuius vita est inobedientia. Filius Belial absq; iugo, vt legitur Iud. 19. Vir autem inobediens, absque iugo est, quia iugum mandatorum Dei ceruicibus excutit. heu quam graue illum expectat iugum, qui leue Dei iugum excutit. Christianus creatura Dei est, & filius, si habet gratiam: creatura obedientiam debet creatori, seruus Domino, filius Patri. Christianus igitur multiplici de causa mandata seruare debet: tum quia creatoris mandata sunt, tum quia Domini, & Patris. A iudicijs tuis non declinaui, ait Hebræus Rex Psal. 118. [Quia tu legem posuisti mihi,] &cæt. quasi dicat, iudicia, siue præcepta tua seruaui, quia tu creator, mihi creaturæ, tu Dominus, mihi seruo, tu Pater, mihi filio, mandata dedisti.

Amorẽ Dei ostẽdit obedientia mãdatorũ Dei.

Inobediẽs est filius Belial, i. absq; iugo.

Psal. 118.

Ita autem seruare debet mandata Christianus, vt nullæ voluptates, nullæ diuitiæ, nullæ difficultates, ab illis illum possint diuellere. Vnde idem Rex eodem Psalmo: (Adhæsi, ait, testimonijs tuis Domine,) &c. Videlicet, adhæserat præceptis, ne posset auelli. Item; (Bonum mihi lex oris tui, super millia auri, & argenti; Dilexi mandata tua super aurum, & Topazion, &cæt.) Super aurum,

Nulla res à mandatis Dei nos diuellat.

ad gladium, arcum, atque balteum donat; sed spoliat se omnibus bonis, vsque ad quadrantem extremum, paupertatis, & castitatis, atque obedientiæ votis obstrictum, illi se totum tradit, operatur hæc magna amor.

Amor est operosus. Gen. 29.

Dilexit Rachelem Iacob, non fuit amor sine opere: septem pro illa annis Labano seruitutem præstitit, Genes. 29. [Seruiuit Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine, &c.] eodem pacto, qui diuinam Sapientiam, id est, Dei Filium amore complectitur, non sine opere amorem habet: non septem solum, sed omnibus vitæ suæ annis, Deo seruitam omnibus in laboribus præstat; & videntur illi pauci dies, præ amoris magnitudine. Non facit otiosum amorem Paulus 1. Corinth. 13. sed valde operosum: [Charitas, inquit, patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, &c.] Videsne quam operosa sit charitas, tum malis obsistendo, tum bona sectando? [Plenitudo legis,] ait idem Apostolus ad Romanos 13. [est dilectio:] Cur? quia qui dilectionem habet, legem seruat. Qui, (inquit eodem loco) [diligit proximũ legẽ impleuit, &c. Sap. 6. Dilectio custodia legum illius est, &c. Deuter. 33. In dextera eius ignea lex, &cæt.]

1. Cor. 13. Rom. 13. Sap. 6. Deut. 33. Ignis cũ lege cõiungitur.

Ignis cum lege coniungitur, quia cum igne amoris lex copulatur: hic ignis legem seruare facit, si in corde accenditur. Ignea lex est, ignea sunt Dei mandata, quia qui ignem amoris hẽt, mandata seruat, & qui mandata seruat igne amoris incẽsus est. Itaq; si quis diligit Deum, mandata eius custodit. Huc necesse est, vt amor perueniat: alioqui si mandatorum aliquod frangit homo, mortifero- que crimine est inquinatus, amore Dei caret.

Meta citra quam amor non est, mandatorũ est obseruatio: hanc tamen nititur amor transire, neque solum mandata, sed consilia etiam seruare conatur. Peruenerat adolescens ille Matth. 19. ad mandatorum metam. Hæc (inquit) omnia (scilicet mandata) (custodiui à iuuentute mea, &c.) Dominus vero amorem illius ad transiliendam metã, & ad seruanda consilia hortatur: sed, abijt tristis, vt ait Euangelista: non enim ardebat admodum amor in pectore. Ardens amor nullam sibi pręfigit metã, sed cum Apostolo clamat, [Omnia possum in eo, qui me confortat.] Quemadmodũ ignis, vt est in Prouer. cap. 30. sic ardens amor, [nunquam dicit: sufficit.] Amor operatur magna, ait Gregorius supra citatus. Magna operatur, neque vnquam magnis operibus satiatur. Erat olim in altari holocaustorum ignis perpetuus, qui sacrificijs nunquam explebatur: sic in corde Christiani, ardenter Deũ amantis, amor est perpetuus, qui sacrificijs operum nunquam saturatur. Bern. epistola 253. Nunquam vir iustus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit, satis est; sed semper esurit, sititque iustitiam, &c.

Matth. 19. Amor nõ solũ præcepta seruat, sed & cõsilia seruare conatur. Amor sine mensura & modo est.

Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

IN præmiũ eorũ, qui Deũ diligunt, eiusq; mandatis obsequuntur; ad eos venit Deus, & mansionẽ apud ipsos facit. Amor via est, quia venit. Excellentiorẽ viã vobis demõstro, ait Paulus 1. Cor. 13. i. charitatẽ. Via charitas est, qua & nos ad Deũ, & Deus ad nos venit: hãc si tollamus, neq; ad nos veniet Deus, neq; ad Deũ nos veniemus. Amor pręcursor Dei est, domũ parat, & ornat tãto regi. Oportet .n. illius habitationẽ, amoris auro fulgẽtissimo exornatã esse. Habuit olim typicã domũ, ĩ populo Hebręo, vide qualẽ 3. Reg 6. [Nihilq; erat in tẽplo, quod

Amor via ad Deum. 3. Reg. 6.

monem eius non seruabit, & veniet ad eum diabolus, & mansionē apud eum faciet: enimuerò in illos venit, mansionemque diabolus facit, qui Deum non diligunt, eiusque sermonem, & præcepta non seruant. Valde autem distat a mansione Dei, mansio diaboli; mansio Dei paradisus est, mansio diaboli est Tartarus; anima in qua Deus facit mansionem, paradisus est voluptatis; illa verò in qua diabolus habitat, Tartarus est, concupiscentiæ igne plenus. Mansionem faciens Deus in anima, paradisum hic illam facit terrestrem, posteà in cælo mansionem illi donat æternam, ac cælestem. Mansionem faciens diabolus in anima, Tartarum eandem facit apud superos; post hanc vitam, mansionem illi tribuit æternam, flagrantique igne ardentem apud inferos. O millies insanum hominem, qui mortifero se peccato contaminat, Deum ex anima pellit, diaboloque mansionem præbet.

In impijs diabolus facit mansionem.

Anima paradisus est, cum in ea Deus residet

Quemadmodum vt in corpus introeat anima, & in corpore permaneat, corporis quasdam dispositiones exposcit; ita vt in animam ingrediatur Deus, & in anima mansionem faciat, animi peculiares dispositiones flagitat, nimirum penitentiam, mandatorum obseruationem, & charitatem: si dispositiones absint, quas exposcit anima, abit ex corpore, morsque ingreditur eiusdem corporis; si dispositiones desint, quas flagitat Deus, discedit ex anima, morsque introit eiusdem animæ, & diabolus mortis autor. Magni momenti est eas habere dispositiones, quas Dei postulat mansio. Quamobrem, diligenter vnusquisque consideret, an diuina seruet mandata, diuinumque habeat amorem, has enim Deus præparationes in domo exposcit suā vt in ea faciat mansionem. Estne Dominus in nobis? an non? quærebant olim Israelitæ Exod. 17. Oportet etiam quærere vnumquemque Christianum; estne Deus in me? an non? estne in me fons totius boni Deus? an fons totius mali diabolus? estne in me Rex meus dilectissimus? an hostis crudelissimus? estne in me Dominus clementissimus? an tyrannus suauissimus? facitne in me mansionem Trinitas beatissima, eos in quibus habitat beatos reddēs? an Satanas truculentissimus, eos in quibus permanet, stygijs flammis incendens. Quod si non Dei, sed diaboli se domicilium esse cognouerit, totius pectoris conatu in hoc vnum incumbat, vt exturbetur immanis hostis, pareturque beatissimæ Trinitati domus, omnibusque peccati sordibus expurgata, & pœnitentiæ, diuinique amoris fulgentibus aulæis decorata. Sic implebuntur in eo Domini verba, [Si quis diligit me sermonē meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, &c.]

Simile. Mansio Dei in anima dispositiones postulat.

Exod. 17.

Salutaris meditatio.

CAPVT VIII.

Morale.

De sermone Domini in cœnaculo.

Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.

HActenus de Spiritus sancti aduentu tacuit Dominus. In hoc extremo sermone mittēdū affirmat, eiusque effectus aperit. Quandiu cū discipulis in carne permansit venturi Spiritus mentionem facere noluit, nunc cum vale illis dicit, mittendum ait in nomine suo, id est, vice sui. Oppor-

Tempus opportunũ promittẽdi spiritũ, & mittendi.

portunum tempus erat, promittendi A spiritum paracletum, id est, consolatorem, cum mæstos relinquens discipulos discedebat; opportunum autẽ tempus fuit, post passionem, & Ascẽsionem, cum fides Christi erat orbi promulganda. Chrysost. hom. 74. in Io. rogat, cur cùm Christus esset cum discipulis non venit Spiritus? Respondet; Quia nondum oblatum erat sacrificium (scilicet passionis) cum autem iam peccatum deletum esset, & B discipuli ad pericula mitterentur, & certaminibus se accingerent, hortatorem mitti oportuit, &c. Rogat præterea, cur non statim post resurrectionem missus est Spiritus sanctus? Respõdet; vt expectationis desiderio maiori gratia eum acciperent. Quousque enim cum discipulis Christus versatus est, non affligebantur; eo abeunte tanquam deserti formidantes maiorem in modum Spiritum sanctum accipere desiderabant, &c. 2. Machab. 1. [Vt tempus affuit, quo Sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, &c.] Eundẽ in modum, postquam affuit tempus, quo Christus Sol splendidissimus, qui prius fuerat in nubilo, refulsit: inflammatus est ignis magnus diuini Spiritus. Fuit autem Sol in nubilo passionis tempore, cum cruciatuum, dolorum, opprobriorumque nubibus est D circumtectus: refulsit cum in vitam rediit immortalem, cæloſq; petiuit; radiis deinde suis ex summo cælo ignẽ, hoc est, meritis suis, & precatione, Spiritum sanctum accendit. [Ego (inquit Io. 14) rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, &c.] Rogauit Christus patrem, postquam in cælum ascendit, Spiritumque sanctum discipulis impetrauit, tum prece, tum E meritis. Illo autem modo admirabili, ac conspicuo, quo Apostolis in die Pẽtecostes datus est Spiritus sanctus, dandus non fuit, cùm Christus in terra versabatur, sed post ascensum in cælum, vt ostenderet Christum in cælo esse, & d num inde mittere, quod fuerat pollicitus.

D. Chrisost.

2. Mach. 1.

Ioan. 14.

Facta autem fuit spiritus ex cælo missio; primò vt Christum in cælo ad patris dexteram sedere demõstraret; Secũdò vt ipsam sancti Spiritus personam notam hominibus faceret. Tertiò vt Ecclesiam Spiritus toto ex orbe congregaret, sanctificaret, ac regeret. Docuit Christus Iudæos solũ, mortuus est, resurrexit, in cælũ ascendit. Omnia verò vt anteà erant, sic permanebant; Iudæi in sua incredulitate, Ethnici in sua persistebant idololatria. Quid ergo? sicne mundus permanebit? quorsum igitur Filius Dei in mundũ venit si ab eo statu, in quo anteà erat, mutandus non est? Mutandus quidem erat mundus, ac renouandus ex veteri statu; at non a Christo in terris degente, sed ab eodem in cælis ad dexteram patris sedente; renouandus verò per Spiritus sancti missionem, iuxta illud Ps. 103. Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ, &c.] C Ille Ecclesiam ex toto congregauit orbe, hodieque congregare non desinit; ille congregatam sanctificat, ille numine suo regit. Post hyemem nebulosam, ver aduenit lætum, quo terra floribus vndique conuestitur, ex quibus dulcissimi colliguntur fructus; hyemi fuit simile tempus passionis, quod Christi sanguine terram irrigauit, secutũ est ver, id est, Spiritus sancti missio, quo irrigata Christi sanguine tellus suauissimos diuini amoris flores, operũque fructus protulit. Sancti autem spiritus effectum indicat nomen paraclitus: [paraclitus (inquit) quem mittet pater in nomine meo.] Significat nomen, vt supra diximus cõsolatorem. Hic enim est sancti Spiritus effectus, animum consolari, & diuina voluptate permulcere.

Psal. 103.

Nõ possumus absque labore Christum sequi via arcta gradientem. At laboris amaritudinem consolationis dulcedine Spiritus sanctus condit, quod D. Bern. in serm. 1. de dedicatione Ecclesiæ egregiè ostendit his verbis: Nec sine cruce (inquit) sequi Christũ & sine vnctione asperitatẽ crucis ferre quis posset; hinc est, quod multi fugiunt pœnitentiam crucem quidem viden-

Spiritus Sãctus est consolator noster.

D. Bernar.

Vnctio Spiritus S. mãna absconditum.

videntes; sed non etiam vnctionem. Vos qui experti estis, ecce scitis quia verè crux nostra iniuncta est, & per gratiam Spiritus adiuuantis, suauis, & delectabilis est pœnitentia nostra & vt ita dicam amaritudo nostra dulcissima. Hæc ille. Ignorat vulgus hominum Spiritus suauitatem, & manna iustorum; crucem videt, non vnctionem, vt ait Bernardus. Et Philo lib de congressu, quærendæ eruditionis gratia, in fine; Vulgus (inquit) gregarium putat eos malè saginari, qui pascuntur diuinis eloquijs. Nec mirum, quãdoquidem nullum vnquã gustum cepit alentis omnia Sapiẽtię. Proinde vulgo ignotum est, in quanta illi felicitate, atque hilaritate vitã agant, &c. Cõsolator est Spiritus animi, cuius consolatio redundat in ipsum corpus, Isai. 51. Cõsolabitur Dominus Sion; & consolabitur omnes ruinas eius: & ponet desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius, quasi hortum Domini. Gaudium & lætitia inuenietur in ea, &c.] Consolatur Spiritus sanctus paraclitus Siõ, id est, ad se toto conatu conuersam animam; consolatur ruinas eius, per pœnitentiam, quæ ruinas peccatorum reparat: ponit desertum eius, quasi delicias, & solitudinem eius, quasi hortum Domini, quoniam animam, quam peccatum in desertum, ac solitudinem redegerat in hortum delicijs plenum cõmutat; inuenitur que deinceps in ea gaudium, atque lætitia, & cælestis voluptas, postquam terrestrem repudiat delectationem.

Philo.

Vulgus ignorat quæ sit felicitas animæ quã consolatur Spiritus sãctus.

Isai. 51.

Anima fit Dei hortus per Spiritũ sanctum.

Intelligant voluptatis amatores, non perire voluptatem, si vitam in melius correxerint, & crucem Christi vnctam tulerint; sed mutari. Audiant Augustinum Psalmo. 74. Omni (inquit) homini conuerso ad Deum, mutatur delectatio, mutantur delicię.

Non auferuntur pœnitenti ad Deum conuerso delectationes, sed mutantur.

D. August.

Gen. 22.

Nõ enim subtrahuntur; sed mutãtur, &c. præcepit Abrahamo Dominus, vt filium Isaac immolaret, Genes. 22. attamen mutata immolatio est; non Isaac, sed aries est immolatus, & perij. Eundem in modum non perit Isaac, idest risus, & sancta delectatio hominis ad Deum conuersi (risum enim significat nomen Isaac) sed perit brutum animal aries; perit bruta, rationisque expers delectatio, moritur ac perit delectatio ventris, sed manet, viuitque delectatio mentis. De qua Augustinus sermone vigesimoseptimo, de verbis Domini: Maior (inquit) est refectio mentis, B quàm ventris, &c. libro decimo, confess capit. quadragesimo. Aliquando (inquit) intromittis me Domine in affectum multum inusitatum, introrsus ad nescio quam dulcedinem. quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit, &c. lege Bernardum in sermone de verbis Petri, [Ecce nos reliquimus omnia, &c.] prope finem: Securius (inquit) esto, non Isaac, sed aries morietur; non C peribit lætitia, sed contumacia, &c. Excipiamus igitur domo diuinum Spiritum, vt mansionem faciat apud nos. Si mansionem fecerit, dulcis est hospes animæ, (sic in Hymno vocatur Ecclesiastico) eijciet à nobis dulcis hospes dulcitudine sua, lethiferas mundi voluptates, salutaresque inducet.

Delectatio mentis maior quàm ventris.

D. August.

D. Bernar.

Spiritus sãctus est dulcis hospes.

Diuus Bernardus sermone vigesimo, in Cant. Sit (inquit) suauis, & D dulcis affectui tuo Dominus Iesus, contra male vtique dulces, vitæ carnalis illecebras: & vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodum clauum clauus expellit, &c. Audiamus Augustinum de seipso loquentem libro nono, Confessionum capitulo primo, atque hæc suo exemplo confirmantem: Quàm suaue (inquit) mihi subitò factum est carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eijciebas enim eas à me tu vera, & summa suauitas: eijciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, &c. Accipitres vt venentur, non saturant aucupes, sed carnis quandam prægustationem præbent. sic paraclitus homines non saturat voluptate, in hac vita, prælibationem

D. August.

tionem tantummodo quandam, & quasdam exhibet sorbitiunculas cælestis gaudij; in cælo autem satiat. Quam suauis sit hæc prælibatio docet Augustinus Psal. 74. his verbis: Omnes deliciæ nostræ in hac vita nondum sunt in re, sed ipsa spes tam certa est, vt omnibus huius sæculi delicijs præponenda sit, &cæt. Cant. 2. [Sub vmbra illius, quem desiderauceram, sedi.] (ait anima Christum diligens) [& fructus eius dulcis gutturi meo, &c.] Sedet in hac vita, diligens Christum anima sub vmbra dilecti, fructus eius magna cum voluptate carpit intellectu considerans, & prægustat voluntate amans. Hęc verò prægustatio tam suauis est, vt omnes alias mundi, carnisq; arbores fugiat, omnes illorum fructus amaros, mortiferosque reputet, atque respuat, sub huius vnius vmbra conquiescat. [Læua eius sub capite meo, canit eodem capite 2. [& dextera illius amplexacitur me, &c.] Læua enim Dei manu in hoc sæculo fulcitur, atque oblectatur; in cælesti verò patria, dextera illam complectetur, & omnibus bonis, æternisque voluptatibus satiabit.

Spes rerum diuinarum præferenda est fruitioni rerũ caducarum. Cant. 2.

Cant. 2.

Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, &c.

Est Spiritus sanctus paraclitus, i. consolator; est etiam paraclitus, id est, exhortator. Nam nomẽ παράκλητος, & consolatorẽ significat, & exhortatorẽ. Ille Apostolos docuit, dictaq; Christi illis suggessit: nos quoq; docet, exhortatur, recta suggerit, atque inspirat. Duo sunt necessaria homini, vt vitã consequatur æternã; primũ, intellectus lumen, quo diuina cognoscat: secundũ, voluntatis inflammatio, & ad Dei mandata peragenda magna propensio. Hæc duo Spiritus sanctus præstat: lumen donat intellectui, docetque Christianum iuxta illud Isai. 54 [Dabo omnes filios tuos doctos à domino; & Ioann. 6. Erunt omnes docibiles Dei:] Græcè διδακτοὶ τοῦ θεοῦ, id est, [docti Dei.]

Duo ad vitã æternam consequẽdã requisita.

Spiritus S. magister est internus animi. Isai. 54.

Diuus Leo sermone 1. de Pentecoste: Spiritus (inquit) sanctus est inspirator fidei, doctor scientiæ, &c. Docet autem nos Spiritus sanctus illuminãs intellectum intus, quamobrem à Diuo Gregorio homil. 30. in Euangelia magister interior appellatur. Magister est interior Spiritus sanctus, homines magistri sunt externi. valde necessarij sunt externi magistri, sed sine interno, clamare poterunt, conuertere ad Deum homines non poterunt. Diuus Gregorius homilia indicata: De Spiritu, inquit, sancto rectè promittitur, [docebit vos omnia;] quia nisi idem Spiritus cordi adsit audientis, ociosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit: quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat, &c. Debent ergo concionatores, antequam suggestum ascendant, ardentibus inuocare precibus internum doctorem vt auditores intus doceat Spiritus, quos extrinsecus docet homo. Eandem concionatoris vocem, omnes auditores auribus percipiunt, sed non omnes conuertuntur, sed ij tantum, quos Spiritus illuminat, atque docet. Ecce, inquit Gregorius eadẽ homilia, vnam loquentis vocem omnes pariter auditis: nec tamẽ pariter sensum auditæ voci percipitis. Cum ergo vox dispar non sit, cur in cordibus vestris dispar est vobis intelligentia, nisi quia per hoc quod vox loquentis communiter admonet, est magister interior, qui de vocis intelligentia quosdam specialiter docet, &cæt. Debent etiam concionatores hac ex re humilitatem colligere; siquidem nisi Spiritus adsit, illorum opera parum prodest, iuxta illud Pauli 1. Cor. 3. [Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, &c.] Plantat concionator, & rigat extrinsecus doctrina; Spiritus autem incrementum dat intrinsecus inspirans, docens, suggerens.

D. Leo. Spiritus S. est fidei inspirator.

D. Gregor.

Magister exterior nihil põt efficere sine interiori magistro qui est Sp. sanctus.

Concionatores Spi. S. maximè indigent. D. Greg. Simile.

Humilitatẽ amplecti. Concionatores debẽt. 1. Cor. 3.

Diuus Leo sermone 1. de Pentecost.

D. Leo.

cost. Per Spiritum, inquit, sanctum omnis Ecclesia Catholica sanctificatur, omnis anima rationalis imbuitur ipse est inspirator fidei, doctor scientiæ, fons dilectionis, signaculum castitatis, ipse totius est causa virtutis, &cæt. Ad hæc, voluntatem Spiritus sanctus permouet, atq; inflammat ad bonum. Legendus Augustinus lib. de spiritu & litera cap. 3. Dicimus, inquit, humanam voluntatem sic diuinitus adiuuari, ad faciendam iustitiam: vt præter quod creatus est homo cũ libero arbitrio voluntatis, præterq; doctrinam, qua ei præcipitur quemadmodum viuere debeat, accipiat Spiritum sanctum, quo fiat in animo eius delectatio, dilectioque summi illius, atque incõmutabilis boni, quod Deus est: vt hac sibi velut arrha data gratuiti muneris, inardescat inhærere creatori, atque inflammetur accedere ad participationem illius veri luminis, &c. Addit eodem capite: Neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via: & cum id quod agendum, & quo nitendum est, cœperit non latere, nisi etiam delectet, & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene viuitur. Vt autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. hæc Augustinus. Præter intellectum ergo illuminatũ, necessaria est voluntas inflammata ad bonum (vt ait Augustinus) quam delectet ipsa virtus; hanc verò delectationem voluntatisque inflammationem Spiritus sanctus affert. Est autem maximè necessaria hæc inflammata voluntatis propensio ad legem Dei obseruandum. Nam si desit, ipsa lex litera fit occidens, occidit enim lex hominem, à quo frangitur, quod delectatione spiritus, & ad mandata exequenda, prompta, atque alacri careat voluntate. Augustinus eodem lib. cap. 4. Doctrina, inquit, illa, qua mandatum accipimus continenter, rectèque viuendi, litera est occidens, nisi adsit viuificans spiritus, &c. Litera legis absque Spiritu sancto iuuante occidit: Spiritus verò sanctus hominem adiuuans viuificat, & præcepta vt seruet, efficit. Ezech. 36 [Spiritum meum (ait Dominus) ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini, &c.] Diuus Bernardus sermone 1. Pentecost. Ad faciendum, inquit, bonum in nobis Spiritus sanctus operatur. Monet memoriam, rationem docet, mouet voluntatem, &c. In hymno Ecclesiastico appellatur Spiritus sanctus, [spiritalis vnctio.] Vngit enim intellectum vnctione spiritali, & voluntatem, iuxta illud 1. Ioan. 2. [Sicut vnctio eius docet vos de omnibus, &c.] Gregorius homilia 30. in Euangel. Per vocem, inquit, non instruitur, quando mens per spiritum non vngitur, &c. illuminat intellectum hæc vnctio, & voluntatem, corque lapideum emollit, iuxta illud Ezechielis 36. [Auferã cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, &c.]

His adde, Spiritum paracletũ cordi nostro admirabilem aduersus animi hostes tribuere fortitudinem. à Diuo Cyrillo lib. 9. capit. 45. clypeus appellatur, quo munitus Christianus omnia hostium tela facilè repellit. Clypeus, inquit, infractus, nostris animis spiritus datur. Impossibile est quidquam boni à nobis peragi, nec perturbationes animi superari, nec acres diaboli laqueos euitari, nisi gratia Spiritus muniti, ipsum in nobis habeamus, &c. eodem loco ait Spiritum sanctum appellari scutum bonæ voluntatis, id est, beneuolentiæ, & amoris Dei, Psal. 5. illis verbis: [Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, &c. Bonæ voluntatis scutum (ait Cyrillus) appellat protegentem nos Spiritum, & sua virtute ineffabili, ad id nos conuertentem, atque in eo conseruantem, quod Deo penitus placet. Hæc ille. Denique Spiritus sanctus tum docendo, & suggerendo, tum voluntatem concitando, in portum cælestem nos deducit, iuxta illud Psalm. 142. [Spiritus tuus bonus deducet me in terrã re-

D. August. | Spir S. dilectionẽ efficit summi boni, & delectationem animi. | D. August. | Voluntatẽ inflammat Sp. S. | Si desit Spiritus lex occidit. | Ezech. 36. | D. Bernar. | Sp. S. vnctio | Ezech. 36. | D. Cyrill. Sp. S. clipeus est. | Spir. S. fortẽ reddit aĩm. | Psal. 5. | Spir. S. flatus in portũ nos ducit.

Psal. 142. Psal. 118. rectam, &c. & illud Psalmi 118. [Viã mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum, &c.] cum velum dilatatur flatu venti, percurrit mare nauis, & peruenit in portum: cũ cor dilatatur flatu Spiritus sancti, percurrit mandata animus, & in portum cælestis patriæ inuehitur. De Spiritu sancto plura dicimus ipso fauente, in fine huius tomi.

CAPVT IX.

De sermone Domini in cœnaculo.

Morale.

Pacem relinquo vobis.

Sp. S. pacem efficit. Diuus Cyrillus pacem Christus Spiritum sanctum appellari arbitratur. Verum quidẽ est Spiritum sanctum pacem dici posse, quia pacẽ efficit in ijs in quibus habitat, animi perturbationib. domitis, hominesq; Deo reconciliat. Vnde Paulus ad Galatas 5. [Fructus (inquit) Spiritus est charitas, gaudium, pax, &c.] & Diu. Gregorius 3. parte pastor. capit. 23. Sciant (inquit) discordes, quod quantislibet virtutibus polleant, spiritales fieri nullatenus possunt, si vniri per concordiam proximis negligunt, & c. 1. Cor. 3. [Cũ sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, &c. Non enim sunt spiritales, sed carnales ij à quibus Spiritus sancti fructus, i. pax, non producitur. Sed hoc loco nomen pacis, non pro Spiritu sancto, sed pro ipsa pace accepimus, quá Christus discipulis discedens relinquit. D. Cyprianus lib. de veritate

Galat. 5. *D. Greg.* *1. Cor. 3.* *Pax nobis à Christo relicta velut hæreditas.* *D. Cyp.*

A Ecclesiæ, pacem velut hæreditatẽ nobis à Christo relictam ait; Passioni (inquit) iam proximus Dominus dicit: Pacẽ dimitto vobis, pacẽ meã do vobis. Hanc nobis hæreditatem Christus dedit; si hæredes Christi sumus, in Christi pace maneamus, &c. Similiter D. Augustinus sermone 166. de tempore: Pacis (inquit) bonum, & vnitatis, quasi speciale munus discipulis Christus commendauit, dicens; B Pacem meam do vobis; hanc suis hæreditatem dedit, &c. Alij homines, ait Euthymius Ioannis 14. morientes pecunias, ac possessiones domesticis relinquunt: Christus vero pacem suis relinquit, cuius & res, & nomen dulce est, &c. Ergo velut hæreditatem pretij magni, à Domino nobis relictã pacem, mutuamque concordiam cõplectamur, atque colamus. Patris hæredes filij sunt; Christi Patris filij, hę C redes sunt pacifici, qui pacem velut hæreditatem complexi sunt. Matth. 5. [Beati, inquit, pacifici, quia filij Dei vocabuntur, &cæt.] Si filij Dei sumus (ait Diuus Cyprianus libro citato) pacifici esse debemus; pacificos oportet esse Dei filios, corde mites, sermone simplices, affectione concordes, fideliter sibi vnanimitatis nexibus cohærentes, &c. D. Leo sermone 6. de Natiuitate: pax est, quæ parit filios D Dei, nutrix dilectionis, & genitrix vnitatis, &c. Christus Salomon vocatur, id est, pacificus: pax regni Christi, pace adumbratur regni Salomonis 3. Reg. 4. regnum suum vult maximè esse pacificum. Christiani igitur, quibus ille imperat, pacifici sint, nullas in regno veri Salomonis, i. pacifici, lites, nulla iurgia, nullas perturbationes excitent.

D. Aug. *Euthym.* *Matth. 5.* *D. Cyp.* *Quales dẽnt esse filij Dei.* *D. Leo.*

Pacem vero dat Christus suis suã, non quo mũdus dat. Pax mundi, bella persecutiones, hostes excludit: pax Christi hæc nõ excludit, sed superat: E hostib. circũuallata, insidijs, persecutionib. viget, Io. 16. [Hęc, inquit, locutus sum vobis, vt ĩ me pacẽ habeatis; in mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum, &c.] In Christo habetur pax Christi; q̃uis in mun-

Pax Christi in ipsis viget persecutionibus. *Ioan. 16.*

Digitized by Google

mundo pressura habeatur: pacem seruabant Martyres carnificibus cincti, & tormentis: pacem seruant Virgines, & Confessores hostibus circũdati Tartareis, & tentationibus. Ad Philip. 4. [Pax Dei exuperat omnem sensũ:] ait Paulus; i. omnẽ intellectũ, omnes hostium machinationes, insidias, & tentationes. Sic hunc locum diximus explicari à nonnullis tom. 2. lib. 7. cap. 11. & quomodo explicandus sit, ostendimus, eo capite de pace fusius egimus. Lege Diuum Leonẽ sermone 6. de Natiuitate, quo verba hæc explicat; [Non quomodo mundus dat, ego do vobis:] Non habet (inquit) mundus amicitias veras; & multos facit peruerso amore cõcordes: sunt etiam in vitijs pares animi; & similitudo desideriorum, æqualitatem gignit affectuum, &c. Diuus Austinus tractat. 77. in Ioannem pacem quam Christus in se habuit, quæ omne exclusit peccatũ, & hoc sensu verba exponit; pacem relinquo vobis minimè plenam in hac vita. Pacem aũt meam, i. qua ego fruor, omne peccatum excludentem, do vobis, in cęlesti patria. Pax (inquit Augustinus) quam nobis relinquit in hoc sęculo, nostra est potius dicenda, quam Christi: illi quippe nihil repugnat in seipso, qui nullum habet omnino peccatũ. Nos autem talem pacem nunc habemus, in qua adhuc dicamus: [Dimitte nobis debita nostra.] Est nobis pax aliqua, sed non est plena. si tenemus in finem, qualem accepimus; qualem habet, habebimus, &c. Hic igitur pax nostra imperfecta est pugnis, prælijsque circumuallata; in cælo pax erit vndique pacatissima.

Philip. 4. *D. Leo.* *D. Aug.* *Nostra pax non est plena in hac vita*

Objicies, illud Domini Matthæi 10. [Nolite arbitrari, quia pacem veni mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium, &c.] quonam modo hęc consentiunt: [Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; &, Non veni pacem mittere, sed gladium? Respondemus, duplicem esse pacem, alterã malam mundi, qualis est latronum, ad latrocinia perpetranda, Ethnicorum ad idola colenda, & aliorum flagitiosorum hominum, ad scelera suscipienda: alteram bonam Christi. De bona pace apud Ioannem Dominus ait, [Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.

Obiectio. *Responsio. Duplex pax.*

De mala autem, vel periculosa siue perniciosa apud Matthæum; [Non veni pacem mittere in terram, sed gladium, veni enim separare hominem aduersus Patrem suum, & filiã aduersus matrem suam, &c.] Et apud Lucam 12. [Putatis quia pacem veni dare in terram? Non dico vobis, sed separationem. Erunt enim ex hoc quinque in domo vna diuisi: tres in duos; & duo in tres diuidentur, &c.] Pacem veram, ac sanctam, quæ virtutum est conciliatrix, dat Dominus, pacem falsam, ac impiam, quæ vitiorum effectrix est, & pacem periculosam siue perniciosam dissipat: qualis ea est, quæ inter Patrem cernitur colentem idola, & filiam, siue filium, vel vxorem: ea quoque, quæ in hæresi, in pellicatu, in furto, homicidio, cæterisque vitijs reperitur, quæ pax fouet impia. Sectanda pax bona fugienda pax mala, siue periculosa, ne vitia importet: vt enim ait Gregorius 3. p. pastor. cap. 23. Cum incautè malorum amicitijs iungimur, culpis ligamur, &c.

Luc. 12. *Discrimẽ inter pacẽ à Deo datã, & à mũdo.* *D. Gregor. Impiorũ amicitia fugienda.*

Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem.

Ostendit ex hoc loco Diuus Cyprianus in libro de Mortalitate, gaudendum potius, quam dolendum cum amici è vita discedunt, & celestem æternamque pacem consequuntur. Dixit, inquit, Dominus: [Si me dilexissetis, gauderetis, quoniam vado ad Patrem:] docens, & ostendens, cum chari, quos diligimus, de sæculo exeunt, gaudendum potius quam dolendum, &c. Idem confirmat verbis Pauli ad Philipp. 1. [Mihi mori lucrum, &c.] Lucrum maximum cõputans

Cũ amici è vita in celestẽ patriam discedunt, gaudendũ.

D. Cyp.

putans (ait Diuus Cyprianus) iam sæculi laqueis nō teneri, iam nullis peccatis, & vitijs carnis obnoxium fieri: exemptum pressuris angentibus, & venenatis diaboli faucibus liberatum, ad lætitiam salutis æternæ, Christo vocante proficisci. Hæc Cyprianus. Magnū lucrum consequuntur iusti, cum moriūtur; ideo magna morti illorum debetur lætitia, pręsertim Martyrum, & aliorum, quorum inclyta in orbe vita fuit. [Gauderetis vtique,] ait Christus, [quia vado ad Patrem:] ergo de ijs gaudendū est, qui vadunt ad Patrē, qui in cælū ascendunt, & intrant in gaudiū Domini sui; hoc enim est [gaudere cum gaudentibus.] Hanc ob rem Sanctorum cum gaudio mortem celebramus; quia cum mortui sunt ad Patrem iuerunt.

Mors sanctorum digna gaudio & celebratione.

Venit princeps huius mundi, & in me non habet quidquam.

O Illum felicem, qui sic debita soluit, vt veniens in morte mundi princeps, in eo non habeat quidquā. Debita habemus omnes: sed soluere illa possumus ex thesauris Domini, per pęnitentiam, charitatem, sanctaque opera. sunt igitur nonnulli, qui ita illa soluunt, vt nihil in eis diabolus in morte reperiat: hi statim ad Patrem vadunt. Sunt alij, qui non omnibus debitis se exoluerunt, sed vel culpis venialibus, vel pœna aliqua obstringuntur; hi non statim ad Patrem vadunt, igneque purgante instar auri excoquuntur. Sunt alij infelicissimi, quos culpæ mortiferæ debitum premit, hi Tartareis supplicijs mancipantur, inuenit enim princeps mundi in eis Tartaro dignum debitum. Legendus Diuus Gregorius homilia 39. in Euangelia: Curandum (inquit) nobis est, & cum magnis quotidie fletibus cogitandum, quam rabidus, quam terribilis, sua in nobis opera requirens, in die nostri exitus princeps huius mundi veniat; si etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quæsiuit, in quo suum inuenire nihil potuit. Quid itaque nos miseri dicturi, quid acturi sumus, qui innumera mala commisimus? Quid requirenti aduersario, & multa sua in nobis inuenienti dicemus? &cęt. Excutiamus ceruicibus principis huius Tartareū iugum, imperiumque durissimū Pharaonis huius, qui luteis nos operib. dirisque sceleribus vrget, ac premit. Ieremiæ 16. [Seruietis dijs alienis die, ac nocte, qui non dabunt vobis requiem, &c. in hæc verba Diuus Hieronymus sic scribit; Quidquid peccamus, quidquid die, ac nocte facimus, & malorū operum perpetramus, imperium est dæmonum: qui nunquam nobis dant requiem, sed semper impellunt delictis augere delicta, & cumulum facere peccatorum, &cæt. En tibi principis huius imperium, fuge illud, & execrare.

Debita soluenda, ne diabolus aliqd in nobis suū reperiat

D. Greg.

Ierem. 16.
Diaboli iugum graue.
D Hieron.

Surgite, eamus hinc.

VT in nobis huius mundi princeps nō habeat quidq̄ si cupimus, terrenis reb. ne adhæreamus; sic monet Diuus Ambrosius libro de bono mortis, capitu. quinto. Relinquam (inquit) omnia quæcunque terrena sunt; vt cum venerit aduersarius nihil in nobis inueniat suum, &c. [Surgite] (ait Dominus) [eamus hinc;] hoc est, ne in terreno iaceatis luto, surgite eamus in cælum in hunc sensum moralem interpretatur verba hæc Diuus Gregorius Nazianz. orat. 16. de pauperum amore; Hortatur (inquit) nos Saluator dicens; [Surgite eamus hinc;] nō eos tantum quos tunc discipulos habebat, ex illo duntaxat loco transferens, quemadmodum quispiam fortasse arbitretur: sed, & semper, & omnes discipulos suos à terra, rebusque terrenis ad cælos, & res cælestes pertraheus. Sic ille. Surgamus ergo mente ne terrenis adhæreamus rebus: eamus hinc, id est, ex mundo hoc laqueis pleno, eamus corde, & euolemus in cælū ne

D. Amb.

Mundus deserēdus ne aduersarius in nobis aliquid hēat.
D. Greg. Nazian.

Terrenis adhærere nō debent bōni.

Digitized by Google

ne princeps mundi in nobis habeat quidquam. Idipsum suadet idem Gregorius verbis illis Micheæ 2. [Appropinquate ad montes æternos; surge, & ambula, quia non est tibi hæc requies, &c.] Requiem quærimus, non est in mundo nostra requies; surgamus, eamus hinc. Diuus quoque Ambrosius eundem in modum exponit libro de bono mortis cap. 5. citato: Contendamus (inquit) ad illud æternum, ad illud diuinum euolemus pennis dilectionis, & remigio charitatis. [Surgamus hinc,] hoc est, de sæcularibus, atque mundanis. Dixit enim Dominus, [Surgite eamus hinc,] præcipiens vt vnusquisque surgat de terrenis, erigat animam humi iacentem ad superna attollat, excitet Aquilam suam, de qua dictum est Ps. 102. [Renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua. Anima ergo nostra sicut aquila alta petat, supra nubes volet, renouatis splẽdescat exuuijs, cælo volatus suos inferat, vbi laqueos incurrere non possit. Sic Ambrosius.

Mich. 2.

D. Ambr.

Anima sese attollens ad diuina renouatur, & nouas vires sumit.

Diuus Hieronymus Ezechielis ca. 11. in illa verba Ezechielis; [Ascendit gloria Domini de medio ciuitatis;] scilicet Ierusalem; de repudio Iudæorum interpretatur, quos Christus ob scelera deseruit, & ad gentes trãsiit, hæc quoque verba Domini in hãc sententiam profert; [Surgite eamus hinc,] id est, Iudæos relinquamus, iuxta illud Ieremiæ 5. [Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam, &c.] Quod dicit Ezechiel (ait Diuus Hieronymus) Ascendit gloria de medio ciuitatis: alijs verbis loquitur Dominus ad discipulos: [Surgite abeamus hinc] & ad Iudæos Lucæ 13. [Relinquetur vobis domus vestra deserta.] Iosephus quoque lib. 7. de bello cap. 12. refert auditam vocem in templo, Angelorum, & fortitudinem cælestium, quæ prius in vrbis præsidio erant; [Abeamus ex his sedibus.] Sic Hieronymus. Ne tamen intelligas his verbis: [Surgite eamus hinc;] significari tunc Iudæos derelictos, cum dicta sunt. Sed intellige significatum tunc esse repudium illud, quod post multos annos euenit. Prius enim Deus Babylonem curauit per Apostolos, & cum sanari nollet, obstinatam dereliquit.

D. Hieron.

Repudiũ sinagoga.

Luc. 13.

Ioseph. li. 7.

Sic Angelorum custodiã audita est, cum ab hostibus vrbs Hierusalem euertẽda fuit.

Ad hæc, verbis his: [Vt cognoscat mundus, quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio; surgite eamus hinc;] alacritatem summam ostendit Dominus, qua principi mundi diabolo obuiam procedit. Messiam Iudæi somniant, bella gerentem cum terrenis principibus: at verus Messias non cum terreno aliquo, sed cum Tartareo Principe bellum gessit, eumque superauit. Veniebat iam princeps hic ducem habebat Iudam, milites Romanos, atque Iudæos: procedebat iam in campum gigas Goliath; alacriter Christus ait; Surgite eamus hinc] occurrere volo principi mundi huius, gigantiq; stygio, crucis baculus mihi erit satis, ad profligandum immanem hostem. Eamus hinc, quæramus hostem, obuiam venienti procedamus. Disce ex duce tuo, ò Christiane miles, promptè, alacriterque contra stygium principem præliari.

Domini alacritas ad subeundã mortem.

Digitized by Google

CAPVT X.

De parabola vitis, & palmitum.

IOANNES CAPITE XV.

EGo ſum vitis vera: & Pater meus agricola eſt. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum: & omnem, qui fert fructum purgabit eum, vt fructum plus afferat. Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere. Si quis in me non manſerit: mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint: quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis. In hoc clarificatus eſt Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione. Hæc locutus ſum vobis, vt gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur.

SVrrexit Chriſtus, vt ex cœnaculo in hortũ diſcederet: Surgite, dicens, eamus hinc. Conſtitit tamen in eodem cęnaculo, vt ſupra dictum eſt: & ſtans hæc, & quæ ſequuntur vſque ad cap. 18. A Io. verba fecit, ſtãtibus diſcipulis, iã iã diſceſſurus in hortũ: In primis parabolã ꝓponit vitis, & palmitũ, qua diſcedẽs hortatur Apoſt. ne a fide, & dilectione diſcedãt, ſed ita magiſtro ſuo per fidẽ, ac amorẽ adhæreant, vt pal-

Parabola uitis, & palmitum, docentur Apoſtoli in fide, & dilectione.

palmites viti adhærent: sic enim fructum proferent vberrimum, alioqui excidêter, nullumque producent fructum.]Ego, inquit, sum vitis vera.] dubium est, cur dicatur Christus vitis vera. vitis enim vera illa dicitur, quæ propriè vitis est. Christus autẽ vitis est metaphoricè, quemadmodũ metaphoricè, agnus, petra, siue Leo est. Diuus Augustinus tract.80. ait, veram se vitem appellasse, vt se à vite illa impia & falsa discerneret, cui dicitur Ierem.2 [Quomodo conuersa es in amaritudinem vitis aliena, &c] at Euthymius: Dicitur (inquit) vitis vera, quia pro fructu profert veritatem, &c. Respondetur, sic dici hoc loco Christum vitem veram, quemadmodum dicitur semen vineæ verum, Ierem.2.[Plantaui te vineam electã, omne semen verum, &c.] Semen verum dicitur, i. germanũ, non fucatum, aut falsum. Ita Dominus appellatur vitis vera, id est, germana, & perfecta. vites falsæ, quæ palmites habent falsos, falsi sunt prophetæ, & falsi Messiæ, qui discipulos habent falsos, minimèque germanæ fidei. Christus vera & germana vitis, verus Propheta, verus Messias, veros palmites, id est, discipulos habet. Adde Christum quamuis metaphoricè dicatur vitis, dici tamen vitem veram, quia verè illi vitis congruunt proprietates; ego sum vitis vera; hoc est, vitis cui verè, & spiritaliter conueniunt ea, quæ in vite reperiuntur. Præterea dicitur Christus vitis vera, quia ipsa vitis vmbra est Christi, & figura, Christus vero veritas est huius vmbræ, atque figuræ: [Ego, inquit, sum vitis vera:] quasi dicat, ipsa vitis si mecũ conferatur, vmbra quædã est, ac affigies: ego sum vera vitis, vinũ admirabile ferens, palmites adhærentes habens, nutriens, fructuque complens. Placet etiam alia Euthymij interpretatio: qui veram vitem interpretatur, vitem eximiam: Ego, inquit Dominus, sum vitis vera, i. eximia, præcellens omnibus vitibus: vites si mecũ conferantur, vitis veræ nomine indignę sunt, falsæ quędam,

Cur Christus dicatur vitis vera. D. August.

& fucatæ, atque inanes sunt vites. Aliter: confert se Christus homo cũ Apostolis, & hominibus iustis, qui vites etiam sunt vineæ Dei: ait verò se esse veram vitem, quod fructum ex se ferat, & ex se palmites gignat; cum iusti homines fructũ non ex se, sed ex ipso Christo adiuuante producant, & ex ipso palmites proferant. [Ego, inquit, sum vitis vera;] inter homines quia ego solus, ex me palmites, i. credentes, vinumque admirabile profero, videlicet sanguinem, cuius pretio mundus redimendus est. Quæritur etiam cur Christus dicatur vitis? Respondeo ex ipsa parabola colligi dici vitem, quod credentes veluti palmites habeat, nutriat, fructu cõpleat. dicitur prętere a vitis, quod vinũ protulerit suauissimum, ac pretiosissimũ, videlicet sanguinem, quod mundi pretium fuit, & Euangelium. Euthym. Scipsum, inquit, vocat Christus vitem, vtpote præbentem dulcedinem, ac humani cordis lætitiã, ipsam videlicet prædicationem, &c. Adde vitẽ esse, quod palmites suos longissimè extenderit, iuxta illud Psalmi 80.[Extendit palmites suos vsq; ad mare, & vsque ad flumen propagines eius,] & cæt. Quæritur item, appelleturne Christus vitis secundum humanam naturam, an secundum diuinam? Respondetur dici vitem secundum humanam, vt docet D. Augustinus tracta.80. Vnius, inquit, naturæ sunt vitis, & palmites; propter quod Christus Deus, factus est homo, vt in illo esset vitis humana natura, cuius, & nos homines palmites esse possemus, &c.

Operatur in nobis cum nobis bonũ Deus.

Cur Christ' dicatur vitis.

Euthim.

Christus vitis dicitur secũdũ humanã naturã. D. August.

Et Pater meus agricola est.

SEruat parabolæ decorum; est vitis Christus, est etiã agricola. Vnde Augustinus tract.80. Secundum hoc (inquit) vitis est Christus, secundum quod ait, [Pater maior me est:] secundum autem id quod ait, Ego, & Pater vnum sumus: & ipse agricola est. Nec talis quales sunt, qui extrĩsecus ope-

Christus vitis est & agricola.

Digitized by Google

operando exhibent ministerium, sed talis, vt det etiam intrinsecus incrementum, &c. Sed quia non solet vitis esse agricola, ideò se vitem, agricolam verò ait esse Patrem; seruato decoro loquendi. Obseruat autē Chrysostomus, in parabola non dici agricolam viti, siue radici curā aliquam conferre, sed solum palmitibus, & Euthymius, Pater (inquit) curator est non radicis, sed palmitum. Verè hæc vitis eximia est, in qua de solis palmitibus curā habere oportet, &c. At verò Pater humanæ naturę Christi curam habebat: ergo non solum palmitibus, curam conferebat. verum quidem est, Patrem curam gessisse vitis, id est, Christi, secundum humanam naturam; hæc tamen parabola de hac cura non agit, sed de cura Apostolorum, & aliorum, quæ in illis tum ad ferendum fructū purgandis, tum puniendis, cernitur.

Chrysost.

Euthymius Pater humana natura Christi curā gerebat.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum.

INfrà ait Dominus: [Ego sum vitis, vos palmites.] Christus ergo vitis est, Christiani palmites sunt. Agricola est Pater. Quid hic agricola faciat ostendit Dominus: [Omnem] (inquit) [palmitem in me non ferētem fructum;] hoc est, omnem Christianum, qui vt palmes in me sicut in vite fuerit, qui mihi viti adhæserit, fructu tamen caruerit; [tollet eum;] hoc est, excindet, & à vite separabit. Agricolæ enim hoc est officium, inutiles palmites, nullumque proferentes fructum exsecare.

Christiani palmites sunt.

Dubitatur primo, quomodo palmites sint in Christo veluti vite: secundò, qui palmites dicantur fructu carere, qui fructum habere: tertiò quonam modo Deus palmites fructu carentes tollat, siue excindat. Respondetur primò, palmites, id est, Christianos, esse in Christo veluti vitæ, per fidem, & charitatem. Nonnulli per charitatem illi inhærent; alij verò per solam fidem coniuncti sunt, absque charitate, illi videlicet, qui peccato mortifero sunt contaminati. Diuus Cyrillus in Ioannem. Voluntaria (inquit) est, nostra cum Christo conglutinatio, & charitate, ac fide perficitur. Qui per fidem Christo solummodò coniunguntur, sola illi confessione inhærentes, nec charitatis vimine se colligātes, palmites quidem sunt, sed non fructuosi, & cet. Respondetur secundò, eos palmites, id est, Christianos, dici carere fructu qui bonis operibus carēt: eos autem dici fructum habere, qui bona opera habent. Sunt enim Christianorū fructus opera bona. Respondetur tertiò, Deum tunc palmites, id est, Christianos, exscindere, & à vite Christo separare, cum Christianos, qui fide præditi sunt, non charitate, in ignem præcipitat æternum. Quamdiu enim viuunt, per fidem, licèt mortuam, in Christo sunt; cum ex vita migrant in Orcum, à Christo vite omnino separantur, & in ignem mittuntur, iuxta illud Matthæi 25. [Discedite à me maledicti in ignem æternū, &c.] Discedite à me, separabimini à me, palmites infructuosi, igne æterno cōburendi. hoc indicat Dominus cum dicit: [Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardent.] Voluit Christus (ait Diuus Cyrillus) quantum sit detrimentum eius animæ ostēdere, quæ ab eo decisa est. Inutilis enim cum sit, cumque nullum edat fructum probitatis, æternæ punitioni tradita, igne cruciabitur, &c. Addi etiam potest, tunc etiam tolli palmites ex vite, id est, Christianos à Christo auelli, cum fidem amittunt: siquidem cum fidem habent Christo per fidem hærent, quamuis imperfectè, quòd si fidei faciunt iacturam, hæresimque cōplectuntur, ab eo vt palmites auelluntur. Dicitur autem agricola, id est, Deus, hos tollere palmites, siue exscindere à vite, qui a permittit illos in hæresim labi, fidemque amittere, quia

1. Respōsio.

D. Cyril.

2. Respōsio.

3. Respōsio. Quomodo à vite exscindantur palmites.

Matth. 25.

D. Cyril.

Christo fide hæremus, hæresi auellimur.

quia infructuosi sunt, & bonis operibus non incumbunt.

Et omnem, qui fert fructum, purgabit eum.

AGricola infructuosos palmites resecat, atque tollit, fructuosos purgat. Græcè apud Ioãnem dicitur *αἴρει*, id est, [tollit,] & *καθαίρει*, id est, [purgat.] Idem facit summus agricola Deus, Christianos fructum bonorum operum non ferentes exscindit, & in ignem Tartareum conijcit; eos autem, qui fructum ferunt, purgat. Purgare autem, non significat hoc loco purgationem mortiferi alicuius criminis, fructuosus enim palmes hac purgatione non indiget, siquidem charitatem habet. Dubium igitur est, quomodo fructuosos palmites purget Deus, id est, Christianos charitate præditos? Respondetur, palmites ab agricola purgari, cum putantur; nam infructuosos omnino amputat; fructuosos putat, & ipsa putatione fertiliores reddit. hoc est, quod Dominus ait; [Omnẽ qui fert fructũ purgabit eum, vt fructum plus afferat, &c.] hoc est, putabit omnem palmitẽ fructuosum, vt fructuosior fiat per putationem. Deus autem palmites suos purgat per tentationes vt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius volunt. Quemadmodum enim per putationem, & incisionem, fit palmes fæcundior; ita per tentationes fit homo fortior. Ostendit discipulis Dominus (ait Theophylactus) quòd per afflictiones fertiliores erunt, sicut per putationem palmites, tentationes enim eos fortiores declarabant, &cet. Purgat etiam Christianos probos Deus alijs modis, per inspirationes, admonitiones, per animi suauitatem, ac dulcedinẽ, per morbos & res aduersas, hæ sunt falces putatoriæ. Resecat autem his falcibus peccata venialia, cupiditates rerum terrenarum, & huiusmodi alia, quibus amputatis, palmes, id est, probus Christianus, ac fructuosus, bonis fit operibus, gratiaque, & charitate fæcundior. Diuus Cyrillus: Eis (inquit) qui quàm maximè possunt virtuti student, per spiritus gratiam, quasi per falcem, modò voluptates, modò alias turbationes animi, quibus mẽs ab statu suo deijcitur, Deus incidens est, atque amputans. Hæc est illa Pauli ad Romanos 2. non manu, sed spiritu intellecta circuncisio. Hæc ille.

Quomodo Deus purget palmites fructuosos.

Tẽtatio purgat, & reddit hominẽ fortiorem. Theophyl.

Falces amputatoriæ palmitum.

D. Cyrillus. Spiritalis circuncisio, fit per spiritus gratiã.

CAPVT XI.

De sermone Domini in cœnaculo.

Iam vos mundi estis propter sermonem meum.

QVoniam de purgatione palmitũ fructum ferentium egit, discipulos palmites esse indicat fructuosos, & purgatos, ac mũdos; non tamen ita, vt maiori purgatione non indigeant: purgati namque sunt posteà per Spiritus sancti aduentum, & alijs etiam modis. Mundi erant (ait Augustinus tract. 80.) Apostoli, atque mundandi. Neque enim nisi mundi essent fructum ferre potuissent, & tamen omnem palmitem, qui fert fructum, purgat agricola, vt fructum plus afferat: fert fructum, quia mundus est, atq; vt plus afferat purgatur adhuc, &c. [Iã] (inquit Dñs) [vos mundi estis,] ac purgati per sermonẽ meum, tanquam falcẽ putatoriã: erant enim Apostoli mundi, quia doctrinæ Christi paruerant, eamque seruabant, & quia

Apostoli, palmites fructuosi.

D. August.

quia per sermonem suum Dominus eos veluti palmites putauerat. Obseruat Cyrillus, hoc loco ostendere Christum se quoque esse agricolam, & palmitum cultorem, quoniam ait se mundasse, siue purgasse, vel putasse Apostolos sermone suo. Cum mundos (inquit) esse discipulos Dominus dixerit nullam mētionem Patris fecit, sed suo ipse sermone purgatos esse affirmat, &c. Idē obseruat Chrysostomus. Et Euthymius: Vides (inquit) quòd licèt vitis sit Christus, est tamen etiam agricola, &c. Augustinus quoque tract. 80. Cùm de Patre (inquit) tanquam de agricola dixisset, quòd fructuosos palmites purget continuò etiam seipsum mundatorem palmitum ostendens, [Iam vos] (inquit) [mundi estis propter sermonem meum.] Ecce, & ipse mundator est palmitum, quod est agricolæ, non vitis officium, & cet. Repugnat Cyrillo, & cæteris expositio, cuiusdam interpretis, quæ huiusmodi est; Iam vos mundi, & purgati estis à Patre meo, qui agricola est, per meum sermonem; nam vsus est Pater sermone meo vt falce ad vos purgandum. At sensus Christi is fuisse videtur, quem Chrysostomus, & cæteri intellexerunt, videlicet: Iam ego vos mundaui, & purgaui sermone meo; nec tamen excludit Patrem, cum Patris, & filij eadem sit operatio. Rogat Augustinus: Quare non ait Christus; Iam vos mundi estis propter Baptismum; sed ait mundi estis propter sermonem meum? Respondet, quia etiam in aqua Baptismi verbū Christi mundat. Responderi etiam potest, sermone Christi comprehendi Baptismum, & cætera, quæ Christus docuerat, & Apostoli seruabant, per quæ mundi erant. Est interpretatio quæ locum hūc ad solum sermonem in cœna habitum refert, hoc sensu: Iam vos mundi estis propter sermonem hunc, in cœna hac habitum, sed vniuersè de sermone, & doctrina Domini locus intelligendus est, per quam Apostoli mundati sunt, ante sermonem enim in cœna habitum iam purgati, mundatique erant.

Ostendit Christus se non solū vitem esse, sed etiam esse agricolam, purgantem & mundātem palmites.

D. Cyril.

Euthym.

Alia eaque diuersa expositio.

Chrysost.

August.

In Baptismo verba Christi operantur.

Manete in me, & ego in vobis:

HOc est, quod ab Apostolis Dominus discedens expetit, videlicet, vt in fide, charitateque permaneant: ne à vite separentur, sed veluti fructuosi palmites illi perpetuò inhæreāt. [Manete] (inquit) [in me,] vt palmites manent in vite, & ego in vobis maneam, hoc est, ego quoque vobis adhæream, vt vitis adhæret palmitibus: simus inuicem coniuncti, vos mihi adhærete, ego vobis. Manemus autem in Christo, & ille in nobis, per fidem, & charitatem, bonaq; opera: hortatur ergo discipulos vt fidem & charitatē perpetuò seruent, Magistroque suo semper adhæreant. Euthymius interpretatur: Manete in me, & ego in vobis manebo, sed verior est proposita interpretatio, & ego maneam in vobis. Quæritur, cur Christus postulet à discipulis vt maneat ipse in illis. [Manete] (ait) [in me, & ego in vobis maneam:] nam manere discipulos in Christo, discipulorum erat: at manere in discipulis Christum, non erat opus discipulorum, sed Christi; cur ergo à discipulis opus postulat, quod discipulorum non est. Respondetur etiam manere in discipulis Christum, fuisse opus discipulorū iuuante ipso Christo; si enim discipuli fidem, vel charitatem abiecissent, non mansisset in ipsis Christus: quia autē fidem, charitatemque seruarunt, in illis mansit. Effecerunt ergo discipuli iuuāte Deo vt in ipsis Christus maneret; hoc vt efficiant postulat, cum ait, [& ego in vobis,] scilicet maneam, hoc est, fidem seruando, & charitatem, efficite vos, vt ego perpetuam in vobis faciam mansionem. Adde; illud, [Ego in vobis:] coniunctum semper esse cum eo quod præcedit, [Manete in me;] si enim manemus in Christo per fidem, & charitatem, manet ille absque

Vult Dominus nos ipsi adhærere, et in eo manere.

Fide & charitate in Christo manemus.

Liberum arbitrium.

que dubio in nobis: ideo ait: Manete in me, & ego in vobis: non enim possunt hæc duo separari. Obseruat Augustinus hanc immanentiam vtilem nobis esse, non Christo. Vtrunque (inquit) prodest non Christo, sed discipulis: ita quippe in vite sunt palmites, vt viti non conferant, sed inde accipiant vnde viuant: ita verò vitis est in palmitibus, vt vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis: ac per hoc, & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest vtrunque, non Christo, &c. At verò quemadmodum fructuosi palmites viti ornamentum afferunt: sic Apostoli Christo gloriam, decusque maximum attulerunt.

D. Aug.

Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso.

Rationem reddit Dominus, cur opus sit discipulis in ipso manere: nimirum, quia si in ipso non maneant, fructum ferre non potuerunt: si maneant ferent vberrimum. Quemadmodum (inquit) palmes non potest fructum producere a semetipso, si sit a vite separatus: ita vos nullum poteritis fructum ferre a vobismetipsis, si a me separati fueritis, ego enim sum vitis, vos estis palmites: necessarium ergo vobis est manere in me per fidem, & charitatem, vt bonorum operum fructum ferre possitis. Etenim qui manet in me, veluti palmes in vite, hic fructum multum producit, qui verò separatus est a me, tanquam palmes a vite, sterilis palmes est. Quemadmodum enim vitis succum, & alimentum palmitibus præbet, sine quo fructum ferre non valent: sic Christus Deus, & homo, viti similis, Christianis veluti palmitibus, succum gratiæ præstat, sine qua operum, quæ meritoria sunt, fructum producere nequeunt. August. tract. 80 Nisi in vite manserit palmes (id est, Christianus) & vixerit de radice, quantumlibet fructum a semetipso non potest ferre. Quamuis autem Christus vitis nō

Manere in Christo opus est, vt fructum afferamus.

Christus succum præbet, vnde fructū feramus.

D. Aug.

A esset nisi homo esset: tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi etiam Deus esset, &c.

Quia sine me nihil potestis facere.

Pergit Dominus ostendere quam necessarium sit discipulis in ipso veluti in vite manere. Manete in me, quia nō poteritis facere fructum, nisi in me manseritis; qui verò manet in B me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere, mecum autem coniuncti vberrimum fructum proferre poteritis. Ex me enim velut vite succus, & alimentum hauritur, ad ferendos fructus meritorios gratiæ, & æternę gloriæ, sine me autem nihil potestis facere. Quæres; Nunquid significat Dominus his verbis, nos nihil omnino sine illo posse facere? Nonne ambulare possumus C absque illo, edere, bibere, loqui? Respondemus Christum non loqui hoc loco de concursu generali, quem rebus omnibus naturalibus præstat, vt consistant, & operentur, sed de succo, & alimento, quod præbet palmitibus suis, id est, Christianis, tanquam vitis, vt fructum producāt his autem succus ē gratia, & auxilia peculiaria. Non igitur significat nos sine illo, i. sine succo gratiæ, vel auxilij peculiaris D non posse edere, aut bibere, aut similia naturæ opera efficere. Neq; etiam significat, nō posse sine auxilijs peculiaribus, bona aliqua opera moralia facilia præstare; vt misereri pauperi, eleemosynam aliquam largiri, obedire parentibus, in re aliqua minime graui reddere debitum, & similia: sed significat, sine gratia nos nō posse facere quidquam, quod vitam æternā promereatur: sine auxilijs verò pecu E liaribus si gratia careamus nihil posse facere, quod ad æternam salutem conferat. Quod si gratiam habeamus nullum bonum, quod difficilius sit, pstare posse absque Dei concursu. Sine me (inquit) nihil potestis facere: sine illo nihil, cū illo omnia possumus facere. Vnde Apostolus ad Philippenses 4. Omnia (inquit) possū, sed addit, in eo,

Necessariū est nobis, in Christo manere.

An nihil omnino sine auxilio Dei facere possimus?

Merita nostra in Christo fundantur.

Philip. 4.

[in eo, qui me cōfortat, &c.] id est, in Deo, qui me corroborat auxilijs suis.

Mittetur foras sicut palmes, & arescet.

ALteram rationem reddit Dominus, qua discipulos ad manendū in se inducit, videlicet, supplicium Tartareum. Qui enim in Christo per fidem, & charitatem non manent, in ignem Tartareum mittuntur: quemadmodum palmites qui in vite non manent, in ignem conijciuntur. [Si quis] (inquit) [in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, &c.] Ait Dominus ea contingere ijs, qui in illo non manent, quæ palmiti contingunt infructuoso. Palmes infructuosus foras mittitur, & arescit omni succo vitis priuatus, colligunt eū homines, & in ignem conijciunt: idem euenit Christiano, qui Christo per fidem, & charitatem nō adhæret; foras mittitur, arescit, flammisque stygijs traditur. [In ignem] (inquit) [mittent, & ardet,] præsens ponitur pro futuro, id est, ardebit palmes in ignem missus, vel præsentis tēporis verbo, indicatur ignis æternitas, in quo semper palmes ardet. Verbum, [mittetur foras,] Græcè præteriti est temporis, ἐβλήθη, id est, [ciectus,] vel [missus est foras] palmes, similiter, & [arescet,] Græcè, ἐξηράνθη, id est, [aruit,] sed præterita pro futuris sumuntur. Dubium est, quid significet, [palmes foras mittetur,] siue proijcietur. Nam palmes non proijcitur foras extra vineam, vel extra domum, imò in vinea manet, & domum affertur vt fit ignis pabulum. Respondetur palmitem tunc dici foras proijci, cùm à vite resecatur, humique à putatore proijcitur, proijcitur enim foras, id est, extra vitem. A vite autem separatus arescit, & colligitur, ignique traditur sic Christianus, qui per solam fidem cum Christo cōiunctus est, operumque fructu caret, à Christo in morte

Christianus infructuosus, sicut palmes aridus in ignē mittitur.

Quomodo hic æternitas ignis designetur.

Dubitatio.

Responsio. Palmes foras quando mittitur.

A resecatur, arescit penitus, colligitur velut palmes à dæmone, & in ignem infertur. Nonne Christianus, qui charitate caret, aridus iam est? cur igitur dicitur arescere, postquàm foras mittitur vt palmes? Respōdetur Christianum, qui cum Christo per fidem solam est copulatus, palmitem esse non omnino aridum, sed infœcundum; habet enim virorem fidei, & folia verborum ac frondes; fructum B operum non habet. Postquàm autem in morte à Christo omnino separatur, arescit omnino, quia illum fidei, quem habebat virorem, amittit.

Dubitatio.

Responsio.

Quodcumque volueritis, petitis, & fiet vobis.

EXcitat discipulos ad manendum C in se, magno immanentiæ huius emolumento; si manseritis in me, & verba mea, documenta, & præcepta, in vobis manserint, ò discipuli, magnam reportabitis vtilitatem; siquidem quidquid petieritis à Deo impetrabitis. Rogabis, si quidquam mali postulauerint, nunquid id à Deo obtinebunt? Respondet Diuus Cyrillus; Non est par, vt qui manet in Christo, & mandata eius seruat, is quidquam petat, quod Deo D non placeat, &cet. & Euthymius; Nihil (inquit) indignum petet, qui in Dei præceptis versatur, &cet. Similiter Augustinus: Quid (inquit) velle possunt manendo in Christo, nisi quod cōuenit Christo? quid velle possunt manendo in Saluatore, nisi quod non est alienum à salute, &c. 1. Ioan. 5. [Hæc est fiducia quam habemus ad eum; quia quodcūque petierimus, secundum voluntatem eius E audit nos, &c.]

Dubitatio.

Responsio.

Qui manet in Christo, quæ Deo placent petit à Deo.

D. Cyrillus

Euthym.

August.

In hoc clarificatus est Pater meus.

ADdit aliam rationem, qua discipulos ad manēdum exhortatur, videlicet Patris gloriam, atque honorem.

Digitized by Google

norem. in hac (inquit) re ἐδοξάσθη, Pater, idest, glorificatus est, pro futuro præteritum; in hac re glorificabitur Pater, si palmites fueritis fœcundi, fructu pleni, & efficiamini mei discipuli. Non potestis autem palmites esse fœcundi, & discipuli mei plurimum fructum ferentes, nisi in me maneatis. In me ergo manete, vt Patri gloriam magnam afferatis. Dubium pariunt verba illa: [& efficiamini mei discipuli.] Nonne Apostoli iam erãt effecti discipuli Christi? Cur igitur ait: [Vt efficiamini mei discipuli] quasi nondum essent effecti? Respondetur; erant quidem iam discipuli sequendo Christum, discendo, credendo, & amando; sed efficiendi erant discipuli fructum plurimum afferendo, hoc est, populos ad Christum cõuertendo. Ad hoc enim opus a Christo fuerant vocati; tuncq; effecti sunt Christi discipuli fructu; cum populis fidem promulgarunt. Hoc videtur significare Chrysostomus cum ait: Vides quomodo, qui fructum affert ille discipulus est Christi, &c. & Euthymius: Qui fructum (inquit) affert copiosum, hic perfectus efficitur Christi discipulus, &c. Aliter sic exponi verba possunt: Vt efficiamini mei discipuli, hoc est, vt in discipulatu meo permaneatis, postquã a vobis discessero: erit sensus, in hoc glorificabitur Pater, vt fructum vberem afferatis, & in mea doctrina, & discipulatu, hoc est, in me maneatis, ad ferendum hunc fructum; ergo manete in me vt Patrem glorificetis. Aliter; in hoc glorificabitur Pater, vt fructum plurimum afferatis eximiæ virtutis, & operum præcellentium, & efficiamini mei discipuli inclytis operibus p̃stantique virtute, quæ a me didicistis ostendendo. Aliter: vt efficiamini mei discipuli, id est, imitatores virtutum mearum.

Dubitatio.

Responsio.

Quomodo Apostoli effecti sunt discipuli Christi, & quomodo efficiẽdi denuò.

D. Chrys. Euthymius

Differũt lætari, & gloriari.

Qui enim alium imitatur, discipulus eius efficitur per imitationem: Diuus Chrysostomus verbum, clarificatus, siue glorificatus est, exponit, lætabitur, similiter Theophylactus; sed aliud est glorificari, aliud lætari; oritur quidem lætitia ex glorificatione, sed non est glorificatio.

Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.

VRget Dominus, & ad manendum in vite palmites hortatur; dilectione sua dilectionem prouocat discipulorum. Vt in se maneant, suadet alia ratione ab amore; diligo vos, & maneo in vestra dilectione; vos ergo diligite me, & manete in me, & dilectione mea. O discipuli vos ego dilexi, & diligo, sicut me Pater dilexit, & diligit; manete ergo in mea dilectione.

Ab Apostolis mutuũ amorẽ Christus postulat.

Quæritur, an suadeat Dominus discipulis manere in dilectione sua, qua illos diligebat; an in dilectione sua, qua ab illis diligebatur?

Respondetur duplicem sensum habere hæc verba, prior est, [Sicut me diligit Pater, & ego vos diligo.] Vos quoque diligite me, amorem amore rependite, manete in dilectione mea, qua me amatis, perseuerate in charitate: posterior est: [sicut diligit me Pater, ego diligo vos:] manete in dilectione hac mea, qua vos diligo, id est, efficite vt semper vos diligam. Vterq; sensus probabilis est; prior probabilior. Cum autem Dominus ait. [Sicut dilexit me Pater, ita ego dilexi vos:] particula, sicut, non æqualitatem significat, sed similitudinem. Multò enim magis Pater Christum dilexit, quam Christus discipulos: similis tamen fuit amor Christi erga discipulos, amori Patris erga Christum.

Duplex sensus.

Prior sensus præfertur.

Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.

HActenus hortatus est discipulos ad manendum in se: nunquid ad hanc mansionem necessarium sit, & quid eam efficiat, docet. [Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectio-

Mandatorũ obseruatio necessaria.

lectione mea, id est, diligemini a me, vel diligetis me; iuxta prædicta. Obseruatio enim mandatorum, causa est cur in Christi amore permaneamus. Addit exemplum seipsum: [Sicut & ego vt homo Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione;] hoc est, diligor ab illo, vel, diligo illum: sic & vos præcepta mea seruate, & manebitis in dilectione mea.

Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit.

Tandem rationẽ apponit ex gaudio petitam. His (inquit) verbis vos adhortatus sum ad manendum in me, & dilectione mea, vt gaudium meum in vobis sit, Græcè, μένῃ, maneat. hoc est, vt ex vobis permanens ego gaudium percipiam: [& gaudiũ vestrum impleatur,] hoc est, & vos etiam magno, & pleno gaudio efficiamini. Nam si in me maneatis, & ego in vobis, summa, & plena ex hac immanentia, & coniunctione lętitia exorietur, tam mihi, quam vobis in cælo, & in terra. Aliter: [Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum,] hoc est, gaudium quod de me habetis, in vobis permaneat; & gaudium hoc vestrum augeatur, & impleatur.

CAPVT XII.

Morale.

De parabola vitis, & palmitum.

Docet nos Christus tria; Primũ, necessarium omnino nobis esse, in ipso manere: Secundum, non esse satis Christiano fidem, opera cũ fide copulanda: Tertium, eorum qui ab ipso se separant terribile supplicium. Manemus in Christo, manetq; ipse in nobis per fidem, & charitatẽ. hæc immanentia, quam sit nobis necessaria, parabola vitis ostendit. Ego (inquit) sum vitis, vos palmites, &c. Quemadmodum maximè necessariũ est palmitibus, viti adhærere: sic maximè necessarium est Christianis, adhærere Christo: omne enim palmitis bonum ex vite pendet, & omne Christiani bonum, pendet ex Christo. Ex succo quẽ trahit a vite viuit palmes, fructumque producit, ex succo, gratia, & auxilijs, quæ trahit à Christo, viuit Christianus, operaque bona profert. Tolle succum vitis, nullum fructum producet palmes, tolle succum, & auxilia Christi, nulla bona opera proferet Christianus. [Sicut palmes, (ait Dominus) non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis, &c.] Item [Sine me nihil potestis facere, &c.] Est Christus vitis vera succo plenissima. ex illo in palmites succus deriuatur, quod Ioannes cap. 1. testatur illis verbis, De plenitudine eius non omnes accepimus, &c. Addit, Lex per Moysem data est, gratia, & veritas, per Iesum Christum facta est, &c. Quasi dicat: Nõ erat Moyses vitis vera, legem dare potuit, succum gratiæ dare non potuit Israelitis: lex tantum per Moysen data est, quæ vi succo carebat gratiæ. Vitis erat Moyses frondosa, iuxta illud Oseæ 10. Vitis frondosa Israel, &c. frõdibus cerimoniarum, & præceptorũ abundat frondosa vitis: gratiæ humorem non conferebat. Vitis vera, & fœcunda est Christus, legem dare potuit: & palmitibus suis impertiri. Cant. 2. Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios, &c. Malus est Christus plena fructu: cæteri homines si ex seipsis spectentur, ligna sunt syluarum, id est, arbores agrestes fructu carentes. Sed de plenitudine Christi accipiunt cum agrestes, turpesque mores rescindunt, huiusque mali fœcundissimæ surculum in se inserunt. Cant. 1. Clamat Ecclesia;

Tria docet parabola.

Maximè necessariũ nobis est adhærere Christo

Ioan. 1.

Osea 10.

Ex Christo bona nostra emanant.

Cant. 2.

Cant. 1.

Digitized by Google

sia; [Trahe me post te, curremus,] &c. Videlicet, quia videt absq; suaui, minimèque cogente tractu Christi, nos mandatorum Dei viam non posse percurrere. Quemadmodũ absq; Solis luce, & calore, tenebris completur terra, ac frigore, sic absque Christi veri Solis splendore, & ardore, caligine obscuratur anima, peccatique gelu obrigescit. Sicut anima totius naturalis vitæ; sic Christus totius vitæ supernaturalis est fons. Ex anima haurit corpus vitam naturalem, & vitæ opera: ex Christo haurit anima vitam supernaturalem, & huius supernaturalis vitæ opera præclara Thren. 4 [Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus in vmbra tua viuemus in gentibus, &c.] est Christus, Iehoua Deus: sic enim Hebraicè habetur: est spiritus, & halitus oris nostri, quia quemadmodum ex halitu naturali, vita naturalis pendet: sic ex Christi gratia, & auxilijs, velut halitu quodam supernaturali, pendet vita spiritalis, ac supernaturalis sub vmbra eius viuimus, quia sub eius protectione vitam spiritalem traducimus.

Similitudo. *Thren. 4.* *Christus halitus noster spiritalis e.*

Vitis fuit Adamus, nosq; illius palmites: sed vitis fuit, quæ pestiferũ nobis succum infudit. Ad Rom. 7. ait Apostolus; [Habitat in me peccatũ;] hoc est, concupiscentia peccati effectrix, nisi frenetur. Concupiscentiæ hunc succum infudit nobis Adamus, simul cũ peccato originali. Spoliata .n. natura humana per peccatũ originale, iustitia originali, domicilium facta est concupiscentiæ. At verò succum alium longè diuersum, vitis vera Christus, nobis impertit: ex Adamo mortiferũ, ex Christo salutiferum succum, ex Adamo peccatum, ex Christo gratiam, ex Adamo concupiscentiam, ex Christo ad extinguendam concupiscentiam auxilia, & fortitudinem trahimus. Propter Adamum dixit Paulus ad Romanos 7. [Habitat in me peccatum;] propter Christum dixit 2. Cor. 12. [Vt inhabitet in me virtus Christi; Græcè ἐν ... mus, id est, vt inhabitet in me [potentia, fortitudo, auxilium] Christi. habitat in nobis peccatũ propter Adamum, habitat fortitudo propter Christum. Ex Adamo tanquam vite mortifera deriuatur in nos peccatum; ex Christo tanquam vite salutifera deriuatur fortitudo, potentia, & auxilia aduersus peccata omnia, gratia, cæteraque dona cælestia. O vitem cælestem, quæ terrenos palmites sibi insertos cælestes facit 1. Cor. 15. [Primus homo de terra terrenus, secũdus homo de cælo, cælestis; qualis terrenus, tales, & terreni; & qualis cælestis, tales, & cælestes, &c. Adhęreamus igitur Christo, maneamus in vite sicut palmites, vt succũ gratiæ, auxiliorũq; eius sugamus; cælestesq; ex terrenis efficiamur. Si illi adhæreamus opera cęlestia faciemus; sine illo facere poterimus nihil. [Sine me (inquit) nihil potestis facere, &c. Ose. 13. Perditio tua ex te Israel, tantũmodo in me auxiliũ tuũ, &c.] Nostra est perditio, ex nobis orit, salus verò ex Deo; in illo est auxiliũ nostrum. Esther. 14. [Adiuua (inquit) me solitariam, cuius præter te nullus est auxiliator alius,] &c. Præter Deum nullus est auxiliator: si ille non tulerit auxilium suum, quo nos à peccato liberet, nulla hominum, nulla Angelorum auxilia, id possunt efficere. Iob 6. [Non est auxiliũ mihi in me, & necessarij quoque mei recesserũt à me, &c.] Non hẽt homo auxiliũ in seipso, vt fędo peccati morbo mederi possit; non hẽt auxiliũ in amicis, & cõsanguineis; sed ĩ Deo. Possũt sancti auxiliũ ferre Deũ orando, Angeli iuuare possũt precãdo, modisq; alijs, & hoĩes: si tñ non ferat opẽ Deus, non consequitur æger homo do sanitatẽ. [Dñi enim est salus,] Psal. 5. ideo Psal. 118. precatur Dauid, [Adiuua me, & saluus ero, &c.]

Vitis Adamus, succi cõcupiscentiæ, & peccati orig. nobis cõicauit. *Rom. 7.* *2. Cor. 12.* *Adamus vitis fuit mortifera nobis* *1. Cor. 15.* *Osea 13.* *Auxilium Dei nobis maximè necessarium.* *Esthe. 14.* *Solus Deus ferre potest auxilium.* *Iob 6.* *Psal. 5.* *Psal. 118.*

Absque concursu, auxilioque naturali Dei, nulla opera naturalia efficere potest homo: similem in modum, absque concursu, auxilioque Dei supernaturali, nulla efficere potest opera supernaturalia, ac cęlestia. Cælestis est finis hominis, cælestia sunt me-

Cælestis finis, cælestia media.

me; cælestia requiruntur opera, cælestia etiam & supernaturalia Christi auxilia hæc arbitrium liberum tollũt sed iuuant, vt ait D. Ambrosius libro 4. epistolarum, vel potius D. Prosper epistola 33. Operante (inquit) spiritu Dei iuuatur arbitrium, non aufertur, & hoc agit gratia, vt volũtas peccato corrupta, vanitatibus ebria, seductionibus circumsepta, difficultatibus impedita, non remaneat in lãguioribus suis, sed per opem miserantis medici curata reualescat, &cæt. Item: Omnis (inquit) pius motus illuminatarum mentium, alienari quidẽ non potest à propria hominis voluntate, siquidem nihil rectè faciet, nisi quod volens egerit: sed vt ad id quod æquum, & vtile est animi tendat intentio, de illius æternæ, & incommutabilis voluntatis inspiratione concipitur. Hæc Ambrosius, & alia. Lege Gregorium homilia 9. in Ezech. Cõcilium 2 Arausicanum can. 22 Nemo (inquit) habet de suo nisi mendacium, & peccatum: si quis autem homo habet veritatem, atque iustitiam, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo; vt ex eo, quasi guttis quibusdam irrorati, non deficiamus in via, &c. Veluti quædam guttę suauissimæ, potẽtissimæque cælestis fontis, sunt diuina auxilia, quæ in hac eremo iter agentes, è cælo recreant, viresque ad conficiendum iter præbent. Panem Deus Elię præbuit, quo confirmatus 3. Reg. 19. quadraginta dierum iter peregit: simili modo nobis prębet auxilia, quibus corroborati, multorum dierum percurramus viam. O beatum illum virum, quem auxilijs suis Deus semper corroborat, & ad faciendum iter in cælum, semper iuuat, iuxta illud Psalmi 83. [Beatus vir, cuius auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco, quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibit de virtute in virtutem, & videbitur Deus Deorum in Sion,] &c. Felix est vir ille, cui Deus auxilium præbet, quo ex valle hac lacrymarũ in cælum conscendat. felix cui suam dat benedictionem, summus legislator Christus, & vires in dies maiores; de fortitudine minori, in fortitudinem maiorem accrescens, iter in cælestem patriam faciet, tandemque Deum auxiliatorem suum, in Sion vera intuebitur.

Auxilium Dei nõ tollit liberum arbitrium, sed iuuat. D. Prosp.

Quicquid in hoĩe est boni, hoc à Deo est. Cõc. Arauſ. Guttis irrorantibus è cælo diuinũ auxilium simile est. 3. Reg. 19.

Psal. 83.

Tria in diuinis auxilijs cauenda sunt; Primum cauẽdum est, ne nostris criminibus in causa simus, cur Deus auxilia sua peculiaria, ac maiora nobis deneget: hinc illud Diui Pauli ad Philipp. 2. [Cum metu, & tremore, vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate,] &c. hoc est, magna cum cura, & timore in salutem animarum vestrarum incumbite. Pendet enim ex auxilijs Dei, qui in vobis voluntatem ad bonum peragendum, malumque fugiendum operatur; quique vos ope sua ad bonorum, quæ incepistis, perfectionem ducit. Cauete vobis, fugite Dei offensas, ne offensus, & vobis propter crimina infensus, peculiaria & abundantiora deneget subsidia, quæ pro bona voluntate sua largitur. Huc illud spectat Psalm. 80. [Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis, &c.] Cauendum pręterea ne id quod auxilijs Dei adiuti agimus, nobis insolenter tribuamus. Deo enim, non nobis, tribuendum est quidquid boni facimus, iuxta illud Psalmi 113. [Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.] Apostoli citata verba huc spectant vt vult Diuus Prosper hoc sensu: [Cum timore, & tremore, salutem vestram operamini; inanem ex operibus gloriam maximè formidate; Deus est enim qui operatur in vobis, & velle bonum, & perficere. Diuus Prosper epistola citata ad Demetriadem, Vigilant (inquit) Tentatoris insidiæ; vt vbi proficit deuotio, subrepat elatio; & vt homo de bono opere, in se potius quam in Domino glorietur. Sed Apostolus nos contra hoc periculum monet dicens: [Cum timore, & tremore salutem vestrã operami-

Cauẽda sũt tria ĩ diuinis auxilijs Philip. 2.

Cauẽdũ ne diuinis auxilijs obsistamus; peccata committendo.

Cauendum ne gloriã inani elati bona opera nobis tribuamus.

D. Prosp.

Inanis gloria. ad Phil. 2.

ramini; Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate.] Quanto ergo excellentius in mandatis Dei, quique proficiunt, tanto maiores habent causas formidinis, & tremoris; ne de ipsis probitatis augmentis mens sibi bene conscia, & laudis auida in superbiæ rapiatur excessus; & fiat immũda vanitate, dum sibi videtur clara virtute, &c. Cauendum item est, ne diuinis auxilijs resistamus; resistere enim possumus, quia illa neminem cogunt. [Adiuuantes exhortamur (ait idem Apostolus 2. Corinth. 6.) ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, &c. Equidem ille gratiam Dei in vacuum recipit, qui gratuitis Dei auxilijs resistit, quibus a Deo ad virtutem ducitur: ille magnã cum vtilitate gratiam & donum Dei recipit, qui cum diuinis auxilijs cooperatur, sicut Paulus 1. Corinth. 15. Gratia (inquit) Dei sum id quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit, &c. Diuus Prosper epistola citata: Cooperatores (inquit) nos esse oportet gratiæ Dei, vt illam excitantem, iuuantem, locupletantẽ, & quotidie prouehentem, vigilanter, & sobriè subsequamur, &c. Psalmo 94. [Hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra, &c. Cor ille obdurat audiens inspirationem Dei, qui illi resistit; ne obduremus corda Deo auxilianti, sed facili blandoque pectore inspirationi pareamus. Quemadmodum generosus equus, pungentibus calcaribus obedit, atque concitatur; sic generosus Christianus stimulantibus Dei auxilijs paret, atque agitur. [Quicunque Dei aguntur (ait Paulus ad Roman. 8.) hi sunt filij Dei, &c.] Aguntur Dei generosi filij Spiritus diuini auxilijs, & stimulis; at impij resistunt. Vnde illud Diui Stephani Act. 7. [Vos semper Spiritui sancto resistitis, &c.] Sed malo resistunt suo, iuxta illud Act. 9. [Durum est tibi contra stimulum calcitrare, &c.] Quemadmodum si palmes ratione præditus esset, vitis omnes offensas maximè fugeret ne succo illius priuaretur; sic Christianus ratione, fideque pollens, Christi offensas omnes vehementer cauere debet, ne illius succo, id est, auxilijs peculiaribus, destituatur. Item sicut palmes succo vitis nunquam resistit: sic Christianis vitis suæ succo, id est, auxilijs, resistat nunquam.

Cauendum ne diuinis auxilijs resistamus. *2. Corint. 6.* *1. Cor. 15.* *D. Prosper. Diuina gratia cooperandum est.* *Psal. 94.* *Similitudo.* *Rom. 8.* *Act. 7.* *Act. 9.* *Similitudo.*

Ad hæc: quia summopere nobis Dei auxilia necessaria sunt, oratione opus est, qua illa a Deo postulemus. Semper palmes ex vite succum sugit: sic nos semper ex vite Christo succũ auxilij sugemus, precandoque trahamus. Hinc illud 1. Thessal. 5. Sine intermissione orate, &c. & illud Domini Lucæ 18. Oportet semper orare, & non deficere. Item Matthæi 20. Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. Accommodatus ad hanc rem versiculus ille est Dauidicus Psalmo 69. Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina, &c. De cuius laudibus legendus est Cassianus in collat. 10. de oratione toto capite 10. Hic, inquit versiculus omnibus infestatione Dæmonum laborantibus, inexpugnabilis murus est, & impenetrabilis lorica, ac munitissimus clypeus, &c. Zozimus summus Pontifex in Epistola 1. Cælestini ad Galliæ Episcopos, cap. 9. Quodnam (inquit) tempus interuenit, quo Dei non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus adiutor & protector orandus est, &c. Videlicet, vt illud fiat Psal. 65. Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam a me, &c.

Auxiliũ diuinum oratione semper est postulandum. *1. Thess. 5.* *Luc. 18.* *Matth. 20.* *Psal. 69.* *De ver. Deus in adiutorium &c.* *Zozimus.*

Sit semper in corde oratio, vt semper sit nobiscum Dei misericordia, & auxilium, & gratia.

CAPVT XIII.

Morale.

De parabola vitis, & palmitum.

OStendit præterea in hac parabola Christus, vt supra diximus non esse satis Christiano fidem; opera etiam bona esse necessaria. Nõ est satis palmiti, si manens in vite frondes tantum ferat; opus est, vt ferat etiam fructum, ne excidatur, & ignis fiat pabulum; eundem in modum non est satis Christiano, si manens in Christo, fidem solam habeat; necesse est, vt opera efficiat Christiano digna, ne a Christo separetur, & æterno incendio tradatur. [Omnem palmitẽ (inquit Dominus) in me non ferentẽ fructum, tollet eũ (Pater veluti agricola) & omnem qui fert fructum purgabit eum, &c.] Item [qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, &c.] Item: [Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, &c.] Necessarius ergo est palmiti fructus, id est, necessaria sunt opera, & mandatorũ obseruatio, Christiano non sola fides sufficit. Vt Chrysost. ait, hæreditas nostra est regnum cælorum, sed ea relicta nobis est a Christo, sub conditione, videlicet si mãdata seruauerimus. Non reliquit Dñs nobis (ait Chrys. Ps. 5.) hæreditatem absolutè, sed sub quadam conditione. Quęnam ea est conditio? [Qui me diligit præcepta mea seruabit, & plura alia, &c.] Aedificium quoddam spirituale est vita Christiana. Fides ædificij huius fundamentum. Quemadmodum non est

Non sufficit sola fides.

Præter fidẽ opera sunt necessaria.

D. Chrys.

Simile.

A satis, in ædificio fundamentũ, sed parietes addere oportet, & tectum; sic non est satis in vita Christiana, fidei spiritale fundamẽtum, sed bona opera, vt parietes, & charitatem velut tectum celsissimum adijcere necesse est. Augustinus sermone 22. de verbis Apostoli: Domus (inquit) Dei credẽdo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur, &c. Fides sapientia est diuina a Deo accepta, non solũ contemplatrix sit, sed etiam operatrix; B maximè sit practica, praxim amet, in praxi versetur, & operatione. Mittet sapientiam de cælis sanctis suis (ait Sapiens Sap. 9. vt mecum sit, & mecũ laboret, &c. Sapientiam postulat, nõ solum vt in intellectu sit, sed etiam vt laboret, atque operetur. Dei admirabilis sapientia ad opus progressa est; sex diebus mundum hunc pulcherrimum condidit; [Et vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.] Pro- C uerb. 8. [Cum eo (inquit) eram cuncta componens, &c.] similem in modum Christiani sapientia, id est, fides ad opera progrediatur, quandiu vita permanserit, tandiu bene operetur opera valde bona; post dies operum Dei, secutum est Sabbatum, id est, requies; Gen. 2. [Requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat, &c.] Post dies operum nostrorum se- D quitur Sabbatum, id est, requies nostra in cælo perpetua.

Ducit vxorem vir vt ex ea prolem suscipiat: sic Christus animam velut vxorem ducit, vt prolem pariat, id est, opera bona, quod Paulus docet Rom 7. Vos (inquit) mortificati estis legi per corpus Christi, vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, &c. hoc est, mortui estis legi veteri per E Christum incarnatum, & per corpus eius cruci suffixum; vt sint animæ vestræ veluti vxores ipsius Christi, vt fructificetis, id est, fructum, prolemque bonorum operum, faciatis Deo. Theophylactus: Vt fructum, (inquit) feramus Deo; hoc est, vt ex hac coniunctione, qua Christo vincti sumus, liberos pgeneremus Deo, &c. Filios aũt nostros esse opa nostra

Fides fundamentum

D. Aug.

Fides sit practica, & operatrix.

Sap. 9.

Prou. 8.

Opera bona sunt necessaria.

Simile.

Theophyl.

Psal.

Ps. 127. D. August. docet etiam Augustinus Psalmo 127. A in verba illa Psalmi, [Et videas filios filiorum tuorum; Quid est(inquit)filios tuos? opera tua, quæ hic agis. Qui sunt filij filiorum? fructus operũ tuorum. facit eleemosynas, filij tui sunt; propter eleemosynas accipis vitam æternam, filij filiorum tuorum sunt, &c. Agricolæ sumus; in hac vita, semen mandamus terræ, vt fructum in cælo vberem colligamus; seminamus autem bona opera, hoc semen est, ex B quo æternus colligitur fructus. Ad *Galat. 6.* Gal. 6. suadet Apostolus ne in seminãdo deficiamus, speque fructus animũ corroborat: [Bonum(inquit)facientes non deficiamus. Tempore enim suo metemus non deficientes: ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei, &c.] Tempus est seminandi, & tempus metendi. Tempus seminandi laboriosum est; laborioso C tempore hortatur Paulus ne deficiamus seminando. Tempus messis lætũ est, iuxta illud Isaiæ 9. [Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, &c. hoc tempore læto(ait) metemus non deficientes, hoc est, si non defecerimus molesto tempore, sementem bonorum operum faciendo, colligemus messem tempore læto copiosam. respondet enim labori sementis, lætitia messis. hoc tempus est semina terræ, siue potius cælo mandandi; ideò D ait, Dum tempus habemus, operemur bonum, neque enim semper tempus habebimus; sed in æternitatem ingrediemur, in qua nulla sementis faciendæ facultas dabitur. hoc semen, ait D. Aug. dici potens Psal. 111. [Potens (inquit Psalmographus) erit semen eius, &c.] Equidem potens esset semẽ quod pro granis tritici, gẽmas summi proferet pretij: semen bonorum E operum, non grana tritici, sed Smaragdos, Sapphiros, Carbunculos, ac Topatios pretij infiniti, hoc est, æternæ gloriæ gaudia, producit. Quid potentius(ait Aug.) quam vt regnum cælorum, non solum Zachæus emat dimidio rerum suarũ, sed & vidua duobus minutis? &c. O potentiss. semen!

Opera bona sunt semina in hac vita

Isa. 9.

Bona opera sunt semen gloria.

D. Aug.

Opera bona sunt semen potens.

Iacob 2. [Fides (inquit) si non habeat opera, mortua est in semetipsa, &c.] Mortuus equus non potest hominem ducere Romam; sic mortua fides nequit hominem ducere in cælũ. Viuens æquus hominem Romã perferet in cælum; in cælum enim illi peruenient, qui fidem non habent mortuam, & opera habent viua, iuxta illud Apocal. 14. [Beati mortui, qui in Domino moriuntur, &c. opera enim illorum sequuntur illos, &c.] Diuitiæ auolant, voluptates, caducaque omnia; opera bona sequuntur, faciuntq; beatos, Psalm. 127. [Labores manuũ tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit, &c.] Lege Augustinum eodem Psal. quo docet, nos cum operamur, labores manuum manducare; quia suauiter, ac dulciter pascitur iustus vir, bonorum operum labore; posteà verò in cælo iucundissimũ illorum fructum percipit. Modò (inquit) labores habemus, fructus postea erit. sed quia ipsi labores non sunt sine gaudio propter spem, modò ipsi nos labores nostri iucundant, & lætos nos faciunt de spe, &c. Comedebat labores manuum suarum, id est, opera bona, Rex Ezechias, cum Isaię 38. mortis accepto nuntio, Deum sic præcabatur: [Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est, in oculis tuis fecerim, &c.] Diuus Hieronymus Isaiæ 38. Iturus(inquit) ad Dominus Ezechias, narrat opera sua. Felix conscientia, quæ afflictionis tempore, bonorum operum recordatur &c. Extremo illo mortis tempore, cibus suauissimus est labor manuum nostrarum, fercula dulcissima sunt opera sancta; cæteros cibos fastidio prosequimur, hunc eo tempore vehementer appetimus.

Iacob. 2.

Fides mortua non ducit in calum

Simile.

Apoc. 14.

Ps. 127.

D. August.

Labores operum bonorũ iucundi.

Isai. 38.

D. Hieron.

In die mortis quã suauis operum manuũ nostrarum labor.

Quis enim est, qui tunc non optet vehementer, eximia pro Christo opera perpetrasse.

Denique qui fidem habet solam, & per opera mala a Deo recedit quodammodo Apostata dicitur. Est enim duplex Apostata, vt docet D. Gregorius

Duplex apostata.

by Google

gorius homil.9.in Ezech. his verbis: Sicut duobus modis à Deo receditur ita duobus modis à Deo Apostatæ homines fiunt. Nam vnusquisque à conditore suo, aut fide recedit, aut opere, &c. Fide recedit à Deo is, qui fidem deserit; opere recedit, qui bona opera non facit, sed mala. Greg. eodem loco: Sicut (inquit) qui à fide recedit, Apostata est; ita qui ad peruersum opus, quod deserit, reddit, à Deo Apostata deputabitur, etiãsi fidem tenere videatur, &c. eadem homilia, eum qui fidẽ habet, non opera idem sanctissimus Pontifex, domum esse ait exasperantem; quia Deum exasperat, malis operibus. Omnis (inquit) anima, etiam post acceptam fidem in peruersitate sua, aut permanens, aut reuertens, domus exasperãs vocatur. Quia eum, quem per fidem susceperat, repellit à se prauis moribus, &c. Ad hæc, qui fidem habet bonã, opera habet mala, Deum dicitur quodãmodo negare, videlicet factis, & operibus malis. Ad Titũ 1. [Confitentur se nosse Deum; factis autem negant, &c.] in quem locum D. Hieronymus sic scribit; Existimant quidam in eo tantum Deum negari, si in persecutione quis à gentibus cõprehensus, se renuerit esse Christianum, sed ecce Apostolus omnibus factis, quæ peruersa sunt, asserit Deum denegari. Quotiescumque vincimur vitijs, atque peccatis, toties Deum negamus. Et è contrario, quoties bene quid agimus, Deum confitemur. Hæc ille. Huc illud pertinet 1. Ioa. 2. [Qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est, &c.] Præterea qui fide præditus est sancta, & opera facit impia; Deum dicitur blasphemare, non ore, sed factis scandalo plenis, & vita. August. tract. 27. in Ioannem: Raro (inquit) iam inueniuntur, qui lingua blasphemant, sed multi qui vita, &c.

D. Gregor.

Fide vel opere à Deo recedimus.

Quomodo Deus negetur malis operibus.

Tit. 1.

D. Hieron.

1. Ioan. 2.

D. August.

Caueat ergo Christian⁹ ne à Deo recedat, & Apostatæ nomine dignus sit, aut Dei negatoris, ac blasphematoris, non fide, sed factis. Fidem cum operibus coniungat, totoque pectoris robore, bonis factis omnem operam det, iuxta illud Iob 17. [Tenebit iustus viam suam, & mundis manibus addet fortitudinẽ, &c.] Tenet iustus magna perseuerantia viam mandatorum Dei, qua in cælum facit iter, & puris ab omni scelere manibus fortitudinem quotidie maiorem addit, robustiusque & alacrius operatur bona opera, iuxta illud Psal. 83. [Ibunt de virtute in virtutem,] id est, de fortitudine in fortitudinem, tenet iustus viam mandatorũ, in ea semper incedit, ab ea non declinat, quasi circino ea se includit, ita vt nunquam exeat, licèt maximè, vel commodis inuitetur, vel incommodis depellatur. Abacuc 2. [Figam gradũ super munitionẽ:] teste Hierony Aquila, & quinta editio, vertunt, pro munitione, [circinũ,] Theodotio [gyrũ.] Verti ergo potest, [figã gradum super gyrum,] siue [super circinum] Interpretatur D. Hieron. [stabo super Christum petram, & rupem,] siue [munitionẽ,]. hoc gyro, & circino, quasi muro sepiar, ne ad me Leo rugiens possit irrũpere, &c. Nos sic interpretari possumus; loquitur iustus: figã gradum super gyrum, vel circinum, vel subsistam ad circinum, vel gyrum, uel in circino, & gyro mandatorum Dei: hoc gyro, hoc circino me sepiã, ex illo non egrediar, sed hic moriar. Etenim mandata Dei gyrũ esse, & septũ hominis docet D. Basil. homil. 3. hexam. Deus, inquit, animas humanas circũdedit septo, tum ea tutela, quæ ex præceptis resultat, tũ ipsa custodia Angelorum, &c. Ecclesiastici 15. [Deus ab initio constituit hominẽ, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata, & præcepta sua: si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere, &cet.] Ostendit Sapiens mandata gyrum esse, & septum, Christianum sapiens, & custodiens; [Si volueris] (inquit) [mandata seruare conseruabunt te;] si ex hoc septo nõ exeas. ostendit idẽ locus quæ sit fides Deo placita, Græcè dicitur, πίστιν εὐδοκίας, id est, fides beneplaciti,

Iob 17.

Psal. 83.

Abacuc 2.

D. Hieron.

Mandata Dei sepiũ, & murus.

D. Basilius

Eccl. 15.

Fides cum operibus copulata.

ti, siue beneuolentiæ Dei: ea autẽ est, quæ cum operibus, & mandatorum opinione est copulata. Si volueris (inquit) mandata seruare, & volueris fidẽ tuam placitã Deo facere, si volueris πίστιν habere εὐδοκίας, i. fidem beneuolentiæ, & beneplaciti Dei, quæ mandatorum flagitat operationem, conseruabunt te mandata, & huiusmodi fides non mortua, sed viua, operumque ornatu condecorata.

Fides beneplaciti, siue beneuolentia.

Ergo vt ait Apostolus, ad Gal. 6. [Dum tẽpus habemus operemur bonum;] veniet enim Sabbatum, i. cessatio, in quo post mortẽ meritoria opera efficere non possimus. Imitemur Hebræos de quibus Exod 16. dicitur; [In die sexta collegerunt cibos duplices, &c.] Colligebant singuli cæteris hebdomadæ diebus, ex manna Gomor vnũ: sexta die, quæ Sabbatum præcedit, duo colligebant, cibũque duplicabant, quoniam Sabbato ex cęlo non defluebat. Aeterno illo Sabbato bona opera, quæ gratiam gloriamque nobis pariant, colligere minimè poterimus: igitur dum tempus habemus operemur bonum, colligamus duplici, magnaq; mensura manna, i. opera, quibus pascamur in Sabbato. [Venit nox (ait Dominus Ioannis 9.] quãdo nemo põt operari, &c. Ecclesiæ 9. Quodcunque facere potest manus tua, instãter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapiẽtia, nec scientia erunt apud inferos, &c. Diu. Hieronymus sic interpretatur: fac quodcunque nunc potes, & labora. Quia cum ad infernum descenderis locus non erit pœnitentię, &c. Chaldæus sic; Omne quod suppeditauerit manus tua, ad faciendam eleemosynam pauperi, facito. Etenim post mortem non est viro opus, aut cogitatio, vel scientia, aut sapientia in domo sepulchri, quo tu vadis: & non adiuuabunt te nisi opera bona, & iustitia tantummodo. Hæc ille. Similiter Ecclesiasticus 14. [Ante obitũ, inquit, tuũ operare iustitiam: quoniã nõ est apud inferos inuenire cibũ, &c. Lege Origenem Psal. 36. hom. 3. cuius sunt hæc verba: Dominus ait: [Veniet nox quando nemo põt operari:] & hoc dicit de tempore quod erit post hoc sæculum, quo vnusquisque pro malis suis recipiet pœnas. Tunc dicit noctem illam futuram cũ iam nemo potest operari aliquid, sed vnusquisque tunc pascitur ex operibus suis, quæ hic positiue operatus ẽ. In illo famis tempore saturabuntur iusti ex fructibus iustitiæ suæ. Sicut enim in deserto sex diebus colligebant manna, in sexta die non vnius diei modum, sed quantum sufficeret in crastinum colligebant, & vnusquisq; edebat in die Sabbati, quæ collegerat in die sexta: ita etiam nunc, velut sexta quædam dies putanda est, Domini aduentus. Et idcirco dum in die sexta sumus, colligamus manna dupliciter, vt sufficere nobis possit dum aduenerit Sabbatum. Hæc Origenes. 2. Cor. 9. [Qui parcè seminat, parcè, & metet: & qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus & metet, &c. hoc est, qui parcè bona opera seminat, parcè metet præmium; qui copiosam operum sementem fecerit, copiosam messem in cælesti colliget beatitudine.

Dum tẽpus habemus ui ta, operemur bonum.
Exod. 16.
Sexta die duplo manna colligebatur.
Ambulãdũ dies est.
Ioan. 9.
Eccl. 9.
D. Hieron.
Chaldæus.
Eccl. 14.
Origen.
Hac vita ẽ dies sexta, qua duplo mãna bonorũ operũ colligendũ est.
2. Cor. 9.

CAPVT XIV.

Morale.

De parabola vitis, & palmitum.

Restat vt de supplicio dicamus illorũ, qui se à Christo separant, hoc enim proposuimus tertio loco tractandum. [Si quis (inquit Dominus in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet; & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet, &c.] hoc est suppliciũ stupen-

dum Christiani illius, qui in Christo per fidem viuam, & charitatem operantem, non manserit. [In ignem mittetur, ardebitque in sempiternum.] Congruunt verbis hisce, verba illa, quibus Dominus Ezechielem alloquitur ca. 15. [Fili hominis, quid fiet de ligno vitis? Nunquid tolletur de ea lignum vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat ex eo quodcunque vas? Ecce igni datũ est in escã, &c.] Inutilia penitus sunt sarmenta infœcunda: nulli operi idonea, soli incendio sunt apta. Egregiè dixit Augustinus tract. 81. in Ioannẽ: Vnum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis: si in vite non est, in igne erit, &c. Eundem in modum, inutile terræ pondus est Christianus à Christo separatus, quique sola fide contentus, charitatem negligit, neq; illam recuperare conatur. Vnum de duob. illi cõgruit, aut vitis, aut ignis: id est, aut Christo per fidem viuã adhęrere, & bene operari; aut igne ęternο cruciari. Mittitur in ignẽ infœcũdus palmes: mittitur in ignem infructuosus Christianus, Matth. 25. [Discedite à me maledicti in ignem æternũ, &c.] Cur mittuntur hi maledicti palmites in ignem æternũ? non quia fide caruerunt, sed quia infructuosi fuerunt. [Esuriui enim (ait Iudex) & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum, &c.] Similiter Matthæi 3. ait Baptista: [Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur &c. Psalmo 20. Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui, & deuorabit eos ignis, &c.] instar clibani intus in animo inflammatur damnatus; & foris in corpore ardet. Diuus Gregorius Iob 20. ad illa verba: [Deuorabit eum ignis, qui non succenditur, & cæt.] Clibanus (inquit) intrinsecus ardet, is verò, qui ab igne deuoratur ab exteriori incipit parte concremari. Vt ergo sacra eloquia ardere, & interius, & exterius reprobos demonstrarent, eos, & ab igne deuorari, & sicut clibanum poni testantur, vt per ignem

Ezech 15.
Infructuosi Christiani, in ignẽ Tartarum mittuntur.
D. Aug.
Palmiti cõuenit necessario aut vitis aut ignis aĩa verò aut Christus aut īfernus.
Matth. 25.
Matth. 3.
Psal. 20.
D. Greg.
Interius & exterius impii torquentur.

A B C D E

cruciëntur in corpore, & per dolorẽ ardeant in mente, &c.

In ignem mittetur palmes, sed non consumetur, & in sempiternum cruciabitur. [Arescet palmes (ait Dominus) & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet, &c.] Arescit damnatus homo, quia omnium bonorum spiritualium, & corporalium priuatur virore, dum vita suppetit, diuitiarum, voluptatumque viriditate florescit, postmodum admirabili ariditate exsiccatur. Considera quæso diuitem illum viridissimum, ac nitidissimum, qui Lucæ 16. induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè vide quam sit in inferno aridus; Abrahamum sic orat: [Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam; quia crucior in hac flãma, &c.] Valde aruit inutile sarmentum, quod ne guttam quidem aquæ potuit impetrare. Iob 20. de impio; [Luet, quæ fecit omnia, nec tamen consumetur, &c.] Diuus Gregorius in hæc verba: Vt sine fine (inquit) crucietur impius, viuere sine fine in pęna compellitur: vt cuius vita hic mortua fuit in culpa, illic eius mors viuat in pœna. Cruciatur impius, & non extinguitur, moritur, & viuit, deficit, & subsistit: finitur semper, & sine fine est, &c. Psalmo 55 [Pro nihilo saluos facies eos, &c. Hoc est, pro nulla re, vt Iansenius interpretatur, saluos facies. Congruunt verba damnatis, pro nulla re, pro nullis lacrymis, & gemitibus, pro nulla pęnitentia, quæ falsa iam erit, pro nullis cruciatibus saluos eos faciet Deus; sed in sempiternum puniet. Ecclesiastes 11. [Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit, & cæt. De damnatis, & beatis locus exponitur; homo arbori similis est; cadit in morte, siue ad Austrum gloriæ, si in gratia moritur: siue ad Aquilonem, id est, in Orcum, si in peccato mortifero ex vita migrat; ibi autem erit in sempiternũ, vbi ceciderit. Ergo (inquies) si in

Arescit impius.
Iob 20.
Impiorũ palmitũ ignis, & pœna æterna est.
D. Greg.
Psal. 55.
Dauidis explicatio.
Eccl. 11
Homo arbori persimilis.

si in purgantem ignem abierit, ibi semper erit, id inficiamur. Nã ignis purgans via quædam est ad gloriam; hæc autẽ verba de terminis viæ ænigmaticè dicta sunt. Diuus Bernardus sermone 49. ex paruis; Exciditur (inquit) arbor in morte, & quocumque ceciderit ibi erit: quia ibi te iudicabit Deus, vbi inuenerit: ibi inquam, erit arbor immutabiliter, & irretractabiliter, &c. Eodem loco egregiam adijcit adhortationem; Videat (inquit) arbor, quò casura sit, antequã cadat, quia postquàm ceciderit, non adijciet vt resurgat, sed nec vt se vertat. Quò verò casura sit arbor, si scire volueris, ramos eius attende. Vnde maior est copia ramorum, & ponderosior, inde casuram ne dubites, si tamen fuerit tunc excisa. Rami nostri desideria sunt, quibus ad Austrũ extendimur si spiritalia fuerint, si carnalia ad Aquilonem hæc ille, & alia. Diuus Hieronymus Isaiæ 63. Infernũ ciuitatem munitam appellat; in qua (inquit) clausæ sunt animæ mortuorum, & circumdata est firmissimis custodijs, &c. Firmissima inferni custodia est Dei potentia, quæ tum damnatos homines, tum dæmones in carcere, cruciatibusque continebit sempiternis. Est autem hæc ciuitas Babel, siue Babylon, id est, confusio; iuxta illud Iob 10. [Terram miseriæ & tenebrarum, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, &c.] Est ibi ordo summus in tormentis, vt docet Diuus Gregorius eodem capite: Tormenta, inquit, quæ ex lance iustitiæ prodeunt, inferri sine ordine nequaquam possunt. Quomodo namq; in supplicijs ordo non erit, dum damnatum quemque iuxta modum criminis, retributio sequitur vltionis? Hæc ille. sed tamen ibi nullus ordo est temporum, quia non est ibi ver, hyems, autumnus, æstas, vt nunc est super terram; nullus est ordo dignitatis, & locorum, inter nobiles, & ignobiles, nullus inter diuites, & pauperes, nullus ordo qualis in Republica seruari solet; nullus ordo cogitationũ, verborum, aut operationum. In damnatis omnia sunt confusa, perturbata, doloribus, ac gemitibus, & tenebris oppleta.

D. Bernar.

Vide quo tendas.

D. Hieron.

Iob 10.

In Tartaro ordo est in tormentis.

D. Gregor.

In quibus non sit ordo in Tartaro.

[In inferno nulla est redemptio:] canit Ecclesia, in Officio defunctorũ: si quis captiuus in Africam ducitur à Mauris, est in Africa redẽptio; si ducitur Constantinopolim à Turcis, est Constantinopoli redemptio. At verò si quis captiuus ducitur in Infernum à dæmonibus, in inferno nulla est redemptio. [Quam commutationẽ dabit homo pro anima sua,] ait Dominus Matthæi 16. Nullum est argentum, nullum aurũ, nullæ gẽmæ, nullum pretium in toto orbe, quo redimi possit anima Orco mancipata, Psal. 48. [Frater non redimit, redimet homo? Non dabit Deo placationem suam, & pretium redemptionis animæ suæ: Et laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem &c.] hoc est: Nullus homo hominem Orco damnatum redimere potest. Non poterit Deum placare vlla oblatione damnatus, nullum pretium pro anima sua reddere valebit. In æternum, tormentorum laborem grauissimum perpetietur, & viuet semper, vt semper torqueatur. D. Greg. lib. 9. Moral. c. 38. Nequaquam vltra misericordia parcentis liberat, quos semel in locis pœnalibus iustitia iudicantis dãnat, &c. eodem Psalmo: [Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos, &c.] Innocentius lib. 3. de contẽptu mundi, Dictum, inquit, est hoc à similitudine iumentorum, quæ non radicitus euellunt herbas; sed summitates tantummodo carpunt, vt iterum herbæ renascantur ad pastum: sic & impij quasi morte pasti, reuiuiscent ad mortem, vt æternaliter moriantur: tunc erit mors immortalis, quærent mortem, & non inueniẽt, quia vitam habuerunt & perdiderunt. Hæc ille. Huic simile illud Maronis libro 6. de Tityo apud inferos cruciato, cuius iecur à vulturibus discerpitur, consumptumque renascitur, vt semper discerpatur.

Nulla redẽptio est in inferno.

Matth. 16.

Animæ pretiũ nullum est.

Psalm. 48.

D. Greg.

Innocent.

Maro.

Rostroque (inquit) *immanis vultur obunco*

Immor-

Immortale iecur tundens, fœcundaque pœnis.
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur vlla renatis, &c.

Vmbra est damnati hominis; cuius immortale corpus est ad ferenda tormenta, fœcunda pœnis illius sunt viscera, nec requies, datur vlla. Item Naso lib 1. de Ponto, eleg. 2.

Ouidius.

Sic inconsumptum Tityi, semperque renascens,
Non perit, vt possit sæpe perire, iecur.

Sic inconsumpta damnatorum corpora, & ad cruciatus veluti renascentia, non pereunt, vt possint perire, ac torqueri in sempiternum. Chrysostomus epistola 5. ad Theodorum lapsum: Hic (inquit) habent tristia finé, eumque celerrimum, illic sæculis extenduntur immortalibus: hic non simul contingunt vehementia pœnarum, & earum diuturnitas. Altera enim cum altera pugnat, propter conditionem corruptibilis corporis. Immortalitate autem succedente soluitur hæc pugna, & magna potentia, nos in infinitum vtraque mala possidebunt, &c.

D. Chrysost.

Aeternitas hæc pęnarum cogitanda est, vt voluptatum turpem dulcedinem hoc felle amarissimo repellamus Nam vt ait Diuus Prosper lib. 3. de vita contemplat. cap. 12. hæc terribilia mala, fidelium mentes salubri terrore concutiunt, & ab omnib. vitiosis delectationibus abducunt, &c. Item Hæc cogitare nihil est aliud, quam vitijs omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnalia refręnare, &c. Augustinus Psalmo 49. Minis, inqt, Dei, minis æterni ignis, prohiberis à malo, īuitaris ad bonū, &c. Quis adeò insanus est, vt pro voluptate vnius diei, igneos centum annorū cruciatus ferre velit? ò insaniam hominū impiorū pro modica voluptate in tormenta se præcipitant sempiterna. Chrysostomus ad Theodorum epistola 5. Quam exquisitas (inquit) delicias appetitis, & quantū tēporis apponi cupis illi supplicio, & pęnę inferni? Visne centū annos, aut bis centū? Verum quid sunt hi ad sæcula interminabilia? Quod enim est somniū vnius diei per omnē vitam, i. fructus rerū præsentium comparatus ad statum futurorum bonorum. Estne qui propterea vt suaue somnium videat, per omnē vitam eligat ferre cruciatum & quis sic stultus est, vt vltrò ad talem mercedem aduolet? Sic ille.

Pœna æterna consideranda.
D. Prosp.
D. August.
D. Chryso.
Vita huius voluptas somniū est.

Contemne ò Christiane voluptatem breuissimæ vitæ, ne in cruciatus te præcipitet sempiternos, amplectere ex igni temporis pęnitentiam; vt totius æternitatis euadere possis supplicia. Ne dura tibi, & amara videatur pęnitentia, Tartarei ignis duritiem amaritudinemque proponeante oculos.. Audi Diuum Bernardum sermone 3 in Psalmum, [Qui habitat;] Respondent, inquit, homines sęculares, cum eis suademus agere pęnitentiā, & dicunt: Durus est hic sermo. Ergo ne durum est, breuissimo, & leuissimo labore, tormenta illa redimere, quæ nullus terminus finiat, nullus animus sufficiat cogitare? Durum vobis videtur, cum dicitur; Agite pęnitentiam, erratis: sed audituri estis aliquando verbū asperū, sermonem durum, [Ite maledicti in ignem æternum.] hoc timete, hoc durum reputate, & inuenietis, quia [iugum Domini suaue est, & onus eius leue] Si in seipso suaue illud credere necdū potestis, vel hoc non ignoratis, quoniā huius cōparatione suauissimum est, &c.

Nō videtur pænitentia ei amara, qui Tartareas meditatur flāmas.
D. Bernar.
Pœnitentia leuis est collata cum æternis cruciatibus.

Denique audiamus Sapientem Sapientiæ 1. [Nolite (inquit) zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum. Quoniā Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione morientium, &c. Dixerat;] Os quod mentitur occidit animam. Os (inquam) maledicorum, & obtrectatorum, qui proximi existimationem grauiter offendunt. de morte animæ addit: [Nolite mortem animæ zelare;] hoc est, veluti zelando, & amando vobis comparare, [in errore,] id est, per errorem [vitæ vestræ, neq; acquiratis perditionem

Sap. 1.
Locus libri Sapientiæ latè explanatur.

nem perpetuam, in operibus, hoc est, per opera mala manuum vestrarum. [Quia Deus mortem non fecit] sed fecit illam peccatum. Non enim Deus mortis, aut corporis, aut animæ causa fuit, sed diabolus & peccatum: neque lætatur Deus in perditione morientium; lætatur tamen in iustitia sua quam illos puniendo in sempiternū seruabit. Optimum est sapientis consilium, sed minimè seruatur a multis: ideò Sapiens addit; [impijs manibus, & verbis accersierunt illam,] id est, mortem &c. Heu viros mentis, consilijque expertes, qui animæ mortem, & consilia sempiterna manibus, linguaque vocant, hoc est, impijs operibus, impijsque verbis. Nonne libidinosus mortem animæ zelare videtur, & operibus suis vocare, quasi amicã, & dilectam? nonne prædator, similesque alij? Idcirco sequitur apud Sapientem: [Aestimantes illam amicam defluxerunt, & sponsiones posuerunt ad illam:] Græcè συνθήκην ἔθεντο πρὸς αὐτόν, id est, pactum posuerunt in mortem, &c. Videntur namq; animæ mortem amicam sibi arbitrari, & pactum videntur cum ea fecisse, qui turpissimis oblectantur operibus, ijsq; quasi pugionibus miseram perimunt animam, neque illam cum possint in vitam conantur reuocare. At Deus, vt ait Sapiens, [Sanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non est in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra, &c.] Græcè, σωτήριοι αἱ γενέσεις τοῦ κόσμου, hoc est, salutiferæ, siue salutares sunt generationes mundi, siue nationes, possunt enim Deo opitulante sibi afferre salutem, moresque emendare. [Non est in illis medicamētum, Græcè, φάρμακον, exterminij, siue perditionis, ὀλέθρου, hoc est, non est in nationibus, vel in hominibus, medicamētum siue pharmacum aliquod venenosum, a Deo, & natura illis insitum, quod exterminium, siue perditionē animæ afferat. Non enim à Deo vel à natura ipsa, quatenus à Deo condita est, habet homo peccatum, sed à peccato primi parentis, peccatum habet originale; à voluntate verò sua actualia. Sunt multa in rebus creatis venena, quæ corpori afferunt mortem; at nullum est, quod animum possit vita priuare, si ille veneno resistat. [Neque inferorum regnum est in terra. Græcè, οὐδὲ ᾅδου βασίλειον ἐπὶ τῆς γῆς, [neque Tartari regia] siue [palatium est super terram.] Non est autem Tartari regnum super terram, quia non potest dominari diabolus hominibus inuitis, ac renitentibus, sed ijs dominatur, qui vltrò illius iugum subeunt. Aliter; [non est inferorum regnum super terram.] quia possunt homines, quandiu super terram viuunt, mutare mentem, & ad meliorem se frugem recipere, quod in regno inferorum non reperitur. Aliter, non sunt tormenta Tartarea super terram, quę nemo eorum euadere potest, qui illis cruciantur: quasi dicat, fecit sanabiles nationes mundi, & non posuit in illis Deus vllum peccati venenum; neque collocauit super terram, æterna scelerum supplicia. Sed tamen si non est super terram, est infra terram regnum horrendum inferorum, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, omnibus malis plenum, omnibus bonis priuatum, omnibus cruciatibus exundans.

Deus mortem quomodo non fecerit.

Impij mortem sibi afferunt.

Sap. 1.

Explicatur Sapiens.

In terra nō potest dominari diabolus inuitis hominibus.

Absconditum est super terra, non cernitur corporis oculis; at cerni potest oculis mentis. Prudens vir ad inferos quotidie descendit, vt regnū inferorum videat, descendit sæpe viuens, & semper reuertitur; ne semel descendat moriens, nec vnquam reuertatur. Descendit non vt Aeneas Virgilianus, sed vt sapiens Christianus, immania illa supplicia percurrit igneos illos rogos intuetur, cruciatus horrendos considerat: principes ibi cernit, duces, quosque in summo habuit mundus imperio reges, omni honore spoliatos, omni dedecore oppletos, flammarum ardore incensos: voluptarios videt, pro breui voluptate æterni soluentes doloris pretium: diuites impios inspicit, in extremam redactos paupertatem, flammis vndique cinctos, gemitus, lamenta, vlulatus,

Prudēs vir descēdit in infernū viuens, ne descendat moriens.

latus, inutilia damnatorum, imo pectore emissa suspiria audit, mæstitiã, dolorem, desperationem, ignis, tormentorumque acerbitatem, & æternitatem, secum expẽdit tacitus. Tum in illa verba prorumpit Diui Gregorij 20. Moral. cap. 11 Hæc solo auditu valde sunt terribilia, quantò magis passiones? &c. & in illa ex Isaiæ 33. [Quis poterit habitare cum igne deuorante? quis habitabit cum ardoribus sempiternis, &c.] tum illa etiam vsurpat Poetæ:

D. Gregor.

Isai. 33.

Virgil.

Quàm vellent æthere in alto,
Nunc, & pauperiem, & duros perferre labores.

Sanè (inquit) si daretur optio, eligerent hi in vitam reuerti, milleque per annos acerbissimos labores, carnisq; afflictiones ob consequendam Dei gratiam perpeti. Quid igitur ago? cur paucos hos vitæ annos inutiliter expendo? Eia age anime, mutanda est velificatio, etsi omnes mundi turbines, omnes irruant tempestates, in cælum prora est dirigenda; omnia breuis vitæ sunt ferenda mala, vt æternis eripiamur malis, omnia facienda bona, vt æternis perfruamur bonis. Reuertitur ab inferis Christianus, illo igne ad bona omnia facienda, malaque pro Deo perferenda incensus, quo impios torqueri vidit, quia nec bona pro Deo facere, neque mala pati voluerunt. Descendisse ferunt fabulæ in Orcum Herculem, trahitque inde catenatum dæmonem, catenasque cupiditatis. O potentissimum ignem Tartareum! Demones velocissimos, animosque ligat sub terra: idẽ verò si consideratione in animum infertur, cupiditates omnes, Deo afflante, costringit super terram. Apud inferos impios torquet, apud superos impias cupiditates extinguit: apud inferos homines incendit, apud superos voluptates exurit: apud inferos peccatorum supplicium est, apud superos peccatorum est interitus. Nõ habet vllus ignis potestatem, qua ferrum in aurum conuertat: ignis Tartareus potestatem habet hanc, Deo opitulante: hominem ferreum, id est, peccato obduratum in hominem conuertit aurum, abiecto peccato, Deo ferente opem: hoc igne cõsiderato cor durum mollescit, fitque cereum, mundi, peccatique figuram abijcit, Christi imaginem recipit. Vtamur igitur igne Tartareo apud superos, ne idem ignis, & Deus abutatur nobis apud inferos, iuxta illud Ierem. 18. [In tempore furoris tui abutere eis, &c.] Carthusianus Dionysius in hæc verba, Abuti (inquit) aliqua re est vti eã ad contrarium eius, ad quod directè ordinatur. Cùm ergo homo sit ad felicitatem creatus, dicitur Deus abuti eo, dum ad pœnas damnationis eum impellit, &c. Creatus est homo ad fruendum beatitudine sempiterna, hic illius finis est; quia verò criminibus se inquinat mortiferis, supplicioque dignum efficit, dicitur Deus eo abuti, cum tormentis æternis afficit, quoniam non vtitur illo in finem, ad quẽ conditus est; sed hic abusus ex culpa oritur hominis, illique tribuitur. Deus verò damnato vtitur præclare, quia iustitiam in eo exercet, & demonstrat.

Herculẽ ex inferis eduxisse Cerberum narrant.

Cõsideratio inferni multum confert ad animas conuertendas.

Ierem. 18.

Carthus. Quid sit abuti.

Quõ Deus impijs abuti dicatur.

Digitized by Google

CAPVT XV.

De sermone Domini in cœnaculo.

IOANNES CAPITE XV.

Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicā vos seruos: quia seruus nescit quid faciat Dominus eius: Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat: vt quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

AD mutuam charitatem adhortatus est Dominus discipulos, initio huius sermonis, illis verbis: [Mādatum nouum do vobis, vt diligatis inuicē sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionē habueritis adinuicem, &c.] Nunc ad eandem adhortationem reuertitur, idemque mandatum repetit. Hæc autem eiusdem mandati repetitio, mandati commendatio, vt ait Augustin. tract. 83. Item Euthymius: Frequenter (inquit) Christus talia dicit, vt cordibus discipulorum, charitatem indelebiliter insculptat. Diuus Chrysostomus quærit, Quare Dominus A semper dilectionem extollit? Respondet; Quoniam hoc est discipulorum argumentum, hoc virtutem corroborat, &c.

D. August. Mādati cōmendatio est illius repetitio. Euthymius D. Chrys.

Suprà mandatum hoc charitatis mutuæ, nouum appellauit: [Mandatum (inquit) nouum do vobis;] nunc suum appellat; [Hoc (inquit) est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.] Quæstio est, cur suum appellet hoc dilectionis B præceptum? Nonne decem legis mandata, mandata quoque de Baptismo, de Confessione, de Eucharistia, aliaque similiter, Christi mandata sunt? cur igitur ait, [Hoc est præceptum meum,] quasi reliqua ipsius non sint?

Cur Christus suū appellet mandatum dilectionis.

Respōdetur Dominum hoc loquēdi modo ostendisse, quantopere diligat charitatem, eaque oblectetur; suum

Quam dilecta Christo charitas.

suum appellauit præceptum charitatis, quasi præcipuum, maximeque sibi gratum, & dilectum. Pater qui plures habet filios, ait aliquando de vno aliquo illorum, hic est meus filius, nō negat alios esse filios, sed significat illum sibi maximè placere, maximeq; esse dilectum. Ita Christus licèt multa præcepta dederit, de præcepto charitatis ait, [Hoc est præceptum meum:] non negat alia sua esse præcepta, sed hoc indicat, sibi vehemēter placere, vehementer sibi cordi esse, & esse inter omnia, quæ ad proximū pertinent præcellens. Nonne præcellentius est mādatum dilectionis Dei, cur ergò de illo non agit? Respondetur, de hoc præcepto egisse Dominum, in parabola de vite, & palmitibus proposita; qua suasit discipulis vt in se manerent, per fidem cum charitate copulatam. [Manete,] inquit, [in dilectione mea, &c.] Præterea satis apertum erat, Deum esse diligēdum, illamque dilectionem illi maximè placere. Non erat autem adeò perspicuum, dilectionem mutuā inter homines, tanti esse pretij apud Christum, tantopereque illi gratam esse: ideò illam discipulis vehementer commendat, quos oportebat arctissimo dilectionis vinculo cōstrictos esse, vt toti mundo Euangelium promulgarent. Diuus Chrysostomus sentit, Christum hoc præceptum suum appellasse, quia proximi dilectio continet præcepta omnia, quasi dicat Dominus, hoc est præceptum meum vnicum, vt diligatis inuicem: quia hoc vno cætera omnia continentur, iuxta illud Apostoli ad Galatas 5. [Omnis lex in vno sermone impletur; Diliges proximum tuum sicut teipsum, &cet.] Theophylactus. Ideò, inquit, Christus ait, Hoc est præceptum meum: quia dilectio omnia mandata complectitur, & caput est, &cet. Item Diuus Augustinus; Dixit Christus; [Hoc est præceptum meum;] quasi non sit aliud eius mandatum. Deinde rogat August. Nunquid solum Christi mādatum est de dilectione, qua diligimus inuicem? Respondet: Hoc est præceptum Domini teneamus, vt nos inuicem diligamus, & quidquid aliud pcipit faciemus, &c. Diuus etiam Gregorius homilia 27. in Euang. Præcepta, inquit, dominica, & multa sunt, & vnum. Multa per diuersitatem operis, vnum in radice dilectionis, &c. Idem habet Rupertus. Dixerat Dominus paulò antè; [Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, &c.] nunc ait, [Hoc est præceptū meum, &c.] quasi dicat iuxta sententiā horum Patrum; hoc est præceptū continens reliqua omnia præcepta mea. Caietanus: Quamuis, inquit, pluraliter dixerit præcepta mea, omnia tamen ad vnum redigit; dicendo, hoc est præceptum meum, &c. Cardinalis Toletus arbitratur eodem sensu dixisse Dominū, [Hoc est præceptum meū;] quo dixit: [Si præcepta mea seruaueritis; præcepta mea dixit;] id est, quæ vobis tradidi, eodem modo, [hoc est præceptum meum,] id est, præceptum quod nunc vobis ego do neque displicet interpretatio.

Dilectio mutua valde Christo placet.

Cur Christus de dilectione Dei non egerit.

D. Chrysost.

Gal. 5.

Theophyl.

D. August.

Charitas mandata omnia complectitur.

D. Greg.

Rupertus.

Caietan.

Card. Tol.

Vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.

Diuus Augustinus tract. 83. verba hæc finem continere existimat, in quem mutua tendit charitas hoc sensu; diligite, sicut dilexi vos in beatitudinem. Vt quid enim (ait Augustinus) diligit nos Christus, nisi vt regnare possimus cum Christo? Ad hoc ergo, & nos inuicem diligamus, vt dilectionem nostram discernamus à cæteris, qui non ad hoc se inuicem diligunt, quia nec diligunt. Qui autem se propter habendum Deum diligūt, ipsi se diligunt, &c. Item, Diuus Gregorius eadem verba; [sicut dilexi vos;] his verbis interpretatur: [Ad hoc amate, ad quod amaui vos, &c.] Rupertus aliter interpretatur, hunc in modum: Diligite sicut dilexi vos, id est, sicut ego vos dilexi vsque ad mortem, sic vos diligite vsq; ad mortem,

D. August. Amandus proximus in beatitudinem.

D. Greg.

Rupertus. Diligendus proximus vsque ad mortem.

tem, ita vt si opus fuerit mortem pro fratribus perferatis. Caietanus hanc, & superiorem interpretationē complectitur: Modus (inquit) præcipitur diligendi inuicem, similis modo, quo Christus dilexit nos. Constat enim, quod hic modus sonat diligere relatiuè ad vitam æternam, subordinando bona omnia temporalia, vsq; ad vitam inclusiuè, spirituali saluti dilectorum. Sic ille. Diuus Thomas in Ioānem, sic exponit; Christus (inquit) dilexit nos ordinatè, & efficaciter: ordinatè, quia nihil in nobis dilexit nisi Deum, & in ordine ad Deum; efficaciter, quia in tantum dilexit vt semetipsum pro nobis traderet. Nos ergo debemus proximos diligere sanctè ad bonum, & efficaciter, scilicet vt dilectionē opere ostendamus, &c. Lyranus sic: [sicut dilexi vos,] gratuitè, quia prior dilexi, rectè, & ordinatè, quia dilexi in vltimum finem in beatitudinem, & efficaciter, quia animam meam pro vobis posui. Placet Ruperti interpretatio, imò omnes simul in vnam comprehensæ hoc pacto: [Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos;] hoc est, ego dilexi vos vsque ad mortem; similiter vos diligite inuicem vsque ad mortem; vitam ipsam si fratris salus flagitarit omnibus periculis, ipsiq; morti libenter offerte. Dilexi vos in beatitudinem, & in Deum gratuitè, & efficaciter, similiter vos diligite proximum ordinatè in æternam felicitatem, gratuitè, nihil nisi Deum in eo quæratis, & diligite non solum verbo, sed etiam efficaciter opere. Præcipuè tamen Dominus loqui videtur de dilectione vsque ad mortem, vt indicant verba consequentia.

Caiet. — *D. Thom.* — *Quomodo sit proximus diligendus, ordinatè, efficaciter, &c.* — *Lyranus.* — *Opere, non verbo diligendus est proximus.*

Maiorem hac dilectionem nemo habet.

Pro proximo mors oppetenda.

Dilectionis præceptum dedit, quousque hæc dilectio protendatur adiungit; ad mortem vsque pro proximo, si opus sit, subeundam, protendi docet. [Diligite sicut dilexi vos,] diligere autem debetis ita, vt si opus sit, mortem pro proximo oppetatis; hæc charitatis est meta, me imitamini, crastina enim die pro vobis crucifigar. 1. Ioan. 3. [In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere, &c.] Loquitur autem Dominus vniuersè de hominibus; non de sua solum charitate. Hæc est sententia Diui Bernardi loco infrà citato, & Cardinalis Caietani. Ideò (inquit) in tertia persona indicit hanc sententiam, vt insinuet, quòd non de seipso, sed de alijs hominibus loquitur. &c. sed tamen, seipsum etiam indicat pro amicis moriturum, dum hæc dicit.

1. Ioan. 3. — *Caiet.*

Obijcitur: Maiorem illum habere charitatem, qui pro inimicis vitam profundit. Probatur ex Diuo Bernardo sermone feriæ 4. hebdomadæ sanctæ: Tu (inquit) Domine maiorem habuisti charitatem, ponens animam tuam, etiā pro inimicis, &c. Et Diuus Gregorius homilia 27. in Euangelia: Vna (inquit) & summa est probatio charitatis, si & ipse diligitur, qui aduersatur, &c. Et Diuus Paulus ad Romanos 5. [Vt quid Christus pro impijs mortuus est? vix enim pro iusto quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, &c.] Concedimus, illum habere charitatem maiorem, qui pro inimicis, quàm qui pro amicis subit mortem: Christus tamen hoc loco de amicis tantum loquitur, hoc sensu; Maiorem in amicos charitatem hac nemo habet, vt animam suam ponat quis pro illis. Loquitur autem de amicis, quia cum amicis, id est, discipulis, loquebatur; significare verò volebat, se pro illis paulò post in crucem agendum. Vnde addit [Vos amici mei estis; iam non dicā vos seruos sed amicos, &cet.] scilicet, pro quibus

Obiectio. — *D. Bern.* — *D. Greg.* — *Rom. 5.* — *Responsio. An habeat maiorē charitatem is, qui pro inimicis moritur.*

quibus moriar. Præterea agebat de charitate mutua, quæ inter amicos est: [Hoc est] (inquit) [præceptum meum vt diligatis inuicem,] id est, vt amici sitis, neque vlla inter vos inimicitia intersit. ideò de amicis quoque loquitur cum ait; Maiorem hac charitatem nemo habet, vt animam suã ponat quis pro amicis suis, &c.] Respõdetur præterea, Christum non extollere charitatem ex personis in quas fertur, sed ex bonis quorum iactura fit. Non enim tam spectat personas, quàm quid propter personas amittatur. Nihil autem amitti potest maius ipsa vita. ideò ait, [Maiorem hac charitatem nemo habet, vt animã suam ponat quis pro amicis suis;] hoc est: non potest homo propter charitatem maius aliquid amittere, quàm vitam: charitas maxima est, quæ amittit bonum maximum, bonum verò maximum omnium, quæ propter charitatem amitti possunt, vita est, siue pro amicis, siue pro inimicis illa amittatur. Responderi etiã potest, Christum de amicis solum fecisse mentionem, quia quicũque pro alijs vitam profundunt, pro amicis moriuntur, quamuis enim reuera inimici sint, tamen ab ijs, qui mortem subeunt, diliguntur, & amici reputantur. Sic Christus quamuis pro inimicis cruci suffixus sit; pro amicis mortuus dicitur, quoniam eos, pro quibus est mortuus, diligebat. Vnde D. Bernardus sermone 9. in Psal. [Qui habitat:] Non aliter (inquit) pro amicis mortuus est Christus, nisi pro acquirendis, videlicet vt amicos faceret ex inimicis. Cum enim adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per sanguinem filij sui. Aut potius pro iam amicis, etsi nõdum quidem amantibus, sed tamen iam amatis. hæc ille, & D. Thomas in Ioannem: Homines (inquit) pro quibus Christus animam posuit, licèt non essent amici, quasi amantes; erant tamen amici, vt amati, &c. Caietanus vult Christum significasse hoc loco, charitatem suam, maximã hominum inter se charitatem superasse, quasi dicat; Maxima hominum charitas illa est, qua mortem pro amicis oppetunt: at ego mortem perpetiar pro inimicis, quod maius est.

Alia responsio.

Maximum bonũ quod propter charitatẽ amittitur est vita.

Alia responsio.

Quomodo Christ⁹ pro amicis dicatur mortuus.

D. Bernar.

Caiet.

CAPVT XVI.

De sermone Domini in cœnaculo.

Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.

DIxit maximæ charitatis actum externum esse, pro amicis mortem perpeti: nunc discipulos suos docet, qua ratione amici sui esse debeant, innuitque se pro illis, videlicet amicis, paulò post mortem perpessurum. [Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis:] vos autem [estis,] pro futuro, [eritis] mihi amici (pro quibus mortem cras perferam) si mandata mea seruaueritis. Nam absque mandatorum obedientia, non potest cõstare amicitia inter me, & vos. idem suprà dixit; [Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, &c.] Nimis inculcat Dominus præceptorum obseruationem, ex ea enim pendet æterna vita. Cur non ait Dominus vos serui mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis; serui enim potius, quàm amici est mandatis Domini obsequi, iuxta illud Lucæ 6 [Quid vocatis me Domine Domine, & non facitis, quæ dico, &c. hoc est, seruos vos profitemini, & mandatis meis non obtemperatis, quod seruorum pro-

Tum seruitus, tũ amicitia Dei, mandatorũ flagitat obedientiam.

proprium est. idque docet Augustin. tractatu 83. in Ioannem. Respondetur, non solum seruorum Christi, sed etiam amicorum proprium esse, præcepta obseruare: atque ideo dixisse Dominum; [Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis;] tã enim seruitus, quam amicitia Dei, mandatorum flagitat obedientiam, iuxta illud Diui Gregorij hom. 30. in Euang. Probatio dilectionis exhibitio est operis, &c. Diuus Augustinus dignationem hic vult esse Christi: magna (inquit) dignatio, cum seruus bonus esse non possit, nisi præcepta Domini sui fecerit; hinc amicos suos voluit intelligi; vnde serui boni possunt probari. Sed ista dignatio est, vt Dominus, quos nouit seruos suos, dignetur dicere amicos suos, &c.

D. August.

Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius.

GRæcè, οὐκέτι ὑμᾶς λέγω δούλους, id est, [non amplius vos dico seruos;] præsens pro futuro ponitur, seruos putat Rupertus appellari hoc loco inimicos, hoc sensu; iam non dicam vos seruos, id est, inimicos, sed amicos. caret probabilitate sensus hic. Diuus Augustinus, Diuus Thomas, & alij, seruos censent hic significare eos, qui serui sunt, timore seruili, hoc pacto; iam non dicam vos seruos timore seruili. Cardinalis Caietanus sic interpretatur: Iam non dicam vos seruos tantummodo, sed seruos, & etiam amicos. Aliter D. Thomas: [Iam (inquit) non dicam vos seruos:] quasi dicat Dominus, etsi olim fueritis quasi serui sub lege, nunc estis quasi liberi sub gratia, &c. Et Cardinalis Hugo: Iam (inquit) nõ dicam vos seruos, sicut Iudæi fuerunt, qui seruiliter fecerunt mandata Dei, &c.

Serui proprie sũt q timore seruili ducuntur.

Caiet.

D. Thom.

D. Irenaus.

Status legis veteris fuit seruorũ, noua est amicorum.

Et Diuus Irenæus lib. 4. cap. 27. In eo (inquit) quod Christus dicit: [Iam non dico vos seruos;] manifestissimè significauit se esse, qui primò quidem eam seruitutem, quæ est erga Deum, hominibus per legem constituerit, post deinde libertatem eis donauerit, &c. Vnde elicitur hic sensus: Iam non dicam vos seruos secũdum statum legis, quales sunt Iudæi, sub lege veteri, sed dicam amicos sub lege noua. Nam vt diximus tomo 1. lib. 1. cap. 7. legis veteris status seruorum erat, non filiorum, siue amicorum: legis autem nouæ status filiorum est, & amicorum: legis autẽ nouæ status filiorum est, & amicorum: sequitur hunc sensum Cardinalis Toletus. Verum non videtur Christus seruorum nomine, seruos iutelligere secundum statum legis. Nam si rationem spectes, quam reddit, cur discipuli non sint serui, sed amici, ea connenit Israelitis, qui sub statu legis erant: illis enim Deus sua arcana aperuit, non verò gentibus, iuxta illud Psalmi 147. [Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis, &cę]. ergo amici dici poterant, iuxta verba Christi: [vos amici mei estis, quia arcana Patris nota feci vobis] serui enim esse poterant secundũ statum legis, quæ vi sua amicos, per gratiam non efficiebat, & amici propterea quod iudicia sua illis manifestauerat. Discipuli tamen multo magis erant amici, quib. multo excellentiora arcana patefacit. Aliter dici potest, amicos fuisse Moysem & Prophetas in lege veteri, quibus Deus arcana sua pandebat, vt populo illa aperirent. In lege autem noua fuisse Apostolos, pp eandẽ rõnẽ.

Psal. 147.

Arbitror tamen simpliciter sumi nomen serui in hunc sensum: Iã post hac non appellabo vos seruos, vt solent homines serui appellari. Existit dubium: Nunquid Christus solebat discipulos appellare seruos? ait enim non appellabo vos posthac seruos, quasi hac appellatione vti soleret. Rñdetur, non consueuisse hac appellatione discipulos afficere. Quãuis vero Io. 13. dixerit: [Vos vocatis me magister, & Dñe, item: Laui pedes vestros Dominus & magister, &c. itẽ, nõ est

Alia explicatio.

Dubitatio.

Responsio.

Non solebat Dominus appellare discipulos seruos.

est seruus maior Domino suo.] id nō est appellantis discipulos seruos, sed quod id facere iure potuisset indicantis, cum illorum creator, Dominus, & redemptor esset. Ideò ait: licèt appellare vos possem seruos, posthac non appellabo, sed amicos. Præterea quamuis seruos appellare non soleret, ait non amplius appellaturū seruos, sed amicos; significans se erga eos tanquam erga amicos se gerere, non tanquam erga seruos, quòd arcana sua illis patefaciat.

Apostolistā quam amicis Christus arcana reuelauit.

Quia seruus nescit quid faciat Dominus eius.

Reddit rationem cur discipulos non appellet seruos: nimirum, quia illis arcana sua patefecit, quæ seruis patefieri non solent. hoc verò dubium parit, quoniam aliquando fidelibus seruis arcana solent manifestari. Respōdetur, Christum loqui de seruis secundum conditionem seruorum, hæc enim conditio, & status, ex se non postulat occultorum communicationem. Potest tamen Dominus seruum fidelem suorum consiliorum facere participem, id verò rarū est. Diuus Augustinus de seruo insolente interpretatur hæc verba, qui humanarum virium imbecillitatem, & Dei auxilia non cognoscit, in hunc sensum; seruus nescit, quid faciat & quid operetur in hominib⁹ Dominus eius Deus, sed tribuit sibi operum gloriā, quæ Deo tribuenda est, quo ferente opem fiunt. Deinde addit: Nos vt amici Domini esse possimus, quid noster Dominus faciat, sciamus. Non solum enim homines, verùm etiam iustos ipse facit nos, &c. Hic sensus literalis non est, loquitur enim Christus de Domino homine in hanc sententiam; seruus hominis, nescit quid faciat dominus eius homo; at Augustinus dominum interpretatur Deū; nescit quid faciat dominus eius, scilicet Deus. Si obijcias: [Seruus scit quid faciat dominus eius;] si enim facit dominus, quid faciat Dominus,

Seruis nō solent arcana manifestari

D. August.

Insolēs seruus nescit quid faciat Dominus in ipso.

Obiectio.

hoc est, opus ipsum domini, cernit seruus. Respondet Euthymius, Nescit seruus quid dominus faciat occultū. Respondetur præterea, sensum esse, nescit quid faciat, id est, quid moliatur, quid facere velit, quid facere cogitet, nescit domini consilia. Nam opera ipsa post quàm fiūt videt, non tamen antequā fiant. Diuus Irenæus libro 4. capitulo 27. de Iudæis exponit. Ignorantiam (inquit) seruilis populi manifestat per suum aduentum, &c.

Euthymius soluit.

Alia responsio.

D. Irenæus.

Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.

Seruorum conditio, non postulat arcanorum communicationē; postulat conditio amicorū. Amicorum enim omnia sunt communia, etiam arcana. Amicus alter ego; cognoscit ergo meum pectus, quantū oportet: ideo amicos vocat Dominus Apostolos, quia diuina illis arcana nota fecit. Dubium nascitur, Quo nā modo Dominus, quæcumque à Patre accepit, nota fecerit discipulis. Nam infra cap. 16. ait; [Multa habeo vobis dicere, sed nō potestis portare modo, &c.] si multa habet dicere discipulis; sequitur non omnia iā fecisse nota D. August. præteritum pro futuro positum existimat, & de manifestatione cælesti interpretatur, hoc pacto: Quæcūq; accepi à Patre nota faciā vobis in cælesti beatitudine. Diui Chrysosto. interpretatio huiusmodi est: Quæcumque à Patre audiui, quæ vobis audire conueniebat, [nota feci vobis.] Theophylacti eadē; [Omnia nota feci vobis,] quorū capaces eratis. Eadē Euthymij. Addit D. Thomas alium sensum: [Omnia nota feci vobis] imperfectè, & in suis principijs, scilicet in fide & doctrina quam vobis tradidi. Respondendum est, Christum discipulis mysteria manifestasse, non omnia simpliciter, quæ nouerat, sed omnia, quæ à Patre accepe-

Amicorum omnia communia.

Dubitatio.

D. August.

Quō Christus discipulis omnia nota fecerit.

D. Chrys.

Theophy.

D. Thom.

Respōsio authoris.

acceperat illis manifestanda, est sensus: vos dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre vobis manifestanda nota feci vobis. Etenim secundum rem de qua agitur, & personas cũ quibus agitur, verba Scripturæ intelligenda sunt. De Euangelica doctrina agebat Christus cum discipulis, ad promulgãdum Euangelium eos erudiuerat, ideo ait; [Omnia, quæ à Patre audiui tradidi vobis,] quæ (inquam) audiui tradenda vobis, ad Euangelium spectantia. Mysteria multa post resurrectionem manifestauit Christus Apostolis, & per Spiritus sancti aduentum: fortè hoc loco hæc etiam intelligit, hoc sensu nota feci vobis hactenus, & posteà etiam nota faciam. Quomodo autem Christus à Patre audire dicatur, expositum est alibi; audire dicitur secundum diuinitatem, quia totam, & eandem Patris sapientiam ab eo accepit; secundum humanitatem verò audiuit, quia doctrinam Euangelicã, quam Apostolis tradidit, à Patre habuit.

Post resurrectionem mysteria multa manifestauit Christus discipulis.

Christus dicitur audire à Patre secundum diuinitatẽ, & secundũ humanitatem ratione diuersa.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.

August.

Diuus Augustinus in Ioannem, & lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 17. & alij, de æterna electione hæc verba interpretantur, in hũc modũ; [Non vos me elegistis, sed ego elegi vos:] ab æternitate, cũ vos prędestinaui. Chrysostomus exponit, [ego elegi vos:] hoc est, in amore prior fui Caiet. de electione intelligit, tum ęterna, tum temporali discipulorum. Existimo loqui Christum de temporali electione ad Apostolatum, qua concluditur electio æterna, & tẽporalis ad fidem, & gratiam hoc sensu, [vos dixi amicos, &c.] Non est orta hæc amicitia à vobis, sed à me; non vos me elegistis in amicum, vel magistrum, quem diligeretis, sed ego elegi vos in discipulos, & Apostolos, id est, missos, vt eatis in orbem vniuersum, & Euangelium omnibus nationibus notum faciatis. De hac electione ad Apostolatum loquitur etiã Dominus Ioannis 6. cum ait, [Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus Diabolus est, &c.] de temporali electione ad Apostolatum sermo est, non de æterna; siquidem Iudam Diabolum non elegerat æterna electione, elegerat tamen temporali ad Apostolatum. Similẽ in modum hic locus de temporali electione intelligendus est.

Chrysost.

Electio Apostolorum.

Caietan.

Authoris sensus.

Ioan. 6.

Vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.

Quorsum elegerit Apostolos ostẽdit Dominus: Ego (inquit) vobis nota feci omnia, quæ à Patre accepi vobis tradenda, euangelicã doctrinam vobis commisi. non vos me elegistis in magistrum huius doctrinæ, sed ego elegi vos in discipulos, vt illam vobis traderem, nõ quidem vt illa vos soli fruamini, domi vestræ manentes. sed posui vos. [vt eatis,] Græcè, ὑπάγητε, id est, [abeatis] in orbem, & fructũ afferatis fidei Euangelicæ, in omnibus gentibus, & fructus vester nullo tempore pereat, sed vsque ad Iudicij diem maneat in terra, & per totam æternitatẽ maneat in cælo. D. August. aliter locũ explanat; fructum ferendum charitatem interpretatur, in hanc sententiã; elegi vos, & posui vos in via, id est, in me qui via sum in cælum, vt eatis per me, tanquã viam, & fructũ afferatis, id est, charitatẽ. Dilectio (inquit August.) est fructus noster, &c. Chrys. illa verba; [Posui vos;] ita exponit; Posui vos, id est, plantaui, vt eatis, & fructũ afferatis, id est, vt palmites vestros vbique terrarũ propagetis, de fide per Apostolorũ prædicationem per orbem propaganda, locum intellexit. similiter Theophylactus: Posui (inquit) vos, id est, plantaui, vt eatis, id est, crescatis, & extendamini, fructumq; afferatis, &c. Verba illa; [vt eatis;] interpretatur, vt veluti palmi-

Fructus Apostolorum cõuersio mũdi.

D. August.

Fruct⁹ Apostolorũ charitas.

D. Chrysost.

Theophyl.

Digitized by Google

tes in vite extendamini. eadẽ est Euthymij interpretatio, videlicet, plantaui vos in dilectione in fide, vt eatis & extendamini crescentes, & fructũ afferatis, &c. fructum verò ait significare, vel charismata spiritualia, vel multitudinem eorum, qui studio Apostolorum saluandi erant. Rectiùs absque metaphora explicatur verbum, [posui,] & verbũ, [eatis.] Posui vos Graecè ἔθηκα, id est, [statui] vos, vt eatis, siue abeatis in orbẽ, (vt est explicatum) ad docendas gentes, iuxta illud Marci vlt. [Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangeliũ omni creaturæ, &c.] Fructus autem Apostolorum eximius gentium fuit conuersio, hic fructus nec perijt, nec peribit; siquidem permanet Ecclesia, permanebitque in sempiternum. [Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.] Matthæi 16.

Sensus authoris.

Vt quodcumque petieritis Patrem in nomine meo det vobis.

GRæca verba, δῷ ὑμῖν, sunt ambigua; significant enim, [dem vobis,] si careat verbũ subscripto, [iota,] vel [det vobis,] si [iota] subscribatur. D. Chrys. & Theophyl. absque iota legerunt, in hunc sensum: Vt qđcumque petieritis Patrem, ego dem vobis. petetis Patrem, ego verò dabo vobis, quod petiueritis, sum enim eiusdem cum Patre potentiæ. Rectius noster Interpres, subscripto iota legit, δῷ, id est, det, scilicet Pater; idque postulat sermonis consequentia, is enim dicitur dare à quo rẽ petimus. Ergo sensus est, vt quodcumque petieritis Patrem, det vobis ipse Pater, à quo petetis. Dat Christus simul cũ Patre, sed quę sunt diuinitatis tribuit Patri, tãquàm fonti diuinitatis. Non poterant Apostoli ferre fructũ ex se, iuxta illud; [Sine me nihil potestis facere.] Oportebat igitur orare Deũ, ideò pollicetur Dominus Patrem eorum postulationibus satisfacturum. Elegi vos vt in orbem eatis, & fructum permanentem feratis, vt fructum ferendo, ea quæ opus erunt ipsius productioni, à Patre precibus consequamini. Vnde Theophylactus: Considera (inquit) hoc, quod quando fructum afferimus, tunc quæcumque petiuerimus, dabit nobis. Si autem fructum non afferimus, non recipimus. Quia fructum non afferens, neque animæ petit vtilia, sed omnino mũdana, & inutilia, ideoque non accipit. [Petitis enim] (inquit Iacobus) [& non accipitis, eo quòd malè petatis.] Hæc ille Aliter possunt hæc verba cõnecti cũ verbo, [Posui vos;] hoc pacto: Posui vos, vt quodcumque petieritis Patrem, inuocato nomine meo, det vobis; est necessaria nimis petitio, & oratio fructui producendo: scitote Patrem vestris precibus satisfacturum. D. August. sensus huiusmodi est: vt quodcumque petieritis det vobis, si fructũ afferatis charitatis mutuæ.

Chrysost. *Sensus authoris.* *Orare oportet vt feramus fructũ.* *Theophyl.* *August.*

CAPVT XVII.

Morale.

De charitate.

Hoc est præceptum meum.

CHaritatẽ mutuam valde hoc ĩ sermone inculcat Dominus, atque commẽdat. c. 13. [Mandatum] (inquit) [nouum do vobis vt diligatis inuicem:] cap. 15. [hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem,] & infrà; [hæc mando vobis vt diligatis inuicem.] Augustinus tractat. 87. in Ioannem: Christus, inquit, meritò dilectionem, & sic sæpè commendat, tanquam sola præcipienda sit: sine qua non possunt prodesse

D. August.

cætera

cætera bona, & quæ non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus, &c. Et lib. 3. de doctrina Christiana cap. 10. ait Scripturam non præcipere nisi charitatem, quia ad charitatem nutriendam omnia diriguntur. Non præcipit (inquit) Scriptura nisi charitatem, nec culpat, nisi cupiditatē, & eo modo informat mores hominum, &c. Et meritò quidem adeò vehementer charitas commendatur; siquidem omnium bonorum radix est, ex qua virtutes omnes pullulant, vt docet Diuus Gregorius homilia 27. in Euang. Vt multi (inquit) arboris rami ex vna radice prodeūt; sic multæ virtutes ex vna charitate generantur. Neque habet aliquid virtutis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis, &c. meritò sic commendatur virtus, quæ hominis iustitia est. Augustinus lib. de natura, & gratia cap. 70. Charitas, inquit, inchoata, inchoata iustitia est, charitas prouecta, prouecta iustitia est, charitas magna, magna iustitia est, & charitas perfecta, perfecta iustitia est. Sic ille.

Charitas radix virtutū. *Simile.* *D. Gregor.* *Charitas est hominis iustitia.*

Præceptum suū charitatis mutuæ præceptū appellat Dominus: [Hoc] (inquit) est præceptum meum:] quia maximè ipsi placet, & omnium mandatorum præstantissimum est; quamobrē August. serm. 23. de Verbis Domini, charitatem oleo significari ait, quod omnibus supernatat liquoribus: Charitas, ait Augustinus, meritò oleo significatur, omnibus enim humoribus oleū supereminet, &c. ideò via charitatis excellētior ab Apostolo appellatur 1. Cor. 12. [Adhuc] (inquit) [excellentiorem viā vobis demonstro, &c.] Viæ cæli sunt mandata omnia, sed charitatis mandatū, via est excellentior cæteris; imò vt supra diximus hoc mandatum cætera complectitur, iuxta illud Apostoli ad Romanos 13. [Qui diligit proximum, legem impleuit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, et si quod est aliud mandatum in hoc verbo instauratur,] (id est, summatim colligitur) [Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur, plenitudo ergo legis est dilectio. Sic Paulus.

D. August. *Charitas virtutū est præstantissima.* *Via cæli sūt mādata omnia.* *Mādatum charitatis cætera complectitur.* *Rom. 13.*

Hoc est præceptum meum, ait Dominus, dixerat suprà: hoc est signum meū, illis verbis, [in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicē, &c.] quasi dicat, hoc est signum meum, hoc signo cognoscemini; nūc appellat præceptū suum, ipsum dilectionis præceptum; appellat etiam Paulus hoc idem præceptum legem Christi, ad Galatas 6. [Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi,] id est, legē charitatis. Lex enim charitatis lex est, & præceptum Christi, vt D. Hierony. interpretatur. Quæ est lex Christi? interrogat Hieronymus. respondet, [Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicē] Quę est lex filij Dei? [Diligite alterutrum, sicut dilexi vos.] Hoc ille. Ioan. quoque mandatū charitatis mutuæ, Christi præceptum nominauit, de quo sic idem Hieronymus scribit ad Galatas 6. D. Ioannes cum Ephesi moraretur, vsque ad vltimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura vocem verba contexere; nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc; [Filioli diligite alterutrum.] Tandē discipuli, & fratres qui aderant tædio affecti quòd eadē semper audirent, dixerūt: Magister quare semper hoc loqueris? Qui respondit dignā Ioanne sententiam. Quia præceptum Domini est, & si solū fiat sufficit, &c. Sufficit inquā, quia cætera mandata cōplectitur, vt dictum est. Appellatur præterea lex regalis à Iacobo c. 2. [Si legem] (inquit) [perficitis legalem secundū Scripturas; Diliges proximū tuum sicut teipsum, bene facitis, &c.] Dicitur autē νόμος βασιλικός, id est, lex regia, siue regalis: quia à summo Deo lata est. 1. Ioan. 4. [Deus charitas est, &c.] ideò maximè delectatur charitate, ignis est, igneos nos cupit, sibi similes. Deus charitas,

Gal. 6. *Charitas lex Christi.* *D. Hieron.* *Charitatis mandatum Christi est.* *Iacob. 2.* *Charitas lex regalis.* *1. Ioan. 4.*

præceptum dat charitatis. Quid mirum si præceptum charitatis appellet suum ipsa charitas? quod aliud poterat charitas præceptum dare, quàm de charitate? ex igneo Christi pectore, igneum emanauit mandatũ, imitatores nos esse vult suæ charitati. Cant. 2. spõsam suam, charitatem siue dilectionem, appellat, quo loco vertit interpres, [Neque euigilare faciatis dilectam;] Hebraicè legitur, [ahaba,] id est, [dilectionem,] siue [charitatem;] appellatur autẽ sponsa charitas, quia dilecta est Christo; præterea quia illum imitatur diligendo Deum, & proximum. Deus charitas est, sponsam suam charitatem esse vult sibi similem.

Cant. 2.

Sicut dilexi vos.

IN lege veteri præcepit Deus Leu. 19. [diliges amicum tuum sicut teipsum,] & Matthæi 22. [Diliges proximum tuum sicut teipsum, &c.] At nunc aliter mandatum proponit Dominus; [Hoc est præceptum meũ, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos;] vtrumque vult Dominus, videlicet vt diligamus proximum sicut nosipsos diligimus, & sicut ipse dilexit nos. Diligẽdus est proximus, sicut diligimus nosipsos, recta dilectione, nõ praua. quamobrem ait D. Augustinus serm. 43 de verbis Domini: Prius (inquit) vide si iam nosti diligere teipsum, & committo tibi proximum, quem diligas, sicut teipsum. si autem nondum nosti diligere te, timeo ne decipias proximum tuum, sicut te; si enim amas iniquitatem, non diligis te, &cet.

Leu. 19. *Quomodo diligẽdus proximus.* *D. August.* *Amor nostri, regula est proximũ diligendi.*

Diligendus præterea proximus sicut Christus dilexit nos. Dilexit autem nos Christus, vt Diuus Thomas docet Ioan. 15. ordinatè, & efficaciter. Ordinatè, quia nihil in nobis dilexit nisi Deum, & in ordine ad Deũ: efficaciter, quia mortem pro nobis subijt. Eundẽ in modũ diligere oportet proximum ordinatè in Deum, & propter Deum; ita vt nullũ propter proximum peccatum committamus, sed in Deum amorẽ eius referamus. vnde illud Augustini lib. 3. de doctrina Christiana cap. 10. charitatem vocat motum animi, ad fruendum Deo propter ipsum; & se, atque proximo propter Deum. Cupiditatem autem motum animi, ad fruendum se, & proximo, & quolibet corpore, non propter Deum, &c. Efficaciter est amandus proximus, ita vt non sit inanis amor, sed efficax, & operibus bonis comitatus. iuxta illud primæ epis. Ioannis 3. [Filioli mei nõ diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate, &c.] item: [Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? &cet.] Amant multi proximum amore cõcupiscentiæ, non amore amicitiæ, amãt carnaliter, & cupidè; at amore amicitiæ propter Deum, & spiritaliter, nõ carnaliter diligendus est. Augusti. libro 8. de Trinitate cap. 7. Ea (inquit) dilectio dicenda est, quæ vera est, alioqui cupiditas est. atque ita cupidi abusiuè dicuntur diligere, quemadmodum cupere abusiuè dicuntur, qui diligunt. Hæc est autem vera dilectio vt inhærẽtes veritati, iustè viuamus, & ideò contemnamus omnia mortalia, præ amore hominum, quo eos volumus iustè viuere. ita enim, & mori pro fratribus vtiliter parati esse poterimus, quod nos Dominus exẽplo suo docuit. Sic Augustinus, & cap 6. Qui amat, inquit, homines, aut quia iusti sunt, aut vt iusti sint amare debet. Sic enim & semetipsum amare debet, aut quia iustus est, aut vt iustus sit. Sic enim diligit proximum tanquã seipsum, sine vllo periculo, &c. ita amat Christus homines, vel quia iusti sunt, vel vt iusti sint, vt enim iusti essent mortem pro illis perpessus est. D. Bernardus serm. 20. Cant. Dilexit nos Deus fortiter, quia mortem sustinuit; sapienter, quia culpam vitauit, &c. similem in modum diligẽdus est proximus fortiter, vsque ad mortis tolerantiam; sapientia, ita vt culpam

Diligendus proximus ordinatè. *D. August.* *Charitas est efficax.* *1. Ioan. 3.* *Amore amicitia, proximus spiritaliter propter Deum amatur.* *D. August.* *D. August.* *Amãdus homo aut quia iustus est, aut vt iustus sit.* *D. Bern.* *Cauendum omne peccatum in amicitia.*

pam semper vitemus. Stultus amor est, qui pro amico in peccatum sese præcipitat; sapiens amor est, qui omne peccatũ in amicitia valde cauet. Denique ex se veluti idea amoris, atque exemplari, vult Dominus nos amoris effingere imaginem; [diligite] (inquit) [sicut dilexi vos.]

Maiorem hac charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.

QVodnam sit charitatis fastigiũ, & apex, indicat Dominus; illius summam docet esse charitatem, qui mortem pro amicis perpetitur. Non sunt omnes dilectiones æquales; alia maior est, alia minor; illius maxima est ex parte rei donatæ, qui vitam amico donat. Magna charitas est pro amico diuitias expendere, magna honorem spernere, maxima vitam contemnere. Ad hoc fastigium vult Dominus discipulos, nosque ascendere, cum ait: [Maiorem hac charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis, &c.] quasi dicat: Discipuli mei, hoc est præceptũ meum, vt mutuò vos diligatis; huius autem mutuę charitatis apex est, pro amico vitam morti obijcere. Ad hũc apicem ego crastina die ascendam, pro vobis amicis meis sanguinem, vitamque profundam: ad hunc omnes vos ascendere cupio: Huius eximiæ charitatis memoriale, reliquit nobis Dominus, videlicet Eucharistiam augustissimam, iuxta illud Pauli 1. Cor. 11 [Quotiescumque manducabitis panẽ hunc, & calicẽ bibetis, mortem Domini annuntiabitis, &c.] Operibus gaudet charitas, non verbis solũ mellitis, & dulci lingua; vnde 1. Ioan. 3. [Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate, &c.] Summum autem illius opus hoc est, mortem subire pro proximo. In hoc opere summo, charitatem suam ostendit nobis Deus, in eodem ostendenda est proximo, si opus illi fuerit. [In hoc]

Charitatis fastigiũ mori pro amicis.

1. Cor. 11.

Operib. gaudet charitas 1. Ioan. 3.

A (inquit) Ioannes eodem loco) [cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere, &c.] Charitatis est donare, adeò verò liberalis est, vt non solum pecunias, sed etiam vitam proximo libenter propter Deum donet. [Qui habuerit substantiam huius mundi, (id est, opes, ait Ioannes capite indicato) [& viderit fratrem suum necessitatem B patientem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? &c.] quasi dicat; nõ manet charitas in homine auido, & rerum suarum tenaci, qui proximo egenti succurrere non vult; charitas enim liberalissima est, ac beneficentissima; pectus in quo manet liberale reddit, ac beneficum. non est sedes charitatis munificentissimæ pectus auarum, quod proximo maximè indi- C genti non fert opem. Auiditas viscera proximo claudit: clausis visceribus crumenas etiã claudit, & arcas. [Clauserit] (inquit) [viscera sua ab eo.] At charitas liberalis, viscera in primis aperit, deinde marsupia, & arcas.

Charitatẽ suam opere Christus probauit.

1. Ioan. 3.

Auiditas claudit viscera, charitas aperit.

Obseruandũ tamen est, omnia corporalia detrimẽta, propter proximũ esse toleranda; non autem gratiæ spiritalia. Munifica est charitas, in faciẽ- D da iactura etiam vitæ corporalis pro proximo, sed nulla ratione vitã spiritalẽ pro illo amittet. De vita corporali intelligendus est Christus, de spiritali minimè. Cum autẽ corporalia detrimenta patimur pro proximo, spiritalia lucra valde augem⁹, & charitatis thesauros, itaq; non sunt detrimenta, sed lucra, Prouer. 20. [Qui negligit dãnum propter amicum iustus E est, &c.] Damnum (inquam) tẽporale; non enim dãnum peccati spiritale vllo modo est negligendum. Dicet aliquis; Nonne maior est charitas qua pro Deo vita amittitur, quã illa qua amittitur pro proximo? Cur igitur Dominus ait, [Maiorẽ hac charitatẽ nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis?] Respõdemus, charitatem erga Deum præstantio-

Temporalis iactura pro proximo toleranda, nõ spiritalis.

Prou. 20.

Obiectio.

rem esse charitate erga proximum. Veruntamen Christus hoc loco de charitate loquitur erga proximum; idcirco ait præstantissimum esse charitatis actum, pro proximo mortem perpeti: præstantissimum, inquam, inter actos charitatis erga proximũ: præstantior verò est actus erga Deum. Obserua dilectionem in vita profundenda probari. Maiorem (inquit) hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Aduersis rebus, & ipsa maximè morte, probatur amor; εὐτυχία πολύφιλος, dicitur, id est, felicitas multis cincta amicis. Seneca Epistola nona. [Florentes amicos circunsedet amicorum turba, circa euersos ingens solitudo est: & inde amici fugiunt, vbi probantur, &c.] & Poeta;

Dilectio in rebus aduersis probatur. Seneca.

Naso.

Tempora si fuerint nubila solus eris.

Ennius.

At amicus certus, in re incerta cernitur, vt dixit Ennius.

Ille verus, & Christianus est amicus, qui in re certa, id est, aduersa, amicum ad mortem vsque non deserit, & pro salute illius spiritali, vitæ iacturã facit: Audiamus Senecam epistola nona. [Amicum (inquit) paro, vt habeam pro quo mori possim, vt habeam quem in exilium sequar, cuius me morti opponam, & impendam, &c. quasi dicat, paro amicum, vt maximum amoris opus, & donum illi exhibeam.

Seneca.

CAPVT XVIII.

Morale.

De sermone Domini in cœnaculo.

Vos amici mei estis si feceritis quę ego præcipio vobis.

CHaritatis, siue amicitiæ, conditionẽ omnibus proponit Dominus, quicunque amicitia cum ipso copulari voluerint. Ea verò est mandatorũ obseruantia, vultis amici mei esse, præcepta mea seruate: hanc conditionẽ amicitia mea flagitat. Obijci potest, hæc conditio seruorum potius est, quam amicorum, cur igitur ab amicis illam exposcit Dominus? Respondetur, non solum seruorum, sed amicorum etiam esse hanc conditionem. Nam, vt ait Diuus Thomas libro 3. contra gentes, cap. 151. conformitas voluntatis, est proprius effectus dilectionis. item eodem loco: Amicorum (inquit) proprium est idem velle, & nolle, &c. oportet ergo amicos seruare Christi mandata, idem velle, quod ille vult, idem nolle, quod ille non vult; oportet inter Christum, & amicos conformitatem esse voluntatis; ea verò esse non potest, si mandata non obseruentur. Præterea respondetur, amicitiam cum Christo initam seruorum conditionem omnino non excludere, sunt enim ipsi amici serui Christi, mandatisque Domini sui debent obsequi.

Obiectio.

Responsio.

D. Thomas.

Amicorum est idem velle, & nolle.

Alia responsio.

Serui debẽt mãdatis domini obsequi.

Quæritur, an inter Deum, & homines seruos Dei, amicitia esse possit? esse enim non posse suadet D. Hieron. sen-

D. Hieron.

Digitized by Google

sententia illa Micheæ 7. Amicitia pares, aut accipit, aut facit, vbi inæqualitas est, & alterius eminētia, alterius subiectio, ibi non tam amicitia, quam adulatio est, &c. Prouerbio quoque dicitur, Amicitia æqualitas, & Plato, lib. 6. de legibus, Vetus (inquit) verbū est, & rectè, & scitè dictum: æqualitas efficit amicitiam, &c. vnde Poeta, Exige (inquit) amicitias, & tibi iunge pares, &c. Respondemus, inter Deū, & homines seruos, veram esse amicitiam, vt verba Euangelij probāt: vos amici mei estis item vos dixi amicos: est enim amicitia, beneuolentia quædam mutua: ea verò inter Deum, & hominem reperitur. Quod si amicitię fundamentum est communicatio aliqua, hoc fundamentū minimè deest: siquidem teste D. Thoma 22. q. 23. ar. 1. amicitia hominis, & Dei fundamētum habet communicationem beatitudinis. Neque verò summa Dei maiestes, & inæqualitas, quæ inter hominem & Deū intercedit, amicitiæ obstat. Nam Deus pro summa bonitate sua, inæquales seruos amore magno copulat, euehitque ad dignitatem filiorum. Etenim serui Dei, qui Deum amore complectuntur, filij quoque sunt Dei ex Deo nati. Non igitur mirum, si sint amici Dei, quamuis inęquales Deo. Ad seruum (ait Arist. libr. 8. Ethic. c. 11.) hoc ipso, quo seruus est, non est amicitia, sed quo est homo, &c. Ad seruum autem Dei, amicitia est Dei quia seruus bonus est, charitate præditus, & Dei filius. Vrgemus, Nihil ita propriū est amicitiæ, vt Arist. ait lib. 8. Ethic. c. 5. sicut conuiuere amico. At homo non potest Deo conuiuere, & cum Deo versari, quem non videt ergo non potest esse amicus Dei. Assumptio negatur argumenti. Vtinam sicut potest Deo conuiuere homo, sic conuiueret. Potest enim cum Deo versari semper mente, pōt cum eo perpetuo colloqui. hoc præstant magni amici Dei, qui cum Deo semper viuunt, versantur, & orando, meditandoque colloquuntur: quorum conuersatio in cælis est, non in terris.

Plato. — *Responsio.* — *Inter Deū, & homines est maxima amicitia.* — *Vrgetur obiectio.* — *Responsio.* — *Potest homo cum Deo, ut cum amico conuiuere.*

Dicet aliquis, Amicitia nota esse debet amicis, & non latens, vt docet Aristoteles libro citato cap. 2. At neque amicitia Dei erga hominem, neque amicitia hominis erga Deum, homini nota est; ergo non est hæc amicitia: siquidem latet. ignorat enim homo, an dignus amore sit, an odio Dei, an Deum charitate prosequatur, nescit. Respondemus, Aristotelem de amicitia habere sermonem, quæ inter homines extat. Ea non omnino est amicis aperta: siquidem animum amici non intuetur amicus: nota tamen dicitur ex operibus, verbisque externis. Dei autem, & hominis amicitia, notissima est Deo, homini nota fit ex beneficijs Dei, ex operibus bonis, ex conscientiæ testimonio. Quāuis non sit certò nota in terra, id opus non est: perfecta vndique amicitia, perfectaque amicitiæ cognitio, erit in cælo. Addo aliam oppugnationem. Amicus dicitur, qui amico bonum vult: homines Deo bonū velle nequeunt: ergo inter homines, & Deum amicitia esse nequit. Præterea amicus non est ille, qui omnia amici bona ad seipsum refert: Deus autem omnia amicorum bona ad se refert, ergo amicus non est. Ad hæc: Amicorum sunt communia, at Dei omnipotentia, sapientia, diuinitas non est communis amicis.

Respondemus, Deum amicis multa bona velle, ac tribuere, vt est compertum: homines quoque amici, multa Deo bona volunt. Nam volunt illi bona omnia infinita, quæ habet, infinitam omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, gloriam, & æternitatem: volunt inquam, cum maximè eis placet, quod Deus bona illa habeat. Volunt præterea ac desiderant honorem summum ab hominibus Deo tribui, mandata eius ab omnibus obseruari, quod pro viribus ipsi quoque præstant, seque, suaque omnia tanto amico offerunt. Quod si Deus omnia amicorum bona ad se ipsum refert, meritò, sanctissimeque facit, quia vltimus finis, amicorum omnium, eoque refert illorum bona,

Responsio. — *Ex quibus homo cognoscat Deū diligere se.* — *Perfecta amicitia cognitio, in cælis erit.* — *Obiectio.* — *Responsio.* — *Deus oīa refert ad se mo lut vltimū finem.*

bona, quo ipsimet amici referunt, nẽ pe in se finem vltimum; hæc verò relatio amicitiam minimè tollit. Omnia enim ad vltimum reducenda sunt finem Deum, qui nulla re, nulloque amicorum bono indiget. Bona quoque Dei communia sunt amicis, eo modo, quo esse possunt in terra, erũtque multò amplius in cælo cum illius omnipotentia, sapientia, cæterisque bonis omnibus perfruemur. Quæritur; An amicitia hæc sit charitas, an aliquid aliud? Respondet Diuus Thomas articulo indicato: Charitas amicitia quædam est hominis ad Deum, &c. Triplex autem est amicitia, teste Aristotele 8. Eth. cap. 3. Amicitia delectabilis, vtilis, & honesti; Charitas honesti est amicitia, non enim delectatione, aut vtilitate nititur, sed honestate, ac sanctitate. Obijcies: ergo homines improbos charitas non cõplectitur, siquidem virtute, & sanctitate carent. Respondet Diuus Thomas hoc pacto: Amicitia honesti non habetur nisi præditum virtute, sicut ad præcipuam personam. Sed eius intuitu diliguntur ad eum attinentes, etiamsi non sint virtute præditi, & hoc modo charitas, quæ maximè est amicitia honesti, se extendit ad peccatores, quos ex charitate diligimus propter Deum: sic ille.

Charitas & amicitia. Aristo. Charitas & amicitia honesti. Obiectio. Responsio.

Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque accepi à Patre meo, nota feci vobis.

AMici est, amico animi secreta pandere, vt Marcus Tullius indicat, in libro quem de amicitia scripsit; Quid (inquit) dulcius, quam habere quo cum omnia audeas sic loqui, vt tecum, &c. Item: his (inquit) finibus vtendum arbitror, vt cum emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine vlla exceptione, communitas, &c. Item Seneca epistola 3. Diu ait, cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit. Cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte, tam audacter cum illo loquere quàm tecum. Tu quidem ita viue, vt nihil committas, nisi quod cõmittere etiam inimico possis. Sed quia interueniunt quædam, quæ consuetudo fecit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce, &c. Amicum quemdam suum describit Dauid Psalm. 54. [Tu vero, inquit, homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, &c.] Vertit Diuus Hieronymus: Qui simul habuimus dulce secretum, &c. Aquila: Qui simul dulce faciebamus secretum, & Chaldæus: simul inibimus lætum secretum, &c. Amicorum enim est dulcia cum amicis habere secreta, & quæ alijs arcana sunt, illis patefacere. Idem præstat Deus amicis suis, Genes. 18. Num, inquit, celare potero Abraham, quæ gesturus sum, &c. Ps. 50. Dauid; incerta, inquit, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi, &c. Amos 3. Quia non facit Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas, &c. Seruos inquam, & amicos: sanctis viris Dei amicis, fœminisque multas a Deo factas legimus arcanorum reuelationes, eximia illa est eximij amici Pauli 2. Cor. 12. [Scio hominem raptum vsque ad tertium cælum: scio huiusmodi hominem, quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, &c.] Multæ aliæ in gestis Sanctorum passim occurrent.

Tullius. Prudentibus et probis amicis secreta pandunt ur. Seneca. Psal. 54. Genes. 18. Amos 3. Raptus Diui Pauli.

Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis.

EST Deus amicorum suorum amicus. Nullum verò habet, qui prior illum dilexerit, & in amicum elegerit. Omnes amicos suos diligendo præuenit, omnes elegit, prius quam ab eis eligatur. Est enim amor Dei erga amicos suos antiquissimus non

Deus amicos suos amore præuenit.

Digitized by Google

non potest ab vllo anticipari, cùm sit aternus, iuxta illud Ieremiæ 31. [In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans,&c.] Charitate æterna diligit Deus amicos, ideo attrahit eos in amicitiam suam nullius debitor, sed misericordia commotus. [Non vos me elegistis (ait) sed ego elegi vos.] Neque eligit Deum homo prior, neque eligere potest prior. Deus prior elegit illum in æternitate; vocat in tempore. Præcedit ergo amorem hominis amor Dei, neque verò præcedit solum, sed causa amicitiæ est. Quia enim Deus hominem amat, amicum suum efficit, & charitate, cæterisque spiritalibus donis afficit. Eligit autem hominem non propter opera, & sanctitatem habitam; sed vt habeat. vnde ad Romanos 11. [reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt: si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia, &c.] & ad Ephes. 1. [Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate, &c.] Diuus Hieronymus: Non ait Paulus; elegit nos cum essemus sancti, & immaculati: sed elegit nos vt essemus sancti & immaculati: hoc est, qui sancti, & immaculati ante non fuimus, vt postea essemus. Sic Hieronymus, & Diuus Augustinus lib. de prædestinatione sanctorũ cap. 17. Elegit (inquit) Deus fideles, sed vt sint, non quia iam erant. Iacobus 2. dicit, [Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni.] Eligendo ergo facit diuites in fide, sicut hæredes regni, &c. & tract. 87. in Ioannem Deus (inquit) fecit quod eligere; non inuenit, &c. Hæc ille.

Ierem. 31. — Deus prior hominem eligit. — Prior amor Dei, causa est donorum hominis. — Rom. 11. — Ad Ephes. 1. — D. Hieron. — Homo ex se sanctus non est, sed illum Deus eligit vt sanctus sit. — D. August. — Iacob. 2.

Elegi vos (inquit Dominus) vt eatis, & fructum afferatis, fructum inquam bonorum operum, & charitatis. Charitas enim, & bona opera fructus hominum sunt, ad quem ferendum eliguntur à Deo. Elegit nos (ait Augustinus) vt eamus, & fructũ afferamus. Nullum itaque fructum vnde nos eligeret habebamus, &cęt. illud, [vt eamus,] interpretatur idem Augustinus, vt eamus per Christum tanquam per viam; via enim in cælũ Christus est, per eius exẽpla qui iter faciunt, fructum afferunt operum, & in cælum tandem perueniunt. Addit Dominus: [& fructus vester maneat.] Cæteri fructus hominum, diuitiæ, voluptates, & honores, infructuosi fructus sunt, ac vani; breui.n. temporis momento euanescunt. At fructus bonorum operum, fructus est permanens in sempiternum. Audiamus magnum Gregorium homil 27. in Euang. Omne (inquit) quod secundum præsens sæculum laboramus, vix vsque ad mortem sufficit. Mors namque interueniens, fructum nostri laboris abscindit. Quod verò pro vita æterna agitur, etiam post mortem seruatur; & tunc apparere incipit, cum laborum carnalium fructus cæperit non videri. Ibi illa retributio inchoat, vbi ista terminatur. Tales ergo fructus operemur, qui maneant, qui cum mors cuncta interimat, ipsi exordium à morte sumant. Hæc ille. Hæreditas fructuum aliorum in morte amittitur; cum moritur homo, tunc hæreditatis, etsi amplissimæ à maioribus acceptæ, facit iacturam. At fructuum, id est, bonorum operum hæreditas: vbi altera amittitur, id est, in morte, ibi inuenitur. Diuus Gregorius eodem loco: Omnis qui dormit in morte perdit hæreditatem. Sed Psal. 126. [cum dederit dilectis suis somnum ecce hæreditas Domini:] qui electi Dei postquam peruenerint ad mortem, tunc inueniunt hæreditatem, &c.

Charitas fructus, & bona opera. — D. August. — Fructus bonorum operũ manet. — D. Greg. — In morte, oĩa morientι pereunt, præter virtutẽ, & bona opera.

Alio sensu, de electione ad apostolatum explicauimus supra hæc verba, hunc in modum: [Non vos me elegistis, sed ego elegi vos,] ad Apostolatum, vt Apostoli mei sitis, id est, missi, & posui vos vt eatis in orbem terrarum, & fructum fidei Christianæ in omnibus nationibus producatis, qui ad finem vsque mundi permaneat.

Apostolos Deus elegit vt fructum Christianæ religionis toto orbe producerent.

Ad promulgãdũ, Euãgeliũ fideq; Christianã in orbe proferendã, vt ob ser-

seruant Patres, & nos alibi diximus, A elegit Dominus non reges, aut duces, aut nobiles aliquos viros, doctosve philosophos, sed ignobiles, pauperes, indoctos piscatores. hoc fuit diuina electio. Veruntamen ignobiles fecit nobilissimos, pauperes spiritalibus diuitijs reddidit opulentissimos, indoctos, sapientissimos, vt intelligi facilè possit, fructum fidei ad mirabili Dei potentia, in mundo fuisse productum. vt Diuus Hieronymus B docet Matthæi 4. Piscatores (inquit) & illiterati mittuntur ad prædicandum, ne fides non virtute Dei, sed eloquentia atque doctrina fieri putaretur, &c. Admirandum valde esset, si syluestres arbores fructum producerent pomaque dulcissima, & odoris suauissimi.] Syluestres sanè arbores, homines duodecim erant, nulla nobilitate, nulla sapientia, nullaque potentia præditi; fidei Christianæ C dulcissimum cælestisque odoris fructum nullo modo ferre poterant. vt producerent, in arbores cælestes, electione diuina, atque potentia sunt cõmutati. [Ego (inquit) elegi vos;] ego Deus omnipotens; [vt eatis, & fructũ afferatis,] non vestra, sed mea potentia. Chrysostomus inde monstrat, quod Christus sit Deus. Persuasit (inquit) Christus per viros illiteratos, ineloquentes, obscuros, paupe- D res, hi Ecclesiam ædificauerunt virtute eius, qui iussit, &c. Item: Nisi diuina quædam virtus effecisset, nequaquam hæc principium accepissent, &cæt. Voluit Deus ex captiuitate populum Israeliticum liberare; Nũquid ad rem hanc adeo admirabilem peragendam, regem aliquem potentissimum elegit? nunquid duces elegit fortissimos, exercitumque maximum? Minimè. Pauperem elegit pa- E storem, id est, Mosem, qui nullis comitatus ducibus, nullo cinctus exercitu, virgam manu ferens, Aegyptũ ingressus est. Hiccine debellare Aegyptum, hiccine ex potestate Pharaonis, populum Israeliticum liberare poterit? Potuit quidem, non propria, sed Dei potentia. Multi in exercitu Saulis erant duces, multi milites, aderat Rex ipse; verumtamen neque duces, neque milites, neque rex ipse, gigantem aggredi ausus est: adolescentulum Dauidem ad tantum facinus, & triumphum elegit Deus. Abiectis ille regijs armis, neque hasta, neque gladio, neque clypeo, sed funda, lapidibusque armatus, carneam illam turrim diuina potentia adiutus, solo æquauit. videlicet vt Paulus ait 1. Cor. 1. [Virtus, id est, potentia Dei, [in infirmitate perficitur:] tuncque effulget magis, tunc longius effundit radios, cum imbecilles ad opera admiranda perficienda iuuat. In infirmitate Apostolorum, perfecit Deus virtutem, id est, potentiam, laudemque suam, iuxta illud Psal. 8. [Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem, &c.] Erant enim Apostoli ad Euangelium promulgandum planè infantes, & lactentes, si per seipsi spectentur. At ex ore horum infantium, & lactentium, summam laudem suam Deus, summa potentia sua, toto perfecit orbe. [Sine me (inquit Ioãnis 15) nihil potestis facere; sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, nec vos nisi in me manseritis, &c.]

Tulerunt autem fructum Apostoli manentem; [& fructus (inquit) vester maneat, &c.] Fides enim Christiana, quam veluti fructum toti orbi salutiferum produxerunt, fructus est manens; mansit enim, & manebit ad diem vsque mundi extremum. Diuina potentia, quæ fructum tulit, manẽtem fructum fecit. Vnde illud Matth. 16. [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, &c.] & illud Lucæ 22. [Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, &c.] item Paulus 1. ad Timoth. 3. [Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis, &c.] Nunquam ergo veritas, nunquam fidei verissimæ fructus peribit.] Admirandus esset fructus arboris quem nulli turbines, nullæ vel sæuissimæ tempestates, nulla fulmina, nulli ignes abolere possent; talis fidei Christianæ fructus

Nõ Athenarũ philosophos, ad Euãgeliũ promulgandũ, elegit Christus.

Simile. Fructũ dulcissimũ arbores syluestres Dei potentia tulerunt.

D. Chrys. Christi virtute pauperes Ecclesiã ædificarũt.

Dauid in nõie Dei gigantẽ trucidauit.

1. Cor. 1.

Psal. 8. Vocat ea q̃ nõ sunt, tanq̃ ea quæ sũt infantes facit Deus in suã laudem facit.

Fructus manens fides Christi.

Matth. 16.

Luc. 22.

1. Tim. 3.

ctus est, nulli illum hostes, nulli tyranni, nulli cruciatus euertere potuerunt, vt egregiè Chrysostomus demóstrat Orat. contra Iudæos his, & alijs verbis: Quot bella aduersus Ecclesiam concitata sunt quot exercitus instructi, quot arma mota, quot non afflictionum genera excogitata, sartagines, lebetes, fornaces, præcipitia, bestiarum dentes, aliaque innumera tormentorum genera. Nihil tamen horum dissoluit Ecclesiam, &c. Multi Philosophi fructum attulerunt multorum dogmatum; at computruit, atq; euanuit. Apostolorum autem fructus manet, semperque manebit. Chrysostomus eadem orat. Reputa (inquit) tecum quam multi conati sint, apud Grecos opiniones nouas, ac peregrinas viuendi rationes inducere, velut Zenon, Plato, Socrates, Pytharas, alij que innumeri. tamen adeò non vicerunt, vt plerisque ne de nomine quidem sint noti. Christus autem non solum præscripsit vitæ formam, verum etiam hanc per totum terrarum orbem plantauit. Hæc ille Act. 5. ait Gamaliel: [Si est ex hominibus cõsilium hoc dissoluetur; si verò ex Deo est nõ poteritis dissoluere illud, &c.] Ita factum est; Non potuerunt aut Iudæi, aut Ethnici fructum fidei disperdere, quia Dei potentia protegebatur: non potuerunt consilium Apostolorum, & Ecclesiam dissoluere, mansit, manet, & manebit; quia ex Deo est.

D. Chris. *Ecclesia tamen nunquã mergitur.* *D. Chris.* *Christi Ecclesia per totum orbem diffusa.* *Act. 5.*

Diuus Cyrillus fructum manentem Euangelicam legem interpretatur, quia nunquam abrogabitur, semperque manebit. Lex vetus fructus fuit, sed non manens, quia est antiquata, lex Christi fructus est manens. Cyrillus: Fructum (inquit) arbitror esse manentem, non legalis, sed Euangelicæ disciplinæ iustitiam. Antiquata enim illa nihil perfecit. pro ea verò noua iam floret, & verum, ac permanentem fructum producit, &c.

Fructus manens lex noua. *D. Cirillus*

Obserua verba illa, vt eatis, & fructum afferatis. Non affertur fructus sedendo, sed eundo, & animas hominum quærendo; non misit Angelus Cornelium Centurionem ad Petrum, Act. 10. sed Petrũ iussit vocari vt iret ad Centurionem, & fructum afferret. Diuus Cyrillus: Non debetis (inquit) vos qui discipuli mei estis, sedentes expectare, vt vltrò ad fidem veniant homines. Sed errantibus manus porrigenda est, &c. hoc præstiterunt Apostoli totum peragrantes orbem, & Christus ex cælo ad quærendos homines descendés. O legis diuinæ promulgatores quicunq; estis, elegit Dominus vos, non vt sedeatis, sed vt eatis ad Indos, Brasilas, Iaponas, Mullucas, Aethiopas, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Pergite felices, ne timete, diuina vos potentia comitabitur, ac proteget.

Quærendæ sunt per orbem animæ Act. 10. *D. Cirillus* *Otiũ in Dei Eccl. damnatur.*

Digitized by Google

CAPT XIX.

De sermone Domini in cœnaculo.

IOANNES CAPITE XV.

HAec mando vobis, vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum, qui misit me. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem, & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum. Sed vt adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.

Hæc mando vobis.

Inculcat Christus charitatem discipulis.

PRæceptum repetit A Dominus de charitate mutua in hunc sensum: O discipuli supra iá non semel præcepi, vt diligeretis inuicem, idē nunc repeto mandatum: iterum, atque iterum, & sæpius præcipio vobis vt diligatis inuicem, quoniam summi momenti est mutua inter vos charitas, & concordia ad ferendum in orbe Euangelicum fructum. Dubitatur, cur non dicat, hoc mando vobis, sed hæc mando vobis, cum vnam solam rem mandet, nempe vt diligant inuicem? Euthymius sic interpreta-

Euthym.

pretatur; Hæc annuntio, siue loquor vobis, scilicet, quod morior pro vobis, & quod ego vos elegi, non imperans, sed excitans ad mutuam dilectionem, &c. particulam demonstratiuam, hæc, ad antecedentia refert, cum Chrysostomo & Theophylacto. Cardinalis Caietanus refert ad consequentia, cuius hæc est explanatio, hæc mando vobis, scilicet, vt odium mundi toleretis, & persecutiones: ad hoc vt diligatis inuicem. Non placēt hæ interpretationes. Multò probabilius est, poni numerum multitudinis, hæc, pro singulari, hoc; Idemque esse, hæc mando vobis, & hoc mando vobis, vt diligatis inuicem; Vel fortè dictum est, [hæc mando vobis,] quoniam charitatis mutuæ mandatum reliqua præcepta continet, vt diximus, vel refertur particula, hæc, ad illa verba superiora, vt vult Rupertus, [si præcepta mea seruaueritis,] & similia. hæc autem sunt præcepta mea, vt diligatis inuicem, hoc præcepto mea præcepta concluduntur.

Caietan.

Rupertus.

Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.

CHaritati contrarium est odium. Commendauit, ac præcepit charitatem, nunc ad sustinendum mundi odium, & tolerandas persecutiones, discipulos armat; ò discipuli diligite inuicem, mutuum amorem veluti clypeum, ac murum mundi odio opponite. Opponite quoque exemplum meum. Ego enim vt dux præcedo vos vt milites sequimini. Si mundus, hoc est, impij homines, vos habent odio, scitote me præire; prior enim ab illis odio habitus sum. Ferte patienter illorum odium, & persecutiones, quémadmodum ego tuli, vestigijs insistite meis, quæ præeundo vobis relinquo, non impressa leuiter, sed meo sanguine consignata. Mundus, hoc loco impios, & incredulos homines significat, maximè Iudæos illos, qui Apostolos sunt persecuti. Græcè legitur, scitote quia me πρῶτον ὑμῶν, id est, primum vestrum. Esse posset sensus, me ex vobis primum, scilicet magistrum, dominum. Sed potior est sensus nostri interpretis, prius me habuit odio quam vos.

Odium mundi in sanctos.

Quid significet hic mundus.

Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret.

CVr a mundo, id est, iniquis, & incredulis hominibus odio habendi sint Apostoli, aperit Dominus; [Si vos (inquit) fuissetis de mundo, mundus, quod suum erat diligeret.] Esse de mundo illi dicuntur, qui ex impijs hominibus sunt: diligunt autē impij sibi similes; oderunt eos, qui dissimiles sunt. Si vos ò discipuli impij essetis, & increduli, nec haberet vos odio mundus impius, nec persequeretur, sed diligeret. Similes enim sibi similes diligunt Sed quia de mundo nō estis, id est, quia impij non estis, & increduli sicut alij ex Iudæis, sed electi ex mundo Messiam verum agnouistis, meque secuti estis, propterea odio habebit vos mundus, Diuus Cyrillus: Iudæi legis literæ toto animo affixi, reuocantes ad spiritum, hostes ducunt, & gentes a cultu creaturarum, id est, idolorum, abduci iniquo animo ferunt. Quæ cum ita se habeant, futurum erat, vt tam a Iudæis, quam a gentibus odio discipuli haberentur, &c. Ioan 7. ait Dominus, [Me odit mundus, quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt, &c.] Indicat ergo Dominus, odium mundi in discipulos, & persecutiones magno cum gaudio tolerandas, siquidem propter iustitiam exorientur, iuxta illud Matthæi 5. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, &c. & Lucæ 6. Beati eritis, cum vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum, propter filium hominis. Gaudete in die illa, &c.

Qui de mundo esse dicantur.

D. Cyrillus.

Ioan. 7.

Matth. 5.
Luc. 6.

Me-

Mementote sermonis, quem ego dixi vobis.

EXemplo suo discipulos r borat, ad perferen ias persecutiones. Supra Ioann 13. hoc eodem sermone, postq am pedes discipulorum lauit, ai Dominus, [Non est seruus maior Domino suo:] hæc verba reuocat illis in memoriam. Memento te (inquit) verborum quæ paulò ante dixi vobis; scilicet, Non est seruus maior Domino suo. Vos serui mei estis, ego sum Dominus. Non sit ergo vobis seruis graue, atque molestum, domini vestri subire conditionem; immo maximum reputate honorem, si vos eo modo mundus excipiat, quo dominum vestrum excepit: Domini vestri subitis conditionem.

Dominus persecutiones tolerauit, nos quoq. tolerem.

Si me persecuti sunt, etiam vos persequentur, si sermonem meum seruauerunt, vestrum quoque seruabunt. Atqui me persecuti sunt, vos igitur etiam persequentur; sermonem meum non seruauerunt, vestrum quoque multi minimè seruabunt. Cum hæc vobis euenerint, recordamini sic cum Domino vestro actum esse; sicut vobiscum agitur: vt forti consistatis animo in omnibus molestijs.

Aequum enim est vt libenter, ac fortiter serui pro domino suo eadem ferant, quæ dominus prior pro seruis tolerauit. Matthæi 10. [Non est (inquit) discipulus super magistrum, neque seruus super Dominum suum; sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius, & seruo, sicut dominus eius. Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? &c.

Matth.10. Ordo discipulū subesse magistro postulat.

Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me.

PRædicit hoc loco Dominus, Iudæorum persecutiones in discipulos excitatas, illarum causam demonstrat, nempè Iudæorum ignorantiam. Hæc facient vobis quæ dixi, odio habebunt persequentur, doctrinam vestram non seruabunt, propterea quod nomen meum prædicabitis, meque Messiam esse lege promissum docebitis. Illi autem nesciunt eum qui misit me; hoc est, nesciunt me à Deo Patre esse missum illiusque esse filium incarnatum. Mittendi verbo (ait Diuus Cyrillus) totum incarnationis mysterium significauit, &c. Erant igitur causa persecutionis, Iudæorum ignorantia, cum enim ignorarent Christum Dei esse filium incarnatum, neque crederent esse Messiam, nomen illius insectabantur. Aliter exponi possunt hæc verba; [nesciunt eum;] de notitia viua, peccatum excludente, hoc modo; facient hæc vobis, quia nesciunt eum, qui misit me,] id est, quia non cognouerunt Deum cognitione viua, cum charitate coniuncta, mortiferum peccatum expellente: si enim hanc haberent Dei notitiam, non hæc facerent vobis. Ioannes epistola prima, capitulo secundo. [Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, &cæt. de notitia Dei loquitur viua. Is enim qui mandata non custodit, Deum cognoscit, sed cognitione mortua: qui vero mandata seruat, cognoscit cognitione viua, & cum charitate copulata. Item: [Nesciunt eum, qui misit me;] id est, contemnunt Patrem; de eo enim, quem contemnimus, dicimus, [Nescio te.] Non placet interpretatio; retinenda est propria verbi significatio.

Ignorantia Iudæorum.

D.Cirill.

Quæ causa persecutionis Iudæorū in Christum.

Cuius rei fuerit hæc Iudæorum ignorantia.

1. Ioan. 2.

Præfertur prior explicatio.

Si

Digitized by Google

Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent.

OStendit Dominus Iudeorũ ignorantiam excusatione carere; quoniam doctrina, & miracula ipsius satis probabant Dei esse filium, & Messiam a Deo promissum, atq; missum. Si non venissem (inquit) ad Iudæos, & illos non docuissem, peccato carerent; nunc autem quia veni ad illos, & docui, probauique me esse Messiam Dei filium, excusatione carent, peccatoque obstricti sunt. Dubium est, de quonam peccato Iudæorum loquatur Christus? Respondetur loqui de peccato incredulitatis. Etenim si Christus non venisset ad eos, si eis cælestem doctrinam non tradidisset, peccatum incredulitatis non commisissent, vt est compertum. Alia tamen habuissent crimina, de quibus hoc loco non est sermo. Aug. tractat. 79. Hoc (inquit) est peccatum, quia non crediderunt in Christum, qui ꝓpterea venit, vt credatur in eum: hoc peccatum, si non venisset Christus, non vtique haberent Iudæi, &c. Euthymius putauit Christum de peccato persecutionis intelligendum: ita enim interpretatur; si non docuissem eos, peccatum non haberent persequendo, ac contumelia afficiendo, & me & vos, &c. Respondetur loqui Dominum de peccato incredulitatis Iudæorum, & cæteris, quæ incredulitatem consecuta sunt; sed præcipuè de incredulitate loquitur. Quæritur, an sola doctrina Christi, absque miraculis, auditores ad credendum sic obligaret: vt incredulũ, peccati mortiferi reum faceret? Respondetur, videri ex hoc loco colligi partem affirmantem. Si non venissem (inquit) & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem nõ habent de peccato suo, &c. Non (inquam) habent excusationem de peccato, quia eos docui, & credere mihi docenti debuerunt. Docebat enim

Ignorantia Iudæorũ caruit excusatione.

Dubium.

Responsio.

Peccatũ Iudæorum fuit ĩcredulitas.

D. Aug.

Euthym.

Dubium.

Responsio.

Christi miracula obligabant ad credendum

A Christus vt Deus, cordaque mouebat & intellectum ita illustrabat, vt reus esset peccati, qui fidem illi non habebat. Veruntamen quia Dominus addit, si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, &c. videtur doctrinæ miracula adiunxisse, vt infra dicemus. Nam Dominus non apertè dicebat se esse Messiam, ne Romanos offenderet, & B ante tempus in se concitaret, & loquebatur in parabulis, vt ex Euangelio liquet.

Qui me odit, & Patrem meum odit.

NOn habent (inquit) excusationem de peccato suo incredulitatis, & odij. Qui autem me odit, ipC sum Patrem odit; ego enim, & Pater vnum sumus, eandem essentiam habemus: ergo qui odit me, Patrem meum in odio habet. Quærit Augustinus, quomodo possunt Iudæi odisse, quẽ ne sciunt? Dixerat Christus, nesciunt eum, qui misit me, id est, Patrem; ergo Patrem nesciebant Iudæi. Si nesciebant, quomodo odio habere poterant? Facile est quæstioni responde-D re. Etenim Iudæi non habebant odio Deum Patrem in se, sed in Christo, & per Christum: quia enim odio habebant Christum. Patrẽ in Christo manentem habebãt odio consequenter. Præterea nesciebant patrem cognitione viua, vt supra diximus, quamuis scirent cognitione mortua, quæ ad odium satis est.

Augus. quæstio.

Quõ patrem odio habuerunt Iudæi.

Responsio.

Oderant patrẽ in Christo.

E *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

VIdentur hæc verba illis superioribus repugnare; si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo, &c. Non igitur habebant excusationem

Digitized by Google

Iudæi de peccato incredulitatis, propterea quod Christus eos docuit: nũc autem ait, si miracula non fecissem, peccatum non haberent, &c. Ergo, quamuis docuisset, si miracula non fecisset, increduli carerent peccato. Respondemus, verba hæc superioribus adiungenda, quasi dicat, Dominus, si non venissem, & locutus fuissem eis, & miracula stupenda fecissẽ peccatum incredulitatis non haberent: quod supra subintellexit, modò adijcit: si opera (inquit) id est, miracula, nõ fecissem in eis, id est, inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, incredulitatis Nam doctrina cum miraculis coniuncta Dominum, & filium Dei, & Messiam esse confirmabat, quamuis apertè Messiã se esse non diceret, ne ansam daret Iudæis tradendi illum Romanis ante tempus destinatum. D. Aug. interpretatur, in eis, id est, in eorum corporibus, quia multis sanitatem, & vitam contulit Fecit Christus, vt ex hoc loco constat, miracula talia, qualia nullus hominum nunquam fecit, ipsi Iudæi id testantur Matth. 9. cum turbæ aiunt: [Nunquam apparuit sic in Israel, &c.] Neque ea solum fecit, quæ Euangelistæ memoriæ prodiderunt, sed alia multa, quæ prætermiserunt, iuxta illud Io 21. [Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, neq; ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros &c.] Non sunt conferenda vel Mosis, vel Iosue, vel Eliç, vel Elisæi miracula cum Christi miraculis Nemo alius fecit tot, tamq; mirabilia. Prçterea ipse fecit sicut Deus potestate propria, reliqui potestate aliena, scilicet Dei Moses quidem miracula fecit, sed euertentia Aegyptũ nullum sanitate donauit, nullum mortuum in vitam reuocauit. Christus fecit miracula vtilissima hominibus. Iosue solem stare fecit, aliud miraculũ non patrauit. at Christus edidit innumerabilia. Nemo ergo cum Domino est conferẽdus. Habemus ex dictis, Iudæorum ignorantiam nõ fuisse excusatione dignam, Christi verò doctrinam, & miracula satis fidem Christi confirmasse, ita vt rei sint illi, q̃ eius doctrinæ tot prodigijs comprobatæ, fidem non habuere.

Christi doctrina, & miracula dominũ Messiam esse cõfirmabant.

Nemo vnquam miracula fecerat qua Christus fecit. Ioan. 21.

Quæ fecit Moses miracula.

Superãs alia omnia, Christi miracula.

Nunc autem, & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem, &c.

Radicẽ aperit incredulitatis Pharisæorum, & Scribarum, q̃ fuit odium, & inuidia. Feci (inquit) inter illos, & coram illis miracula, quæ nemo alius prophetarum fecit. Viderũt miracula stupenda, quæ fidem maximam postulabant; at pro fide omniũ retulerunt. Viderũt miracula, & oderunt me, & patrem meum: sed hac in re Scriptura impleta est, Psal. 34. Non supergaudeant mihi, qui aduersantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis, &c. gratis, i. sine causa vlla, oderunt Iudæi Christum, imò cum multas haberent causas diligendi. Particula illa, vt, cum Dominus ait [sed vt adimpleatur sermo, qui in lege eorũ scriptus est; non causam, sed euẽtum significat, quod Euthym animaduertit: dictio (inquit) vt, non est causalis, sed futuri significatiua, &c. Verborũ sensus imperfectus est: aliquid subintelligendũ hoc pacto, sed oderunt me & eueniet vt impleatur illud, quod in lege scriptũ est, Ps. 34. oderunt me gratis, & sine vlla ratione. Item Psal 68. Multiplicati sunt super capillos capitis me, &c. Ps. 108. sermonibus odij circundederunt me, &c. Quæres; Numquid Psalmi legis nomine comprehenduntur? Respondemus, nomẽ legis aliquando accipi pro tota Scriptura sacra, quæ Psalmos, cæterosq; libros cõplectitur. id quod locus hic confirmat, in quo id quod in Psalmis scriptum est, in lege scriptum esse ait Dominus, id est, in libris sacris, & 1. Cor. 14. ait Paulus; [In lege scriptum est: quoniam in alijs linguis, & labijs loquar:] quod scriptum est Isaiæ 28. & Io. 10. ait Dominus; Nonne scriptũ est in lege vestra: Ego dixi, dij estis, &c. quod in Psal. 81. extat.

Psal. 34. Dauid explicatur.

Euthym.

Ps. 68.

Quæstio. Responsio.

Pro quo sumatur nomen legis.

C A-

CAPVT XX.

Morale.

Hæc mando vobis, &c.

Hæc mando vobis vt diligatis inuicem.

Vnus quidem est habitus charitas, sed fertur in Deum, quidem propter se, in proximum vero propter Deũ. Idcirco ab Augustino duos pedes habere dicitur Psalmo 33. Pedes tui (inquit) charitas tua. Duos pedes habeto; noli esse claudus. Qui sunt duo pedes? Duo præcepta dilectionis, Dei, & proximi. Istis pedibus curre ad Deum, &c. Potest homo claudus esse; at charitas clauda esse nequit: duos enim pedes habeat necesse est, vt charitas sit. Si enim aut Deum, aut proximum non diligat, charitas non erit. habet etiã alas duas, de quibus idem Augustinus Psalmo 121. Charitas (ait) tanquam extentis pennis, & duabus alis, id est, duobus præceptis dilectionis Dei, & proximi, volat, &c. & Diuus Gregorius lib. 7. epistola 3. Pennæ (inquit) singulæ siue alæ, sunt charitas Dei, & proximi: per ipsas sãcta Ecclesia euolat, per ipsas terrena omnia transcendit, &c. De dilectione Dei egit Christus in hoc sermone, cum parabolam de vite, & palmitibus proposuit, suasitque discipulis vt sibi Deo per dilectionem sic adhærerent, quemadmodum adhærent viti palmites. De dilectione in proximum iam supra egit, & nunc agit, præceptum mutuæ dilectionis repetens. [Hæc (inquit) mãdo vobis, vt diligatis inuicem.

D. August.

Duos pedes hẽt charitas quibus ad Deum curramus.

Dua alæ charitatis. D. Aug.

D. Greg.

A

De charitate sæpius iam egimus; sed nonnulla in gratiam tantæ virtutis addamus. Charitas Christianorum est signum, decus, ornamentum, [in hoc (inquit Ioann. 13.) cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem, &c.] Omittit Dominus miracula, paupertatem, patientiam, virtutesque alias: minimè ait in miraculis cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, vel in paupertate cognoscent, vel in patientia; in charitate (inquit) mutua cognoscant, charitas .n. viuum efficit Christianum Christiq; discipulum: cæterasque omnes virtutes complectitur, vt Paulus affirmat, 1. Cor. 13. [Charitas (inquit) patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, nõ est ambitiosa, nõ quærit, nisi quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia sperat, omnia sustinet, &c. in tã ergo præclara virtute, quæ reliquas sinu suo continet, cognosci vult Dominus discipulos suos, sine qua non est viuus discipulus, sed mortuus. Egregiè Diuus Chrysostomus 1. Cor. homil. 32. Quemadmodum (inquit) vestes licet aureæ sint, calceamenta aurea, aliud tamen quoddam indumentum requirimus, vt regem agnoscamus. Vbi primum autem purpuram, & diadema intuemur, iam regiæ maiestatis signum nullum aliud expectamus: ita sanè cui charitatis diadema incumbit, iam nihil obstat, quominus Christi discipulus verè existimari possit, &c. Rectè quidem charitatem appellat diadema: quoniam sicut terreni regis insigne est diadema, sic charitas regni cęlestis signum est. Potest tamen diadema gestare, qui rex non sit terræ; at charitatem habere nequit, qui rex non sit cæli, hoc est, qui ius ad cęleste regnum nõ habeat.

B C D E

Ioan. 13. Charitas Christianorũ signum.

1. Cor. 13.

D. Chryso.

vt ex diademate rex, sic ex charitate cognoscitur discipulus Christi.

Ius hẽt ad gloriam qui charitate praditus e.

Discipulos viuos habere vult Deus, non mortuos. At vero mortui illi

sunt, qui charitate carent, mortuaque omnia illorum opera. Viuunt, viuunt, inquam, vitam præclarissimam, illi, qui charitate præditi sunt, viuuntque eorum omnia opera bona. Viuunt autem non solum vitam cum belluis communem: sed gratiæ etiam vitam, communem cum Seraphinis. O virtutem eximiam charitatem. qua absente omnia plena sunt morte, qua præsente omnia plena sũt vita. Vita quidem est apud inferos, viuunt enim animæ, & dæmones, viuentque etiam corpora post iudiciũ in sempiternum. Sed vita illa pro morte reputatur, tum propter cruciatus, tum quia charitate caret. Eundem in modum viuunt quidem in hoc orbe homines improbi: sed mortui potius quam viuentes reputantur à Sapientibus quoniam præcellentissimã charitatis vitam non habent. Vnde illud Domini, Matthęi 8. [Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, & illud Apoc. 3. Nomen habes, quod viuas, & mortuus es, &c. Christi membra, Christiani sunt, ipse caput est mystici corporis. Caput viuum est maximè, vitamque charitatis membris influit; sed multa membra vitam oblatam respuunt, mortuaque sunt: tolerantur tamen in corpore. Si velint, recipiant vitam, quod si non receperint, tandem abscindentur, & in sepulchrum horrendum, hoc est, tartarum, præcipitabuntur.

Charitate viuis aña.

Impij mortui animo spiritaliter.

Matth. 8.

Apoc. 3.

Recipiamus a nostro capite vitam recipiamus charitatẽ, vt viua mẽbra cum viuo capite copulata, vitam cõsequamur sempiternam. O felicissima charitatis vitam. ò quàm felix esset mundus, si charitatis in eo lex, & præceptum hoc Christi seruaretur: Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.] Equidem terrestris quidam paradisus esset, nullæ essent rixæ, nulla litigia, nulla odia, nullæ insidiæ, nulla bella, omnes plusquam fraterno se amore complecterẽtur, omnes amicitiæ nexu inter se copulati vitam degerent tranquillissimam; amicorum autem omnia essent communia, quæ communia esse possunt. Audi Chrysostomum 1. Cor. homilia 32. Reputa (inquit) si in hominum animis charitas regnet, quanta nobis sit allatura bona; non legibus, non forensi strepitu, non pœnis, non suppliciјs; non re vlla huiusmodi fuerit opus. Nam si mutua charitate se omnes complecterentur, quis sit iniuriæ locus? pugnæ, bella, cædes, seditiones, rapinæ, fraudes, & mala protinus omnia eliminarentur, &c. Eliminarentur mala omnia, bona verò omnia inducerentur. Charitas enim benefica est; si ergo omnes haberent charitatem, alij alios mutuis beneficijs afficerent, nullusque esset inopię locus. Præcessens erat initio Ecclesiæ Christianorum charitas, de qua Act 4 sic scribit Lucas: [Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum quę possidebat aliquid suum esse dicebat sed erant illis omnia communia, &c. Præceptum Christi: Hæc mando vobis vt diligatis inuicem;] egregiè seruabant, quorum cor vnum, & anima vna erat. A præcellentissima charitate cępit Ecclesia. Heu refrixit in multis. Vnde D. Maximus in serm. qui 9 est inter sermones Diui Ambrosij. Hæc (inquit) sub Apostolis fuit in plebe deuotio. Modo quid simile reperimus; & certè idem Christus est in nobis, idem quidem Christus in nobis, sed non idem animus in nobis; eadem plebis fides, sed non ipsa largitio, ita alter de alterius inopia non cogitat, vt illud sit, quod dicit Apostolus 1. Cor. 11. [Alius quidem esurit, alius ebrius est. Abũdat auaritia, & iniquitas, & refrigescit charitas fraternitatis. hæc ille. Frigidos Christianos nemo imitetur, Ideam illam primam, primum illud Ecclesiæ inspiciamus exemplar, fraternitatem illam amore plenam mente voluamus, eiusque charitatem in nostros animos transferamus. [Charitas freternitatis maneat in vobis:] ait Paulus ad Hebræos 13. Græcè, φιλαδελφία, id est, fraternus amor perseueret, sitque stabilis in vobis, estote, φιλάδελφοι, id est, fratrum ama-

Si charitatis lex seruaretur, mundus esset paradisus.

D. Chrys.

Act. 4.

Primitiui Christiani se inuicem diligebant.

D. Max.

Imitandi primitiui Christiani.

Ad Heb. 13.

amatores. eandem φιλαδελφίαν, commendat Diuus Petrus epistolæ primæ capit. 1. [Animas (inquit) vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde inuicem diligite attentius, &c. Græcè fraternitatis amor ex simplici corde dicitur φιλαδελφία ἀνυπόκριτος, id est, amor fraternus, non hypocrita, non simulatus. Illud, [diligite attẽtius:] Græcè, ἀγαπήσατε ἐκτενῶς, verti etiam potest, diligite extensè, siue impensè.

1. Petr. 1.

Hæc autem philodelphia siue fraternitas Christianorum, non carnalis est, sed spiritualis, multo carnali præstantior, si carnalis fraternitas animos fratrum copulat, multo sanè magis fraternitas spiritalis id efficere debet. Audiamus Duum Maximum sermone indicato; Maior (inquit) est fraternitas Christi, quã sanguinis. Sanguinis enim fraternitas similitudinem tantummodo corporis refert; Christi autem fraternitas, vnanimitatem cordis, animæq; demonstrat, sicut scriptum est Act. 4. [Erat credentium cor vnum, & anima vna.] Verè ergo frater ille est, qui tam corpore, quam vnanimitate germanus est. verus inquam, frater est, cuius idẽ spiritus, & voluntas in fratre est. Melior est igitur fraternitate sanguinis, fraternitas Christi, quoniã interdũ illa sibi inimica est, Christi aũt fraternitas sine intermissione pacifica est. illa inter se cõia, cum æmulatione diuidit, hæc ẽt cum gratulatione cõicat; illa in consortio sæpe despicit germanũ, hæc assumit frequenter alienũ. Sic D. Maximus. sanguinis fraternitas colligat fratres, carnis vinculo, quod facilè frangitur: Christi fraternitas vinculo constringit spiritali charitatis, quod vinculũ est perfectum, atq; arctissimum. Vnde Paulus ad Coloss. 3. [Super oĩa (inquit) hæc, charitatem habete, quod est vinculũ perfectionis, &c.] Sunt alia vincula, quæ homines constringere possunt, vt amicitia, consanguinitas, coniugium, sed charitatis vinculũ cæteris omnibus perfectius est.

Fraternitas Christianorũ spiritualis. D. Maxim. Act. 4. Fraternitas spiritualis charitatis, præstãtior quam carnalis sanguinis. Coloss. 3. Vinculum charitatis.

hoc corda ipsa colligantur arctissimè, quia propter Deum colligantur, & in Deo, hoc vinculo continentur. Diuus Chrysostomus epistola citata hom. 8. ait vinculum bonorum omnium esse charitatem: Charitas (inquit) cõstringit, & complectitur omnia. Quodcunque enim bonũ dixeris, nisi adsit charitas, nihil est, sed planè diffluit. & quemadmodum in naui etiamsi magna sint instrumenta nisi fuerint subligacula, nihil proderunt, & in domo nisi sint colligationes, & contignationes, & in corpore etiamsi magna sint ossa, si non fuerint vincula, & cõpagines, nihil proderunt. ita quæcunque quis habuerit rectè facta, inania erũt, nisi sit charitas Sic ille. Ad Hebr. 10.] Consideremus inuicem (ait Paulus) in prouocationem charitatis, &c.] Nam ex consideratione huius fraternitatis, de qua locuti sumus, & similium rerum oritur amor erga fratres, & prouocatur. Consideremus ergo alij alios, consideremus nos esse fratres, Christique membra, in prouocationem charitatis, & bonorum operum hoc est, vt hac consideratione, & alijs similibus, charitatem prouocemus, & inflammemus, & bona etiam opera erga proximum excitemus. Aliter explicari possunt verba hæc, hunc in modum: consideremus alij alios, & curam agamus mutuam alij aliorum, vt charitatem sic prouocemus, & bona opera in fratres Theodoretus de imitatione exponit hoc pacto: Ad nos inuicem respiciamus, & vnusquisque proximi sui bona, & virtute facta imitetur. Ferrum enim ferrum acuit, & lapis cum lapide collisus flammam parit, &c.

D. Chrys. Simile. Heb. 10. Iuuat ad dilectionẽ fraternitatis cõsideratio. Theod.

Opponet aliquis; Deus toto corde se vult amari; [diliges (inquit) Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo:] Ergo totum cor sibi vendicat Deus, nihil relinquitur proximo. Non potest igitur amari proximus, quia corde diligi debet, cor autem totum Deus possidet.

Obiectio.

Respondetur, Deũ solũ, ita esse amandũ toto corde, vt rebus omnibus

Responsio.

Cor capit Deum, & proximũ infra Deum. Simile praeclarum.

anteferatur, etiam proximo. Sic totũ cor Deus flagitat, & possidet. At verò potest idem cor a Deo totum sic possessum, capere proximum, illumque infra Deum, & propter Deum diligere. Possidet verbi gratia palatium totum Rex. Si roges, cuius est domus illa amplissima? Respondebitur, Regis est domus. Nunquid solus Rex amplissima in domo habitat? Minimè, habitant etiam multi famuli; sed Rex vt Rex habitat, omnium Dominus: famuli habitant vt famuli, Regis imperio subiecti. Eundem in modũ, in corde hominis se hêt res: Possidet Deus cor totum, veluti Rex palatium. Si petas: cuius est cor istud? respondebitur Dei est totum. Nũquid solus Deus in eo habitat? Minimè: habitant etiam Angeli, & homines, qui vt proximi diliguntur. Sed Deus, vt Deus habitat; Angeli & homines habitant vt famuli, sub Dei imperio, atque dilectione.

Dei est propriũ esse super omnia.

Deus vt Dominus super omnia diligitur; Angeli, & homines, vt famuli, in ipsa cordis dilectione habitationem habent infra Deum, & propter Deũ. Itaque hoc est Dei proprium: [Super omnia:] proprium enim illius est super omnia esse, super omnia habitare, super omnia coli, super omnia adorari, super omnia diligi, sicut essentia sup omnia, ita adoratio, & cultus super omnia, solius Dei est, ita & dilectio super omnia.

Causa diligendi proximũ, est Deus.

Ea tamen proximi inferiorem dilectionem non tollit imò efficit; illius enim causa est. proximus namque diligendus est propter Deum; ita vt diligendi proximi causa sit ipsa dilectio Dei. Vult namque Dominus ita amari, vt simul ametur proximus ardenti amore propter ipsum, sed infra ipsum. Non duo sunt charitatis habitus, vt diximus, sed vnus tantummodo, qui duo complectitur obiecta, infinito interuallo distantia, scilicet Deum, & proximum, sed vt

D. Thom.

Diuus Thomas ait 2.2. quæst. 23. art. 5. non ex æquo sunt charitatis obiecta Deus, & proximus: Deus principale obiectum est, proximus ex charitate diligitur, propter Deum.

Itaque charitas fertur maximè, & præcipuè in Deum, in proximum verò propter Deum: ideo non solum amicos complectitur, sed etiam inimicos, in eorumque dilectione maximè splendescit.

In diligendis inimicis splendescit charitas.

Ad diligendum enim amicum quiuis homo ducitur facilè, ad diligendum autem inimicum difficilè trahitur: quo difficilior, eo excellentior est inimicorum amor. Modicus ignis stuppam, vel puluerem sulphureum, facilè inflammat; lignum

Simile.

verò viride, & plenum humore, non nisi magnus ignis incendit: eundem in modum, amicum parua charitas complectitur; inimicum complectitur magna.

D. Aug.

Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, cap. 73. Multa (inquit) sunt genera eleemosynarum, quæ cum facimus adiuuamur, vt dimittantur nobis nostra peccata. Sed ea nihil est maius, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccauit. Minus enim magnum est, erga eum esse beneuolum, siue etiam beneficum qui tibi nihil mali fecerit. Illud multò grandius, & magnificentissimæ bonitatis est, vt tuum quoque inimicum

1. Cor. 13.

diligas, &c. 1. Corin. 13. Charitas (ait Apostolus) non quærit quæ sua sunt] sed quærit Deum: maximè verò quæritur Deus cum diligitur inimicus, in

Dum inimicus diligitur, Deus quæritur.

1. Timot. 1.

quo nihil est aliud, quod quæri possit 1. Timoth. 1 [Finis (inquit) præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, &c.] Finis omnium præceptorum est charitas, de corde puro, hoc est, pure amante Deum propter se, & proximum propter Deum, & Deum solum quærente purum hoc cor in dilectione inimici præcipuè cernitur.

CAPVT XXI.

Morale.

De sermone Domini in cœnaculo.

Si mundus vos odit.

MVndus hic à Deo conditus est sapiẽtissimo artefice, pulchritudine eximia perfectioneque decorus, vt Nazianzenus Gregorius testatur oratione 12. hisce verbis: Rerum hæc vniuersitas, mundus verè est, vt appellatur, & incomparabilis pulchritudo; neque aliquod vnquam opus, quod quidem materia constet, illustrius, aut magnificentius excogitari potest, &cæt. Sed abutũtur eo impij in perniciem suam. Cum deberent mundo vti veluti scala, qua in Deum ascenderent; eodem abutuntur vt scala, qua in Tartarum descendunt. Amorem Deo debitum, creaturis mundi tribuunt, caducisque rebus Deo neglecto corda insepeliunt: quamobrem mundus vocantur, quia mundum diligunt, mundoque cælestis obliti patriæ, toto pectore agglutinantur. Augustinus serm. 49. de tẽp. Mundi (inquit) nomine appellantur peccatores. quia dilectores mundi, inhabitant mundũ. Omnes dilectores mundi ipsi sunt mundus, habitatores mundi animo. Mundum appellauit Scriptura, habitatores mundi per cõcupiscentiam dilectionis. ita Augustinus. Viri autem iusti, & sancti de mũdo non sunt, iuxta id quod Dominus ait, [De mundo non estis, quia ego elegi vos de mundo.] Impij de mundo sunt, tam corpore, quam animo; sancti de mundo sunt corpore, sed non animo, quia in mundo habitant corpore tantum, sed non dilectione. Augustinus eodem loco: Qui (inquit) nõ diligunt mundum, non habitant in eo, quod non diligunt. [Nostra] (inquit Paulus ad Phil. 3.) [conuersatio in cęlis est.] Si ergo qui diligit Deũ, in cælo habitat cum Deo; qui diligit mundũ in mundo cum principe habitat mundi, id est, diabolo.

Greg. Naz.

Mũdo abutũtur impij.

Impij cur mundus appellentur.

D. August.

Qui nõ diligũt mundũ nõ habitant animo in mundo.

D. August. Phil. 3.

[Nolite diligere mundum] (clamat Apostolus Ioannes 1. c. 2.) [neque ea quæ in mũdo sunt. Si quis diligit mũdum non est charitas Patris in eo, &c. & Iacob. 4. Adulteri, nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Dei? Quicunque ergo voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur, &c.] Fugiendus ergo mundus est, segregandus ab illius amicitia mortifera animus, hoc est Aegyptum relinquere, & Babylonem. Mundus enim Aegyptus est, & Babylon, acerba captiuitate suos dilectores præmens, & à Deo auertens. Fugit Lot Sodomam; & Sodomam fugit, fugiens mundum, Tartareas fugit flammas. Generi Lot de imminente periculo admoniti, fugere noluerũt, idcirco sulphureis flammis conflagrarunt.

1. Ioan. 2.

Iacob. 4.

Mũdus fugiẽdus est.

Lot Sodomã egressus ignẽ vitauit, sic q mũdũ fugit, inferni ignes deuitat.

Admouentur his similes multi, dum impendens mundi amatoribus, æternum incendium proclamatur, fuga tamen sibi consulere nolunt, & stultè stulti pereunt. Deceptus est Lot terræ amœnitate, dum Sodomam habitationi elegit Genes. 13. [Eleuatis Lot oculis vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur sicut paradisus Domini. Elegitq; sibi Lot regionem circa Iordanẽ, & habitauit in Sodomis, &cæt. Opus illi fuit postea fugere quod elegerat, neque periret. Eundẽ in modũ decipiuntur mũdi amatores, amœnitate mundi; in eoq; cordis sui habitationẽ figunt. At miseri nisi quod elegerunt fugiunt, tũ corporis, tũ animi incendium perpetientur sempiternũ.

Decipit hões mundi amœnitas.

Gen. 13.

Quis fœtidissimum non fugiat carcerem? Carcer mundus est, patent fores, conijciamus nos in fugam, magna cum festinatione. Mundum autem carcerem esse ostendit his verbis, Tertullianus in libro ad Martyres; Si cogitemus ipsum magis mundum carcerem esse, exijsse vos è carcere, quam in carcerem introijsse, intelligemus. Maiores tenebras habet mundus, quam carcer, quæ hominum præcordia excæcant, grauiores catenas induit mundus, quæ ipsas animas hominum constringunt: peiores immunditias expirat mundus, libidines hominum: plures reos mundus continet; Iudicia non proconsulis, sed Dei sustinet. hæc ille. Fugiendus est autem mundus maximè animo, vt Ambrosius indicat in lib. de fuga sæculi, cap. 8. Fugiamus (inquit) hinc: Potes animo fugere, etsi retineris corpore. Potes & hic esse, & adesse ad Dominum, si illi adhæreat anima tua, si post illum cogitationibus tuis ambules, si ad ipsum confugias, &c. Nazianzenus Gregorius orat. 9. illud Domini Ioann. 14. [Surgite eamus hinc:] de hac felici fuga exponit. Mundum deseruit Christus, eundem a nobis deseri vult. Audistis (inquit) seruatorē, dicentem: [Surgite eamus hinc:] quibus verbis omnes, qui ipsius discipuli futuri erant, hinc abstrahebat, & ad seipsum pertrahebat. Quocirca bonum Dominum sequamur, fugiamus terrenas cupiditates, fugiamus impostérum mundum, & mundi principē, &c. Fugan hanc gloriosam vocat Ambrosius libro citato, capite quarto. Gloriosa (inquit) hæc fuga est, fugere a facie peccati, &c. Gloriosa fuga est, quia gloriosos reddit fugientes. Vndenam tam ingens gloria diuorum exorta est? nonne ex fuga sæculi? Fugiendo mundus vincitur, fugiendo triumphus æternus comparatur. O fugam gloriosissimam, horum victorum vox illa est Diui Pauli ad Hebræos vndecimo. [Confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super, &c.] Peregrini autem sunt, & hospites, quia mundo minimè inhærent, sed peregrinorum instar se habent, caducarum rerum cupiditatibus liberi, iuxta illud 1. Pet. 2. [Obsecro vos tanquam aduenas, & peregrinos, abstinere vos a carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam &c. Audiamus victorem Paulum ad Galat. 6. [per Christum (inquit) mihi mundus crucifixus est, & ego mundo, &c.] O eximiam victoriam! Mundum Paulus fugit, vicit, victum cruci suffixit, se quoque, & cupiditates suas in crucem egit, [& ego (inquit) mundo.] Nunquam enim mundus vincitur, nisi cupiditates vincantur; nunquam mundus crucifigitur, nisi homo quoque vetus crucifigatur. [Omne enim quod est in mundo (ait dilectus Domini epistola 1. cap. 2.) concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ &c.] Qui ergo concupiscentiam euertit, omne quod est in mūdo, atque adeo totum mundum euertit, diruit, atque æquat solo. Hinc illud Diui Petri epistola 1. cap. 1. [Per quem (inquit) maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hęc efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius, quę in mundo est, cōcupiscentiæ corruptionē &c.] Fugere hortatur cōcupiscentiæ, quæ in mundo est, corruptionem, quia dū concupiscentiam fugimus, mundum euertimus. Concupiscentiæ autem, dixit corruptionem, quia mores hominum, animumque corrumpit concupiscentia; quam vt Poeta ait, velut Deum suum mundani homines colunt, & sequuntur, Aeneid. 9.

An sua (inquit) cuique Deus fit dira cupido? &c.

Odit autem mundus, id est, oderunt impij homines, & increduli, probos, qui illorum incredulitati, nefarijsq; cupiditatibus mederi cupiunt. Ideo Pharisæi, & Scribæ, Ethnicorū quoque sacrificuli, Apostolos oderunt. Ideo etiam nunc Mahometani, & Ethnicorum Sacerdotes, Christianos Christianam fidem docentes persequuntur. Nullus est inter eos affectus fidus, (ait Hieronymus Matth. 10.) quorum diuersa est fides, &c.

Mūdus carcer est. Tertull. — *D. Ambros.* — *Fugiendus mundus animo maximè.* — *Praeclara expositio moralis.* — *D. Ambr.* — *Fuga mundi gloriosa est.* — *Fuga cōparatur victoria.* — *Heb. 11.* — *1. Pet. 2.* — *Gal. 6.* — *Qui concupiscentiam vincit, mūdum vincit* — *1. Pet. 2.* — *Concupiscētiam qui fugit, mundū fugit.* — *Impij probos infideles, fidei promulgatores persequuntur.* — *D. Hieron.*

B C D E

Solent, inquit D. Cyrillus, qui mundanis sordibus inhærent, vt licentius voluptates suas sequantur, acerbius inuadere ad probitatem eos reducentes. Nam & Iudæi legis literæ affixi, reuocantes ad spiritũ hostes ducunt, & gentes à cultu creaturarum abduci, iniquo animo ferunt, &c. Solẽt canes domesticis ablandiri, peregrinos insectari: sic mundani homines solẽt sibi similibus applaudere, eosque diligere peregrinos verò, mundiq; contemptores persequi. Aug. lib. 7 Confes. c. 16. Oculis (inquit) ægris odiosa lux est, quæ puris est amabilis, &c. Sic ægris, id est, impijs hominibus, odiosa est lux, fulgorque vitæ iustæ, puris viris est amabilis, ac delectabilis. Audiamus impios Sap. 2. [Circũueniamus] (inquiunt) [iustum.] Cur circumuenire, & persequi iustũ vultis? quid mali commisit? cur illũ habetis odio? sequitur causa: [Quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, &c. improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ; grauis est nobis etiam ad videndum, quoniã dissimilis est alijs vita illius, &c.] Prouerb. 15. [Nõ amat pestilens eum qui se corripit, &c.] Amos 5. [Odio habuerunt corripientẽ in porta, &c. Vnde Diuus Cyrillus Ioan. 15. Qui Deo (inquit) seruire vult, ab eo mundũ offendi necesse est; maximè cum à sordibus mundi alios reuocare conetur, quod sic amarũ est voluptuosis, quemadmodum morbo affectis corporibus, quæ vtilissima remedia sunt, acerbissima videntur, &c. Danda tamen est diligenter opera omnibus, vt sic moneant, sic corripiant, sic doceant, vt neminem offendant, nullius odium, sed amorem potius excitent. Quòd si gratis impij oderint, id est, sine vlla causa, & persequantur, iuxta illud, [oderunt me gratis;] patienter, ac libenter pro Christo, & exemplo Christi proposito, insectationes perferantur.

D. Augus. Simile. *Sap. 2.* *Iustus iniustis suis operib^9, malorũ mala opera diffamat. Prou. 15. Amos 5. D. Cyrillus.* *Cauere debent boni, ne offendãt aliquem dentque causam odij.*

A B C D E

Scitote, quia me priorem vobis odio habuit.

EXemplo suo ad perferendas insectationes, & odia discipulos corroborat. Si vos impij homines persequentur, me ante oculos collocare præcedentem, ego præeo, vos sequimini, me priorẽ odio habuere impij, vos post me insectabuntur. Boni ducis est, milites exemplo præcedere, vt sequantur. 1. Machab. 16. [Vidit dux populum trepidantem ad trãsfretandum torrentem, & transfretauit primus; Et viderunt eum viri, & transierunt post eum, &c.] Audiamus præclarum ducem Catonem lib. 8. Lucani poetæ, milites suos alloquentem, quos per Africę ducebat solitudines.

Exemplum Christi tolerantia. *1. Macb. 16*

Primus Arenas.

Ingrediar, primusque gradus in puluere ponam,
Me calor æthereus feriat, mihi plena veneno
Occurrat serpens, fatoque pericula vestra
Prætentate meo. Sitiat quicumque bibentem
Viderit, aut vmbras nemorum quicumque sequentem,
Æstuet, aut equitem peditum præcedere turmas,
Deficiat; si quo fuerit discrimine notum
Dux an miles eam, &c.

Lucanus. Ducis Catonis exẽplũ.

Sic Christus dux & Deus optimus Maximus, per mundi hasce solitudines, serpentibus plenas, suũ ducens exercitum, primus in puluere gradus posuit vestigiaque reliquit impressa, quibus insistamus. Iuxta illud 1. Pet. 2. [Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius, &c.] primus ille serpentibus occurrit odij veneno plenis hoc est, Pharisæis, atque Scribis, primum impiorũ oppugnauit inuidia, primũ labores affixere, primũ truculenti vulnerauere leones, primus torrentẽ mortis transfretauit, videamus

Christus verus dux qui primus passus est. *1. Petr. 2.*

illum

Præcedit nos per deserta, columna firmissima Christus, exēplo suo lēdorisiter illuminās. D. Ambros.

illū,& sequamur. Olim Hebræorum exercitum, per Arabiæ deserta loca colūna præcedebat; nos non columna nubis, & ignis, sed Deus ipse in nube, hoc est, humanitate, præcedit. Sequebantur illi nubem, nos sequamur præeuntem Deum. Sequebantur Romani milites aquilas, & dracones; nos sequamur Christum, iuxta illud Ambrosij libro 2. de Abraham cap. 7. Exercitata mens non aquilarum præfert imagines, nec dracones, sed in cruce Christi, & in Iesu nomine progreditur ad prælium, &c. [Si mundus nos odit,] sciamus quia priorē illum odio habuit. Nō est seruus maior domino suo. Si Dominus odio est habitus à mundo, vinctus, consputus, verberibus, alapis, ignominijsque affectus, quid optare, quid quærere debet seruus? Sanè domino suo similis esse cupiet; non honores, diuitias, & voluptates consectabitur, sed paupertatem potius, opprobria, cruciatus desiderabit; honorum verò illum, & diuitiarum si hæc habere oportuerit, pudebit, iuxta illud D. Bern sermo. 5. de omn. Sanctis, Pudeat sub spinato capite, membrum fieri delicatū, &c.

D. Bernar.

Quis iam opprobria, paupertatē, cruciatusve fugiat? dulcia hæc, & gloriosa reddidit Dominus, quia prior ea tolerauit, quia priorem illum mundus odio habuit. Amaræ erant aquæ Mara, sed dulces reddidit immissum lignū, Exod. 15. [Cum Moyses lignum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt, &c.] amara sunt opprobria, odia mundi, cæteraq; huiusmodi, sed immisit Christus lignū crucis, dulcia sunt reddita. Prior ille has amaras bibit aquas, dulcitudinemq; attulit. Iā verò quàm gloriosum est ex eodem bibere calice, ex quo rex bibit quemque propinat nobis? Matthæi 20. [Potestis] (inquit) [bibere calicē, quem ego bibiturus sum?] Quis non respondeat alacri animo; [Possum] te iuuante. bibit prior summus Rex; postquā bibit, dilectis seruis suis poculum tradit: quis gloriosum sibi non reputet propinatum ab ipso Rege calicē Regis exhaurire? [De amaro torrēte in via bibit.] Rex summus, Ps. 109: [Propterea exultauit caput, &c] Nos quoque si de torrente eodem biberimus, caput exaltabimus. Seneca in consolatione ad Heluiam: Carcerem, inquit, intrauit Socrates, ignominiam ipsi loco detracturus. Neq; enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat. hæc ille de Socrate. Quid nos de Christo dicere fas est? Intrauit sanè Christus iniquorū iudicum domos, Annę, Caiphę, Pilati, & Herodis, opprobria, alapas, verbera, crucemque perpessus est; ignominiam, amaritudinemque his omnibus detracturus, summoque ea honore exornaturus. Neque enim iam possunt amara illa, aut ignominiosa videri, quæ cęli Rex pertulit, & perferendo summo decore affecit. Rubus illa, in qua visus est Deus Moysi Exod. 3. igne inflammata in cinerē minimè redigebatur, quin potius illustrabatur. Eundem in modum, viri iusti mūdi insectationibus, velut igne incenduntur, sed non absumuntur quin potius summa gloria illuminantur. Lege Philonem lib. 1. de vita Moysis: Rubus, inquit, frutex est debilis, & senticosus, vt vel solo contactu vulneret; nec tamen absumitur ignis voraci natura, imò conseruatur etiam, qualis anteà fuit permanens, adeò nihil amittens, vt nitesceret etiā. hæc designabant exhortationem quandam, tantum non in clamantem pressis calamitate: Nolite succumbere: hæc vestra infirmitas est potētia, &c. lege Tertulliani Apologeticum c. 50. Ad stipitem, inquit, dimidij axis reuincti, sarmentorum ambitu exurimur. Hoc est ambitus victoriæ nostræ hæc palmata vestis, tali curru triumphamus, &c. Videsne rubum igne illustratam, minimè verò in cinerem redactam? Denique Bernardum audiamus serm. 1. in capite Ieiunij; Quid ni (inquit) caput suum membra sequantur? si bona suscepimus ab hoc capite, id est Christo, mala autem quare non sustineamus? An respuere tristia volumus, & communicare iucūdis? Si ita est, indignos nos capitis huius participatione probamus. Omne enim quod

Christus dulces credidit cruciatus exemplo suo. Exod. 15.

Matth. 20.

Psal. 109.

Seneca.

Ignominiā Christus cruciatibus detraxit pro Deo toleratis.

Exod. 3.

Philo.

Simile.

In Christi sectatoribus infirmitas est potētia. Tertullian.

D. Bernar.

Digitized by Google

Membra capitis sortiuntur afflictiones.

quod patitur ille, pro nobis est. Quod si in opere salutis nostræ, ei collaborare piget, in quo deinceps coadiutores nos exhibebimus illi? Non est magnum si compatitur membrum capiti, cum quo & glorificandum est. Felix membrum, quod huic adhæserit per omnia capiti, & sequetur illud quocumque ierit. Sic Diuus Bernardus.

Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret.

Similitudo causa amoris, non dissimilitudo.

Par pari reddit mundus, eos à quibus diligitur, diligit: eos à quibus contemnitur, & odio habetur, contemnit, habetque odio. [Si de mūdo fuissetis] (ait Dominus) hoc est, si mūdum diligeretis, eiusque vitia sectaremini, par ille redderet, vos quoq; veluti suos diligeret. [Quia vero de mūdo nō estis, sed ego elegi vos de mundo; propterea odit vos mūdus:] hoc est, quia mundum non diligitis, quia ab illius vitijs, & incredulitate abhorretis, vicissim ille vos non diligit, & à vestra fide, virtuteque abhorret. Similitudo amoris est causa, nulla autem cum mūdo similitudo est sanctis hominibus, non est igitur mirum si à mundo non diligantur. Ecclesiast. 13. [Omnis] (inquit) [caro ad similem sibi coniungetur, & omnis homo simili sui sociabitur, &c.] Omnis, inquit, caro, id est, omne animal carne constans, coniungitur cum animalibus sibi similibus, vt oues cū ouibus, boues cum bouibus, leones cum leonibus, graculi cū graculis, iuxta prouerbium, semper graculus assidet graculo: sic homines sibi similibus consociantur. Addit Sapiens; [Si cōmunicabit lupus agno aliquando, sic peccator iusto. Quæ communicatio sancto homini ad canem? &c.] hoc est, quemadmodum lupus societatem cum agno sibi valde dissimili non habet; sic nec impius cum iusto. Nulla est consociatio inter sanctos homines, & canes, id est, improbos, atque immundos, qui canum potius, quàm

Ecclesi. 13.

Improbos, vocat Scriptura, canes.

hominum nomine digni sunt. Vetus prouerbium est, ὅμοιος ὁμοίῳ φίλος, id est, simile simili amicum; ὁμοιότης verò, id est similitudo, dicitur τῆς φιλότητος μήτηρ, id est, [amicitiæ mater.] Et Marcus Tullius li. de amicitia post medium; Nihil (inquit) est quod ad se rem vllam tam alliciat, quàm ad amicitiam similitudo, &c. Eodē quoque libro ait dissimilitudinem amicitiam dissociare: Dispares, inquit, mores disparia studia sequuntur, quorū dissimilitudo dissociat amicitias, &c. His addit: Neque ob aliam causam, boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse morum studiorumque distantia, &c. Hinc illud Horatij.

Tullius.

Dissimilitudo, est amicitiæ dissociatio.

Oderunt hilarem tristes, tristemque iocosi,
Sedatum celeres, agilem gnauumque remissi.

Rogabis, nonne sancti viri impios diligunt? Respondemus viros sanctos, impios diligere: sunt enim proximi; eorum tamen vitia minimè diligere, aut probare; atq; ideo ab impijs non diligi August. tract. 87. Vitiū, inquit, in impio diligere prohibemur; iubemurque diligere naturam: cum ipse in se diligat vitium, oderitque naturam, vt nos eum, & diligamus, & oderimus rectè, cum ipse se diligat, oderitque peruersè, &c Denique vt Comicus ait, & prouerbio tritum est, [Obsequium amicos, veritas odium parit.] Veritatem Euangelicam Apostoli Pharisæis, & Sacerdotibus, Ethnicisque prædicauerunt; odium peperit veritas impijs, quia ipsorū moribus aduersabatur. Si de mūdo Apostoli fuissent, si mundo obsecuti essent, obsequium amicos peperisset: quia de mundo non erant, sed Christus elegerat eos de mūdo ad docendam Euangelicam veritatem, veritas odium peperit incredulis.

Sancti viri, impios quo modo diligant.

Vitiū odio habendū in impio, diligenda natura.

D. August.

Prouerbiū.

Veritas Euangelica impijs odiū peperit.

Oderunt me gratis.

Gratis Hebraicè, [Chinā,] id est, [sine causa vlla data,] odio habuere

buere Pharisæi,& Scribæ Dominum. nullam odij causam dederat, multas fidei,& amoris,vt miracula, beneficia,cælestemque doctrinam: sed mala pro nobis reddiderunt impij, Psal. 34. [Retribuebant mihi mala pro bonis;] Ps.108 [Pro eo vt me diligerẽt, detrahebant mihi: posuerunt aduersum me mala pro bonis, & odiũ pro dilectione mea, &c.] hoc est, pro amore, quem mihi debuerant, detractiones rependebant, mala reddebãt pro beneficijs,& odium pro dilectione,qua illos prosequebar.[Ego nullã inuenio in eo causam,] ait Pilatus Ioan 18.rectè quidem,quia nulla erat in Christo mortis,aut odij causa, erat tamen in Iudæis causa huius odij inuidia:Matth.27. [Sciebat Pilatus, quòd per inuidiam tradidissent eum, &c.] Nõ inuenit in Christo causam, in Iudæis inuenit. Oderunt quidem Dominum [gratis,] sed inuidia concitati.Inuidiæ enim est proprium gratis,& sine causa odio prosequi.Si roges inuidum, Cur odio habes proximum? nunquid iniuriam intulit, rem familiarem deprædatus est, vulnerauit, aut aliqua alia in re nocuit? Respondebit,si verũ respondere voluerit: Nulla in re nocuit, habet igitur odio gratis: quia non est illi proximi felicitas grata, iuxta illud Poetæ: [Sed videt ingratos,intabescitque vi dendos Successus hominum, &c.]

Psal.34. Psal.108.

Mundus sæpè mala pro bonis rependit.

Ioan.18.

Inuidia est gratis prosequi odio.

Quid sit odio habere gratis.

Nunc excusationem non habent de peccato suo.

HÆc omnia (ait Dominus) [facient vobis propter nomẽ meũ, quia nesciunt eum,qui misit me,&c.] Gratis odisse Iudæos dixit,& ignorãter,ignorabant Christum Deum esse; [si enim cognouissent] (ait Paulus 1. Cor.2.) [nunquam Dominum gloriæ crucifixissent,&c.] Ignorabãt etiam esse Messiam.Solet ignorantia peccati excusationẽ afferre;vnde Rex Abimelech Genes.20.[Domine] (inquit) [num gentem ignorantem, & iustam interficies,&c.] D.Paulus 1.Timoth. 1.[Misericordiam] (inquit) [cõsecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate mea,&c] Dauid Ps.24.[delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, &c.] D. Petrus excusans Iudæos Act.3.Scio (inquit) [quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri.] Dominus quoq; in cruce pendens, Luc.23. [Pater dimitte illis,non enim sciunt, quid faciunt,&c] Videtur ergo ignorantia Iudæorum excusationem aliquã habuisse, quod probant verba citata Christi in cruce, & Diui Petri Act.3. Christus enim, & D. Petrus Iudæos excusationem aliquam ignorãtiæ habuisse asserunt. Sed aduersatur hic locus quo Dominus omnem aufert excusationem; [Nunc] (inquit) [excusationem nõ habent de peccato suo, &c.] Prætereà ignorantia,quam inuincibilem vocant,excusationem habet;at ignorantia crassa, atque affectata excusatione caret,qualis fuit illorum ignorantia, de quibus dicitur Psal.55. [Noluerũt intelligere,vt bene agerent,] & illorum,de quib. Iob 21. [Dixerunt Deo, recede à nobis, & scientiam viarum tuarũ nolumus, &c.] illorum quoque qui Isaiæ 30. dicunt videntibus, [nolite videre, & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt, loquimini nobis placentia,videte nobis errores, &c.] Similis videtur fuisse ignorantia Pharisæorum, & Scribarũ; ergo nullam habuere excusationẽ. Cur ergo Christus in cruce, & D. Petrus eos excusant? Respondetur Pharisæorum, Scribarum, & Sacerdotum ignorantiam excusationem non habuisse tollentem peccatum; habuisse tamẽ excusationẽ aliqualem, nimirum, quia peius fuisset occideret Deum, & Messiam notum,quàm ignotum.ideoque Christus in cruce,& D. Petrus Act.3. eos aliquo modo excusant.

De ignorantia Iudæorũ.

Gen.20. 1.Timoth.1. Psal.24. Act.3. Luc.23.

Ignorantia sæpe excusat à peccato.

Ps.55. Iob 21. Isai.30.

An ignorantia Iudæorũ habuerit excusationem.

FINIS LIBRI QVARTI.

SEBA-

SEBASTIANI BARRADAS, E SOCIETATE IESV,

DOCTORIS THEOLOGI
Commentariorum in quatuor Euangelia, eorumque concordiam Euangelicam,

Liber Quintus.

CAPVT PRIMVM.

IOANNES CAPITE XV. & XVI.

CVm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me: & vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis. Hæc locutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini. Abſque ſynagogis facient vos: ſed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo; & hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me. Sed hæc locutus ſum vobis, vt cùm venerit hora eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.

Cùm

Digitized by Google

Cùm autem venerit Paraclitus, ille testimonium perhibebit de me.

Spiritũ sanctũ se missurum pollicetur Dominus.

AFfirmauit Dominus se à Iudæorũ principibus, minimè cognosci sed odio haberi: [Nesciũt] (inquit) eum qui misit me, &c.] eorum ignorantiam excusatione carere ostendit; [si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberet; nunc autem excusationem non habent de peccato suo, &c.] hoc loco àd pellendam hanc ignorantiam, & odium, se missurum ait Spiritum sanctum, missurumque ipsos Apostolos, vt Spiritu sancto afflati ignorantes Iudæos doceant. Nesciunt (inquit) Iudæi, me Dei filium esse, verumque Messiam, gratis oderũt me increduli, quamuis illos docuerim, miraculisque stupendis doctrinam confirmauerim. In hac ignorantia non eos relinquã omnino: Spiritum sanctum mittam, qui, quis ego sim, testetur illis; vos quoq; eodem spiritu inspirati, idipsum testimonium de me feretis, quia meam doctrinã, meaque miracula omnia perspecta habetis. Testimonium autem Sp.S. Christo tulit cum venit, id est, cum de cælo admirabiliter in linguis igneis delapsus est, cumque posteà in Christianos simili modo descẽdebat, & per Apostolos loquebatur. Ioan. 16 Ille, id est, Spiritus sanctus, [me clarificabit, &c.] suo scilicet testimonio. Act. 5. [Nos] (aiunt) [sumus testes horum verborum, & Spiritus Sanctus quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi, &c.] 2. Corint. 5. [Pro Christo legatione fungimur, tanquã Deo exhortante per nos, &c. Quia verò testimonium redditurus erat, appellauit illum spiritum veritatis, id est, Spiritũ veracem, qui neque falli, neq; fallere potest; testem enim veritatis amatorem esse oportet. Est spiritus mendax dæmon, 3. Reg. 22. [Ero spiritus mendax, in ore omnium Prophetarum tuorum, qui hic sunt, &c.] est etiam Spiritus erroris, 1. Timoth. 4. [Discedẽt quidem à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorũ, &c.] At Spiritus sanctus est Spiritus veritatis, id est, verax, imò ipsa est veritas. Diuus Cyrillus in Ioannem, ait appellari spiritũ veritatis, quoniam est Spiritus Christi, qui est veritas, & in epistola ad Nestorium, quæ habetur in Concilio Ephesino tom. 1. capitulo 14. ab ipso Concilio approbata, ait idem Cyrillus, Spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est, vnde ab isto simpliciter sicut ex Patre procedit, &c. Dicitur etiam spiritus paraclitus, id est, exhortator, siue consolator, quia non solum fert testimonium, sed etiã ad credendum exhortatur, animumq; credentis in persecutionibus consolatur. Aduerte nomen Græcum παράκλητος, significare [exhortatorẽ, consolatorem, & aduocatũ:] Christum autem non fuisse Græcè locutum, sed Hebraicè. Quo autem nomine Hebręo Spiritum sanctum appellauerit, non constat; an scilicet significarit nomen Hebræum consolatorem, an exhortatorem. Probabilius significasse consolatorem.

Spiritus sanctus & Apostoli quis esset Christus Iudæis aperuerunt.

Ioan. 16. Act. 5.

2. Cor. 5.

Spiritus sanctus est Spiritus veritatis. Spiritus mendax dæmon. Spiritus erroris hæreticorum.

D. Cyrillus.

Neque verò tãtum Spiritus sanctus testimonium fert de Christo, sed Pater etiam, & Verbum, vt Diuus Ioannes docet 1. epist. cap. 5. [Tres] (inquit) [sunt qui testimoniũ dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, &c.] Eodem capite ait Apostolus eum, [qui credit in Christũ, testimonium Dei in se habere,] quoniam

De Christo testimoniũ ferũt Pater, Verbum, & Spiri. sanct. 1. Ioan. 5.

niam testimonio Dei fidem habet: eum verò qui non credit, ait facere Deum mendacem, quia non habet fidem Dei testimonio. [Si testimoniū] (inquit) [hominum accipimus, testimonium Dei maius est; quoniam hoc est testimonium Dei, quod maius est, quoniam testificatus est de Filio suo, &c.] Deinde addit: [Qui credit in Filium Dei habet testimonium Dei in se,] id est, conseruat illud, fidem illi adhibens. [Qui non credit Filio mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo, &c.]

Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

Apostoli testes Christi fuerunt.

IOannis 5. ait Dominus; [Ego ab homine testimonium non accipio, &c.] Cur igitur nunc ait se ab hominibus, id est, ab Apostolis accepturū testimonium. Vos (inquit) [testimonium perhibebitis, &c.] Respondemus Christum Ioan. 5. significare, sibi non esse necessarium hominis testimonium. Cum enim esset Deus, poterat se hominibus absque hominis testimonio manifestum facere. Voluit tamen testimonio hominum vti propter homines, vt per homines fides promulgaretur. Erat verò illud testimonium diuinum, quoniam Apostoli diuino spiritu afflati loquebantur, neque accipiebat Christus testimonium ab homine profectum, & natum, sed accipiebat testimonium à Deo emanans, diuinum & infallibile. Perhibuerunt ergo Apostoli Christo testimonium diuinum à Deo ipso illustrati, & docti; nam fides diuino nititur testimonio. Opus autem fuit testimonio hominum, vt hominibus per homines fides annuntiaretur, quæ tamen non humano testimonio, sed diuino inniteretur, per homines dato.

Apostoli testes oculati.

Reddit Dominus rationē, cur Apostoli testes sint futuri. [Quia] (inquit) [ab initio mecum estis ;] hoc est, quia secuti estis me semper ab initio prædicationis meæ, post Baptismum. Apostolos enim post Baptismum vocauit, & docuit. Doctrinam Christi audiuerant, miracula viderant, & vitam sanctissimam, testes esse poterant oculati. Vnde D. Ioannes epistola 1. cap. 1. Quod, inquit, [fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vidimus, & testamur, &c.] Et Act. 4. Petrus, & idem Ioannes: [Non possumus] (aiunt) [quæ vidimus, & audiuimus non loqui, &c.] Item Act. 1. Petrus; oportet (inquit) ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter vos Dominus Iesus, incipiens à Baptismate Ioānis, vsque in diem, qua assumptus est à nobis; testem resurrectionis eius nobiscum fieri, vnū ex istis, &c.] Item Act. 10. Nos, inquit, [testes sumus omnium, quę fecit in regione Iudæorum, & Ierusalem, &c.] Græcè legitur, μαρτυρεῖτε, id est, [testimonium perhibetis,] præsenti tempore; sed ponitur præsens pro futuro. [Cùm venerit] (inquit) [paraclitus, tunc testimonium perhibebitis;] non antequam veniat, sed postquam venerit; Spiritus enim sanctus robur, & mysteriorum cognitionem Apostolis tribuit, idoneosque testes effecit, postquàm venit. Ante illius aduentum imbecilles erant, & ad testificandum inepti, quod satis ostendit Petrus cum ter Christum negauit, vt ostendit copiosè Augustinus tract. 92.

1. Ioan. 1. *Act. 4.* *Act. 1.* *Act. 10.*

Erant imbecilles Apostoli ad testificandū de Christo ante descēsum Spi. sancti.

Quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, qui à Patre procedit.

OStendit hoc loco Dominus, Spiritum sanctum à Patre, & à se Verbo procedere. A Patre procedere probant verba illa: [Qui à Patre pro-

procedit.] A Verbo quoque procedere illa demonstrant: [Quem ego mittam vobis à Patre,] & illa cap.16. [Si abiero, mittam eum ad vos, &c.] Non enim mitti posset Spiritus sanctus à Filio, nisi à Filio procederet, quoniam persona diuina ab ea mittitur persona; à qua procedit, quòd si ab ea non procedat, mitti ab ea non potest. Quamobrem Pater neque à Filio neque ab Spiritu sancto mitti dicitur: quia neque à Filio, neque ab Spiritu sancto procedit, & Filius, nõ dicitur mitti ab Spiritu sancto, quia ab Spiritu sancto non procedit. Mitti dicitur à Patre, quia à Patre procedit. Spiritus sanctus à Patre, & Filio mittitur, quia ab vtroque procedit. Si obijcias Isaiæ 48. & 61. dici Filium mitti ab Spiritu sancto, respondetur, mitti Filium ab Spiritu sancto, non quatenus Deus est, sed quatenus est homo. Probat quoq; procedere Spiritum à Filio illa Domini insufflatio. Ioan.20. [Insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, &c.] Quemadmodum enim flatus ab homine procedit; sic indicauit à se procedere Spiritum sanctum. Præterea Ioan. 16. ait; [Ille me clarificabit, quia de meo accipiet;] Hoc est, quia sapientiam, & essentiam meam, à me accipit, per quam me clarificabit. Quid enim aliud accipit Spiritus à Patre, & Filio, quam diuinam essentiã eiusque attributa? Item Matthæi 10. [Spiritus] (inquit) [Patris vestri qui loquitur in vobis, &c.] Spiritum Patris appellat, quia à Patre procedit, & mittitur. Eundẽ in modum Paulus ad Gal.4. Spiritũ vocat Filij, nimirũ quia à Filio procedit, & mittitur. Misit, inquit, [Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, &c.] Et ad Romanos 8. [Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius, &c.] Vnde Augustinus tract.99. in Ioannem; Cur (inquit) non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus sanctus, cum filij quoque ipse sit Spiritus? &c. Lõgum esset hanc veritatem probare alijs rationibus. Satis sit ab Ecclesia esse definitam. Verba subijciam Synodi Florentinæ in literis sanctæ Vnionis, in quam tum Latini, tum Græci Patres conuenerunt, & Spiritum sanctum à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio, vnaque spiratione procedere definiuerunt. Reliqua Scholasticis doctoribus relinquam. Definimus (inquiunt) vt hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, sicque omnes profiteamur, quia Spiritus sanctus ex Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul, & Filio, & ab vtroque æternaliter tanquam ab vno principio, & vna spiratione procedit. Declarantes quòd id quod sancti Patres, & doctores dicunt, ex Patre per Filiũ procedere Spiritum sanctum, ad hãc intelligentiam tendit, vt per hoc significetur, Filium quoque esse secũdum Græcos causam, secundum Latinos principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicuti, & Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, Pater ipse vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum quòd Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo etiam æternaliter genitus est. hæc Synodus. Ab hac sacri Concilij definitione defecerunt posteà Græci, versanturque etiam hodie in errore maximo, affirmantes Spiritum sanctum à solo Patre, non à Filio procedere, qua de re legendus est Cardinalis Bellarminus tomo 1. lib.2. de Christo c. 20. & sequenti. Errorem suum confirmant his verbis Christi, quæ interpretamur, [Cum venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, &c.] Christus, aiunt, asseruit Spirit. sanct. procedere à Patre, ergo non procedit à Filio, sed nihil momenti argumentum habet. Processit Baptista Ioannes à Zacharia, & Elisabetha, si Euangelista diceret, Ioannes processit à Zacharia; nonne ridiculum esset inferre; ergo non processit ab Elisabetha? Eundem in modum; procedit Spiritus sanctus à Patre, & Filio, tanquam vnico principio; ait Chri-

Non mittitur persona diuina nisi à persona à qua procedit.

Isa.48. & 61.

Ioan.20. Simile.

Ioan.16.

Matth.10.

ad Gal.4.

Rom.8.

D. August.

Concilij Florentini definitio.

Filius est principium Spiritus sancti.

Græcorum error.

Argumentũ à pari, de D.Ioan. Baptista.

Christus Spiritum à Patre procedere, nonne ridiculum est inferre, ergo non procedit à Filio? Matthæi 10. ait Dominus Petro, [Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, &c.] Nunquid quia Christus dixit Patrem reuelasse Petro suam diuinitatem, sequitur solum Patrem reuelasse? nunquid quia dixit Ioan. 15. [Ille,] id est, Spiritus sanctus, [vos docebit omnia;] solus Spiritus sanctus discipulos docuit omnia? Nonne etiam Filius, & Spiritus sanctus reuelarunt Petro diuinitatem Christi? nonne etiã Pater, & Filius docuerunt omnia discipulos? Eundem in modum, quamuis dicat Spiritum sanctum à Patre procedere, minimè infertur, ergo nõ procedit à Filio. Aperuit Christus Spiritum sanctum à Patre procedere, vt illius summam dignitatem indicaret: à se etiam procedere, aperuit eodem loco alijs verbis: [Quem ego mittam vobis à Patre, vt diximus. Sensus autem horum verborum hic est; quem spiritum ego à Patre mittam; hoc est, quem à me procedentem mittam vobis, ab ipso etiam Patre procedentem. Vel quem ego à Patre mittam vobis; id est, accepta à Patre vi spirandi, quia à Patre habeo essentiam diuinam, quam Spiritui sancto communico. Vel, quem ego mittam vobis à Patre, i. postquam ad Patris dexteram ascendero.

Matth. 10.

Ioan. 15.

CAPVT II.

De sermone Domini in cœnaculo.

Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini.

Misit Apostolos Christus in mundum, vt fidem Christianam Spiritu sancto cooperante primum promulgarent: quæ promulgatio magnis erat plena periculis, atque persecutionibus. Hæc pericula, hasque persecutiones illis prædixit, ne scandalizarentur cũ occurrerent: scandalizari autem dicitur, qui in offendiculum occurrens impingit, & cadit. Scandala, & offendicula erãt hostium insectationes occurrentes; ne in illas impingant, & cadant, præmonet. Quemadmodum eis qui periculosum pelagus nauigaturi sunt, periculosa loca, scopulique indicantur, in quibus naufragia solent fieri: sic Dominus, discipulis periculosam aggressuris nauigationem, hoc est fidei promulgationem, pericula subeunda, persecutionesque, velut periculosa in mari loca, atque scopulos indicat, in quib. multi solent naufragari, ne ipsi faciant naufragium. Hæc (inquit) locutus sum vobis, vt non scandalizemini, hoc est, pericula hæc, & persecutiones euenturas, velut in mari scopulos, siue breuia, has Scyllas, & Charybdes ostendi vobis, vt non scandalizemini, hoc est, vt non faciatis naufragium, ac pereatis. Nauarchum etiam vobis sapientissimum indicaui, nempe Spiritum sanctum illis verbis; [Cum venerit paraclitus, quem mittam vobis à Patre, &c.] huic omnes scopuli, periculosaque pelagi loca nota sunt: illius sapientiæ, & gubernationi confisi omnia tuto præteribitis. Ille vobiscum nauigabit, (Ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis;) promulgabitis vos Euangelium, sed illo gubernante, atque ducente.

Prædicit Dominus discipulis persecutiones.

Simile.

Tela præuisa minus feriũt, ac pericula.

Absque synagogis facient vos.

Iam suprà ostẽderat summatim scopulos illis verbis: (Si me persecuti sunt, & vos persequẽtur itẽ; hæc oĩa faciẽt vobis pp nomẽ meũ, &c.) Hoc loco particulatim duos ostẽdit. alterũ expulsionẽ ex synagoga, alterũ ipsã mortẽ. (Absq; synagogis, (inquit) faciẽt vos;) hoc est, ex synagogis suis expellẽt vos, veluti hoĩes execrabiles

Digitized by Google

Græcè ἀποσυναγώγους ποιήσουσι, i. [aposynagogos facient] Erant autem aposynagogi, ij qui à synagogis pellebantur similes ijs, qui nunc excommunicantur. Diuus Augustinus sic interpretatur; extra synagogas faciẽt vos, hoc est, Euangelium repellent, me, & vos, & Euangelium, à suis synagogis eijcient Quid, inqt, mali erat Apostolis expelli de synagogis Iudaicis, quasi nõ inde se fuerint separaturi, etiãsi eos nullus expelleret? Sed nimirum hoc voluit denuntiare Christus, quia Iudæi ipsum non fuerant recepturi, à quo Apostoli non fuerant recessuri. Et ideo futurum erat, vt foras mitterentur cum illo ab eis, & cæt. Illud quoque dubium habet, quod rogat Augustinus. Quod mali erat Apostolis expelli de synagogis Iudaicis? Respondetur, nihil mali erat Apostolis, à synagogis Iudæorum pelli, sed tamen malum hoc esse, & graue opprobrium Iudæi arbitrabantur, ideoque Apostolis hoc prędicit Dominus. Adeo verò graue opprobrium à Iudæis hoc esse credebatur, vt fidei confessioni in multis principibus viris obstiterit, iuxta illud Ioan. 12. [Ex principibus multi crediderũt in eũ; sed propter Phariseos non confitebantur, vt è synagoga non eijcerentur, &c.] Et capit. 9. de parentibus cæci loquens: [Hęc (inquit) dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos. Iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret, &c.

Aposynagogi qui. D. Aug. — *D. Aug.* — *Nihil opprobrij Apostolis erat expelli à sinagogis.* — *Ioan. 12.* — *Ioan. 9.*

Sed uenit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.

NOn solum (inquit) aposynagogos vos facient, atq; excommunicatos; sed venit hora, i. tempus veniet, vt omnis qui vos inficiet (ponuntur præsentia pro futuris) existimet se Deo rẽ facere gratissimã. Græcè legitur λατρείαν προσφέρειν τῷ θεῷ. Latria autem significat [seruitutẽ, obsequium, & cultum Dei: verbum autẽ, προσφέρειν, significat offerre, vnde προσφορά, dicitur oblatio. Diuus Cyrillus sic interpretatur: Ad tantum atrocitatis prorumpent, vt sacrificij vim in cæde vestra positam putent. Et Euthymius hoc pacto: Tanto studio vestrã affectabunt mortem, vt eũ qui vos occiderit, putent sacrificium ac victimam obtulisse Deo, &c. Euangelium Syriacum: Quisquis interficiet vos putabit oblationẽ se offerre Deo. Sensus est: putabũt se præstare, siue offerre Deo latriã, i. obsequiũ aliquod, vel cultũ gratissimũ, vt cultum, & obsequiũ sacrificij. Et quidẽ sacrificia erant Deo gratissima, Christi martyres quoniã pro fide Christiana immolabantur: quamuis impij carnifices, propterea sacrificia esse arbitrarentur, quod essent execrabiles.

D. Cyrill. — *Euthym.* — *Apostolorũ persecutio.* — *Latria, significat obsequiũ gratissimũ, & cultum sacrificij.*

Particulam illam, [sed,] Græcè, ἀλλά; in verbis illis; [sed venit hora:] ita exponit Cyrillus; sed non hæc aduersus vos solummodo facient: verum etiam, &cęt & Theophylactus: Non solum à synagoga vos alienos faciẽt, sed & morte punient, &c. Aliter; Absque synagogis facient vos, [sed,] id est, imò, venit hora, &c. Vel, attamen venit hora, &c. vel, & venit hora; siue, insuper venit hora, &c. Illa interpretatio minus placet, qua, [sed,] ꝑ, [quia,] vel, [enim,] sumitur, hoc sensu; venit enim hora: quia hic reddi nõ vr̃ causa. Potest particula, [sed,] incrementum significare, in hanc sententiam; absque synagogis faciẽt vos sed maius aliud, & grauius imminet malum: venit hora vt qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo. Ita Card. Caiet.

Theoph.

Dubium est loquaturne Dominus hoc loco de Iudæis, an de Ethnicis quoque? Diuus Augustinus tractat. nonagesimotertio, & alijs locis, de Iudæis tantum loqui arbitratur. Similiter Beda, Diuus Cyrillus, & alij, de Iudæis verba Christi interpretantur, probaturque interpretatio ab Augustino libro secundo, contra liter. Petil. capitulo nonagesimosecundo. quoniam Ethnici cum occidebant Christianos non arbitrabantur

Dubitatio. — *Loquaturne Domin' de Ethnicis* — *Responsio. D. August. Cyrill. & Beda.*

bantur obsequium se præstare Deo; A non enim Deum colebant, sed idola. Quod autem de Ethnicis quoque sermo sit, confirmatur; quia Apostoli cum quibus Christus loquebatur, fere omnes non à Iudæis, sed ab Ethnicis vita sunt priuati. Respondetur, Christum de Iudæis maximè loqui. Omissa Augustini probatione, probatur, quia de illis hactenus locutus est: cum igitur ad Iudæos reliqua verba pertineant antecedentia, & sequentia: hæc etiam pertinere videntur. B Quod verò obijcitur. Apostolos ferè omnes, non esse occisos à Iudæis, sed ab Ethnicis, verum est, nihilominus tamen de Iudęis verba intelliguntur, præcipuè hoc sensu; [venit hora vt omnis qui interficit vos,] idest, meos discipulos Christianos, arbitretur se obsequium Deo præstare. Occiderunt autem Iudæi Iacobum Apostolum, Stephanum, & alios, de quibus C Paulus Act 26. [Multos sanctorum ego in carceribus inclusi, à principibus sacerdotum potestate accepta, & cum occiderentur detuli sententiam, &cæt.

Responsio autoritas.

Act. 26.

Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me.

Causam cur Iudæi persecuti sunt D discipulos aperit. Ea fuit mysterij incarnationis ignoratio. [Hæc (inquit) facient,] vos persequentur, & occident, [quia nõ nouerũt Patrem meũ, neq; me,] .i. quia non nouerũt Deum Patrem esse, & me eius esse filium incarnatũ, Deũ Patri ipsi æqualem, Messiã. Non propter crimina aliqua vos persequentur Iudęi, sed quia E fidem in me prædicabitis quẽ illi cognoscere nolunt. De Iudæis ait Paulus ad Rom. 10. [testimoniũ perhibeo illis quod æmulationem, i. zelum Dei habent, sed non secundũ scientiam,] &c. Habebant Iudæi zelũ Dei, sed nõ secundũ scientiã, sed secundũ ignorantiam, quia Christum non agnoscebant. Similiter Paulus de seipso ad

Ignorantia persecutionis causa.

Rom. 10.

Zelus Iudæorũ secũdum ignorantiã.

Gal. 1.

Gal. 1. [Persequebar (inquit) Ecclesiã Dei, & expugnabã illam, abũdantius æmulator existens paternarum traditionum mearum, &c.] & ad Philip. 3. [Secundum æmulationem, i. zelum, persequens Ecclesiam Dei, &c]

Philip. 3.

Sed hæc dixi vobis, vt cum venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.

Quorsum futuras persecutiones discipulis prænuntiet, docet Dominus. nimirum vt cum persecutionum tẽpus aduenerit, recordẽtur ab ipso multo antè fuisse prædictas, nihilque noui sibi contingere existiment, sed quod prædictum iam erat. Iuxta illud Diui Petri epistola 1. c. 4. [Nolite (inquit) peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit quasi noui aliquid vobis contingat, &c.] Feruorem appellat ardorem persecutionis. Græcè ἐν πυρώσει, id est, in inflãmatione, & incendio; in incendio igitur, & feruore persecutionum ne velut in re noua, atque ignota peregrinos se exhibeãt monet. Rectè Gregorius hom. 35. in Euangelia; iacula minus feriunt, quæ preuidentur; & nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeũ munimur, &c. ipsam persecutionum & malorum præuisionẽ, clypeum vocat, quo protegimur; hunc clypeum discipulis offert Dominus, quo iacula persecutionum recipiant, neque persecutiones admirentur, aut horreãt, fortiterque pugnẽt. Recordamini discipuli in ipso persecutionum ardore nihil noui nobis contingere; sed id euenisse, quod vobis ego prædixi, & quod futurũ sciebam, quodque me permittente, ac vidẽte fiet. Hæc recordatio aĩos corroborabit vestros, vestramq; fidem clypeus hic vos proteget, hæc ipsa verba, quæ vobis modo dico animo tũc voluite, vestrumque ducem audire existimate dicentem; fortiter pugnate milites; non ad delicias, sed ad

1 Pet. 4.

Persecutio præuisa minus ferit. D. Greg.

Præscientia in malis, & aduersitatibus est veluti clypeus.

prælia vos misi. Venit hora, vt omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo. Diuus Augustinus, & alij sic interpretantur, [Vt cum venerit hora eorum, reminiscamini, &c.] id est, vt cum eorum, quæ dixi vobis hora venerit, recordemini quod ego prædixi vobis. Illud, eorum, coniungunt cum, hora. Sed cum verbo reminiscamini, coniungendū, ex Græco Euangelio compertum est, sic enim habet, ἵνα ὅταν ἔλθῃ ἡ ὥρα, μνημονεύητε αὐτῶν, id est, vt quando venerit hora, recordemini ipsorum. Est itaque sensus, hæc dixi vobis, vt cum venerit tempus persecutionum, recordemini eorum, quia, pro, quod, ego vaticinatus sum ea vobis. Recordemini, inquā, quia ego præuidi omnia vt Deus, & prædixi vobis, vt in fide confirmemini, iuxta illud Io. 14. Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis, &c. id est in fide corroboremini.

D. Aug.

Ioan. 14.

CAPVT III.

Morale.

De sermone Domini in cænaculo.

Psal. 34.

PSalmo 34. [Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem aīæ meæ, &c.] Græcè ἀτεκνίαν, id est, probitatem, Chaldæus, reddebāt mihi malum pro bono, quærentes orbare animam meam, &c. sterilem Christum efficere conati sunt Pharisæi, Scribæ, & Iudæorum Sacerdotes, omnemq; dedere operam, vt filijs spiritalibus, eum orbarent. Attamen vt est in psalmo 20. [Cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.] Nam misso è cælo Spiritu sancto, Apostolisq; in omnem terram legatis, vt testimoniū de illo perhiberēt, innumerabiles toto orbe filios genuit. [Cum (inquit) venerit paracletus testimoniū perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, &c.] Iudæi orbitatem retribuebant, pater immensam retribuit filiorum copiam per Spiritum sanctum & per Apostolorum testimonium, toto orbe vulgatum. Vnde illud Isai. 53. [Videbit semen longæuum, &c.] & psalm. 21. semen meum (ait Christus) seruiet ipsi, &c. & de Apostolorū testimonio eodem Psalmo, [Annuntiabitur Domino generatio ventura, &c.] Dicitur generatio Christianorum generatio ventura, quia cum Messia venturo venit; quemadmodū Messias dicitur venturus, iuxta illud Baptistæ Matthæi 11. [Tu es qui venturus es, &c. Sic Christianorum generatio, dicitur ventura. Annuntiata autem est hæc generatio, hoc est, euangelizata est, & Euangelium recepit, per Spiritum sanctum, & Apostolos, eiusque successores. Similis est ille loquendi modus Matthæi 11. Pauperes euangelizantur, id est, annuntiantur, Euangelium audiunt, ex Hebræo verti potest: Numerabitur Domino generatio ventura, hoc est, quēadmodum milites, sic venturæ generationis homines, Christo numerabantur velut milites, sub vexillo crucis militantes. item eod. psalmo, Annuntiabunt cæli iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit Dominus &c. hoc est, planè cælestes viri Apostoli euangelizabunt Christi iustitiā, populo Christianorum, qui nascetur ex Christo, quem fecit Dominus: id est, quem populum non homo fecit aliquis, sed Deus: est enim populus a Christo homine, atque Deo factus, congregatus, atque acquisitus, quam ob rem Diuus Petrus epistola prima, cap. 2. [Populum appellat acquisitionis, i. acquisitū sanguine Christi, Græcè dicitur, λαὸς εἰς περιποίησιν. significat autem περιποίησις, assertionem in libertatē, & vendicationē. A Christo nam-

Iudæi Christū filijs spiritualib. priuare conati sunt.

Psal. 20.

Vana consilia Iudæorū

Christus filiorum spiritualiū copiam maximam habet

Isai. 53.

Psal. 21.

Generatio vētura, cur Christianorum dicatur.

Matth. 11.

Psal. 21.

1. Pet. 2.

Digitized by Google

namque acquisitus, & in libertatem assertus est populus Christianus. Isai. 43. [populum istum,] id est, Christianum [forma ui mihi, &c.] formauit autem fecitque populũ sibi Deus per testimonium Spiritus sancti, & Apostolorum. Huiusmodi testimonium ad præclarissimum hunc populum formandum erat necessarium.

Isai. 31.

Duplex enim est fides, humana, atque diuina; Humana testimonijs innititur hominum; at diuina testimonijs Dei stabilitur. Christiani populi fides diuina est, ideoque diuinis insistit testimonijs, humana fides falli potest, diuina, & Christiana minimè; quia illa ex humana pendet autoritate, quæ potest falli, ac fallere: hæc diuina fulcitur, cui nihil falsitatis inesse potest. [Si testimonium hominũ accipimus (ait Ioannes epistola 1 ca. 5.) testimonium Dei maius est, &c.] Maius dicitur esse testimonium Dei testimonio hominum autoritate, & certitudine; superat enim his rebus omnia hominum testimonia, infinito interuallo. Testimonium certitudinẽ habere potest; euidentiam minimè: Ideo Spiritus sanctus, & Apostoli de Christo testimonium tulisse dicũtur, quia non euidentiam attulere, sed fidem omnibus demõstrationibus certiorem. Est enim fides, vt ait Apostolus ad Hebr. 11. [argumentum rerum non apparentium:] de rebus autem, neque intellectui, neque sensui apparentibus, euidentia esse non potest: potest esse certitudo. Non redigitur in captiuitatem intellectus, cum rerum quibus assentitur, euidentiam habet. At si euidentia careat, quamuis habeat testimonia captiuitatẽ subit, vt certissimum, & absque dubio assensum habeat. hinc fit vt fides in captiuitatem intellectum redigere dicatur, iuxta illud Pauli 2. Cor. 10. [In captiuitatem redigentes omnem intellectum.] Non enim affert euidentiam intellectui, quamuis afferat certitudinem. Quæ quidem certitudo tanto maior est, quanto testimonium est maius. testimonium verò tantò maius est, quanto is, qui testimoniũ fert autoritate, & veracitate est præcellẽtior. Cum igitur testimonium Dei, vt Ioannes ait testimonio omnium bonorum, interuallo quidem infinito maius fit: efficitur, vt fidei certitudo infinita quodammodo sit, quia infinitæ innititur veritati, ac veracitati. In cælo euidentiam affert diuinus conspectus, in terra certitudinem parit, diuinum fidei testimonium. Tulere de Christo diuinum testimonium in lege naturæ, & scripta Prophetæ. Posteaquam aduenit Christus, de ipso diuinum testimonium tulit in Baptismo, & transfiguratione Pater, testatusque est suũ esse filium inquiẽs: [Hic est filius meus dilectus, &c.] ipsum iussit audiri; [ipsum (inquit) audite.] quibus verbis testatus est omnia verissima esse, quæcunque docuit. Filius quoque testimonium perhibuit de seipso, iuxta illud Ioannis 8 [Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, &cæt.] testimonium inquam perhibuit diuinum tum verbis, tum sanctis operibus, miraculisque admirandis.

Fides humana, & diuina.

Diuina fides falli nõ põt. humana potest.

1. Ioan. 5.

Fides Christiana diuinis innititur testimonijs.

Testimoniũ non habet euidentiã.

ad Heb. 11.

2. Cor. 10.

Fides affert certitudinẽ intellectui, non euidentiam.

Fidei certitudo maxima est.

Testimonia de Christo.

Tot testimonijs fidem plerique ex Iudæis habere noluerunt: quin potius omnia Domini morte, atque cruce, obliterare conati sunt. Sed vt legitur Psal. 2. [meditati sunt inania] Nam ex morte excitatus, cælestique throno receptus, diuina quoque testimonia excitauit, Spiritum sanctum misit, & discipulos in omnes mundi regiones legauit, vt de ipso toti mundo testimonium ferrent, magno cum fructu, atque permanente, iuxta illud Ioannis 14. [Elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat, &c.] Exciderunt arborem Iudæi, vt fructus ex ea nullus exoriretur: at repullulauit, ac reuixit, fructumque protulit perpetuo manentẽ. Testimonium perhibuit de Christo Spiritus, in linguis igneis, ex cælo descẽdẽs; testimoniũ perhibuere Apostoli à Spiritu inflãmati. Testimoniũ, inq, perhibuerũt verbis & miraculis, iuxta illud Heb 4. Quę, s. salus cũ initiũ accepisset enarrari p Dñm ab eis, qui audierũt, in nos cõfirmata est;

Psal. 2.

Discipulos Christus misit in terrarũ orbẽ ad testimoniũ ferendum.

Ioan. 14.

Heb. 4.

est;cõtestante Deo signis & portẽtis, & varijs virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus,secundum suam voluntatem,&c.Denique perhibuerunt testimonium effuso sanguine. Tam sublimia testimonia, fidei Christianæ postulat sublimitas;eos flagitat testes qui quod ore testantur,sanguinis,vitæque profusione consignent. Testes fide sunt Martyres. Ideo namq; martyres dicuntur,id est,testes: Martyriũ verò significat testimoniũ, quia Martyres de Christo testimonium sanguine ferunt.

Testimonia sua perhibuerunt discipuli sanguine proprio.

Testes fidei Christianæ affatur Dominus, & ait: [Absque Synagogis facient vos, sed venit hora, vt omnis, q interficit vos arbitretur obsequiũ se præstare Deo,&c.]Quasi dicat:nõ solum ore, & miraculis testimonium de me feretis, verum etiam sanguine profuso,morteque fortiter, atq;constanter pro nomine meo tolerata. quod si nobis non conceditur testimonium de Christo sanguine profuso ferre; feramus illud tum verbis, tum operibus. Testis enim est Christi is,qui sanctè vitã ducit. Is verò Christum quodammodo negat, qui viuit sceleratè. Lege Cæsarium Arelatensem hom.21. Non putemus (ait)effusionem sanguinis tantum esse martyrium:si sunt martyria pacis tempore, sunt etiã negationes. Ego qui videor esse monachus si rupero propositum meum,Christum negaui, &c D. Maximus in festo Martyrum:Martyr(inquit)Latinè testis dicitur, ac quotiescunque bonis actibus mandatũ Christi facimus,toties Christo testimoniũ perhibemus, &c. Illos, ait Dominus testimonium daturos, qui ab initio cum ipso versabantur: [Vos testimonium perhibetis, quia ab initio mecum estis,&c.] Qui cum Christo mẽte sunt & cum Christo Spiritu versantur, eiusque facta, & doctrinam noscunt,& meditantur,hi testimonium de Christo ferunt egregium.Sic testimonium perhibuerunt D.Franciscus D.Dominicus, Aug. Hieron. reliquique sancti viri quorum, & vox,& vita Christum D.O.M. esse clamabat 1. Petri 2.Vos(inquit) genus electum regale Sacerdotium, gens sancta,populus acquisitionis, vt virtutes, ἀρετὰς, annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum, Virtutes Christi sunt Charitas eximia,patientia, humilitas, ad mortem vsque obedientia,& aliæ,quas annũtiare debent, & de illis testimonium ferre, verbo, atque exemplo, qui a Christo in admirabile fidei lumẽ vocati sunt. Item eod. cap. [Conuersationem, inquit, vestram inter gentes habentes bonam,vt in eo quod detractant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis,&c Ps 21. Annuntiabunt cæli iustitiam eius, &c. Hoc est,cæli, in quibus Deus habitat, id est, viri sancti, iustitiæ Dei testes erunt ore, atque opere.

Martyrium duplex.

Cæsarius.

Testis e Christi qui bene viuit.

Maximus.

Qui Christũ mirãtur, de Christo ferũt testimoniũ.

1. Pet. 2.

Quæ sint virtutes Christi.

Psal. 21.

Disce quales oportet esse concionatores, quorum munus est testimonium de Christo reddere: in primis Spiritum sanctum, habeat concionator;Cum venerit,inquit, paraclitus, ille testimoniũ perhibebit de me,&c. Per Apostolos perhibuit testimoniũ Spiritus sanctus, idem per concionatores Apostolicos præstat 1.Corin.2. Sermo meus, & prædicatio mea (ait eximius concionator Paulus) non in persuasibilibus humanæ sapiẽtiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis,&c. Deinde versetur mẽte cum Christo,animo cum illo sit [Vos, inquit testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis;] notaque sunt vobis facta, dictaque mea, tanquam familiaribus. Sit Christi familiaris concionator; multa enim familiaritas hæc docet, testemque velut oculatum rerum diuinarum efficit. Auditores vero, & sacrorum librorum lectores,quæ audiunt, & legunt memoriæ mandent,vt cum tentationes occurrerint,eorum recordentur, armaque habeant, quibus aduersus hostes vtantur, iuxta illud: [Hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora eorum reminiscamini,quia ego dixi vobis,&c.

De concionatoribus.

Per concionatores S.S. de Christo fert testimonium.

1.Cor.2.

Paranda in memoria sẽtẽtia aduersus tentationes.

C A-

CAPVT IV.

Morale.

De sermone Domini in cœnaculo.

Perhibuerunt de Christo testimoniũ Apostoli, sed nõ sine labore, & periculis, ad profusionem vsq; sanguinis. Pericula hæc prædicit illis Dominus Cant. 5. [Labia eius lilia distillantia myrrham primam, &c. Amaram myrrham distillant nunc Christi labia Apostolis. Seductorũ est loqui placentia, iuxta illud Isai. 30. Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, &c. Et illud Ierem. 6. Dicentes pax &c. Christi est, quæ necessaria & vtilia, veraq; sunt loqui, non ad gratiam, sed ad vtilitatem. Fore temporale discipuli regnum Christi existimabant, opes, honoresq; expectabant at Christus amarum calicem bibendum offert. Sic filiis Zebedæi Matth. 20. primas sedes expetentibus, calicẽ propinauit dicens: Potestis bibere calicem, &c. Ne expectetis, inquit, o discipuli, aut expetatis dignitates, vel diuitias caducas, in regno meo; opprobria potius, & persecutiones expectate. Nam absq; synagogis faciẽt vos, sed venit hora vt omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo, &c. Has expectate dignitates hos honores, has opes. Nihil enim gloriosius, nihil honorificẽtius nihil opulentius, quam pro nomine meo persecutiones ad mortem vsq; perpeti. Prædicit autem Dominus ꝑsecutiones, ne ex inopinato illis eueniant, maioremque afferant perturbationem. Augustinus tract. 93. Instruxerat, inquit, de his futuris discipulos Dominus, ne ignaros, atque imparatos animos, mala inopinata, & improuisa turbarent, sed præcognita & & patienter accepta, ad bona sempiterna perducerent, &c. Diuus Chrysostomus: Propter hoc prædixit, ne in non expectata incidentes perturbarentur, &c. Et Diuus Cyrill. Quod non expectatum, inquit, præter opinionem subito irruit, magnos etiam plerunque animos turbat. Quod autem præuidimus, leuius propter præmeditationem videtur, &c. Et Seneca in libro de tranquillitate animi cap. 10. Res, inquit, aduersas infregit, quisque prior vidit, &c.

Cant. 5. Prædicit dominus discipulis, nõ honores, & opes, sed labores, & pericula. Isa 30. Ier. 6. Matth. 20. Gloriosum, honorificum esse pro Christo pati. D. Aug. D. Chrys. D. Cyrill. Seneca.

Egregium documentum est, aduersus pericula, persecutiones, malaque omnia, quæcunq; nobis euenire possunt, animum præmeditatione munire, ne repente nos imparatos obruát. Repentina, inquit idem Cyrillus, valde acerba videri solent. Vnde Psalmista psalmo 118. dicebat: paratus sum, & non sum turbatus, &c. Seneca loco citato: Sapiens, inquit, præstabit, ne quid ex iis, quæ eueniunt, ei subitum sit. Quidquid enim potest fieri, quasi futurum prospiciendo, malorum omnium impetus molliet, qui ad præparatos, expectantesque nihil afferunt noui: securis, & beata tantũ spectantibus, graues eueniunt. Morbus enim, captiuitas, ruina, ignis, nihil horum repentinum est. Sciebam, tumultuosum me contubernium natura duxisse. Qui omnia mala aliena sic aspexerit, tanquam illis liberum, & ad se iter sit: multò ante se armabit, quam petatur. hæc ille, & alia. Ecclesiastici secundo. [Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore Domini, & præpara animam tuam ad tentationem, &c.] Iob 39. de equo legitur: procul odoratur bellum, &c. Sic vir iustus, ac sapiens: procul odoratur tentationem, seque parat ad pugnam. Quemadmodum nauis peritus gubernator tempestatem præuidet:, sic prudens vir tentationum, siue persecutionum procel-

Mala sunt præmeditanda, quæ possunt contingere. D. Cyrill. Seneca. Eccl. 2. Iob 39.

las præmeditatur, ne subito, atque inopinato turbine demergatur. Præmeditemur tempestates, ne illud nobis merito occini possit, quod de suo Palinuro Poeta canit.

O nimium cælo, & pelago confise sereno,
Nudus in ignota, Palinure, iacebis arena.

Nemo prosperitati confidat. Ne sereno confidamus cælo, ac pelago, subito enim turbine perturbatur, & serenitati confisos obruit fluctibus *Ioann. 18.* Ioan. 18. [Christus sciens omnia, quæ ventura erant super eũ processit &c. Similem in modum vir prouidus, prætuidens suo modo, ventura super se mala, procedit, occurritque illis paratus. Prædicit nobis Diuus Paulus 1. *1. Timot. 3.* Timoth. 3 [Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patientur, &c. Quidam grauiorem, alij leuiorem perferunt, sed omnes, qui piè volunt viuere, aliquam necesse est persecutionem tolerare Præparatos nos reperiat, cũ venerit, ne peregrinos nos exhibeamus in feruore siue æstu illius, vt monet Diuus Petr. *1. Pet 4.* epistola 1. cap. 4. quasi noui nobis aliquid contingat. Non nouum est ijs, *Non est nouum perpeti persecutiones.* qui piè volunt viuere in Christo, labores, tentationes, siue insectationes, a dæmone, a mundo, a carne perpeti. ab ipso orbis initio cœpit persecutio. Abelem persecutus est iniquus Cain in ipsa mundi origine; [Sæpe expugnauerunt me (ait Ecclesia Psal- *Psal. 128.* mo 128.) a iuuentute mea, &c.] Iu- *Iudith 8.* dith 8. [Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus Dei amicus effectus est; sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses, & omnes, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes trãsierũt fideles, &c.] Per tribulationes transeundum est; demus operam, vt fideles transeamus. [Transierunt (inquit Iudith) fideles.] Fideles autem illi transeunt, quos persecutio, aut tentatio a Dei mandatis non separat nõ frangit, non vincit, iuxta illud Dauidis fidelis *Psal. 118.* Psal. 118 [Multi qui persequuntur me, & tribulant me: a testimonijs (id est, a mandatis tuis) nõ declinaui, &c. quasi dicat, fidelis per multos persecutores, & per multas tribulationes transiui.

Fides cur dicatur pisci. D. Aug. Hanc ob rem fides appellatur piscis, ipsum tribulationum profundũ pelagus saluus, incolumisque pernatat, ac pertransit. Augustinus sermone 29. de verbis Domini secundum Lucam; Quidam (inquit) vir sanctus dixit, & nos dicere delectat; Piscis bobus pia est fides: viuit enim inter fluctus, nec frangitur, aut soluitur fluctibus. viuit inter tentationes, tempestatesque huius sæculi pia fides. Sæuit *Seruãda in persecutione fidelitas.* mundus, & integra est, hæc ille. Zachariæ 13. [Ducam (ait Dominus) ter- *Zach. 13.* tiam partem per ignem, & viam eos, sicut vritur argentũ, & probabo eos, sicut probatur aurum, &c.] Tertia pars ex sententia Diui Hieronymi, & aliorũ, est populus Christianus: hunc ducit Dominus per ignem, & tribulationibus probat. Qui fideles sunt, vt aurum in igne rutilant; qui infideles, vt fœnum consumuntur, iuxta illud *D. Aug.* Diui Augustini Psalmo 128. Exercuerunt (inquit) me iniqui, & oppresserunt. Valuerunt mihi sicut ignis ad aurum, non sicut ignis ad fœnum. ignis enim accedens ad aurum sordem tollit: accedens ad fœnum in cinerem vertit, &c. *Sap. 10.* Sap. 10. [Certamen fortè dedit illi vt vinceret, &c.] Iacobo Patriarchæ certamen dedit Dominus cum Angelo, vt vinceret, nobis quoque certamina dat, vt victoriam, triumphumque reportemus. Pugnemus ergo fortiter, ne turpiter, atque ignominiosè vincamur, propositaque nobis trophæa amittamus, diuinum imitemur Paulum, cuius illa præclara sunt verba 2. Timoth. 4. Bo- *2. Tim. 4.* num certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, &c.

Voluit Dominus Apostolos suos, inclytis honorare victorijs, ideo non ad delicias, sed ad bella illos misit; certamina dedit illis fortia, vt vince- *Apost. Dominus certamina dedit, vt vincerent, et triũpharent* rent, honoremq; consequerẽtur sempiternum. Absque Synagogis, inquit, facient vos, sed venit hora, vt omnis, q interficit vos, arbitretur obsequiũ se præ-

se præstare Deo. Cum Angelo luctatus est Iacob, cum morte ipsa luctati sunt Apostoli, mortemque vicerunt, quæ omnia vincit Ps. 98. ait psalmographus: Dominus regnauit, irascantur populi, &c. Regnauit in orbe Christus: aduersus tãtum Regem populi irati sunt, eiusque legatos vbiq; gentium sunt persecuti. Obsequium se arbitrabantur præstare Deo, si vita illos priuarent, regisque nomẽ extinguerent. aduersus nouum Christi regnum noua populorum ira, noua bella, nouæ persecutiones sunt exortæ. At ira hæc populorum in maximum regni commodum, atque honorem redundauit. Nam illius principes scilicet Apostolos, eximijs decorauit triumphis, cælestibus locupletauit opibus, honoribus affecit immortalibus. Cruce splendescit Petrus, gladio fulget Paulus, hasta Thomas, reliqui omnes, persecutionum, & tormentorum, quæ pro Christo pertulere, fulgore magno coruscant. Christi verò Regis gloria, quod maximum est, atque præcipuum suorum ducum Trophæis, maximè extollitur. Irascantur ergo populi, hoc est, permittit Deus, vt irascantur populi, siquidem ex ira populorum, magnam tum sibi, tum ducibus suis gloriam Christus colliget De Catone illo, qui sibi. Vticæ cõsciuit mortem, ait Valerius Max. lib. 3. capit. 2. Ex fortissimis vulneribus tuis, plus gloriæ, quam sanguinis emanauit, &c. falsum hoc in Catone est, si de vera intelligatur gloria, verissimum in Apostolis, cæterisque, qui pro Christo vulnera pertulere. Ex fortissimis namque eorum vulneribus, plus gloriæ Christo, ipsisque martyribus, quam sanguinis profluxit. O vulnera gloriosa, quæ Christi causa tolerantur! o gloriosas victimas, quæ Christo immolantur [Venit hora (ait Dominus) vt omnis, qui vos interficit arbitretur osequium se præstare Deo, &c.] Eximium sanè ignorantes præstabant obsequium, eximium cultum eximiam latriam, eximia sacrificia Deo: non quidem ex parte sua, quia scelus grauissimum cõmittebant, sed ex parte illorum, qui occidebantur, quoniam Deo se immolabant, & veluti holocausta gratissima offerebãt. Sap. 3. [Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam decepit illos, &c.

Psal. 98.

Vale. Max.

Gloria martyrum.

Persecutores eximium obsequium ignorantes duo præstabãt ex parte martyrum.

Breui tempore probatur in fornace aurum, breui quoque tempore in persecutione probatur iustus: nõ manet in igne aurum, sed per ignẽ transit, iuxta illud Iob 23. [Probauit me quasi aurum, quod per ignem transit, &c.] Sic vir iustus, Psalmo 65 Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium, &c. Sed venit hora (ait Dominus) vt omnis, qui interficit vos. Breuis hora est persecutionis, longissima æternitas retributionis, [Id quod in præsenti est momentaneum tribulationis nostræ (ait Doctor gentium 2. Cor 4.) supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, &c. psalmo 117. Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt, sicut ignis in spinis, &c. Circumdant persecutores Christi martyrem sicut apes: apes pũgunt, & mel conficiunt: sic persecutores pungunt quidem breui tempore, sed mel dulcissimum, æternumq; conficiunt. Præterea exardent sicut ignis in spinis, non in crassa, durabiliq; materia: spinarũ ignis breuis est, vt ignis stuppæ: sic ignis tribulationis, si cum æternitate conferatur. Venit hora tribulationis, hora inquam breuis. Diuus Augustinus horam appellat nocturnam, hora, inquit eorum tenebrosa, hora nocturna, &c.

Tribulatio temporis ex igni est, præmium æternum.

Iob 23.

Psal. 65.

2. Cor. 4.

Psal. 117.

Passiones iustorum breues, præmia æternum.

Sed in hac nocturna tribulationis hora, dat Deus consolationis lucem, dat lætitiam, dat paracletum Spiritum, id est, consolatorem. Cum meminit tribulationum, meminit & paracleti: [Cum venerit, inquit, paracletus, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, &c.] Aderat Apostolis paracletus, id est, cõsolator Spiritus, cũ reddebant testimonium, cumque propter testimonium persecutiones tolerabant illos consolabatur, protegebat, atq; inflammabat Iob. 35. [Dedit

Spi. S. in tribulatione cõsolatur.

Iob 35.

dit carmina in nocte,&c.] Carmina dat paracletus in hora tribulationis nocturna, hoc est, lætitiam, & consolationem. Vnde Diuus Gregorius libro 26. Mor. cap 12 Carmen, inquit, in nocte est lætitia in tribulatione: quia etsi pressuris temporalitatis affligimur, spe iam de æternitate gaudemus, &c. Diuus Hieronymus Zachariæ 4. ait stannũ alia metalla ab igne defendere; Eundem in modum Christi, spiritusque paracleti auxilium, & consolatio, ab igne tribulationis protegit suos. Sicut stannum, ait Hieronymus, ab igne alia metalla defendit, & cum sit natura æs, ferrumque durissimum, si absque stanno fuerit, vritur, & crematur; sic omnis angelorum hominumque fortitudo, si non habuerit auxilium saluatoris imbecilla probatur, & fragilis, &c. Daniel 3. Missi sunt tres adolescentes, velut aurum in fornacem ignis ardentis; facilè sanè combusti fuissent, nisi adfuisset stannum hoc est, Domini auxiliũ; qui misso Angelo ita eos ab igne defendit, vt in medijs flammis salui, atque incolumes Dei laudes prædicarent. [Fecit Angelus] (ait Daniel) [medium fornacis quasi ventum roris flantem, &c.] Eundem in modum Spiritus sanctus paracletus, tribulationis fornacem, consolatione sua, quasi vento roris perflat, flãmarumque ardore eos, qui pro Euangelica veritate cruciantur, liberat.

D. Greg. Quid sit, dare carmẽ in nocte. *Zacha. 4. D. Hieron. Auxiliũ Dei necessariũ.* *Dan. 3.* *Dan. 3.*

Considera quæso mundi ignorantis, ac cæci iudicium. Arbitrabatur obsequium se præstare Deo cum hominum sanctissimos, id est, Apostolos interficiebat, alios verò sceleribus coopertos honoribus afficiebat. Dabat veniam coruis, vexabat censura columbas. [Væ (inquit Isaias 5.) [qui dicitis malum bonum, & bonũ malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulcedine & dulce in amarũ, &c.] Videamus quid nam suis persecutionibus impij auferrent Apostolis, reliquisque sanctis martyribus. [Absq; synagogis] (ait Dominus) [facient vos, sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, &c.] Auferebant synagogas, auferebant vitam, bona tantum auferebant caduca, paulò post auferenda. Nihil impij homines auferre possunt perpetuum, sola auferunt temporalia. Absque synagogis facere possunt, sed non absque gratia, absque opibus facere possunt, sed non absque charitate, reliquisq; virtutibus, absque vita facere possunt, sed non absque Deo. Imò dum ex synagogis pellunt sanctos, in cælũ introducunt; dum opibus caducis priuant, opibus æternis augent: dum vitam paucorum dierum auferunt, vitam sempiternam afferunt. Lege Augustinum Psalmo 51. ad illa verba; [Sicut nouacula acuta fecisti dolũ;] quo loco persecutores cum nouacula confert, quæ capillos radit, quia persecutores, temporalia tantũ, quæ capillis similia sunt, tollunt. Ecce (inquit) quid faciunt sanctis mali; capillos radunt. Nam capilli superflua rerum temporalium significant. Illi qui adhærent corde Deo, sic habent ista terrena tanquam capillos, quia sine sensu præciduntur, &c. Item: Acuat sicut nouaculam, linguã suam Doech, acuat dolum quantũ potest; ablaturus est superflua temporalia. Nũquid ablaturus est necessaria sempiterna? sic Augustinus. Et Ambros. epistola 25. ad Vercellensem Ecclesiam: Christus (inquit) in cruce corpus exuit, non diuinitatẽ amisit, &c. Sic iustus vir in tormentis, & persecutionibus, exuit corpus, exuit opes, & honores, temporaliaque omnia; at patientiam, & charitatem non exuit, Deum non amittit. Psalmo 33. [Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum; vnum ex ijs non conteretur, &c.] Ossa iustorũ, ait Augustinus eodem Psalmo, esse patientiam, & tolerantiam. Custodit Dominus ossa iustorum, ne frangantur in tribulatione: quia illorum seruat patientiam, ne doloribus, & molestijs succumbant. Denique illud in memoria circumferamus Psalm. 92.] Mirabiles elationes

Ignorantia & cæcitas mundi. *Isai. 5.* *Sola caduca auferre possunt persecutores, nõ verò æterna.* *Persecutores nouacula cõferuntur. D. August. Viri iusti sic habẽt bona caduca sicut capillos, qui sine sensu præsciduntur.* *D. Ambros.* *Charitas in tormẽtis nõ exuitur. Psal. 33.* *Patientia seruanda.* *Psal. 92.*

nes maris, mirabilis in altis Dominus, &c.] Si sunt mirabiles mundi fluctus, atque procellæ; multò mirabilior est in cælis Deus, qui naufragos, nudos, temporalibus omnibus bonis spoliatos, suscipiet bonisque cumulabit sempiternis. Suspendantur fluctus (ait Augustinus eodem Psalmo) quantum volunt, fremat mare, quantum vult; mirabiles quidem suspensuræ, vel elationes maris, mirabiles minæ, mirabiles persecutiones. [Non terreamur, quia mirabiles elationes maris, mirabilis est in excelsis Dominus. hæc ille. Paulus (inquit Gregorius lib. 7. epistola 126.) naufragium pertulit, sed nauis cordis, in maris fluctibus integra stetit, &c. similem in modum iusti viri, etsi perferunt naufragium, caducorumque bonorum iacturam faciunt, nauem tamen cordis seruant inter tumentes fluctus integram.

Deus auxiliator in tribulatione.
D. August.
D. Gregor.

CAPVT V.

De sermone Domini in cœnaculo.

IOANNES CAPITE XVI.

Haec autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, vt ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autẽ abiero, mittam eum ad vos. Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. de peccato quidem: quia non crediderunt in me: de iustitia verò, quia ad Patrem vado; & iam non videbitis me: de iudicio autem; quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit uos omnem ueritatem; non enim loquetur à semetipso: sed quæcumque audiet loquetur, & quæ uentura sunt annunciabit uobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit uobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annunciabit uobis.

Hæ

Hæc autem vobis ab initio non dixi.

REddit rationem Dominus, cur hæc de quibus egit, Apostolis, ab initio postquam illos vocauit, non aperuerit. Ratio autem est, quia cum illis erat, suæque præsentiæ vmbra eos protegebat. At Dominus hęc iam dixerat discipulis Matth. 10. cum illos ad docendum populum misit. [Tradent vos] (inquit) [in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad præsides, & ad reges ducemini propter me, & eritis odio omnibus, propter nomen meum, &c.] & cap. 24. [Tradent vos in tribulationem, & occidēt vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum, &c.] quonam ergo modo ait hoc loco; [hæc vobis ab initio non dixi:] siquidem iam dixerat? Respondet Diuus Chrysostomus, Christum cæteris locis ea prædixisse, quæ à gētibus passuri erant Apostoli; hoc autem loco prædicere ea, quæ passuri erant à Iudæis. At verò Matthæi 10. quæ à Iudæis passuri erant prædicit Dominus: [In synagogis] (inquit) [suis flagellabunt vos; Synagogæ enim Iudæorum erant] Aliter quoq; respōdet Chrysostomus, non eadem prædixisse Christum Matthæi 10. & hoc loco Ioannis 16. Nam Matthæi 10. verbera in synagogis, & odium omnium prædixit: non verò prædixit hoc: [venit hora vt omnis, qui interficit vos, arbitretur se obsequiū præstare Deo, &c.] sic etiam respondet Euthymius, & Theophylactus, & Cardinalis Caietanus: Vt patet, inquit, Matthæi 10. non dixit Dominus hæc duo, scilicet excommunicationem à synagogis, & occisionem discipulorum habendam vt cultum Dei, nec dicit persecutiones imminere il-

An Christus prædixerit Apostolis ante hoc tēpus persecutiones.
Matth. 10. & 24.
D. Chrysost.
Euthym. Theophyl. Caietan.

A lis, &c. Diuus Augustinus, tract. 94. verba Christi refert ad aduentum spiritus paracleti, de aduentu autem Spiritus sancti, ab initio discipulis nihil dixerat. Est sensus ex sententia Augustini: [hæc ab initio nō dixi;] id est, paracletum spiritum venturū, vobis non aperui ab initio: Quod nunc vobis dixi: illis verbis, [cum B venerit paracletus quē ego mittam vobis à Patre, ille testimonium perhibebit de me, &c.] Glossa Ordinaria; si de passionibus accipimus, non solum post cœnam, sed & ante proximum Pascha, & ab initio missionis Apostolorū prædixerat, sed de consolatione spiritus eis ventura non prædixerat, quia ipse cum eis conso- C lator erat. sic Glossa. est etiam alia interpretatio, verba Domini: [hæc vobis ab initio non dixi:] referenda esse ad verba, quibus discipulos post cœnam consolatus est, hoc pacto: hæc quibus vos sum cōsolatus, in sermone hoc extremo, ab initio vobis non dixi, quia vobiscum eram consolator. tribuitur Glossę ord. illa D tamen Augustinum sequitur. Lyranus sic exponit: [Hæc autem vobis ab initio non dixi:] hoc est, ista verba ad consolationem vestram, contra futuram tribulationem, Matthæi 10. tribulationes prædicuntur Apostolis, non tamen consolationes. Sic Lyranus. Iansenius verba illa Christi quibus Matthæi 10. persecutio- E nes prædicit, per anticipationem scripta esse putat, cui minimè assentior.

Respondeo quæ prædicta sunt ex Matth. 24. non esse prædicta ab initio cūm Christus vocauit discipulos sed in fine paucis ante Passionē diebus. Locus alter citatus negotium facessit. Respondeo etiam illa, quæ apud Matthæum cap. 10. dicuntur, non

Sententia. D. August.
Gloss. ord.
Alia sententia.
Iansenius.
Respōdetur quæstioni.

non esse dicta ab initio, cum Christus vocauit discipulos, sed post longum tempus, vt ex serie Euangelica, quam sequimur, compertum sit: cum iam in Apostolos electi erant, & ad docẽdos Iudæos mittebantur. Itaque postquam nouitij esse desierant, tunc persecutiones illis prædixit. Verum verba illa: Ab initio, ἐξ ἀρχῆς, id est, ex initio, non videntur significare Christum hæc non dixisse in initio; sed nõ dixisse ab initio vsque ad cænam. Et ideo respondendum est, sensum verborum hunc esse; hæc vobis ab initio vsque ad hoc tempus non dixi; hæc, inquam, quæ modò vobis dixi de præcepto charitatis, de aduentu Spiritus sancti, & alijs, ab initio vsque ad hoc tempus vobis non dixi, quia vobiscũ eram. Obijci possunt illa verba: [Hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis &c.] In his verbis particula, hæc, refertur ad persecutiones, ergo & in sequentibus, cum Dominus ait, [Hæc ab initio vobis non dixi, &c.] Sed neganda est consecutio, non .n. necesse est ad eadem diuersas referre particulas. Denique responderi potest, Christum etsi iam ante hunc sermonem dixerit discipulos persequendos, non eodem modo dixisse, quo nunc prædicit, aduentumq; Spiritus sancti, & alia addidisse.

Obiectio.

Responsio.

Reddit causam Dominus, cur hæc ab initio discipulis non dixerit [Quia (inquit) vobiscum eram. Obijcit Diuus Cyrillus, Christus semper cum discipulis fuit, iuxta illud Matth. 28 Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi, &c. Cur ergo dicit se hæc non prædixisse, quia cum eis erat? Poterat eãdem ob causam, hæc non prædicere, quia semper cum eis futurus erat. Respondetur Christum hoc loco loqui de præsentia corporali, Matthæi vero 28. de præsentia diuinitatis. Non dixit hæc discipulis, quia cum ipsis erat præsens, etiam humanitate, quã cernebant, quæ illorum perfugium, & arx erat, animumque præbebat ad ferendas persecutiones. Nunc autem quia humanitatem ab oculis eorum auferebat, hæc dicere fuit opus.

Obiectio. D. Cirill.

Matth. 28.

Responsio.

Et nunc vado ad eum, qui misit me.

HAec (inquit) non dixi vobis, quia vobiscum eram, &c Vobiscum fui hactenus, nunc autẽ a vobis discedo, & ad patrem vado, qui misit me, cumque in discessu soleant, qui manent, illum qui discedit, interrogare quonam abeat; nemo vestrũ, in hoc meo discessu interrogat me, [Quo vadis?] Nonne Petrus cap. 13. rogauit, [Domine, quò vadis? Et Thomas velut interrogando c. 14. [Domine, inquit, nescimus quo vadis, &c] Cur ergo Dominus ait: Nemo ex vobis interrogat me, quo vadis, &c. Prima responsio est, verba hæc, Quò vadis, causam petere, non locũ, aut terminum viæ, hoc sensu, Domine quo vadis, id est quæ est causa tui discessus, & viæ. Sed existimo verba non esse a propria significatione depellenda, nisi vrgẽte magna causa. Propria autem horum verborum, Quo vadis? significatio hæc est, In quem locum proficisceris? Ideoq; retinenda est. Similis huic est secunda responsio, quę sic interpretatur: nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? hoc est, nemo interrogat de cælo, & de beata vita. Euthym. quoque a propria significatione verba remouet, aitq; hæc verba quo vadis? significare, quid agis Domine? cur nos relinquis? mortem vis perpeti?

Respõsio ad quæstionem

An discipuli interrogauerint Christũ, quo vadis?

Secunda responsio.

Euthim.

Aliam adhibet responsionem; potest, inquit, & alio modo dici, quod cum non respondisset Dominus interrogante Petro, Quo vadis? oportuit discipulos rursus interrogare; Quo vadis Domine, &c. Vatablus sic: Nemo vestrum verè expendit, quo, & cur abeam; hoc enim si faceretis, dolore tanto non afficeremini, &c. Diuus Augustinus facile nodum hunc soluit de ascensione Christi verba explanans, in hunc sensum;

Respõsiones variæ.

D. Aug.

[Et

Digitized by Google

[Et nunc vado ad Patrem,] id est, paucò post dies in cælum ascẽdam; [Et nemo ex vobis interrogat,] pro futuro, interrogabit me, [Quò vadis,] quoniam palam in conspectu vestro ascendam, neque erit opus interrogate: [Quò vadis,] cum id oculis visuri sitis. Hic tamen sensus literæ non cõgruit, quamuis eum sequatur Haymo, Beda, Glossa ord. & alij.

Respõsio authoris.

Respondendum est Christum cũ ait; [Nemo ex vobis interrogat me: Quò vadis?] significasse discipulos nõ interrogare, more eorum qui discedentibus vale dicunt, eosq; amicè, atque beneuolè interrogant, quo vadant, quidque facturi sint eo loco in quem proficiscuntur, & similia. Petrus autem, & Thomas, non sic interrogauerunt. Præterea respondetur sensum verborum Christi huiusmodi esse; vado ad Patrem, & nemo ex vobis me discedentem nunc cum hæc dico interrogationibus vrget, quæ in discessu fieri solent; nemo interrogat me, Quò vadis? sed cum deberetis, nunc quærere, Quò vadis? mœrore magno affecti tacetis, quia hæc dixi vobis. Petri, & Thomæ interrogationes iam præcesserant; Dominus verò de tẽpore posteriori loquitur.

Quõ Apostoli non interrogarint Dominum dicentes quò vadis.

Euthymius.

Placet etiã Euthymij sententia, oportuisse Apostolos rursus interrogare, quia Dominus non respondit interrogante Petro. Addo debuisse interrogare beneuolentiæ gratia, & licèt Petro respondisset, debuisse alia de itinere, & loco quærere.

Nonne sciebant Apostoli, Christũ ad Patrem ire, siquidem id iam dixerat; quorsum ergo opus erat interrogare id quod sciebant, nimirum quonam iret? Respondetur, Dixisse antea Christum se ad Patrem ire, Ioan. 14. [Ego ad Patrem vado.] Item: [si diligeretis me, gauderetis vtiq;, quia vado ad Patrem.] Sed non dixisse in quem locum iret, quorsum, & qua via iret. Nesciebant ergo dicipuli perspicuè Christum in cælum abire, & per cruciatus, & mortem ire. Interrogare ergo poterant, Quò vadis? id est, in quem locum vadis ad Patrẽ, quorsum vadis, & qua via? Causam verò cur non interrogent, ait Dominus esse mœstitiã ex ijs conceptam, quæ hoc sermone de discessu ipsius, & persecutionibus audierant. [Sed] (inquit) quia hæc dixi vobis tristitia impleuit cor vestrum, &c.] August. tract. 94 contristabatur humanus affectus, quia carnalis desolabatur aspectus, &c.

D. August.

Expedit vobis vt ego vadam.

MOestitiam Apostolorum lenit vtilitate discessus sui. Ne afficiamini mœrore ò discipuli, nõ impleat tristitia cor vestrum, quòd vos persecutionibus expositos relinquam, à vobisque discedam ad Patrem. Nam expedit vobis, maximeque vtilis est discessus meus. Ingẽtem vobis pariet vtilitatem, nempe Spiritus sancti missionem. Si ego à vobis non discessero, Spiritus sanctus ad vos minimè veniet. Si discessero ex cælo illum mittam. Sic statuerat Trinitas sanctissima, vt prius filius mitteretur, & postquam in cælum ille ascenderet, Spiritus sanctus è cælo descenderet. Vnde illud Ioannis 7. [Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus, &c.] Causa autem cur missus est Spiritus sanctus post ascensionem Christi, fuit vt descendens Spiritus è cælo probaret Christum ascendisse in cælum. Nã Spiritus mittebatur à Christo, & mittebatur ex cælo; ergo ostendebat Christum à quo mittebatur in cælum ascendisse, & in cælo esse, iuxta illud Diui Petri Act. 2. [Dextera Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta à Patre, effudit hunc quem vos videtis, & auditis, &c.] Vt ergo probaretur illum, quem Iudæi cruci suffixerant, in cælo summam habere potestatem, ac diuinam; misit Spiritũ sanctum ex cælo. Sponsum in India esse, probãt dona missa ex India ad sponsam. Sic Christum in cælo esse, probauit summum donum, id est, Spiritus sanctus missus ex cælo ad Ecclesiam.

Dolorẽ discipulorũ lenit Christus vtilitate discessus.

Ioan. 7.

Cur Spiritus sancti missus sit post ascensionem Christi.

Simile.

Pro-

Theophyl. Probabilis etiã est Theophylacti interpretatio: [Si non abiero per mortem ad Patrem;] Spiritus sanctus nõ veniet. Nam si Christus non fuisset cruci suffixus, Spiritus sanctus non fuisset datus. Quia autem abijt per mortem ad Patrem, & in cruce emisit Spiritum; propterea ad Apostolos misit Spiritum, cuius missionẽ per summos meritus est cruciatus Similiter *Rupertus.* Rupertus interpretatur: Si non abiero (inquit) si non de torrente in via bibero (id est, si non fuero crucifixus) non veniet ad vos paracletus, &c. Expediebat ergo Apostolis, & toti mundo, vt abiret Dominus per crucem ad Patrem, & missionem Spiritus sancti mereretur, postea que mitteret.

D. August. Diuus Augustinus aliã reddit causam; nimirum fuisse opus Christum in cælum discedere, & à discipulis separari, vt capaces Spiritus sancti fierent, carnali magistri sui præsentia priuati, cui nimis hærebant. Sic ille Christum loquentem facit; Expedit vobis ò discipuli, vt hæc forma serui auferatur à vobis. nolo me carnaliter adhuc diligatis, & isto lacte contenti, semper infantes esse cupiatis. Si alimenta tenera quibus vos alui, non subtraxero, solidum cibum non esurietis: si carni carnaliter hæseritis, capaces Spiritus non eritis. Non potestis capere Spiritum, quandiu secundũ carnem persistitis nosse Christum. Hæc Augustinus, quem sequitur vtraque glossa. *Haymo.* Haymo, Expedit (inquit) vobis, vt formam serui, quam assumpsi, cælis inferam, vt vos omne desiderium vestrum illuc transferatis, &c. Item. Postquam Christi humanitas exaltata est super cælos, Apostoli pariter omne desiderium suum post Dominum transtulerunt, &c. *D. Bernar.* Diuus quoque Bernardus sermone 3 de Ascẽsione, Apostoli (inquit) adhuc carni Dominicæ inhærentes, Spiritu sancto repleri nequiuerunt, &c. Et sermone 6. Quid est, [Nisi ego abiero, paracletus non veniet?] nisi, Carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus; Spiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittit, &c. Numquid præsentia humanitatis Christi impedimentum esse poterat aduentui Spiritus sancti? imò adiumentum maximum. Respondetur, fuisse aliquo modo impedimentum, quia illi admodum adhærentes discipuli, mentem in cælum, atque in diuinitatem minus attollebant. Gregorius lib. 8. Moral. cap. 13. [Si ego non abiero paracletus non veniet:] ac si apertè dicat: Si ab intentionis vestræ oculis corpus non subtraho, ad intellectum vos inuisibilem, per consolatorem Spiritum non perduco, &c.

Apostoli Christi magistri sui carnali visioni nimis hærebant.

Christi præsentia fuit impedimentum quò minus mitteretur Sp. san.

D. Gregor.

CAPVT VI.

Morale.

De sermone Domini in cænaculo.

Arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.

QVid in mundo facturus sit Spiritus sanctus, ostendit Dominus. Arguet (inquit) mundũ; Græcè, ἐλέγξει: significat autẽ verbum ἐλέγχω argueere, & reprehendere,] vt Apocali. 3. Ego quos amo arguo, Græcè ἐλέγχω, 1. Timoth. 5. [peccantes coram omnibus arguo,] Græcè, ἔλεγχε omitto loca alia. Significat etiam [conuincere,] & ἔλεγχος, conuictionem.] Fides (inquit Paulus ad Heb 11.) est argumentum non apparentium; Græcè ἔλεγχος. Apud Augustinum lib. 2. de peccat. merit. & remiss & tract. 95. in

Spiri. sanct. mũdum arguit.

Fides quid.

Augustin.

in Ioannem vertitur, est conuictio rerum, quæ non videntur; quia intellectum conuincit. Ioan. 8. [Quis ex vobis arguet me de peccato ἐλέγχει, id est, Quis ex vobis iure reprehendere me poterit de peccato; vel quis ex vobis me cōuincet de peccato? Nam iure reprehenditur is, qui conuincitur. Vnde Diuus Chrysostomus illud Pauli 2. Timoth. 4. [Argue, obsecra, increpa,] sic interpretari videtur, conuince prius, deinde obsecra, &c. increpa iam conuictum. Argue (inquit) increpa, tunc enim increpationi tempus est, cum arguendo profeceris, cum opus ostensum fuerit; nam si absque argumentis increpes, temerarius videberis, &c. Victorinus lib. 4. aduersus Ariū, non legit, [Argue,] sed, [ille conuincet mundum de peccato, & iustitia, & de iudicio, &c.] Arguturus igitur dicitur Spiritus sanctus mundum, id est, reprehensurus, & conuicturus de tribus, de peccato, de iustitia, & de iudicio.

De verbo arguo quid significet.

Conuincendum deinde obsecrandū.

De trib. peccatis Spirit. sanct. mundum arguturus erat in descensu. De quo peccato, primò argueret mundum Spirit. sanct.

De peccato (inquit Dominus) quia non crediderunt in me, Græcè πιστεύουσι, id est, [credunt;] sed idem sensus est. Arguit Spiritus sanctus mundum, id est, Iudæos impios de peccato incredulitatis, quia non crediderunt in Christum. De hoc peccato egit Dominus supra Ioan 15. dicens: [Si non venissem, & locutus fuissem eis peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo;] scilicet incredulitatis, &c. Ostendit Spiritus sanctus, & probauit Iudæos debuisse in Christū credere, & eius legem complecti, graueque commisisse scelus, quòd non crediderunt. De Iudæis autem hæc verba intelligenda probatur: quia gentes, quę nihil de Christo audierāt non poterunt argui, quod non crederent in Christum, antequam audirēt: posteà verò argui poterant.

Quomodo Spir. sanct. argueret mundum de iustitia. D. August.

Quod sequitur, [De iustitia:] maius habet dubium, & plures interpretationes. Diui Augustini interpretatio huiusmodi est, Arguet mundum de iustitia Apostolorū, atque credentium; quòd mundus iustitiam eorum imitari nolit. Arguitur mundus (ait Augustinus) de peccato, quia in Christum non credit, & arguitur de iustitia eorum qui credunt. Ipsa quippe fidelium comparatio infidelium est vituperatio, &c. Item: Quantum malum sit eorum, qui non credunt, ex bono potest eorum apparere qui credunt, &c. Iustitiam autem Apostolorum, & credentium, id est, iustitiam viuæ fidei, vult Augustinus sequētibus verbis declarari: [Quia vado ad Patrē, & iam non videbitis me.] Erit (inquit Augustinus) iustitia vestra, qua mundus arguetur, quia vado ad Patrem, & iam non videbitis me, quoniam in me credetis, quem non videbitis, &c. Itaq; sensus Augustini est: Arguet mundum de iustitia per comparationem; iniustum esse ostendet mundum comparatione iustorū credētium in me: quia vado ad Patrem & iam non videbitis me; in me tamē, quem non videbitis, credetis. Accedit ad hanc interpretationem Diuus Cyrillus: Mundus (inquit) de iustitia arguetur, quia vado ad Patrem, & iam non videbitis me. Credentes enim in Christum vt iure iustificatos defendet, quia vt Deum verum susceperunt, quem non viderunt, crediderunteque ipsum cū Patre in cælis consessum habere, &c. Chrysostomi interpretatio præcellit, & literæ congruentior est: Arguet mundum Spiritus sanctus, [de iustitia mea,] ostendet me, quem Iudæi inter latrones cruci suffixerunt, fuisse iustissimum, atque sanctissimum. Cuius rei probatio est, quia ad Patrem vado in cælum, & postquàm abiero iam non videbitis me, quia ibi semper permanebo summa perfruens gloria. Si enim fuissem iniquus, vt Iudæi me crucifigentes, mundo indicare voluerunt, in cælos non ascenderem: quia verò sum iustissimus Messias Dei filius, ideò in cælum conscendam, ad Patris dexteram sedebo, & Spiritum sanctum mittam. Chrysostomus: De iustitia (inquit) arguet, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me, hoc est, quia irreprehensibiliter vixi, cuius

Arguitur mundus de iustitia per comparationem.

D. Cyrillus.

D. Chrysost.

Iniustus cælos nō ascendit.

cuius signum est, quòd vado ad Patrem, &c. Eodem modo interpretantur sectatores Chrysostomi. Iudæi existimabant se esse iustos, Christum verò peccatorem. At Spiritus sanctus ostendit Iudæos esse peccatores Christum esse iustum: arguit Iudæos de peccato suo incredulitatis, vt ad fidem eos duceret, & arguit de iustitia Christi ostendēs ipsum esse Messiam sanctissimum, in quem credere omnes homines debent. Quæres; discipuli viderunt Christum post resurrectionem; cur ergo ait: [iam non videbitis me?] Respondetur sensum esse; vado ad Patrem, & iam vltrà non videbitis me postquam in cælū ascendero. Postquam enim in cælum ascendit, non viderunt eum discipuli. Vrges. Nonne viderunt posteà discipuli, videntque nunc Christum in cęlo? nonne videbunt iudicij tempore iudicantem? Respondetur, sensum esse, [& iam nō videbitis me,] post ascensionem, quamdiu in orbe terrarum vixeritis.

Apostoli post Ascensionē, Christū non amplius viderunt.

Alia interpretatio.

Possunt etiam hæc duo; [Arguet mundum de peccato, & de iustitia;] aliter explicari, ita vt non solum Iudæis, sed etiam gentibus conueniant, hunc in modum; Arguet Spiritus sanctus mundum de peccato, hoc est, reprehendet, & ostendet omnes homines esse peccatores, & in peccato permanere, absque fide mea, quod significant illa verba: [quia non crediderunt in me,] & non credunt, id est, non credentes arguet de peccato, quia non credunt, & remedium non adhibent, quod fides ostendit. Quicumque enim in Christum non credunt, in peccato permanent, & in peccato moriuntur, & damnantur, iuxta illud Ioannis 8. [Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro, &c.] Etenim remedia ad tollenda peccata fides Christi ostendit, nimirum Baptismum, & alia. Quamobrem Paulus ad Romanos 3. [Causati] (inquit) [sumus Iudæos, & Græcos omnes sub peccato esse, &c.] Deinde peccati remedium indicat, iustitiam fidei viuæ. [Nunc] (inquit) sine lege iustitia Dei manifestata est, iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi, &c.] Idcircò sequitur; [Arguet Spiritus sanctus mundum de iustitia;] de iustitia inquam fidei, arguet de peccato homines nō credentes, & arguet de iustitia, ostendens iustitiam fidei viuentis, esse veram iustitiam, homines iustificantē, non autem iustitiam philosophorum aut iustitiam legis Iudæorum quæ vi sua gratiam dare nō poterat. [Quia] (inquit) vado ad Patrem, & iā non videbitis me, &c.] Hæc verba non satis videntur cohærere cum interpretatione tradita: sed vt cohæreāt, sic explicari possunt: Ostendet Spiritus sanctus iustitiam philosophorum, & legis Iudæorum non esse veram iustitiam iustificantem homines, sed iustitiam fidei viuentis, quā ego mundo peperi. [Quia vado ad Patrem, & iam non videbitis me;] versantem amplius in mundo; hoc est, probabit Spiritus sanctus veram esse meam iustitiam, quia ad Patrem in cælum ascendam, in cælo permansurus summa cum potestate. Si enim non esset vera mea iustitiam, quam ego docui, & meis discipulis tradidi, sanè non me cælum, aut Pater reciperet, & ad dexteram suam collocaret. Ascensio mea in cælum, iustitiæ à me partæ, & traditæ veritatem confirmabit.

Ybi fides nō est, ibi peccatum est.

Rom. 3.

De qua iustitia, Spiritus sanctus arguturus erat Iudæos & gentiles.

Ascensio Christi in calū probat eius iustitiam.

Sequitur tertium, [& de iudicio, quia princeps huius mundi iam iudicatus est, &c.] De tribus arguet Spiritus sanctus mundum, de peccato, & de iustitia, vt iam est explicatum: prętereà arguet de iudicio extremo, & damnatione impiorū, ostendet enim Christum iudicaturum esse impios homines qui diaboli imperio parent atque obsequuntur: quia princeps huius mundi, id est, impiorum diabolus, iam iudicatus est, damnatus, & æterno igni traditus. Nam si princeps, & caput impiorū iudicatus, & dānatus est, illius imperio obsequentes illiusque nequitiam imitantes, principem sequuntur, similemque in modum illi similes iudicabuntur,

Quomodo Sp. S. arguerit mundū, de iudicio.

æternisque flammis addicêtur, iuxta illud Matthæi 25. [Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius, &c.] August. tractat. 95 in Ioan. Princeps (inquit) mundi huius iudicatus est, quoniam iudicio ignis æterni irreuocabiliter destinatus est, & de hoc iudicio, quo princeps mundi iudicatus est, arguitur à Spir. sancto mundus, quoniam cũ suo principe iudicatur, quem imitatur, &c. Secundus horum verborum sensus etiã verisimilis hic est: Arguet Spiritus sanctus mundum de iudicio mundi, quia iam iudicatus est diabolus, & ex mundo expulsus per crucem, mortemque meã, (præteritũ ponitur pro futuro, id est, quia ex mundo expelletur.) Ioa. 12. [Nũc iudicium est mundi] (ait Dominus) [nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra omnia trahã ad meipsum, &c.] De hoc mundi iudicio loquitur hic Christus, iudicio, inquam, liberationis, quo mundus iudicatus est, & à tyranno diabolo liberatus, lata in diabolum principem siue tyrannum, sententia, qua foras ex mundo pulsus est per Christi crucem, ac sanguinẽ. Arguit igitur mundum Spiritus sanctus de hoc iudicio, & ostendit mundum esse iudicatum à Deo iudicio liberationis, quia tyrannus iam iudicatus est iudicio expulsionis à mũdo. Ostendit mundum per Christi merita esse à tyrannide Satanæ liberatum; Christumque verum esse principem mundi cui debent omnes homines obtemperare, quique à terra in crucẽ exaltatus meritis suis ad se traxit omnia. Aduerte nõ solum Spiritum sanctum arguisse mundum, sed Patrem etiam, & filium. Cur autem nonnulla Trinitatis opera vni personæ attribuãtur, docet Augustin. tract. 94. Oportebat (inquit) ita insinuari Trinitatem, vt quamuis nulla esset diuersitas substantiarum, sigillatim tamen cõmendaretur distinctio personarum, vbi eis, qui rectè intelligunt, nunquam videri potest separatio naturarum, &c.

D. August. *Ioan. 12.* *D. August.*

Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.

NOn erant Apostoli idonei multarum rerum auditores quas Dominus illis fuerat traditurus. idcirco ait; [Adhuc multa habeo vobis dicere,] id est, multa habeo ad dicendum vobis; multa restant docẽda, sed vos ea non potestis portare modò, Græcè βαστάζειν, quia harum rerum doctrinæ capaces modò minimè estis. Quæritur cur non essent tunc doctrinæ illarum rerum capaces Apostoli? Responderi potest non fuisse capaces propter mœstitiam; dixerat enim Dominus: [Tristitia impleuit cor vestrũ, &c.] Addit: multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare, & capere modò, videlicet propter tristitiã, quæ impleuit cor vestrum. poteritis portare postquam tristitia abscesserit cùm autem venerit Spir. sanctus, ille extremam manum addet doctrinæ, & docebit vos omnem veritatẽ. Præterea respondendum cum Diuo Cyrillo, Chrysostomo, Augustino, & alijs, non fuisse capaces Apostolos, quia res illæ eorum captũ tunc temporis superabant, necessariaque erat illis Spiritus sancti illuminatio. Quæ responsio confirmatur, quoniam adiungit Dominus. [Cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, &c.] quasi dicat: Modò ante aduentum Spiritus sancti non potestis portare, sed cum venerit Spiritus sanctus illius suffulti auxilio portabitis.

Cur non poterant tunc Apostoli portare Christi doctrinam.

Quæritur, an Christus hæc quæ Apostoli modò portare non poterant dixerit post resurrectionẽ? Cardinalis Bellarminus tom. 1. lib. 4. de verbo Dei cap. 5 affirmat, estque probabilis opinio. innuunt illa verba ipsa Christi; [Multa] (inquit) [habeo ego vobis dicere:] ergo ipse illa dixit posteà. Nam sensus hic esse videtur: multa habeo ego ipse quæ vobis dicam; sed non dicam modò, quia propter mœrorẽ capaces minimè estis;

An Christus post resurrectionem dixerit discipulis ea, quæ modò non poterãt portare.

dicam

dicam post resurrectionem. Cum autem Spiritus sanctus venerit, ille vos docebit omnem veritatem; videntur hæc verba superioribus illis repugnare, Ioan. 15. [Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis, &c.] Si omnia nota fecit; quomodo multa adhuc habet dicere? Respondetur, Christum fecisse omnia nota discipulis, quæ illos ante crucem scire conueniebat. alia post resurrectionem docuisse, multa in aduentum Spiritus sancti distulisse. Nó enim simul omnia voluit docere, sed paulatim diuersis temporibus. Possunt etiam illa verba sic explanari: [Omnia nota feci vobis,] & faciam post resurrectionem, & per Spiritum sanctum, ita vt verbum, [feci,] etiam futurum indicet. Rupertus; Quod (inquit) superius dixerat Dominus; omnia quæcumque accepi à Patre, nota feci vobis: de futuro oportet intelligi, & idcircò præterito tempore, sic enuntiari; quia sine dubio mox futurum est, quod promittit, &c.

Ioan. 15.

Christus diuersis temporibus docuit Apostolos ea, quæ eos scire decebat.

Rupertus.

Cum autem venerit ille spiritus veritatis.

Aliud Spiritus sancti munus.

A Spiritu sancto dixit arguendum mundum, eo modo quem explicauimus; nunc aliud eiusdem munus indicat vtilissimum discipulis, vt intelligant expedire vt vadat ad Patrẽ. [Cum venerit] (inquit) [spiritus veritatis, docebit vos oẽm veritatẽ.] Spiritus veritatis appellatur. i. verax, qui nec falli potest, nec fallere. Docuit autẽ Apostolos omnem veritatem, Græcè, ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος τὸ πνεῦμα, &c. Vnde fit particulã, [ille,] referri ad [paracletum,] non autem ad [spiritum.] Hoc sensu: Cum venerit ille Paracletus, qui spiritus veritatis est, &c. Quæritur an docuerit Apostolos omnem veritatem, dum in hoc orbe terrarum viuebant; an tum in orbe terrarum, tum in cælo? Respondet Augustinus tract. 96. docuisse tum in terra, tum in cælo. Quod (inquit) ait Dominus; [Docebit vos omnem veritatem,] vel deducet vos in omni veritate; non arbitror in hac vita in cuiusquam mente posse compleri. Quis enim viuẽs in hoc corpore possit omnem cognoscere veritatẽ, cum dicat Apostolus 1. Corin. 13. [Ex parte scimus.] Sed quia per Spiritum sanctum fit, vt ad ipsam quoque plenitudinem veniamus, de qua idem Apostolus dicit, [Tunc autem facie ad faciem, & nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam, sicut, & cognitus sum;] non quod in hac tantum vita, sed totum quod vsque ad illam perfectionem futurum est, nobis Dominus promisit per charitatem Spiritus dicens: docebit vos omnem veritatem, vel deducet vos in omni veritate. hæc Augustinus Græcè legitur, ὁδηγήσει ὑμᾶς, id est, [deducet vos,] ideò Augustinus ita vertit. Verbum enim, ὁδηγέω, significat [deducere,] & [viæ ducem esse,] & nomẽ ὁδηγός, [ducem viæ.] Quæstioni verò respondetur, Spiritum sanctum discipulos in hac vita docuisse omnem veritatem. Omnis autem veritas dicitur hoc loco non absolutè, sed illa, quæ ad fidem, & mores attinebat, ad Ecclesiam regendam, & Scripturas intelligendas: non enim docuit Apostolos Mathematicas scientias, aut Philosophiam Aristotelicam, sed sapientiam Christianam. Augustino autem concedimus non docuisse Spiritum sanctum Apostolos omnẽ veritatem in hac vita, si veritas pro omni veritate absolutè, ac simpliciter sumatur. negamus tamen non docuisse omnem veritatem in hac vita, quæ ad sapientiam pertinet Christiani, vt exposuimus.

Quomodo Sp. S. docuerit discipul.

omnẽ veritatem.

D. August.

De qua veritate hic sermo sit.

Secundò quæritur, an Spiritus sanctus docuerit Apostolos omnem veritatem cum primum in illos illapsus est in die Pentecostes? Pars affirmans probatur nonnullis rationibus, quas omitto, quia non magni momenti sunt. Probatur item ex Diuo Thoma 12. quæst. 106. artic. 4. ad 2. sed Diui Thomæ verba illam minimè confirmant, hæc enim sunt: Docuit (inquit) Spiri-

An Spir. S. docuerit omnem verita. Apost. in die Pentecostes.

Spiritus sanctus Apostolos omnem veritatem, de his quę pertinēt ad necessitatem salutis; scilicet de credendis, & de agendis. Non tamen docuit eos de omnibus futuris euētibus; hoc enim ad eos non pertinebat, secundū illud Act. 1. [Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.] Ita Diuus Thomas. indicat ille quidem quænā sint illa, quæ Spiritus S. docuit Apostolos; An autem ea docuerit ipso die Pentecostes, an temporis successu, non aperit. Negans pars verisimilior videtur, videlicet, Spiritum sanctum non docuisse Apostolos omnem veritatem ipso die Pentecostes, sed partim ipso die, partim alijs temporibus vt Ecclesiæ gubernationi opus erat. Probatur hæc opinio; quoniam non erat opus omnia agēda simul illo die Apostolos mente capere; sed satis erat ab Spiritu sancto suis temporibus edoceri. Ex Actis etiā Apostolorum confirmatur cap. 10 quo Petrus vas cernit sicut linteum magnum è cælo descendens: Viderurque de cibis vetitis, & gentium conuersione dubitare, & cap. 15. in quo de seruandis legalibus disceptatur. Sed non difficile erit legenti hos soluere nodos. Itaq; si quis contrariam sententiam complectatur, non displicebit.

Act. 10.

Act. 15.

An solis Apostolis dicta sint hæc verba?

Quæritur tertiò, solisne Apostolis an Ecclesiæ quoque verba hæc dicta sint? Respondeo, & Apostolis dicta esse, & Ecclesiæ. Ecclesiam enim, & Ecclesiæ caput summum Pontificem docet Spiritus sanctus omnem veritatem fidei, & morum quādo opus est, ita vt à veritate hac aberrare nunquam possint. De Ecclesia etiam non solum de Apostolis illa intelliguntur Ioan. 14. [Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis vt maneat vobiscum in æternum, &c. Vobiscum] (inquit) id est, cum meis discipulis, cum Ecclesia mea maneat in perpetuum, & doceat eam omnē veritatem. Etenim semper Spiritus sanctus Ecclesiæ necessarius est, eiusque capiti summo Pontifici, ne à veritate aberret. Apostolis datus est Spiritus sanctus vt Ecclesiam veritatem docerent, nihilque falsum illi traderent: eandem ob causam summo Pontifici necessarius est, & Concilijs Ecclesiasticis; ergo illis quoque à Deo datur.

Ioan. 14.

Non enim loquetur à semetipso.

Reddit rationē Dominus, cur Spiritus sanctus docturus sit omnē veritatem: videlicet, quia diuinam, purissimamque veritatem accipit à Patre, & filio, eādemque habet essentiam, & sapientiam, quæ fons est totius veritatis, fallique nequit, aut fallere Docebit (inquit) vos omnē veritatem, quoniam non loquetur à semetipso tanquam persona non producta ab alia, sed loquetur quæcumque audiet, id est, loquetur sicut persona producta, quæcumque accipiet à Patre, & à me. Nā Spiritus sanctus à Patre, & Filio procedit, & essentiam, sapientiamque infinitā accipit, quæ omnem continet veritatē. Cùm ergo loquitur, à semetipso non loquitur, sed quæ à Patre, & filio accipit, simul cum Patre, & Filio docet. In hanc sententiam Augustinus exponit tract. 99. Eodem sensu dixit Christus Ioan. 5. [Non possum à me ipso facere quidquā, sicut audio, iudico &c.] Chrysostomus aliter interpretatur hoc pacto: Non loquetur à semetipso, id est, nihil mihi contrariū dicet: Cyrillus quoque: Non aliam (inquit) disciplinā sequetur Spiritus sanctus, neque alias leges feret, &c. Prior sensus præstantior est. Quæres, cur Christus dixerit: [Quæcumque audiet, loquetur:] cū Spiritus sanctus ab ęterno procedat à Patre, & Filio, audieritque ab eis ab æterno, quæ locutus est. Respondet Augustinus tract. 99. Dictum (inquit) est, quæcumque audiet; illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna est scientia. In eo autem quod sempiternum est cuiuslibet tēporis verbū ponatur, siue præsentis, siue præteriti, siue futuri, non

Cur dicatur Spiri. sanct. non loqui à semetipso.

D. August. Ioan. 5.

D. Cyril.

D. August. Responsio eximia.

non mendaciter ponitur, Spiritus sanctus & audiuit, & audiet, &c.

Et quæ ventura sunt annuntiabit vobis.

AD desiderandum aduentum Spiritus sancti prouocat discipulos Dominus vtilitate, & expedire probat vt vadat ad Patrem, illumq; mittat. Expedit, inquit, vt ego vadã, mittamque Spiritum. Ille enim tum mundo, tum vobis magna afferet commoda. Mundum quidem arguet de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Vos autem consolabitur; quia paracletus est, id est, consolator; docebit vos omnem veritatem, quia Spiritus est veritatis. Præterea Prophetas vos faciet, quia quæ ventura sunt aperiet vobis. Hoc, inquit Chrysostomus, discipulorum animos excitauit. Ad nullam enim rem tam cupidum est humanum genus quàm ad futura cognoscenda, &c.

Effectus Spir. sancti.

D. Chrysos.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.

ALius adijcitur effectus Spiritus sancti, nimirũ glorificatio Christi. Ille me clarificabit, siue glorificabit. Nam toto orbe Christum verum Messiam Dei filium, mundi redemptorem; viuorum, mortuorumque iudicem esse ostendit miraculis discipulorumque prædicatione. Potuisset quidem Christus se clarificare in terris manens, sed satius fuit hanc clarificationem Spiritui sancto perficiendã relinquere, postquã ad dexteram sederet Patris. Iuxta illud Psalm. 107. [Exaltare super cælos Deus, & super omnem terrã gloria tua, &c.] Opus erat vt Christus prius in cælo sedens ad Patris dexteram glorificaretur, & posteà clarificaretur in terra per Spiritum sanctum Apostolis datum: vnde illud Ioannis 8. [Nondũ erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus, &c.] Quasi dicat, nondũ erat Spiritus sanctus datus in terra, qui in terra Christum clarificaret quia Christus nondum erat glorificatus in cælo.

Spir. sancti. Christum glorificauit

Psal. 107.

Addit Dominus rationẽ cur à Spiritu sancto sit clarificandus: Ille, inquit, [me clarificabit, quia de meo accipiet, &c.] Cyrillus sic interpretatur: [Quia de meo accipiet,] id est, non aliud quàm ego velim exponet; cũque Spiritus meus sit, ea dicet, quæ mea sunt, &c. Chrysostom⁹: [De meo accipiet,] hoc est, in nullo à me dissẽtiet, &c. Alius ita exponit; [De meo accipiet:] hoc est, de mea doctrina. Rupert. verò sic: [De meo accipiet,] id est, de scripturis meis accipiet testimonia, & annuntiabit vobis. Est & alia huiusmodi interpretatio: [Clarificabit me, quia de meo accipiet;] hoc est, quia meo nomine tanquã legatus loquetur; vnde magna mihi gloria exorietur, qui tantum, tamq; admirabilem legatum habeã. Non probo has interpretationes. Præcellẽtiorem aliam sequor; videlicet, [De meo accipiet,] id est, de mea infinita sapientia accipiet, eaque vos docebit. Non totam sapientiam discipulis impertiuit Spir. sanctus, sed de thesauro sapiẽtiæ infinito, aliqua accepit, quæ impertiret; propterea ait Dominus, [De meo accipiet;] est enim sapientia Spirit. sancti, & sapientia filij vna eademque sapientia. Accepit Spiritus sanctus de thesauro sapientiæ suæ, illa quæ discipulis annuntiauit; accepit etiam ex thesauro sapientiæ Christi: quia idem thesaurus est. Accipiet autem dixit, quia ea quæ erat docturus, à thesauro accepturus erat, & Apostolis communicaturus, quod nondum erat factum.

D. Cyril.

Quid sit, de meo accipiet.

D. Chrysos.

Rupertus.

Eadem est Filij & Sp. sancti. sapiẽtia.

Omnia quæ habet Pater meã sunt.

OStenditur hoc loco Spiritũ sanctum, non solũ procedere à Patre, sed etiam à Filio, personarumque indicatur trinitas, & vnitas essentiæ.

Digitized by Google

tiæ. [Omnia] (inquit Dominus) [quæ habet Pater mea sunt:] Quia eadẽ numero essent a Patris, est mea essentia; Idcircò dixi vobis, quia Spiritus sanctus de meo accipiet; quia ille habet essentiam, sapientiamq; à Patre, quæ eadẽ mea est essentia, & sapientia, & de illa accipiet sapiẽtiam, quã donaturus est vobis. De mea verò essentia, & sapiẽtia accipiet, quia à me procedit, & à Patre eadem spiratione. Vnitas essentiæ Patris, & Filij, illis verbis ostẽditur; [Omnia quę habet Pater mea sunt:] Patris essentia, & omnia attributa, Filij quoque sunt. Esse quoque Spir. sancti eandem essentiam, & attributa, probant illa; [De meo accipiet,] id est, Spiritus sanctus de eadem essentia Patris accipiet, quæ mea est, & ipsius Spiritus sancti. Indicant etiam verba, personarum Trinitatem, nimirũ personas tres Patris, & Filij, & Spir. sancti.

Spi. sanct. à Patre filioq. procedit.

Filij & Spiritus sancti eadem sunt attributa, & eadem essentia.

CAPVT VII.

Morale.

Arguet mundum de peccato.

COepit Iesus facere in terra, & docere,] ait D. Lucas Act. 1. Ex cælo autem ijs, quæ in terra fecerat, extremam manum imposuit. Cœpit facere miracula in Iudæa, & docere Euangelium. Nondum perfecta res erat. toto enim orbe oportebat Euangelicam doctrinam promulgari, diaboli tyrannidem, & idolorũ cultum pelli, Christi iustitiam, regnũ, atque gloriam, ex Iudæę claustris exire, perque regiones cunctas propagari, iuxta illud Isaiæ 49. [Dedi te in lucẽ gẽtium, vt sis salus mea, vsque ad extremum terræ, &c.] Hæc non in terra manens, sed in cælo, voluit perficere per discipulos suos Spiritu sancto misso ex cælo, qui illos afflaret, idoneosque Euangelij promulgatores efficeret. Vnde illud: [Si non abiero paraclitus nõ veniet ad vos; si autem abiero mittam eum ad vos, &c.] Si in terra, inquit, vobiscum permansero ò discipuli, paracletum non mittam; si in cælum ascendero mittam. Etenim decreui, non in terris illũ vobis donare, sed ex cælo ad perficienda ea, quæ cœpi.

Ex cælo perfecit Dominus ea quæ in terra fecit.

Isai. 49.

Cur autem non in terra, sed ex cælo paracletũ donare Christus voluerit, ratio est, vt intelligerẽt discipuli, cæterique se in cælum esse euectũ, ex quo sponsæ suæ Ecclesię tantum donum mittebat. Secunda ratio, si in terra Christus daret Spir. sanct. videretur illum in terra à Patre tantũmodo impetrasse precibus, non autem misisset, vt ergo indicaret à se Spiritũ mitti, seque Deum esse, voluit non in terra, sed ex cælo illũ dare. Tertia: Christus spirat, & mittit Spiritum, non secundum humanitatem, sed secũdum diuinitatem, id vt ostenderet, ex cęlo illum mittere decreuit, qui locus est diuinitatis, iuxta illud orationis Dominic. [Pater noster qui es in cælis.] Quarta; Spiritus sanctus à Patre filioque procedit; quamobrem conueniebat vt à Patre, & Filio existẽte in cęlo, etiam secundum humanitatem, mitteretur ex cælo, ne à solo Patre procedere existimaretur. Quinta: quemadmodũ Pater in cælo existẽs, misit in terras filium, ita congruum erat, vt Pater, & Filius, Deus & homo, in cælo existentes mitterent Spiritũ sanctum. Sexta; voluit Dominus permutationem quandam admirabilem facere; terra in cęlum carnem Christi misit, cælũ misit in terras Spiritum sanctum D. Bernardus sermone 3. Pentecostes: Quid ni, inquit, fieret fidelissimum, gratissimumq; commercium inter cælum, & terram, inter Angelos, & Apostolos, vt exhiberetur

Quæstio.

Cur voluerit Dominus donare Spir. sanct. ex cælo, non cum esset in terra?

Christus mittit Spir. sanct. secundum diuinitatem.

In Ascensione Christi et descẽsu Spi. sancti facta videtur permutatio.

D. Bernar.

Digitized by Google

beretur Angelis caro Christi, Apostolis vinũ cęli, essetque in terra spiritus, caro in cęlis, ac deinceps omnia omnibus communia in ęternum? &c.

Ad hęc, aiunt Patres quos suprà citauimus, Christum in cælum discessisse à discipulis ante aduentum Spiritus sancti, vt illos à pręsentia sua corporali ad inuisibilia, atque spiritalia transferret, & veluti à lacte ad solidum cibum traduceret. August. tract. 94. sic loquentem facit Christũ cum discipulis; Nolo me carnaliter adhuc diligatis, & isto lacte cõtenti semper infantes esse cupiatis. Si alimenta tenera, quibus vos alui, nõ subtraxero, solidum cibum non esurietis, &c. Et Bern. serm. 3. Pentecostes: Si non dederitis quod amatis: (id est, præsentiam meam corporalem) non habebitis, quod desideratis: (id est, Spiritum sanctum.) Expedit vos vt ego vadam, vos quoque de terra ad cælum, de carne ad Spiritũ translaturus, &c. Itaque postquam in cælum abijt Dominus à carne ad Spiritum translati sunt discipuli, fuitque illis vt D. Leo ait, diuinitate præsentior, qui factus erat humanitate longinquior; Serm. 2. de Ascensione, Totam, inquit D. Leo, contemplationem animi discipuli in diuinitatem Christi ad Patris dexteram consedentis erexerāt, nec iam corporeæ visionis Christi tardabantur obiectu, quo minus in id aciẽ mentis intenderent, id est, diuinitatem, quod nec à Patre descendendo abfuerat, neque à discipulis ascẽdendo discesserat. Tunc igitur Filius hominis Dei Filius excellentius, sacratiusque innotuit, cũ in paternæ maiestatis gloriam se recepit. Et ineffabili modo cœpit esse diuinitate præsentior, qui factus est humanitate lõginquior. Sic ille. eodem loco his cõsentaneè Christi verba ad Magdalenam Ioa. 20. [Noli me tangere:] interpretatur, Eò, inquit, credentium fides vocabatur, vbi non carnali manu, sed spiritali intellectu par genitori vnigenitus tangeretur. Hinc illud est quod Dominus Magdalenæ personã Ecclesiæ gerenti dicit: [Noli me tangere, nondũ enim ascendi ad Patrem meum:] hoc est, nolo vt ad me corporaliter venias, nec vt me sensu carnis agnoscas. Ad sublimiora te differo. Cum ad Patrem ascendero tunc me perfectius, veriusque palpabis, apprehensura, quod non tangis, & creditura quod nõ cernis, &c. D. Cyprianus tract. de Ascensione Christi, arbitratur Apostolos post resurrectionẽ Spiritum sanctum exoptasse, & Christum quem vehementer amabant, discedere in cælũ cupiuisse, ad mittendum Spiritum desideratum. Ad hoc (inquit) dilata est ascensionis gloria, vt sub hoc dierum interstitio, præcedens doctrina affectibus firmaretur. Imò vt discipulorũ desideria, recessionem Christi corporalẽ ambirent: quia spiritalis præsentiæ, videlicet Spir. sancti, plenitudo, quandiu conspectu carnis pręsens aderat Christus, aduentare non poterat. Et paulatim in hoc conducti sunt, vt libenter consuetudine conuictus assueti carerẽt, cum inhabitator Spir. sanctus eorum animas possidẽs inuisibili accessu sinceriores eis affectus infunderet, & aperiret interiores oculos, ad intuendum intellectu puro, patrẽ luminum, & substantia rerum sperandarũ proposita, apparentia sepeliret, &c.

Abstulit Dominus præsentiam corporalem, vt in diuinitatem traduceret mentẽ discipulorum.
D. August.
D. Bernar.
Christus humanitate absens ad Apostolis, diuinitate ipsis præsens erat.
D. Leo.
Ioan. 20.
D. Cyprian.

A carne traducti Apostoli ad spiritum, toti terrarum orbi Euangelium promulgarunt. per illos arguit Spiritus sanctus mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Vocauit Dominus Spiritum sanctum Paraclitũ, id est, consolatorem: [Cum venerit inquit, [ille,] id est, paracletus, [qui est spiritus veritatis.] Spiritui consolatori videbatur attribuenda, non redargutio mundi, sed potius consolatio. Videbatur Dominus dicturus, cum venerit ille Paracletus, id est, consolator, consolabitur mundum. At longè aliter; [Cum venerit,] inquit, [arguet mundum, &c.] Ne miremur, est enim duplex officium Spiritus sancti, & consolatur. Arguit peccatores, consolatur iustos; arguit mundum, consolatur

Spir sanctus consolatur, & arguit.
Duplex officium Spiri. sancti.

arguit mundum, consolatur eos qui non sunt ex mundo; arguit carnales, consolatur spiritales. Neque enim carnales, diuinæ consolationis apta sunt vasa. 4. Regum 4. Viduæ illi consolatione carenti ait Elisæus; [Pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua, &c.] videlicet, vt oleo complerentur. Viduæ animæ, hoc est, cōsolatione mundi carentes, & vacuæ, mundi delitijs, atque voluptatibus, ipsæ diuinæ consolationis apta sunt vasa, nempe vacua; quoniam infundi non potest suauissimum spiritalium delitiarum balsamum in vas carnis veneno plenum: vacuum igitur vas esse oportet. Audiamus Bernardum sermone 6. de Ascensione: Errat (inquit) omnino, si quis cælestem dulcecedinem huic cineri, diuinum illud balsamum huic veneno, charismata illa spiritus, misceri posse his illecebris arbitratur, &c. Item sermone 3. Amant (ait) quidam in carne sua consolatiunculas terrenas, siue in verbo, siue in signo, siue in facto, siue in aliquo alio. Impleri autem visitationibus Domini anima non potest, quæ his distractionibus subiacet. & quanto magis illis euacuabitur, tanto amplius istis implebitur; si multum, multum; si parum parum. Vel certè, si magis probus, nunquam illæ istis misceri poterunt: quia vbi vasa vacua non inuenit oleum, stare necesse est, &c. Fluebat oleum, quandiu vasa vacua offerebantur. 4. Reg. 4. dixitque vidua ad filium suum: [Affer mihi adhuc vas. & ille respondit: Non habeo. stetitque oleum. &cæt.] stetit oleum, quia vas vacuum non inuenit: stabit Spiritus sanctus consolatio, si cor vacuum non repererit. Cant 8. [Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens, &c.] Spiritalibus delicijs affluere si vis, desertum cole, mundi delicias desere. Non est datum dulce manna Israelitis in Aegypto, sed in deserto: nec dabitur tibi dulcedo Spiritus sancti, mundi voluptatibus immerso: sed dabitur in solitudine, hoc est, si illis remittas nuntium.

Sp. S. consolatio quib. detur.

D. Bernar.

A terrenis & caducis vacuos esse dēs vt calestib. impleatur.

4. Reg. 4.

Lucæ 6. Væ vobis diuitibus (ait Dominus) quia habetis consolationē vestram, &c. Qui habent consolationē suam, Spiritus sancti consolationem non desiderant; quia verò non desiderant, non quærunt. Qui non habent consolationē suam, hoc est, carnalē in diuitijs mundi, & delicijs, hi spiritus cōsolationem exoptant, exoptatam quærunt, quæsitam inueniūt. Terra terrenis alicuius putei vel fontis irrigata aquis, pluuiam cælestem minimè expectat: quæ vero terrestri aqua non irrigatur: cælestem desiderat. Eūdem in modum, homo terræ voluptatibus perfusus, cælestes non curat: qui verò terrestri consolatione caret, cælestem maximè & optat, & quærit. Aegyptus terrestribus aquis Nili fluuij, terræ repromissionis cælestibus perfunduntur. Deut. 11. [Terra ad quā ingrederis possidendam, non est sicut terra Aegypti, de qua existi, vbi iacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ, sed montuosa est, & campestris, de cælo expectans pluuias, quam Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt à principio anni vsque ad finem eius, &c.] En tibi spiritalis viri imaginem; montuosus est, cælum mente petens: campestris est, hoc est, humilis, animique demissione præditus: non de terra, sed de cælo expectat pluuias, id est, consolationes: hunc Spiritus semper inuisit, & oculi in eo sunt à principio anni vsque in finem, vt fructus proferat cælo iucundissimos. Expectat ille de cælo pluuias, vt terra repromissionis, iuxta illud Psalmi 142. [Anima mea sicut terra sine aqua tibi, & c. hoc est, sicut terra arida cælestem desiderat pluuiam, sic anima mea cælestem suspirat consolationem; suspirat, & suspirando trahit. Psalmo 64. [Visitasti terram & inebriasti eam: multiplicasti locupletare, eam, &cæt. Visitat Dominus terram, id est, animam suspirantem, ac desiderantem, inebriat eam cælesti pluuia, multiplicat locupletare eam cælesti fructu. Ex Hebræo

Lucæ 6.

De cōsolationib. Sp. S.

Vbi cūicet suas cōsolationes Sp. S.

Deut. 11.

Spiritalis viri typus terra repromissionis.

Psal. 142.

Psal. 64.

verti

verti potest: [Visitasti terram, & desiderare fecisti eam, multum ditabis eam, &c.

Visitat enim Spiritus sanctus animam, & facit eam desiderare cæli suauissimam aquam, multumque eam ditat donis suis. Psalm. 118. [Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes: quando consolaberis me? quia factus sum sicut vter in pruina, &c. Consolationem expectabat de cælo Vates: sed factus sicut vter in pruina, qui vter vino vacuus est, gelu frigoreque constrictus, & in rugas contractus. Is consolari petit anxiè, qui terrenæ consolationis vinum effundit, carnemque macerat, omniumque voluptatum ardorem longe à se propellit, iuxta illud Psalmi 93. [Secundum multidinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.] Item Psalmo 76. [Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum,] &c. 2. Cor. 1. [Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra, &c.] Ierem. 31. Inebriaui animam lassam, & omnem esurientem saturaui, &c.] Qui ergo Spiritus sancti consolationem cupit, mundi oblectamentis consolari renuit.

Psal. 118.

psal. 93.

psal. 76.

2. Cor. 1.

Vbi passiones, ibi consolationes.

Initio quidem mœror, & labor obstabunt; sed si constans perseuerauerit animus, mæror in lætitiam, labor in dulcedinem commutabitur. Diuus Bernardus sermone 3. citato de Ascensione; Cum (inquit) inceperis, tristitia tua conuertetur in gaudium, &c. Is qui terrenas vult deserere voluptates, id maximè cogitare debet, se in alterum virum renouandum, cui non ea iam placeant, quæ antea placebant, imo cui omnia amara sunt, quæ antea dulcia erant.

Renouatur homo, per Sp. S. Et delectationes.

Qui enim hanc non cogitat renouationem, difficile ea deseret, quibus oblectatur, dum non cogitat affectum mutandum, & in alia transferendum. Nam vt Bernardus ait eodem loco: tunc purgabitur affectus, & voluntas renouabitur; vt omnia, quæ primò difficilia, immo impossibilia videbantur, cum multa percurrantur dulcedine, & auiditate, &cæt. Augustinus libro 1. de sermone Domini in monte in illa verba: [Beati qui lugent:] Conuersi (inquit) ad Deum ea quæ in hoc mundo chara amplectebantur, amittunt. Non enim gaudent ijs rebus, quibus ante gaudebant: & donec fiat in illis amor æternorum, non nulla mæstitia sauciantur. Consolabuntur ergo Spiritu sancto, qui maxime propterea paracletus nominatur, id est, consolator, vt temporalia amittentes, æterna lætitia perfruantur, &cæt. [Emittes spiritum tuum, & creabuntur,] (ait vates Psalmo 103.) [& renouabis faciem terræ, &c. Renouat enim hominem Spiritus sanctus, & in alterum mutat, omnesque mundi voluptates absorbet, atque demergit: vnde Bernardus eodem sermone: Sicut (inquit) serpens Moysi deuorauit omnes serpentes Magorum; sic Spiritus sanctus cum venerit absorbebit omnes carnales affectiones, & delectationes nostras, & consolationes, ita vt de labore requiem, de tribulatione lætitiam, de contumelia gloriam habeamus, &c.

D. Bern.

D. Aug.

psal. 103.

Voluptates mundi absorbet Sp. S. consolatio.

Consolatur Spiritus sanctus spiritales homines; arguit vero carnales: Arguit inquam de peccato, Psalmo 49. ait Deus peccatori carnali: [Existimasti inique, quod ero tui similis? arguam te, & statuam contra faciem tuam, &c.] Qui similis est peccanti, similiterque peccat, illum non arguit, quia similia peccata perpetrat; ideo Dominus ait, [Existimasti peccator, me similem tibi esse,] atque adeo peccata tua non arguiturum? Non ita est, similis tui non sum, non placent mihi iniquitates, summo illas odio habeo: idcirco arguam te & proponam te ipsum ante oculos tuos, vt fæditatem tuam cernas, & turpitudinem. Quod eodem Psalmo præstat his verbis: [Peccatori autem dixit Deus; Quare tu enarras iusti-

Sp. S. arguit carnales, cõsolatur spiritales. Psal. 49.

Arguit Sp. S. in scriptura, de peccatis.

iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuã ponebas. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum, &c.) Arguit imprimis, quod diuinam legem non obseruet, oreque tantum teneat, non opere. Enarras (inquit) iustitias meas, & præcepta, & assumis pactum meũ per os tuum: verumtamen opere non seruas. Nam odisti disciplinam, & vitæ correctionem sermonesque meos, & legem post tergum proiecisti. Arguit deinde de impijs operib. [Si videbas furem, &c. [De furtis, & adulterijs. De impijs quoque verbis; [Os tuum abundauit malitia,] dolis, & detractionibus. Arguit de scandalis, & offendiculis ante fratres propositis, vt impingerent, & caderent: [Ante filium matris tuæ ponebas scandalum, &c.] Plurima sunt in literis sacris loca, in quibus improbi à Spiritu sancto arguuntur de peccato, vt omittam alia, celebris est illa increpatio, quæ Mosis cantico continetur. (Hæccine (ait) reddis Domino popule stulte, & insipiens? incrassatus est dilectus, & recalcitrauit,) & alia multa. Isaiæ capit. 1. populus arguitur valde. (Væ, inquit, genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam filijs sceleratis, dereliquerunt Dominum, &c.) De peccato autem in Christum commisso arguit Spiritus sanctus Iudæos Act. 3. ore Petri dicens, (Deus glorificauit Filiũ suum Iesum quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati iudicante illo dimitti. Vos autem sanctum, & iustum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis, autorem verò vitæ interfecistis. Quem Deus suscitauit, cuius nos testes sumus, &c.)

Non potest Deo peccator placere. *Nõ vult Deus nos eius iustitias ore tenus prædicare, sed etiã & præstarĩ opere.* *Isai. 1.* *Act. 3.* *Spir. S. increpatio in correptionẽ vitæ tendit.*

Tendit autem Spiritus sancti increpatio de peccato in correctionem vitæ; idcirco arguit & increpat, & minatur, vt peccati pœnitentiam agamus, ne æternas demus pœnas, Sap. 12 (O quam bonus & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus. Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis, & de quibus peccant admones, & alloqueris; vt relicta malitia credant in Domino, &c.) Suauem, & bonum appellat Spiritum Dei sapiens, quia impio, arguit vt impietati remittant nuntium. Vnde postquam supra indicato Psalmo arguit peccatorem, subijcit, (Intelligite hæc, qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat, &c. Intelligenda enim est correptio, animoq; imbibenda, vt prosit. [Intelligite, inquit, increpationem impij qui Dei obliti, totos vos sceleribus addicitis, mutate vitam, ne vos Deus leonis instar rapiat, ac dilaceret. Neque verò aliquis erit eo fortior, qui eripere vos ex illius manibus valeat. Illud eiusdem Psalmi 49. iam citatum; [Statuã contra faciem tuam:) ex Hebræo verti quoque potest; (Ordinabo ad oculos tuos;) metaphora sumpta à bello in hunc sensum: arguam te, & arguẽdo ordinabo ante oculos tuos tanquam milites peccata tua, vt oppugnent dolore cor tuum, illudque iaculis contritionis vulnerent, & veluti sanguinem ex oculis lacrymas fundant. Argutio enim siue increpatio, peccatoris, quædam est obsidio, atq; oppugnatio. Si de Deo oppugnanti tradiderit, seruabitur: sin minus æternæ sententiæ gladio percutietur. Deuter. 20. (Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit, & aperuit tibi portas, cunctus populus qui in ea est saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cumque tradiderit Dominus Deuus tuus illam in manu tua, percuties omne quod in ea generis masculini in ore gladij, &cæt. Similem in modum oppugnat Spiritus sanctus, velut ciuitatem rebellem peccatorem: pacem primum illi

Sap. 12. *Psal. 49.* *Oppugnat Spir. S. peccatorem cum arguit.* *Deut. 20.* *Audiendus est Sp. S. arguẽs, & mores emendandi.*

illi offert, si vitam corrigat, pœnitentiamque agat. Si pacem recipit, portasque Deo aperit, hostique dæmoni claudit, seruatur, seruitque Deo sub felici tributu amoris. Si pacem respuit, gladio diuinæ sententiæ percutitur. Respuit oblatam pacem ciuitas quæ hosti resistere se posse credit; cui verò exploratum est se in potestatē hostis venturam; illa amens profectò erit si pacem oblatam respuat. Quis hominum est, cui compertissimū non sit, se Dei manus non posse effugere? iuxta illud Eleazari 2. Machab. 6. Manum omnipotentis, nec viuus, nec defunctus effugiam, &c. Nonne ergo planè amens ille est, qui a Deo arguēte, & oppugnante, oblatam pacem toto animi sinu nō recipit, sed in peccato, de quo arguitur, vult permanere? Regiam illam ciuitatem, hoc est, Dauid Regem, oppugnauit Spiritus sanctus, duce ad oppugnationē vsus est Nathano; oppugnare cœpit, & arguere; Non restitit oppugnanti regia ciuitas, portas protinus aperuit, oblatamque pacem recepit; protinus pœnitentiam Rex egit; vnde illud Diui Ambrosij in Apolog. cap. 2. ille Regio clarus imperio, cum corriperetur, non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit, &c. quasi dicat: ciuitas illa regia non superbè restitit sed humiliter portas aperuit, & pœnitentiæ pacem recepit. Magdal turrem Hebræis significat, vnde dicitur Magdalena: turrem hanc diabolus cęperat: captam obsedit, Spiritus sanctus oppugnauit, arguit, pacem obtulit, portas illas aperuit, pacemque oblatam, & oppugnantem libenti accepit animo: totam se illi tradidit, & pro bello diuinam pacem obtinuit. Vnde illud Christi Luc. 7. Vade in pace: seruata est, seruauitque Domino suo sub tributo, tributo, inquam, magni amoris, iuxta illud. [Dilexit multum.

2. Mach. 6.

D. Ambr.

Vnde Magdalena dicatur.

Si animæ S. sancti aditum in se aperiat, suaui pace fruitur eius adventu.

Arguit nunc Spiritus sanctus peccatorem, & oppugnat misericorditer inspirationibus, morbis, rebusq; aduersis; Misericordiæ enim est hæc redargutio, vt conuertat, Apocal. 3. Ego (ait Dominus) quos amó arguo, & castigo, &c.] Domine (ait Dauid Psalmo 6.) ne in furore tuo arguas me, &c. Cum furore arguit Deus peccatorem in morte; cum illud planè completur: Arguam te, & statuam cōtra faciem tuam, &c. & illud Ierem. 30. Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli propter multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta sunt peccata tua, insanabilis est dolor tuus, &c. Castigatio, & redargutio inuita, Dei amici plaga est, mitis, ac misericors, vt impius ad meliorem frugem se recipiat; at in morte redargutio, castigatioque inimici Dei est, iustissima, non vt conuertatur impius, sed in sempiternum crucietur. Dei inquam est, inimici, non homini, sed peccato. Nunquam enim Deus homini inimicus est, sed hominis flagitijs. Nihil odisti eorum, quæ fecisti, ait Sapiens Sap. 11. Omnes homines fecit, idcirco nullū odit, peccata odit, quæ non fecit, peccatorum hostis est, peccata punit æterna pœna, peccata, inquam, dura: Dura (inquit) facta sunt peccata tua, &c. Mollia sunt illa peccata, quæ redarguenti Spiritu sancto non resistunt, sed cedunt, liquefiunt, & euanescunt: dura illa sunt, ac ferrea, quæ redargutioni resistunt, neq; dissoluuntur pœnitentia, dura hæc peccata, duro plectuntur supplicio: Dura (inquit) facta sunt peccata tua, insanabilis dolor tuus &c. Non sanatur dolor, pœna durat, quia peccata sunt dura. Mollescant peccata, mollescat peccatoris cor, pharmaco redargutionis adhibito, mollescet etiam pœna. Psalmo 67. Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei, &c. Molles, ac cereos, oportet esse peccatores, cum a Spiritu sancto arguuntur: vt igne illius liquefacti benè pereant, ne duri in æternum malè pereant. Pereant (inquit) peccatores. Bene (inquam) pereant peccatores, diffluentibus peccatis instar cęræ. Diuus Augustinus Psalmo 67 Pereunt (inquit) peccatores, & non pereunt. Si incipiant iustè viuere, peribunt vtique peccatores, sed non peribunt

Apoc. 3.

Psal. 6.

Ierem. 30.

Deus inimicus est non hominis, sed peccati.

Sap. 11.

Peccata dura, & mollia qua dicantur.

Psal. 67.

Quomodo bene pereūt peccatores.

D. Aug. Conceptio egregia.

beta membra vestra seruire iustitię in sanctificationem, &c.] Vbinam est iustitiæ illa seruitus, omni libertate præstantior? heu videmus multos quibus illud eiusdem capitis congruit: [Cum serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ, &c.] Serui sunt peccati, liberi iustitiæ τῇ δικαιοσύνῃ, casu dandi; quia iustitiæ seruire nolunt. O libertatem execrandam, ò seruitutem turpissimam. ò felicissimos illos, qui serui sunt iustitiæ, liberi peccato, ò infelicissimos qui serui sunt peccati, & liberi iustitię. hi diaboli fœdissima captiuitate premuntur; illi Dei dulcissima seruitute perfruuntur. [Humanum dico] (ait Apostolus) [propter infirmitatem carnis vestræ, &c.] humanam, id est, facilem rem à vobis peto, quia imbecillis est caro. Peto, inquam, vt quanto studio seruiistis peccato, tanto seruiatis iustitiæ, & sanctimoniæ. Equidem humanum petit: multo enim maius studium flagitat seruitus iustitiæ, quam illud sit, quod homines seruituti peccati pessimè impendunt. Sed quia homines magno conatu peccatis seruiunt, eundem magnum conatum postulat, vt transferant in seruitutem iustitiæ. Quam aũt mercedem seruitus afferat peccati indicat, seruitusque iustitię; vt hanc complectamur, illam execremur. [Exhibuistis (inquit) membra vestra seruire iniquitati, ad iniquitatem. Exhibete membra vestra seruire iustitię in sanctificationem, &c. Merces peccati cui seruit impius, est iniquitas: seruit iniquitati ad iniquitatem. Qui .n. peccat, iniquus fit, sceleratus, atq; iniustus. Merces iustitiæ est scanctificatio: nam qui iustitiæ seruit, seruit in sanctificationem: quia fit sanctus, & iustus. Addit Paulus: [stipendia peccati mors: Item, Nunc liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam ęternam, &c.] Seruis suis peccatum stipendium soluit perpetnam Gehennæ mortem: iustitia vero seruis suis soluit sanctificationem, & vitam sempiternam.

Deus hoib. sese accōmodat.

Parē vult Deus diligētiā nos exhibere in eius cultu, ei qua terrena complectimur.

Merces peccati est iniquitas, iustitia verò sanctificatio.

Argučti Sp. S. parēdum.

Arguenti pareamus, peccati iugo ex ceruicibus depulso, iustitiæ seruitutem nobilissimam, omnibus regib. principibusque dignissimam seruiamus; in qua animæ sita salus est; cunctis opibus, honoribusque salus pretiosior. Ecclesiastici 30. (Salus animæ in sanctitate iustitiæ, melior est omni auro, & argento, &c.) Iustitiæ autem seruos diligentes esse oportet, in obsequendo domino, cum quidpiam iubet; etsi maximæ obstent difficultates. Totam illam diligentiam, qua peccato seruitutem præstitimus, in seruitutem iustitię transferamus, vt Paulus iubet: [Sicut exhibuimus membra nostra seruire peccato, sic exhibeamus eadem membra seruire iustitiæ.) Imo maiori studio, ac diligentia iustitiæ seruiamus, quam peccato, caducisque rebus seruiuimus vmquã, iuxta illud Baruc 4. [Sicut fuit sensus vester, vt erraretis à Deo: decies tantum iterum conuertentes requirite eum, &c.) Neminem reuocet à seruitute iustitiæ labor; neminem ad seruitutem peccati impellat voluptas. Quoniam labor iustitiæ melle Spiritus sancti cõditur, & transit; voluptas vero peccati veneno permixta necat. Celebris est illa Græcorum sententia, quam refert Gellius lib. 15. capit. 1.

Eccl. 30.

Iustitia seruiendũ est, nõ peccato.

Baruc. 4.

A seruitute iustitia labor non reuocet.

Si per laborem honesti quidpiam egeris, abit labor, honestum manet; si per voluptatem turpe quidpiam feceritis, quod suaue est, abit, quod turpe est, manet, &c.

Denique Spiritus sanctus arguit homines de iudicio extremo, quod cum iudicandi sint, rationemq; de cũctis operibus, verbis, ac cogitationibus reddituri: ita tamen traducant vitam, ac si nullum sint subituri iudiciũ nullisque mancipandi supplicijs, si se flagitijs mancipent: Prouerb. 2 (Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis, &c.) Et vt ait Ecclesiastes cap. 8. (Sunt impij, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant, &c.) Item, Quia non profertur citò contra malos sententia, absq; timore vllo filij hominum perpetrãt mala, &c.) At verò etsi non profertur citò

Arguit Sp. S. de iudicio extremo.

Prou. 2.

De cõmisso peccato non exultandũ.

Eccl. 8.

citò sententia, si impij mensuram spe ctes; citò certè profertur si cum æternitate tempus, etsi longum conferatur. 2. Pet. 2. [Perditio (inquit) eorum non dormitat,] &c. Item; [Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicij reseruare cruciandos, &cæt.]] Aderit mox mors, impium tribunali sistet Dei, iudicabitur miser iudicio, quo princeps mundi iudicatus est, flammisque tradetur vltricibus, quemadmodum traditus est princeps, cui seruitutem præstitit.

Arguet (inquit Dominus) mundum de iudicio, quia princeps huius mundi iam iudicatus est, &cæ.] Iam iudicatus est princeps Lucifer, iam iudicati sunt Angeli, damnatique sunt Angeli, creaturæ Dei præstantissimæ, quia peccarunt; nunquid homines Angelis inferiores, peccatis cooperti iudicium, pęnasque sempiternas euadunt? Minimè profectò, 2. Petri 2. [Si Deus (inquit) Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus (siue catenis) inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari.] Et Iudas in Epistola: [Angelos qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerũt suum domicilium in iudicium magni diei, vinculis æternis, sub caligine reseruauit, &c.] Si Angelis, si Cherubinis, si Seraphinis, Deus non pepercit peccantibus, sed illos iudicauit, & in tartarum præcipites è cælo dedit: nunquid hominibus flagitiosis parcet, impunitosque abire patietur? Caueant homines (ait Augustinus tracta. 95. in Ioannem futurum iudicium; ne cum mundi principe damnentur, quem iudicatum imitantur. Etenim ne sibi parci existimet, superbia dura mortalium, de supplicio superborum terrenda est Angelorum, &cæt. Angelos peccantes mox Deus præcipitauit in tartarum; homines diu expectat, & tolerat, vt emendent mores. Nunquid patientia tanta ad scelera perpetranda abutentes, non puniet grauissimè: [Horrendum est] (ait Apostolus ad Heb. 10.) [incidere in manus Dei viuentis, &c.] Inciderunt in eas Angeli peccantes, horrendo supplicio sunt affecti: quicunque etiam hominum in easdem manus peccando inciderint, pęnas dabunt intolerabiles. Iuxta illud 2. Pet. 2.] Angeli fortitudine, & virtute cum sint maiores, non portant aduersum se execrabile iudicium, &c.] Hoc est, Angeli homines cum superent robore & potentia, non possunt ferre iudicium, & supplicium, quia intolerabile est illis, & execrabile Græcè, βλάσφημον, id est, blasphemum; blasphemando namque illud execrantur. Glossa interlin. tanta vis est Pęnarũ, quod & Angeli mali, qui sunt maiores fortitudine, & robustiores ad perferendum, quam homines, non portant quasi onus intollerabile, &c.

Denique, Iam princeps mundi diabolus iudicatus est, & ex mundo Christi cruce expulsus: iam ex immanissimi hostis tyrannide, & captiuitate liberatum est humanum genus. Agnoscamus verum principem nostrũ Christum, tyrannum deseramus, vero principi adhæreamus: ne cum tyranno in tartareos rogos detrusi pęnas luamus sempiternas. Psalmo 2. [Apprehendite disciplinam;] Hebraicè nasequbar, id est, osculamini filium, regem vestrum, illique obtemperate; Ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta Cùm exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo, &c. Illud Salomonis sapientissimi Eccles. 7. memoria teneamus, [In die bona fruere bonis tuis, & malam diem præcaue: sicut enim hãc, sic & illam fecit Deus, vt non inueniat homo contra eũ iustas quærimonias, &c.] Hoc est, in die bona legis nouæ tẽpore fruere bonis tuis a Deo tibi datis, fruere Christi liberatione, tyrannidẽ fuge diaboli, fruere bonis Christi, sacramentis, gratia, virtutibus, & malam, i. dolore plenam iudicij diẽ præcaue. Sicut enim diem redẽptionis, & tẽpus liberationis mũdi, fecit Deus, sic etiã fecit diẽ iudicij. Redemit nos, & iudicabit nos vt cũ in iudicij die apparuerint oĩum ho-

Marginalia: *Damnauit Deus Angelos propter peccata.* *Damnabit & homines.* *2. Pet. 2.* *Iudas thadæus.* *D. Aug.* *ad Heb. 10.* *2. Pet. 2.* *Inferni pænæ grauissimæ.* *Princeps mundi Christus, illi obtẽperemus.* *psal. 2.* *Eccl. 7.*

Digitized by Google

hominum facta: Deique iustitia, nullus homo de Deo possit meritò conqueri.

Admonendi hoc loco sunt concionatores officij sui, si Spiritus sancti sunt organa, arguant mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio. Isaiæ vndecimo de Christo dicitur: [Percutiet terram virga oris sui, & labijs suis interficiet impium, &c. Sic concionator Apostolicus, non verborum floribus fructu vacuis implet terram, sed virga oris sui percutit, & labijs suis interficere conatur impium; vt peccato moriatur, viuat Deo. Thren. 2. [Prophetæ tui non aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent, &c.] Aperitur autem iniquitas arguendo homines de peccato, prudenter, modestè, atque ardenter, vt ad pœnitentiam adducantur. Tunc auditor proficit, (ait Ambrosius sermone octuagesimo quarto,) quando austeriora annuntiat prædicator, &c. Ecclesiastes duodecimo. [Verba (inquit) sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, &c.] Diuus Hieronymus in hæc verba sic scribit; dicit Salomon verba sua, verba esse sapientium, quæ in similitudinem stimulorum, corrigant delinquentes, & pigros mortalium gressus aculeo pungente commoneant, sicque sint firma, quasi claui in altum, solidumque defixi, &c. Item: Notandum (inquit) quod dicuntur verba sapientium pungere, non palpare, nec molli manu attrahere lasciuiam, sed errantibus & tardis pœnitentiæ dolores, & vulnus infigere. Si cuius igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste non est sermo sapientis. Verba quippe sapientiæ stimuli. Hæc Diuus Hieronymus.

Thren. 2. *D. Ambr.* *Eccl. 12.* *D. Hieron.* *Verba sapientum pungunt.*

Sunt etiam verba sapientium concionatorum tubæ, quæ non ad delectandas aures, sed ad excitanda corda ad prælium comparantur. [Clama, ne cesses (ait Dominus Isaiæ quinquagesimo octauo) quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum, &c.] Augustinus sermone centesimo sexto, de temp. Sicut (inquit) canentibus tubis muri Iericho ceciderunt Iosue sexto ita nunc oportet, vt ciuitas mundi, id est, superbia, cum suis turribus, auaritia, inuidia, atque luxuria; simul cum populis, id est, concupiscentijs malis, assidua Sacerdotum prædicatione destruatur.

Verba concionatorum tubæ sunt, quæ ad prælium corda excitant. *Isai. 58.* *D. Aug.*

Non ergo Sacerdotes in Ecclesia taceant, sed audiant Dominum dicentem: [Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.] Clamare iubemur, & vehementer clamare. Ne parcas (inquit) peccatoris iniquitati, ne tacendo pereat, & dum verecundiæ eius consulis, non consulas sanitati, &c. Item: Scitis, inquit, quod tuba non tam oblectationis esse soleat, quam terroris, non tam delectationem præferre, quam inferre formidinem. Tuba itaque peccatoribus necessaria est, quæ non solum aures eorum penetret, sed & cor concutiat, nec delectet cantu, sed castiget auditu, & strenuos quoque hortetur in bonis, & remissos terreat pro delictis. Hæc Diuus Augustinus.

Non arguit solum Spiritus sanctus, sed etiam consolatur; si concionator, arguat de peccato commisso, & de iustitia conculcata, adhibito iudicij terrore, quo diabolus iam iudicatus est: sed consoletur etiam prudenter, veniæ, diuinæque misericordiæ spe, eos qui peccatum pœnitentiæ abolere, iustitiam verò seriò atque constanter complecti voluerit. Arguit Isaias populum, sed & consolationem affert capite quadragesimo. [Consolamini, inquit, consolamini popule meus, dicit Deus vester, loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam, quoniam completa est malitia eius, &c.] Consolatur Vates populum Ierusalem, & loquitur cor eius, id est, verbis suauibus eis blanditur, hoc enim est loqui ad cor, vt eodem capite Hieronymus

Cõcionator arguit, & consolatur. *Isai. 40.* *Cõcionator debet consolari.* *D. Hieron.*

mus docet his verbis: Qui mœrenti loquitur, & blandiens consolator est, ad cor loqui dicitur, &c. Septuaginta vertunt: [Consolamini, consolamini populum meum, dicit Deus: Sacerdotes loquimini ad cor Ierusalem, consolamini eam, &c.]

A

Ij autem consolandi sunt, qui malitiam complent suam, id est, qui sceleribus finem volunt imponere; Loquimini, inquit, ad cor Ierusalem, & aduocate eam, quia completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius, &c. Hieronymus in Isaiam capite quadragesimo. Causa, inquit, consolationis remissio peccatorum est, &c, Isaiæ quinquagesimo. (ait Christus) Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lassus est, verbo, &c. Similem in modum concionator, linguam petat a Spiritu sancto eruditam, vt sciat lassos, & propter peccata mœstos, verbo consolationis sustentare. Illa quoque Christi verba Isaiæ sexagesimo primo, meditetur concionator: [Spiritus Domini super me eo quod vnxerit Dominus me. ad annuntiandum mansuetis, misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem: vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro, vt consoletur omnes lugentes, &c.

B

D. Hieron.

Isai. 61.

C

D

Concionator hæc, quæ Christus præstitit, curet pro sua præstare tenui parte. Atque in primis nitatur, vt verè dicere possit: [Spiritus Domini super me.] Etenim Spiritus sanctus efficaciam dat concioni, corda mouet, impios ad pœnitentiam ducit. Iam papyro atramento scribimus; in cordibus verò auditorum, non atramento, sed spiritu scribit concionator, vt Paulus docet 2. Corinthiorum tertio, cum ait; [Epistola estis Christi ministrata a nobis, & scripta, non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, &c. Non satis est calamus ad scribendum, etsi egregiè sit præparatus, nisi accedat atramentum: neque satis est concionator ad conuertendum peccatorẽ, etsi accuratissimam habeat concionem, nisi accedat Spiritus sanctus.

S.S. habeat concionator.

E

2. Cor. 3.

CAPVT IX.

Morale.

Arguet mundum de peccato.

Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modò.

NOn omnia capiunt omnes, ad captum auditorum concionator loqui debet. Quemadmodũ infanti durus nô datur cibus, sed lac, cuius est capax: sic auditori, qui virtute, intellectuq; infans est, non est præbenda sublimis, difficilisque doctrina, sed lactea. Sanè ad captùm Corinthiorum loquebatur Paulus, lacteamque exhibebat doctrinam tanquam infantibus, non sublimem, atque difficilẽ tanquam perfectis viris, 1. Corinthiorum tertio. [Non potui, inquit, vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, nô escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis. Adhuc enim carnales estis, &c.] Hanc ob causam Hebræi non omnia, omnium (?) in sacris literis sunt, passim ab omnibus legi patiebantur, vt docet Diuus Gre-

Videndus est vniuscuiusque captus.

Concionator ad captũ loquatur auditorum.

1. Cor. 3.

Digitized by Google

D. Gregor. Naz. Gregorius Nazianzenus in Apologet. Hebræorum, inquit, sapientes hanc legem olim Hebræis fuisse narrant rectam, & laude dignam, qua non cuiuis ætati, quiuis Scripturæ liber concedebatur, &c. idem docet orat. 26. de moderatione in disputationibus seruanda. Lege etiam Origenem in prologo canticorum, & *D. Hier.* Hieronymum in prœmio lib. 1. in Ezechielem; Aggrediar (inquit) Ezechielem Prophetam, cuius difficultatem *Hebræor. traditio.* Hebræorum probat traditio.

Nam nisi quis apud eos ætatem sacerdotalis ministerij, id est, tricesimum annum impleuerit, nec principia Geneseos, nec Canticum Canticorum, nec Ezechielis exordium, & finem legere permittitur Vt ad perfectam scientiam, & mysticos intellectus plenum humanæ naturæ tempus accedat. Hæc Hieronymus. Diuersæ solent esse in Academijs classes, diuersa gymnasia. Non omnium vero est doctrina eadem; in quibusdam faciliora, in alijs sublimiora explicantur.

Si quis vero magister, in gymnasio infimo, eam vellet doctrinam tradere, quæ traditur in supremo, sanè is ridendus esset; quamuis diceret egregiè.

Hominum varij ordines & varia capacitates. Eundem in modum variæ sunt hominum classes, quidam carnales sunt; alij spiritales, nonnulli insipientes, alij sapientes: ridendus verò ille erit, etsi concionetur eximiè, qui quæ spiritalibus congruunt, carnalibus absque fructu vllo commiserit, & quæ sapientibus conueniunt auditoribus, insipientibus obtulerit. [Nolite dare sanctum canibus (ait *Matth. 7.* Dominus Matthæi 7.) neque mittatis margaritas vestras ante porcos, &c.] Pares oportet esse humeros oneri.

Neque impares humeri impar onus, neque impar animus imparem doctrinam portare valet. [Animalis *1. Cor. 2.* homo] (ait Paulus 1. Cor. 2.) [non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi & nequit intelligere, A quia spiritaliter examinatur, &cæt. item; [sapientiam loquimur inter perfectos, &c.] Humeris enim onus accommodabat Apostolus. Christus quoque cum videret discipulos ea nō posse capere, quæ dicturus erat; grauiorem doctrinam, quam velut grauius onus portare tunc nequibant, in aliud tempus distulit. Hinc illud Au- *D. Aug.* gustini in lib. quæst. Euangel. secundum Matth. quæst. 11. Si tantum ha- B bet pondus aliquod verum, vt vires discentis excedat; suspendendum est vt extendat crescentem, non imponendum, vt obtulerat paruulum, &c. & Psalmo 36. concione prima: Christus (inquit) non solum sicut magister aliquid, non totum. Tanquam magister enim sciebat, & docere, quod proderat, & tacere, quod oberat, &c.

Lege si placet Origenem homilia C 5. in libro Iudicum, in fine; Chrysostomum initio concionis 3. de Lazaro, Greg Nazian. orat. 5. de Theologia, prope finem.

Docebit vos omnem veritatem.

D OPpleuerant tenebræ orbem, cum à Deo initio temporis, ex nihilo conditus est Gen. 1. [Tenebræ erant super faciem abyssi, &cæt.] Discussit illas Deus præclara luce *Peccatum tenebras in hōie facit.* facta; (Dixitque Deus fiat lux, & facta est lux, &c.) Eundem in modum peccatorum caligo mundum obtuxerat, erantque etiam post Christi ascensionem, tenebræ super faciem omnium nationum. Iupiter colebatur, Mars, Mercurius, Iuno, Venus, cæteraque huiusmodi hor- E renda monstra: quales verò dij, tales, & illorum cultores erant, omnibus flagitijs cooperti, Babylonicus Nabuchodonosor, Dan. 2. *Dan. 2.* auream fecit statuam, eamque ab omnibus populis adorari iussit. Tartareus vero princeps mundi, non vnā tātum statuam, sed innumera fecit ex

Digitized by Google

Mūdi tenebræ ante aduentū Sp.S.

auro, & argento, ebore, lapidibusque idola; cultumque illis diuinum ab omnibus nationibus suasit exhiberi, & persuasit. Idololatria principatum tenebat, quam reliqua omnia scelera, veluti dominam pedissequæ sequebantur. His plusquam Aegyptijs atque cimmerijs tenebris orbis excæcatus, verum Deum, Dei incarnationem, mortem, resurrectionem, in cælos ascensionem, & Euangelium ignorabat, diabolique fraudibus, & mendacijs circumuentus, miserandum in modum peribat. At vero in crassissimis tenebris, dixit Deus: [fiat lux,] & facta est lux. Missus ex cælo est spiritus veritatis, mendaciorum terram caliginem mundo expulit, diuinæ veritatis luce totum compleuit, verum quem ignorabant Deum, agnouere homines, stupendam Christi incarnationem, crucem, resurrectionem, in cælos ascensionem, admiranda facta dictaque.

Sp.S. mūdo lucē attulit cælestem.

2. Cor. 4.

Deus (ait Apostolus 2. Cor. 4.) qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu, &c.] Sicut Deus mundi initio, mundi tenebras illuminauit; sic illuminauit tenebras hominum. Primum vero lucem Apostolis attulit, eorumque cordibus illuxit, ad illuminationē scientiæ claritatis Dei: hoc est, vt illi illuminarent scientiam gloriæ Dei, quæ in facie, & persona Christi splendet: videlicet, vt docerent homines quanta sit gloria diuinitatis, quæ in Christo est. Addit Apostolus; [habemus thesaurum istum in vasis fictilibus siue testaceis, &c.] Thesaurum, inquam, lucis Euāgelicæ.

Sp.S. lucē attulit primū Apostolis.

Quemadmodum lucerna testacea lucem habet, & circumfert: sic Apostoli mortales, & ignobiles, lucē habebant illam admirabilem Euangelij, & per orbem ferebant. Non erant lucernæ ex auro vel argento fabricatæ, quæ frangi non possunt; sed fictiles, quæ facile franguntur. [Vt sublimitas (inquit Paulus) sit virtutis, id est, potentiæ Dei, & non

Apostoli lucerna, ĝ frāgi poterāt.

A ex nobis, &c.] vt potentiæ Dei gloria tribuatur, & sublimitas operum nostrorum, non nostræ flagitati: itē vt gloria sit potentiæ Dei, si inter tot pericula, & labores non frangimur; vnde sequitur: [In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamus, aporiamur, sed non destituimur &c.] Vos estis lux mundi (ait Dominus Apostolis Matthæi 5.) lux mundi erant, à Spiritu sancto facta; Dixit B Spiritus sanctus, [fiat lux,] & facta est lux mundi, scilicet Apostoli. Fecit autem illos lucem mundi, cum docuit illos omnem veritatem, cum illorum intellectum illuminauit, & voluntatem amore incendit: lux enim veritas est, mendacium caligo.

Spiritus sanctus lucem veritatis facit, & præbet hominibus; spiritus Tartareus tenebras mendacij facit, hominesque excæcat, ne lucem veritatis recipiant; vt Paulus ait 2. Cor. 4. C [Deus, inquit, huius sæculi] (is enim qui dicitur princeps huius mundi, etiam Deus sęculi appellatur, quia in idolis colebatur) [excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij glorię Christi, &c. Lucem fecit Deus, vt orbem illuminaret: Apostolicam lucem fecit, vt hominum tenebras pelleret, filiosque D lucis ex filijs tenebrarum redderet, iuxta illud ad Ephes. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate, &c. Lux vehiculo indiget, quo per orbem vehatur. Vehiculum lucis Sol est: vehiculum vero lucis, & veritatis diuinæ linguæ fuere Apostolicæ, quæ vt Sol lucem, sic veritatem per orbem tulerūt. Ideo in linguis igneis, ac splendentibus in illos Spiritus sanctus descendit, linguarumque donū E largitus est, vt lucem veritatis in omnes gentes importarent. [Emitte lucem tuam] (ait vates Psalmo quadragesimosecundo, [& veritatem tuam: ipse me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuū, & in tabernacula, &c. Emisit Deus in orbem terrarum lucem suam Spiritus

Sp.S. lucē affert homini.

Diabolus affert tenebras

2. Cor. 4.

ad Eph. 5.

Vehiculū lucis Apostolica lingua.

Psal. 42.

Lux S.S. hominem ducit in tabernacula Dei.

tus sancti, & veritatem suam Euangelicam: hæc lux & veritas, deducunt homines,& adducunt in montem sanctũ Dei, & in tabernacula Dei,id est, in cælestem beatitudinem. [Cum venerit(inquit)ille docebit vos omnem veritatem,] Græcè, ὁδηγήσει, legitur, hoc est, deducet vos Spiritus sanctus in omnem veritatem. Illius enim lux nos deducit in veritatem, & in tabernacula Dei. Significat verbum Græcũ ducem viæ esse,& ὁδηγὸς, dux dicitur viæ:noster ὁδηγὸς, & dux viæ,in cælestem patriam,Spiritus sanctus est. Ps. 103. [Emittes spiritum tuum(ait idem vates)& creabuntur, & renouabis faciem terræ, &c.] Emisit Spiritum suũ Deus,& nouam in mundo,nouorum hominum velut creationem,operatus est, faciemque terræ renouauit. Etenim terra,quæ spinas, tribulos, sterilesque producebat plantas, Spiritus sancti pluuia irrigata, rosas, floresq; produxit, & arbores cælestibus onustas fructibus. Arbores illæ pestiferæ, quæ porcorum ferebant cibos, hoc est,idola,quæ impiorum hominũ nutriebant flagitia, excisæ corruerunt: Iuppiter euanuit,Neptunus,Pluto,Iuno,Venus,Diana,cæteraque monstra tartarea.In nihilum abiere scelerum, mendaciorumque officinæ; virtutum autem gymnasia extructa sunt, in quibus Spiritus sancti veritas docetur,ab omni falsitatis suspicione aliena. Humanarum disciplinarum veritas falsitati, dubijsq; multis permixta est;falsa namque multa in illis reperiuntur, dubiæ opiniones multæ. At Spiritus sancti veritas, & fides, ab omni falsitate infinito distat interuallo: quippe quæ Dei est veritas infiniti. Nullæ hic sunt opiniones, omnia certissima, ex Dei veritate pendentia, illique innixa. Hanc veritatis Spiritus sancti certitudinem, splendor linguarum adũbrauit, quæ in Apostolos sunt delapsæ.Sicut linguæ igneę splendidæ fuere; sic omni ex parte splendida veritas fuit,quæ linguis Apostolicis prolata est, omnique falsitatis caligine caruit.

Ps. 103.

S. S. veritas ab omni falsitate est aliena.

Simile.

Perseuerat hæc eadem in Ecclesia veritas, idem permanet Spiritus,permanebitq; ad diem vsque iudicij,iuxta illam Domini promissionem Ioan. 14.Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum,] spiritum veritatis, &c Semper Spiritus sanctus Concilia,& Ecclesiam,Ecclesiæque caput summum Pontificem, docebit omnẽ veritatem. Paraclitus (ait Dominus Ioann. 14.)Spiritus sanctus,quem mittet pater in nomine meo,ille vos docebit omnia,& suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis,&c.Hinc illud Apostolorum in primo Concilio Act. 15. Visum est Spiritui sancto,& nobis,&c. Spiritus veritatis docet Ecclesiam omnem veritatem, non quidem mathematicam, aut physicã, sed quæ ad salutem æternam consequendam opus est. Ille docet veritatẽ Scripturarum, & sensum, eodẽ enim Spiritu,quo scriptæ sunt,intelligi debẽt. [Væ Prophætæ insipientibus (ait Dominus Ezech. 13.) qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident,&c.]Væ inquam hæreticis insipientibus, qui in Scripturis interpretandis spiritum suum sequuntur, & cum sibi lyncei videantur,nihil vident;Ecclesiam verò sequi nolunt,vt videant,quę Spiritus sancti lumine illustrata, Scripturas interpretatur. Quemadmodũ veri Prophetæ Spiritum sequuntur Dei, falsi autem spiritum suum,& Dęmonis,sic Ecclesia Catholica Spiritum sequitur sanctum, in explanandis sacris literis hæretici insipientes suum sequuntur spiritum, & diaboli.

Ioan. 14.

S. S. vsq. ad diem iudicij docet Ecclesiam omnem veritatem.

Act. 15.

Ezech. 13.

Hæretici sequuntur spiritum suum non S.S.

Quid insipientius,quam in Scripturarum interpretatione, spiritui adhærere suo vnumquemque in rebus fidei,& morum? Hinc fit vt tot sunt fides, & sectæ, apud hæreticos,quot sunt diuersi Spiritus, quibus Scripturam exponunt. Verè illis congruit illud Psalmi 34. Fiat via illorum tenebræ,& lubricum & Angelus Domini persequens eos,&c Lubricæ sunt hæreticorum viæ, & tenebrosæ, Spiritus sancti priuatæ lumine; huiusmodi in vijs diabolus persequitur eos, & a tenebris mentis in tebras tartari pe-

Ps. 34.

cipitat. O infelices homines Sequamur Spiritum sanctum, qui Ecclesiam docet omnem veritatem, si nolumus aberrare a veritate. Ante Thronum Dei, vt scribit Ioannes Apoc. 4. [septem erant lampades ardentes.] Thronus Dei Ecclesia est; quemadmodum ante thronum illum Dei septem fulgebant lampades. sic ante Ecclesiã lampades fulgent Spiritus sancti, quibus illuminatur, & a caligine errorũ liberatur. Præcedebat Israelitas, olim per solitudinem iter facientes columna; Ecclesiam verò præcedit tãquam, ὁδηγός, id est, dux viæ, Spiritus S. Exo. 12. [Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo, &c.] Eundem in modum ad extremum vsq; mundi tempus quo ad possidendam terram repromissionis corpore induti intrabimus, non deerit coram populo Christiano, in Ecclesia Spiritus sanctus, qui ignis instar sua luce, & veritate, errorum tenebras dissipet, & tanquã nubes rore plena æstum persecutionum, ac laborum sua consolatione, temperet, iuxta illud hymni Ecclesiastici: [In labore requies, in æstu temperies, &c.] Columnis autem similis est Spiritus sancti lux, & consolatio, quia his veluti columnis Ecclesia fulcitur. Etenim Ecclesiam, vel hæreses,

Ecclesia doctor est S. S.

Apoc. 4.

Spiritus sanctus est velut columna ignea, quæ in mundi solitudine Ecclesiam præcedit.

Exod. 12.

Columna ignis, & nubis S. S illuminat Ecclesiam, & consolatur.

A & errores, ignea fulcitur Spir sancti columna, id est, veritate; si adoriuntur persecutiones, ac tentationes, consolatione eiusdem Spiritus sustentãtur. Illud vnum restat, vt Israelitas imitemur. Nubem illi sequebantur ducem, non voluntatem suam; sic nos Spiritus sancti lucem, non spiritũ sequamur nostrum, siue diaboli, quod hæretici faciunt. Nubes autem illa splendida Israelitarum, super taber-
B naculum stabat, illudque protegebat vt dicitur Num. 9. Similem in modum Spiritus sancti fulgor, & veritas super Ecclesiam stat, id est, super caput eius Pontificem summum, & super Concilia, protegitque Pontificẽ summum, & Concilia, ne vllo modo in doctrina fidei, vel morum tradenda, errorem committere possint. Figebãt tentoria Israelitæ eo in loco, quem columna indicabat: nos item in veri-
C tate intellectum figamus, quam colũna Spiritus sancti, per Ecclesiam demonstrat. Spiritum caueamus nostrum, Ecclesiæ veritati aduersarium in quo ducem viæ diabolum sequentes, hæretici castra metantur. Illi spiritum sequuntur nequam, qui docet omne mendacium: nos Spiritum sequamur sanctum qui docet omnem veritatem.

Inuitamur ad sequendũ S. S.

Nubes super tabernaculum S. S. super summ. Pontif. & Ecclesiam.

Sequẽda columna, i. S. sanctum.

Digitized by Google

CAPVT X.

De sermone Domini in cœnaculo.

IOANNES CAPITE XVI.

MOdicum, & iam non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex discipulis eius adinuicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit, Modicum? Nescimus quid loquitur. Cognouit autem Iesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quaeritis inter vos, quia dixi, Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium: quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et in illo die me non rogabitis quidquam.

Modicum, & iam non videbitis me.

AD sermonem de profectione sua ad Patrem per mortem, & resurrectionem reuertitur Dominus: morit urum se, ac resurrecturũ discipulis significat, veluti ænigmaticè, & obscurè: mestitiã quoq; discipulorũ in resurrectione similitudine ostendit. A Præterea dixerat se ad Patrem abire: nunc indicat non longè distare discessum, post modicum tempus abiturũ per mortẽ, & resurrectionẽ. [Modicũ, inquit, & iã nõ videbitis me, & iterũ modicũ, & videbitis me, quia vado ad Patrẽ &c. D Augustin hoc sensu hæc verba explanat: Modicũ tẽ-

Primus sensus Aug.

pus est, scilicet ab hac hora, qua vobiscum loquor, vsque ad ascensionem; & illud, iam non videbitis me mortalem; quia vado ad Patrem in cælum. & iterum modicum tempus erit, videlicet totum tempus ab Ascẽsione mea; vsque ad iudicij diem: & tunc videbitis me in die iudicij. Nonne Apostoli Christum post ascensionem viderunt, ante diem iudicij? viderunt quidem, & vident hodie: sed non in corpore: in die autem iudicij in corpore videbunt.

Obiectio. *Responsio.*

Secundus sensus probabilior extat in Glossa ordinaria, his verbis: Paruũ tempus est, id est, triduum, quo clausus sepulcro non videbor: & iterum paruum tempus, id est, quadraginta dies, quo resuscitatus videbor, &c. Item Diuus Cyrillus: De passione dixit Christus: [Modicum, & non videbitis me;] & de resurrectione rursus: [& iterum modicum, & videbitis me,] &c. Haymo: Per primum (inquit) modicum intelligitur ille dies, & duæ noctes, quibus Dominus quieuit in sepulchro: per secundum modicum possumus intelligere quadraginta dies, quibus Dominus discipulis se visibilem exhibuit, &c. Euthym. quoque, Pusillo (ait) tempore, & non videbitis me, sub terra sepultum; & rursum pusillo tempore, [& videbitis me,] vbi à mortuis resurrexero, &c.

Secundus sensus. Gl. ord. *D. Cyrill.* *Haymo.* *Euthym.*

Est alius sensus probabilis quem Rupertus Card. Caietanus, & Toletus sequuntur; Modicum, & iam non videbitis me: hoc est, modicum tempus est, videlicet vsque ad passionem, & sepulturam meam: & post illud non videbitis me, quia in sepulchro ero. Et iterum erit modicum tempus, quo sepulchro condar: & post illud videbitis me à mortuis excitatum, quia sic per mortem, & resurrectionem vado ad Patrem. hunc etiam sensum vel secundum proposuit Augustinus tra-cta. 101. cum ait: Quod discipulis fuit obscurum, iam nobis est manifestatum. post paululum enim passus est, & non viderunt eum: rursus post paululum resurrexerit, & viderunt eum, &cæt.

Tertius sensus. Rupertus. *D. Aug.*

Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum.

NOn intellexerunt Christi verba discipuli. Quærit Chrysostomus, cur non intellexerunt? Respondet, non intellexisse propter tristitiam, qua eorum animi completi erant. Verior est altera responsio, quam reddit, non intellexisse verba, quia obscura erant, vt compertum est. Quid modicum illud repetitum significaret, ignorabant, quia etsi audiebant Christum ad Patrem abire, nesciebant quo tempore esset abiturus, profectionem instare latebat; nesciebant .n. illa nocte Dominum à Iudæis comprehendendum. idcirco inter se ita colloquebantur; [Quid est hoc, quod dicit, Modicum? Nescimus quid loquitur, &c.] Nondum Spiritus sancti lux aderat, quæ postea data est: ideo nesciunt, quia nondum à Spiritu sancto scientiam acceperant. Absque Spiritus sancti scientia, dicere possumus cum Scripturas interpretamur; [Nescimus quid loquitur] Spiritus sanctus. Vtinam non viderentur sibi sapientes heretici, dicerentque humiliter; Quid est hoc quod dicit Scriptura? nescimus quid loquitur Spiritus sanctus: sedem adeamus ex qua docet homines omnem veritatem, id est, Ecclesiam Catholicam, illam audiamus Scripturas exponẽtem per Spiritum sanctum, non audiamus spiritum nostrum, qui dum superbè putat se omnia scire, scit nihil, atque vtinam nihil sciret, nesciret hæreses, nesciret errores, qui nihil habent veritatis.

D. Chrysos. *Cur discipuli verba Domini nõ intellexerint.* *Apostoli ignorabãt ea nocte Christũ apprehendendum.* *Scriptura absq; spiritu Dei nõ intelligitur.*

Cognouit autem quia volebant eum interrogare.

NIhil latebat Dominum, videbat discipulos inter se colloquentes, & volentes interrogare, quid nã significaret illud, [modicũ,] itera tũ. Respo

Digitized by Google

Quid sit modicum, &c.

Respondet illorum voluntati, non tamen perspicuè explanat illud, [modicum,] sed parabolicè per similitudinem sumptam a muliere pariente, [Vos (inquit) plorabitis, & flebitis mundus gaudebit, vos autem contristabimini] Hoc est primum modicum passionis. Addit, [sed tristitia vestra vertetur in gaudium:] hoc est secundum modicum resurrectionis Quamuis autem tempus, quo Christus cum Apostolis versatus est post resurrectionem, fuerit modicum; gaudium tamen non fuit modicum, sed longum. Plorabitis, & flebitis vos meæ passionis, & sepolturæ tempore modico; mundus autem gaudebit, id est Iudæi exultabunt, quod me vita priuarint: sed post hoc modicum passionis tristitia vertetur in gaudium, cum post resurrectionem, iterum me magno cum gaudio videbitis rediuiuum, atque immortalem. Illa verba: [Mundus autem gaudebit:] exponit Theophylactus de Iudæis, vt exposuimus. adijcit alium sensum minus probabilem, qui huiusmodi est: vos plorabitis, & flebitis: mundus autem totus gaudebit, quia mea passio totius mundi erit gaudium, & redemptio. Eundem sensum sequitur Euthymius.

Tristitia discipulorū vertēda erat in gaudium.

Theophyl.

Mulier cùm parit:

Simile a muliere parturiente sumptum.

Similitudine explicat illud [modicum,] nec tamen apertè: siquidem paulò post ipse rerum euentus illud explicauit. Mulier parturiens, modicum habet doloris, post modicum doloris, gaudium habet magnum. Modicum doloris indicant illa verba, [Cum parit tristitiam habet, sciens quia venit hora eius:]quia venit hora pariendi, quæ periculo, & mœrore plena est. Gaudium magnum illa significant: [cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum, &c.]id est, post partum, cum filium peperit masculum,

A doloris, quo oppressa est, obliuiscitur, & gaudet summopere, quia natus est in mundo homo vnus, & filius masculus. Vt enim ait Augustinus hoc loco, maius gaudium esse consueuit, quando non puella, sed puer nascitur. Sic vos ò discipuli, vnum habebitis modicum mœstitiæ, & doloris, in mea passione, hoc modicum mœstitiæ sequetur magnum, ac longum gaudium, quod nemo tollet

D. Aug.

B a vobis. [Vos (inquit Dominus) nunc quidem tristitiam habetis,] & habebitis in passione mea. modico durabit tempore tristitia [iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum] non modico, & breui gaudio, sed magno, & diuturno: [gaudium enim vestrum nemo tollet a vobis.] gaudium Apostolorum Christus erat; cum ergo nemo posset Christo illos priuare, nemo gaudium poterat tol-

Quæ a Deo dantur ab hominib. tolli nequeunt.

C lere; neque persecutiones, neque ipsa mors.

Alius sensus D. Aug.

Diuus Augustinus ad cælestem felicitatem refert hoc gaudium, totumque hunc locum in hanc sententiam interpretatur tract. 101. Iterum videbo vos, in cælesti patria, & gaudebit cor vestrum, gaudio sempiterno: plorabitis, & flebitis vos, & qui sequi voluerint; mundus autem, id est, improbi rebus terrenis manci-

D pati, gaudebunt. [Mulier cum parit;] per modicum tempus dolore, mœstitiaque afficitur; sed dolorem partus, magnum sequitur gaudium, cum masculum parit filium.

Mœrorē sequitur gaudium.

Eundem in modum in hoc sæculo, iusti modico tempore labores, doloresque perpetientur; hos autem labores, atque dolores, gaudium sequetur in cælo sempiternum; quod

E nemo tollet ab eis, id est, quod nullum habebit finem. Non enim (ait Augustinus) nobis sufficit finis, nisi cuius nullus est finis.

Digitized by Google

Et in illo die me non rogabitis quidquam.

AVugustinus hæc quoque verba, ad cælestem beatitudinem putat pertinere, hoc sensu: in illo die æternæ beatitudinis, in cælo me nihil rogabitis, nihil interrogabitis. Verbum Latinum rogo, & Græcum ἐρωτάω, significat petere, siue interrogare, & precari, vt Diuus Augustinus obseruauit.

D. Aug.

In cælo autem nihil petemus, nihilque interrogabimus (ait Diuus Augustinus) quia nihil desiderandum remanebit, nihil quærendum latebit.

D. Chrys.

Diuus Chrysostomus verbum, ἐρωτάω, existimat significare, precari, & hæc verba non ad beatitudinem cælestem pertinere arbitratur, sed ad vitam hanc, hoc pacto; in illo die post aduentum Spiritus sancti, non indigebitis Aduocato; sed nominis mei inuocatio satis erit ad omnia consequenda. Videtur etiam alterum sensum proponere: Nihil me rogabitis, id est, nihil me interrogabitis, quia scietis omnia. Vtrumque proponit eius sectator Theophylactus. Diuus verò Cyrillus in hunc modum interpretatur: in illo die, id est, tempore, post aduentum Spiritus sancti, nihil me interrogabitis, quia Spiritus sanctus scientia vos implebit.

D. Cyrill.

Arbitror verbum, ἐρωτάω, hoc in loco, significare interrogo, spectareque verba hæc ad tempus post resurrectionem, siue etiam post Spiritus sancti missionem, hoc sensu: In illo die gaudij vestri, postquam resurrexero, non interrogabitis me quidquam de hac re, de qua modò quærere vultis. Vultis enim me interrogare quid sit modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me. In illo die, postquam me a mortuis excitatum videritis, nihil me hac de re interrogabitis, quia intelligetis planè, quid hæc verba significent. Est hic sensus Ruperti. Accedit ad illum Theophylactus, cuius hæc est interpretatio: Quando (inquit) resurgam, tunc veniet super vos Paracletus, & inducet vos in omnem veritatem, meque non rogabitis quidquam tale, quale prius, Quo vadis? &, Ostende nobis Patrem. Omnia enim scietis in spiritu, &c.

Theophyl.

Eadem est Euthymij explanatio. Cardinalis Caietani hæc est; In illa die non me interrogabitis quidquam hoc est, non erit vobis opus, vt interrogetis me quidquam; vt pote, absque interrogatione doctis. Addo, & alium sensum: [Iterum (inquit Dominus) videbo vos,] in resurrectione; & gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Et in illo tempore resurrectionis meæ, & gaudij vestri, me non interrogabitis quidquam de resurrectione: illam enim tot argumentis, signisque confirmabo, vt nulla in vobis hæreat dubitatio. Vel; non interrogabitis quidquam, quia ego perspicuè vobis tunc loquar, nunc autem ita loquor obscurè, vt opus sit interrogationibus, non diceretis tunc: Quid est hoc, quod dicit, Modicum? Nescimus quid loquitur. Scietis enim, & intelligetis omnia quæ loquor absque ænigmate.

Caietan.

Digitized by Google

CAPVT XI.

Morale.

Modicum & iam non videbitis me, &c.

Christus instar solis modico tempore mortuus disparuit, mox reuixit.

OCcidit quidẽ sol, ac disparet in occasu; sed paulò post, exoritur in ortu, completque orbem, splendore suo. [Modicum non videmus Solẽ scilicet, quandiù in altero est hemisphærio. [Et iterum modicum, & videmus Solem in nostro.] Eundem in modum, splendidissimus Sol Christus, occidit in cruce, velut occasu, desparuitque in sepulchro: sed paulò post exortus est, & apparuit in Oriente resurrectionis, compleuitque fulgore mundum. Modicum non viderunt hunc Solem discipuli, cum in sepulchro latuit & inferorum hemisphærium, id est, sanctorum limbum illuminauit, iuxta illud Eccles. 24. [Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperãtes in domino,&c.] Modicum, & viderunt illum, cum in vitam redijt immortalem, fulgentissimis gloriæ radijs splendens. Modicum non viderunt illum, post mortem: quia modicum fuit tempus illud, quo in sepulchro iacuit, nimirum trium tantum dierum: paulò post ex sepulchro excitatum summa cum lætitia conspexerunt. Nos non per modicum tempus, sed per lungũ in sepulchris mortui permanemus: at Dominus modico valde tempore in sepulchro mãsit

Ecc. 24.

Modico tempore mansit Dominus in sepulchro.

A mox surrexit. Meritò Ps. 48. appellantur sepulchra domus hominum, [Sepulchra eorum, domus illorum, &c.] etenim amplissima licet palatia, superbaq; alia ædificia, nõ domus sunt, sed hospitia. Velut hospites in palatijs Reges, in alijsq; domibus homines reliqui, per paucos habitant annos; in sepulchris verò habitant vsque ad iudicium, longoq; tempore corrumpuntur, atque in cineres rediguntur. B Christus sepulchri fuit hospes, paucorum dierum; caro eius, vt est in ps. 15. corruptionem non vidit, quippe, quæ diuinitatis balsamo cõdita erat. Tempestate exorta Ionam immanis excepit Cetus, sed modico tempore, id est, tribus tantum diebus, ventre continere prædam potuit; sic excitata passionis vehemẽti procella, Christum immanis excepit mors, sed post modicum tempus admirabilẽ prædã C relinquere coacta est. Neq; Ionæ corpus concoquere Ceti calor, neque Christi carnẽ corrumpere mortis valuit frigus. Psal. 3. [Ego (inquit) dormiui, & soporatus sum & exsurrexi, &c.] Sõnus igitur fuit modicus mors Christi. Quemadmodum post breuẽ somnũ, ex lecto surgit homo; sic post breuem mortem trium dierum ex sepulchro surrexit Christus. Hoc est, quod ait. [Modicum, & iam non vide D bitis me, & iterum modicum, & videbitis me.] Modicum fuit tempus mortis, & sepulturæ Christi: modicum quoque fuit tempus, post resurrectionem eum viderunt. ipsa tamen resurrectio æterna fuit, iuxta illud Pauli Rom. 6 [Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, &c.] Modico autẽ tẽpore Christus a discipulis visus est E post resurrectionem, quia ad patrem ascendere oportuit, discipulosq; relinquere, & Spiritu sancto afflare.

Contingit hoc iustis hominibus; modicum vident Christum, eoque fruuntur, & modicum non vident, & derelicti videntur, iuxta illud Isaiæ 54. [Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationib. magnis congregabo te, &c.] Christ⁹ in suos, & labori-

Ps. 48.

Sepulchra domus hominum dicuntur.

Palatia, hospitia sunt appellanda, quia ad paucos annos habitantur.

Christus hospes fuit sepulchri paucorum dierũ.

Simile.

Ionas in mare deiectus a Ceto excipitur.

Ps. 3.

Mors Christi, somnus breuis, resurrectio æterna.

Rom. 6.

Isai. 54.

Digitized by Google

Et in illo die me non rogabitis quidquam.

AVuguſtinus hæc quoque verba, ad cæleſtem beatitudinem putat pertinere, hoc ſenſu: in illo die æternæ beatitudinis, in cælo me nihil rogabitis, nihil interrogabitis. Verbum Latinum rogo, & Græcum ἐρωτᾶν, ſignificat petere, ſiue interrogare, & precari, vt Diuus Auguſtinus obſeruauit.

D. Aug.

In cælo autem nihil petemus, nihilque interrogabimus (ait Diuus Auguſtinus) quia nihil deſiderandum remanebit, nihil quærendum latebit.

D. Chryſ.

Diuus Chryſoſtomus verbum, ἐρωτᾶν, exiſtimat ſignificare, precari, & hæc verba non ad beatitudinem cæleſtem pertinere arbitratur, ſed ad vitam hanc, hoc pacto; in illo die, poſt aduentum Spiritus ſancti, non indigebitis Aduocato; ſed nominis mei, inuocatio ſatis erit ad omnia conſequenda. Videtur etiam alterum ſenſum proponere: Nihil me rogabitis, id eſt, nihil me interrogabitis, quia ſcietis omnia. Vtrumque proponit eius ſectator Theophylactus. Diuus verò Cyrillus in hunc modum interpretatur: in illo die, id eſt, tempore, poſt aduentum Spiritus ſancti, nihil me interrogabitis, quia Spiritus ſanctus ſcientia vos implebit.

D. Cyrill.

Arbitror verbum, ἐρωτᾶν, hoc in loco, ſignificare interrogo, ſpectareque verba hæc ad tempus poſt reſurrectionem, ſiue etiam poſt Spiritus ſancti miſſionem, hoc ſenſu: In illo die gaudij veſtri, poſtquam reſurrexero, non interrogabitis me quidquam de hac re, de qua modò quærere vultis. Vultis enim me interrogare quid ſit modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me. In illo die, poſtquam me a mortuis excitatum videritis, nihil me hac de re interrogabitis, quia intelligi is planè, quid hæc verba ſignificent. Eſt hic ſenſus Ruperti. Accedit ad illum Theophylactus, cuius hæc eſt interpretatio: Quando (inquit) reſurgam, tunc veniet ſuper vos Paracletus, & inducet vos in omnem veritatem, meque non rogabitis quidquam tale, quale prius, Quo vadis? &, Oſtende nobis Patrem. Omnia enim ſcietis in ſpiritu, &c.

Theophyl.

Eadem eſt Euthymij explanatio. Cardinalis Caietani hæc eſt; In illa die non me interrogabitis quidquam hoc eſt, non erit vobis opus, vt interrogetis me quidquam; vt pote, abſque interrogatione doctis. Addo, & alium ſenſum: [Iterum (inquit Dominus) videbo vos,] in reſurrectione; & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis. Et in illo tempore reſurrectionis meæ, & gaudij veſtri, me non interrogabitis quidquam de reſurrectione: illam enim tot argumentis, ſigniſque confirmabo, vt nulla in vobis hæreat dubitatio. Vel; non interrogabitis quidquam, quia ego perſpicuè vobis tunc loquar, nunc autem ita loquor obſcurè, vt opus ſit interrogationibus, non dicetis tunc: Quid eſt hoc, quod dicit, Modicum? Neſcimus quid loquitur. Scietis enim, & intelligetis omnia quæ loquor abſque ænigmate.

Caietan.

C A-

CAPVT XI.

Morale.

Modicum & iam non videbitis me, &c.

Christus in star solis modico tempore mortuus disparuit, mox reuixit.

OCcidit quidē sol, ac disparet in occasu; sed paulò post, exoritur in ortu, completque orbem, splendore suo. [Modicum non videmus Solē scilicet, quandiù in altero est hemisphaerio. [Et iterum modicum, & videmus Solem in nostro.] Eundem in modum, splendidissimus Sol Christus, occidit in cruce, velut occasu, desparuitque in sepulchro: sed paulò post exortus est, & apparuit in Oriente resurrectionis, compleuitque fulgore mundum. Modicum non viderunt hunc Solem discipuli, cum in sepulchro latuit & inferorum hemisphærium, id est, sanctorum limbum illuminauit, iuxta illud Eccles. 24. [Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperātes in domino, &c.] Modicum, & viderunt illum, cum in vitam rediјt immortalem, fulgentissimis gloriæ radijs splendens. Modicum non viderunt illum, post mortem: quia modicum fuit tempus illud, quo in sepulchro iacuit, nimirum trium tantum dierum: paulò post ex sepulchro excitatum summa cum lætitia conspexerunt. Nos non per modicum tempus, sed per lungū in sepulchris mortui permanemus: at Dominus modico valde tempore in sepulchro māsit

Ecc. 24.

Modico tempore mansit Dominus in sepulchro.

A mox surrexit. Meritò Ps. 48. appellantur sepulchra domus hominum, [Sepulchra eorum, domus illorum, &c.] etenim amplissima licet palatia, superbaq; alia ædificia, nō domos sunt, sed hospitia. Velut hospites in palatijs Reges, in alijsq; domibus homines reliqui, per paucos habitant annos; in sepulchris verò habitant vsque ad iudicium, longoq; tempore corrumpuntur, atque in cineres rediguntur.

Ps. 48. Sepulchra domus hominum dicuntur. Palatia, hospitia sunt appellanda, quia ad paucos annos habitantur.

B Christus sepulchri fuit hospes, paucorum dierum; caro eius, vt est in ps. 15. corruptionem non vidit, quippe, quæ diuinitatis balsamo cōdita erat. Tempestate exorta Ionam immanis excepit Cetus, sed modico tempore, id est, tribus tantum diebus, ventre continere prædam potuit; sic excitata passionis vehemēti procella, Christum immanis excepit mors, sed post modicum tempus admirabilē prædā

Christus hospes fuit sepulchri paucorum dierū. Simile. Ionas in mare deiectus a Ceto excipitur.

C relinquere coacta est. Neq; Ionæ corpus concoquere Ceti calor, neque Christi carnē corrumpere mortis valuit frigus. Psal. 3. [Ego (inquit) dormiui, & soporatus sum & exsurrexi, &c.] Sōnus igitur fuit modicus mors Christi. Quemadmodum post breuē somnū, ex lecto surgit homo; sic post breuem mortem trium dierum ex sepulchro surrexit Christus. Hoc est, quod ait. [Modicum, & iam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me.]

Ps. 3.

Mors Christi, somnus breuis, resurrectio æterna.

D Modicum fuit tempus mortis, & sepulturæ Christi: modicum quoque fuit tempus, post resurrectionem eum viderunt, ipsa tamen resurrectio æterna fuit, iuxta illud Pauli Rom. 6 [Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, &c.] Modico autē tēpore Christus a discipulis visus est

Rom. 6.

E post resurrectionem, quia ad patrem ascendere oportuit, discipulosq; relinquere, & Spiritu sancto afflare.

Contingit hoc iustis hominibus; modicum vident Christum, eoque fruuntur, & modicum non vident, & derelicti videntur, iuxta illud Isaiæ 54. [Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationib. magnis congregabo te, &c.] Christ⁹.n. suos, & labori-

Isai. 54.

Digitized by Google

boribus, ac tentationibus exercet; & consolationib. demulcet. Sed tam labores sunt breues, quam consolationes; huius enim vitæ oĩa sunt modica. Sed longum videtur tempus laborũ, & dolorum, modicum tempus cõsolationum: vnde Diuus Bernardus sermone 23. Canticorum: Heu (inquit) rara hora (scilicet, qua Dominus apparet) & parua mora, &c. Iob. 7. [Visitas eũ diluculo, & subito probas illum, &c.] Hoc est ad hominem venis diluculo, & illi indulges: & postea subito discedis, & probas illum labore, & cruciatu. In hæc verba sic scribit magnus Gregorius in Moralibus: Diluculo nos Dominus visitat, quia erroris nostri tenebras, luce suæ cognitionis illustrat, contemplationis munere subleuat, in arcem virtutis exaltat. Sed notãdum, quod Deus postquam diluculo, visitat, subito hominem probat: quia & accedendo corda nostra ad virtutes prouehit, & recedendo concuti tentatione permittit, &c. huius accessus, & recessus Dei reddit rationem his verbis eodẽ loco: Si post virtutum munera, nulla tentatione concutitur animus, has habere ex semetipso gloriatur. Vt ergo & infirmitatis dona habeat, & infirmitatem suã humiliter agnoscat per accessum gratiæ (id est, doni Dei) ad alta sustollitur, & per recessum quid ex seipso sit probatur, &c. Item Deus collocato munere subleuat, & abstracto ad paululum, ipsum sibi hominẽ demonstrat. Hæc Gregorius. Quod si videatur non modicum esse, sed longum tribulationis tempus, non est abijcienda spes, sed fortis patientia aduocanda, & oratio, iuxta illud Psalmi 39. [Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & exaudiuit præces meas; & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fecis, &c.

Breues huius vitæ labores & breue consolationes. *D. Bern.* *Iob. 7.* *D. Greg.* *Deus cõsolatur, et abstrahit D. Greg.* *In tribulationib. diuturnis, spes non est abijcienda.* *Psal. 39.*

Congruunt etiam verba hæc probo concionatori, siue pastori. Modicum eum non videt populus, videlicet cum vacat orationi, rerum diuinarum contemplationi, sacræ Scripturæ, & interpretum lectioni. Post modicum iterum videt, cum docet, consolatur, obsecrat, arguit, spiritaliaque ouium negotia agit. Quod docet idem magnus Gregorius Iob 38. Sancti (inquit) viri post opera exteriora, quæ peragunt, semper ad sinũ cõtemplationis recurrunt, vt illic ardoris sui flammam reficiant, &c.] Eccles. primo; [Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluãt, &c.] Exeunt ex mari flumina, terramque irrigant; postquam terram irrigarunt, rursus in mare redeunt, vt iterum fluant. Sic concionatores Apostoli, velut flumina exeunt ex pelago contemplationis, orationis, & lectionis ex quo aquas hauriunt, populumque doctrina irrigant; postea ad idẽ pelagus reuertuntur, vt iterum fluãt, id est, vt iterum populum diuina doctrina possint imbuere.

Pastor oues pascat verbo, se aũt meditatione. *D. Greg.* *Eccl. 1.*

Diuus Augustinus, vt diximus, illa verba: [Modicum, & non videbitis me,] totum hoc tempus credit significare, quod ad iudicium vsque effluit. Ex sententia itaque sanctissimi, simulque sapientissimi Patris, totum hoc tempus modicum est, quamuis longum nobis esse videatur. Sanè licet hæc verba Mundo accommodare; ipsa enim sua vanitate, & corruptibilitate clamare videtur: [Modicum, & videbitis me,] hoc est, modicum tempus effluet, vsque ad mortem vestram; & iam non videbitis me mundum, quia ex vita discedetis, quæ modica est, ac breuis.

Mundi vanitas euanescet.

Et iterum aliud tempus modicum præteribit vsque ad iudicium: [& tunc videbitis me,] sed valde mutatum ab illo, qui fueram. Diuitias omnes, quibus vos velut laqueis cœpi, voluptates omnes quibus vos inescaui, & honores, euanuisse, meque flammis horribilibus traditum cernetis.

O terque quaterque beatum illum, qui duo hæc modica semper versat animo, dicens: modicum, & iam non videbo hunc mundum, condarque sepulchro; & iterum modicum, & ex sepulchro exurgens videbo mundum hor-

mundum horrendo igne conflagrantem, Iudicemque Christum viuos, & mortuos iudicantem. Disparebit tūc suis amatoribus mundus: apparebit iudex mundi Christus. Felix cuius menti semper mundus disparet; Christus verò semper apparet. Heu quàm modica, quàm breuis vita hæc est, in qua mundum videmus, & ab eo videri cupimus, atque honorari! Equidem mundum hunc neque videre volebat Paulus, ňeq; ab eo videri, cum dixit ad Galatas 6. [Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.] Crucifixus, & mortuus homo neminem videt; sic mundus Paulo crucifixus, ac mortuus, Paulum non videbat, vt illum eueheret dignitatibus: similiter Paulus mundo crucifixus; mortuusque, mūdum neque cernebat, neque ab eo cerni cupiebat. Rationem verò cur mundus dignus non sit, qui videatur, hanc reddit, quia bona illius omnia modici sunt temporis, moxque euanescūnt. 2. Corinth. 4. [Non contemplantibus] (inquit) [nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ non videntur æterna, &c.] Quasi dicat: Nolumus mundum videre, quia modicum & iam nō videbimus eum. Cælestia malumus contemplari, quia in sempiternum illa contemplabimur. Mundi conspectum, etsi iucundissimus sit, velox mors, paulo post auferet; cælestium rerum conspectum, neque ipsa auferet æternitas.

Gal. 6. *2. Cor. 4.*

Omnia in hac vita sunt modica, omnia in vita futura sunt magna: digna hæc sunt, quæ oculos mentis nostræ, & post oculos cor rapiant: caduca verò digna omni contemptu, ac despicientia. Quid non modicum est in mundo? Modicæ hic sunt voluptates, modici honores, modicæ opes, modici labores, modici dolores. Quid non magnum est in futura vita; magnæ sunt voluptates, magni honores, magnæ opes, magni labores, magni dolores. Meritò Isaiæ 40. [Omnis mundi gloria,] cum flore confertur: quia quemadmodū modicus est floris viror, atque odor; sic modica est omnis carnis gloria. [Omnis] (inquit) [caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini,] id est, ventus, [sufflauit in eo, &c.] Sapien. 5. aiūt impij, [Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarū iactantia quid contulit nobis. Transierunt omnia illa tanquam vmbra, &c.] Vmbræ assimilant caduca bona: vmbra montis, vel Gigantis, magna videtur, sed nihil est, nempe priuatio quædam lucis: sic caduca bona magna videntur, sed modica, & nihil sunt, luceque cælesti sæpè possidentes priuant. Labores verò, & dolores huius vitæ Paulus adfirmat momentaneos esse, ac leues, 2. Cor. 4 (inquit) [quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, &c] 1. Pet. 1. [Modicum,] inquit, [nunc si oportet contristari in varijs tentationibus, &c.] futuræ vitæ voluptates, honores, atque opes magnas in cęlo esse; labores, & dolores apud inferos esse ingentes, fatentur omnes. [Coronemus nos rosis antequam marcescant,] aiunt quidam Sapien. 2. Apocalypsis autem 12. Mulier dicitur habere in capite coronam 12. stellarum, &c. Vide quantum sit inter has coronas discrimen, tantum est inter modica huius vitæ bona, & cælestia. Illa similia sunt modicis rosis marcescentibus; hæc ingentibus stellis semper fulgentibus. Modicum, & iam non videbimus illa, in sempiternum verò videbimus hæc. De cruciatibus autem huius temporis, illud dici potest, quod Ægyptij dixerunt, cùm Deus cruciabat Ægyptum; [Dignus Dei est hic.] Hoc enim tempore veluti digito nos punit Deus; apud inferos tota punit manu. Ideo D. August. lib. de decem chordis cap. 9. ait; [Melior est modica amaritudo in faucibus, quàm sempiternū tormentum in visceribus, &c.] Huius enim vitæ labores modici, ac dolores, modicæ amaritudini similes sunt, quæ ex amara potione in faucibus residet

Omnia in mundo sunt modica. *In alia vita, magna omnia sunt.* *Isai. 40.* *Sap. 5.* *2. Cor. 4.* *1. Petr. 1.* *Sap. 2.* *Apoc. 12.* *Simile.*

vitæ

vitæ alterius magna tormẽta non solũ fauces, sed viscera ipsa penetrant, amaritudinemque illis afferunt grauissimam. O munde immunde, modicum, & iam non videmus te: quia vita mortalis modica est. Siue persecutionibus nos exerceas, siue rebus prosperis inuites, breui hoc facies tempore; paulò post oculos claudemus tibi aperiemus Deo. Quanta est dignitas, & securitas, ait Augustinus sermone de sancto Laurentio in diuersis, exire hinc lætum; exire inter angustias, & pressuras gloriosum, claudere in momẽto oculos, quibus mundus videtur aperire eos statim vt Deus videatur, &c.

D. August.

Quòd si longa nobis videtur vita dum durat, in finem illius conijciamus oculos. Vt enim ait Augustinus tract. 101. hoc modicum longum nobis videtur, quia adhuc agitur, cum finitum fuerit, tunc sentiemus quàm modicum fuerit, &c. Eo finito senserunt quàm modicum fuerit, experientia docti impij qui Sapien. 5. aiũt apud inferos: [Transierunt omnia illa tanquam vmbra & tanquam nuntius percurrens,] Græcè ἀγγελία τρέχουσα, id est, tanquam nuntium percurrens, quod defert nuntius velox, [& tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus. Aut tanquam auis quæ transuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans leuem ventũ, &c.] Sicut vmbra vita transit, eiusque caduca bona, & sicut nuntium velox, quod magna celeritate mittitur: Et quidem vita, nuntium est velox, vel vitæ, vel mortis sempiternæ. Præterea sicut nauis inflatis velis pelagus velociter pertransit, obortaq; tempestate obruitur fluctibus, & ima petit pelagi: sic homines inflatis arrogantia animis, mundum celeriter percurrunt, mortisque demergũtur turbine; & profunda petunt sepulchri. Ad hæc, sicut auis celeri, sonanteque præterit volatu, nullum relinquens in aere vestigium, sic impij celeri superbiaque sonante pertranseunt cursu, nullum relinquentes in mundo virtutis signum. His illi adijciunt impij Sapient. 5 [Nos nati continuo desiuimus esse, & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere; in malignitate autẽ nostra consumpti sumus, &c.] Vide quàm modicum illis visum fuerit, vitæ modicum. [Nati] (inquiunt) [continuò desiuimus esse, &c.] Quoniam, vt subijcit sapiens autor eodem capite) [spes impij tanquam lanugo est, quę à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffusus est, & tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis, &c.] Modica quidẽ vita est, sed magnam is facit, qui præclaris eam gestis extendit, vnde illud Sapien. 4. Consummatus in breui expleuit tẽpora multa, &c.] hoc est, vita illius breuis quidem fuit tempore, sed factis longa. Seneca lib. 14. epistola 94. longa, inquit, est vita, si plena est, &c. Meritò impij aiunt, [Nati continuo desiuimus esse, [hoc est, vita nostra breuissima fuit: quia virtutis signum nullum ostenderunt, & in malignitate sua consumpti sunt. At viri iusti vita, etsi breuis, merito longa dicitur, quia præclaris factis explet tempora multa. Itaque modicum hoc vitæ sanctis operibus magnum, longumque faciamus, factisque potius vitã, quàm annis metiamur, vt Seneca docet epistola citata; Hoc, inquit, agamus obsecro mi Lucili, vt quemadmodum pretiosa rerum: sic vita nostra, non pateat multum, sed multum pendat. Actu illam metiamur, non tempore, &c.

Vita breuis apparebit, si in finẽ oculos inijciamus. Fuit autẽ æstaternitas. *D. August.* *Sap. 5.*

Vita percurrenti veredario confertur.

Vita breuis est tẽpore, sed factis præclaris fit longa. *Sap. 4.* *Seneca.*

Seneca.

Est vita breuis, illã impij uoluptatibus, inanique gaudio impendunt. [Mundus] (ait Dominus) [gaudebit.] iusti autem laboribus, & molestijs atteruntur, & cõtristantur. Vos, inquit, [contristabimini, &c.] Sed quid sequitur? attende anastrophem uitæ. Sed, inquit, [tristitia vestra cõuertetur in gaudium, &c.] Contra vero

Iustorum mærorẽ sequitur gaudium, impiorum lætitiam sequitur mæror

Digitized by Google

verò gaudium impiorum conuertetur in æternam mœstitiam. Pharao Genes. 41. Vaccas vidit pingues; postea tamen vidit macilentas, quæ pingues deuorauerunt. Spicas vidit plenas, granisque turgentes, sed postea tenues vredineque percussas. Eundem in modum, impius saturitatis quidē gaudium videt: at paulò post videt æternam famē, quæ omne gaudium deuorat. Ionas virentem vidit hederā, sub qua lætus sedit; sed mox aruit, conuersaque est lætitia in magnum mœrorem. Sedet sub virente hedera caducorum bonorum iniquus, lætatur, & exultat. Væ misero! subito arescit hedera, commutaturque lætitia, & exultatio, in mœstitiam, & dolorem sempiternum. Augustinus lib. de agone Christiano c. 7. gaudet piscis quando hamum non videns escam deuorat; sed cum piscator eum adducere cœperit, viscera eius torquentur, &c. Sic peccator voluptatibus veluti piscis pelago demersus, cū bona deuorat caduca gaudet, hamum mortis non animaduertens, sed cum Deus hamo illum cęperit in sepulcrum adducere, ò miserū hominem, quàm graui dolore illius viscera torquebūtur. Extrema impij gaudia luctus occupat: extremum iustorum luctum occupant gaudia peritura nunquam. [Gaudium vestrum] (ait Dominus) [nemo tollet à vobis. Post tenebras] (ait Iob c. 17.) [spero lucem, &c.] Adfuit illi lux felicitatis, post obscurissimam noctem aduersitatis; restituit illi Dominus sanitatē, & omnia, quæ amiserat duplicia, mę stitiam cōuertit in gaudium. Tob. 3. [Post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem, & fletum exultationem infundis;] ait Sara, idque experta est, post tempestatem illam, quam eodem capite sacræ memorant literæ, tranquillū fecit Deus, & post lacrymationem, & fletum exultationem tam illi, quàm cæco Tobiæ infudit.

Gen. 41. *Ionas hederā virētem vidit & statim arescentem.* *D. August.* *Simile.* *Iob 17.* *Tob. 3.*

Esther 4. Mardochæum cernes, sacco indutum, inspergentem capiti cinerem, & in platea mediæ ciuitatis voce magnā, animoque mœstissimo, eiulantem, sed saccum conuertit Deus in purpuram, cinerem in coronam regiam eiulatum in gaudium maximum; iuxta illud Psal. 29. [Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia, &cet.] Esther 6. Post luctum, equo regio impositus, regijs vestibus amictus, regio diademate insignitus, equi frenum nobilissimo tenente principe, per ciuitatē ductus est, præcipuumque in regno locum posteà obtinuit. Contra verò Esther 3. Amanum videbis lætissimum, à rege Assuero summopere honoratum, omnibusq; principibus antepositum, ita vt regis serui, qui in foribus palatij versabantur, regis iussu flexo illum poplite adorarent. Sed conuersa est lætitia in mœstitiam maximam: Esther 7. in cruce cubitorum quinquaginta, magno cum animi mœrore suspensus, è vita abijt. Audi quæso impij Regis Antiochi verba, cum finis instaret vitæ lætæ, 1. Machab. 6. [Dixi in corde meo; in quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum, qui iucundus eram, & dilectus in potestate mea. Ecce pereo tristitia magna in terra aliena, &c.] Iucundus ille erat, & dilectus, ac lætus in potestate sua regia, sed iucunditas, ac lætitia, in summam commutata est mœstitiam. Arbores videmus, quæ spinis carent, fructum producentes spinosum, vt castaneam: alias spinosas, fructum ferentes nitidissimum, absque vllis spinis, vt malum citream. Hunc in modum, lætitia spinis carens, spinosam parit mœstitiam; mœstitia verò spinosa, nitidissimum profert gaudium. Botri antequam ad maturitatem perueniant, itemque poma, & fructus alij amari sunt, sed amaritudo illa in dulcitudinem vertitur; sic iustorum se habet amaritudo; vertitur in dulcedinem. Qui seminant in lacrymis, vt est in Psalmo 125. [in exultatione metunt.] Denique mulieri parturienti similis est iustus; dolet,

Esth. 4. *Mœstitia vertitur in gaudium. Psal. 29.* *Esther 6.* *Esther 7.* *1. Mach. 6.* *Simile.* *Maturitas aduenient in frugibus, amaritudinē tollit, ita et iustorum finis laborū amarorem.*

let sed dolor ille lætitiam parit magnam.

Pœnitentiã sequitur gaudium. Matth.25.

Emamus mœstitia, ac pœnitentia huius vitæ breui, lætitiam perpetuã. Emamus gaudium illud de quo dicitur seruo bono, Matth.25. [Intra in gaudium Domini tui:] hoc est gaudium quod nemo tollet à nobis, hoc est gaudium plenum, cui nihil deest, hoc est gaudium, cuius comparatione omnia mũdana gaudia nihil sunt; vnde August. tract. 102. Quidquid, inquit, aliud petitur, nihil petitur: non quia nulla res est, sed quia in tantæ rei cõparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est, &c. Luc. 10. Lætantibus discipulis, quòd dæmones illis subijcerẽtur; sic Christus respondit, [In hoc nolite gaudere, quòd Spiritus vobis subijciuntur. Gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis, &c.] De gaudio cælesti gaudere iubet discipulos, quod verum, plenumque gaudium est. Psalm. 84. [Plebs tua lætabitur in te, &c.] Augustinus, Malo (inquit) suo, lætabitur in se; bono suo lætabitur in te. Quando enim voluit habere gaudia de se, inuenit planctũ in se. Nunc verò quia totum gaudium nostrum Deus est, qui vult securus gaudere, in illo gaudeat Deo, qui non potest perire, &c. Non potest perire Deus, neque peribit gaudium cæleste Dei, quod nemo tollet à nobis. Gaudeamus ergo in Domino, mundi fugiamus turpia gaudia, quibus illud Tertulliani congruit lib. de spect. capitulo 27. omnia proinde habe, ac si stillicidia mellis delibares cum baculo venenato. nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum, &c. Mella sunt venenata, mundi gaudia; permixta flagitijs; caueamus ne nos dulcedo decipiat. Gaudeat nunc mundus; posteà torquebitur. modicum nos cõtristemur; tristitia nostra conuertetur in gaudium. Tertullianus eodem lib. cap. 28. Vicibus (inquit) disposita res est. Nunc illi lætantur, nos conflictamur. [Mundus] (ait Dominus) [gaudebit, vos tristes eritis.] Lugeamus dum Ethnici gaudẽt, vt cum lugere cęperint, gaudeamus: ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. Sic ille.

D. August. Verum gaudiũ in Deo est. Luc. 10. Psal. 84. D. August. Tertullian. Gaudium mundi venenatum. Tertullian.

Ad hæc, mulieri parturienti similes sumus omnes cum in extremo spiritu sumus. Illa infantem parit magno cum dolore; homo parit animam. illa parit infantem in mundũ, homo parit animam, vel in cælum si iustus est, vel in tartarum, si iniquus. ibi dolores vt parturientis. Terra quoque parturit feminæ instar, pariet que tandem in die extrema iudicij, omnes homines simul. O partum admirandũ! huius partus signa præcedent horrenda Luc. 21. [Arescentibusque hominibus præ timore & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi, &c.] O felicissimos illos qui ex terræ vtero tunc cælesti fulgentes gloria, atque lætitia, emittentur in cælum! ò infelicissimos, qui igneis flagrantes flammis, ex eodem vtero, mœrore oppressi ęterno, egredientur in Orcum!

In morte homo similis est mulieri parturienti. Luc. 21.

CAPVT

Digitized by

CAPVT XII.

IOANNES CAPITE XVI.

AMen, amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem, in nomine meo, dabit vobis. Vſque modò non petiſtis quidquam in nomine meo: Petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. Hæc in prouerbijs locutus ſum vobis. Venit hora cum iam non in prouerbijs loquar vobis, ſed palam de Patre annunciabo vobis. In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis: Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia ego à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.

Si quid petieritis Patrem, &c.

Diſcedens Chriſt⁹ orationem diſcipulis relinquit.

DIſcedens Chriſtus à diſcipulis fidelem, atque ſtrenuã adminiſtram illis relinquit, videlicet orationem; quæ eorum petitiones ad Patrem deferat atque expediat. Vado ad Patrem diſcipuli, quæcumque vobis opus fuerint petite a Patre, & accipietis. Quo autem modo ſint petituri docet, nimirum in nomine Chriſti; [ſi quid] (inquit) petieritis Patrẽ in nomine meo, dabit vobis, &c. Quia autem nouus hic erat orandi, ac petẽdi modus, & diſcipulis ignotus, addit; [vſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo, petite, & accipietis, &c.] Orabant quidem diſcipuli Deum, & poſtulabant ab eo, quæ opus erant; ſed non poſtulabãt in nomine Chriſti: ſimiliter Iudæi omnes nullam Chriſti in petitionibus faciebant mentionem. Latebat enim veteris Teſtamenti homines (ſi paucos ſanctiſſimos excipias) tum Trinitatis myſterium, Verbique incarnatio, tum in nomine eius petitio. Hic orandi modus (ait Diuus Cyrillus) antiquis omnino fuit ignotus; conſtituitur autem modo à Chriſto, &c. eſt ſenſus: Vſque modo non petiſtis quidquam, in nomine meo: quia hic petendi modus nouus eſt, & Iudæis incognitus. Auguſtinus alterum

Nouus petendi traditur modus in nomine Chriſti.

D. Cyril.

D. Auguſt.

Digitized by Google

alterum addit sensum: vsque modo non petistis quidquam, quia in comparatione rei quam petere debuistis, pro nihilo habendum est quod petistis, &c. Prior sensus est verior, vsurpabant quidem discipuli Christi nomen ad pellenda dæmonia Luc. 10. [Domine], (aiunt) [etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo, &c] Sed non vsurpabant illud ad petendum aliquid à Deo Patre: hoc loco docentur petere in nomine Christi vt indicet Dominus nominis sui maiestatem, & potentiam. siquidem apud Patrem tantum valet, vt omnia quæ in eo petuntur, largiatur. Euthymius: Sæpius, inquit, Christus de petitione in nomine suo loquitur; certiores reddens discipulos, de ipsius virtute, & fiduciam inijciens, &c. sed, quid nam est petere in nomine Christi? Diuus Augustinus. Non petitur, inquit, in nomine saluatoris, quidquid petitur contra rationem salutis; non enim sonum litterarum, ac syllabarum, sed quod sonus ipse significat, & quod eo sono rectè, ac veraciter intelligitur, hoc accipiendus est Christus dicere, cum dicit: [in nomine meo, &c.] Non est satis Augustino, per Christum, eiusq; merita petere, vt quis in nomine Christi dicatur petere, sed opus præterea est, nihil petere, quod saluti æternæ aduersetur. Addit quoque eum in nomine Christi non petere, qui hæreticus est, de Christo non rectè sentiens. Similiter Theophylactus: Nullus, inquit, ex ijs qui mundana petũt, ac animabus damnosa, in nomine Christi petit. Nomen enim Christi diuinum est, ac salutare. Quando autem quis petit, quæ ad perditionem animæ pertinent, quomodo dicemus illũ in salutaris nomine petere, &c. Idem sentit D. Gregorius homil. 27. in Euang. Est alius huiusmodi sensus, [Petite in nomine meo:] id est, petite vt legati mei, vt missi à me. Solent enim legati loqui, & petere in nomine illius à quo mittuntur. Sed non videtur sensus esse verus: quia petitio legati similiter & verba, tribuuntur mittenti, cuius nomine mittitur, & loquitur; petitiones verò nostræ non sunt tribuendæ Christo, ita vt ille petat per nos. Dici tamen potest, nos esse Christi legatos ad petendum non verbis quæ illi tribuantur, sed per merita ipsius: id vero in sensum incidit, quem sequimur. Denique respondeo, petere in nomine Christi esse petere per Christũ, eiusque merita: quod satis Ecclesia demonstrat cum huius documenti memor, orationes quibus Patrem precatur, hac concludit clausula: [Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorũ;] id est, cõcede nobis quod postulamus, per Christum, eiusque merita infinita. Est Christus Deus, & homo; precamur illum cum Patre & Spiritu sancto, quia Deus est: per merita vero illius petimus, quia homo est, & secundum humanam naturam cum diuina copulatam omnia nobis meritus est, quæ Pater donare voluerit. Mediator noster est, vt homo, itemque redemptor: Deus quoque est æqualis Patri, & Spiritui sancto. Possumus autem precari simul tres personas, vnumque Deum, possumus quoque precari singulas, vt ex orationibus Ecclesiæ constat. Cũ vero Christum oramus Deum, hominemq; oramus simul. Ille secundum vtramque naturam, & voluntatem, vel audit nos, vel non audit.

Luc. 10. *Euthym.* *Quid sit petere in nomine Christi.* *D. Aug.* *Theophyl.* *Alius sensus.* *Possumus dici legati Christi in nostris orationibus.* *Alius.* *Petere in nomine Christi est petere per Dominũ nostrũ, &c.*

Rogabit aliquis, An is qui petit aliquid saluti suæ contrarium adiuncta orationis clausula, [Per Christum Dominum nostrũ, &c.] petat in nomine Christi? Respondemus petere in nomine Christi, sed male petere; similem in modum, [In nomine Christi;] postulat Arianus, hæreticè de Christo sentiens, sed malè postulat, si postulet mala. Quod si illuminationem à Deo petat per Christum, vt hæresim possit agnoscere, bene petit. Adijce id quod scribit Ioannes epistola 1. cap. 3. [Si cor nostrũ non reprehenderit nos, fiduciam habemus

Qui in nomine Christi petit aliquid saluti suæ contrarium, abutitur illo salutari nomine. *1. Ioan. 3.*

mus ad Deum, & quidquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus, &c. & ca. 5. Hæc est fiducia quam habemus ad eum, quia quodcunque petierimus, secundum voluntatem eius audiuit nos, &c.] Quæ autem conditiones adhibendæ sint, vt quod petimus impetremus, 2. tom. diximus libro septimo, cap. 28.

Ioan. 5.

Vt gaudium vestrum sit plenum.

PEtite (inquit) & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum, &c. Diuus Augustinus de cælesti gaudio verba hæc intellexit, hoc sensu: Petite, & accipietis; petite inquam, vt vestrum gaudium sit plenum in cælo, petite gaudium cæleste, quod verè plenum est, & perfectum cui nihil deest. Sic etiam Beda, & Rupertus exponũt quasi id, quod petendum est sit gaudium plenum, & cæleste: Ordo, vel sensus est (ait Rupertus) petite vt gaudium vestrum sit plenum, & accipietis, &c. Theophylactus existimat, alia etiam petenda significari, gaudium verò sequi ipsam petitionum impetrationem: Gaudium (inquit Theophylactus) vestrum tunc erit plenissimum, cum accipietis omnes petitiones, &c. Nam solent homines gaudio profundi, cum id quod postulant, assequuntur. Euthymius causam gaudij discipulorum esse ait cognitionẽ potentiæ, quam habet nomen Christi ad impetrandum, quod petimus a Patre. Petite (ait Euthymius) & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Vt postquam cognoueritis quanta possit nomẽ meum, gaudium habeatis perfectum, siue multum, aut copiosius, &c.

Gaudiũ plenum cæleste

Rupertus.

Theophyl.

Euthym.

Arbitror Domini verba intelligenda potius de gaudio, quod sequitur rei, quam postulamus impetrationẽ, in hanc sententiam; Petite a Patre in nomine meo, & accipietis, quod petieritis; vt gaudium vestrum sit plenum, id est, magnum, cum vos videritis a Patre exauditos propter nomen, & merita mea; & cum res desideratas ab eo videbitis vobis liberaliter donari.

Authoris explicatio.

Obijcies, gaudium plenum non esse gaudium huius vitæ, cui multa desunt, quamobrem explicanda verba de gaudio cælesti, atque æterno.

Obiectio.

Respondetur, gaudium sanctum huius vitæ etiam appellari plenum. Confirmatur ex epistola secunda Ioannis, [Spero, inquit, me futurum apud vos, & os ad os loqui, vt gaudium vestrum sit plenum, &c.] id est, vt gaudium vestrum sit plenum, & perfectum, vt magnam ex meo aduentu, & collocutione lætitiam percipiatis, & Diuus Paulus ad Philippenses secundo. Implete, inquit, gaudium meum, vt idem sapiatis, &c. hoc est plenum mihi gaudium præbete. Gaudium autem plenum interpretatur Euthymius loco indicato gaudium perfectum, multum, aut copiosum. Græcè dicitur χαρὰ πεπληρωμένη id est, gaudium impletum. Petite, ait, & accipietis, vt gaudium vestrum sit impletum. Spes rei accipiendæ gaudium parit, ipsa acceptio gaudium implet. Caietanus ita exponit, Petite, & accipietis dona Dei; vt gaudium vestrum sit plenum, id est, vt hac via perueniatis ad gaudium cæleste, quod est plenum, atque perfectum. Lyranus sic: Petite gratiam hic vt gaudium vestrum sit plenum in cælo.

Responsio.

Philip. 2.

Caiet.

buit seipsum viuum post passionem suam, in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loqués de regno Dei, &c.] Locutus est tunc cum discipulis, non in prouerbijs, & obscurè, sed palam de Patre annuntiauit illis; neque solum de Patre illos docuit, sed etiam de sua, & Spiritus sancti diuinitate, & alijs multis, quæ ad regnum Dei, id est, Ecclesiæ statum futurum pertinebant. Venit hora, Græcè, ἔρχεται, in præsenti, pro futuro, veniet hora post resurrectionem meam: tunc enim aperrè cum illis locutus est. Duæ continentur his verbis promissiones factæ discipulis, altera est, quod reuertetur ad illos post mortem rediuiuus: altera quod non loquetur in prouerbijs, sed palam.

Duæ promissiones hic discipulis factæ.

Post aduentum Spiritus sancti etiam locutus est cum discipulis apertè, per ipsum Spiritum sanctum. Ideo ad id etiam tempus possunt verba referri; sed magis propriè ad tempus illud referuntur, quo ipsemet Christus per seipsum, ore suo post resurrectionem discipulos docuit.

In illo die in nomine meo petetis.

QVam appellauerat horam appellat diem, videlicet tempus post resurrectionem. Ante resurrectionem non petiuerant in nomine Christi; vt supra dixit; [vsque modo non petistis quidquam in nomine meo, &c.]

Post resurrectionem ita petere cœperunt. [In illo (inquit) die, siue tempore, postquam resurrexero,] intelligetis diuinitatem meam apertè, sanguinis mei merita, nominisque ad impetrandum potentiam cognoscetis, & petetis in nomine meo à Patre Spiritum sanctum, & alia.

Sensus verborum sequentium.

Verba sequentia: & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem; ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis; &cæt.] Hunc sensum continere videntur; petetis vos Patrem; ego vero non dico me simul vobiscum petiturum pro vobis, & rogaturum Patrem; quoniam opus non est rem clarissimam affirmare. id ego faciam libentissimè. Sed non congruit verbis sequentibus: [ipse enim Pater amat vos:] quibus redditur causa, non cur sit rogaturus; sed cur non sit rogaturus; [quia Pater amat vos.] Est sensus verior; vos petetis in nomine meo; & non dico quia, id est, quod ego rogabo Patrem: nondico vobis me rogaturum Patrem in cælo pro vobis, quoniam opus non erit rogare pro vobis Patrem, ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis; & quia amat largietur, quod petieritis in nomine meo: satis erit nomen meum, non erit necessaria oratio satis sunt merita mea ad impetranda omnia, ipsa pro vobis rogabunt. Non negat Dominus se rogaturum. nam dixit supra, [ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis: sed negat opus esse sua oratione, quia sine ea Pater dabit petita.

Quæritur. Num Christus pro nobis oret in cælo? Pro nobis interpellare in cælo docet Paulus ad Hebr. 7. [Semper (inquit) viuens ad interpellandum pro nobis, &cæt.] ad Romanos 8. [Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis, &cæt.] Quomodo autem interpellet pro nobis dubium est. Theophylactus ad Hebr. 9. Sic respondet: illud ipsum, quod Christus carnem ferens Patri assidet, intercessio est pro nobis, tanquam caro pro nobis exoret Patrem; vt quæ ob hoc ipsum omnino sit assumpta, nimirum ob nostram salutem, &c & ad Romanos 8. Nonnulli (inquit) sic intellexerunt interpellare Christum pro nobis, quod quatenus corpus ferat, illud ipsum esse interpellationem, & intercessionem ad Patrem. Intuens. n. illud Pater, recordatur dilectionem erga mortales, propter quam gestauit corpus filius suus, hacque ratione ad misericordiam inflectitur. Hæc

An Christus pro nobis in cælo oret. Hebr. 7. Rom. 8.

Theophyl.

Interpellare quid sit.

Procul sit ista seruilis sanè suspicio, Spirituque indigna. Neque enim est Patris hoc exposcere, aut filij pati: neque de Deo, hoc cogitare pium, atq; equum est, &c. Nihilominus D. Bonauentura loco citato ait Christum in cælo flexo genu orasse Patrem, vt mitteret Spiritum sanctum. Neque probo Gregorij Nazianzeni interpretationem, qua Christum aduocatum dici vult, id est, exhortatoré ad patientiam. Aduocatum (ait) habemus Iesum, non vt ad Patris pedes se aduoluentem: sed ex his, quę humanitus est perpessus, ad tolerantiam me vt Verbum, & exhortator inducit, sic ego aduocationem hanc intelligendam arbitror. hæc ille. Ex verbis enim Ioannis colligitur apertè sermonem haberi de aduocatione pro peccatis. Illud quoque obserua, non esse Christum orandum a nobis vt oret Patrē, hunc in modum Christe Domine ora pro nobis, inauditus enim est in Ecclesia hic orandi modus, neque decet Christi dignitatem. Denique interpellat Christus pro nobis, & aduocatus est noster, tum seipsum Patri præsentando, tum a Patre mente absque humilitatis externis signis, quod vult petendo. Orare autem Christum in cælo sententia est Cardinalis Toleti, Ioan. 16. & aliorum recentiorum. Ex patribus non reperi qui apertis verbis eam affirmet, sed Scripturę verbis est consentanea.

Quomodo Christus orandus est i Ecclesia, vt Patrem pro nobis exoret.

Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis.

QVærit Augustinus hoc in loco: Ideone amat Deus, quia nos amamus, an potius quia ille amat, ideo nos amamus? &c. deinde respondet, ideo nos amare, quia Deus prior amat. Probat ex verbis Diui Ioannis epistola 1. cap. 4. [Nos diligimus, quia prior ipse dilexit nos, &c.] Verissima est responsio: Amor enim Dei, præuenit amorem, & fidem nostram. Factum est (ait Augustinus) vt diligeremus, quia dilecti sumus. Prorsus donum est diligere Deum: quoniam ipse vt diligeretur dedit, qui non dilectus dilexit. Displicentes amati sumus, vt esset in nobis vnde placeremus, &c. Videntur his repugnare hæc verba: [Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, &c.] Propterea Patrem ait amasse discipulos, quia amauerunt, & crediderunt. Ergo prior fuit nostro modo intelligendi amor, & fides discipulorum, quam amor Patris. Fatemur Christum dixisse Patrem amare discipulos, quia ipsi amauerunt, & crediderunt; sed negamus dixisse amorem discipulorum fuisse priorem amore Patris. Respondemus ergo illum amorem, & fidem discipulorum fuisse effectum amoris Dei, quo illos prior prosecutus est: atque adeo fuisse posteriorem amore Dei. Deus autem propter effectus suos amore quodam consequente, vel concomitante ipsos effectus: Antequam verò effectus donet, amat amore antecedente. De concomitante loquitur hic Christus hoc sensu; ipse Pater amat vos, propter fidem, & amorem ipse in vobis effecit, prior vos amans. Augustinus; Amorem, ait, nostrum fecit Deus, & vidit, quia bonum est: Ideo quippe amauit ipse, quod fecit; sed in nobis non faceret, quod amaret, nisi antequam id faceret, nos amaret, &c. Animaduerte, Christum fidem cum amore siue charitate coniunxisse; Ipse (inquit) Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis. Non enim sola fides sufficit, vt amemur a Deo, sed necessaria etiam est charitas, & opera.

1. Ioann. 4.

D. Aug.

An Deus prius discipulos dilexerit, quā ab illis diligeretur? Obiectio.

Responsio.

Dei amor præcedit amorem hominum.

D. Aug.

Fidem cum amore coniūgit Christus.

mundum, id est, non in ea forma, qua æqualis sum Patri, apparui mundo; sed in ea qua minor sum Patre, id est, in forma humanitatis, &cæt. Exiuisse ait à Patre Christum, quia à Patris maiestate, & gloria quodammodo exiuit, & paupertatem, abiectionemque complexus est, hoc est, quod Paulus ait ad Philipp. 2. [Cum in forma Dei esset exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, &cæt.

Et in veni in mundum.

EXiuit Christus à Patre iuxta superiores interpretationes, id est, à Patre natus est, siue à Patre missus est, siue, homo factus est, & venit in mundum. Nunquid è cælo venit in mundum per motum localem? Minimè; Deus enim non mouetur. Venisse dicitur in mundum, quia in mundo incarnatus est, & homo factus, in mundo versatus est. Augustinus, Exijt (inquit) à Patre Christus, quia de Patre est; & in mundum venit, quia mundo corpus suum ostendit, quod de virgine assumpsit, &c. ideo Euthym. ait, his verbis, [veni in mundum,] significatum esse incarnationis mysterium. & Haymo ita interpretatur: [veni in mundum:] qui eram inuisibilis humanæ creaturæ, factus sum visibilis natus ex virgine, &c. Erat in mundo Dei filius ante incarnationẽ, secundum diuinitatem, quia Deus erat: venisse autem dicitur, secundum humanitatem, quam assumpsit.

Quomodo dicatur filius ex cælo venisse in mundum. D. August.

Iterum relinquo mundum.

O Domine si mundum relinquis, quid erit mundus? Sanè caligo, & nox atra. Sol enim mundi tu es, aliud petis Hemisphærium, tenebras, noctemque nobis relinquis. Quid erit sine te mundus? quod nauis absque gubernatore inter procellas, quod ouis inter leones, id est, dæmones, quod æger absque medico, & medicina. Denique mundus sine te erit nihil. Tu enim illum condidisti, & conditum conseruas; si relinquas, in id quod erat antequam conderes cõuertetur, nempe in nihilum. Ne ergo reliquas mundum: Mane nobiscũ Domine, ne aduesperascat, ne nox atra nobis incubet. Non ita mundũ relinquo, respondet Dominus, vt nõ maneam in eo: [ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi,] Matth. vltimo capite. Relinquit mundum, sed manet etiam in mũdo Sol noster, vt illum illuminet: manet pastor noster vt oues pascat, & à Tartareis leonibus defendat: manet medicus vt ægris afferat medicinam: manet gubernator, vt nauem in medijs procellis regat. Manet secundum diuinitatem, quæ mutari nõ potest, manet quoque secundum humanitatem inuisibilis in Sacramento augustissimo Eucharistiæ, veluti throno celsissimo. Non decebat manere visibilem in statu beato: mansit speciebus tectus, & quod a nobis acceperat corpus, & sanguinem, contulit nobis ad salutem sempiternam. Quãdo à Patre exiuit, non reliquit Patrẽ, sed exiuit à Patre, & mansit in Patre. Quando ex cælo descendit, non reliquit cælum, sed descendit ex cælo, & mansit in cælo; sic quando reliquit mundum non omnino reliquit, sed in mundo mansit.

Christus est Sol mundi, quo absente tenebræ vbique sunt.

Matth. vlt.

Christus reliquit mũdũ & mansit in mundo.

Verbũ à Patre exiens Patrem nõ reliquit.

Augustinus: sic ad mundũ veniens Christus exijt à Patre, vt non desereret Patrem: & sic vadit ad Patrem relicto mundo, vt non deserat mundum, &c.

Nunquid Dominus reliquerat iam iterum mundum cum hæc dicebat? ait enim; [Iterum relinquo mundũ;] quasi dicat, semel iam reliqui, iterum nunc relinquo. ergo bis Dominus ad cælos ascendit, quod est inauditum. Negamus verba illa significare iteratum in cælos ascensum. Si semel veniat Dux aliquis Olisiponem, & discedat; rectè dicetur, Dux venit Olisiponem, & iterum abijt. Significat enim particula, [iterum,] idem

idem iterasset iter, semel veniendo, iterum redeundo. Sic cum Dominus ait; [exiui à Patre, & veni in mundũ, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem;] significat se iterare iter & Patrem reuerti, iterum vado ad Patrem, id est, reuertor ad Patrem.

Ecce nunc palam loqueris.

EXistimarunt discipuli se intellexisse verba magistri, ideo aiunt, ecce nunc palam, id est, apertè loqueris, Græcè, παῤῥησίᾳ, id est, liberè. eodem vocabulo vsus est Dominus cum dixit, [palàm de Patre annuntiabo vobis.] Significat autem, παῤῥησία [libertatem, & loquendi audaciam.] Ita se habuit Christus antè resurrectionem, ac si non auderet liberè discipulis, palam de mysterijs occultissimis loqui: post resurrectionem liberè loquutus est. Addunt: [Nunc scimus, quia scis omnia, & non opus est tibi, vt aliquis te interroget, in hoc credimus, quia à Deo exisli, &c.] Sed vnde nam sciuerunt nunc discipuli quod Christus sciebat omnia? Respondetur, inde sciuisse, quod cognouerit, quod interrogare vellent; cum enim vellent interrogare, quid significarent verba illa obscura, [Modicum & iam non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me:] Quod cuperent interrogare sciuit, & respondit: idcirco dicunt, [Nunc scimus, quia scis omnia;] siquidem quid cuperemus interrogare cognouisti, & corda nostra penetrasti. Objicitur: Discipuli voluntatem, desideriumq; suum verbis patefecerunt, sic enim scribit Euangelista: [Dixerunt ex discipulis eius ad inuicem; Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum, & non videbitis me, &c.] & Dominus: [De hoc quæritis inter vos, quia dixi modicum, &c.] non ergo hinc collegerunt: [scis omnia;] facilè enim poterat quilibet homo scire ex illorum verbis quid vellent, ac cuperent, etsi

Christus post resurrectionè liberè de mysterijs locutus est.

Obiectio.

A voluntates non videret. Respondetur, discipulos valde submissa voce locutos esse, ita vt à Christo se non audiri arbitrarentur: ideoque mirati sunt, cum id quod cupiebant, explicauit; & quasi interrogantibus respondit. hinc omnia scire collegerunt. Præterea collegerunt non esse ei opus vt quis eum interrogaret. Non dicunt, & non opus est nobis, vt te interrogemus, opus enim discipulis est interrogare magistrum. Sed aiunt, [& non est opus tibi, vt aliquis te interroget.] hoc est, si velis respondere, non est tibi opus vt quis te interroget: quia scis quid velit quisque interrogare. B Adjicitur: [In hoc credimus quia à Deo missus es in mundum. Nonne iam ante hæc credebant discipuli? credebant quidem. Verba ergo hæc: [in hoc credimus quia à Deo existi;] non significant principium fidei, sed C actum fidei, confirmationem, & incrementum, quasi dicant; hæc res fidei actum in nobis peperit, fidem confirmauit, & auxit; vel hinc colligimus te à Deo missum.

Responsio.

Modò creditis? Ecce venit hora.

D ITerum prædicit Dominus Discipulis fugam illius noctis, qua est comprehensus; & fidei imbecillitatem. Dixerant: Nunc credimus quòd à Deo existi. Respondet: Nunc creditis quòd à Deo exiui? sed non satis robusta fides hæc vestra est. Me enim deserto, nocte hac fugientes dispergemini. Matth. 26. ante hunc sermonem dixit Discipulis: [omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte: scriptum est enim, percutiam E pastorem, & dispergentur oues gregis,] &c. Idem repetit hoc loco: Ecce (inquit) venit hora, ἔρχεται, in præsenti, [iam venit:] in præterito, ἐλήλυθε; hoc est, iam tempus venit, iam adest nox, [vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis, &c. Illa enim eadem

Prædicit Dominus fugã discipulorũ.

Cur discipuli fugerint. Dubitatio.

dem nocte post cœnam cum Christus comprehensus est, Discipuli fugientes dispersi sunt, & Christum solum reliquerunt. Nondum enim fides eorum, Spiritus sancti igne erat inflammata, nondum fortis erat, ac robusta. Dubium est, quid significent hæc verba, in propria dispergamini? Græcè, ἴδια; Discipuli non habebant propria, siquidem nec domos habebant proprias in Iudæa, quia ex prouincia Galilæa erant, omnia iam reliquerant propter Christum, iuxta illud: [Ecce nos reliquimus omnia, &c.] In quæ ergo propria dispersi sunt? Respondet Lyranus, [in propria commoda.] Cardinalis Hugo, [in propriam infidelitatem.] Rupertus [ad propriam salutem quærendam;] & Cyrillus, saluti (inquit) suæ vnusquisque consulet, &c. Respondetur, dispersos esse non in proprias domos, sed in propria latibula. Dispersi enim sunt per varia loca, & vnusquisque proprium sibi latibulum quæsiuit, in quo tutus esse posset.

Responsio Lyrani. Hugo. Rupertus. Cyrill. Authoris responsio.

Et non sum solus, quia Pater mecum est.

DIxerat se solum relinquendum à Discipulis fugientib quia absque vllo comite, ac defensore inter hos desertus est. Ab hominibus quidem relictus est, sed non à Patre; ideò ait, [Et non sum solus, quia Pater mecum est.] Quamuis fuga vitam quæratis, ò Discipuli, ne putetis me solum relinqui, non enim sum solus, Pater mecum est, quia Pater in me est, & ego, & Pater vnum sumus. Patris autem defensio maximi exercitus defensione præstantior est. Vnde illud Matth. 26. [An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum, &c.] Pro vndecim Discipulis fugientibus, poterat Pater dare duodecim Angelorum legiones, quorum vel vnus cun-

Discipuli deseruerũt Christum non Pater.

Matth. 26.

A ctos homines in fugam posset vertere, & vita priuare, sed passioni noluit obstare. Non vult Dominus aperire diuinitatem suam, ideò sic loquitur. Poterat enim dicere; deseretis me discipuli, sed vestra ope non indigeo, Deus enim sum. Si me defendere voluero, vno oculorum nutu omnes hostes subitò perdam, nemo mihi valebit resistere. hoc re ipsa in passione ostendit, cum milites humi prostrauit, quos potuisset in Tartarum omnes dare præcipites.

Non vult tum aperire diuinitatẽ suam manifestate discipulis Christus.

B

Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis.

HÆc est totius sermonis clausula. Discipuli hunc habui sermonem, vt in me pacem habeatis. Huc tendunt quæ dicta sunt, vt in me, id est, mecum, per amorem, & fidem copulati, sicut palmites cum vite, pacem habeatis, & animi tranquillitatem, & non turbetur cor vestrum, neque formidet. [In me pacem habebitis. In mundo habebitis pressuram,] bella, persecutiones: sed ne despondeatis animum, sequimini veluti milites animosi me ducem vestrum: [Confidite,] ego dux vester, [uici mundum,] uos quoque me sequentes illum uincite, & pessundate, uictus à me non uincet uos. Vicit autem Christus mundum, quia uicit mundi principem diabolum, uicit que peccatum, & tentationes mundi, uicit opes, uoluptates, & honores omnes despicatui habendo, uicit præterea labores, dolores, ignominias, opprobria, cruciatus, mortem, omnia patienter tolerando. Sic nos docuit mundum uincere.

C

Clausula sermonis.

D

Victoria Christi de mundo.

E

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XIIII.

Morale.

Si quid petieritis Patrem, &c.

Relinquo mundum, & vado ad Patrem.

NOnne fuisset satius manere Christum in mundo, ita vt ab omnibus videretur, atque Rex supremus adoraretur? Respondeo non fuisse satius, in mundo manere Christum, eiusque in cælum profectionem, tam statui ipsius glorioso, quam nostro exemplo fuisse maxime congruentem. Etenim status Christi post resurrectionem, gloriosus erat; locum ergo altissimũ flagitabat, qui beatis viris, æternaq; gloria præditis conceditur, id est, cælum empyreum. Quò res nobilior est, eo nobiliorem flagitabat locum; id quod in elementis, cælisque cernitur. Nobiliora namque elementa superiorem, ignobiliora inferiorem locum, cæli verò supremum obtinent. Christi humanitas, æterna præfulgens gloria, & cũ diuino verbo copulata, res omnes nobilitate superat: locus ergo altissimus, toto in orbe altissimi cæli illi debetur. Neque erat consentaneũ rationi, in terra manere, etiamsi tota in aurum, gemmasq; conuerteretur. Philo in libro de Cherubim; Etiamsi (inquit) tota terra aurum, aut si quid auro pretiosius est, fieret, moxque per opificum artes, in porticus, vestibula, aulas, areas, ædesque sacras impenderetur, ne scabellum quidem pedibus Dei posset fieri dignum, &c. Ad Hebræos 11. ait Paulus mundum hũc sanctis viris non esse dignum: Quibus (inquit) dignus non erat mundus &c. Si sanctis mortalibus, dignus nõ erat mundus: multò minus dignus erat Sancto sanctorum Christo, iam immortali.

Humanitatem Christi cælum petere, res fuit maximè illi congruẽs. Corpus nobile, & gloriosum, locum nobile, & gloriosũ postulat. Nõ erat rationi consonum corpus Christi in terris manere.

Hebr. 11.

Thronus eius Psal. 88. sicut Sol, &c. vt Solem non potest terra capere, sic nec potest capere Christi thronum. Quemadmodum curiæ magni Regis paruus pagus; ita curiæ Christi, parua terra non congruit. Curia immortalis Regis, & aula, aulicos habet immortales, Angelos, Cherubinos, Seraphinos, hominum animas nunc corpore exutas post iudicium corporib. induendas. Immortalibus autem aulicis, immortalique curiæ, mortalitatis & corruptionis locus terra minimè conuenit, sed æternæ vitæ sedes cælum empyreum. Præterea immortali Regi, præcellentique splendore circumamicto, neque vestes bombycinæ, aureæ, atque argenteæ, neque gemmæ, neque aurum, neque mundi opes, neque cibi, neque equi, neque palatia cõgrua sunt, (quippe quæ ab immortalitatis statu longe absint) nõ ergo decebat summum, immortalemque Regem, manere in mundo. Iam verò, vel Christus in statu maneret humili, & abiecto, qualem habuit, dum mortale habuit corpus, vel in statu sublimi, plenoque maiestatis, ita vt instar cæterorum regum opibus maximis, exercitibus, classibus, magno peditum, equitumque comitatu, & alijs huiusmodi rebus afflueret. In statu humili, & abiecto permanere post resurrectionem, ab omni ratione alienum erat. Quod si in statu maiestatis, mundanis affluens rebus, in mundo degeret, quod dederat humilitatis, patientiæque exemplum euerteret.

Ps. 88.

Curiã Christi non capit terra.

Terrena ista spiritualibus nõ possunt conuenire.

Meritò igitur ait: Relinquo mundum, & vado ad patrem: mundum relinquo, quia in mundo me vitam agere immortalem non decet. Vado in cæ-

in cælum ad Patrem, quia in cælo ad Patris dexteram mihi congruens est locus: iuxta illud Psalmi 109. [Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, &c.] Hæc sedes a dextris Patris, hic locus est Christi, ex quo relictum mundum mille donis, milleque beneficijs compleuit, iuxta illud Pauli ad Ephes. 4. [Vnicuique nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi, propter quod dicit, Psalmo 67. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus, &c.] Pharaonis ille pincernarum præpositus, vt legitur Gen 40. [succedentibus prosperis oblitus est interpretis sui, Ioseph.] Non ita Dominus: Reliquit mundum, sed non est oblitus mundi. Paulò postquam in cælum ascendit, Spiritum paracletum misit, qui splendore suo, & illuminaret mundum, & accenderet, donisque mirabilibus locupletaret.

Psal. 109.

Thronus Christi à dextris Patris.

Ephes. 4.

Reliquit autem Dominus mundũ, & mansit in mundo. Reliquit secundum humanam naturam; mansit secundum diuinam. Augustinus tract. 102. Reliquit (inquit) mundũ Christus corporali discessione, perrexit ad Patrem hominis ascensione, nec mundum deseruit, præsentiæ gubernatione, &c. Ita est Deus in terra sicut est in cælo, si ipsam tantum diuinitatis existentiam spectemus. Præcellit cælum, quia in eo hominibus seipsum ostendit manifestè, in terra ostendit occultè. In cælo est, in terra quoque est. In cælo apertè cernitur per lumen gloriæ, in terra obscurè cernitur, per lumen fidei. Videmus in terra per speculum, & in ænigmate; qui in cælo sunt, vident facie ad faciem. Illi beati iam sunt re in cælo; iusti verò viri, beati sunt spe in terra. Imitemur beatos qui sunt in cælo, siquidem eundem Deum habemus in terra. Illi Deum secum existentem semper contemplantur apertè per lumen gloriæ; nos eundem Deum nobiscum quoque existẽtem, semper contemplemur, licèt obscurè, per lumen fidei. Hæc sit nobis

Reliquit Christus mundũ, & mansit in mundo.

Calũ terris præcellit.

Per lumen fidei semper in terra contemplemur Dei præsentiam.

A perpetua consideratio; [Adest Deus; in hoc loco est in quo sum,] propinquissimus mihi est, in me ipso est, me ipsum, cor meum, cogitationes meas omnes, verba cernit, & opera; nihil illum latet, oculos suos semper in me defixos habet. Habebo ego quoque oculos meos defixos in eo semper; illum quoque per lumen fidei semper videbo. Ex visione autem per lumen gloriæ emanat dilectio Dei maxima, B summaque delectatio; Ex visione etiam per lumẽ fidei emanabit in nos similem in modum magnus Dei amor magnaq; in eo delectatio, ita vt cum Psalmographo, verè canere possimus; [Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.

Dixi Christum reliquisse mundum secundum humanam naturam, & mansisse in mundo secundum diuinã. Addo etiam secundum humanam naturam in mundo mansisse, in augustissimo Eucharistiæ sacramento, vt in C eo adoretur, & colatur ab hominibus, illisque opes suas immensas impertiat Rex opulentissimus. Obijcies: secundum diuinam naturam mansit in mundo, mansit etiam secundum humanam: ergo mundum non reliquit. cur ergo ait: [Relinquo mundum, &c.] Similis est obiectio hæc obiectionibus hæreticorũ; D quæ cum dissolui possint facillimè, sic illos irretiunt, vt diaboli præda miserandum in modum fiant. Respondemus obiectioni, Christum mansisse in mundo secundum diuinam naturam, mansisse quoque secundum humanam in augustissimo Eucharistiæ sacramento sacramentaliter, & inaspectabiliter: reliquisse verò mundum secundum naturam humanam E aspectabiliter, & eo modo, quo inter homines versabatur ante ascensionem.

Christus manet in Eucharistia secundum vtramque naturam.

Obiectio.

Responsio.

In terris mãsit Christus secundum corpus sacramentaliter.

Hoc est perfectorum virorum, in mundo manere, & mundũ relinquere, & ad Patrem ire. Manent in mundo corpore, relinquunt mundum corde: in mundo sunt, sed non sunt de mundo, iuxta illud Ioannis 15. [Quia de mundo non estis, propterea odit

odit vos mundus. Conuersatio nostra] (ait Paulus) [in cælis est, &c.] Non ne Paulus in mūdo versabatur? Cur in cælo se versari ait? Videlicet, quia corpore versabatur in mundo, corde in cælo. 2. Cor. 5. [Dum sumus] (inquit) [in corpore peregrinantur a Domino, &c.] Peregrinus corpore quidem est in via, desiderio est in patria; sic vir perfectus, corpore est in hac in cælum via, desiderio est in cælesti patria. Sedet quidem super flumina Babylonis, sed flet, dū recordatur suasionis, Psalm. 136. Suspendit mundi organa, lætitiæ suæ principium cælestē ponit Ierusalem. Quòd si mundus ad inania eum gaudia inuitet, illud respondet Psalmi eiusdem: [Quomodo cantabimus canticū Domini in terra aliena, &c.] Aliena enim illi terra est, alienus mūdus, patria cælum [Relinquo mundum] (ait) [vado ad Patrem,] relinquo vana, vado ad vera, relinquo inania, vado ad solida, quātò a mundo magis recedo, tantò ad Patrem magis accedo. Vt enim ait Gregor. homilia 13. in Ezech. Quanto mens circa terrena plus satagit, tanto in ijs, quæ sunt cælestia, minus videt; pro eo quod curis suis extra se ducitur, & valde intus minor est, &c. Est in mundo magnus curarum, & cupiditatum strepitus; sunt diuitiæ honores, & amaræ voluptates. Diuitiæ, honores, voluptates, mentis oculos a cælo auertunt; strepitus curarum ac cupiditatum, aures diuinis inspirationibus claudit. Itaque mundus hominem cælo, & cæcum facit, & surdum, vt scribit Seneca lib. 4. Nat. q. In Ægypto nemo aratorum aspicit cælum, &c. Cur ita? quia terrenis Nili aquis irrigatur Ægyptus, cæli aquas non curant aratores. Eundem in modum mundi aratores, quorum messis in mundo est, cælum non aspiciunt, cælestes pluuias non curant. Cur? quia terrenas aquas, quibus mundus irrigatur, id est, caduca bona concupiscunt. De eodem fluuio, idem Seneca eodem loco: Nimis (inquit) in vastam altitudinem cadit, cum inuenti circumiacentium regionum strepitu, quem perferre gens ibi a Persis collocata non potuit, obtusis assiduo fragore auribus, & ob hoc sedibus ad quietiora translatis, &c. Quemadmodum Nili strepitus, aures corporis; sic mundi strepitus, aures obtundit mentis, ne Deum audiant. Non potuit gens a Persis iuxta Nilum collocata, illius ferre strepitum, quas habebat inquietas sedes reliquit, alias quæsiuit quietiores, sic nos mundi inquieti tumultum, fragoremque insanum relinquamus, quietas cæli sedes quæramus. Relinquamus mundum, eamus ad Patrem, relinquamus mundi viscum, vt puris alis ad Patrem volemus; relinquamus mundi impedimenta, ne non ad Patrem eamus, sed ad æterna tormenta. Augustinum audiamus sermone 115. de diuersis: Noli (ait) amare impedimentū, si non vis inuenire tormentum. Quod amas in terras impedimentum est, viscum est pennarum spiritualium, id est, virtutum, quibus volatur ad Deum, &c. Quis non relinquat pauca bona pro multis, fallacia pro veris, inania pro solidis, parua pro magnis, finita pro infinitis, momentanea pro æternis? Quis non relinquat mundum pro Patre? mundum pauperrimum pro Patre opulentissimo, mundum paulo post periturum, pro Patre sempiterno, mundum infimum pro Patre celsissimo, mundum amarissimum, pro Patre dulcissimo, mundum inimicissimum, pro Patre amicissimo, mundum trahentem in Tartara, pro Patre euehente in æthera. quis non relinquat creaturas pro Deo creatore? O illum amentissimum, atque infelicissimum, qui Patrem relinquit pro mundo? O illum sapientissimum, ac felicissimum, qui mundum relinquit pro Patre? Qui Patrem pro mundo reliquerit, pro Patre seuerissimum iudicem reperiet: Qui mūdum reliquerit pro Patre, pro seuerissimo iudice misericordem Patrem inueniet. Tertullianus ad Martyres; Negotiatio (inquit) est aliquid amittere, vt maiora lucreris,

Perfecti, in mundo manēt, & mundum relinquunt. 2. Cor. 5.

Psal. 136.

D. Gregor.

Bona caduca hominū aures Deo claudunt. Seneca.

Nili strepitus aures obtundit.

Bona caduca impedimenta sunt & viscum. D. August.

Mundus relinquendus pro æterno Patre.

Tertullian.

ris, &c. O illum felicissimum nego- A tiatorem, qui mundum amittit, & relinquit, vt multo maiora, id est, Patrem lucretur; qui omnia caduca bona cum Paulo arbitratur vt stercora, vt Christũ lucrifaciat. O mortalium auaritiam, te appello, huc ades, negotiationem habes quęstuosissimam, ac facilem, amitte parua pro magnis; si mundũ, id est, parua reliqueris, habebis magna, habebis maxima, habebis infinita, habebis Patrem. Quid Pa B tre maius? Etsi infinita sis auaritia, non mundus sed Pater te explere poterit. Ille diuitias habet, quibus insatiabilem tuam esuriem potest extinguere; Satiabor, ait quidam, sancta auaritia, ęstuans, cum apparuerit gloria tua.

Negotiatio cum Deo maximi lucri est.

Petite, & accipietis.

QVis vnquam Rex simile populo suo proposuit edictum; [Petite, & accipietis?] Solius liberalissimi, atque opulentissimi Regis Christi, cuius opes infinitæ sunt, edictum hoc est; quo in primis liberalitatem suam demõstrat, deinde nostram indicat inopiam, eamque vult nobis esse notam. Si liberalis non esset, non diceret, [Petite, & accipietis.] Si nos egeni non essemus, frustra petere iuberet. Hanc verò inopiam cognoscere nos vult, vt ad petendum compellat. Apocal. 3. [Dicis quia diues sum, & locupletatus, & nullius egeo. Et nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, &c.] Inops erat, Episcopus ille Laodiceæ, id tamen ignorabat, seque locupletem esse arbitrabatur, ideò minimè petebat. Suadet illi Dominus emere aurum ignitum, atque probatum, id est, charitatem qua maximè indigebat, emere inquam, precibus, meritis Christi, lacrymis, pœnitentia. Hunc Episcopũ ne imitemur; sciamus quod miseri sumus, & miserabiles, & pauperes, & cæci, & nudi: egestatem cognoscamus nostram; si illa nobis fuerit perspecta, frequentes ad Deũ fundemus preces. [Sicut pullus hirundinis, sic clamabo;] ait Rex Ezechias Isai. 38. Clamabat, & petebat, quia egestatem suam perspectam habebat. Psalm. 122. [Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manib° dominæ suæ; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri, &c.] Cognoscunt serui, & ancillæ egestatem suam, ideo ad dominorum respiciunt manus, & illa quibus indigent, postulant. Psalm. 30 [In manibus tuis sortes meæ, &c.] In manibus Dei sunt hominum omnes sortes, paupertas, diuitiæ, fames, saturitas, salus, morbus, honor, ignobilitas, vita, mors, gratia, charitas, cæteraque dona spiritualia. Semper ergo C ad has respiciamus manus, felicesq; petamus sortes, si felices habere cupimus.

Apoc. 3.

Inopes sumus, petere opus est.

Isai. 38.

Psal. 122.

Psal. 30.

Sortes hominum in manibus Dei sunt.

Quemadmodum ex sole splendor in terras emanat: sic ex Deo dona omnia in homines fluunt; sicut Diuus Iacobus affirmat cap. 1 [Omne] (inquit) [datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, &c.] Vt solis splendorem domo recipiamus, fenestram aperimus, vt dona Dei animo D capiamus, aperiamus os, & cor, Deũque precemur. [Dilata os tuum (ait Dominus Psal. 80.) [& implebo illud, &c.] id est, dilata os ad petendum; postula ore dilatato, implebo illud rebus petitis. ad Ephes. 4. [Potens est omnia facere superabundanter quàm petimus, aut intelligimus, &c. Sine me] (ait Dominus Ioann. E 15.) [nihil potestis facere, &c.] maximoperè ergo auxilio indigemus diuino, vt aliquid boni facere possimus ad salutem animæ spectans. Hoc verò auxilium oratione trahitur, iuxta illud Psalmi 118. [Os meum aperui, & attraxi spiritum, &c.] Quemadmodum os aperiendo spiritum siue halitum trahimus, sine quo viuere non possumus: ita os ad orandũ aperiendo,

Ex Deo omnia bona emanant.

Iacob. 1.

Psalm. 80.

Ephes. 4.

Ioan. 15.

Psal. 118.

Digitized by Google

scimus. Sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, &c. Spiritus sanctus opem nobis fert tum alijs in rebus, tum in oratione. Nos enim quid petamus sicut petere oportet, nescimus. Ipse autem spiritus in nobis manēs postulat pro nobis, hoc est, petere nos docet pro nobis, & per nos postulat pro nobis, nosque postulare facit, ea quæ nobis opus sunt, magnis gemitibus ex imo corde, & summo cælestis gloriæ desiderio editis. [Nescimus] (ait Apostolus) [quid oremus sicut oportet;] hoc est, nescimus quid petamus sicut oportet, ignoramus, quid nos oporteat à Deo petere, cæleste illud, & plenum gaudium ignoramus, quàm inenarrabili gemitu sit petendum nescimus, ignoramus quid nobis ex rebus temporalibus sit vtile, quid perniciosum. Sæpe vtilis est morbus, paupertas, abiectio, quam nos cupimus effugere; perniciosa erit, vel minus vtilis sanitas, opulentia, honor. Petebant discipuli duo Matthæi 20. honoris sedes; sed respondit illis Dominus; [Nescitis quid petatis.] Petebat Petrus in monte Tabor vt maneret Christus, sed nesciēs quid diceret. Petebat Paulus auferri stimulum, quo cruciabatur; sed audiuit: [Sufficit tibi gratia mea.] Sic multa petere nos possumus nescientes quid petamus. Augustinus in eo libro in quo sententias interpretatur epistolæ ad Romanos scriptæ: Nescimus (inquit) quid oremus, tum quia quod futurum speramus, & quo tendimus, nec dum nobis apparet, tum maximè quia in præsenti vita possunt multa nobis videri prospera, quæ sunt aduersa, & aduersa quæ sunt nobis prospera. Ergo quid oremus sicut oportet nescimus. Deus autem nouit, & quid nobis in hac vita expediat, & quid post hanc vitam daturus sit nobis, &c. Item: si quid contra quod oramus acciderit, patienter ferendo, & in omnibus gratias agendo, hoc potius oportuisse fieri quod Deus, non quod nostra voluntas voluit, minimè dubitare debemus, &c. ad Eph. 4. [Potens] (inquit) [est omnia facere superabundanter, quàm petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quæ operatur in nobis, &c.] Obserua spiritum in orante excitare gemitus inenarrabiles. Postulat, inquit, pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id est, inexplicabilibus, magnis gemitibus, & desiderijs, quæ explicari non possunt, quia magna sunt, & in terra, oculisque abscondita. Augustinus: Gemere, inquit, spiritum dicit Apostolus, eo quod nos gemere faciat, charitate suscitans, & incendens desiderium futuræ vitæ, &c.

Sp.S. adiuuat orātes. *Nesciūt homines quō petendū sit.* *Nescimus quid a Deo sit petendū.* *Matth. 20.* *D. August.* *Ephes. 4.* *Sp.S. in orātibus gemitus excitat inenarrabiles.* *D. Aug.*

Diuus Leo sermone vndecimo Pētecostes; Ab spiritu, inquit, sancto est inuocatio Patris, ab ipso sunt lacrymæ pœnitentium, ab ipso sunt gemitibus supplicantium, &c. Spiritum sanctum columba indicat: columbæ est gemitus, spiritus autem docet in oratione gemitu gemere columbino. Nam quæ à Deo impetrare optamus, gemitibus cordis magis, quàm verbis petenda sunt, vt Augustinus docet epistola 121. capitulo decimo. Multum, inquit, precari est, ad eum quem precamur, diuturna, & pia cordis exercitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium orationis, plus gemitibus, quàm sermonibus agitur, plus fletu, quàm affatu, &c. [Dirigatur oratio mea] (ait Vates Psalmo 140.) [sicut incensum in conspectu tuo, &cet.] Vt thus ascendat, odoremque exhalet, ardentibus imponitur prunis: sic vt ascendat oratio, odoremque suauem in cælum emittat, ardentibus cordis desiderijs, ac gemitibus, imponenda est.

D. Leo. *Gemitibus magnis orādus Dominus.* *D. Aug.* *Psal. 140.*

Omnium Christianorum est orare, sed maximè sacerdotum, ac religiosorum, his præcipuè conuenit orationis thus ardentibus desiderijs semper Deo offerre, populumque suis tueri precibus. Cant. 7. [Quid videbis] (inquit) [in Sulamite, nisi choros castrorum, &c.] Equidem chori castrorum sunt Ecclesiæ cantus,

Sacerdotū maximè est orare, & religiosorum. *Cant. 7.*

tus, ac preces, quas toto orbe terrarum in templis die, noctuque, per ministros suos fundit ad Deum. Castra Ecclesiæ sunt templa, in quibus milites die, noctuque aduersus Tartareos hostes precibus dimicant. Vide Theodoretum. item Cant. 4. [Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, &c.] Collo funduntur cantus Ecclesiæ, & preces; quamobrem merito illius collum appellari potest, [Turris fortissima,] quæ Christianum populum oratione defendit. Isaiæ 62. [Super muros] (inquit) [tuos constitui custodes, non tacebunt die ac nocte, &c.] Sanè super muros Ecclesiæ constituit Deus custodes Pontifices, sacerdotes, & religiosos; non tacent die, ac noctu, sine intermissione toto orbe errant, populumq; tuentur orantes.

Chori Ecclesiæ sunt chori castrorum.
Cant. 4.
Collum Ecclesiæ turris.
Isai. 62.
Custodes Ecclesiæ Pontifices & sacerdotes orationibus illā tuentur.

Dent operam psallentes, & orantes, vt non solum psallant, & orent, sed etiam psallant, & orent sapienter. iuxta illud Psalmi 46. [Psallite Deo nostro, psallite, psallite regi nostro, psallite. Quoniam rex omnis terræ Deus; psallite sapiēter, &c.] Coram rege nemo audet insipienter canere, magna cum reuerentia, & præparatione sapienter canere conantur cantores omnes. [Rex] (inquit) [est omnis terræ Deus;] ideo coram illo psallite non insipienter, sed pro viribus sapienter. Sapientiæ autem quam oratio postulat, attentio cordis est, reuerentia, deuotio. 2. Reg. 7. ait Dauid: [Inuenit seruus tuus cor suum vt oraret te oratione hac, &c.] Inuenit Dauid, vt oraret cor suum; inueniant quoque orantes cor suum, vt bene orent. Vagatur cor curis inanibus distractū a Deo; cum orare volumus distractū, & veluti perditum inueniamus; inuentum componamus, reddamusque attentum, deuotum, diuinæque maiestatis reuerentissimum. Augustinus de verbis Domini sermone 5. Mendici, inquit, Dei sumus, &c. Expendamus quæso quanta cum reuerentia, attentione, & vt ita dicam deuotione, mendici hominum, regem, principemque virum implorāt, eleemosynamque petunt: mendici Dei, à mendicis hominum discamus, humiliter, attentè, & deuotè a Deo mendicare. Illi pauca ab hominibus accipiunt, nos magna accipimus a Deo. Discamus prætereà a mendicis mundi mendicare. Sunt multi mundi mendici, qui Lazaro illi mendico non virtute, sed mendicitate similes, Luc. 16. ante ianuam mundi iacent, vlceribus pleni peccatorum, & magno labore eius micas quærunt: nihil illi laboris subterfugiūt, vt micas mundi consequātur. Nos vt Dei æternam opulentiam consequamur, laborem effugiemus.

Psal. 46.
Orare oportet & psallere sapienter.
2. Reg. 7.
D. August.
Imitandi mendici in petendo.

CAPVT XV.

Morale.

Si quid petieritis Patrem, &c.

In nomine meo.

NOuum petendi modum tradit nobis Dominus; nimirum vt in nomine eius, & per merita eius petamus. Ignotus fuit modus hic petendi Israelitis: non enim in nomine Messiæ petebant. Populo nouo nouus petendi modus traditus est à Christo, qui omnia quæcumque petere possumus; suo nobis sanguine meritus est. Iacob vt benedictionem a Patre impetraret, alienam induit personam,

Nouus petendi modus, nouo traditur populo.

fonã, alienasque vestes, videlicet fratris sui primogeniti, Gen. 27. Similem in modum vt benedictionem donumve aliquod a Patre ęterno consequamur, necesse est nos Christi fratris nostri primogeniti personam induere, & vestes; hoc est per merita illius petere. Non accedit sacerdos ad aram, a Deo postulaturus benedictionem, proprijs solum amictus indumentis, sed vestes assumit, quæ Christum adumbrant, vt ostendat benedictionem Christi donari meritis, iuxta illud Gen. 22. [Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, &c. Et Ps. 20. [Dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi, &c.] id est, vt in eo benedicantur gentes. Ex Hebræo: pones eũ benedictiones in perpetuum, &c. Isaiæ 12. [Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris, &c.] Fons est Christus omnium aquarum, id est, omnium donorũ, & benedictionum Dei, ex hoc fonte petendo hauriuntur aquæ in gaudio; iuxta illud, [Petite & accipietis vt gaudium vestrum sit plenum, &c.] Olim in templo Ierosolymitano iussit Deus vmbram poni, id est, propitiatorium aureũ, Exo. 26. [Pones] (inquit) [& propitiatorium super Arcam, &c.] In Ecclesia autem verum posuit propitiatorium, id est, Christum, propter quem nobis propitius omnia dona elargitur. Vnde Ioan. epist. 1. c. 2. [Ipse] (inquit) [est propitiatio pro peccatis nostris, &c.] & Paulus ad Rom. 3. [Quem,] id est, Christum, [posuit Deus propitiationem;] Græcè ἱλαστήριον, id est, [propitiatorem,] vel [propitiatorium.] Vt supra explicauimus cap. 12. Christus interpellat pro nobis, teste Paulo ad Rom. 8. & ad Hebr. 9. [Introiuit] (inquit) [in cælum vt appareat vultui Dei pro nobis, &c.] & 1. Ioan. 2. [Aduocatum habemus apud Patrem, &c.] Aduocatus hic vt diximus pro nobis interpellat, & apparet vultui Dei, merita passionis suæ pro nobis offerendo. Nos quoq; cum vultui Dei apparemus orando, eius nomen & merita Patri offeramus, & per eius nomen meritaque petamus.

Gen. 27. — *Per Christũ benedictio datur nobis* — *Gen. 22.* — *Psal. 20.* — *Isai. 12.* — *In Ecclesia Christus est propitiatorium.* — *Hebr. 9.* — *1. Ioan. 2.*

Vt in me pacem habeatis.

PAcem vult Deus vt habeamus in illo, illi adhærẽtes, iustitiam colentes, illius mandata seruantes. Nam pacem habere in mundo possunt aliquam qui præceptis non obsequuntur; at in Christo pacem non habent. Psalm. 84. [Iustitia & pax osculatæ sunt, &c.] In quem locum August. sic scribit: fac iustitiam, & habebis pacem: vt osculentur se iustitia, & pax. Si enim non amaueris iustitiam, pacem non habebis; amant enim se duo ista, iustitia & pax; osculantur se, vt qui fecerit iustitiam inueniat pacem osculantem iustitiam, &c. Simile illud est Pauli ad Rom. 8 [Prudentia] (inquit) [carnis mors est, prudentia autem spiritus vita & pax, &c.] Prudentia siue sapiẽtia carnis, iustitiæ est contraria, paritéque mortem; prudentia autem Spiritus, siue sapientia, iustitiam & virtutem sectatur, vitamq; affert & pacem. Caro sapit mala, & ad peccatum impellit, milleque bella in nobis concitat aduersus Spiritum. Spiritus verò sapit bona, & ad virtutem ducit, bella sedat, pacem efficit. Psal. 118. [Pax multa diligentibus legem tuam, &c.] Dicuntur autem diligere legem qui eam seruant. Isai. 32. [Opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium & securitas, vsque in sempiternum, &c.] hoc est, iustitia, & diuina legis obseruatio operabitur pacẽ, & qui iustitiam colunt, ipsi quiete, & securitate perfruẽtur. Sequitur apud Isaiam; [Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulẽta, &c.] O felices illos qui in Christo pacem habent, & cum Christo sedent hi in pulchritudine pacis, & in tabernaculis habitant fiduciæ, & in requie opulenta. Ad Rom. 5. ait Paulus; [Iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum, &c.] Nam qui iustificati sunt, quique iustificationem ipsam mandata seruando seruant, si pacem ad Deum habent, & pacem etiã habent in se,

De pace. — *Psal. 84.* — *D. August.* — *Pax cũ iustitia copulatur.* — *Rom. 8.* — *Psal. 118.* — *Isai. 32.* — *Rom. 5.*

Digitized by Google

in se, videlicet conscientiæ tranquillitatem. Molestum valde est homini in se ipso non habere pacem, & conscientiæ aculeis stimulari, belloque exagitari. Aculeis enim illa animum pungit, bellum sceleratis infert, neq; pacis fœdus percutit, quousque scelera omnia pellant animo. Sed vtilissimi sunt conscientiæ aculei, qui cor stimulant, & peccata fugant: vtilissimum bellum est, quod hostes truculentissimos, id est, scelera, dat neci, pacemq; cũ Deo efficit. Apis est conscientia pungens. quemadmodum apis & pungit, & mel efficit: sic conscientia & stimulat, & stimulis ad pęnitentiam adducendo, Christi gratiæ melle animum complet. Ex spinis oritur rosa rubens; ex conscientiæ aculeis oritur pœnitentia erubescens.

Stimuli conscientiæ vtiles.

In mundo pressuram habebitis.

PAcem habet in Christo iustus. In mundo pressurã habebit, sed commodissimam. Quemadmodum enim ex olearum pressura oleum, ex botrorum pressura vinũ effluit; sic ex pressura iusti gloria emanat sempiterna. D. Augustinus nunc in torculari ait esse Ecclesiam, quia pressuram habet. Psalm. 55. Tenetur (inquit) in torculari Ecclesia Christi, id est, in pressuris. Sed in torculari fructuosa pressura est. Mittitur vua in torculari, calcatur, premitur, iniuria videtur fieri vuæ, sed ista iniuria sterilis non est, imò si nulla iniuria accederet, sterilis remaneret. Itẽ: cum cœperis in Christo piè viuere ingressus es torculari, præpara te ad pressuras, sed noli esse aridus, ne depressum nihil exeat; sic ille. Sub malleo est aurum premiturque tunsionibus, vt vas fabricetur magni pretij, sic veluti sub malleo sunt iusti, premunturque laboribus vt fiant vasa magnæ gloriæ. Hyems iustorum vita hæc est, sed hyemem sequetur ver amœnissimum. Theophylactus in commentarijs Matth. 24. Peccatores (inquit) præsens sæculum pro æstate habent, futurum autem pro hyeme, &c. Contra verò iusti, sæculum hoc habent pro hyeme, futurũ pro æstate, & vere. In hyeme pluuiæ sunt & tempestates, in vita iusti labores & afflictiones. D. Gregor. Iob 30. ad illa verba: [Possidẽt me dies afflictionis:] Modò (inquit) dies afflictionis possident iustos, quia dies lætitiæ post sequentur, &c. Non ergo mirandum quod labores subeant in hac vita. Pluuiæ sunt hyemis, iustorum labores: nemo autem miratur quod hyeme pluat: tunsiones sunt malleorum, quibus vasa gloriæ fabricantur: nemo miratur si tunditur vas sub artificis manu. August. Psalm 36. Noli mirari, quia in laboribus pararis. Ad magnum aliquid pararis, &c. Ad magnum aliquid parabat Deus Apostolos, idcirco ait illis: [In mundo pressuram habebitis. Potuit illos Dominus per amœna prata ducere in cælum, sed per dumeta duxit; non flores, sed spinas & tribulos germinauit illis mundus. Per amœna prata tendunt impij, Sap. 2. [Coronemus] (inquiunt) [nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra, &c.] videlicet, sic per amœna prata feruntur boues, paulò post ducendi in macellum. At per aspera dumeta, sed consolationis melle rorantia, iusti ducuntur in cælum. [Sicut misit me Pater & ego mitto vos;] ait Christus discipulis Ioan. 20. Pater misit Christum in mundum, non vt delicias in mundo haberet, sed pressuram; sic Christus misit discipulos. Gregor. homil. 20. in Euangel Apostolos (inquit) non ad mundi gaudia, sed sicut ipse missus est ad passiones in mundum, mittit, &c. Per pressuram Crucis in æternam gloriæ latitudinẽ Christus intrauit: [Oportuit enim Christum pati, & ita intrare in gloriam suam;] Lucæ 24. per pressuram quoque Apostoli in gloriam magistri intrauerunt. Amoris est hæc pressura, quia nos amat Deus premi

Pressura iustorum vtilissima. *D. August.* *Simile.* *Theophyl.* *D. Gregor.* *D. August.* *Sap. 2.* *Simile.* *Impij ducunt in bonis dies suos, sed sequitur mors & infern⁹.* *D. Gregor.*

Digiti

premi vult, vt quò grauior fuerit pressura, eo maior sit gloria. Gregor. loco citato: Filius, inquit, amatur à Patre, & tamen ad passionem mittitur; ita & discipuli à Domino amantur, qui tamen ad passionem mittuntur in mundum, &c. In mundo quidem pressuram habuerunt, in cælo propter pressuram gloriam habēt sempiternam.

Filius amatur a Patre & tamē ad dolores mittitur, ita & fideles à Christo dilecti sic ducuntur.

Confidite.

IN pressura necessaria est maximè confidentia in Dei auxilio; [Confidite] (inquit Dominus) inter pressuras quasi leones, iuxta illud Prouerb. 28. [Iustus quasi leo confidens absque terrore erit, &c.] Qui laboribus & persecutionibus oppressus in Deo confidit, is instar est leonis. Prætereà instar est arboris, quæ aquis irrigata minimè arescit: irrigatur enim animus confidentia, & auxilium à Deo postulans assequitur, ne persecutionum æstu arescat. [Benedictus vir,] (ait Ieremias 17.) [qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius, & erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorē mittit radices suas, & non timebit cū venerit æstus, &c.] Crescit arbor irrigata aquis, sic crescit animus irrigatus confidentia, fitque inter ipsas persecutiones fortior, & instar palmæ, fortius erumpit, cum magis vrget onus. Diuus Bernard. ad Eugenium Summum Pontificem, epistol. 356. Legi, inquit, apud quendam Sapientem; Non est vir fortis cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate. Ego autem dico, fideli homini magis, & inter flagella fidendum. Sic Bernard. Ad Roman. quarto, ait Paulus de Abrahamo loquens: [In spem, contra spem credidit, vt fieret pater multarum gentium, &c.] Abraham id futurum quod Deus promittebat credidit, in spem, contra spem. Sic oportet nos confidere Deo in laboribus, Deique auxilium sperare

In pressura necessaria est confidentia.

Prou. 28.

Ierem. 17.

Simile.

D. Bernar.

Inter flagella magis fidendum.

ad Rom. 4.

A etiam contra spem, cum nullum videtur effugium relinqui. In maximas angustias redacta erat Susanna, nullum patebat effugium mortis, fiduciæ tamen iacturam non fecit. Daniel. decimotertio. [Flens suspexit ad cælum, erat enim cor eius fiduciam habens in Domino, &c.] Succurrit Dominus confidenti; eamque mirabiliter morti eripuit. Tob. 6. [Tobias clamauit voce magna dicens; Domine, inuadit me:] B inuadebat Tobiam magnus piscis. At Angelus ad confidentiam illum hortatur: [Apprehende (inquit) branchium eius, & trahe eum ad te. Quod cum fecisset attraxit eum in siccum, &c.] si te tartareus cetus inuadat, confide, apprehende branchium eius, ne despondeas animum. Si te inuadit, Deo confidens inuade illum. Vide sponsæ sanctæ confidentiam Cant. 8. [Ego] (inquit) [murus & vbera mea sicut turris, ex quo C facta sum coram eo quasi pacem reperiens, &c.] Felix anima quæ pacem coram Deo reperit, illique inhæret: murus fit & turris aduersus stygeos hostes fortissima. Psalm. 45. [Deus noster refugium & virtus, id est, robur, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis. Proptereà non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur monD tes in cor maris, &c.] Qui inter hostes versantur, in loca se recipiunt tuta: versamur inter hostes, tuta quæramus habitacula. Is autem tutum habet locum tutamque domum, qui per fiduciam in adiutorio altissimi habitat, iuxta illud Psalmi 90. [Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabiE tur, &c.] O tutissimum in domum Dei adiutorium. In hac domo is habitat, qui in pressura, Dei confidit auxilio. Iudith Deum alloquens capitulo sexto. [Ostende,] inquit, quòd non derelinquis præsumentes de te, & præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humilias, &c.] Non derelinquit Dominus præsumentes de se, hoc est, confidentes in

Dan. 13.

Psal. 45.

Dei auxilii domus tutissima.

Psal. 90.

Iudith 6.

 Deo;

Deo; præsumentes autem de sua virtute, hoc est, de sua fortitudine, humiliat. Humiliat etiam eos, qui in fortitudine aliena hominis alicuius, à Deo recedentes, spem suam collocant: hinc illud Ieremiæ 17. [Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myricæ in deserto, & non videbit cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis, & inhabitabili, &c.] Ille ponit carnem brachium suum, qui recedens a Deo, in homine ex carne constante fortitudinem suam collocat, & fiduciam: nam brachium potentiam, & fortitudinem significat. similis is est myricæ steri li, & in deserto nascenti. Est quoque similis homini, qui fragili innititur baculo, & arundineo; frangitur baculus manumque vulnerat innitentis. Vnde Rabsaces 4. Reg. 18. [An speras] (inquit) in baculo arundineo, atque confracto Ægypto, super quem si incubuerit homo, & comminutus ingredietur manum eius, & perforabit eam; sic est Pharao Rex Ægypti omnibus qui confidunt in se, &c.] Item Ezechielis 29. de Rege Ægypti loquens Dominus ait; [Pro eo quòd fuisti baculus arundineus domus Israel. Quando apprehenderunt te manu, & confractus es, & lacerasti omnem humerum eorum, & innitentibus eis super te comminutus es, & dissoluisti omnes renes eorum, &c.] Confidite, ait Dominus, non in baculo hominum arundineo, sed in me.

Ierem. 17. Confidēs in carne & recedēs a Deo maledictus.

Auxilium mundi baculus arundineus.

4. Reg. 18.

Ezech. 29.

Ego vici mundum.

IN me, inquit, confidite, quia ego mundum vici: victum a me mundum vobis relinquo vincendum. Sed quonam modo vicit Christus mundum? Nullas videmus militum legiones, nullos duces, nulla bellica tormenta, nullas pecunias, quæ sunt bellorum nerui, nulla prælia, nulla flumina hostium sanguine fluentia, nullos agros cadaueribus constratos. Non videmus vexilla volitãtia, non sonantes bellicum tubas, non militum clamorem, non castra. Christum videmus pauperem bellorum neruis, id est, opibus carentem, paucis hominibus summa inopia præditis comitatum; videmus eumdem ab hostibus comprehensum, cæsum, crucique inter latrones suffixum. Quæ nam demum victoria hæc est? Respondemus fuisse hanc dignam Messia Deo victoriam. Non decebat Christum Deum bella gerere, prælijsque orbem sub suum imperiũ redigere; nutu capitis hanc victoriam poterat comparare. Cũ hominibus præliatus est, sed pro hominibus, cum Diabolo & Angelis eius; non aduersus carnem & sanguinem, id est, aduersus homines, (vt cum Apostolo loquar) dimicauit, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarũ harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus. Hæc digna erat Messia Deo victoria, mundi principem, tartareosque exercitus vincere, vincere peccatum, vincere mundi voluptates, vincere mundi tormenta, ipsamque vincere mortem, omnesque homines ex crudeli liberare captiuitate. Non decebat Messiam sanguinem hominum fundere præliando, sed decebat maximè sanguinem proprium pro hominibus fundere moriendo. Non decebat cadaueribus hominum campos complere, sed decebat, dæmonum exercitus superare. Non decebat homines occidere, sed ex grauissimo diaboli iugo crucem perferẽdo eripere.

De victoria Christi.

Non decuit Christũ armatum venire.

Christi victoria, ipsi soli propria est.

eripere. Reliquæ victoriæ hominum sunt, Cyri, Nabuchodonosoris, Cæsaris, Pompei, Alexandri, & similiũ; at hæc victoria solius Dei & hominis est: solus enim Deus, & homo, vt to. 1. diximus, hominem ex seruitute peccati, ac diaboli potuit liberare, & hanc victoriam Deo & homine dignissimam consequi. Hanc ille quia consecutus est, propterea merito dixit, [confidite, ego vici mundum.] Nondum cruci erat suffixus, cum hęc verba protulit, sed quod in manibus victoriam haberet, & de Tartareo hoste triumphum, ideo ait, [Vici mundum.] Potuit victoriam reportare incruentam, & illud vulgatum dicere, [Veni, vidi, vici.] Potuit vno solo amoris diuini actu, peccatum, omnesque dæmones vincere: sed cruentissimam voluit esse victoriam, vt amori quo homines complectebatur, exemplo, diuinæque iustitiæ responderet.

Necessaria militib. confidentia.

Iam Dominus dux noster, mundũ vicit: victum nobis reliquit vincendum. [Confidite (inquit) ego vici mundum;] quemadmodum ego vici, sic vos vincite. Necessaria est militibus confidentia, animus necessarius; si cadat miles, animo vincetur, non vincet. Necessaria ergo est ad superandum mundum in Dei auxilio confidentia; non enim nostris viribus hæc victoria reportatur, sed à Deo suppeditatis. Miles qui in Dei confidit auxilio illud vsurpat Isaiæ 12. [Ecce Deus Saluator meus, fiducialiter agam & non timebo.] Item illud Psal 26. [Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum, si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo, &cæt. Leo est huiusmodi miles iuxta illud Prouerb. 28.] Fugit impius nemine persequente: iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit, &c. Miles pusilli animi fugit nemine persequẽte: at cõfidens leoni similis est. Iam vero qui-

Isai. 12.
Psal. 26.
Prou. 28.

bus nam armis mundum vicit Christus? Cruce, veluti acutissima hasta mundum transfixit: domuit orbem non ferro, sed ligno. Vis vincere mundum, crucem porta velut hastam, hac illam transfixum superabis. Milites vocat Christus ad hanc victoriam consequendam, arma iubet capere, Matthæi 16. [Si quis vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, &cæt. Quasi dicat, si quis miles meus esse vult, mundumque me duce superare, crucis hastam accipiat, & sequatur me. Apud Lucam cap. 9. ait Dominus, [tollat crucem suam quotidie, &cæt] Semper enim hastam crucis tollere, ac portare debet miles, vt aduersus hostem mundum prælietur; nullas enim ille præbet inducias, sed quotidie certat. [Omne quod est in mundo] (ait Ioan. epist. 1. cap. 2.) concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, &cæt.] Si vis mundum vincere, has concupiscentias crucis hasta transfixas occide, & vicisti. Hinc illud Pauli ad Gal. 5. [Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum vitijs & concupiscentijs, &c.] De excellentissima hac victoria loquitur dilectus discipulus epist. 1. capit. 2. [Scribo (inquit) vobis adolescentes: quoniam vicistis malignũ, &c.] Item, [Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mũdo sunt, &c.] Item c. 5. [Omne (inquit) quod natum est ex Deo vincit mundũ: & hæc est victoria, quæ uincit mundũ, fides nostra. &c.] Fides, inquam, nostra viua, atq; operosa Hęc victoria pacẽ cum Deo parit. Qui cum mundo bellum gerit, eumque superat, pacem habet cum Christo: [In me, inquit, pacem habebitis, scilicet uicto mundo.

Tollenda crux instar hasta.
Quo vincitur mũdus. 1. Ioan. 2.
ad Gal. 5.
1. Ioan. 2.

Ad hæc, uicit Christus mundum suæque fidei subiecit admirabiliter per Apostolos homines inopes, humanaque sapientia carentes, sed diuina plenos. Confidite (ait) discipuli

ego per vos mundum vici, actum putatote, quod factum iam cerno. Confidite quamuis ignobiles sitis, indocti, imbecilles, pauperes, confidite, per vos mundum sub iugum meum leue mittam, grauissimumque diaboli iugum hominum ceruicibus depellam. Pressuram quidem habebitis in hoc bello, sed victoriam magno cum honore reportabitis. Apocal. 2. [Ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens vt vinceret, &c.] Eques hic corona decorus, Christum adumbrat Messiam, siue regem summum, equus albus Apostolorum vnumquemque, virtutum innocentiæque candore conspicuum. Apostolis namque velut equis vectus est per orbem Christus, arcuque diuini verbi, & sagittis pugnans, mundum vicit; iuxta illud Psalm. 44. [Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum Regis, &c.] Cecidere sub Christi potestate populi, acutis Euangelij sagittis feliciter vulnerati. [Exiuit,] inquit, vincens vt vinceret.] Vicerat in Iudæa in monte Caluario diabolum, peccatum, & mortem. Exiuit ex Iudæa vincens, vt vinceret gentes toto terrarum orbe, easque sub iugum suum suaue mitteret. Abacuc 3. [Qui ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio, &c.] Ascendit Christus super equos suos, quos habenis ducebat facilè quocumque volebat, id est, super Apostolos. Et hæ quadrigæ mundi fuere saluatio. Mundum enim vicerunt, æternamque illi salutem hac victoria pepererunt.

Mundum Christus vicit per Apostolos.

Apoc. 2.

Quid eques corona insignis et equo candido vectus significet in Apocalyp.

Psal. 44.

Abacuc 3.

CAPVT

CAPVT XVI.

De oratione Domini in cœnaculo.

IOANNES CAPITE XVII.

HAec locutus eſt Ieſus: & ſubleuatis oculis in cælum, dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te: Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, vt omne, quod dediſti ei, det eis vitam æternam. Hæc eſt autem vita æterna; vt cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ego te clarificaui ſuper terram: opus conſummaui, quod dediſti mihi vt faciam: & nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum, claritate, quam habui priùs, quàm mundus eſſet, apud te.

Subleuatis oculis in cælum, dixit.

HActenus Dominus melliſluo ore cum diſcipulis eſt collocutus; nunc ad Patrem ſe conuertens, morte iã pulſante fores, orat, ſibíque clarificationem, diſcipulis auxilium, & vnanimitatem poſtulat. Geſtum precantis indicat Ioannes, [Subleuatis] (inquit) [oculis in cælum dixit, &c.] Cernebat Chriſti anima Deum, neque opus illi erat corporis oculos ſubleuare in cælũ, ſed in primis exemplum nobis prębuit, vt Chryſoſtomo placet, Erudiamur, ait, attentionem A orationi adhibendam, vt ſtantes ſuſpiciamus non oculis carnis tantum, ſed mentis, &c. Auguſt. tract. 104. Poterat, inquit, orare ſilentio Dominus, ſed ita ſe Patri præbuit precatorem, vt meminerit noſtrum ſe eſſe doctorem. Proinde eam quam fecit orationem pro nobis, notam fecit & nobis, quoniam tanti magiſtri non ſolum ad ipſos ſermocinatio, ſed etiam pro ipſis ad Patrem oratio, diſcipulorum eſt ędificatio, &c. B Deinde hac oculorum ſubleuatione docuit Deum præcipuè eſſe in cælo, velut Regem in palatio. Præterea quamuis animæ oculos defixos in Deo haberet, tamen etiam corporis oculos in cælo placuit

Cur Chriſtus orarit oculis ſubleuatis.

D. Chryſoſt.

D. Auguſt.

cuit defigere veluti Dei throno: sic enim cælum appellat Matthæi quinto. [Non iurare (inquit) omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est, &c.] Attollendi sunt in oratione oculi, sed multò magis mens: est enim oratio eleuatio mentis in Deū. Eleuabat oculos tum animi tum corporis, qui dicebat Psalm. 123. [Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cælis. Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum; sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri, &c. Thren. tertio. [Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos, &c.

Eleuādi oculi mentis cū oramus.

Rupertus Ioann. decimoseptimo, arbitratur Christum hanc orationē in horto Gethsemani habuisse, cum sudauit sanguine; prætermisisse verò Ioannem partem illam, quam reliqui Euangelistæ commemorarunt: [Pater si possibile est, trāseat a me calix iste] Probat suam sententiam, illis verbis, quæ ante hanc orationē scripta sunt, cap. 14. [Surgite, eamus hinc; id est, surgite eamus in montem oliuarum, & hortum Gethsemani. In monte igitur oliuarum, & in horto habita est hæc oratio, simulque illa quæ apud cæteros Euangelistas extat: [Pater si possibile est transeat a me calix iste, &c.] Veruntamen nos supra diximus Christum in cœnaculo totū absoluisse sermonem, verbaque illa: Surgite eamus hinc, explanauimus. Orationem autem hanc non esse habitam in horto probatur, ex cap. Ioann. 18. vbi Ioannes sic scribit: [Hæc cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron vbi erat hortus, in quem introiuit, &c.] Post hanc orationem in hortū egressum ait Euangelista; ergo non habuit illam in horto. At Rupertus verba hæc aliter interpretatur hoc pacto: [Egressus est Iesus, non ex cœnaculo, sed ex horto Gethsemani, & reuersus est trans torrentem Cedron, approximans ciuitati, vt occurreret aduersarijs, quæ interpretatio qualis sit, suo loco, Deo iuuante dicemus. Præterea, Christus in horto procidit in faciem suam orans Matthæi 26. hic autem orat subleuatis in cælum oculis. Hæc tamen obiectio facilè poterat dilui a Ruperto, si diceret hanc orationem subleuatis dixisse oculis; postea procidisse in faciem, & adiunxisse illam. Pater si possibile est, &c.

Rupertus.
Ruperti opinatio est, hanc orationem habitā esse in horto.
In cœnaculo habita oratio.
Rupertus.

Venit hora, clarifica filium tuum.

Omnibus factis, Christus horas, siue tempus disposuerat, vt Augustinus docet tractatu 104. Hoc (inquit) quod ait: [Pater venit hora, clarifica filium tuum:] ostendit omne tempus, & quid quando faceret, vel fieri sineret, ab illo esset dispositum, qui tempori subditus non est, &c. Mensem Nisan, & illius diem 15. elegerat ad subeundam pro hominibus mortem; aderat iam ipsius decimæ quintæ diei nox: ideo ait, [Pater venit hora] Græcè in præterito, ἐλήλυθεν ἡ ὥρα, hoc est, [tempus mortis meæ iam venit. Clarifica filium tuū;] Græcè δόξασον, idest, glorifica filium tuum. De hac hora legitur Ioan. 13. [Sciens quia venit hora eius,] & cap. 12. Venit hora, vt clarificetur filius hominis, & cap. 8.] Nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora eius,] & 7. [Nemo misit in illū manus, quia nondum venerat hora eius.] Itē tempus meum nondum aduenit, &c.] Dubium est quam nam glorificationem, siue clarificationem sibi petat Christus, paulò post cruci suffigēdus inter latrones? Orig. hom. 6. in Exod. ad illa verba Cantici Mosis, Gloriosè magnificatus est; de glorificatione passionis verba Domini interpretatur his verbis: glorificatus est cum ad crucem venit, & pertulit mortem. Vis scire quia glorificatus est? ipse dicebat Io. 17 [Pater venit, &c.] Erat ergo ei gloria etiam ipsa passio crucis; verū hæc gloria non erat gloriosa, sed humilis. Sic Orig. & Proc. Is. xj. Christus (inquit)

Christus omnibus factis tēpus disposuit.
D. Aug.
Dubitatio.
Quanam sit hæc Christi glorificatio.
Origenes.
Procopius.

(inquit) cruce nostri causa tolerata glorificatus est: ad quam cum libés pergeret, à Patre se ipsum glorificari postulauit. lege cætera. Euthym. Ioan. 17. Glorifica (inquit) filium tuum afflictionibus, quas pro mūdo perpetiar. Nam mihi qui Dominus sum, gloria est pati pro seruis; vt hinc hominibus innotescat quo affectus sim hominum amore, vt accurrant gentes omnes, & me Deum esse cognoscant, &cæt. D. Hilarius initio libro 3. de Trinit. clarificatum ait Christum in passione illis miraculis, quæ tunc facta sunt. Nam Sol obscuratus est, terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta. Petit ergo Christus à Patre, vt in summa passionis ignominia filium suum clarificet miraculorum gloria.

Euthym. Christus in passione glorificatus.

D. Hilar.

Quamobrem Euthymius verba Christi ita interpretatur: glorifica me Pater edens tempore passionis prodigia, ac terribilia, admirandaque signa, & ex his ostendens quòd naturalis sim filius tuus, &c. D. August. tracta. 104. huius opinionis meminit, dum ait: Clarificatum à Patre filium nonnulli accipiunt, in hoc quod pro nobis omnibus tradidit illum, &cæt. illam minimè sequitur, quia in passione magis humilitas; quam claritas commendatur. Existimat Christum glorificationem petere resurrectionis, sicque petitionem explanat: Venit hora seminandæ humilitatis, fructum non differas claritatis, &cæt. id est, venit hora ignominiæ mortis, non differas gloriam resurrectionis. De resurrectionis gloria interpretatur etiam Rupertus. Diu. Basilius in fine lib. 4. aduersus Eunomium: Non accessionem (inquit) gloriæ, sed manifestationem dispensationis fieri petit Christus, &c. Arbitratur petere à Patre Christum vt incarnationis mysterium, & Euangelium mundo annuncietur, qua annuntiatione summopere glorificatus est.

Euthym.

D. Aug.

Christus glorificatus est in resurrectione.

D. Basil.

Christus glorificatus est in promulgatione Euangelij.

Existimo petere Christum omnem

A

glorificationem, quam post illam orationem consecutus est, tam in passione, quam in resurrectione, atque ascensione, & post resurrectionem ex Euangelij toto orbe promulgatione. Sensus ergo est, Pater glorifica me in passione miraculis, glorifica me resurrectionis claritate, & ascensione in cælum, glorifica Euangelij promulgatione per orbem totum, & hominum conuersione in vnam Ecclesiam Catholicam, quæ sit regnum meum perpetuum, in quo perpetuo glorificer; has enim glorificationes passionis meæ merita flagitant. Idcirco enim Christus imminente passione glorificari postulat, quia per passionem glorificationem meritus est, & consecutus: vnde illud Luc 24. [Hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, &cæt. intrare inquam in gloriam per merita. & Pauli ad Philip. 2. [humiliauit semetipsum, &c.] [propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, &c.) Qui vult clarificari, patienter labores toleret. [Pater (inquit) clarifica filium tuum.] Dignus erat Christus omni clarificatione, etsi, nihil pateretur, quia Dei filius erat naturalis. At per crucem & merita ascendere voluit in gloriam. Ostendit autem se filium esse Dei naturalem, vnum Deū appellat Patrem; non ait: Pater noster clarifica me; quē in modum nos orare docuit; Pater noster qui es in cæli, &c. sed Pater clarifica filiū tuum; quoniam aliter ille, aliter nos filij sumus. Ille naturalis filius est nos adoptiui. Augustin. tract. 21. in Ioan. Non sicut Christi Pater, ita noster Pater; nunquam enim Christus ita nos coniunxit, vt nullam distinctionem faceret inter nos, & se: ille enim filius æqualis Patri, æternus cū Patre, Patrique coæternus; nos autem facti per filium, adoptati per vnicum. Proinde nunquam auditum est de ore Domini, cū ad discipulos loqueretur, dixisse illū de Deo summo Patre suo: Pater noster: sed aut Pater

Sensus authoris.

B

Cur imminēte passione Domin⁹ glorificari postulet.

Luc. 24.

C

Philipp. 2.

Glorificatio nō meritus est per abiectionē crucis

D

Ostendit Deū esse Patrē suū naturalem.

D. Aug.

E

Digitized by Google

ter meus dixit, aut Pater vester. Pater noster, non dixit. Ioannes capite vigesimo. Patrem meum dixit, & Patrem vestrum; non dixit nostrum. Sic iungit vt distinguat, sic distinguit, vt non seiungat. Hæc Diuus Augustinus. Christi filij naturalis verba hæc instante morte dicta, congruunt etiam filijs adoptiuis. Cum mors imminet petere quisque potest a Deo: Venit hora Pater, clarifica filium tuum, quem adoptasti: venit hora mortis, æternis me eripe pœnis, æterna gloria clarifica, vt ego te in cælo per totam clarificem æternitatem.

Salutare cõ filium adoptiuus Dei filijs.

Vt filius tuus clarificet te.

PEtit glorificari Dominus, vt patrem glorificet: [Clarifica, inquit, filium tuum, vt filius tuus clarificet te.]

Diximus quonam modo pater filium glorificauit: petimus quonam modo filius clarificauerit patrem? Respondetur Christum clarificasse, siue glorificasse patrem suum, cum illius gloriam, maiestatem, & diuinitatem toti terrarum orbi per discipulos suos annuntiauit. Augustinus tractatu centesimo quinto. Quia per Euangelium Christi factum est, vt per filium pater innotesceret gentibus, profecto patrem clarificauit, & filius, &c. Item: [clarifica (inquit) filium tuum, vt filius tuus clarificet te] tanquam diceret Dominus: Resuscita me, vt innotescas toti orbi per me, &c. Theophylactus quoque tam filium quam patrem gentium fide, ait glorificatum; Non solus (inquit) filius, sed & pater glorificatus est. Nã ante crucem quidem neque Iudæi ipsum sciuerunt, Isaiæ primo. [Israel me non cognouit.] post crucem autem totus orbis ad eum confluxit, &c. Hoc idem ait Chrysostomus homilia septuagesima nona in Ioannem Præterea clarificauit pater filium, quia tota gloria filij in patrem redundauit; filiorum namque honor ad patres pertingit. Cardinalis Caietanus sic interpretatur: Non solum (inquit) petitionem proponit Dominus, sed & fructum petitionis supplicat, glorifica filium tuum: ad hunc fructum, vt filius tuus glorificet te. Non peto gloriam mei hominis sistere in homine, sed reflecti in gloriam tuam, & cætera.

D. Aug. Quõ Christus patrem glorificarit.

Theophil.

Isai. 1.

Filiorũ honor in parẽtes reflectitur.

Hic bonorum filiorum mos est, gloria sua, & honore patrem suum Deum glorificare, iuxta illud Matthæi quinto. [Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, &c.] Si gloriam aliquam in mundo appetunt, si aliquando clarificari volunt, idcirco volunt, vt patrem suum, & Dominum Deum clarificent: Clarifica, inquiunt, seruum tuum, (si opus est) vt seruus tuus clarificet te.

Gloria in Deum referenda.

Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.

GRæcè καθὼς, id est, sicut, vel, iuxta quod. est sensus pendens a verbis superioribus: Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te: clarificet, inquam, te sicut dedisti ei potestatem iudicialem, ac pontificiam omnis carnis, id est, super omnem hominem. Caro enim hominem significat: multis locis per synecdochen ponitur pars pro toto. Psalmo sexagesimo tertio. Ad te omnis caro veniet. Isaiæ quarto. Videbit omnis caro, quod os Domini locutum est. Genesis sexto. Omnis caro corruperat viam suam, &c. Dedisti autem ei hanc potestatem, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. hoc est, vt omnibus hominibus, quos illius imperio subiecisti, det æternam beatitudinem. Coniunguntur hoc sensu hæc verba cum illis; vt filius tuus clarificet te, videlicet, iuxta potestatem, & imperium quod dedisti ei, ita vt talis sit clarificatio filij, quale

Caro pro homine sæpius in scriptura sumitur.

d by Google

quale est imperium: imperium in omnem carnem, id est, omnes homines extenditur, sic extendetur tua Pater glorificatio. Clarifica me Pater, vt ego clarificem te, iuxta imperium amplissimũ, quod mihi dedisti: glorificem, inquam, in toto orbe terrarum, & in hominibus, quos mihi tradidisti, vt æternam vitam illis tribuam. Possunt etiam hæc verba copulari cum illis: [Pater clarifica filium;] clarifica (inquam) filium iuxta imperium, quod dedisti ei in omnes homines; sicut dedisti imperium in omnes homines, sic da claritatem, gloriam, & adorationem, toto orbe ad hominibus.

Alius sensus. Possunt item referri verba hæc probabilius ad vtrũque, hoc pacto: [Pater, clarifica filium tuum;] da illi gloriam, sicut dedisti potestatem, da claritatem amplissimam, sicut amplissimum dedisti regnum; [vt filius tuus te quoque clarificet,] iuxta imperium quod dedisti ei; vt tam Patris, quam filij claritas per totum imperium extendatur. Verba illa: [vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam:] coniunximus cum proximis hoc sensu: sicut dedisti ei imperium in omnes homines, dedisti, inquam, vt illis vitam æternam tribueret.

Alius sensus. Possunt aliter coniungi cum verbis illis remotioribus: [Pater clarifica filium tuum:] hunc in modum, [Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te,] sicut postulat imperium quod illi dedisti, clarifica, inquam, filium toto terrarum orbe, vt per hanc clarificationem, & gloriã, omnibus hominibus, quos dedisti ei, det vitam æternam. si enim non fuero glorificatus, æternam beatitudinem, & vitam non consequentur, quia neque te, neque me cognoscẽt. Hebraismus vero notandus est in illis verbis: [vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam] Illud (eis) Hebræa phrasi additur, quemadmodum & alijs locis. *Psal. 10.* Psal. 10. [Dominus in cælo sedes eius: [id est, Domini in cælo sedes. *Matth. 12.* Matth. 12. [Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo, &c.] hoc est, de omni verbo reddent rationem. Sic hoc loco, [vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam,] id est, vt omni quod dedisti ei, det vitam æternam. (eis) dixit, non (ei) quoniam (omne) est collectiuum, multos continens. Præterea genere vtitur neutro sicut Io. 6. *Ioan. 6.* (Omne, inquit, quod dat mihi Pater, ad me veniet. &c. & capitu. 12. Si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum. Sed genus neutrum homines significat. An verò significet omnes homines, an solum prædestinatos, dubitatur.

An loquatur Dominus de solis prædestinatis. Respondetur, probabile aliquo modo esse, loqui Christum de omnibus hominibus, nõ vero de solis prædestinatis.

Probatur, de omni carne, id est, de omnibus hominibus loquitur, quos ei Pater dedit, est enim omniũ hominum: Rex, & Dominus. *Psal. 2.* (Sicut (inquit) dedisti ei potestatem omnis carnis:) id est, omnium hominũ: vt omnibus quos dedisti, det vitam æternam. Sic Psal. 2. ait Vates: (Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c.) Dabo (inquam) non solum prædestinatos, sed etiam reliquos Quod si obijcias, Christus non dat omnibus vitam æternam, ergo non est locus intelligendus de omnibus hominibus, sed de solis prædestinatis.

Sufficienter prouidet Christus omnibus ad vitã æternam. Respondetur, Christum sufficienter dedisse omnibus hominibus vitam æternam, quia omnia præstitit, quæ opus erant: non tamen dedisse efficaciter. quem in modum dicitur omnes homines redemisse sufficienter, sed non efficaciter. *Euthym.* Euthymius: Vt quotquot (inquit) dedisti ei, det eis vitam æternam quantum in se est.

Nam licet quidam non crediderint, id tamen illorum culpa est: siquidem Patri complacitum est vt filius haberet omnium potestatem per fidem, & omnes sub iugum præceptorum eius fierent: filius quoque

vni-

itized by Google

vniuersis per Apostolos dedit Euangelij, Deique notitiam, quæ est vita æterna, vtpote vitam concilians æternam, &cæt. Probabilius est, loqui Dominum solum de prædestinatis, quoniam his solis efficaciter vitam æternam largitur, iuxta illud Io. 10. (Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea, &c.) Præterea prædestinati dicuntur dati Christo à Patre, ergo verba illa: (vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam:) de prædestinatis intelligenda sunt: Ioannis 6. de prædestinatis dicitur: (Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eijciam foras.) Item: Hæc est autem voluntas Patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die, &cæt. D. August. lib. de correptione & gratia, c. 9. Illi (inquit) intelliguntur dari, qui ordinati sunt ad vitam æternam. ipsi sunt illi prædestinati: ac per hoc nullus eorum mutatus ex bono in malum finit vitam, quoniam sic est ordinatus, & ideo Christo datus vt non pereat, sed habeat vitam æternam, &cæt. Verum non semper Christo datos, significare prædestinatos, iam supra probatum est ex Ps. 2. [Postula à me & dabo tibi gentes.] Probatur quoque perspicuè ex hoc cap. 17. Ioannis: [Quos dedisti mihi custodiui (ait Dominus) & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis,] scilicet Iudas, &cæt. Ex datis Christo Iudas erat, vt hic locus apertè demonstrat, [ex datis mihi nemo perijt nisi Iudas;] ergo datus Christo, non semper significat prædestinatum. Hunc locum de quo agimus: [vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam,] de prædestinatis interpretantur Diu. Thomas in Ioan. Iansenius, Carthusianus, & & alij.

Ioan. 10. *Ioan. 6.* *D. Aug.* *Per eos qui Christo dati sunt, non semper prædestinati intelliguntur.* *Psal. 2.* *Ioan. 17.*

Obserua potestatem idcirco & dandam esse, & accipiendam, vt subditis prosit in quos exercetur. [Sicut dedisti (inquit) ei potestatem omnis carnis: vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam, &c.] Dedit Pater Christo homini potestatem in homines, vt illis maximè prodesset; nempe vt vitam æternam illis largiretur. Omnibus illam largitur; sed multi nolunt accipere.

Potest danda & accipienda, vt prosit subditis.

Hæc est autem vita æterna vt cognoscant te, &c.

Dixerat sibi datam potestatem, & imperium in omnes homines, vt vitam æternam illis daret; nunc in quo vita hæc æterna posita sit aperit. [Hæc (inquit) est vita æterna,] hoc est, hæc est causa vitæ æternæ, sic comparatur vita æterna; nempe per cognitionem & fidem viuã, & operosam, diuinitatis, & incarnationis. [Hæc est vita æterna, scilicet; vt cognoscant te solum verum Deũ, & quem misisti Iesum Christum,] id est, Messiam. Hoc est, vt cognoscant homines per fidem viuam te Patrem solum, & vnum verum Deũ esse, non idola; & cognoscant etiam per eandem fidem me verum esse Deum incarnatum, & verum Messiam. Gentes multos colebant Deos multa idola, Iudæi vnum venerabantur Deum, neque tamen filium, neque filij incarnationem nouerant; ideo ait, hæc est vita æterna, vt te solũ & vnum Deum cognoscant homines, commentitijs dijs explosis, & me quoque cognoscant filium tuum verum esse Deum incarnatum, & verum esse Christum, id est, Messiam promissum patribus.

Patrẽ cognoscere, est causa vita æterna.

In controuersiam vertitur, sint ne verba hæc de cognitione beata, & cælesti intelligenda, hoc sensu: Vita æterna & beatitudo posita est in cognitione Patris, & Filij, necnon Spiritus sancti; an de cognitione fidei viuæ, quæ habetur in hoc orbe terrarum, vt exposuimus? De co-

An sint intelligenda hæc verba de cognitione beatifica.

Digitized by Google

cognitione fidei viuæ intelligenda esse vt probabilius exposuimus, arbitratur Diuus Cyrillus libro vndecimo in Ioannem capite decimo sexto. Radicem, inquit, atque originem æternæ vitæ fidem, & veræ pietatis virtutem esse affirmat Dominus, &c. Itẽ, Cum origo, & quasi pronuba dictorum bonorum, cognitio Dei veri esse inueniatur, rectè vita æterna est appellata, quasi mater & radix, virtute, naturaq; sua vitam æternam pariens, &c. Et libro primo de recta fide ad Reginas: Cum agnitione (inquit) solius & veri Dei iunctam esse necesse esse agnitionem Christi; & vitam hoc æternam parit, &c. Euthymius verè vita æterna est Dei cognitio fide, ac operibus coniunctis. Nam fides sine operibus mortua est, &c.] Diuus Hilarius libro nono de trinitate. Vita æterna est Deum solum verum credidisse, sed non sine Christo, &c. idem habet in libro de patris, & filij vnitate. Idem sentit Diuus Cyprianus epistola 73. ad Iubaianum, & multi alij. Obijcitur; Vita æterna non datur in terra, sed in cælo, at cognitio, de qua Dominus loquitur, est vita æterna; ergo non datur in terra, sed in cælo, estque visio siue cognitio beatifica, non cognitio fidei. Respondetur, vitam æternam in cælo dari: cognitionem autem fidei non esse ipsam vitã æternam, sed esse vitæ æternæ causam, atque adeo in terra dari. Sensus enim verborum Domini est, [Hæc est vita æterna, vt cognoscant &c] Hoc est, hæc est causa, & dispositio ad cõsequendam vitam æternam, siue hæc est radix & origo vitæ æternæ, vt exponit Diuus Cyrillus. Eundem in modum ait Paulus ad Romanos [Gratia Dei vita æterna est, &c.] Hoc est, gratia Dei est causa vitæ æternæ. Simile illud Ioannis tertio. [Qui credit in filium habet vitam æternam.] Item: [Hæc est volnntas Patris mei, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, &c.] Quonam quæso modo is, qui fidem habet viuam, æternam habet vitam? sanè non re, sed spe, & in causa.

D. Cyrill. — Euthimius. — D. Hilarius — Obiectio. — Responsio. — Dei cognitio est causa & dispositio ad vitam æternam. — Ioan. 3.

De cognitione beatifica intellexit hunc locum Diuus Augustinus libro secundo de libero arbitrio, capite secundo. Cum (inquit) loqueretur Dominus de ipso dono, quod erat daturus credentibus, non ait, hæc est autem vita æterna vt credant; sed hæc, inquit, est vita æterna vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum, &c. Item, vt alia loca eiusdem Augustini omittam, libro de spiritu, & litera, capite vigesimo quarto. Cum, inquit, venerit, quod perfectum est, tunc erit vita æterna, vt cognoscamus vnum verum Deum, &c. & libro soliloquiorum, capite trigesimo sexto. Hæc est vita æterna, vt cognoscamus te solum Deum verum, & filium tuum vnigenitum, tunc habebimus vitam æternam, &c.

D. Aug. De visione beatifica interpretatur. — D. Aug.

De cognitione quoque beatifica, verba Domini nostri Iesu Christi intellexit Diuus Thomas Ioan. decimo septimo, & prima secundæ, quæstione tertia, articulo quarto, Lyranus Ioaun. decimo septimo, Carthusianus, & alij.

D. Thom.

Vt cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum.

Verba hæc sic exponit Diuus Augustinus tract. 105. Ordo, inquit verborum est; Vt te, & quem misisti Iesum Christum, cognoscant solum verum Deum, &c. est sensus, vt cognoscant te, & Christum solum Deũ verum. Item Diuus Athanasius in disputatione contra Arium in Concilio Nicæno, Illud, inquit, Et quem misisti Iesum Christum: coniunctum est cum præcedenti membro; te solũ verum Deum & quẽ misisti Iesum Christum: vt cognoscant filium tuum verum Deum, quemadmodum te patrem, &c. Diuus Ambros. lib. 5. de fide, cap. 1. Ioannes, inquit, coniunctione illa, &, Patrem copulauit, & filium, vt Christum verum Deum a maiesta-

D. Aug. — D. Athan. — D. Ambr.

Digitized by Google

iestate Patris nemo secernat, &c. Autor libro de Trinitate, qui Tertulliano tribuitur: Si (inquit) non voluisset se etiam Deum intelligi, cur addidit Christus, [& quem misisti Iesum Christum;] nisi quoniam & Deum accipi voluit, &c. Diuus Gregorius Nazianzenus oratione trigesima sexta, quæ est quarta de Theologia, Neque (inquit) fuisset adiectum: & quem misisti Iesum Christum: si ad eum opposita distinctione submouendum, illa (solum verum) pertinerent, ac non de communi vtriusque diuinitate sermo esset, &c. Nam particula, solus, non excludit filium, aut Spiritum sanctum, excludit autem falsos, & commentitios Deos, & Gentium idola, vnde Diuus Chrysostomus. Solum (inquit) Deum dicit Christus, ad eorum, qui dij non sunt, differentiam, &c. Item: Cum Paulus ait primo Corinthiorum nono. [An solus ego, & Barnabas,] an Barnabam tollit? Minimè. Solus enim ad aliorum ponitur differentiam. Hæc Diuus Chrysostomus. Et Diuus Cyrillus; Patrem (inquit) a falsis dijs distinguens Christus, solum, verumque Deum appellat, &c. Diuus Gregorius Nazianzenus oratione trigesima sexta. Hæc, inquit, verba: [Vt cognoscant te solum Deum verum] ad eorum sublationem dici existimo, qui, quanquam falsò dij appellantur, &c. Diuus Epiphanius hæresi sexagesima nona. Propterea scribit Christum dixisse solum verum Deum, ne plures dij putarentur. Dixit Christus (ait ille) [Vt cognoscant te solum Deum verum;] quo non multitudo deorum putaretur, vt ne diuisio fieret vitalis cognitionis, &c. & Diuus Ambrosius libro primo de fide, capite primo. Exprimendum, inquit, aliter non fuit; ne duos deos dicere videretur, &c. Cardinalis Berllarminus tomo primo libro primo de Christo, capite decimo septimo, ait, Solum patrem dici verum Deum, sed in patre intelligi etiam filium & Spiritum sanctum quæ sunt personæ eiusdem essentiæ cum patre; ita vt particula, solum, excludat tantum creaturas: quod autem sequitur, [& quem misisti Iesum Christum;] dicatur de Christo, vt homo est. Itaque locum hunc interpretatur hunc in modum; Hæc est vita æterna, id est, hæc est in mundo via, & ratio perueniendi ad vitam æternam, vt cognoscant homines per fidē, te solum verum Deum, id est, te patrem qui es ille Deus, qui solus habet veram diuinitatem, & præterea cognoscant vnum mediatorem Dei, & hominum, quē misisti Iesum Christum. Sic ille.

Naziánz. *D.Chrys.* *Particula solus, non excludit filiū, aut S. S.* *D.Cyril.* *Naziánz.* *D. Epiph.* *D. Ambr.* *Card. Bel.* *De particula solum in scripturis.*

Tertius sensus est, vt vognoscant idola non esse Deos, sed te solum esse verum Deum; & cognoscant etiam quem misisti Iesum Messiam. Cognoscant, inquam, Iesum vera cognitione, nimirum esse verum Messiam, & Deum verum incarnatum, crucifixū resurrexisse, & in cælum ascendisse, venturumque ad iudicandos omnes homines.

Alij sensus.

Quartus sensus, vt cognoscāt non idola esse deos, sed te solum esse Deum verum, te solum habere veram diuinitatem, quam filio tuo communicas, & Spiritui sancto. Cognoscant etiam quem misisti Iesum Christum, id est, Deum incarnatum, & incarnationis mysterium. Quod autem particula, solus, deos falsos excludat, probatur ex Deuteronomio capite trigesimo secundo. [Dominus solus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus, &c.] Ibidem: [Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me, &c.] Solus inquit Dominus, non dij alieni, & falsi, Isaiæ 37. [Quia tu es Dominus Deus solus, &c.] Dan. tertio [Sciant quia tu es Dominus Deus solus, &c.] His locis particula, solus, falsos excludit Deos, non filium, aut Spiritum sanctum. Sic & hoc loco, vt cognoscant te solum Deum verum; non excludit Christum, quem verum esse Deum, vt infinita amittam, asserit apertè Euangelista Ioannes epistola prima, capite quinto. Dedit inquit, nobis sensū, id est, intellectū, vt cognoscamus verum Deū, & simus in ve-

Particula, solus, deos falsos excludit. *Deut. 32.* *Isai. 37.* *Dan. 3.* *1. Io. 5.*

in vero filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna, &cæt. Christum affirmat esse verum filium Dei, & verum Deum, & vitam æternam. Quod verò particula (solum) non excludat filium, aut Spiritum sanctum, ostendit Augustinus libro contra sermon. Arian. capitulo primo, & Psalmo octuagesimoquinto, & epistola 174. Legendus magister libro primo, distinctione vigesimaprima.

CAPVT XVII.

Ego te clarificaui super terram, opus consummaui.

VIdentur hæc verba superioribus illis repugnare; [Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te, &cæt. Hæc enim verba significant prius Patrem claritatem allaturum filio, deinde filium Patri. Hoc autem significatur prius filium attulisse claritatem siue gloriam Patri; postea Patrem filio allaturum. [Pater (inquit) ego te clarificaui super terram, opus consummaui quod dedisti mihi; & nunc clarifica me, &c.] Respondet Diuus Augustinus tractatu 105. idem significari illis verbis, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te, &c.

Dubium.

D. Aug.

Quod his significatur: ego te clarificaui, & nunc clarifica me, &c. Quoniam præteritum pro futuro sumitur (vt sæpe alibi in Scriptura fit) hoc sensu; ego Pater te clarificabo super terram, opus consummabo quod dedisti mihi; nunc clarifica me, postea ego clarificabo te. Prior fuisse indicatur clarificatio filij à Patre, posterior clarificatio Patris à filio. Sed non est opus præteritum pro futuro sumere, & respondetur, non repugnare verba verbis; de diuersis enim clarificationibus intelligenda sunt illa priora; [Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.] Intelliguntur de clarificatione, qua filius Patrem clarificauit per ipsam clarificationem acceptam à Patre; quia gloria filij, Patris etiam gloria est, vt supra dictum est. Quæ quidem clarificatio Patris à filio, posterior fuit clarificatione filij à Patre, quia ex clarificatione filij, orta est clarificatio Patris. At verba hæc; [ego te clarificaui super terram; de clarificatione Patris intelliguntur, quæ iam præcesserat per miracula Christi, viam, atque doctrinam. sed videamus quomodo Christus Patrem clarificauit. Diuus Augustinus, qui pro futuro verbum accipit præteriti, sic interpretatur; ego te clarificabo gentibus te prædicando per Apostolos meos. Eodem modo interpretantur Euthymius. Probabilius est, loqui Dominum, de clarificatione iam præterita, vt diximus; iam enim clarificauerat Patrem miraculis, doctrina, & vita sanctissima; iam manifestauerat nomen eius hominibus, & post aliquot horas clarificaturus eum erat morte, quæ iam in foribus erat, quamobrem addit: [opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam:] hoc est, clarificaui te hactenus Pater vita, doctrina operibusque admirandis, opus redemptionis, quod mihi perficiendum commisisti, perfeci ac consummaui mea morte & sanguine; iuxta illa verba quæ in cruce protulit: [Consummatum est.] Si opponas hæc verba: opus consummaui, non posse intelligi de morte, & cruce Christi, quia ab illo ante mortem dicta sunt.

Respondetur dubio.

Clarificatio Patris per qua verba intelligitur

Obiectionis solutio.

Re-

Digitized by Google

Respondebimus, parum pro nihilo reputatum; Mors, crux, & consummatio operis, quod Pater dederat, parum distabat: ideo præterito vtitur dicens: [opus consummaui.] Sciebat enim certissimè se opus illud post non multas horas in finem optatum perducturum. Si autem quæras, quod nam fuerit hoc opus? Respondetur fuisse hominum redemptionem: sublime quidem, arduũ, difficileque negotium, & dignum incarnato Deo.

Clarificatur Deus bonis operibus. *Matth. 5.* *Ioan. 21.*

Clarificatur, siue glorificatur Deus bonis operibus, martyrio, doctrina, iuxta illud Matthæi 5. [Vt videant opera vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.] Et illud Ioannes 12. [Hoc dixit significans qua morte clarificaturus esset Deũ.] scilicet Petrus. Si opera bona, si doctrina, si mors probi viri Deum clarificat: sanè opera Christi, doctrina, & passio, Patrem mirandum in modum clarificarunt. Audiat verba filij Dei homo filius Dei adoptiuus: [Ego, inquit, te clarificaui super terram. Opus consummaui quod dedisti mihi, &cæt.] Filiorum Dei est clarificare Deum super terram, vita, doctrina, moribus, bonisque operibus: præterea opus consummare, quod eis dedit vt faciant.

Perseuerantia in virtute.

Opus autem, & negotium, quod nobis dedit Deus vt perficiamus, est mandatorum obseruatio, animique nostri æterna salus; hoc opus consummandum, ne illud nobis occinatur Luc. 14. [Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare, &c.] Alphabeti Hebraici extrema litera est, tau, hæc Ezech. 9. signum est liberationis & vitæ: [Omnem super quem videritis tau] (ait Dominus) [ne occidatis, &c.] Qui ab æterna morte liberari cupit, vitamque consequi immortalem, opus consummet, vt litera, tau, quæ alphabetum consummat notari possit.

Luc. 14. *Ezech. 9.*

Finis est, tau, alphabeti Hebraici: & principium est dictionis Hebrææ, quæ legem significat: appellatur enim lex ab Hebræis, thorah. mortem effugiunt qui litera extrema, tau, notantur, legem indicante: quia qui Dei legem, ac mandata vsque in finem obseruant, ij sempiternum euadunt interitum.

Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui, antequam mundus esset apud te.

CLarificauerat Dominus Patrem operibus miris, vita, atque doctrina; nomen Patris hominibus manifestauerat, & glorificauerat; ad mortem subeundam iam properabat, vt eum morte quoque clarificaret. Ideoque in retributionem huius clarificationis, à Patre petit clarificari claritate quam habuit antequã mundus esset. Dubium pariunt hæc verba huiusmodi: Vel Christus habebat claritatem hanc quam petit, vel non habebat: si habebat, non fuit opus illam petere, nemo enim id petit, quod habet: si non habebat, cur ait: [clarifica me Pater claritate quam habui antequã mundus esset?] Neque vero dici potest, habuisse claritatem antequam mundus esset, eamque amisisse; & à Patre petere amissam. Nam Cristus claritatem quam ante mundi creationem habuit, amittere non potuit. Respondemus, Christum non habuisse claritatem humanitatis quam petebat, atque idcirco eam postulasse.

De qua claritate est locus intelligẽdus. *D. Aug.*

Habuisse tamen claritatẽ diuinitatis ab æterno, antequam mundus esset; hanc vero non petiuisse, sed postulasse, vt hac claritate diuinitatis illustraretur, & clarificaretur humanitas. Ego, inquit clarificaui te super terram, nunc clarifica humanitatem meã Pater apud te metipsum, claritate æternæ diuinitatis meæ. Verba illa, [Apud te metipsum:] Diuus Augustinus rectè sic exponit: Pater filium clarificauit apud semetip-

ipsum, ad suam dexteram collocando, &cæt. totius loci sensus hic est: ego te clarificaui super terrram, coram hominibus, tu Pater clarifica me apud te metipsum in cælis, collocando me ad dexteram tuam. Clarifica (inquam) me non aliqua claritate aliena, sed mea claritate, quam habui ab æterno, id est, meæ diuinitatis splendore, & gloria. Fac vt splendor diuinitatis meæ, cui coniũcta est humanitas, ipsam illustret, ac clarificet humanitatem, & ad cælestem thronum euehat. da humanitati meæ gloriam conguentem gloriæ diuinitatis.

D. Cyrill. Alius sensus. Alio sensu interpretatur Cyrillus in fine libro 11. Thesauri, hunc in modum: Doxa (inquit) Græcè modo gloriam, modo opinionem significat. Quando igitur filius dicit δόξασον doxason me Pater ea doxa, quam habebam antequam mundus esset: hoc apertè dicit: Quoniam ò Pater, homo factus id solum esse hominibus videor, nec cognitus sum coæternus sibi esse; doxason me, id est, talem opinionem, & fidem de me hominibus largiaris, qualem haberent credentes me apud te semper fuisse, etiam antequam mundus esset: vt videlicet me Deum existiment, credantque esse secundum naturam, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, &c. Item: Nihil (inquit) aliud Christus petit, quam vt homo hominibus Deus esse manifestetur. Petit autem vt homo, & quidquid à Patre petit vt homo, petit quoque à se ipso vt Deo, & à Spiritu sancto. Sic ille. Iuxta hunc sensum, illa verba; [clarifica me apud te metipsum:] ex sententia Cyrilli sic sunt interpretanda: doxason me apud te metipsum, id est, cognitionem & fidem gloriæ & diuinitatis, quam apud te metipsum, ante mundi constitutionem habeo, hominibus tribue. Aliter sic exponi possunt; [Clarifica me Pater apud te metipsum;] Adde, existentem Deum de Deo, iuxta illud Ioan. 1. [Verbum erat apud Deum, &cæt.] Clarifica, inquam, me apud homines claritate diuinitatis quam in sinu tuo, & apud te metipsum habeo æternam. Credant homines me apud te metipsum esse Deum de Deo, & in sinu tuo esse Verbum tuum. Hoc est quod Paulus ait ad Philipp. 2. [Propter quod & Deus exaltauit illum & donauit illi nomen quod est super omne nomen, &cæt. exaltauit Christum Pater, quia clarificauit Patrem passione & operibus suis; & dedit Christo Pater apud homines nomen Dei, quod superat omne nomen. Dedit, inquam, nomen Dei, id est, manifestauit hominibus Christum esse Deum.

Quid Christus à Patre petat, secundũ D. Cyr.

Ioan. 1.

Philip. 2.

Sensus Aug. Diuus Augustinus de Christi prædestinatione locum hunc intellexit, tracta. 105. [Clarifica, inquit, me sicut prædestinatione, ita nunc perfectione. Fac in mundo quod apud te iam fuerat ante mundum. fac in suo tempore, quod ante omnia tempora statuisti, &cæt. Ex sententia Augustini hæc est interpretatio: Clarifica me apud te metipsum, claritate quam habui, in prædestinatione tua, antequam mundus esset.

Refellitur hæc interpretatio. Sed refellit hanc interpretationem verbum (habui) quod dicitur de re quæ possidetur & habetur, non de re quæ nondum existit. Cum ergo Christus dicat: clarifica me claritate quam habui, ante quam mundus esset, id est, ab æterno: dicendum est, Christum de claritate loqui, quam ab æterno habuit re ipsa, non per prædestinationem; id est, de claritate Dei, qua petat humanitatem illustrari. Probatque locus hic Christum esse æternum: Scriptura enim æternitatem significat hoc dicendi modo; [Ante mundi constitutionem: antequam mundus esset. Si ante quam mundus esset habuit claritatem Dei, profecto Deus est æternus.

Sensus Ruperti. Rupertus sic interpretatur; clarifica me Pater claritate quam habui ab æterno;] ita vt humanitas mea cum verbo copulata eadem latria adoretur, quæ ab æterno debetur

Ee di-

diuinitati. Clarifica (inquit) me apud te, videlicet constituendo ad dexteram tuam, eadem claritate quam habui antequam mundus esset apud te; vt nihilominus adoretur ab Angelis recens forma serui, sicut adorabatur ab Angelis antiqua forma Dei, &c.

Perseuerantia coronatur. Postquam Dominus dixit: [Opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam, &c.] Petit à Patre clarificari: vnde obseruat Diuus Cyrillus *D. Cyrill.* tunc nos posse à Deo gloriam postulare, cum opera nobis ab eo data consummauerimus. Opere (inquit) consummato ad libertatem filiorum Dei producti à glorificato Deo gloriam repetere audebimus. Viuo enim ego dicit Dominus 1 Reg. 2. qui clarificantes me clarificabo, & spernam quicumque me spernit. *1. Reg. 2.* Hæc Cyrillus. Verba autem 1. Reg. 2. in nostra versione sic leges: [Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles, &cæt.] Si ergo Deũ honorificauerimus, & clarificauerimus, glorificabit & clarificabit nos: si eum contempserimus, ignobiles in æternum erimus. Opus quod Pater Christo tradidit hominum fuit redemptio; opus quod nobis tradidit, est animæ nostræ salus. Hoc opus postquam illo iuuante consummauerimus, cum Christo petere poterimus; [Clarifica me Pater, quia opus consummaui quod dedisti mihi.] Non datur consummata merces, nisi consummato operi. *Merces respicit opus.* Consummata merces æterna clarificatio est: nemini igitur dabitur nisi opus consummet. Perseuerantia enim coronam capiti imponit.

CAPVT

CAPVT XVIII.

IOANNES CAPITE XVII.

MAnifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo: Tui erant, & mihi eos dediſti: & ſermonem tuum ſeruauerunt. Nunc cognouerunt, quia omnia, quæ dediſti mihi, abs te ſunt: quia verba, quæ dediſti mihi, dedi eis: & ipſi acceperunt, & cognouerunt verè, quia a te exiui, & crediderunt quia tu me miſiſti. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi: quia tui ſunt: & mea omnia do: & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi: vt ſint vnum ſicut & nos. Cum eſſem cum eis, ego ſeruabam eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi, ego cuſtodiui: & nemo ex eis periјt, niſi filius perditionis, vt Scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis. Ego dedi eis ſermonem tuum: & mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo. Non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos a malo. De mundo non ſunt: ſicut & ego non ſum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus, veritas eſt. Sicut tu me miſiſti in mundum: ita & ego miſi eos in mundum. Et pro eis ego ſanctifico me ipſum: vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate.

Digitized by Google

Manifestaui nomen tuum hominibus.

HActenus sibi clarificationem postulauit Dominus. Nunc pro discipulis orare incipit, atq; in primis laudat eos propter fidem viuam, cum mandatorum obseruatione copulatam. [Pater (inquit) ego nomen tuum hominibus manifestaui, quos dedisti mihi de mundo.] Hi homines Apostoli erant, quibus Christus Patris gloriosum nomen notum fecit, & diuinitatem. Diuus Cyrillus; Manifestauit (inquit) Christus hominibus, quia Pater filium genuit, &c. & Augustinus tractatu 106. Manifestaui, inquit, Christus hominibus, non illud nomen tuum, quo vocaris Deus; sed illud, quo vocaris Pater meus, &c. Sic Theophylactus, & alij. Apud Cyrillum est alia huiusmodi interpretatio; manifestaui nomen tuum, id est, gloriam tuam hominibus. vtrumque sensum coniungamus, hoc pacto: Manifestaui nomen tuum Patris, gloriamque nominis tui hominibus discipulis meis. Præterea, quia nomen pro re vsurpari solet, esse potest sensus; Manifestaui nomen tuum, id est, teipsum, & diuinitatem tuam discipulis meis. De Apostolis autem sermonem habere, non de reliquis credentibus, bene probat Augustinus tractatu 106. idque verba illa confirmant; cum essem cum eis ego seruabam eos, &c. Hæc est sententia Chrysostomi, Euthymij, & aliorum.

Christus Apostolis Patrem manifestauit.
D. Cyrill.
D. Aug.

Alia Cyrilli interpretatio.

Quos dedisti mihi de mundo.

A DAtos sibi de mundo ait a Patre discipulos secundum humanam naturam loquens. Nam secundum diuinam infra ait: [Omnia tua mea sunt, &c.] Dedit Pater Christo homini Apostolos, dedit etiam ipse sibi, dedit Spiritus sanctus; Patrem autem dedisse ait, quia solet Patri tribuere omne quod habet, & potest. Vnde Diuus Augustinus. Solet (inquit) Patri tribuere omne quod potest, a quo est ipse, qui potest. B A quo enim habet vt sit, ab illo habet, vt possit, &c. & tractatu centesimo-decimo. Cum tacet (inquit) filius operationem suam in opere Patris; humilitatem commendat: cum verò vicissim, in opere suo tacet operationem Patris, parilitatem suam commendat, &c. Non ita verò dedit Pater filio Apostolos, vt sibi eos non retinuerit; C Patris enim erant, & Filij, & Spiritus sancti: sed filio peculiariter dati dicuntur.

Christus, & diuinitatis suæ solet tribuere Patri D. Aug.

Quæritur quomodo filio dicantur dati. [Quos dedisti (inquit) mihi de mundo, &c. In primis dicuntur dati de mundo, id est, de terra, de incolis mundi, iuxta illud huius capitis, [Non rogo, vt tollas eos de mundo, &c.] id est, de terra, vel aliter, de mundo dati sunt, id est, separati a vitijs mundi, iuxta illud; D [Non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo. Deinde dati dicuntur a Patre, quia Pater eos ad Christum adduxit, iuxta illud Ioannis capite 6. [Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit illum, &c.] Præterea dicti sunt de mundo, quia de mundo sunt electi, & prædestinati, iuxta illud huius cap. Ioann. 17. [vt omne quod dedisti ei, & cæt.]

Apost. quomodo dati Christo.

Ioan. 6.

Dati

Digitized by Google

Dati item sunt Christo, vt illum sequerentur, vt pro eis ille moreretur, eosque redimeret, doceret, & Euangelij promulgatores faceret.

Tui erant, & mihi eos dedisti.

Christus quatenus homo Apostolos à Patre recepit.

PAtris erant Apostoli, & Filij, & Spiritus sancti. Loquitur igitur Christus secundum humanam; Tui (inquit) erant Apostoli mei, & mihi eos dedisti. Tui erant per creationem, tui erant per gratiam, tui erant per æternam prædestinationem. & mihi eos dedisti discipulos, vt in prædestinatam illos gloriam adducerem, & vicarios meos in terra constituerem. Dati Cstristo dicuntur prædestinati, vt diximus capitulo decimosexto, ex Augustino, lib. de corrept. & gratia capitulo nono. Hi (inquit) intelliguntur dari, qui ordinati sunt ad vitam ęternam, &cæt. prædestinati erant discipuli, ideo Christo dati sunt à Patre, vt ad prædestinatam gloriam eueherentur, multosque per Euangelij prædicationem ad illam adducerent.

D. Aug.

Obserua dari Christo homines veluti dona pretiosissima; nihil enim pretiosius prædestinatis, Christo dari potest ex hoc mundo. hæc dona sunt iucundissima, hæc vt haberet in mundum venit, hæc à Patre petiuit, hæc summo labore, ac sudore, & sanguine quæsiuit. Sed rogabit aliquis quomod dari dicuntur Christi prædestinati, quos sanguine emit? empti sanè ab illo sunt, potius quam illi dati.

Dati & empti à Christo prædestinati.

Respondemus ab æterno prædestinatos Christo datos, vt ab illo emerentur, vel redimerentur sanguine.

Aliter respondemus, rem duobus modis dari, aut gratis, aut pretio; prædestinatos vero datos esse Christo non gratis, sed summo pretio. dati namque sunt homines Christo, & empti, atque redempti à Christo pretio infinito sanguinis. Tanti homines fecit.

Et sermonem tuum seruauerunt.

DAtos sibi Apostolos laudat apud Patrem, eorumque obedientiam commendat, & fidem. [Sermonem (inquit) tuum seruauerunt, &c.] Sermonem autem Patris appellat doctrinam, quam Apostolis tradiderat, quæ & Filij erat, & Patris, iuxta illud Ioann. 7. [Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.] & Ioann. 14. [Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor; Pater autem in me manens ipse facit opera, &cæt.] [Oues meæ] (ait Ioann. 10.) [vocem meam audiunt, &cæt.] Oues Christi præcipuæ erant Apostoli, pastoris sui vocem audierunt, & sermoni illius, & Patris obedientes fuerunt. Hæc de obedientia. Addit de fide, [Nunc cognouerunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt, &c.] hoc est, nunc cognouerunt, tam doctrinam meam, quam opera, miracula, à te esse vero Deo. quia doctrinam quã mihi dedisti, dedi eis, & ipsi eam acceperunt. Ioan. 7. ait, [Si quis voluerit voluntatem eius (id est, Patris) facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar, &cæt. [Impletum hoc est in Apostolis; Patris sermonem seruauerunt, eius volũtatem fecerunt, & cognouerunt doctrinã Christi à Deo esse non ab homine aliquo mero excogitatam, qui decipi posset. Cognouerunt etiã illius opera, & miracula verissima esse, & à Deo vero perpetrata. [Acceperunt, inquit, doctrinã meã, & cognouerũt verè quia à te exiui, & crediderũt quia tu me misisti, &c.] hoc est cognouerũt, quod à te exiui, id est, à te natus sum, & tu me misisti in mundum; cognouerant enim Apostoli, iam eo tempore, ante ad-

Ioan. 7. Laudat Apostolos Dominus, obedientiã cõmendat & finem. Ioan. 10. Ioan. 14. Ioan. 7.

aduentum Spiritus sancti, Christum esse filium Dei, a Deo in orbem missum. vnde illud Petri, Matthæi 16. Tu es Christus filius Dei viui, &cæt. id vero perfectius cognouerunt diuini spiritus illustrati splendore. Augustinus idem significare putat hæc duo, (quia à te exiui) & (quia tu me misisti.) hoc est, cognouerunt quod à te exiui, & veni in mundum hunc, & à te missus sum. Denique cognouerant Apostoli hoc tempore quamuis imperfectius Patrem, & cognouerant Christum esse filium Dei à Patre missum, verumque Messiam, & omnia illius miracula esse vera, omnia quoque verba plena veritate. Dixerat suprà Dominus: [Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum, &c.] Hæc in quibus vita æterna consistit, ait Dominus cognouisse Apostolos, nimirum Patrem verum, & Iesum Messiam à Patre missum. quamuis nondum perfectè Christi diuinitatem cognoscerent. Pharisæi increduli Ioannes 9 aiebant: [Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit, &c.] Item: [Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus vnde sit, &c.] & Matth 9. [In principe dæmoniorum, eijcit dæmones, &cæt. Ioann. 10. Christi doctrinam dæmoni tribuunt.

Cognitio Apostolorum.

Cæcitas Pharisæorum.

Dicebant (inquit) multi ex ipsis: (dæmonium habet & insanit. Quid eum auditis, &c.) Nesciebant increduli vnde esset Christus, à Deo non esse falsissimè affirmabant, miracula eius, & doctrinam dæmonio impijssimè tribuebant. Huic Iudæorum incredulitati opponit Dominus fidem discipulorum quasi dicat, Iudæi increduli mea miracula, & doctrinam impiè dæmoni tribuerunt: at mei discipuli cognouerunt, tam miracula, & opera, quam doctrinam à te Deo vero esse.

Increduli vnde sim nescierunt, & a Deo non esse impiè affirmarunt: mei vero discipuli cognouerunt, quia à te exiui, & à te missus sum, Messias verus Dei filius.

Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi.

Laudatos discipulos Patri commendat, & pro eis orat; (Ego (inquit) pro eis rogo,) id est, pro discipulis meis, qui te, & me agnouerunt: (Non autem rogo pro mundo.) Potest mūdus hic accipi nō pro impijs atque reprobis hominibus, sed pro discipulis, prædestinatis, quos dedisti mihi. Sic Augustinus interpretatur tractat. 107. Arbitror mundum cæteros omnes homines significare, ita vt indicet Christus hāc orationem pro discipulis tantum, ac peculiariter haberi. est sensus; Nunc non rogo Pater pro mundo, id est, pro cæteris hominibus, mundo contentis; sed tantum oro pro meis discipulis. Quemadmodum enim illi soli aderant, orationemque audiebant, Christique peculiares sectatores, atque præcipui erant, & peculiari amore ab ipso dilecti, ita pro illis solis orare nunc voluit peculiariter.

Orat Dominus pro discipulis.

Quōdicatur Christus nō orare pro mundo.

Præterea quia Ecclesiæ futuri erāt fundamenta, atque columnæ. Sic etiam peculiariter orauit pro Petro, quia Ecclesiæ caput erat futurus. Lucæ vigesimosecundo. (Ego, inquit, rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, &c.) Sicut pro Petro solo peculiariter orauit, quia illi soli inter reliquos Ecclesiæ pontificatum summum traditurus erat; sic pro vndecim Apostolis tantum orauit, quia Ecclesiam velut columnæ erant sustentaturi; ideo ait; (ego pro eis rogo, non pro mundo,) id est, pro cæteris hominibus, nunc non rogo.

Pro credituris infra orat, cum ait; (Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, &cæt.)

Obiectionis solutio.

Oppo-

Digitized by Google

Oppones, hæc verba ostendere Christum hac oratione non solum pro discipulis orasse, sed etiam pro crediturις. Respondemus Christum his verbis credituros Patri commendasse: sed ante hæc verba solum pro discipulis orasse. Aderant orationi, Patri se a Christo commendari audiebant; quæ quidem res magnam eis & consolationem, & confidentiam attulisse potuit.

Quia tui sunt, & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.

Cur Christus Apostolos Patri commendat.

REddit rationem cur discipulos Patri commendatl, videlicet, quia tui sunt peculiariter, ad magna, scilicet opera peragenda a te prædestinati, & vocati. [Tui sunt,] tuos tibi commendo, quorum curam debes gerere. Ne verò existimaret quis sic Patris eos esse, vt filij non sint, addit: [& mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, &c] Nam cum eadem sit Patris, & Filij essentia, & natura diuina, necesse est omnia, quæ Patris sunt esse Filij; & vice versa, omnia, quæ Filij sunt esse Patris. Diuinitas omnia possidet. Adijcit secundam rationem, [& clarificatus sum in eis, &c.] Rogo pro eis, quia tui sunt, & quia me hactenus sua fide, charitate, & comitatu glorificauerunt. Exponunt quidam præteritum pro futuro hoc pacto, [quia clarificabor in eis] post aduentum Spiritus sancti. Sed retineamus verbum in tempore præterito; clarificauerant enim iam Apostoli Christum, quia illum relictis omnibus secuti fuerant. Est alia huiusmodi interpretatio minus probabilis: [& mea omnia tua sunt, & clarificatus sum in eis, id est, in tuis; quoniam tua omnia mea sunt.

Apost. Christum clarificauerunt.

Theophylactus: Glorificatur (inquit) filius in ijs, quæ sunt Patris, tantam enim omnium potestatem habet quantam & Pater, &c.

Euthym.

Euthymius: Glorificatus (inquit) sum in eis, etiam potestatem habens in ijs quæ tua sunt, sicut in ijs, quæ sunt mea.

Adiungit Dominus tertiam rationem; rogo pro eis, quia [iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Commendo tibi Pater discipulos meos, quos hactenus mecum habui, & docui; quia ex hac vita mortali discedo, & illi in illa manent, ego verò ad te proficiscor. Ait Dominus se iam non esse in mundo, quia mors instabat, ait, se ad Patrem venire, quia ad Patrem post mortem in cælum abiturus erat; discipuli autem iucundissima illius consuetudine, ac conspectu priuati, velut orphani in mundo manebant. In extremo spiritu constituti Patres filios suos tutoribus commendare solent, quia è vita abeunt. Sic Christus, quia è vita mortali discedebat, filios, atque discipulos suos æterno Patri, veluti tutori suo potentissimo commendat.

E vita discedēs Christus, Patri velut tutori, filios suos commendat

Pater sancte serua eos.

IAm postulat discipulis a Patre tria, Primum, vt seruet eos: secundum vt sint vnum: tertium vt eos sanctificet. [Serua (inquit) eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, &c. Custodi eos, protege, ac defende, aduersus quos, & Tartarus, mundusque concitabit prælia. Serua eos, [vt sint vnum sicut & nos.] Nos sumus vnum essentia & natura; illi sint vnum charitate, & concordia. Si exercitus vnum non sit concordia, atque militum constipatione, facilè superabitur. Paruus hic discipulorum exercitus, quo mundum expugnare decerno, sit vnum, concordia, & amore conglutinatus, ne possit vlla Tartari vis, vel mundi illum irrumpere.

Tria Apostolis a Patre Christus postulat.

Diuus Cyrillus, Seruari, inquit, vult Christus in beneuolentia, & charitate discipulos, animo, & spiritu, pacis certissimo vinculo, sic ad vnum copulatos, vt hæc voluntaria

D. Cyrill.

taria vnio, naturalis in filio, & Patre vnitatis imago quædam esse videatur, &c.

Nullo modo frangi potest Trinitatis vnitas; sic vult Dominus nullo modo frangi Apostolorum concordiam. Diuus Cyrillus: vt nullo (inquit) modo, nulla vi voluptatis, aut periculi frangi, debilitarique possit; sed conseruetur in pietatis, atque sanctificationis vnione, charitatis virtus intemerata, & cætera. Theophylactus, Si charitatem inter se habuerint discipuli, & non fuerint discordes, inuicti erunt, & nihil eis præualebit. Non simpliciter autem ait, [vt sint vnum,] sed [sicut ego & tu, vnum] sapientes, & vnum volentes, illa eos concordia custodiet, &c

Theophyl.

Quid significet, serua illos in nomine tuo, dubitatur. Quidam sic interpretatur: [Serua illos in nomine tuo;] id est, communica illis nomen tuum, scilicet nomen Dei, fac illos Deos non per naturam, sed per participationem. Alius sic: Communica illis nomen Patris. Theophylactus; [serua illos in nomiue tuo;] hoc est, auxilio, &c, Est sensus; serua illos sub protectione nominis tui. Aliter; serua eos per nomen tuum, vel propter nomen tuum, idest, propter gloriam nominis tui, vt glorificetur in illis nomen tuum, iuxta illud Ezechielis trigesimo sexto. [Non propter vos ego faciam domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, &c.] Vel, serua eos, quia tui sunt propter nomen tuum, & in nomine tuo, quod super eos in Baptismo inuocatum est, iuxta illud Ieremiæ decimo quarto. [Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos, ne derelinquas nos, &c. Simile illud Psalmi quinquagesimi tertij. [Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua libera me, &c. Quod sic exponit Genebrardus; Saluum me fac propter nomen tuum, tua causa, tuo nomine, propter te. Nam nomen pro re significata ponitur.

Quid significet in nomine tuo.

Ezech 36.

Iere.14.

Ps.53.

Aliter, Deus protectione nominis tui salua me, &c. Vnde illud Prouerbiorum decimo octauo. [Turris fortissima nomen tuum, ad ipsum currit iustus, & exaltabitur.] Illa expositio minimè placet, qua nomen pro Christo accipitur. [Serua eos in nomine tuo, id est, per Christum tuum; non enim satis propriè Christus nomen dicitur Patris. Nec etiam hæc placet; [Serua illos in nomine tuo,] id est, in fide, & obedientia nominis tui. Aliam lectionem sequitur Euthymius, sic enim habet: [Pater sancte serua eos per nomen tuum, quo donasti me, &c.] sic verò interpretatur: Serua eos per nomen tuum omnipotens, quod & ego natura habeo. Nam & ego Deus sum, &c. Eandem lectionem videtur secutus Diuus Cyrillus. sic enim scribit: Cum naturæ deitatis, gubernationem nostram attribuerit; datam sibi esse deitatis gloriam illicò affirmauit, Propter humanitatem suam, datum sibi esse dicens illud, quod sibi semper adest natura, id est, nomen quod est super omne nomen. Quod filio adesse dicimus, naturaliter quidem, vt ex Patre est, datum autem, vt homo est: sic Cyrillus. Altera lectio communis est, & sequenda.

Prouer.18.

Alia lectio.

D. Cyril.

Cum

A

Cum essem cum eis ego seruabam eos in nomine tuo.

CVr a Patre petat vt discipulos seruet, rationem interserit; videlicet, quia cum in cælum ad Patrem abiret, conspectuque suo, & corporali præsentia illos priuaret, tutore Patre indigebant. [Cum essem] (ait) [cum eis,] præsentiamque corporalem illis exhiberem, [ego seruabam eos in nomine tuo;] hoc est, quia tui erant nominis, & eos dedisti mihi. Vel, propter nomen tuum seruabam eos, vel quia vices tuas agebam in terris; vel, in nomine tuo, id est, sub protectione nominis tui; vel, in nomine tuo scilicet Dei, quia filius tuus, & Deus sum, seruabam eos, quia nomen Dei, quod tuum est, & naturam, habeo. Item: [seruabã eos in nomine tuo,] id est, in fide recta nominis tui. Ita verò eos seruaui, vt perierit ex illis nullus præter vnum, qui filius erat perditionis. Hic autem Iudas erat; filius dicitur perditionis, id est, homo perditus vsitato Hebraismo Dicitur autem homo perditus, tum propter scelus quod commisit, tum propter] perditionem æternam, quam scelere promeruit. Particula illa, vt, cum Dominus ait, [vt Scriptura impleatur:] non causam indicat, sed euentum, vt alijs locis. De locis Scripturæ quæ sunt impleta, consule loca in quibus de Iuda agimus.

Indigent tutore infantes patre mortuo.

Animũ aduerte ad verba illa: [Quos dedisti mihi custodiui, & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis, &c. quæ indicant non omnes qui dicuntur Christo dati esse prædestinatos, cum Iudas Christo dicatur datus, non tamen fuerit prædestinatus. lege huius lib. cap. 16.

Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum.

CVm essem (inquit) cum eis præsentia corporali, ego seruabam eos. Nunc autem ad te venio: hoc est nunc iam separor ab illis, & proficiscor in cælum ad te, indigent illi te patrono, ac tutore: opus habent vt diuinitas tua, quæ eadem mea est, illos tueatur separatos a mea humanitate. Cum enim Christus seruari Apostolos à Patre petit, seruari postulat à diuinitate, cuius fons est Pater. Quæ autem diuinitatis sunt Patri humiliter tribuit, sed se nequaquam excludit, qui vnus Deus est cum Patre, qui Apostolos defendit. Nondum tempus aderat apertè declarandi diuinitatem suam, Spiritui sancto hæc declaratio reseruata est. Addit: [& hæc loquor in mundo vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis, &c.] hoc est, Ad te venio, & antequam ad te veniam, antequam in cælum ascendam, & ab illis separer, hæc loquor in mundo adhuc existens, id est: hæc postulo a te coram eis, vt operatione diuinitatis, ac potentiæ tuæ illos tuearis, vnumque efficias, & sanctifices, vt habeant discipuli mei concordiæ vinculo constricti, sanctificati, & a te seruati, habeant, inquam, plenum siue impletum gaudium, hoc est, magnum & perfectum in corde suo. Coram discipulis hanc orationem habuit Dominus, audiebant illam, multumque consolationis animum capiebant.

Christus vt homo, patri discipulos cõmendat.

Ante Apostolos fit Christi oratio ad patrem.

B C D E

Ego

Digitized by Google

Ego dedi eis sermonem tuum.

ITerum petit vt seruet à malo discipulos Pater, quia in mundo manent, qui illos odio habet, indigentque magno auxilio. Ego (inquit) dedi eis sermonem, & doctrinam tuam, quam a te accepi; & quia discipuli sunt meæ doctrinæ, & sermonem tuum acceperunt, odio persecutus est illos mundus, id est, homines mundi cupiditatibus, mancipati, Pharisæi & alij huiusmodi. Odio autem illos habet mundus hic improborum, non quòd fures sint, aut homicidæ, aut adulteri; sed quoniam de mundo non sunt; imitanturque me magistrum suum, qui non sum de mundo. Odio habet mundus impiorum mundum sanctorum, quia dissimiles illis sunt, vt suprà diximus. Mundo remiserant nuntium Apostoli, de mundo impiorum non erant; ea in re Christum imitati erant: [Sicut] (inquit) [ego non sum de mundo.] Sequitur: [Pater non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos a malo, &c.] Persequitur illos odio mundus, in odio hoc mundi permanere oportet, eiusque persecutiones tolerare, vt Euangelium toto orbe promulgetur. ideò non rogo te vt tollas eos de mundo, & vt per mortem mecum eos in cælum ducas, ab omni mundi odio liberatos: hoc peto, vt inter odia mundi, & insectationes, in mundo maneant, seruesque illos a malo, malis vndique circumdatos. Repetit postea superiora verba: [De mundo non sunt, sicut ego non sum de mundo, &c.] vt ostendat fideles esse Apostolos, posseque in mundo & vita manere. Non rogo vt tollas eos de mundo: in mundo manere possunt, non contrahent sordes mundi, quia non sunt de mundo, à mundo separati moribus viuunt. Præterea hæc verba coram Apostolis repetiuit Dominus, vt illi intelligerent, nosque etiam intelligamus, quanti sit ponderis non esse de mundo Euangelij operarios. Illa verò; [vt serues eos a malo;] aliter exponi possunt hoc sensu: sed peto vt serues a Malo, ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, id est, a Dæmone, sic tomo secundo ostendimus verba extrema orationis dominicæ: [Sed libera nos a malo;] exponi posse. Dicitur autem Dæmon malus, vel malignus per antonomasiam, Matth. decimotertio. [Venit Malus & rapit quod seminatum est, &c.]

Discipuli nō erant ex mundo quēadmodum Christus.

Operarij Christi non sint de mundo.

Matth. 13.

Sanctifica eos in veritate.

NOn petit Dominus, vt tollat Pater discipulos de mundo, sed vt in medijs mundi persecutionibus seruet eos a malis. Multo enim præstantius erat in medijs persecutionibus a malo seruari, easque vincere, quàm ex mundo tolli, ne persecutiones paterentur. Addit: [Sanctifica eos in veritate:] hoc est, inter hostes. In hoc mundo permanentes discipulos meos, sanctificatione, veluti armis indue, ne vincantur, sed vincant. Charitas enim fides, spes, virtutesque omnes, hominem sanctificant; cælestiaque arma sunt, quæ illum protegunt. Sanctifica, inquit, in veritate. Quid sit autem veritas exponit, cum adiungit: [Sermo tuus veritas est,] hoc est, doctrina tua, quam ex me discipuli acceperunt, & seruauerunt veritas ipsissima est, a verbis enim tuis falsitas maximè aliena est. Sanctifica ergo illos per sermonem, verissimamque doctrinam, quam ex me audierunt; sanctifica illos per doctrinam acceptam, fide & operibus seruatam. Necessaria est illis hæc sanctificatio; quoniam [sicut tu Pater me misisti in mundum,] sic & ego misi siue mittam eos in mundum, vt inter hostes Euangelium prædicent. Hic sensus facilis est, & communis, ipsisque verbis in propria significatione retentis congruens, estque

Sanctificatio ministris Christi necessaria.

que Chrisostomus. Sic enim exponit: [Sanctifica eos in veritate;] fac eos Sanctos per Spiritus exhibitionem, & doctrinam rectam, &cæt. Eundem in modum exponit Theophylact. Diuus Thomas, & alij. Iam quidem erant discipuli sanctificati; sed Christus augeri sanctificationem petit, & confirmari inter persecutiones. Diuus Augustinus, sic explanat: Sanctifica eos Pater, idest, sanctiores fac, in veritate, id est, in me qui sum veritas. Sermo tuus Græcè, λόγος, veritas est, id est, ego Verbum tuum veritas sum.

D. August.

2. sensus.

Est sensus secundus qui verba à propria significatione transfert hũc in modum: sanctifica eos Pater, id est, ad Euangelium, sacerdotium, ministeriumque initia: non legalibus vmbris, aut ceremonijs, quibus veteris Testamenti ministri consecrabantur; sed in veritate, id est, re ipsa, Spirituque sancto. Sed simplicior, & verior est superior sensus: nam discipuli iam fuerant sacerdotio initiati Spiritu sancto, non ceremonijs legis veteris, in cœna, vt supra diximus. quorsum igitur petere oportebat, vt nunc initiarentur. Præterea Christus aperte explicauit quid veritatis nomine intelligeret, [Sermo, inquit, tuus veritas est, &c.]

In cæna, Apostoli Sacerdotes creati sũt.

Cum ergo ait, [Sanctifica eos in veritate,] non petit vt sanctificet eos in ueritate, id est, non in ceremonijs, vmbrisque legis veteris; sed petit vt sanctificet eos in sermone & doctrina sua, vt exposuimus, quæ veritas est.

3. Sensus.

Tertius sensus est Chrysostomi, qui verbum (sanctica) putat idem esse quod segregare ad Euangelium prædicandum. id autem significare uerbum, sanctifico, ostendimus tomo primo, libro septimo, capitulo duodecimo. Orat ergo Dominus sic; (Pater sanctifica discipulos meos, est, segrega eos ad Euangelium prædicandum, vel destina eos promulgationi Euangelij. Illud, (in ueritate,) sumi potest, pro in ueritatem, sanctifica eos in ueritatem Euangelij prædicandam. Diuus Thomas, Ioannes decimoseptimo. In testamento (inquit) ueteri erat modus loquendi, quo omne quod deputatur cultui diuino dicitur sanctificari, Exod. vigesimooctauo: (Applica ad me Aaron, &cæt.) dicit ergo; Sanctifica, id est, deputa (quasi per modum sanctificationis) eos in veritate, id est, tuæ ueritati prædicandæ, &cæt. Simile illud Act. decimatertia. (Dixit illis Spiritus sanctus, segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos, &cæt.) & illud ad Romanos primo. (Paulus uocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, &cæt.

D. Thom.

Exod. 28.

Act. 13.

Rom. 1.

Quartus sensus sumi potest ex alia significatione uerbi, (sanctifico;) sanctificare enim significat Deo offerre aliquid sanctificatum & sacrum. unde Exod. trigesimoquarto. (Sanctifica mihi omne primogenitum, &cæt.) Et Christus hoc loco ait; (ego sanctifico me ipsum,) id est, offero me tibi in sacrificium. Orat iuxta hunc sensum Christus Patrem, ut Apostolos sacrificium faciat gratum; (sanctifica eos Pater in ueritate:) hoc est, sacrificium tibi fac odoris suauissimi in ueritate Euangelica prædicanda. Vel aliter: sicut ego sanctifico me ipsum, id est, in sacrificium me tibi offero in cruce: sic tu sanctifica illos, id est, martyrij honore affice, sacrifica illos per martyrium in ueritate prædicanda.

Exod. 34.

Si hunc sensum sequamur, dicendum est Apostolos tunc quid Christus peteret non intellexisse ne terrerentur. Audiamus Theophylactum: sanctifica (inquit) eos Pater in ueritate: hoc est, separa eos in prædicationem, & fac eos sacrificium, quod ueritati tuæ ministret, huic suam uitam consecrent. Subdit enim, (sicut me misisti in mundum: & pro eis sanctico me ipsum, hoc est,

Theophyl.

Digitized by Google

est, offero sacrificium: ita & illos sanctifica, hoc est, separa in sacrificium in prædicationem, & constitue eos veritatis testes, sicut & me misisti veritatis testem & hostiam; ita & ipsi sicut & ego sint sanctificati & oblati tibi Deo, non in figura, sed in veritate. Sanctifica & consecra discipulorum animos, & fac eos veras oblationes, & corrobora, vt pro veritate se sacrificent. Hactenus ille.

Sententia authoris. Sanctitatem Christus precatur Apostolis.

Primus sensus communis est, & probabilior cæteris, quo petit Dominus discipulis sanctitatem ad prædicandum Euangelium toto orbe, quamobrem sequitur; [sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum,] hoc est, sicut tu me misisti in mundum ad prædicandum Euangelium; sic ego misi eos in mundum ad idem Euangelium promulgandum. Nondum Christus Apostolos miserat in mundum, sed misisse ait, quia iam cœperat mittere cum misit ad Iudæos, Matth. decimo, & Lucæ 9. quia iam nomen Apostolorum dederat, quod significat missos; denique quia post resurrectionem misit, eamque in rem ab initio illos vocauerat. Objiciet aliquis Christi hanc orationem non fuisse exauditam; siquidem petit sanctificari discipulos: illi verò paulo post in passione sunt scandalizati, vt supra Dominus prædixerat.

Obiectio.

Responsio.

Respondetur, Christum postulasse discipulis sanctificationem in aduentu Spiritus sancti, à quo admirabili modo sanctificati sunt, & in sanctitate confirmati, neque amplius vnquam scandalizati.

Et pro eis ego sanctifico me ipsum.

Diuus Augustinus sic interpretatur, [pro eis,] id est, quod prosit etiam eis, ego sanctifico me ipsum hoc est, ipsos in me, tanquam me ipsum sanctifico; quoniam in me etiam ipsi sunt ego, sunt enim mēbra mea, vt sint & ipsi sanctificati in veritate, hoc est, vt sint sanctificati in me, qui sum veritas. Sanctificauit se Christus secundum humanitatem, vt ait August. [in veritate,] id est, [in Verbo] quando [Verbum caro factum est;] sanctificauit etiam mēbra sua, in eadem veritate. Verbum (inquit August.) est veritas, in quo & ipse filius hominis, sanctificatus est ab initio creationis suæ, quando Verbum factum est caro: quia vna persona facta est Verbum & homo. Tunc ergo sanctificauit se in se, hoc est, hominem se, in Verbo se; quia vnus est Christus verbum, & homo, sanctificans hominem in Verbo. propter sua verò membra, inquit, [& pro eis ego;] id est, quod prosit etiam, quia & ipsi sunt ego. Hæc & alia similia August. Similem in modum D. Cyrillus. Cum (inquit) Christus sanctus natura sit vt Deus, propter nos sanctificatur, suæ carni sanctificationem immittens; ita Spiritum sibi ipsi vt Deus præbet, & vt homo accipit, quod non propter se ipsum, sed propter nos fecit, vt ex ipso & in ipso primo recepta sanctificationis gratia, ad totum genus transiret, &c. Verisimilius Chrysostomus Theophylactus, Rupertus, & alij sic explicant, [pro eis sanctifico me ipsum,] hoc est, offero me in sacrificium. Se enim obtulit Christus in sacrificium cum mortem pro nobis pertulit in cruce. Obtulit autem se sacrificium pro eis vt sint sanctificati, id est, vt sanctificationem consequantur in veritate, id est, in doctrina vera. Diuus Augustinus [in veritate,] interpretatur,

Quo Christus sanctificarit seipsum.

D. Aug.

Humanitatem suam Christus sanctificauit in incarnatione.

D. Cyril.

Christus in sacrificium se obtulit pro nobis.

Digitized by Google

catur, id est, in me. Rupertus [in veritate,] id est, non in vmbra, & figura legali, sed verè. D. Cyrillus, [in veritate,] id est, in Spiritu sancto.

Naturalis est Christo sanctitas, vt obseruat Diuus Cyrillus, in nos ab illo emanat. [Sanctifico] (inquit) meipsum, id est, iuxta sensum Cyrilli, meæ humanitati ego ipse sanctitatem tribuo, vt illi sint sanctificati. Diuus Cyrillus libro vndecimo, in Ioan. capitulo vigesimoquarto. Naturalis (inquit) in Christo

Sanctitas Christo naturalis est, in nos ab eo emanat.

D. Cyrill.

A puritas est. Nam cum Deus verus sit, peccato subiacere non potest; imò vero fons est virtutis, atque sanctificationis. In discipulis verò cæterisque fidelibus puritas, id est, ne terrenis rebus maculentur, non aliter inesse potest, quàm per diuinam B gratiam. Non permanet tamen nisi vigilemus, &c. Act. 10. Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris, &c. Deus enim est qui immunda animalia Petro oblata facit munda & pura.

Actor. 10.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XIX.

IOANNES CAPITE XVII.

NOn pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint: vt credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me: vt sint consummati in vnum: et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos; sicut et me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, volo vt ubi sum ego, et illi sint mecum: vt uideant claritatem meam, quam dedisti mihi; quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater iuste, mundus te non cognouit, ego autem te cognoui: et hi cognouerunt, quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam: vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.

Digitized by Google

Non pro eis autem rogo tantum.

Hactenus orauit Christus pro discipulis, qui præsentes aderant, orationemque auribus accipiebat. Nunc orat pro ijs, qui aberãt, & Apostolorum opera credituri erãt. [Non pro eis] (inquit) [rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, &cet.] Hoc est, non solum oro pro meis Apostolis, sed pro illis etiam qui per eorum doctrinam in me credent. Ex his verbis colliges Christum tunc temporis pro omnibus Christianis orasse, qui in ipsum ad finem vsque orbis credituri erant. Omnes enim ante mentis oculos præsentes habebat, & pro omnibus precatus videtur. Sed obijcitur, Christus pro ijs orat, qui credituri sunt per verbũ Apostolorum: ergo pro solis Christianis orat, quos Apostoli fidei mysterijs imbuerunt. Respondetur, omnes Christianos dici per verbum Apostolorum credidisse, quoniam illud fons fidei fuit, & quod illi docuerunt, idipsum consequentes docuerunt Euangelij promulgatores. Secundò obijcitur, Christus exauditus est a Patre: ergo vnitatem quam petebat, impetrauit; cum ergo improbi Christiani vnitatem charitatis non habeant, non est credendum pro ipsis orasse Dominum, & vnitatem illis postulasse, sed tantummodo probis atque electis. Respondetur verisimile esse pro solis electis nunc orasse, qui dilectionis vnitatẽ seruant, & pro illis esse exauditum. Suadent hoc verba consequentia; [Pater quos dedisti mihi volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum, &c.] quæ de electis intelliguntur; ergo etiam antecedentia de ijsdem intelligenda sunt. Quæ sententia est D. Thomæ tertia parte, quæstione vigesimaprima, articulo quarto ad secundũ. Non orauit (inquit) Dominus pro omnibus qui erant credituri in eum, sed pro his solum, qui erant prædestinati, vt per ipsum vitam consequerentur æternam, &c. Dici quoque potest, Christum pro omnibus orasse sufficienter, & pro prædestinatis efficaciter. Quemadmodum mors sufficiens fuit omnibus seruandis, non tamen efficax, sic & oratio. qua de re infra dicemus cum egerimus Deo volente de oratione Domini in cruce. Quòd si quis velit Christum pro ijs tantum orasse, quibus Apostoli fidem tradiderunt, nihil erit quod valde refragetur; verisimile enim videtur in gratiam Apostolorum, pro quibus nunc orabat, orasse etiam pro ijs, quos ipsi fecere Christianos: in quibus oratio impleta dicitur Act. 4. [Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, &c.]

Orat Christus pro Christianis.

Obiectio.

Responsio.

An pro solis electis orauerit Dominus.

D. Thomas.

Sententia authoris.

Christus orat & pro ijs qui Apostolis prædicantibus, credituri erant.

Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me.

Mirum in modum charitatem, atque vnitatem, & concordiã, Christus hac oratione commendat. Petiuit supra vnitatem Apostolis, [Pater] (inquit) [sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos, &c.] Hoc loco eandem vnitatem Christianis omnibus postulat; id enim quod maximè in eis vigere vult, atque excellere, vnitas est, & dilectio. Sermonem hunc extremum a præcepto charitatis inchoauit; [Mandatum] (inquit

Mira commendatio vnitatis et charitatis.

Ioan. 13. & 15. quit Ioan. decimotertio,) [nouum A do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, &c.] capitulo decimoquinto, idem iterauit: [Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, &c.] rursus, [Hæc] (inquit) [mando vobis, vt diligatis inuicem, &c.] eodem quoque capite de coniunctione atque vnitate palmitum cum vite egit. In hac extrema oratione & extremo vitæ tempore quod præcepit, a Patre B donari postulat Apostolis præcipuè, veluti doctrinę Christianę fontibus; deinde Christianis omnibus, qui ex his fontibus doctrinam hauriunt.

Petit Christus suis christianis vnitatē & charitatem.

[Pater] (inquit) Christianis meis hoc a te postulo, vt quamuis multi sint numero, totoque diffusi orbe, tamen omnes vnum sint, [sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, &c.] Vnitatem postulat, & modum eius indicat. C Modus autem est vt sint vnum in nobis, videlicet in me, & in te manentes; sicut tu Pater in me es & ego in te manens, id est, sicut tu & ego vnum sumus: quia tu in me es, & ego in te, quia tu meam vnicam naturam habes, & ego tuam: sic illi sint vnum in nobis manentes, nobiscum & inter se coniunctissimi, per charitatem atque concordiam. Hoc est quod supra dixit capitulo deci- D moquinto. [Manete in me, & ego in vobis] Item: [manete in dilectione mea, &cet.] Sumus autem vel manemus in Deo vno, atque trino, per charitatem, atque amorem.

D. Ambr. Hæc verba sic expendit Diuus Ambrosius libro quarto de fide capitulo secundo. Considera (inquit) quod non dixit Christus; Tu in nobis, & E nos in te; sed, Tu in me, & ego in te:] vt se a creaturis separaret. Et addidit, [& illi in nobis,] vt etiam hic suam potentiam, & Patris, a nobis secerneret, vt quod nos in Patre, & filio vnum sumus, non naturæ videatur esse, sed gratiæ. Quod autem filius, & Pater vnum sunt, non hoc filius accepisse per gratiam, sed naturaliter vt filius, possidere credatur. Sic ille.

Similitudo modusque vnitatis a Christianis omnibus seruandæ a summa petitur sacrosanctæ Trinitatis vnitate. Sacrosancta Trinitas vnum est natura, quia vnicam, simplicissimamque naturam habent tres personæ, vnicum intellectum, vnicam voluntatem, vnicam omnipotentiam, vnicam sapientiam. Christiani vnicа quidem natura, vnum esse non possunt; sed eadem fide, charitate, concordia, pace, vnum efficiuntur, in Deo manentes: Quemadmodum tres personæ eundem habent intellectum, eandemque voluntatem, ac sapientiam; sic oportet Christianos, in rebus ad fidem pertinentibus eundem habere intellectum, eandemque sapientiam, ab intellectu diuino emanantem: in rebus verò cæteris, eandem voluntatem, & idem cor, iuxta illud Actorum quarto. [Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, &c.] Videlicet idem credebant, idem omnes volebant, non erant inter illos schismata, aut diuisiones, primo Corinth. primo. [Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi vt idipsum dicatis omnes. & non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia, &c.] ad Ephes. quarto. [Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, &c.] De hac Christi oratione, & vnitatis nostræ desiderio Diuus Cyprianus libro de oratio. Dominica, Magna (inquit) Domini benignitas pariter & pietas, vt non contentus quòd nos sanguine suo redimeret, adhuc pro nobis amplius & rogaret. Rogantis autem desiderium videte quod fuerit, vt quomodo vnum sunt Pater, & Filius, sic & nos in ipsa vnitate maneamus, vt hinc quoque possit intelligi quantum delinquat, qui vnitatem

Vnitas Christianorum similis esse debet vnitati S. Trinitatis.

Act. 4.

1. Cor. 1.

Ephes. 4.

D. Cypr.

tatem scindit, & pacem; cum pro hoc & rogauerit Dominus, volens, scilicet, sic plebem suam saluam fieri, & in pace viuere, cum sciret ad regnum Dei discordiam non venire. Diuus Cyprianus, lege Diuum Athanasium sermone quarto contra Arianos.

Vt credat mundus, quia tu me misisti.

D. Aug.

DIuus Augustinus arbitratur, verba hæc petitionem continere, petereque Dominum, vt mundus credat ipsum esse Messiam a Patre missum. hoc sensu: rogo vt mundus credat, quod tu me misisti. Verbum, rogo, ter repetendum censet hoc pacto; [Rogo vt vnum sint.] Item: [rogo vt sicut tu in me, & ego in te, vt etiam ipsi vnum sint in nobis] Item: [Rogo vt credat mundus quia tu me misisti.] Sequor potius Diuum Chrysostomum, qui verisimilius putat verba hæc non continere precationem; sed causam cur concedi debeat illud quod precatus est Dominus: Vt omnes vnum sint, &c.] Est sensus: Peto Pater vt omnes Christiani vnum sint fide, atque amore, sicut tu Pater in me, & ego in te, vnum sumus natura, intellectu & voluntate; sic & ipsi in nobis per gratiam manentes, vnum sint fide, charitate, & concordia; sit in illis vnus intellectus, vna voluntas, anima vna, & cor vnum. Vt mundus tantam cernens inter Christianos charitatem, credat me illorum legislatorem, & tanti amoris autorem a te ex cælo esse missum, filiumque esse tuum, qui admirabilem in hominibus vnitatem effecerim. Similis locus ille est huius sermonis extremi Ioannis decimitertij, In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem, & cætera. Quemadmodum mundus in hoc cognoscit Christianos esse Christi discipulos, quia se mutua prosequuntur charitate; sic idem mundus cum eandem mutuam inter Christianos, ardentemque charitatem animaduertit, argumentum habet, signumque magnum, ex quo credat, Christum Christianæ religionis, legisque conditorem a Deo ex cælo fuisse missum. Ex cælo enim charitas in terra descendit; ex Tartaro ascendit odium, schismata, dissensiones. Idem repetit paulò infra Dominus dicens: vt sint consummati in vnum; vt cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti, & cætera. Legendus est Tertullianus Apologetici capitis trigesimi noni, & Diuus Chrysostomus homilia septuagesima prima in Ioannem.

Sensus authori probabilior.

Vnitas signum discipulorũ Christi.

Ioann. 13.

Signũ Christianorum, est charitas & charitas signum est, Christũ Deum esse authorẽ Christianæ legis.

Claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis.

MVltiplicem sensum habet hic locus. Primus est Diui Augustini, qui de immortalitate verba hæc interpretatur, hunc in modum; claritatem Græcè, δόξαν, id est, gloriam immortalis, quam mihi paulò post dabis, dedi eis, id est, dabo eis; præterita enim pro futuris sumuntur, propter immobilitatem prædestinationis, vt ait Diuus Augustinus. Sed obstant verba sequentia; [vt sint vnum sicut & nos vnum sumus.] Quid enim immortalitas confert ad vnitatem, & charitatem huius vitæ, de qua sermo nunc est? Respondet D. Augustin hoc beneficio, quod ait; claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: id fieri voluit, vt omnes vnum sint, &c. Itaq; non obstant verba sensui. Nam

Sensus Augustini.

Nam immortalitatem, gloriamq; sempiternam Christianis Deus pollicetur, & donat, vt hoc beneficio, & prœmio ad hoc adducantur, vt sint vnum in terra mortales, qui vnum erunt in cælo iam immortales. Aliter sic responderi potest; dedi eis per prædestinationem, & re ipsa dabo, pollicitusque iam sum claritatem æternam, vt eam concupiscant, non inanem vanamque huius mundi gloriam; vt vnum sint. Nam desiderium cælestis gloriæ contemptum parit terrenæ: contemptus verò terrenæ parit vnitatem inter Christianos. Schismata enim, hæreses, odia, dissensiones, à cupiditate terrenæ gloriæ emanant.

Alius respõdẽdi modus.

Explicatur August.

Potest etiam Augustinus sic exponi: hoc beneficio quod ait, [clari tatem quam dedisti mihi, dedi eis;] id fieri voluit vt omnes vnum sint, videlicet in cælo, postquam fuerint immortales & beati. Verba enim sequentia; [vt sint consummati in vnum:] de vnitate cælesti interpretatur: siquidem in cælo consummati ac perfecti sunt in vnum beati, perfectissimæ charitatis, & concordiæ vnitate, ac vinculo colligati. Id præterea quod sequitur: [vt cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti, &cæt.] ad cælestem refert beatitudinem; in qua mundus, id est, homines beati ex mundo assumpti, cognoscunt apertè Christum esse à Patre missum, &c.

Sed multo probabilius est, Christum de ea vnitate hoc loco habere sermonem, quam inter Christianos in terra versantes esse vult, non autem de ea, quæ in cęlo est inter beatos.

Secundus sensus.

Secundus sensus probabilis est, quo claritas siue gloria accipitur pro gloria & claritate filij Dei, hoc pacto: Ego claritatem siue gloriam filij Dei naturalis, quam tu dedisti mihi, quia me genuisti, dedi Christianis. Feci enim eos Dei filios, non quidem naturales, sed adoptiuos; quæ magna est claritas siue gloria. [Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus:] hoc est, vt facti omnes filij Dei, sint vnum fraterna dilectione atque concordia. [Et ego sim in eis,] per gratiam & amorem, tanquam caput meorum membrorum, & meorum fratrum adoptiuorum: [Et tu in me,] per naturam, & substantiam diuinam. [Vt sint consummati, & perfecti in vnum,] id est, in fraterna vnitate; & mundus fraternam hanc Christianorum videns vnitatem, argumentum & signum habeat, ex quo cognoscat me à te missum esse ex cælo, cuius lex & religio tantam inter homines in terris concordiam, & vnitatem efficit. Cognoscat præterea ex tanta Christianorum inter se dilectione, quod tu Christianos dilexisti, sicut & me dilexisti; cognoscat, inquam, Christianos tibi esse dilectos in mundo, quemadmodum ego tibi dilectus sum.

Dedit Christus nobis claritatem siue gloriam filiorum Dei.

Cognoscit mũdus Christianos, ex mutua charitate.

Non loquitur Dominus de pari dilectione, siquidem dilectio Patris in Christum longè superat dilectionem in Christianos; sed de dilectione simili. quod Diuus Athanasius multis verbis docet sermone quarto, contra Arianos in illa verba, [Vt sint vnum sicut & nos, &cæt. & Ambrosius libro quinto, de fide capitulo tertio. Nunquid (inquit) sic diligi possunt à Deo homines, quemadmodum filius, in quo complacuit Pater? ille per se complacet, nos per ipsum.

D. Ambros. Christus per se placet patri, nos per Christũ patri placemus.

In quib. enim Deus filium suũ ad imaginem suam cernit, eos per filium asciscit in gratiam filiorum, vt quemadmodum per imaginem ad imaginem sumus, sic per genera-

tio-

Digitized by Google

tionem filij in adoptionem vocemur. Alius igitur naturæ amor sempiternus, alius gratiæ, & cætera.

Gloria prædicationis Euāgelij data Apostolis.

Tertio sensu significat claritas siue gloria, gloriam missionis ad promulgandum Euangelium. Dedit Pater hanc gloriam siue claritatem filio, vt in mundum veniret, & Euangelium hominibus multis coruscantibus miraculis, & magna vitæ ac doctrinæ integritate prædicaret: eandem gloriam dedit Christus discipulis. ideo ait, ego claritatem siue gloriam promulgandi Euangelium cum miraculis, vitæque sanctitate, & hominum conuersione dedi eis; [vt sint vnum;] quoniam huiusmodi promulgatio magnam postulat inter promulgatores tum doctrinæ, tum amoris vnitatem.

Hic sensus ad Apostolos pertinet. Fauet illi Chrystosomus.

De August. Eucharistia

Quarto sensu sumitur gloria pro gloria gloriosissimæ Eucharistiæ, hoc pacto. Ego gloriam, siue claritatem quam dedisti mihi in Eucharistia, vt à cunctis hominibus panis, viniquе speciebus velatus adorer, atque colar, dedi eis. Dedit enim nobis Christus Eucharistiam, in qua maximè glorificatur in terra. Dedi (inquit) eis Eucharistiæ gloriam, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum, &cæt.] Etenim Eucharistia sacramentum est vnitatis Christianorum vt alibi diximus, iuxta illud Paulo 1. Corinth decimo: [Vnus panis, vnum corpus multi sumus omnes qui de vno pane participamus, &cæt.] Dedit ergo nobis augustissimum hoc sacramentum Dominus, vt simus vnum charitate inter nos, sicut ille vnum est diuina natura cum Patre. Ego (inquit) in eis ero,] per sacramentum Eucharistiæ, [& tu in me] eris Pater in eadem Eucharistia, quia non humana solum, sed diuina etiam Christi natura in illa est; vt sacramentum sumentes sint consummati & perfecti in vnum, id est, in vnitate charitatis. Fauent huic sensui Diuus Cyrillus, in Ioannem, & Diuus Hilarius libro octauo, de Trinitate. Cardinal.

Eucharistiā dedit Christus nobis vnionis gratia.

Caiet.

Caietanus gloriam Patris putat datam Christo quod venit propagaturus, & quæsiturus gloriam Patris.

Sic verò locum hunc exponit: ego gloriam tuam Pater quam dedisti mihi, vt in mundo eam quærerem, ac propagarem, dedi discipulis meis, vt illi illam solum quærant, totoque orbe diffundant. Dedique eis donum magnum, vt non sua sed tua solum gloria delectentur; vt sint vnum sicut & nos vnum sumus.

Qui enim solam Dei gloriam, non suam quærunt, hi vnitatem & charitatem seruant; qui suam ambiunt, non Dei, hi dissidijs Ecclesiam perturbant.

Destructiuum (ait Caietanus) vnitatis Christianorum est gloria propria, & nomen proprium, &cæt.

Digitized by Google

Volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam.

IN fine orationis, sempiternæ gloriæ beatum finem suis electis postulat Dominus; [Pater (inquit) quos dedisti mihi, volo vt ibi sum ego, & illi sint mecum: vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi, &cæt.] Verbum (volo) Augustinus tractatu centesimodecimoprimo, ait significare posse diuinam voluntatem, hoc sensu: volo Pater diuina voluntate, qua tibi æqualis sum; & libro tertio, contra Maximinum, capitulo vigesimo. Non dixit Christus (ait Augustinus.) Peto, vel Rogo, sed volo, vt filio volente faceret Pater, sicut Patre volente, faciebat filius, &cæt. Et epistola centesimaseptuagesimaoctaua. Si æqualitas (inquit) non est (inter Patrem & filium) non auderet inferior dicere superiori, omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.

Aeternã cæli gloriam suis postulat Dominus.

D. Aug.

Nec auderet dicere: Volo vt vbi ego sum, & isti sint mecum. Non, inquam, diceret volo, sed diceret supplicans, rogo, &cæt. Verisimilius est veerbum (volo) significare desiderium, siue voluntatem humanam optantem, hoc sensu, Cupio, Opto, Pater vt hoc mihi concedas. Precatur itaque Dominus, voluntatis suæ humanæ desiderium Patri proponens, ac dicens; Volo Peter, vt vbi sum ego, & illi sint mecum, & cætera.

An loquatur Dominus secundum voluntatem.

Erat Christus in cælo secundum diuinitatem, iuxta illud Ioannis tertio. [Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo, &cæt. Cum ergo precatur: [volo vt vbi sum ego, ibi illi sint mecum;] Patrem orat vt electi cum illo sint in cælo, gloriaque cælesti. Erat præterea Christus secundum humanitatem, in diuina beatitudine, qua perfruebatur in via, siquidem simul viator erat & comprehensor. Vnde sensus esse potest Lyrani, Volo vt vbi ego sum, ibi & illi mecum sint, videlicet in beatitudine, quæ in visione Dei posita est.

Ioan. 3.

Tertium sensum affert Augustinus. Eo (inquit) modo dicere potuit; [vbi ego sum:] quo intelligeremus quod cito fuerat ascessurus in cælum, vt iam ibi esse diceret, vbi fuerat mox futurus, &cæt.

Sensus Augustini.

Sensus est: vt vbi ego sum, id est, vbi ego paulo post ero, id est, in cælo, illi sint mecum. Nam post paucos dies Dominus ascendit in cęlum. Simile illud Ioann. duodecimo. [Si quis mihi ministrat me sequatur, & vbi sum ego, illic & minister meus erit, &cæt.] & illud Matthæi vigesimoquarto. [Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ, &cætera.

Ioan. 12.

Matth. 24.

Difficilius est quod sequitur: [vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me, &c. Dubitatur, loquitur ne Dominus de claritate, siue gloria diuinæ naturæ, an de gloria humanæ, cum ait, [vt videant claritatem meam, &cæt. De gloria diuinæ naturæ loqui probatur, quia loquitur de beatifica visione; [Volo, inquit, vt sint mecum in cælo, & sint beati videntes gloriam meam,] in cuius visione beatitudo sita est. At qui beatitudo in visione diuinæ naturæ sita est; ergo de gloria diuinæ naturæ verba facit.

Loquatur ne Domin⁹ de gloria diuina natura an humana.

Contra vero de gloria humanæ naturæ loqui Dominum suadent verba illa; [quam dedisti mihi; quia

quia dilexisti me:] etenim claritatem diuinæ naturæ dedit Pater filio, non quia dilexit eum, sed naturali ac necessaria generatione. Claritatem autem, siue gloriam naturæ humanæ dedit, quia dilexit. Non ergo sermo hic habetur de gloria diuinæ naturæ, sed de gloria naturæ humanæ, quam Pater Christo dedit, quia ipsum dilexit. Respondetur loqui Dominũ de claritate siue gloria naturæ humanæ, & quia hæc a diuinitate emanat, consequenter etiam loqui de gloria diuinitatis. Est sensus; Volo vt in cælo mecum sint, vt ibi videant me non vt modo vident pauperem, abiectum, affectumq; opprobrijs, & cruciatibus, sed immensa animæ corporisque claritate fulgentem, quam tu antequam mundũ conderes, mihi per æternam prædestinationem dedisti, quia me dilexisti. Magnæ enim gloriæ, magnus amor causa fuit. Facilis est hæc interpretatio, probaturque ratione iam proposita, quia amor Dei causa fuit humanam Christi naturam condecorantis gloriæ, non autem illius, quæ diuinæ naturæ naturaliter inest.

Loquitur de gloria humana natura.

Quia tamen beatitudo æterna, in visione diuinæ naturæ præcipuè collocata est, non caret probabilitate loqui Dominum de gloria diuinæ naturæ, hoc sensu, vt videant claritatem, siue gloriam diuinæ naturę, quam dedisti mihi per æternam generationem. sic exponit D. Chryso. & Theophyl. Rationi propositæ respondetur, amorem quidem Patris, non fuisse causam generationis ęternæ filij, quia illa necessaria est, & naturalis, non libera; Christum vero sic locutum: [Quam dedisti mihi, quia dilexisti me, &c.] propter amorem concomitantem ipsam generationem, quasi diceret; Quam gloriam diuinitatis dedisti mihi me gignendo, magno concomitante amore. Verum non facit mihi satis hæc nodi huius dissolutio.

De gloria diuina natura loqui probabile.

Amor non fuit causa diuina generationis.

Satius erit hunc in modum explanare; [vt videant gloriam, quam dedisti mihi;] naturam diuinam cum natura mea humana eodem in supposito copulando: quia dilexisti me ante mundi constitutionem: vt videant me Deum esse & hominem, gloriamque habere tum diuinitatis, tum humanitatis cum illa copulatæ præcellentissimam. Nam ante mundi constitutionem, & ab æterno, Deus decreuit cum natura Christi humana, diuinam naturam coniungere eodem in supposito; huius verò tantæ gloriæ causa fuit amor eximius, non merita.

Alius sensus

Neque enim Christus antequam humanitatem haberet, potuit habere merita, vnde Diuus Augustinus in Enchiridio capitulo 36 Quid (inquit) natura humana in homine Christo meruit, vt in vnitatem personæ vnici filij Dei singulariter esset assumpta? quæ bona voluntas, cuius boni propositi studium, quæ bona opera præcessere, quibus mereretur ille homo, vt vna fieret persona cum Deo? nunquid antea fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, vt singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo homo esse cœpit, non aliud cœpit esse homo, quàm Dei filius.

Incarnationis causa nõ fuere merita Christi. D. August.

Vnde naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis, sine dubitatione gratuita, nisi quia magna hic & sola Dei gratia euidenter ostenditur? Hæc Augustinus. Aliter dici potest, verba illa: [Quia dilexisti me ante mundi constitutionem;] non esse referenda ad gloriam, quam Pater Christo vnigenito suo dedit, sed ad gloriam, quam dat eius membris, in hanc sententiam; Volo Pater vt in cælo vbi sum ego, sint mecum membra mea viua, vt videant gloriam naturæ meæ diuinæ, quam dedisti mihi per æternam generationem, & naturæ etiam humanæ.

Alius sensus.

Volo

Digitized by Google

Volo autem, & peto vt eis beatitudinis præmium largiaris: [quia dilexisti me ante mundi constitutionem,] id est, propter amorem vnigeniti tui, membris eius dona beatitudinem. Idcirco infra ait, [vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, &c.

Pater iuste mundus te non cognouit, &c.

Ratio beatitudinis quã precatur Christus Apostolis, est viua fides.

CAusam reddit Dominus, cur velit secum in cælo esse discipulos suos, nimirum quia fide viua incarnationis præditi sunt, Deũque cognouerunt, quem mundus non cognouit. Vel aliter; orationi finem imponit, ostendens se magistri officio ad mortem vsque rectè functum, discipulos eatenus docendo, post mortem etiam & resurrectionem eosdem docturum pollicetur, vt dignos efficiat Patris dilectione, & æterno præmio. [Pater] (inquit) [iuste,] id est, Pater sancte, infinita iustitia, id est, sanctitate præcellens; [Mundus te non cognouit.] Nonne improbi Pharisæi, illisque similes Iudæi alij Patrem cognoscebant?

Quæstio. Responsio.

Respondetur, cognouisse quidem vnum Deum, sed ignorasse esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. itaque ignorabant Patrem. Præterea non cognoscebant Patrem cognitione cum mandatorum obseruatione coniuncta, de qua primo Ioan. secundo. Qui (inquit) [dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, &c.

Trinitas reuelatione tantum innotuit.

Non cognoscebat mundus Patrem, & sacrosanctam Trinitatem, neque cognosci poterat, nisi Deus patefaceret. ideo ait Dominus; [Mundus te non cognouit, ego autem cognoui te;] mundus te neque cognouit, neque potest cognoscere, ego autem te egregiè cognoui, possumque te quibuscumque voluero notum facere. Ioan. primo, [Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit, &c] Feci te notum Pater discipulis meis, & hi cognouerunt, quia tu me misisti in mundum. notum iam feci eis nomen tuum, magisque notum faciam post resurrectionem meam. fecit autem Dominus notum discipulis nomen Patris post resurrectionem, quadraginta diebus illos docens, & Spiritum sanctum ex cælo mittens. Diuus Augustinus aliter exponit; Notum, inquit, feci eis nomen tuum per fidem, notum faciam per speciem, notum feci peregrinantibus, notum faciam sine fine regnantibus, &cæt.

Ioan. 1.

D. August.

Varia interpretatio.

Est & alia interpretatio: Notum feci nomen tuum discipulis, quia iam te cognouerunt, & notum faciam post aduentum Spiritus sancti, per Apostolos meos ijs qui nondum crediderunt.

Sequitur, [vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis, &c. Nunquid eadem dilectione, qua Pater Christum diligebat, diligebat discipulos? id enim videntur significare verba hæc, [vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit.] hoc est, vt dilectione eadem qua dilexisti me, ipsos diligas. Respondetur, in Deo vnum tantum esse amorem infinitum, quo Christum, & discipulos diligebat; ex parte tamen effectuum, & obiecti, non dilexisse discipulos eadem dilectione qua Christum dilexit. Siquidem Christum multo maiori dilectione prosecutus est. Est ergo sensus; notum feci nomen tuum discipulis meis, & notum faciam, vt dilectio tua qua dilexisti me, in ipsis sit: hoc est, vt quemadmodum me diligis, sic illos diligas, non æqua-

De amore Patris in filium, & discipulos.

Digitized by Google

æquali, sed simili charitate.

Præterea quia Pater discipulos propter Christum diligebat, tanquam illius membra, idcirco merito ait, [vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit,] tanquam in membris meis, id est, vt diligas eos propter me tanquam membra mea. Quomodo (ait Augustinus tractat. 111.) dilectio, qua diligit Pater filium, est & in nobis; nisi quia membra eius sumus, & in illo diligimur, cum ipse diligitur totus, id est, caput, & corpus, &cæt. *D. August.*

Sequitur; [Et ego in ipsis,] quod Augustinus ita interpretatur; Quoniam ego sum & in ipsis, tanquam caput in membris. Sed verisimilius est, verba hæc sic intelligenda; notum feci discipulis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio tua Pater in ipsis sit te cognoscentibus, atque colentibus, & ego etiam sim in ipsis, & mansionem in ipsis faciam, iuxta illud Ioannes decimoquarto. [Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, &c. *D. August.* *Ioan. 14.*

Alius esse potest horum verborum sensus; Dixerat Dominus; [Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi. Quia dilexisti me ante mundi constitutionem.] hoc est, Volo Pater vt æternæ gloriæ præmium largiaris discipulis meis, propter me, quia dilexisti me, & propter me diligis illos. Pater digni illi sunt præmio hoc, quoniam te cognouerunt viua cognitione, & mandata obseruante. [Mundus te non cognouit, ego autem te cognoui, & hi cognouerunt, quia tu misisti me. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio, qua dilexisti me] ante mundi constitutionem, [in ipsis sit,] dando eis propter me, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, hoc est, gloriam sempiternam, [& vt ego sim in ipsis,] id est, vt ego sim cum ipsis, in cælesti regno. Præpositio enim, in, sæpè Hebraicè pro, [cum,] vsurpatur. Vel, [& ego sim in ipsis,] in cælo velut caput in membris: vel, & ego habitem in ipsis, velut in templis meis, Græcè legitur ἡ ἀγάπη ἣν ἠγάπησάς με, id est, [dilectio quam dilexisti me, &cæt.] Quam versionem interpretatur Diuus Augustinus, & rectè indicat esse Græcismum, dilectio quam dilexisti me, pro; dilectio qua dilexisti me. *Alius sensus.* *Christus est in suis sicut caput in mēbris, vel vt Deus in tēplis suis.*

Pater iuste mundus te non cognouit.

Rupertus arbitratur, Christum hoc loco gratias agere Patri, quod electi Patrem cognouerint, mundus autem superbus non cognouerit. *Rupert.*

Sic Luc. decimo, Gratias agit, quod arcana mysteria superbis absconderit, paruulis manifestauerit dicens: [Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quòd abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, &c.] Non placet hæc sententia; non enim hic video gratiarum actionem. Diuus Augustinus, vult Patrem nunc appellari iustum, eo quod iustè mundo impio sui cognitionem non tribuerit, propter scelera ab eo commissa. Propterea (inquit) mundus te non cognouit, quia iustus es, & meritis eius, vt non cognosceret, tribuisti, &c. *Luc. 10.* *Non ita placet Ruperti sententia.*

Euthymius iustum appellari ait, quia voluit non a solis Iudæis, verum etiam ab omnibus hominibus agnosci, vt omnes salui fierent. Diuus Cyrillus, quia misit filium ad renouandos homines, & diabolum *Euthymius* *Cyrill.*

Digitized by Google

Chrysost. bolum eorum hostem plectendum. Diuus Chrysostomus: quia etsi mundus Patrem non cognouit, eum non potest arguere iniustitiæ. Forsitan satius erit, iustum pro sancto accipere, vt sæpe solet accipi; hoc sensu, Pater iuste; id est, Pater sancte. *Iustus, pro sancto, accipitur.* Quod si pressius vis accipere, sensus erit; Pater iuste, mundus te non cognouit; cognouerunt autem te discipuli mei a me docti. qua in re nulla tua est iniustitia, sed summa iustitia, vt Augustinus supra indicauit. Et Rupertus, *Rupertus.* iustè (inquit) actum est, vt creatorem suum mundus ob culpam superbiæ cæcatus non cognosceret, &cæt. Hæc de oratione Domini sint satis, ad passionem transeamus.

FINIS LIBRI QVINTI.

SEBA-

SEBASTIANI BARRADAS, E SOCIETATE IESV, DOCTORIS THEOLOGI,

Commentariorum in Quatuor, Euangelia, eorumque concordiam Euangelicam.

LIBER SEXTVS.

De Paßione Domini.

CAPVT PRIMVM.

De praecellentijs Paßionis Christi.

Passio ab æterno decreta.

PRIMA. Passio Christi ab æterno fuit à Deo prędestinata, atq; decreta, vt homini lapso succurreret, non Angelo. Etenim lapsus est Angelus, lapsus quoque est homo; lapso Angelo remediũ Deus minimè prædestinauit; pro homine aũt lapso mortẽ subire ab æterno decreuit. Quę sanè res est stupẽda. Angelos nobilissimos, Cherubinos, atque Seraphinos, peccato contaminatos, absque remedio æternis flammis mancipauit; homines verò multò illis inferiores, fuso sanguine redemit. Huiusce rei rõ sic redditur ab Augustino in Enchiridio ca. 29. Placuit, inquit, Deo, vt qm̃ non tota multitudo Angelorũ Deũ deserẽdo perierat; ea q̃ perierat ĩ ppetua perditione remaneret. Alia verò creatura rationalis, quæ in hominib. erat qm̃ peccatis, atque suppliciis, & originalibus, & propriis, tota perierat, ex eius parte reparata, quod angelicæ societati ruina illa minuerat, suppleret, &c. Periit totum humanum genus in Adamo, inquinatum originali peccato, noluit Deus, vt totum periret, redemptorẽ idcircò illi constituit. Non peccauere Angeli omnes multò plures in gratia permansere. hos cælesti beatitudine donauit, reliquis redẽptorem minimè concessit. Aliã rõnem reddit D. Gregor. lib. 4. mor. c. 9. nimirũ hominis imbecillitatẽ, quæ ex carne oritur. Duas, inquit, creaturas ad intelligẽdum se fecerat Deus angelicam, & humanam; sed vna tegmen carnis habuit, alia verò nihil infirmum de carne gestauit. Misertus ergo creator, vt redimeret, illam ad se debuit reducere, quę in perpetratione culpæ, ex infirmitate aliquid constat habuisse. Et eò amplius debuit apostatã Angelũ repellere, qui cũ à persistendi fortitudine corruit, nihil infirmũ ex carne gestauit, &c. Addit tertiã rõnem idẽ Pôtifex sanctiss. c. 10. eiusdẽ libri; Est, inquit, adhuc aliud, quo & perditus hõ reparari debuit, & superbus spiritus reparari nõ possit. quia nimirum Angelus sua malitia cecidit; hoiem verò aliena ꝓstrauit, &c. Adiũge quartã ex

Cur Deus hoies non Angelos redemerit.

D. August.

Noluit Deus totũ genus humanũ perire.

D. Gregor.

Rationes cur homines nõ Angelos debuit Christus redimere.

D. Gregor.

D. Augu. ex Augustino tract. 110. in Ioan. Cum nouerimus, inquit, Deũ reparãdis angelis malis, nihil gratiæ cõtulisse; cur non potius intelligimus, quod tanto dãnabiliter illorum iudicata sit culpa, quantò erat natura sublimior? tãtò enim minus quã nos peccare debuerunt, quantò meliores nobis fuerunt, &c. Quintã affert Theodoretus, lib. 6. de prouidentia diuina his verbis; quoniã res vniuersi, quæ sub sensum cadunt, propter homines creatæ sunt; ideò Deus non putauit contẽnendum hominẽ cuius gratia cuncta creauisset, &c. Deniq; diabolus hominẽ persecutus est, quia creatura Dei erat, inflammatusq; Dei odio illius opus eximiũ voluit omnino euertere atq; perdere. Ne ergo quod cupiebat efficeret, opus suũ euersum excitauit Deus.

Theodore.

Propter hominẽ deus cũcta creauit, ideo eũ redimere voluit.

Quandiu permanserint in gratia mali Angeli.

Hugo Victo.

Rogabit aliquis, quandiu dæmones in gratia permanserint? Hugo Victorius lib. 1. de sacram. par. 1. c. 10. sic respondet; vt mihi videtur eodẽ prorsus temporis momẽto, quo visibiliter & corporaliter diuisa est lux à tenebris, inuisibiliter quoque boni Angeli discreti sunt à malis, istis in tenebras peccati cadentibus, & illis ad iustitiæ lucẽ conuersis, illuminatisq; à luce, vt lux essent, non tenebræ. Sic. n. consonare debuerunt operũ Dei exẽplaria, vt quæ visibilia erant opera sapientię inuisibiliũ prouentus sequerẽtur. &c. Existimat Hugo eo tempore, quo Deus lucẽ à tenebris diuisit, Angelos malos in peccatũ incidisse, & à bonis Angelis diuisos esse per peccatũ, diuisionẽq; hanc Angelorũ illi rñdisse, quę inter lucẽ, & tenebras facta est. Sed coniectura tenuis est. D. Isidorus lib. 1. de summo bono, c. 12. putat Angelos peccasse, & è cælo deturbatos esse antequã homo conderetur. i. ante sextũ diem. Prius, inquit, de cęlo cecidisse diabolus creditur, quã homo conderetur. Nam mox, vt factus est in superbiam erupit; & statim vt factus est, cecidit, &c. Nonnulli opinati sunt in gratia perseuerasse omnes, vsq; ad sextũ diẽ; septimòque aut octauo die antequã Adamus peccaret corruisse: probatur, quia de sexto, *vidit Deus cũcta quæ fecerat, & erãt valde bona*, Gen. 1. Erant ergo Angeli boni illa die. Sed dici potest illa verba de rebus corporeis intelligenda, quarũ Moyses fecerat mentionẽ, Angelorum. n. non meminit. Præterea Deus vidit cũcta quæ ipse fecerat esse valde bona: Angeli quoque quos fecerat erant valde boni. Peccatum valde malũ non fecerat Deus, sed Angelus. Non desunt, qui velint illos peccasse primo die.

Hugo.

D. Isidor.

Genes. 1.

Respondetur incertum esse quanto tẽporis spatio perstiterint dæmones in gratia. Ceciderũt illi quidẽ in peccatum, antequã Euam serpens deciperet, vt est perspicuum, intercessisse aũt videtur aliqua mora post peccatũ antequam è cælo præcipitarentur: in qua mora an potuerint pęnitentiã agere dubiũ est. Respondetur non potuisse, qm̃ redemptore caruerunt, propter cuius merita auxilia illis supernaturalia ad agendã pęnitentiã necessaria cõcederentur. Vnde illud D. Damasc. lib. 2. fidei, c. 4. Quod hominibus est mors, hoc est Angelis lapsus. Post lapsum. n. præclusa iã est illis omnis resipiscẽdi facultas, quẽadmodum, & hominibus, postquã ex hac vita migrãt, &c. D. Bern. in ser. fer. 4. hebdo. sanctæ. Nunquid, inquit, passio Angelo data est? sed ille non eguit. Nunquid Diabolo? sed ille nõ resurgit, &c. Scotus tñ lib. 2. sent. dist. 6. q. 2. ad argumenta princip. existimat potuisse Angelos agere pęnitentiã, antequam è cælo præcipitarent: Dico, inquit, q̃ qñ Angelus peccauit secundo peccato, adhuc fuit in via, & per cõsequens qñ peccauit secundo peccato, potuit pęnitere de primo. Et ita primũ peccatum ex se non fuit irremediabile, quia si pęnituisset inuenisset veniam, & misericordiã, &c. Idem arbitratur Gabriel, eadẽ d. q. vnica ar. 2. & P. Salmeron 2. Pet. 2. Media, inquit, sñia videtur, vt post peccatum admissum ab Angelis, certa æui duratione fuerint expectati ad resipiscentiã, qua cũ abuterentur, ad superbiã suam alendã, de cælo deiecti sunt, &c. Fauet D. Berna. serm. 10. in Psal. 90. Quia, inquit, conuerti noluerunt dæmones, à via præsum-

Authoris responsio.

An dæmones post peccatũ potuerint agere penitẽtiã.

Damascẽ.

Opin. Scot.

Gabr.

Salmeron.

sumptionis, inciderunt in viam obstinationis, &c. Conuerti ergo potuerunt. Si obiicias, caruerunt redemptore, ergo pœnitentiã agere non potuerunt, respondere possem, Christũ fuisse redemptorẽ tum hominum, tũ Angelorum, quandiu erant in via: sed illos noluisse pœnitẽtiam agere. Vel, Deũ voluisse peccata Angelis dimittere absque redẽptore. Sed mirum est, nullũ ex tot myriadibus Angelorum, qui in peccatum lapsi sunt, egisse pœnitentiam, cũ haberent redemptorem. Frustra sanè eis Deus redemptorẽ dedisset, si nulli penitus profuit. Praetereà inauditũ est Christum Angelorũ, qui ceciderunt, fuisse redemptorẽ. Deus autem non solet hominibus peccata dimittere, & auxilia dare ad pœnitẽtiam agendam, sine meritis redemptoris, id quod in Angelis quoque videtur fuisse seruaturus. Itaq; pœnitẽtia nequiuerunt Angeli peccatum cõmissum delere, protinusque cœlo deturbati sunt. Hanc rõnem reddit Auctor de mirabil. sacrae Scriptu. cur Scriptura quonam modo Angeli peccauerunt non narrauit, videlicèt, quia peccatũ non est curatũ, lib. 1. c. 1. Angelicum, inquit, vulnus verus medicus qualiter factum sit, indicare noluit, dũ illud postea curare non destinauit. Et qualiter sit eiectus per sniam vindictae reticuit, quem per pœnitentiam nullo modo reuocauit. Peccatũ verò hominis quomodo factũ fuerit profertur, ipsum namque qñque promereri veniam non desperatur, &c. Denique redẽptoris passionem Deus hominibus praedestinauit, non Angelis: id significat Paulus illis verbis ad Hebr. 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abraha apprehẽdit, &c.* Cur enim Angelos non apprehendit, sed semen Abrahae? videlicet, quia Angelos redimere noluit, sed homines. Praedestinatam autem passionẽ ab aeternitate indicat D. Petrus epist. 1. cap. 1. cum sic scribit: *Non corruptibilibus, auro, vel argẽto, redempti estis, de vana vestra cõuersatione paterna traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, & incontaminati. Praecogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autẽ nouissimis temporibus.* &c. Christũ appellat agnum praecognitũ ante mũdi constitutionem; qm ab aeterno prae uisa fuit à Deo & decreta eius passio qua tanquã agnus est immolatus. D. Leo serm. 2. de Natiuit. Deus (inquit) praedestinata renouãdis mortalib. suae pietatis remedia, inter ipsa mũdi primordia praesignificauit, &c. Praedestinauit passionis remedium ab aeterno: sed ẽt praesignificauit in ipso tẽporis, & mundi initio, illis verbis Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum.* &c. Deiparae. n. Virginis filius Christus, Serpentis caput, ac potentiã sua passione cõtriuit. Gen. 22. ait Abrahã: *Dominus prouidebit sibi victimã holocausti,* &c. praeuidit sibi victimam holocausti Deus, & prouidit ab aeterno; prouidit ẽt in tẽpore, cũ Christũ in cruce immolandũ in terras misit. Origenes, Dñs, inquit, sibi ouem prouidebat in Christo, &c.

Redemptor nulli Angelorum profuit.

Cur peccatũ Angelorũ nõ sit sacris literis memoria proditum.

Heb. 2.

1. Petr. 1.

Passio ab aeterno praedestinata.

D. Leo.

Gen. 3.

Gen. 22.

Secunda praecellentia: Christi passio multis figuris in Testamẽto veteri fuit adũbrata, & à Prophetis praenuntiata. Primus cui Deus Christi passionẽ praedixit hostis fuit, qui Euã decepit, sed ille minimè intellexit verborũ sensum. Postquã Serpens tartareus primos parentes in peccatũ impulit, sic illũ Deus est allocutus. Gen. 3. vt paulò ante diximus: *Inimicitias ponam inter te, & mulierẽ, & semen tuũ, & semen illius, ipsa conteret caput tuũ,* &c. Cõtriuit Virgo sanctissima caput serpentis per filiũ, cruce veluti baculo. Statim ergo post cõmissũ primũ peccatũ, Deus remediũ, qđ ab aeterno prae decreuerat, aperuit hosti teterrimo, quãuis aũt ille tunc non intellexit, intelligimus nos. Rogabis an Adamus, & Eua, verba Dei ĩtellexerint, & Christũ passurũ ex illis praesciuerint? Rñdeo intellexisse, ideoq; dicta a Deo, vt spẽ illis veniae per redẽptoris passionem daret. Si. n. passio Dñi multis Prophetis, sanctisq; hominibus reuelata est, credendũ sanè est ante omnes ipsis primis parentibus fuisse praedictã. Fuit ergo passio ab aeterno praedestinata, & primis mũdi diebus, tũ daemoni qui causa fuerat peccati, tum pri-

Secũda praecellentia.

Genes. 3.

Passio praedicta ĩ ipso mũdi initio Adamo, & daemoni.

Virgo filij cruce serpẽtẽ cõtriuit.

Initio mundi itellexerunt primi parentes, Christũ passurum.

Si Prophetis reuelata fuit pass. multo magis primis parẽtibus.

primis parentibus post peccatū prædicta. Imò iā ante in ipso innocentiæ statu, in ipsa Euæ procreatione fuit adūbrata, iuxta illud D. August. lib. 12. contra Faustū, c. 7 fit viro dormienti coniux de latere: fit Christo morienti Ecclesia de sacramento sanguinis, qui de latere mortui profluxit, &c. Crux quoque in ipsa arbore vitæ fuit significata; est enim vera vitæ tum animi tum corporis æternæ, arbor, quæ fructum vitæ tulit Christum.

D. August.

Neque hoc satis; aliæ multæ accesserunt vmbræ, multi illius typi, ac figuræ. Mox enim in ipsa mundi infantia Abellis morte innocentissimi, præ significata est, quē Gen. 4 inuidus Cain vita priuauit. August. lib. 12. cōtra Faustū c. 9. Occiditur, inquit, Abel minor natu, à fratre Cain maiore natu; occiditur Christus caput populi minoris natu, (idest populi Christiani) à populo Iudæorū maiore natu. Ille in cāpo, iste in Caluariæ loco, &c de hoc typo egimus copiosius to. 1. lib. 3. c. 9. lege August. loco citato. Postea diluuii aquis totus demersus est terrarū orbis, omnesq; periere homines; illi tantūmodo seruati, quos lignea liberauit arca. Arca illa lignea, ligneā adūbrabat crucē, quæ peccati diluuio inundāte, homines æternæ morti eripit, teste Aug. lib. citato c. 14 Noè, inquit, cū suis per aquā, & lignū liberatur, sicut familia Christi per Baptismū, crucis passione signatū, &c. ipse vero Noè nudatus Christū adūbrauit in cruce nudatū. lege Augu. ca. 23. Sacrificiū quoq; illud Christi vmbra est, de quo legitur Gen. 8. *Tollēs de cūctis pecorib. & volucribus mundis obtulit holocausta super altare, odoratusq; est Dominus odorē suauitatis, & ait ad eū. Nequaquā vltra maledicā terræ propter homines*, &c. sic Christus super altare crucis, vt holocaustū Deo gratissimū immolatus est, odoratusq; est Deus odorē suauitatis, & benedixit hoībus ppter eū, iuxta illud Pauli ad Ephes. 5. *Christus dilexit nos, & tradidit semet ipsum pro nobis oblationē, & hostiā Deo in odorē suauitatis*, &c. Ille quoq; arcus de quo c. 9. dr̄, *Arcū meum ponā in nubibus, & erit signū fœderis inter me, & inter terrā*, &c. crucē indicauit, ex qua velut arcu mille sagittas in hoies Christus iaculatur; quæq; signū, & cā est fœderis Dei cū illis. Post diluuiū typus exhibitus est p̄clarissimus Gen. 22. videlicet Isaac lignis holocausti onustus, & in montē ductus, vt immolaretur; Christū significans cruce onoratum, in montē Caluariæ ductū, atq; immolatū. Non est immolatus Isaac, quia non erat mundi redēptor, sed redēptoris vmbra quædā: immolatus tñ est aries, quē Abrahamus reperit, inter vepres hærentē cornibus. Qua immolatione significata est Domini immolatio, vepribus verò quibus hærebat cornibus, corona spinea, vt placet Augustino lib. 3. contra Maximinū, c. 26. de hoc typo fusius egimus to. 1. lib. 3. c. 11. & lib. 5. cap. 7. Iacob scalā vidit Gen. 28. cęlos pertingentē cacumine, cui innitebatur Deus; Angeli aūt, per eā & ascendebant, & descendebāt. Raptus in admirationē, hæc ille protulit verba: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebā. Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli*, &c. Nonne crux scala est cælos pertingens, & in cęlos homines ducēs, Angelisq; pares efficiens; nonne illi innixus est Christus Deus cū ex ea pependit? Verè Deus erat in loco crucis, sed Iacob. i. filii Iacob Iudæi nescierunt. Non erat in loco crucis aliud nisi domus Dei, & porta cæli; quia in domū Dei crux ducit portaq; cęli est. Angeli vero per crucē ex cęlo descendūt, & in cęlū conscendunt, ad agēda hominū negotia; quia si crucis redēptio nō fuisset, Angeli æternā hominū salutē minimè curassent. Christi passionis Ioseph quoque ex Iacob natus vmbra fuit Gen. 37. Vēditus est Ioseph Iuda fratre suadente, venditus est Christus Iuda discipulo tradēte; in vincula coniectus est Ioseph; Christus à Iudęis cōprehēsus. in cisternā aqua carentem Missus est Ioseph; in sepulchro conditus est Christus. fera pessima, idest, fratrū inuidia deuorauit Ioseph; eadem fera pessima occidit Christum. qua via Iosephi honorem extinguere fratres conati

Passio fuit multis adūbrata typis Gen. 4. — *D. August.* — *Arca lignea crucē adūbrauit.* — *D. August.* — *Gen. 8.* — *Ephes. 5.* — *Gen. 9.* — *Gen. 22.* — *Isaac, figura Christi fuit.* — *Gen. 28.* — *Scala, quā Iacob in sōnis vidit, crucis figura fuit.* — *Gen. 37.* — *Ioseph à fratrib. vēditus Christū à Iudęis apprehensū figura designabat.*

conati sunt, eadem illum ad Ægypti principatum extulere, qua via Christi decus nomenque delere decreuerunt Iudæi, per passionem; eadem illum, ad summum imperium euexere.

Illustris figura passionis fuit Agnus pascalis in egressu Israelis de Aegypto

Multis annis in Aegypto habitauere Israelitæ. Cum verò ex captiuitate illos Deus voluit liberare, illustri imagine passionē suam, & redemptionem nostram delineauit. Ipsa illa nocte qua discessus instabat, Agnū immolare iussit mense Nisan, eo tēpore, quo Christus in crucem est actus, vt supra est explicatū hoc 4. to. Sanguine autem agni postes iussit, & superliminaria domorū liniri, vt ab Angelo Aegyptios percutiente liberarentur, Exod 12. *Erit autē sanguis vobis in signum, in ædibus in quibus eritis: & videbo sanguinem, & transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Aegypti*, &c. *Exod. 12.* Præsignabat Agnus hic Christum, qui vt nos à teterrima Diaboli captiuitate liberaremur, immolatus est. eius sanguine necesse est animā nostram aspergere per sacramenta, si omnia disperdentē Tartari plagam volumus effugere. Huius potentissimi sanguinis vim, præsignauit mare rubrū, quod Exod. 14 Aegyptios aquis sic obruit, vt ne vnus quidē euaserit. Mare rubrū, sanguis est Christi, Oceanus est qui deficere nequit, in mari hoc abundātissimo, totamque complectente terrā, habent omnes ad peccata omnia obruenda remediū plentissimū, si verā agāt pœnitētiam. hoc mari demersit Christus currus Pharaonis, & exercitū eius Exod. 15. id est, potentiā Diaboli. Est etiā indicatus sanguis Christi Exod 24. cum Moyses populum sanguine aspergens ait: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his*, &c. & illis verbis Domini Exo. 40. *Vnges tabernaculum cū vasis*, &c. Vnctum est oleo tabernaculū; vnctum est sanguine omni oleo odorifero pretiosiori, corpus Christi. vngiturq; eodem tabernaculum alterū, idest, Ecclesia. Ex mari rubro venerunt Israelitæ in *Mara*, idest, *in amaritudinem*; hoc enim nomen loco impositū est propter amaritudinē quarum, quas populus potare nequibat. Sed ostendit Deus Mosi lignū, quod (Exod 15.) cū misisset in aquas, in dulcedinē versæ sunt. En tibi ligni, idest, crucis dulcissimę vmbrā, quę omnes mundi huius persecutiones, cruciatus, amarosque labores dulces reddit. Si verò, vt est in Apoc. 17. *aquæ multæ populi sunt & gentes, & linguæ*, nōne omnes hæ aquæ peccati immisso veneno erant amarissimæ? quis has aquas, id est, populos, gentes, ac linguas vertit in dulcedinē? Sanè crux, & passio Christi. Amaræ sunt aquæ, idest, populi infideles, in quos crucis lignū non est immissum. dulces illæ aquæ, idest, populi, quib. crucis lignū dulcedinem attulit. Etenim sine ligno crucis, & passione Christi, omnes aquæ amaræ sunt. Exod. 17. percussit Moses petrā virga, aquasque emisit abundantissimè Iterū id fecisse legitur Num 20. Petra illa Christi fuit typus. quemadmodū enim percussa petra largissimè fudit aquas, sic multis vulneribus percussus Christus largissimè fudit in passione sanguinē. 1. Cor. 10. *Bibebant* (ait Apostolus) *de spirituali consequente eos petra, petra autē erat Christus*. de hac petra rursus agemus infra. Exod. 17. *Cum leuaret Moyses manus, vincebat Israel*. Eleuatæ Mosis manus, eleuatas in cruce Christi manus adunbrant, vt August. ait serm. 93. de temp. Quemadmodū cum eleuaret manus Moses vincebat Israel, sic cum in cruce eleuauit manus Christus, vicit Christi populus diabolum. Damascenus in figuram crucis extensas ait manus Mosis lib. 4. fid. capit. 12. Manus, inquit, cruci formiter extensę, repulerunt Amalec, &c. Tertullianus, lib. aduersus Iudæos eiusdē est sententiæ. Post victoriam contra Amalec partam, Exod. 17. Aedificauit Moyses altare, & vocauit nomē eius, *Dominus exaltatio mea*, dicens: *Quia manus solij Domini, & bellū Domini, erit contra Amalec à generatione in generationē*, &c. Altare hoc crucis fuit figura, meritoq; vocatū est, *Dominus exaltatio mea*, quia in cruce nos exaltauit Christus, & in cruce propter nos est exaltatus. Hebraicè legitur *nisi*, idest, vexillū meū. Christus autem cruci suffixus, vexillum populi

Potentia sanguinis Christi. Exod. 14.

Sanguis Christi mari rubro præsignatur, atq; etiam sanguine fœderis. Exod. 15. Exod. 24.

Nomen ex aquarū amarore impositum. Exod. 15.

Apoc. 17.

Afflictiones amaræ sūt sine Christi cruce. Exod. 17. Num. 20.

1. Cor. 10.

Exod. 17.

Eleuante manus Moyse, vincebat populus, sic & hoīe Christo in cruce manus extēdēte satanā vincit. Damascenus.

Exod. 17. Crux altare fuit, in quo exaltatus est Christus.

Crux fuit Christi soliũ, & thronus.

sui est; manus vero solii Domini, id est, crucis, quæ solium Thronusque Domini fuit, & bellum Domini, quod contra hostes tartareos in cruce gestũ est, fuit, & erit contra Amalec, idest, diabolum, à generatione, in generationem; passionis enim Christi merita aduersus eum pugnat per omnes hominum generationes. Numer. 21. *Fac serpentem aeneum* (ait Dominus Mosi) *& pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum, viuet*, &c. Non solum in cruce Agnus fuit Christus, sed etiã Serpẽs; Agnus fuit propter summam, qua passus est, mansuetudinem; Serpens fuit propter summam potentiam, qua tartareos serpentes patiendo fugauit, ac deleuit, mortem, peccata, dæmones. de hoc typo copiosè egimus to. 2. li 4. c. 4. Iosue 2. Rahab appẽdit funiculũ coccineum in fenestra ne cum reliquis vrbis Iericho incolis periret; vt inter illam, & exploratores cõuenerat. Signũ liberationis fuit funis coccineus, coloris sanguinei, quia sanguine Christi Ie richo, hoc est, mundo pereunte, liberamur. Periisset Rahab si eam coccineus funis non liberasset; pereunt omnes, quos Christi passio, & sanguis coccineus non liberat. Ionas quoque propheta passionis est egregius typus, vt Dominus testatur Matth. 12. *Sicut* (inquit) *fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus*, &c. Deglutiuit Ionã cetus, Ionæ c. 2. Christum mors: in vẽtre ceti fuit Ionas tribus diebus, & tribus noctibus; totidẽ fuit Christi corpus in sepulchro, & anima in limbo Patrũ. *Euomuit cetus Ionã viuentem in aridã*, Ionæ cap. 2. Mors verò in die resurrectionis Christum in vitã emisit.

Num. 21.

Christus agnus fuit.

Christus, serpens in cruce fuit.

Iosue 2.

Vita coccinea Raab liberata est, hoies Christi purpureo, pretiosoque sanguine.

Matth. 12. Sicut trib. diebus, & noctib mãsit Ionas in vẽtre Ceti, sic trib. diebus, & noctib. mãsit Christus in sepulchro.

Denique ipsum Israelitarũ templũ passionis vmbris plenum erat. Sacrificia enim illa, quæ in templo offerebantur, passionis fuere vmbræ quædam, & sanguis ille cæsorum animalium, Christi sanguinem indicabat. Offerebantur illo in tẽplo animalia immolata Deo, in altari holocaustorum; offerebantur præterea odores in altari thymiamatis, redundabat vero sanguine altare sacrificiorum. Christi passionem tum immolata animalia, & effusi sanguinis illa copia, tùm incensi odores prædicebant. Immolatus namque est Christus instar Agni ouis, vel vituli, sanguinemque effudit mundi expiatorẽ, qui odore cælum terramque perfudit. Ad Hebr. 9. *Moyses* (ait Paulus) *tabernaculũ, & omnia vasa ministery sanguine aspersit, & omnia penè in sanguine secundũ legem mundantur*, & sine sanguinis effusione nõ fit remissio, &c. Tabernaculũ, omniaque eius instrumenta, sanguine aspersit Moyses, Christi passionem pręfigurans, qua tabernaculum suũ, idest, Ecclesiam, sanguine suo aspersit. Omnia penè secũdum legem sanguine mũdabantur, & sine sanguinis effusione remissio non fiebat; vt indicaretur homines per sanguinem Christi mundari, & sine sanguine eius nullam penitus fieri posse peccati remissionem.

Sacrificia vetera, vmbra fuerũt cruẽti Christi sacrificij in cruce.

Christus instar agni, ouis, vituli sanguinem effudit mũdi expiatorem.

Hebr. 9.

Per Christi sanguinem remissio.

Qualis verò emundatio, & remissio esset, quæ per sanguinem sacrificiorũ fiebat, docet Paulus ad Hebr. 10. his verbis, *Impossibile est sanguine taurorum & hircorũ auferri peccata*, &c. & cap. 9. *Si sanguis* (inquit) *hircorũ, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis*, &c. sanctificabant ergo, & emundabant Israelitas illa sacrificia, quadam externa emũdatione carnis, & sanctificatione; & vt ita dicam, irregularitates quasdam tollebant, sed ad animum non pertingebant. Remittebantur autem illis peccata per contritionẽ propter Christi merita, atque sanguinem. Etenim non animalium, sed Christi sanguis ipsum animum, atque conscientiam emundabat, vt testatur eodem cap. 9. Apostulus; *Quanto* (inquit) *magis sanguis Christi, qui per se Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatũ Deo; emundabit conscientiam nostram, ab operibus mortuis ad seruiendũ Deo viuenti.* Et Christus Psal. 39. *Sacrificium* (inquit) *& oblationẽ noluisti, aures autem perfecisti mihi holocaustum, & pro peccato non postulasti: tunc dixi: ecce venio*, &c. Noluit Deus sacrificium, & oblationem; holocaustum, & sacrificium pro peccato non postulauit, quia peccata delere non poterant. Aures perfecit Christo obediẽtissimas precepto, quod de morte perferenda acce-

Hebr. 10.

Sacrificia vetera non ad animã pertĩgebãt. Christi sanguis animã ipsam emũdat.

Hebr. 9.

Psal. 39.

Christi obediẽtia summa.

accepit. Obedietissimè enim dixit: *ecce venio ad Crucem*; vt pro hoibus sanguinem effundam: siquidem sanguine hircorum, aut vitulorum impossibile est auferri peccata. Antiquæ legis pontifex, semel annis singulis in Sancta Sanctorum introibat, Leuit. 16. sanguinēq; ferebat quem offerret. At Heb. 9. *In secundo* (inquit) (tabernaculo) *semel in anno solus pontifex* (introibat) *non sine sanguine quē offerret, pro sua, & populi ignorantia*, &c. Ita summus Pontifex Christus in Sancta Sanctorum, idest, cęlum introiuit, non sine sanguine, passionis enim sanguinē infinitaque ferebat merita, quibus homines sanctificantur. Neque per sanguinē hircorum, (ait Paulus eodē capite) aut vitulorum, sed *per proprium sanguinē introiuit semel in sancta*, &c. Dies ille quo Pōtifex Hebręus in Sācta Sanctorū cum sanguine ingrediebatur, dies dicebatur, siue festū expiationis, Leu. 16. indicabat vero Christi sanguine, & passione homines expiandos ac redimendos. Fuit præterea passio à Prophetis vt diximus prænuntiata. Celeberrima vaticinia extant Psalm. 21. & Isaiæ 53. quæ hic explicarem, nisi explicata iam essent tom. 1. lib. 3. cap. 20. & 21. alia suis locis passionis enarrationi inseremus.

Hebr. 9.

Christus in cęlū semel primus introiuit non sine sanguine.

Leuit. 16.

CAPVT II.

De præcellentijs passionis Christi.

TErtia passionis pręcellentia. Passio ipsiusmet Dei fuit. Reliquæ passiones hominum fuere; hæc diuini verbi cum humana natura copulati. Homines passionibus, ac morti, obnoxii sunt; nihil mirum si & dolores patiantur, & mortē subeant. At Deus à passione, & morte alienissimus est, dolorē, mortemve pati nequit; stupendū est pati aut mori Deū; sed modum ille inuenit, quo pati pro hominib. moriq; posset; diuinam naturam cum humana eodē in supposito coniunxit, passusq; est Deus, atque mortuus, non quidem secundū naturā diuinā, sed ſm humanā. quod Gen. 22. in Isaac, & ariete præsignat. Isaac non est passus mortē, passus verò est aries; Eundem in modū diuina in Christo natura neque mortē, neque dolorem vllum tolerauit; humana, ariete significata, cruciatus mortēque perpessa est. Theodoretus: Typus (inquit) diuinitatis erat Isaac, aries autē humanitatis, &c. Origenes ho. 8. in Gen. Patitur (inquit) Christus sed in carne: & pertulit mortem, sed caro, cuius aries forma est; Verbū verò in corruptione permansit, &c. Leuit. 14. mundatus à lepra offerre iubetur pro se duos passeres, quorū vnus immolabatur; alter viuus in agrū auolabat. humanitatē Christi adumbrat passer immolatus, vt est in glossa; diuinitatē impassibilem, ille qui viuus auolabat. Idē significari dicit glossa, duobus hircis, quorum vnus Leuit. 16. Deo occisus offerebatur, alter viuus in solitudinē dimittebatur. Cassiodorus Ps. 21. Patiebatur (inquit) & non patiebatur idē Christus, moriebatur, & nō moriebatur, &c. Nunquid hæ contradictoriæ propositiones fuerunt veræ? Minimè sunt cōtradictorię. Etenim patiebatur Christus secūdum humanam naturam, ac moriebatur: secundum verò diuinam nec patiebatur, nec moriebatur. D. Fulgentius lib. 3. ad Trasimundū Regē, Diuinitas (inquit) sicut in morte solius carnis immortalis fuit; sic in passionib. totius hominis, impassibilis omnino permansit. eodē lib. idem probat illis verbis D. Petri 1. epistolo cap. 4. *Christo passo in carne*, &c. Si sciret D. Petrus (ait Fulgentius) Christi diuinitatē fuisse passibilem, sufficisset, vt diceret, *Christo passo*: nec addidisset, *in carne*: sed quoniā nouerat i Christo, & passibilem ante mortē fuisse naturam, & impassibilē semper manere substantiā diuinam, propterea Christū fatetur passum in carne, cuius diuinitatē nouerat prorsus impassibilem permanere, &c. Si quis illustratū solis lumine lignum, securi percutiat, lignum quidem

3. præcellentia.

Passio Dei stupenda.

Gen. 22.

Passus est Deus secundū naturā mortalem humanā.

Theodoretus.

Origenes.

Leuit. 14. & 16.

Cassiodorus.

Diuinitas est impossibilis.

D. Fulgen.

quidem percutiet, & secabit, soli verò nihil penitus nocebit: eundē in modū, humanitatē Iudæi diuino verbo coniūctam, illoq; veluti sole illustratā percusserunt; humanitatē quidem percusserunt, & secundū humanitatem Christum occiderunt; diuinitatē verò Verbi attingere non potuerunt. lege Damascenū lib. 3. fidei c. 26. Quemadmodum, inquit, si sole arbori illucente, securis arborē inciderit, Sol tñ insectus, atque ab omni iniuria incolumis manet; eodē modo, ac multo etiā magis, impassibilis Verbi diuinitas carnis personaliter vnita, patiente carne incolumis mansit, &c.

Simile.

D. Damas.

Oportuit autē naturam diuinam cū humana coniungi; quia diuina absque humana pati non poterat; humana verò absque diuina etsi omnia pateretur tormenta, diuinæ iustitiæ facere satis non valebat. Humana effecit, vt posset pati Deus; diuina effecit, vt posset diuinę iustitię facere satis Deus homo. Nō posset debitū mille aureorum explere annulus aureus; est. n. multo inferior debito: si verò annulo gemma inferatur, quæ pretiū viginti millium aureorum superet; satis superque debitū explebit. Eundē in modū, nō poterat humana natura, grauissimum peccatorū debitum exæquare; inserta atque adiuncta illi est infiniti decoris gemma, natura diuina; factumque satis superq; debito, quo homines erant obstricti; si tamen illi pretium sibi applicent, per sacramenta, atque pęnitentiam. D. Anselmus lib. 2. cur Deus homo, c. 6. Satisfactionem, inquit, nec potest facere nisi Deus, nec debet nisi homo; necesse est, vt eā faciat Deus homo, &c. D. Leo ser. 5 de passione: Si pro peccatoribus sola se opponeret Deitas, non tam rō diabolum vinceret, quàm potestas, si causam lapsorū sola ageret natura mortaliū, non erueretur à conditione, quæ libera non esset à genere. Vnde oportuit, in vnū Dominum nostrum Iesum Christum, & diuinam, & humanā conuenire substātiās vt mortalitati nostræ per Verbum carnem factum, & origo noui hominis subueniret, & passio, &c. Non est immolatus Isaac, quia eius simolatio, nempe hominis meri redemptionis carebat pretio; non est immolatus aliquis alius iustus, quia debito hominum æqualem solutionem reddere non valebat; Immolatus est Christus Deus, & homo, quia tanto debito soluendo infinitas habebat impensas. D. Basil. Psalm 47. Inuentum, inquit, est vnum pro omnibus simul hominibus dignum pretium, nempe sanctus, & omni pretio superior sanguis Christi, &c. Vnum ait inuentum pretium, mortis Christi, & sanguinis: etenim pretiosa fuit mors Sanctorum, sed nulla illorum mors tantum habuit pretium, neque habere potuit, vt mundum posset redimere. Sola mors Christi id habuit pretium, quod omnibus hominibus redimendis satis superque fuit. D. Leo epist. 97. ad Leonem Augustum, & ser. 12. de passione, Quamuis, inquit, multorum Sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit; nullius tamen insontis occisio, redemptio fuit mundi, &c. Egregiè addit idem sanctissimus Pontifex, in eadem epistola, Sanctos fortiter pro Deo mortem perferentes exemplum quidem præbuisse, sed non præbuisse redimendis hominibus pretium; accepisse à Christo gloriæ coronas; at aliis dare non potuisse. Acceperunt, inquit, iusti, non dederunt coronas: & de fortitudine fideliū exempla nata sunt patientiæ, nō dona iustitiæ, Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, neq; alterius quisquā debitum, suo funere persoluit, &c. Ad Deum igitur, & hominem, mundi pertinebat reconciliatio; hinc illud D. Pauli 2. Corinth. 5. *Deus erat in Christo mundum recōcilians sibi*, &c. Erat Deus in Christo cum natura humana eadem in hypostasi coniunctus, reconciliauit homines per passionem suam, & mortem, opus enim erat, vt Deus esset atque homo. Isaias 35. *Deus ipse veniet, & saluabit nos; tunc aperientur oculi cæcorum*, &c. Et 52. *Ecce ipse qui loquebar, ecce adsum*, &c. & cap. 63 ex versione 70. interpretū, *non legatus neq; angelus sed ipse Dominus saluauit eos*, &c. Non misit Deus legatum aliquem aut Angelum, qui homines redimeret,

Cur oportuit Deum pati.

Simile. Ideo diuina natura humanę iūcta est, vt humana natura posset ad æqualitatē satisfacere.

D. Ansel.

D. Leo.

Humana natura sola, nō erat satis redēptioni.

Deus homo requirebatur ad satisfactionem.

D. Basil.

Non sufficiebat mors sanctorū.

D. Leo.

D. Leo. Nullus sāctorū mortē pro alio oppetijt.

2. Cor. 5.

Isa. 35.

Isa. 52.

Digitized by Google

Cur Angelorum nullus corpus uerũ assumpserit carneum.

Tertullia.

meret, sed ipsemet redemit, quoniam id redemptio flagitabat. Hanc causam reddit Tertullianus lib de carne Christi, cur cùm Angeli corpora assumpserint aerea, nullus corpus assumpserit carneum. Scilicet, quia nullus missus est vt homines redimeret. Nullus vnquam Angelus (ait Tertullianus) descendit vt crucifigeretur; habes causã cur non nascendo acceperint Angeli carnem: Non venerant mori, ideò nec nasci. At Christus mori missus, nasci quoque necessariò habuit, vt mori posset, &c. Non tamen habuit Christus necessariò nasci, vt posset mori. Potuisset enim sibi humanitatẽ procreare, absque matre, sed ipsa redẽptio postulabat vt ex matre, & ex adami genere secundum carnẽ nasceretur. Augus. lib 13. de Trinitate c. 18. Poterat (inqt) Deus creare vnum alium hominem de quo vinceretur victor prioris. Sed melius iudicauit vt de ipso quod victum fuerat genere, assumeret hominẽ, per quem generis humani vinceret inimicum. ad Hebr. 2. *Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes*, &c. id est, Christus, & homines qui gratiam illius consequuntur, omnes ex vno Adamo. Item. *Quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit ijsdem*, &c. Hac de re diximus tom. 1. lib. 7. cap. 10.

Christus uerum corpus assumpsit carneum, quia venit mortem pati pro hominum salute.

D. August.

Hebr. 2.

Deus venit in terrã nõ vt uoluptatibus, & diuitijs frueretur, sed vt cruciatus pateretur.

Itaque in cælo Deus erat, vnde arduus, terrarum aspiciebat orbẽ, omnes eius cernebat opes, honores, regna, voluptates: nihil ex his concupiuit, nihil eũ vt in terras descẽderet impulit. Hominũ miseriam vidit: virtutes vidit; patientiã, charitatẽ, paupertatem, humilitatem, obedientiam, crucem, fortitudinẽ, aduersus dolores, cruciatus, mortẽque, certamen: hæc concupiuit, hæc vt in orbem nostrum veniret, hominisque naturam vt assumeret, pellexerũt: non vt diuitiis, honoribus, imperio, deliciisque frueretur, sed vt Deo homine dignas virtutes exerceret, easque hominibus commendaret. Huc illud Tertulliani spectat in lib. de patientia. *Saginari Dominus voluptate patientia discessurus volebat*, &c & illud D. Bernar. in vigilia natiuitatis serm. 1. Erat (inquit) qui fortè Christo sublimia quærenda arbitraretur esse palatia, vbi cũ gloria rex gloriæ susciperetur; sed nõ propter hoc à regalibus illis sedib. venit. In sinistra eius diuitiæ, & gloria; in dextera longiturnitas vitę. Horũ oĩum æterna in cælis affluentia suppetebat, sed paupertas non inueniebatur in eis. Porrò in terris, & superabundabat hęc species, & nesciebat homo pretiũ eius. Hãc itaque filius Dei cõcupiscens descendit, vt eligat eã sibi, & nobis quoque sua æstimatione faciat pretiosam. Sic Bernard. quemadmodũ Deus diuitias, aut honores, aut delicias in orbe non concupiuit, sed patientiæ virtutũ que reliquarum præclaras actiones qũsiuit; sic vir iustus & Dei cupidus mundi nænias non ambit, sed patientiæ, fortitudinis, charitatis, humilitatisq; operationes exoptat.

Tertull.

D. Bern.

Iustus, qđ Christus ex mundo elegit, id eligit.

Quarta passionis præcellentia. Passio fuit Dei, & hominis: qui homo communis erat toti humano generi. Quẽadmodũ enim Adam homo quidã cõmunis fuit, peccatumque suum in omnes homines deriuauit; sic Christus Dñs fuit, homoque cõmunis, & cruciatus doloresque crucis, pro omnibus hominibus perpessus, passionem suam omnibus secundum sufficientiam communicauit, ad Roma. 5. *Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi; ita per vnius obeditionem iusti constituentur multi*, &c. Item: *Si vnius id est Adami, delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures* (Græcè πολλοὺς, id est multos) *abundauit*, &c. Sumus omnes in Christo (ait D. Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 16.) & communis humanæ naturæ persona in Christo reuixit; Propterea & Adam nominatur, quòd per naturæ nostræ cõmunitatem, gloria & immortalitate omnes ita locupletat; sicut contra morte & vituperatione, omnes Adam primus mulctauit, &c. Eramus omnes in primo Adamo; omnes quoque eramus in Christo cruci suffixo, ac pro nobis mortuo, & in ipso omnes cruci suffixi, & mortui sumus, vt Paulus ait 2. Corin. 5. his verbis: *Si vnus pro omnibus mor-*

4. Præcellentia Passionis.

Rom. 5.

Christus fuit homo communis toti generi humano, cõmunitate bonorũ.

D. Cyril.

Omnes in Adamo peccãtes fuerũt omnes pariter ĩ Chri-

sto satisfaciente extiterunt. *2 Cor. 5.* *D. Leo.* *mortuus est, ergo oēs mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus. vt & qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*, &c. & D. Leo ser. 12. de pass. & Epist. 97. ad Augustum: Inter filios (inquit) hominū solus Christus qui verè erat Agnus immaculatus extitit ī quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sunt sepulti, &c. Si ꝑ multis morti destinatis vnus aliquis mortē subiret, rectè dicerētur omnes ī illo mortui, illiq; debere vitā. Oēs nos morti eramus destinati; mortuus pro nobis est Christus, ideoq; in illo dicimur esse mortui, illiq; vitā debemus nostrā: quamobrē suadet Apostolus vt nō nobis sed illi viuamus, idest, in gloriā eius. *Pro omnib. mortuus ē Christus.* *Quæstio.* *Responsio.* Rogabis an in Christo crucifixo Mahometani fuerint, Iudęi, Ethnici, hęretici, impiiq; Christiani, & in Christo sint mortui? Respondetur, oēs in Christo mortuos atque crucifixos, eo modo quo diximus, vt ait D. Leo citatus: pro omnibus enim Christus mortuus est; ergo omnes in illo mortui sunt, vice enim omnium est occisus. Vrges: ergo oēs homines passionis participes sūt, ac proinde æternā effugient mortem, vitamque æternam consequentur. Hoc inficiamur. quamuis enim in Christo sint oēs mortui, ac crucifixi, quia Christus vice omnium mortuus est; tamen necesse est passionem ipsam Christi, & sanguinem, per fidem viuam hominibus applicari, vt æternā effugiant mortem, æternamque vitam consequātur, vt mox dicemus. *Hominibus ad salutē necessaria est applicatio per fidē & claritatem passionis.*

Quinta, Passio est causa vniuersalis redemptionis, & salutis nostræ. Causa autem vniuersalis nihil efficit, nisi per aliam particularem ad effectum applicetur. Vnde efficitur, vt passio quæ causa vniuersalis est, & ad peccata infinita exhaurienda sufficiens, gratiam homini nō afferat, nisi per particulares causas illi applicetur, vt per fidem viuam, ad Rom 3. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*, &c. Per Baptismū; Marci vltimo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Io. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, &c. Per pœnitentiam, Marci. 1. *pœ-* *5 Præcellētia Passionis.* *Passio est causa vniuersalis.* *Rom. 3.* *Marc. vlt.* *Ioan. 3.* *Mar. 1.*

A *nitemini, & credite Euangelio*, &c. Matthæi. 3. *Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnū cælorum*, &c. per Eucharistiam, Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, &c. Per confessionem 1. Ioan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra*, &c. Hæc ex D. Thoma cōfirmantur 3. p. quæst. 52. art. 1. ad 2. Passio (inquit) Christi, fuit quasi quædā causa vniuersalis humanæ salutis, tam B viuorum quam mortuorum. Causa autem vniuersalis applicatur ad singulares effectus, per aliquid speciale. Vnde sicut virtus passionis Christi, applicatur viuentibus per Sacramenta, configurātia nos passioni Christi, ita etiam applicata est mortuis, ꝑ descēsū Christi ad inferos. Hæc ille. Ideo Paulus ad Coloss. 1. *Adimpleo (inquit) ea quæ desunt passionū Christi, in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia*, &c. Si sufficiē C tiam spectes, passioni Christi nihil deest; sufficiens nanque est, mille mundis redimendis: si applicationem & efficaciā attendas, applicatio deest ex parte nostra, vt sit in nobis efficax, q̄ in se est sufficiens. Adimplebat igitur Paulus ea quæ desunt ex parte nostra, fidem viuā Euāgeliū, Christiq; mandata hominib. tradendo, & carnis afflictiones pro Ecclesia tolerando. Audiamus Magnum D Grego. lib. 4. Reg. cap. 9. ad illa verba: *Dixit Samuel; Ecce quod remansit, pone ante te & comede*, &c. Remanserat autē armus, quem iussit Samuel poni ante Saulem. Remansit (ait D Greg.) quia non oīa nostra Christus expleuit. Per crucem quidem suam omnes redemit, sed remansit, vt qui redimi, & regnare cum eo nititur, crucifigatur. hoc residuum viderat Paulus qui 2. Timoth. 2. *Si compatimur (ait) & conregnabimus*, E quasi dicat; quod expleuit Christus, nō valet nisi ei, qui id quod remansit, expleuit. hæc Magn. Gregor. *Matth. 3.* *Ioan. 6.* *Ioan. 1.* *Passio causa vniuersalis applicanda est.* *Coloss. 1.*

Ne tamen existimes, ea quę ex parte nostra, passionis non sufficientiæ, sed efficaciæ desunt, absque Dei auxilio, & meritis passionis, & effici posse. Dei enim auxilio, & meritis passionis, opus est; vt ea præstentur, quæ efficacem in nobis passionem pręstant. Vnde D. Thomas *D. Thomas*

by Google

mas quæstio .29. de veritate artic. 7. ad 8. Meritum (inquit) Christi sufficiẽter operatur, vt quædam causa vniuersalis salutis humanæ. Sed oportet hanc causam applicari singulis per Sacramenta, & per fidem formatam, quæ per dilectionem operatur. Et ideo requiritur aliquid aliud ad salutem nostram, præter meritum Christi, cuius tamen meritum Christi est causa, &c. Adimpleamus nos quoque ea, quæ desũt passioni Christi, applicemus nobis ipsam Christi passionem, per Sacramẽta frequẽter percepta, fideique & charitatis, atque obedientiæ viua opera, perque satisfactiones nostras peculiares, quæ Christi cumulatissimam satisfactionem, neque obscurant, neque minuunt. Quanuis enim sua passione cumulatissimè satisfecerit, tamen nos etiam voluit operibus nostris, & pro aliis satisfacere, quæ ex illius meritis pretium habent, & meritum. Sic etiam cumulatissimè pro nobis orauit, vult tamen nos pro nobis, & pro aliis orare. Nihil verò obscurat, aut minuit oratio nostra orationis Christi dignitatem. Ad Hebr. 5. *Et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*, &c. Si salutem æternã concupiscimus Christo, obtemperemus, & per obedientiam, quæ desunt passioni, adimpleamus. Ad Rom. 4. *Traditus est propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostram*, &c. Non meruit nobis Christus iustificationem per resurrectionẽ; sed per resurrectionem effecit, vt merita passionis nobis applicarentur, & sic iustificaremur. Si enim non resurrexisset, sed inter mortuos mãsisset, vana reputata esset fides nostra; neque ab Apostolis fuisset mundo tradita, neque passio fuisset hominibus applicata; lege Augustin. libro 16. contra Faustum c. 29. & Fulgentium li. de incarnatione c. 8.

Præter Christi meritũ, aliquid requiritur ad salutem nostram.

Nostra satisfactiones non minuũt satisfactionem Domini.

Hebr. 5.

Rom. 4. Christi resurrectionẽ meruit nobis iustificationem.

CAPVT III.

De præcellentÿs paßionis Christi.

SExta. Tam præcellentem habuit passio dignitatẽ ac potentiam, vt omniũ temporum peccatis delendis suffecerit. Passio enim, non solum peccata hominum, huius temporis præsentis, delet, verum futuri quoque temporis delebit; imò & præteriti temporis peccata, antequam Christus esset crucem perpessus, deleuit. Vnde illud Pauli ad Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionẽ præcedentium delictorum*, &c. Quæ scilicet ipsam passionem præcesserant. Ad Hebr. 9. *Noui Testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earũ præuaricationũ, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis*, &c. erant p̃uaricationes sub priori testamẽto; sed lex illas eluere nõ potuit, hircorum & taurorum sanguine, eluit Christi passio. Causa antequam existat efficere nõ valet quidquam; at passio potentissima antequam existeret, mortiferis vulneribus, id est, peccatis, medicinã valuit afferre. Existebat enim non quidem in rerum natura, sed in oculis Dei, à quo prçuisa, sceleribus mortalium medebatur. Legem acceperant Iudæi, & sacrificia, ea tamẽ vi sua peccata minimè remittebãt; remittebantur autem passionis potentissimæ meritis omne tẽpus complectentibus, & per fidẽ viuam vẽturi Christi applicatis. Complectitur passio omne tempus, omnem locũ, mũdumque totum. Omne tempus complectitur, vt vidimus; omnem locum, totũque mundum, quia in omnibus locis, totoque terrarũ orbe, hominum vulneribus affert sanitatem, si illi pænitentiã agant. Orcum excipe, in quem sanguis Christi nõ descendit. Ad Hebr. 10. *Vna oblatione* (ait Apostol.) *cõsummauit* in-

Sexta præcell. passionis.

Rom. 3.

Heb. 9. Passio omnia complectitur. Tempora.

Peccatis & futuris & nondum cõmissis remedium paratum est.

Passio delebat peccata Hebræorũ.

Passio complectitur totũ mũdũ.

Hebr. 10.

in sempiternũ sanctificatos, &c. Vna fuit tantum Christi oblatio, in cruce cruenta, vna mors, neque sæpius occisus est, quia vna passio satisfuit, vt omnium temporum, ac locorum homines redimeret ab origine mundi. Quamobrem Apoc. 13. dicitur *agnus occisus ab origine mundi*, videlicet quia eius mors, ab origine mundi profuit mundo. quanuis locus hic aliam habeat interpretationem.

Num. 28.

Nu. 28 duo quotidie agni Deo immolabantur, alter manè, alter vesperi. Agnus vterque Christi passionem adũbrabat, est enim Christus immolatus mane in præsciẽtia diuina; & peccata manè, id est, ab initio mundi, perpetrata sufficienter suo deleuit sanguine. Est præterea re ipsa immolatus vesperi, id est, in fine mundi, hora nouissima; peccataque omnium temporum, sufficienter explauit. Antiquæ legis Pontifex sæpe, id est, per singulos annos, cũ sanguine in sancta Sanctorum introibat; quia sanguis ille hircorum & vitulorũ ad peccata expiãda vim minimè habebat. At Christus, semel tantum cũ sanguine suo introiuit in sancta Sanctorũ, id est cælum; quia illius sanguis semel effusus, ad peccata omniũ sæculorum exhaurienda satis erat Ad Hebr. 9. *Nõ enim* (inquit Paulus) *in manu facta sancta Iesus introiuit, exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neque vt sæpe offerat semetipsum, quẽadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno, alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit.* &c. Si passio Christi vni tantum generationi fuisset satis; opportebat eum frequenter pati à principio mundi, vt singulas generationes redimeret: quia verò omnibus generationib. satis fuit; ideò non frequenter à principio mundi, sed semel tantum pati oportuit, semelque cum sanguine in cælum introire. Eodem cap. 9. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Secundò sine peccato apparebit, expectãtibus se in salutem*, &c. hoc est: Semel crucifixus est Dominus, vt peccata hominum exhauriret, quia vna tantum mors necessaria erat: non morietur iterum; sed veniet iterum in die Iudicii, nõ vt moriatur, morteq; sua peccata exhauriat, sed vt summa cũ maiestate iudicet mũdum, iustisq; æternam salutem vitãq; largiatur. 1 Cor. 10. *Bibebant de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus*, &c. Bibebant antiqui patres de petra, idest, Christo consequente eos; qa merita passionis Christi eos comitabantur, per quæ peccata remittebat Deus, iis qui per fidem, pænitentiam, bonaq; opera illa sibi applicabãt, gratiãq; & dona cætera largiebatur.

Christus omnia peccata deleuit sufficienter.

Heb. 9.

Semel Christus passus est, quia pro omnib. passus est.

Veniet secũdò Christus sed i supremi iudicij die.

1. Cor. 10.

Petra vera, id est, Christus eos consequebatur. An autẽ petra typica eos sit consequuta, dubium est. Genebrardus Psal. 77. bis ait Moysem aquã ex petra elicuisse, semel in Raphidim, Exod. 17. iterũ in Cades, Nu. 20 ex prima percussione exundasse fluuium manantẽ quatuor milliaria vsque ad montẽ Horeb: ex secunda puteum aquarum viuẽtiũ. Ait præterea iuxta traditiones hebraicas, vnicam fuisse petrã diuersis in locis percussam, diuersisq; tẽporibus. Hebræorum quoq; fuisse sententiam, quod fons ex petra eductus, non modò instar fluuii aquas fuderit totis quadraginta annis i deserto, sed etiã Israelitas comitatus sit quocunque migrarent. Et Psal. 113. scribit primã petram in Raphidim fudisse fluuium cõsequẽtem Israelitas vsque ad terminos propè terræ Sanctæ per annos 39. itaq; Ps. 77. ait quatuor fuisse in deserto miracula, permanentia per annos quadraginta, columnã nubis, columnã ignis, Manna, & petræ fluxum. Quẽadmodũ enim cibum dedit permanentem, nempe manna, sic & aquam. Abulẽsis verò Nu. 20. q. 3. Prius (inquit) ex defectu aquarũ habitari non poterat Arabia; facta est autem habitabilis, post transitum Israelitarũ per illã. Egressa enim sunt fluẽta largissima, ex petra percussa in Raphidin, quæ manent vsq; in hodiernum diẽ & totam terram illã irrigant, &c. idem docet Exod. 17. quæst 3. fauet Chrysost. in homilia, cuius titulus est, quod nemo læditur nisi à semetipsos

An petra ex qua fluxit aqua, secuta sit Israelitas.

Abulen.

Fluuij sequebantur per desertum Israelitas.

D. Chrysost.

tipsos sic enim ait, quid de sequente di xerim petra aquarum fluuios emittẽte?&c Et D Ambr. Psal. 38. ad illa verba, *Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea*, &c Vmbra, inquit, in petra erat, quæ aquam fluxit, & populum sequebatur. Nonne vmbra erat aqua de petra quasi sanguis ex Christo, quæ fugiẽtes se populos sequebatur, vt biberẽt, & non sitirent, redimerentur, & nõ perirent?&c. Verũ incerta res est, ex fontibus Hebræorum hausta, qui solent esse lutulenti. Si tantũ miraculũ tunc esset factũ, Moses illud non præteriisset tacitus. Præterea si petra prima aquã fundens sequeretur Israelitas, non defuisset illis aqua in Cades, Num 20. neque fuisset opus secundã petram percutere. Rabbini aiunt propter Mariæ sororis Mosis mortem aquam ex petra defecisse; ideò opus fuisse petrã percutere. Sed sapit fabulam responsio.

D. Ambr.

Rabbinorũ opinio de secunda petra percussione.

Septima. Passio potentissimè truculentissimos hominis hostes superat, penitusq; extinguit, videlicet peccata. Nullus hostis est, qui nobis nocere valeat, præter peccatũ; Si peccato assensum minimè præbeamus, nulla res quidquã nocumenti afferre potest. Tolle peccatum, oĩa hominis nocumenta sustulisti: nam malũ pœnæ non nocet, sed prodest ei, qui malum culpæ superat, iuxta illud D. Greg. Nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Hunc hostẽ immanissimũ, qui mortifero ictu, mortem nobis sempiternã, cruciatusq; fine carentes infert, passio extinguit. Ideò enim passionem Christus subiit, vt peccatum aboleret. Zachariæ 3. *Auferã iniquitatẽ terra illius in die vna*, &c. scilicet in die passionis Isaiæ. 53 *posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*. Item *vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra, liuore eius sanati sumus*, &c. Itẽ; *propter scelus populi mei percussi eum*, &c. Ad Titum 2. *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate*, &c. D Berna. in serm. fer. 4. hebdo. sanctæ: Mirabilis, inquit, passio tua Domine Iesu, quę passiones omnium nostram propulsauit: propitiatur est omnibus iniquitatibus nostris, & nulli vnquã pesti nostræ inuenitur inefficax. Quid enim tã ad mortẽ, qđ non tua morte saluetur? &c. Itẽ: Pater (inquit) quia passio potentissima est ad exhariendα omnium genera peccatorum, &c. Ad Hebr. 9. *Semel oblatus est ad multorum exhauriendæ peccata*, &c. Vtinam peccatorum nostrorum omnium sentinam exhauriat. Si non exhauserit, nauis nostra profũdo demergetur tartari pelago. Eodem capit. 2. (ait Pau.) *Apparebit sine peccato*, &c. hoc est, in primo aduẽtu apparuit Christus nostris onustus peccatis, vt illa expiaret sanguine, in secundo autem aduentu apparebit sine peccato vllo, hoc est nullo onustus peccato, pro quo pœnas luat. non enim ad moriendum veniet sed ad iudicãdum. Prætereà in primo aduentu vt peccata expiaret, cum sceleratis reputatus est, Isai. 53 peccatorque existimatus, & cruci iter latrones suffixus; at in secundo sine peccato apparebit, magna cũ maiestate, Angelorũ cętu comitatus, ita vt cernant oẽs illũ iustissimũ fuisse, neq; pro suis, sed pro alienis scelerib. mortẽ oppetiuisse. 1. Ioa. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non pro nostris autem tantũ, sed etiam pro totius mundi*, &c. Aureũ propitiatorium Christus absq; vlla peccati fece, propitiatorium inquã totius orbis terrarum 2. Cor. 5. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, &c. fecit Deus Christum, qui per experiẽtiam nullũ in se nouerat peccatum, fecit inquam illũ peccatũ, hoc est, fecit illum sacrificiũ pro peccato; fuit enim in cruce Christus hostia pro peccatis hominum oblata: Vel fecit Deus Christum peccatũ, hoc est, fecit illũ peccatorẽ, non peccatis propriis, sed alienis susceptis. Sequitur; *vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso*, &c. id est, tunc fecit illum quodammodo peccatorẽ alienis peccatis onustum; *vt nos efficeremur iusti per ipsum propria, & insita iustitia*. Vel, fecit illum peccatũ, hoc est, sic eum cruciatibus, doloribusq; exposuit, ac si ipsummet peccatum esset.

7. præcellẽtia passionis.

Malum culpa nocet, non malũ pœna.

Christus mortuus ẽ vt peccata exhauriret Zach. 3. Isai. 53.

ad Titũ 2.

Hebr. 9.
Simile.

1. Ioan. 2.

Christus propitiatorium.

2. Cor. 5.
Locus difficilis explicatur.

Christus quasi peccator, at quasi peccatum.

Ad Roman. 8. *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de Caro peccato damnauit peccatũ, in carne*, &c. tum, quo

Misit

Misit Deus filium suum Christum *in similitudinem carnis peccati*, id est, peccatricis; quia carnem habebat nullo peccato cōmaculatam, similē tamen carni peccatrici reliquorum hominū. *Et de peccato*, id est, ex sacrificio pro peccato, dānauit & deleuit peccatū. Appellari autem *peccatum* sacrificiū pro peccato, colliges ex cap. 10. Leuitici, vbi noster interpres vertit; *cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto?* &c. Hebraicè sic legitur; cur non comedistis *chatah peccatum*, in loco sācto? id est, sacrificium pro peccato, & ca. 19 Num. vacca rufa dicitur *chatah*, id est, peccatum, quia pro peccato cōburebatur. Eūdē in sensum exponitur illud Oseę 4 *peccata populi mei comedēt*, &c. hoc est, sacerdotes hostias pro peccatis populi oblatas comedent. Aliter illud explanari potest; *de peccato damnauit peccatum*, &c. hoc modo, de peccato Iudæorum damnaui peccatum. Nā de effectu peccati illius quod commiserunt Iudæi, qui Christū in crucē egerunt, dānata sunt peccata, nimirū per passionē & mortē quā effecerunt. D Bernar. serm. feriæ 4. hebd. sanctæ: Hoc peccatum (scilicet Iudæorum) in se pertulit, qui se ipsum fecit peccatū vt de peccato damnaret peccatū; per hoc enim omne peccatū tam originale, quàm personale deletū est, &c. Balneū fuit passio amoris diuini igne succēsum, in quo Christus homines lauit, & peccatum sordibus emundauit, iuxta illud Apoc. 1. *Dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, &c. fōs fuit toti orbi patens, ad abluendas mēstruatas, id est, criminibus contaminatas animas. vnde illud Zachariæ 11. *Erit fons patens domui Dauid, & habitātibus Ierusalem, in ablutionem peccatorū, & menstruatæ*, &c. Mundiciem verò, quā hoc balneum, hicq; fons efficit, indicat. Dauid Psalm. 50. cum ait: *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor*, &c. Hyssopo sanguine Christi intincto aspergi postulabat; quo qui aperguntur, cæleste quandā munditiē consequuntur, & niue ipsa candidiores fiunt. *Omnes peccauerunt* (ait Apostolus ad Rom. 3.) *& egent gloria Dei*, &c. peccauimus omnes, gloria Dei, hoc est, indulgentia & venia peccatorū, vt exponit glossa ordin. summopere indigemus, quæ gloriā Deo affert, quia eius misericordiā bonitatemque extollit. Ad balneū ergo properemus passionis, ad fontē patentē curramus; vt veniā peccatorum, qua maximè indigemus, assequamur. Sit nobis limes, & finis peccandi crux Christi, iuxta illud Clementis Alexand. lib. 3. pædagog. cap. 12. limitem habemus crucem Domini, cui crucifigimur, & à peccatis prioribus reprimimur, &c.

Octaua. Passio non solùm potēs est, ad delenda peccata omnia, sed ad afferendā etiam hominibus gratiam, reliquaque dona spiritalia. Etenim peccatorum sordes abluunt passionis Christi merita; non solùm verò sordes illas pellunt, sed animā etiā miro gratiæ virtutumque decore exornant. *Asperges me* (ait Dauid Psalm. 50.) *Domine hyssopo & mundabor* à peccatis, sanguine aspersus Christi præterea, *lauabis me, & super niuem dealbabor*. dealbatur autē anima, fitque niue candidior, cū per Christi sanguinem gratiam, charitatē reliquasque virtutes cōparat; mūdatur à peccatis; dealbatur gratia, aliisque donis. Ad Rom. 5. *Si vnius delicto, mors regnauit per vnū* (scilicet Adamum) *multò magis abundantiam gratiæ & donationis, & iustitię accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christū*, &c. Ex Adamo delictum originarium contraximus, & mortē. At ex Christo per merita passionis, accepimus non solùm delicti originarii, & aliorum actualiū remissionē, sed etiā abundantiā gratiæ, iustitiæ aliorumq; donorū. Theophylactus in Paulū: Gratiæ (inquit) abundantia, Deus nobis bona impartit; qui haud secus habendi sumus, ac alius quispiam, qui æris alieni sit obstrictus magnitudine; vbi cum liberis ex vxore in carcerem traditur, non solū carcere & debita pecunia liberetur, sed donetur etiam talentis mille, inuectusque in regiā aulam dignetur honore amplissimo, sicque demum ab imperatore in filium adopte-

Marginalia: modo dicatur, & etiā alibi corpus mors. — Christus sacrificiū pro peccato. — Leuitici 10 — Num. 19. — Osea 4. — Peccatum, sumitur à hostia pro peccato. — De peccato Iudæorum Deus dānauit peccatū — D. Bernar. — Passio Christi balneū. — Apoc. 1. — Zach. 11. — Psal. 50. — Rom. 3. — Crux Christi debet esse hominibus limes peccandi. — 8. præcellētia passionis. — Psalm. 50. — Rom. 5. — Passio peccata abluit gratia virtutūq; decorem affert. — Theophy.

adoptetur. Hæc ille.

D.Chrysost. Chrysostomus; Non quantũ indigebamus ad peccati interitũ, tantum accepimus modò ex ipsa gratia, sed & multò amplius. Nã & supplicio liberati sumus, & vitiositatẽ deposuimus, & regenerati sumus, & resurreximus, sepulto vetere homine, & sanctificati sumus, & ĩ adoptionẽ adducti, & fratres effecti vnigeniti, & cohæredes, & in eandẽ corporis vnitatem redacti, &c. Itẽ, Gratia (inquit) nõ solũ nos à supplicio liberauit, sed & peccatorũ condonationẽ, ac vitã, & alia largita est. vt si quis febrientẽ non morbo solùm liberet, sed formosum, & fortẽ, & honoratũ efficia; aut esurientẽ nõ alat solũ, sed efficiat multarũ possessionũ dominũ, & ad maximũ promoueat principatum, &c Addit Apostolus eodem c. *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia Vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam, in uitam æternam per Iesum Christum Dominum nostrum*, &c. Abundauerunt peccata; superabundauit Christi gratia per merita passionis aduersus regnum peccati. Peccati regnũ Christus passione euertit, quod homines vita priuat; gratia verò regnũ cõstituit, vt per iustitiã regnet gratia in vitã æternã, euersò peccati regno. Euersum est per passionẽ regnum peccati, cõstitutum est in terris regnũ gratiæ; peccati ergo regnum, & seruitutẽ toto fugiamus conatu animi, iuxta illud Apostoli ad Rom. 6. *Non regnet* (inquit) *peccatũ in corpore vestro, vt obediatis concupiscentijs eius*, &c. Regnet in nobis gratia per iustitiam.

Gratia à pœna liberat &, peccatorum indulgentiã donat Christus.

Rom. 5.

Regnũ peccati passio euertit.

Rom. 6.

Nona præcellẽtia passionis. Nona. Passio potens est ad afferẽdã hominibus gloriã sempiternã: per passionem filii Dei facti sumus, *si autẽ filij*, vt ait Apostolus ad Rom. 8. *& hæredes*, &c. hæredes inquã æternæ gloriæ, quæ opulentissima hæreditas per mortẽ Christi nobis obuenit. Ad Hebr. 9. *Noui testamenti mediator est, vt morte intercedente in redemptione earum præuaricationum quæ erant sub priori testamento repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis: vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris*, &c. intercessit ergo mors Christi, vt Testamenti noui hæreditas, hominibus daretur. Testamentorũ autores non perpetiuntur mortem vt suis hæredib. hæreditatẽ morte cõparent; sed cõparatã hæredibus inuiti ac repugnantes relinquũt. At Testamẽti noui autor Christus, mortẽ ꝑpessus est crucis, vt suis hæredibus cælestem hæreditatẽ, ipsò suo sanguine, tanquã pretio compararet, illisque libens atque gaudens relinqueret. Ante mortem testatoris non adeunt hæredes hæreditatem; sic ante mortẽ Christi, patres prioris testamenti non adierunt hæreditatẽ cælestis gloriæ, neq; ipse quidẽ sanctissimus Baptista; post mortem verò testatoris etiã infantes Baptismo abluti illã obtinent. Ad Hebr. 10. *habentes fiduciã in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam, & viuẽtem, per velamen, id est, carnem suam*, &c. fiduciam (inquit) habemus in introitum sanctorum, id est, cæli, confidamus nos cælũ introituros per sanguinẽ Christi. Via verò in cælũ, noua est; hactenus enim ante effusum Christi sanguinem non erat; nouã hanc viã in cælestẽ patriam Christus initiauit, quia initiũ illi dedit, est via noua & viuens, viuit enim semper. initiauit autem hanc viam *per velamen*, id est, carnem suã, quæ diuinitatis veluti velamen erat, multos subiẽs cruciatus in carne, per velamẽ introibat pontifex antiquus in Sancta Sanctorum; nos per velamen similiter, idest, carnẽ Christi crucifixã, itroimus in Sancta Sanctorum, id est, cælũ. Velamen illud quod Sancta Sanctorũ velabat, in Christi passione scissum est à summo vsque deorsum, Matt. 27. indicans apertã iã esse viã in Sancta Sãctorũ, hoc est, in cælum per Christi sãguinem Latroni dicta à Christo verba hoc idẽ significant, *Hodie mecũ eris in paradiso*, &c. videlicet, quia iã paradisi fores apertæ erant, iuxta illud Psa. 23. *Attollite portas principes vestras, et eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*, &c. ad Hebr. 5. *factus est omnibus obtẽperãtibus sibi causa salutis æternæ*, &c.

Rom. 8.

Heb. 9.

Passio nos fecit hæredes regni cælestis.

Hæreditas regni cõparatur post mortẽ testatoris Christi.

Hebr. 10.

Passio aperuit viã in cælũ nouã & viuentẽ.

Carne velabatur diuinitas in Christo.

Decima. Hominum victorem diabolum,

Decima præ

...ellētia pas sionis. lum, passio vicit. Omnes homines peccato contaminatos hic hostis superauit: nullus verò reperiri poterat, à quo posset superari: at passione Christi profligatus est. Olim prodiit ferox gigas in certamen 1. Reg. 17. oēs prouocans Israelitas, nullus tamen cū eo ausus est dimicare. Similē in modū prodiit in orbē terrarum, diabolus hostis truculentissimus; nullus tamē hominū cum illo congredi est ausus. Adfuit typicus Dauid, cum gigante pugnauit quæque nullus alius potuerat superare, solus ipse superauit. Ad fuit verus Dauid Christus, cū diabolo conflixit, gigantemque oīum victorem hominū, solus ipse prostrauit. lege Augustinū serm. 197. de tēp. Cùm nullus (inquit) esset, qui præsumeret ad singulare certamē accedere, Dauid qui figuram gerebat Christi, processit ad prælium, tulit baculū in manu sua, id est, crucē, & exiit cōtra Goliath, &c. Eodem serm. illud Dauidis 1. Reg. 19. *Leonem & vrsum interfeci ego*, &c. de Christo interpretatur, qui diabolum vrso & leone figuratum vicit. Diaboli victi, & à Christo interfecti Epitaphium canit Naziāzenus Gregorius orat. 42. Crux (inqt) te prostrauit, vitæ autor tibi necē attulit, exanimis es, mortuus, immobilis, &c. Eodem loco significatū ait, Serpente illo æneo à Moyse ex pertica suspenso; in cruce enim Christi suspensus, & suffixus est diabolus. D. Leo ser. 10. de passione, claui Christi perpetuis diabolū fixere vulneribus. & sanctorū pęna membrorum, inimicarum fuit interfectio potestatum, &c. Euthymius Psal. 23. Christus diabolum in certamine deuicit, & cruce quasi hasta quadā iaculatus transfixit, &c. Isaiæ 27. *In illa die visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi & forti super Leuiathan serpētē vectē, & sup Leuiathan serpentē tortuosum, & occidet cetum, qui est in mari*, &c. In die passionis hoc factū est, visitauit Dñs super diabolū, qui serpens dicitur, venenoq; peccati plenus, & vectis, qui serpentes lōgi sunt vt vectis. Symmachus vertit cōcludentē, Theodotio, *robustū*. vectem autē, siue claudētem putat D. Hieronymus appellari, quod multos suo carcere clauserit, & propriæ subiecerit potestati. Septuaginta Interpr vertunt, *fugientem*: Christum enim fugit victorem. Dicitur præterea tortuosus, quia nihil in se habet rectum, vt ait D. Hieron. Versabatur ille in mari salso, & amaro, id est, mundo, ceto immani similis, homines velu ti pisciculos vorans. vnde Greg. Iob. 40. In hac (inquit) aquarum abysso, id est, immensitate generis humani, aperto ore certus ille ferebatur, ad omnium mortē inhians, vitam penè omnium vorans, &c. Visitauit immanem cetum Christus gladio suo duro, & grandi, & forti, hoc est, cruce Septuaginta vocant, gladium sanctum, & magnum, & fortem: quæ epitheta omnia cruci egregiè congruūt; gladius enim fuit sanctus, durus, magnus, fortis, quo diabolus est occisus. Occisus autem dicitur, quia occisa est illius potestas: nam instar occisi, nemini peccatum aut mortem æternam inferre potest, nisi se illi subiicere velit homo. D. Hieron. & alii occidendum aiunt gladio duro in die iudicii, neque immeritò; tunc enim penitus occidetur, qa omni potestate priuatus, tartaro concludetur. nunc verò ab August. sermo. 197. de temp. alligatus dicitur. Et Ioann. 12. *Nunc (inquit Cristus) princeps huius mundi eiicietur foras*, &c. Alligatus ergo est, & è mundo eiectus, atque victus per passionem, & quodammodo occisus, Psal. 71. humiliatus à Christo dicitur, & *humiliabit calumniatorem*, &c. Nomen Græcum est, *diabolus*, significans, calumniatorem. hunc humiliauit Christus humiliatus per passionem, vt Augustin. ait Psal. 88. Humiliatus (inquit) es, & humiliasti (scilicet diabolum) vulneratus es, & vulnerasti, &c. ad Hebr. 2. dicitur diabolus destructus atque euersus per passionem; *vt per mortem* (ait Paul.) *destrueret eum qui habebat mortis imperium*, id est, diabolum, &c. habet autē mortis imperiū diabolus, quia mortem in mūdum inuexit, iuxta illud Sap. 2 *inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarū*, &c omnesq; homines occidit. D. Leo serm. 9. de Passione, Diabolus (inquit) mali-

Margin notes (left): *1. Reg. 17.* — *Passio diabolum superauit gigantem, vrsum, & leonem.* — *Ante Christū nullus diabolū vincere potuit.* — *D. August.* — *Dauid figura Christi extitit ī ser uandis patris ouib.* — *D. Gregor. Nazianz. Epitaphiū Diaboli.* — *D. Leo.* — *Euthym. Hasta crucis Diabol⁹ est transfixus.* — *Isaia. 27.* — *Diab. claudens est, fugiēs, vectis tortuosus, & cetus immanis.*

Margin notes (right): *D. Gregor.* — *Crux gladius sāctus & fortis.* — *Quomodo dicatur occidi dæmo.* — *Psal 71.* — *Christus humiliat⁹ diabolum humiliauit.* — *D. August.* — *D. Leo.*

malitia nocendi auidus, dum irruit, ruit dum capit captus est. &c. Orig. Iosue ho. 8. in cruce Christi ipsum diabolũ crucifixum ait: visibiliter (inquit) filius Dei in carne crucifixus est; inuisibiliter verò in ea cruce, diabolus cum principatibus suis & potestatibus, affixus est cruci, &c.

Diabolus dũ captat capitur. *Origenes.*

Vndecima. Passio mortẽ temporalẽ, æternamque destruxit. Mortem temporalem eius merito omnes tum iusti, tum impii, in resurrectione vincẽt: æternã verò soli iusti superabũt. Mors Christi has duas occidit mortes, iuxta illud Oseæ 13. *O mors ero mors tua, &c.* & 1. Cor. 15. *Absorta est mors in victoria* &c. victoria Christi in cruce mortem absorbuit Nam vt Augustinus ait Psal. 51. Christus mortuus, mortis ĩterfector fuit. & magis in illo mors mortua est, quàm ipse in morte, &c. Quemadmodum enim contraria contrariis abolẽtur, frigus si in calorẽ incidat magnũ, extinguitur; & amaritudo si in dulcedinẽ magnã iniiciatur, perit. sic mors vitæ cõtraria, frigida & amara, in summum Christi ardorem, summamq; dulcedinem, & in vitam ipsam infinitam immissa, obiit. Idem Aug. hom. 35. to. 10. Dominus vt occideret mortem vestitus est morte. Non poterat mors mori nisi in vita. Non moritur, amaritudo nisi in dulcedine, non moritur frigus nisi in calore. Non est mortua mors nisi in vita. Hęc ille. Hamo diuinitatis Christi transfixã dixit Damascenus li. 3. fidei c. 27. Accedit (inquit) mors corporisque illecebram deglutiens, diuinitatis hamo transfigitur; atque insonte & viuifico corpore degustato, interit ipsa, omnesque quos olim absorpserat, euomit, &c. Euomet illa oẽs quos nunc absorbet, cum fuerit in die iudicii absorpta, per victoriam Christi in cruce: interim hominum vtilitati seruit, dũ eos memoria sua à peccato deterret, fortiterque tolerata, præclaros Christi martyres efficit. August. lib. 13. de ciuitate Dei cap. 6. Mors (inquit) nõ vi sua in tantam vtilitatem, sed diuina opitulatione conuersa est; vt quæ metuenda proposita est, nec peccatum cõmitteretur, nunc suscipienda proponatur, vt peccatum non committatur, cõmissumque deleatur, magnæque victoriç debita iustitiç palma reddatur, &c. D. Bernar. in serm. de S. Malachia: Mors (inquit) minimè quidem adhuc abesse cogitur, sed cogitur nõ obesse. Erit autem cum dicetur, Oseæ 13. *Vbi est mors victoria tua?* & ipsa quidem inimica, *nouissima destruetur*, 1. Cor. 15. Nunc verò mors dilectis Domini somnus refrigerii est. pessima quidem mors peccatorum, sed pretiosa est mors sanctorum, pretiosa planè tanquam finis laborũ, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ ianua, & perfectæ securitatis ingressus. Sic ille. Triplicem mortẽ credit Augustinus comminatum esse Deum primo parenti, nimirum mortẽ corporis, animæ, & gehennæ. eodem lib. 13. de ciuit. cap. 12. Cum quæritur (inquit) quam mortẽ Deus primis hominibus fuerit comminatus, vtrum animæ, an corporis, an totius hominis, an illam quæ secunda dicitur? Respondendum est, Omnes. sic Aug. Christus verò à nobis vna morte sua has omnes mortes depulit. *O mortem aduersus mortes potentissimam.*

11 præcellẽtia paß. *Paßio mortem destruxit.* *Oseę 13.* *1. Cor. 15.* *Simile.* *August.* *Christus mortis fuit ĩterfector.* *Mortua est mors ĩ vita Christo.* *D. Damaſ.* *Mors velut hamo trãsfixa.* *D. Aug. mors nunc hominũ vtilitati seruit.* *D. Bernar.* *Osea 13.* *1. Cor. 15.* *Mortẽ corporis, anima, & gehẽna Deus Adamo cõminatus est.*

CAPVT IV.

De præcellentijs paßionis Christi.

Dvodecima. Passio non solum homines in summã gloriam euexit; sed etiã ipsum Christum Deũ atque hominem. Homines quidem ad gloriã animæ, & corporis; Christum verò ad gloriam non animæ, sed corporis extulit, nomenque illi super omne nomen comparauit. Etenim meritus est Christus per antecedentem passionem, corporis gloriam, nominisque solarem quendam splendorem; imperium quo-

12. præcel. paßionis. *Paßio, Christũ extulit in gloriam corporis.*

que cęli & terræ, resurrectionē, ascensionē, iudicialemque potestatē, ac pontificalem. Non est autē meritus animæ gloriā, qua in ipso conceptionis primo momento collustratus est, vt plerisque Theologis placet, cum D.Tho.3. p.q.19.ar.3. Neque gratiam (inquit) neque scientiam, neque beatitudinem animæ, neque diuinitatem meruit Christus. Quia cùm meritum non sit nisi eius, quod nondum habetur; oporteret quòd Christus istis aliquando caruisset; quibus carere magis diminuit dignitatem Christi, quàm augeat meritum, &c. Si quæras à D. Tho. quid igitur meritus est Christus? Respōdet eodem loco; Dicēdum est quòd Christus gloriam corporis, & ea quæ pertinent ad exteriorem eius excellentiam, sicut est ascensio, veneratio, & alia huiusmodi, habet per meritum, &c. Lucæ 24. *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*, &c. in gloriam, inquam, nō animæ, sed corporis, resurrectionis, ascensionis, & supremi nominis, atq; imperii, cęli, & terræ iudicis, atque æterni Pontificis. Hæc n. omnia Christi gloria cōplectitur. Paulus verò ad Philipp.2. *Factus* (inquit) *obediēs vsq; ad mortē*, &c. Propter *quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen*, &c. Nomen super oē nomen, nomen est Dei. Hoc dedit Deus Christo homini, quia per passionis merita, cognoscunt homines illum esse verum Deum, & vt verū Deū colunt, Deumq; verum appellant. Hinc illud Apoc.5. *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere diuinitatem, & honorem, & gloriam*, &c. Quonammodo dicitur Christus dignus accipere diuinitatē? Sanè quoniam per mortis meritum dignus est, qui ab hominibus Deus esse cognoscatur; & diuina adoratione colatur. Ad Heb 2. *Videmus Iesum propter passionē mortis gloria, & honore coronatū*, &c. Gloriæ enim & honoris maximi, atque imperii coronā passio ei attulit.

D.Tho.

Quidnam Christus meruerit sibi, vel non meruerit, p passionem.

Luc.24.

Philip.2. Christus ex passione cognoscitur Deus.

Apoc.5. Quomodo dicat Christus accepisse diuinitatem.

Ad Heb.2.

Psal.109.

Psal.109. dicitur Christo, *Sede à dextris meis in cœlo*. item: *Tu es sacerdos in æternum secundū ordinem Melchisedech*; item, *Iudicabit in nationes* &c. item, *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Siō dominare in medio inimicorū tuorū*, &c. illam verò sessionem à dextris Patris, sacerdotiū summū, iudicis supremi honorem, summumq; imperium, per passionē meritum esse, indicat Psalmi finis: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*, &c. hoc est, quia de torrente passionis amarissimæ bibet, propterea tot honoribus caput attollet. D Greg. hom.25. in Euangel. De torrēte (inquit) in via bibit Dominus, quia mortē in transitu gustauit; atque ideò exaltauit caput; quia hoc quod moriēdo in sepulchro posuit, resurgendo super Angelos eleuauit, &c. in eandē sententiā Aug. Theodoret. Beda, & alii interpretantur, Genes. 49. *lauabit in vino stolam suā*, &c. idest, corpus suum lauit in sanguine, Quemadmodum aūt lota stola sordes abiicit, sic lotum sanguine Christi corpus, abiecit mortalitatem. Duplicē stolam lauit Christus suo sanguine; corpus, vt interpretatur Chrys. & Tertull. lib.4. contra Marc & homines, quos lauat, vt exponit Iustinus Martyr. in dialogo lauit corpus suum, immortaleque reddidit, & splendidū. lauit Ecclesiam, & ab iis quos lauit, sordes depulit peccatorum. gratiæque & donorum spiritualium decorē attulit Psal.21. *Aruit tanquā testa virtus mea*; idest, robur meū, &c. Sicut testa in passione aruit Christi corpus, sāguine exhausto. Sed quemadmodum testa dum arescit per ignem, fortior fit; sic Christi corpus cum i passione aruit, fortius factum est per passionem. Aug. Psal.21. Quomodo (inquit) testa ante ignem mollis est, post ignem fortis; sic Domini nomen ante passionem contemnebatur, post passionem honorificatur, &c. D.Hier. nō aruit Christus sicut fęnum vt caderet, sed quasi testa vt firmaretur, &c. Isaiæ 53. *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit, & saturabitur in sciētia sua, iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates nostras ipse portabit ideo dispertiā ei plurimos, & fortiū diuidet spolia spro eo quòd tradidit in mortem animam suam, &c.*

Ex opprobrio passionis traxit Christus honorem insignem.

D.Greg.

Gen.49. Simile.

Christus stolā suam lauit duplicē

Psal.21.

D. Aug.

D.Hier.

Isai.53.

Decima tertia. Christus per passionē de hostibus admirandum triumphū egit ad Coloss.2. *Expolians principatus & po-*

13. Præcellentia passionis.

ad Col. 2.

Christum per passionē de hostib. triūphanis.

Ioan. 12.

& potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso, &c. Expoliauit Christus dæmones imperio mūdi, iuxta illud Ioan. 12. *princeps huius mundi eiicietur foras: traduxit eos confidenter palam*, Græcè ἐδειγμάτισεν, id est spectaculum omnibus proposuit, ostētauit vt victor victos, de illis triūphū, agens in semetipso, non per exercitū militum, sed per se ipsum solum cruci fixum. Teophylactus Coloss. 2. In cruce Christus trophæum statuens, dæmones triumphauit, &c D. Hieron. ad Hedibiam q. 9. Gloria (inquit) Saluatoris, patibulum triumphantis, &c. Est crux velut triumphi currus quidem admirabilis, in cuius suprema parte Christus vehitur, in ima mundi princeps, cū sociis tartareis victus atque vinctus oculis fidei nostræ ostentatur. Origenes in Cant. Mosis, glorificatum ait Christum in passione humiliter, gloriosè verò glorificandū in iudicio. *Gloriosè magnificatus est.* (ait Moses in Cantico) & Origenes: Christo (inquit) erat gloria, ipsa passio crucis; verū gloria hæc nō erat gloriosa, sed humilis. glorificatus est Dominus in passione. sed humiliter non gloriosè glorificatus est. Cū post aduentum humilitatis secundum aduentum in gloria nobis ostendet, tunc nō solum glorificabitur Dominus, sed & gloriose glorificabitur, hæc ille. 1. Cor. 1. *Prædicamus Christum crucifixū Iudæis quidem scandalū, gentibus autem stultitiam, ipsis autē vocatis Iudæis atq; Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* &c. Passio Christi Iudæis fuit scandalum, Ethnicis stultitia visa est, quia fidei oculis carebant; at iis qui fidei oculos cælestes habent, Dei virtus id est potētia & fortitudo, itemque sapientia videtur Christus quia diuina fortitudine & sapiētia de tartaro per passionē triūphauit D. Amb. li. 7. in Lucā: qui crucē scādalū putat, Iudeus est; qui crucē stultitiā putat, Græcus, id est Ethnicus. Est aūt filius Ecclesię, qui crucē triūphū putat, qui crucem Christi triūphantis agnoscit, &c. D. Cypria. in tract. de passione Dñi: Admiror (iquit) te Domine cruci affixū, suppliciorū victorē eleuatis manibus triumphantē de Amalec, &c. Item ascendisti palmā quia illud crucis tuæ lignū portendebat triūphū de diabolo, vel de principatib. & potestatibus, & nequitiis Spiritalibus victoriam, &c. lege Origenē hom. 8 in Iosue.

Teophyl.

D. Hieron.

Passio Christi, Dei fortitudo.

D. Ambro.

Crux triūphus.

D. Cypria.

Fęminas plorātes sic Christus alloquitur Lucæ 23. *Nolite flere super me*, &c. Cur Dñe? quoniā non morior, vt vos putatis, quia morti resistere nō valeo, sed quia de morte triūphare volo moriendo. D Leo. serm. 10. de passione: Istum (inquit) sibi plāctū Dominus dedignatur impendi; quia non decebat luctus triūphū, neque lamenta victoriā, &c. eodem serm. ait nos cum Christo ēt triumphasse. Domini (inquit) pœna inimicarū fuit interfectio potestatū. Sic suā Christo consummante victoriā vt in ipso, & cū ipso, oēs qui in eū crederent, triūpharent, &c Apoca. 12. *ipsi vicerunt eum*, id est diabolum, *propter sanguinē Agni*, &c. Hæc est victoria nostra sanguis Christi; crux Christi arcus ille est de quo legit Apoc. 6. *Ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens vt vinceret*, &c. Exiuit Christus in mundū vincens, vt vinceret diabolum, peccatū & mortē, & de illis triumphū ageret; quē quæso habebat arcū quo vicit? Sanè crucē habebat, crucē ferebat, cuius sagittis acutissimis truculentos hostes superauit. Isaiæ 42. quo loco legimus; *Nō erit tristis, neque turbulētus, donec ponat in terra iudiciū, & legē eius insulæ expectabūt*, &c. Sept. interpretes sic vertunt: *Splendebit, & nō contereteur, donec ponat super terrā iudiciū, & in nomine eius gētes sperabunt*, &c. Iudęi Ier. 11. aiebant, *eradamus eū de terra viuentiū, & nomen eius nō memoretur amplius*, &c. Sed eradere non potuerunt; crux ipsa, qua illū eradere, nomenq; eius conati sunt extinguere, currus facta est triūphātis, vndiq; totius triūphale vexillum. ideò ait Isaias: *splēdebit, & non cōteretur*, quāuis vos illum totis viribus extiguere, & cōterere conemini. Quāuis oēs homines Solis lucē conentur extinguere, irriti eorū erunt conatus, splendebit Sol semper: sic iustitię Sol, splendebit & nō contereteur, non eradetur

Luc. 23.

D. Leo.

Nos i Christo triūphamus.

Apoc. 12.

Apoc. 6.

Isai. 43.

Ierem. 11.

Crux triūphale vexillum.

detur de terra, imò in terra iudiciū, iustitiā, euangelicamq; ponet legē, illūque insulæ & gentes expectabūt, quia illas ad se vocabit, illisque latè toto orbe dominabitur.

14. Præcell. Passionis. In passione sacrificium admirabile Christus obtulit. ad Ephes. 5

Decimaquarta: Christus crucifixus admirabile sacrificiū obtulit Deo. Ad Ephe. 5. *tradidit semetipsum pro nobis oblationē, & hostiā Deo in odorē suauitatis,* &c. Nullū vnquā sacrificiū tam suauē Deo, Angelis, hominibusq; odorē præbuit, quā suauē Passio Christi exhalauit. Scelerū fœtore completū mundū, passio odore suauissimo cōpleuit. Post diluuiū illud, quod orbē totum aquis obruit, sacrificiū obtulit Noè Dño Gen. 8. *odoratusque est Dominus odorem suauitatis, & ait ad eū: Nequaquā vltra maledicā terræ propter homines,* &c. Sacrificiū Noè diluuiū minimè repressit; at Christi sacrificiū diluuiū peccati, quod totū orbē oppresserat, expulit. odoratus est Dñs odorem suauitatis sacrificii Noè, sed multò magis delectatus est odore suauissimo sacrificii Christi, Hebraicè odor suauitatis dr, *odor quietis*; quoniā placabat, & ab ira quiescere faciebat Deū. Odorē sanè suauitatis, id est suauissimū, & quietis, effla uit Christi sacrificiū. iratū enim toti orbi Deū quiescere fecit, ac placauit. Placatus Dñs sacrificio Noè ait ad eum: *Nequaquā vltra maledicā terræ,* &c. Sed placatus sacrificio Christi, nō solū terræ nō maledixit, verū præclarissimis eā donis & benedictionib. locupletauit, iuxta illud Psal. 84 *Benedixisti Domine terrā tuā, auertisti captiuitatē Iacob. Remisisti iniquitatē plebis tuæ, operuisti oīa peccata eorū. Mitigasti oēm iram tuam,* &c.

Gen. 8.

Quā suauis odor ex Christi passionis sacrificio ad Patrem exalabat.

Quis dicatur odor quietis.

Psal. 84.

Tria sacrificiorū genera apud Hebræos.

Tria apud Hebræos erāt sacrificiorū genera, præcipuū holocaustū, quo totū animal incendebatur; alterum sacrificiū pro peccato; tertiū sacrificiū pacificum, quod pro bono aliquo adepto, vel adipiscendo offerebatur. Sacrificii Christi vmbræ erant hęc sacrificiorum genera; quod & holocaustum est, totum .n. se obtulit Christus; sacrificium est pro peccato, quia ad peccata delenda est oblatū; sacrificiū est pacificū, quia pro adipiscenda grā atq; gloria Christus est immolatus, & pro adeptis ēt do- nis antiquorū patrū. Ex holocausto nulla pars dabatur vel sacerdotib. vel offerētib. sed Deo totū in altari cōburebatur; ex victima pro peccato pars Deo pars sacerdotib. cedebat; ex hostia pacifica, pars offerebat Deo, altera pars sacerdotib. tertia offerentib. ad vescendū tribuebatur. At Christus immolatus, totus Deo oblatus est, totusq; hominib. in cruce, in mēsa & Sacro, atq; sacrificio Eucharistiæ datus. Admirabile fuit hoc sacrificiū: fuit ēt vnicū sacrificiū atq; æternū. Admirabile fuit, qm idē fuit sacerdos, & hostia admirabilis, nēpe Deus & homo Christus; altare crux. D. Aug. Psalm. 132. Christus (inquit) victima fuit, & sacerdos. Cū in mundo nō inueniret mūdū, quod offerret obtulit seipsum, &c. oblatum aūt est in loco sacrificiorū, id est in Ierusalē, in qua solum sacrificare licebat. Vnicum fuit, qa ad abolēda totius mundi peccata satis fuit semel mori Deū & hoiem; vt supra diximus, iuxta illud ad Hebr. 10. *Sāctificati sumus per oblationē corporis Iesu Christi,* &c: Hoc vnicū sacrificium reliqua oīa veteris legis lōgissimo interuallo & supauit, & antiquauit. Vmbræ illa erāt; quę peccatis mederi vi sua nō valebāt; hoc Sol est dispellēs vmbras, peccatisq; oībus medicinā vi sua afferens. vnde illud Psal. 39. *sacrificium & oblationē noluisti, holocaustū & pro peccato non postulasti. Tunc dixi, ecce venio,* &c. Venit Christus, ad offerēdū sacrificiū, qa sacrificia legis veteris, Deū vi sua nō placabāt; opus erat sacrificio quod vi sua esset propitiatoriū. Ier. 11. *Numquid carnes sancta auferēt à te malitias tuas?* &c. Nō potuerunt carnes sacrificiorū sāctæ, auferre populi malitias. Sola potuit id pstare sāctissima Christi caro. Æternū est effectu suo, qa gratiā gloriāq; parit æternā Vt. n. ait Paulus ad Hæb. 10. *Vna oblatione Christus cōsummauit in sempiternū sāctificatos,* &c Et c. 9. *æternā vocat Christi redēptionem.* Æternū pterea est, quia alio nō idiget. æternū est, qa ad iudicii vsq; tēpus offeret. Et. n. ad extremū vsq; tēpus iudicii, Euch. icruētū sacrificiū offeret, quo sacrificiū crucis cruētū repsentat, eiusque grā hoibus applicat. Vnica tantū est

In quo differētinter se antiqua sacrificia.

Sacrificiū admirabile passionis fuit vnicū, æternum.

ad Heb. 10

Psal. 39.

Nulla carnes, præter Christi Sacrosanctā, homines à peccato mūdare potuerunt.

ad Heb. 10. & 9.

Digitized by Google

Cruentè se Christus semel obtulit in cruce, nos quotidie incruentè illum offerimus in sacrificio Missæ.

est in Ecclesia hostia, Christus crucifixus: oblata est hæc hostia cruenta oblatione semel in cruce, offertur oblatione incruenta quotidie vsque ad iudicium in Ecclesia. Eadem tamen atque vnica semper est hostia, eadem victima, quamuis oblationes incruentæ sint multæ. Cruentum crucis sacrificium adumbrant legis cruenta sacrificia, tot immolati agni, hirci, oues, bouesque. Incruentam verò hostiam adumbrauit sacrificiũ sacerdotis Melchisedec. ideoque maximè dicitur Christus Psalm. 109. *Sacerdos in æternum secundum ordinem, & ritum Melchisedec:* quia in æternum ad extremum vsque mundi diem sub specieb. panis & vini seipsũ offert Deo p suos sacerdotes, Sãcti sacrificii ministros. Melchisedec enim panẽ & vinum, non pecora Deo offerre solebat.

Christi sacrificiũ æternũ est.

De Sacrificio crucis canitur in Hymno Ecclesiastico:

> *Mite corpus perforatur,*
> *Sanguis vnde profluit,*
> *Terra, pontus, astra, mundus,*
> *Quo lauantur flumine, &c.*

Quomodo Christi sanguis astra dicatur abluere.

Astra, Angelos significant.

Terram, pontum, & mundum Christi sanguine esse lotum, perspicuũ est ex dictis: quo autem modo astra lota dicantur, dubium. Responderi potest, astra Angelos significare, qui Christi sãguine loti dicantur, propterea quòd passionis merito gratiam à Deo acceperint. Nam propter merita Christi gratiam Angelis datam multi cẽsent. Attamen dicendum non est eos esse à Christo redemptos, siquidem peccatum nullum commiserunt: possunt tamen dici redempti, id est, præseruati à peccato. D. Bernar. serm. 22. Cant. Qui (inquit) erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur, sic illũ de captiuitate eruens, sicut hunc à captiuitate defendens. Et hac ratione fuit æquè vtrique redemptio, soluens illum, & seruans istum. liquet ergo sanctis Angelis Christum fuisse redẽptionem. Hæc D. Ber. D. Bernardinus tom. 2. serm. 56. c. 1. cùm creasset Deus Angelos, reuelauit eis incarnationẽ filii sui, quem proposuit dominatorem vniuersæ terræ; vt per hæc si vellent, per Christi meritum, & gratiam ascenderẽt ad

D. Bernar.

D. Bernardinus.

A gloriam, & qui nollent, ruerent in æternam pœnam, &c. item: Christus Angelis qui non peccauerunt, redemptor non extitit, nisi fortè largè redemptio accipiatur, &c. eodem loco Angelos astra appellat iuxta illud Iob. 38. *Cùm me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* possunt ergo Angeli nomine astrorum significari, cùm in Hymno canimus *pontus, astra, mundus, quo lauantur flumine.* Fortè hyperbole

Iob. 38.

B est, qua significatur, sanguine Christi cœlos esse lotos, qui peccatorum fætore ex terra ascendente veluti infecti atque contaminati erant; quẽ in modũ illud Pauli ad Hebr. 9. explicatur; *Necesse est ergo, exemplaria quidem cælestium his mundari; ipsa autem cælestia melioribus hostiis,* &c. Numquid cælum emundari oportebat meliore hostia, id est, Christo immolato? oportebat: quia peccatorũ tetro halitu veluti inquinatum erat. Sed rectius dicemus, cælestia

ad Heb. 9.

C appellari a Paulo Ecclesiam, quæ regnum cœlorum dicitur. Exemplaria cælestiũ, id est, huius regni cœlorum, scilicet veteris legis typos, oportebat mundari hostiis & sanguine brutorum animalium; at ipsa cœlestia, ipsum cœlorum regnum, ipsam Ecclesiam oportebat præstantiori victima expiari, nẽpe Christi sanguine.

Explicatur D. Paulus.

D Decima quinta: Passionis suæ veluti rei præclarissimæ, fecit Christus memoriale stupendũ, atque perpetuũ, voluitque nos passionis perpetuã habere memoriã. Digna enim erat Dei hominisque immolatio memoria sẽpiterna: idcircò incruentũ instituit Sacrificiũ, ac Sacramentũ, quod passionẽ singulis dieb. ante hominũ oculos proponeret. *Quotiescumque* (inquit Paul. 1. Cor. 11.)

15. Præcellẽtia Passionis.

Passionis fecit Christus memoriale stupẽdum.

E *manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat,* &c. Annunciat nobis Eucharistiæ sacrificiũ mortẽ Christi; proponit ante oculos Deum pro nobis crucifixũ, reuocat illius passionẽ. ita tamen vt Christũ ipsum cõtineat, cuius est memoriale. Spõsus ab spõsa in lõgã discedens nauigationẽ, põt quidẽ imaginẽ illi sua ptiosæ isculptã gẽmæ relinquere; at verò reliquere semetipsũ, simul-

1. Cor. 11.

Eucharist. Sacramentũ Christũ cõtinet, & est memoriale passionis.

Simile.

que abire nō poteſt. Chriſtus verò omnipotens ab ſponſa ſua Eccleſia in cœlum abiens; in fulgentiſſima admirabilis Sacramenti gemma nō memoriā ſolum vel figuram reliquit inſculptam, ſed ſemetipſum reliquit Deum hominemque verum, memoriale inſtituens ſtupendum. Pſal. 110. *Memoriā fecit mirabiliū ſuorū miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe*, &c. Verè auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacrificium, atque Sacramentum, memoriale fecit Dominus mirabilis amoris ſui, quo homines dilexit, mirabilis patientiæ, miſericordiæ, humilitatis, mirabilis paſſionis ſuæ. Hoc verò memoriale vtiliſſimum voluit eſſe hominibus, animarumque dulciſſimum alimentū. vnde ſequitur; *eſcam dedit timentibus ſe*. Lōgè diuerſum memoriale fecit Deus Iſraelitis, Num. 15. ait Moiſi: *Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos vt faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum, ponētes in eis vittas hyacinthinas, quas cū viderint recordentur omniū mandatorum Domini, nec ſequantur cogitationes ſuas & oculos per res varias fornicātes; ſed magis memores præceptorum Domini faciant ea, ſintque Sancti Deo ſuo*, &c. Expende quæſo quid exigat Dominus ab Iſraelitis, cōſpectu fimbriarum tenui memoriali; tu verò id ipſum à te exige, conſpectu Auguſtiſſimæ Euchariſtiæ memoriali ſtupendo. Recordare in primis admirādæ paſſionis, omniumque quibus coruſcat virtutum; præterea recordare mādatorum Chriſti, neque ſequaris cogitationes carnis tuæ, & oculos per res varias fornicantes. Rupertus lib. 2. de diuin. offic c. 10. memoriale hoc quotidianas appellat exequias. Quemadmodū exequiæ mortem hominis vita functi in memoriam reuocant; ſic Euchariſtiæ ſacrificium Chriſti mortem ante oculos proponit. Sed admirabiles ſunt exequiæ quæ ipſum, cui fiunt, Chriſtū, etſi mortuum annuntiant, tamen viuū gloriaque fulgentem continent. Admirabiles exequiæ, in quibus pro mortuo non offertur ſacrificium; ſed ipſe qui mortuus eſt Chriſtus pro viuis & mortuis hoſtia exhibetur. Quanta ſit vis huius memorialis & harū admirabilium exequiarum, oſtendit idem Rupertus his verbis: Aufer à cœtu Eccleſiæ quotidianas has exequias, & vide quā merito dicat Chriſtus Pſal. 29. *Quæ vtilitas in ſanguine meo*; refrigeſcente enim eā quæ hoc modo nūc vbique calet eius memoria, refrigeſcet vniuerſa charitas, muta erit fides, claudicabit ſpes. Calente memoria tā celebri, charitas Chriſti cōualeſcit, perſtat ſuper fundamentū ſuū ædificiū fidei, ſpes quotidiana, peccatorū remiſſio reuiuiſcit, &c.

Pſal. 110. — *Memoriale quod reliquit Chriſtus, eſt eſca timentis Deū anima.* — *Num. 15.* — *Memoriale mādatorū Dei.* — *Rupert.* — *Simile.* — *Exequiæ admirabiles.* — *Rupertus.*

CAPVT V.

De præcellentiis paſſionis Chriſti.

Decimaſexta. Paſſio Chriſti infinitum continet meritum, quod omnibus captiuis redimendis ſatis eſt, ex ſeuero iuſtitiæ iure, ſi illis per fidem viuam applicetur. D. Leo. ſerm. 12. de paſſ. Effuſio (inquit) ſanguinis iuſti pro iniuſtis, tam potēs fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium, vt ſi vniuerſitas captiuorū in redēptorem ſuū crederet, nullū tyrannica vincula retinerent, &c. Ad Rom. 5. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia*. &c. ſuperabūdauit autē gratia, per ſuperabūdantia & infinita Chriſti merita. *Vtinā appenderētur peccata mea*, (ait Iob. cap. 6. in perſona Domini) *& calamitas quā patior in ſtatera; quaſi arena maris hæc grauior appareret*, &c. Peccata noſtra ſua appellat, iuxta illud Aug. in 2. expoſit. Pſal. 21. Delicta noſtra Chriſtus ſua delicta fecit, vt iuſtitiam ſuā, noſtrā iuſtitiā faceret, &c. Si peccata noſtra & calamitas, id eſt, paſſio Chriſti, in ſtatera appendātur, quaſi arena maris grauior apparebit paſſio; infinitū enim pondus habet quælibet gutta ſanguinis. Quāobrē Clemēs 6. in extrauag. Vnigenitus, de pœn. & remiſ. affirmat vnā guttā ſanguinis Chriſti pro redemptione totius humani generis ſuffeciſſe.

Opponeſ; nonne paſſio Chriſti finita fuit ſecundum ſuam entitatem & eſſentiā; quomodo ergo potuit infinita eſſe

16. præcellētia paſſionis. — *Meritū paſſionis infinitū.* — *D. Leo.* — *Rom. 5.* — *Iob. 6.* — *D. Aug. Peccata noſtra ſua appellat Chriſtus.* — *Clem. 6.* — *Obiectio.* — *Reſponſio.*

esse? Respōde ē finitā quidē fuisse, si en ti tas & essentia spectetur; quòd si spectetur meritum, fuisse infinitā secundū meritū, adeò vt mundos infinitos possit redimere. Si roges, vnde hęc meriti infinitudo orta sit? respondebitur ortā ex psona *Verbi* infinita; Actiones enim suppositi infiniti dignitatem meritūq; habent infinitum. Dices, satis ergo fuisset mūdo redimendo vna sola Christi actio, vnus solus amoris actus, vel simile quidpiā. Quorsū ergo mortuus est? Respondetur potuisse Christū vna actione, vna gutta sanguinis, mūdum è captiuitate liberare; sed charitati, patientiæ, & exēplo congruū fuisse magis multos tolerare cruciatus, totūque sanguinē, vitāque profundere. Nimia dicitur à Paulo charitas Dei erga nos ad Ephes. 2. quia nimia fuit charitas; nimia ēt fuit redemptio. iuxta illud Psal. 129. *Apud Dominū misericordia, & copiosa apud eū redemptio.* &c. Decebat Deū & hominē Christū, virtutum, maximæque charitatis, fortitudinis, & patientiæ opera, non quælibet, sed præclarissimā patrare, hominibusque exēplum exhibere admirabile; id verò fieri non poterat, si vna vel pluribus actionibus minimè laboriosis, vel paucis guttis sāguinis, iugum dæmonis & peccati, ex ceruicib. nostris depelleret, ipsa Christi dignitas, & sanctitas postulabat, vt quæ in mundo sunt optima, ageret. Optimū autē in mundo est, non diuitiis abundare, aut honoribus, non voluptatibus indulgere; sed pro Deo graues ferre tum labores, tum cruciatus, mortemque perpeti acerbissimam. Præstitit quod erat optimum, quodque tam eximia sanctitas flagitabat.

Quomodo dicatur infinita passio Christi.

Psal. 129.

Cur Christus, cū posset vna gutta sanguinis mundū redimere, tot cruciatus pati voluerit.

Restat dubium huiusmodi: si seuero iustitiæ iure, infinitoque Christi merito, redempti sumus, cur Paulus ait nos gratis esse iustificatos? Ad Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiā ipsius, per redēptionē quæ est i Christo,* &c. Meritus est Christus gratiam & dona omnia, quæ nobis donantur, remissionēque peccatorū, & iustificationē nostrā. meritus, inquam, secundū iustitiæ rigorē; non ergo gratis hæc nobis donantur, sed ex iustitia. Paucis respondetur, posse iustificationē, cæteraque dona Dei, cōferri vel cū Christi merito, vel cum nostro. Si cum merito Christi conferantur, non donātur nobis gratis, sed ex seuero iustitiæ iure: si cum nostro merito præcisè cōparentur, gratis dantur. Ad Titū 3. *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundū suā misericordiā saluos nos fecit,* &c. Isaiæ 42. *Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me,* &c. Propter me (inquit) non propter te, & merita tua. Deut. 9. *Ne dicas in corde tuo, propter iustitias meas introduxit me Dominus vt terrā hanc possiderē,* &c. item: *Scito quod non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimā in possessionē, cum durissimæ ceruicis sis populus,* &c. Similem in modū non propter iustitias nostras dat nobis Deus primā gratiam, & remissionem peccatorum, donaque spiritualia; sed propter merita Christi, quibus nostra innitūtur merita; quæ postquam iusti sumus habemus ex Christo.

Rom. 3.

Quomodo dicamur gratis iustificati, si seuero iure sumus redempti.

Titum 3.

Isaia 42.

Deut. 9.

Decima septima. Passio Christi tum diuinā iustitiam, tum peccati grauitatē, hominibus maximè patefecit. Tanta enim iustitia fuit, vt sūmo iure pro peccatis sibi satisfieri voluerit, Dei atque hoīs sanguine. Ad Rom. 3. *Quē,* scilicet Christū, *proposuit Deus propitiationē per fidē in sanguine ipsius, ad ostensionē iustitiæ suæ,* &c. Ostendit Deus iustitiā cū dæmones ex cęlo, Adamū ex paradiso terrestri expulit, mortisque pœna affecit, cū totum terrarum orbem diluuii inundatione obruit, cum impias ciuitates igne atque sulphure incēdit, cum Dathanū atque Abironē terra dehiscente demersit, cūque similia iustitiæ alia opera edidit; at nullū opus sicut passio filii Dei, illā indicauit. Iustitiā suam indicat Rex, cum inferioris gradus homines vita priuat, eandem magis indicat cū nobiles, cùm diuites, cum duces merito supplicio afficit; si verò filium quem in oculis fert, cumq; innocentissimum, propter aliena peccata grauissimè puniat, quæ filius ipse luenda susceperit, maxima iustitiæ demonstratio est. Sic Deus iustitiam demonstrauit suam, cùm de nobilissimis Angelis, Cherubinis, ac Seraphinis, sup-

17. passionis præcellētia.

Passio diuinā iustitiā, & peccati grauitatē maximè indicat.

Rom. 3.

Simile.

Iustitia Dei infinita est.

plicíũ sumpsit, eisque homines grauibus sæpe pœnis affecit: sed tunc eiusdẽ demonstrationem fecit maximã, cũ filiũ sibi æqualẽ pro alienis delictis acerbissima tormenta pati voluit, dęmonemq; noluit potentia sua infinita, absque filii morte, sed iustitia, ex mundo pellere. Poterat potentia pellere; sed iustitia potentiã continuit. Non enim potentia sed iustitia dæmon est victus, vt testatur D Leo, serm. 2. de Natiuit. Deus (inquit) hanc potissimã consulendi viam elegit, qua ad destruendũ opus diaboli, nõ virtute vteretur potentię, sed ratione iustitiæ, &c. item Dion. Areop. de Hierarchia Ecclesiastica ca. 3. prope finẽ; Diuina (inquit) bonitas imperium aduersarię potestatis profligauit, non viribus vt uti præualens, sed iuxta nobis traditum mysticè eloquiũ in iudicio, & iustitia, &c. & D. August. lib 3. de Trinit. c. 14. Pergit Christus ad passionem, vt pro nobis debitoribus exolueret, quod ipse non debebat. Nunquid iusto iure æquissimo diabolus vinceretur, si potentia Christus cum illo agere voluisset, nõ iustitia? sed postposuit Christus quod potuit, vt prius ageret, quod oportuit, &c.

Non est victus diabolus potẽtia, sed iustitia D. Leo.

Dionys. Areop.

D. August.

Psalm. 84.

Psal. 84. *Iustitia & pax osculata sunt*, &c. tunc cum Christus suffixus est cruci, pax hominum cum Deo, & iustitia inter se osculatæ sunt, quia postquàm iustitiæ factum est satis, pax floruit. Sap. 14. *Benedictum est lignum per quod fit iustitia*, &c. Literali sensu, arca Noë lignum fuit, per quod facta est iustitia, seruato iusto Noë cum familia, diluuioque demersis impiis, sed mystico sensu lignũ, per quod facta est summa iustitia, crux fuit, per quã seuerissimo iustitiæ iure redẽpti sumus. Deniq; summã iustitię Dei seueritatẽ ac rigorẽ, iustitia Christi sola attigit. Nulla namq; dabitur iustitia alia, quæ Deo debita, seuero rigidoque iure exoluerit, præter iustitiam Christi. Soluunt homines debita sua Deo ex iustitia; sed hæc hominum iustitia ex iustitia qua Christus satisfecit, emanat. Dant pœnas dãnati, sed debita Deo per totam non soluent ęternitatem; cur ita? quia Christi passio, & iustitia illis minimè applicatur. In vita applicanda passio; post mortem in inferno nulla est redemptio. Quæ res maximè etiam iustitiam Dei manifestat. Duæ enim sunt res, quæ præcipuè illam ante oculos hominum ponunt; altera filii Dei passio, altera tot Angelorum, atque hominum in sempiternum damnatio. Has duas res qui versat animo, peccati grauitatem agnoscit, totoque conatu fugit. Agnosce ò homo (ait D. Bernard. sermo. 3. de Natali Dom) quàm grauia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, numquam pro eorum remedio Dei filius moreretur, &c. Abacuc 3. *Audiui auditionem tuam, & timui*, &c. interpretatur Rupertus, audiuisse Prophetam Christum cruci suffigendum, & timuisse. Addit idem Rupertus; Veraciter huiusmodi auditionem audiendo timere, siue expanescere, fidelis, & sapientis animi est. Quantum enim hoc est, quòd Deus in hunc mundum veniens, maiestas altissima; cunctis cœlorum virtutibus timenda & adoranda, carne assumpta manibus confixis ad crucis cornua pependit? Et vt tam malè tractaretur tãtus Dominus, culpa seruorum causa extitit. Quisquis eorundem seruorum hanc auditionem audiuit, & considerauit, quomodo non timuit, quomodo non expauit, scilicet, quod attonitus dixerit; Heu quid erit de nobis seruis malis, quorum propter scelus, talem, tantumque Dominum tã malè tractare oportuit, &c.

Sapien. 14.

Hominũ iustitia, manat à Christi iustitia.

Dãnati in æternũ puniuntur, & tamẽ Deo non satisfaciũt pro peccatis, quia ipsis Christi iustitia non applicatur.

D. Bern.

Abacuc 3.

Decima octaua. Passio charitatẽ Dei maximè ostendit. Quod Paul. docet Rom. 5. *Commendat* (inquit) *charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est*, &c. Itaque Christi passio, diuinæ charitatis est commendatio. 1. Ioan 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suũ vnigenitum misit Deus in mundum vt viuamus per eum in hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis no-*

18. præcellen. passionis.

Rom. 5.

Passio Dei charitatẽ demõstrat.

1. Ioan. 4.

nostris;&c. Non potest charitas cerni, quæ pectore tegitur; verùm multa habet indicia, ex quibus agnoscitur, maximum autem indicium hoc est, cruciatus, mortemque pro re dilecta perpeti, iuxta illud Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suã ponat quis pro amicis suis*,&c. Hoc indicium, Christi passio exhibet clarissimum; per vulnera cruciatusque corporis, patet amor cordis. Patet arcanum cordis (ait Bern. ser. 61. in Cant.) per foramina cordis, &c. Maximam cordis charitatem ostendit mors, quam pro amicis acerbissimã tolerauit Dominus, pro amicis dicam, an pro inimicis? Vtrumque dicam, & pro amicis, & pro inimicis. Etenim mortẽ subiit, vt ex inimicis faceret amicos, & eam quam ostendebat charitatem pectoribus nostris insereret. D. Bernardum audiamus ser. 9. in Psal. 90. Qui habitat; Non ob propriam (inquit) vtilitatẽ Christus gustauit mortem: sed vt amicos faceret ex inimicis. Non aliter pro amicis mortuus est, nisi pro acquirendis; videlicet, vt amicos faceret ex inimicis, cũ adhuc inimici essemus. Aut potiùs, pro iam amicis; etsi nondum amantibus, sed tamen iam amatis. Secundùm tempus pro impiis mortuus est; secundùm prædestinationem, pro fratribus, & amicis, &c.

Ioan. 15.

Per Christi vulnera, cordis patet amor.

D. Bern.

D. Bern.

Pro inimicis mortuus est Christus.

Trahere nos voluit dulcibus amoris vinculis; *In funiculis Adam*, id est, hominis (ait Oseæ 11.) *traham eos, in vinculis charitatis*,&c. Qui nam fortiores ad trahendum funes esse possunt, quàm funes amoris, si tamen non belluæ sumus sed homines? Quæ fortiora vincula ad prehendendum: Nimia dicitur à Paulo Dei charitas. ad Ephes. 2. *Propter nimiam* (inquit) *charitatem suam, qua dilexit nos*,&c. Nimiam sanè fuisse, nimia opprobria, nimii cruciatus, nimiiq; dolores pro nobis tolerati satis demonstrant. capit. 3. eiusdem epistolæ, Apostolus scire nos vult *supereminentem sciẽtia charitatem Christi*, Omnem enim hominis cognitionem, & scientiam, Christi erga homines dilectio superat, quam patiendo manifestauit. Vtinã huic scientiæ charitatis Christi daremus operam, vtinã eam tota mente complecteremur; sanè diuinus ille ignis nostra inflammaret pectora, cor nostrum ad præclara opera peragenda, omnesque dolores pro Christo perferendos vrgeret. Vrgebat ille Paulum, quamobrem 2. Corin. 5. *Charitas* (inquit) *Christi*, id est, quæ est in Christo erga nos, *vrget nos*, &c. Vrget autem nos & concitat hæc Christi charitas, vt totam vitã in obsequium eius, qui pro nobis mortuus est, impendamus, vnde Paulus: *Charitas* (ait) *Christi vrget nos: æstimantes hoc, quoniam si vnus* (id est, Christus) *pro omnibus mortuus est; ergo oẽs mortui sũt, & pro omnibus mortuus est Christus, vt & qui viuunt iam nõ sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*, &c. Vrget ẽt charitas Christi ad perferendos labores oẽs, atque cruciatus; hinc illud eiusdẽ Apostoli ad Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptũ est: quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis*,&c. Vnde tãtæ Paulo vires? Addit: *Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos*,&c. Superabat Paulus hos oẽs labores, pericula, persecutiones, dilectionẽ Christi ante oculos habens. *Superamus* (inquit) labores omnes propter Christũ, qui nos sic dilexit, vt vitam sanguinemq; suũ pro salute nostra profuderit.

Traxit nos Dominus amore.
Osea 11.
Charitas Christi nimia.
Ephes. 2. & 3.

2. Cor. 5.

Charitas vrget.

Rom. 8.

Decima nona. Deus misericordiæ suæ patefecit in cruce thesaurũ opulentissimũ. Ad Ephes. 2. *Deus*, (inquit Paulus) *qui diues est in misericordia*,&c. Diues est Deus in misericordia, quia thesaurum habet misericordiæ ditissimũ; huius aũt thesauri diuitias, in cruce hominibus demonstrauit, totumq; terrarum orbem fulgentissimis, infinitique pretii gemmis redemit. Quinã adamantes, qui pyropi, aut smaragdi, aut topazii, pretiosiores, aut fulgẽtiores esse possunt, illis sanguinis Christi guttis pretiosissimis, quarũ vnaquæq; toti orbi emendo satis fuisset? iuxta D. Th. in hymno Ecclesiast. *Pie Pellicane Iesu Domine, me immundum munda*

Passio thesaurum misericordiæ patefecit.
ad Ephe. 2.

D. Thom.

tuo sanguine, cuius vna stilla saluum facere totum mundum posset omni scelere, &c. ferebat in pectore suo antiquus Pontifex Exod.39. magni pretii gemmas, sardium, topazium, smaragdum, & alias similes, noster autẽ Pontifex ferebat in corpore suo alias multo maioris pretii, ex ipso ortas corpore, videlicet sanguinis guttas. *Pater misericordiarum appellatur Deus* 2. Corin.1. fuitque semper, atque est misericordiarum pater. At in passione maximè hanc sibi vendicat appellationem; in cruce enim per misericordiam nos genuit, filiosque fecit suos.

Vna gutta sanguinis Christi satis fuisset mũdo redimendo.

2. Cor. 1.

Vna est in Deo misericordia, sed in effectib. spectata multiplicatur. quot sunt effectus, tot sunt Dei misericordiæ, vt quo effectus maior est, eo misericordia maior dicatur; expendamus diuinæ misericordiæ effectus, equidẽ infinitas reperiemus Dei misericordias, easque maximas, sed inter omnes misericordiæ effectus passio, vt effectus maximus, magnoperè splẽdescit. Psalm.117 *Confirmata est super nos misericordia eius*, &c. Verbum Hebræum, *gabar*, significat roborare, confirmare, & fortem esse. in cruce, & passione Domini, misericordia Domini confirmata est, ac roborata; in cruce fortissima fuit, atque præcellentissima. Qualis fuit misericordia, talis fuit redẽptio, in passione confirmata in æternum, roborata, ac fortissima, & copiosissima; Psal.129. *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio*, &c. Copiosa fuit misericordia, copiosa etiã redẽptio; ex misericordia veluti fonte emanans. Moyses Exod.34. Dei misericordiam sic extollit: *Dominator* (inquit) *Domine Deus, misericors, & clemens, patiens, & multa miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera atque peccata, nullusque apud te per se innocens est*, &c. Congruunt egregiè hæc nomina omnia Deo viso in mõte Caluariæ. Quis non exclamet, si mente Deum in monte cruci affixum contempletur, ac dicat cum Mose: Dominator Domine Deus Iesu, misericors & clemens, patiens, & multæ miserationis,

Misericordia Dei vna est, sed eius multi & varij sunt effectus.

Ps. 117.

Apud Christũ misericordia, & copiosa redemptio.

Exod. 34.

A &c. tu custodis misericordiam crucis in millia millium; tu in omnes homines illam effundis; tu aufers iniquitatem, & scelera, & peccata sanguine tuo; hoc fuit opus quia nullus apud te per se innocens est, nullus potest iustitiæ diuinæ per se facere satis; sanguine tuo opus fuit, passione tua, & maxima misericordia tua. Hæ sunt illæ misericordiæ Dauid fideles, de quibus Dominus Isaiæ 55. ait, *Feriam vobiscũ pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles*, &c. Dauidi promissæ sunt B hæ passionis misericordiæ, fideles autem appellantur, id est, stabiles, sempiternæ, nunquam fallentes. Psal.88. *Misericordia ædificabitur in cælis*, &c. hoc est, perpetua erit misericordia in cœlis. Perpetua est Dei in nos misericordia; perpetua quoque sit nostra laus. *Misericordias Domini in æternum cantabo*; ait eodem Psal.88. Vates; nos similiter has Domini præcellẽtissimas misericordias, quæ in passione coruscãt, cantemus, & laudemus in sempiternũ. C Psal.117. *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi, quoniam cõfirmata est super nos misericordia eius*, &c. Ad laudandum Deum omnes gentes hortatur; quoniam super omnes gẽtes misericordia incarnatione, & passione Domini confirmata est.

Innocens apud Deũ nullus est.

Isai. 55.

Psalm. 88.

Laudãdus Dominus propter misericordiã suam.

Psal. 117.

CAPVT VI.

De præcellentijs passionis Christi.

D Vigesima. Passio doloribus, ac mœstitia plena fuit. D. quidem Hilarius libr 10. de Trin. videtur sentire Christum in passione doloris fuisse expertem; sic enim scribit, Pro nobis (inquit) dolens, non & doloris nostri dolet sensu; quia habitu vt homo repertus, habens in se doloris corpus; sed non habens naturã dolendi, &c. lege si placet reliqua. Tristitiæ quoque

20. præcellentia passionis Christi.

D. Hilar.

De doloribus Christi in passione.

quoque fuisse expertem eodem loco ait. Sed quidquid D. Hilarius senserit hac in re, fides docet Christum & tristitiam magnam & dolorē fuisse perpessum. id probant (vt alia omittam) verba illa Christi in horto prolata, *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* illa quoque Isaiæ 53. *Vidimus eum, virum dolorum*, &c. impius Caluinus, vt refert Cardinalis Bellarminus tomo 1. lib. 4. de anima Christi cap. 8. iis doloribus, quos Scriptura memorat, minimè contentus, commentus est Christum descendisse ad inferos, quòd dānatarum animarum dolores pertulerit. Non credidit ille infernum locum esse subterraneum in quo damnati torquentur, eove descendisse Christū, sed existimauit infernum, & pœnas damnatorum, terrorem esse & anxietatem conscientiæ, cogitantis Deum sibi esse iratum, & infensum, ideoque dicit Christum ad inferos descēdisse, quòd Deum tanquam sibi iratum apprehenderit, & infensum, propter nos; hancque anxietatem, & terrorem passus sit. Diros (inquit) in anima cruciatus, damnati atque perditi hominis, Christus pertulit, &c. Adiungit verò, non fuisse satis Christi mortem nostræ redemptioni, nisi hæc pæna accessisset. Nihil (ait) actum erat si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus; sed operæ simul pretium erat, vt diuinæ seueritatis vltionem sentiret. Addit: Vnde etiam eum oportuit cum inferorum copiis, æternæq; mortis horrore luctari, &c. Arbitratur item versari cæpisse Christum in hoc inferno hora illa, qua in horto cœpit contristari, & orare, profundiùs descendisse cū in cruce verba illa protulit: Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? profundissimè, quando coram Dei tribunali comparuit. Hoc figmentū confirmare conatur, ex eo quòd martyres in tormentis exultant, multique etiam latrones constantissimè mortem oppetunt: at Christus in horto mœstitia afficitur inaudita, ita vt sanguinis sudore perfundatur: ergo damnatorum tormentum, & anxietatem conscientiæ patiebatur. Nihil virium hic miser Achilles habet; multæ enim fuere causæ inauditæ illius mœstitiæ Christi, quas exponemus suo loco; neque opus est hanc comminisci. lege quæ de gestis in horto infrà dicuntur. Præterea fauere ipsi videntur verba illa Christi in cruce pendentis; *Deus, Deus meus vt quid dereliquisti me?* videntur enim dicta à Christo quòd Deum sibi iratum & infensum apprehendebat. At verò semper sibi Deum apprehendit amicissimum, semper se illi dilectissimum esse sensit, atque expertus est, quod ex Scriptura facilè probari potest. Cur autem illa verba protulerit in cruce, tunc dicemus, cùm ad eorum explanationem Deo fauente peruenerimus. Alius prodeat Achilles; Christus (inquit) omnes pœnas debuit soluere, quæ peccata nostra merebantur: sed illa non merebantur solam mortem corporis, sed pœnam etiam inferni; ergo Christus hanc quoque pœnam pertulit. Certè si vires habet argumentum, probabit Christum vt peccata nostra deleret, in inferno debuisse torqueri æterno tempore, quod neque ipse aduersarius cōcedet. Nam si Christus nostras omnes pœnas debuit soluere, nos autem æternarum pœnarum debitores eramus; sequitur debuisse pœnas perpeti æternas. Non opus fuit Dominum pœnarum omnia genera subire, quæ nos debebamus. Vnica mors crucis infiniti fuit meriti, quia mors fuit Dei atque hominis. Ea pro omnibus pœnarum generibus satis superque fecit. Sanguini mortique Christi tribuunt redemptionem Scripturæ; vt audet Caluinus dicere; Nihil actum erat, si corporea tantū morte defunctus fuisset? Euanescant terrores vani Caluini & commentitiæ inferni anxietates. Blasphemum est dicere, Christum cum horrore mortis æternæ esse luctatum, mortemque timuisse æternam, quæ solis sceleratis contingit, nouerat enim se innocentissimum esse, fieriq; nullo modo posse vt ea illi mors eueniret. Vnde nā conscientiæ anxietates Christo nasci poterant? Nunquid ex alienis peccatis, quæ exoluebat? at peccata anxietatē conscien-

Isaia 53.

Quomodo in infernū descendisse Christum, eiusque dolores protulisse putauerit Calu.

Impia Caluini & blasphema sententia de Christo.

Rationes Caluini.

Christus nō est passus inferni tormenta.

Alia ratio affertur ab eodem hæretico.

Responsio.

Debuit Christus in æternū pro nobis damnari, si pro nobis debuit ferre dolores inferni.

conscientiæ peccati afferunt, non autem innocenti. Nunquid ex propriis? at Christus omni peccato carebat. Omittamus ergo Caluini somnia: legendus Card. Bellarm. loco citato, qui fusiùs de iis agit.

In Christo dolor maximus fuit D. Thom.

Dicendum est cum D Thoma 3. pa. quæst. 46. art. 6. in Christo patiente dolorem fuisse corporis, & dolorem animi internum, id est, mœstitiá. Si quæras quàm fuerit grauis vterque dolor; respondet his verbis: Vterque dolor fuit maximus inter dolores præsentis vitæ, &c. Eadem est sententia aliorum Theologorum in 3. dist. 15. fauet illud Ierem. 1. quod Christo accōmodatur, *Attendite & videte si est dolor, sicut dolor meus*. &c. D Ant 1 p. hist. titul. 5. c. 6. §. 6. Tantus (inquit) fuit dolor huius passionis, vt sol intelligentiæ nostræ eclipsetur & obscuretur ad intelligentiam eius, nec plenè capere potest, & ex immensitate huius doloris clamauit Christus voce magna, Deus meus vt quid dereliquisti me. hæc ille; Non confert dolores Christi Diuus Thomas cum doloribus, quos animæ separatæ post vitam præsentem, vel in purgante igne, vel in Orco patiūtur; hi enim possunt esse maiores. Si verò cōferas dolores Christi, cum tristitiis & doloribus, quos in præsenti vita homines perferunt, dolores Christi maximi sunt. Tristitiam fuisse omniū maximam, sanguineus sudor probat, probant etiam verba illa; *tristis est anima mea vsque ad mortem*, vt suo loco ostendemus. probāt causæ tristitiæ, de quibus infrà dicendum. At dolorem externum corporis non fuisse omnium maximū, probari potest: primò, quia non longo durauit tempore; secundò quia martyrum dolores fuere maiores, qui grauissimis tormentis sunt affecti; tertiò quia Christus Deus erat, naturamque humanam corrobare, ad tolerandum leuius dolorem poterat, quartò quia anima Christi diuinā intuebatur essentiam, poteratque magna consolatione patientem permulcere. Deniq; leues Christi dolores satis fuerunt toto orbi redimendo: ergo non est existimādum maximos tolerasse. Quis enim

D Anton.

Obiectio de æterno corporis dolore.

cùm possit mille aureis captiuum redimere, centū millibus aureorum spōte sua emat? Nonne superfluum hoc esset? Sed respondemus primo argumento, nos non loqui de extensione temporis, sed de intensione doloris. Multi enim homines longo tempore dolores sustinuerunt; sed nullus dolorem Christi intensione exæquauit. Secundò respondemus martyrum dolores non fuisse æquales doloribus Christi, etsi grauissimos cruciatus sint perpessi: quoniam in Christi corpore Spiritus sancti opera fabricato maximè viguit sensus tactus, vt ait D. Tho. præterea quoniam martyrū dolores consolatio diuina leniebat, dolores autem Christi minimè. Tertio, & quarto respondetur ex diuinæ essentiæ intuitu, & fruitione, ne guttam quidem consolationis emanasse, quę dolores Christi posset lenire. natura autem diuina vires suppeditauit humanæ, non vt leuiùs pateretur, sed vt grauissimos dolores ferret. His adde Christum, dolores nulla rationis consideratione reddidisse leuiores, quod homines solent facere; sed amarissimum absque vlla consolatione calicem potasse; vt docet D. Tho. art. 6. In aliis (inquit) patientibus mitigatur tristitia interior, & etiam dolor exterior, ex aliqua consideratione rationis, per quandam redundantiam à superioribus viribus ad inferiores. Quod in Christo patiente non fuit Quia vnicuique virium permisit agere quod est sibi proprium, sicut Damascenus dicit. Hæc D. Thom. Vltimo argumento respondet idem Doctor Angelicus eodem art. ad sextum, his verbis; Christus voluit genus humanum à peccatis liberare, non sola potestate, sed etiam iustitia. & ideo non solum attendit quantam virtutē dolor eius haberet ex diuinitate vnita; sed etiam quantum dolor eius sufficeret, secundum humanam naturam, ad tātam satisfactionem, &c. Ad hæc, voluit Dominus, hominem captiuum, quem potuit paruo dolore redimere, maximo impenso dolore liberare; primò, vt ipsi captiuo amorem sui pectoris, misericordiam & iustitiam ostenderet;

Responsio. Soluuntur argumēta quibus probatur dolorem Christi non fuisse maximum.

Non æquarūt martyrū dolores, eos quos Christus tulit.

D. Thom.

Cur Christus cum posset nos paruo dolore redimere, redemit magno.

deret; secundò, vt exemplum patiendi illustrissimum præberet; tertiò vt ingratos compesceret, ne dicere possent paruo se labore redemptos, quartò, vt digna Deo & homine, patientiæ, humilitatis, obedientiæque opera faceret; quintò, statuerat Deus non nisi morte & sanguine Christi Dei & hominis, deleri posse peccatum, quamobrem & si minimus Christi dolor posset mūdum redimere; tamen illum minimè redemisset, minimèque iustitiæ diuinæ satisfecisset, si vitam sanguinemque iuxta Dei statutum non profudisset. sextò, voluit Christus, vt quemadmodum redemptio ratione diuinæ naturæ infiniti erat pretii; ita ratione humanæ naturæ esset maximè copiosa. septimò, non omnibus notum est infinitum esse meritum Christi, etiam operis leuissimi; voluit ergo Christus etiam ignorantibus facere satis, summum patiens dolorem. octauò, voluit peccatorum ostendere grauitatem, maximo dolore tolerato. Nam si paruo dolore peccata mundi expiasset, paruæ esse grauitatis peccata hominibus imperitis viderentur. D. Cyprianus tract. de passione; Etsi, inquit, sine hoc holocausto, poterat Deus tantum condonasse peccatum; sed facilitas veniæ laxaret habenas peccatis effrenibus, quæ etiā Christi vix cohibēt passiones, quæ vix sceleratos animos à voluptatum fæce auellunt, &c.

Vera ratio est hæc quanta & propria.

D. Cypr.

Vigesima prima: Conuenientissimū redimendo humano generi remedium fuit passio. Non fuit, vt suprà diximus, remedium absolutè necessarium, quia aliis remediis potuit Deus salutē homini conferre, fuit tamen remedium eximium, atque optimum. Augustinus affirmat nullum esse potuisse cōuenientius libr. 13. de Trinit. c. 10. Eos, inquit, qui dicunt; (itáne defuit Deo modus alius, quo liberaret homines à miseria mortalitatis huius, vt vnigenitum filiū suum sibi coæternum hominem fieri vellet, mortalemque factum mortem perpeti?) parum est sic refellere, vt istum modum, quo nos liberare dignatur, asseramus bonum, & diuinæ congruum dignitati; verùm etiā vt ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati cuncta æqualiter subiacent. sed sanandæ nostræ miseriæ, conueniētiorem modum alium non fuisse, nec esse potuisse. Sic ille. Et Cyprianus tract. de pass. Vulneri, inquit, tā putrido, & antiquarum cicatricū fætori, non inueniebatur medicamentū conueniens, nisi vnguēto sanguinis Christi plaga vetus liniretur, & malagmate carnis in cruce extensæ exsiccarentur venena, quæ calcaneo primi hominis, & omni posteritati eius serpens infuderat. Hæc vna medela corrosit cicatrices, & vim suam perdidit concupiscētiarum corruptela, & deleta damnationis conscriptione, nouis literis assignata est restituta libertas, priuilegio dato, charta indulgētiæ sigillo plagæ lateralis firmata. Sic ille. Augustinus loco citato conueniētem ostendit fuisse hunc modū, quia spē nostram ad immortalitatē erexit, & summo in pretio haberi à Deo hominē indicauit: Quid, inquit, tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, mentesque mortalium, conditione ipsius mortalitatis abiectas, ab immortalitatis desperatione liberandas; quàm vt demonstraretur nobis, quāti nos penderet Deus, quātumque diligeret, &c. Eandem conuenientiam demonstrant ea, quæ hactenus dicta sunt. Conueniēs nanque fuit modus hic ad demonstrandam Dei summam iustitiam, & summā charitatem; conueniens ad præbēdum illustrissimum hominibus virtutū exēplum; ad euertendum diaboli regnum; ad comparandum regnum cœlorum; ad patranda patientiæ, charitatis, obedientiæ, humilitatis dignissima homine Deo opera.

21. præcellentia passionis.

Conuenientissimus redemptionis modus fuit passio.

D. August.

D. Cypr.

D. August.

Hęc ignorabat Petrus, cum Matthęi 16. Christi passionem suam prædicenti sic respondit. *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* At Christus cui hæc omnia erant exploratissima: *Vade*, inquit, *post me Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum*, &c. Qui ea quæ hominum sunt, sapiunt, iis Deum crucifigi, ac mori, absurdum videtur. Qui verò quæ Dei sunt, sapiunt, ii Dei passionē, congruētissimum

Matth. 16.

tissimum humano generi è faucib. Diaboli liberando, remedium fuisse intelligunt. Qui quæ sunt hominũ, sapiunt, crudo agno vescuntur, at Exo. 12 præcipitur: *Non comedetis ex eo crudũ quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni*, &c. Crudum comedunt, id est, considerant, agnum, Iudæi, Mahometani, Ethnici; assum Christiani, qui has passionis conuenientias expendunt, & misericordiam Dei, atque iustitiam, maximè decuisse passionem intelligunt. 1. Cor. 1. *prædicamus Christum crucifixum* (ait Apostolus) *Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Ipsis autem vocatis, Iudæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*, &c. Idem Agnus est, idē Christus crucifixus, sed cæcis Iudæis scandalũ; stultis ethnicis stultitia. Vocatis autem ad fidem, Christianasque virtutes, cellsãque opera, tàm ex Iudæis, quã ex Ethnicis, qui passionis conuenientias explorant, Dei virtus est, id est, Dei potentia, per quam peccatum, mortem, Diabolumque potenter profligauit, estque Dei sapientia summa, quoniam in Christo crucifixo Dei sapiētia summoperè elucet, qua in liberando homine vsus est. Egregiè addit Apostolus: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*, &c. quasi dicat; o Ethnici, existimatis stultitiam esse Christi passionem? Hæc stultitia, siue hoc stultum Dei, hæc passio, quæ vobis stultitia videtur, admirabilem continet sapientiam, quæ omnium vestrorum sapientissimorum (vt vos appellatis) philosophorum sapientiam superat. ò Iudæi, est vobis scandalũ Christi passio, propter impotentiam, & imbecillitatem; scitote hanc passionem, quæ vobis propterea offendiculũ est, adeò esse potentem, vt omnium regum, ducum, exercituumque potētiam, ac fortitudinem, longo post se interuallo relinquat. *Quod enim infirmum est Dei, fortius est hominibus*, infirmæ sunt alapæ; sed alapæ Dei fortissimæ. Infirma sunt verbera, ignominiæ, cruciatus; sed verbera Dei, ignominiæ Dei, cruciatus Dei fortissimi. Infirma est mors, & crux, sed mors Dei, & crux Dei potentissima. Denique ait Apostolus eodem cap. *Verbum crucis pereũtibus quidem stultitia est, ijs autem qui salui fiũt*, id est, *nobis, Dei virtus est*, &c. id est, Dei potentia. Stultis hominibus & animalibus, stultitia est, crucē, verbera, mortem Deo tribuere. Nam vt ait idem Apostolus eadem epistola cap. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi, & non potest intelligere*, &c. iis verò, qui salui fiunt, Dei potentia est Christi passio; Dei sapientia, Dei summa gloria, Dei triũphus, Dei victoria, hominum thesaurus opulentissimus. Si rationis expers animal in thesaurum incidat auro gemmisque radiantem, in agro locatum; pro nihilo thesaurũ ducit, herbam carpit: Vir autem prudens herbã pessundat, thesaurum capit. Sic animales homines passionis thesaurum non agnoscunt, & despiciunt, caducorumque bonorum herbam carpunt; prudentes verò homines huiusmodi conculcant arescentem herbam, thesauro locupletantur.

Exod. 12.

1. Cor. 1.

In Christo crucifixo Dei sapientia maximè elucet.

In passione Christi eluceat fortitudo.

1. Cor. 2.

Simile.

Vigesima secunda. Passio Domini semper in memoria ferenda est, perpetuoque recogitanda, quod hortatur Apostolus ad Hebr. 12. his verbis: *Recogitate enim, qui talem sustinuit à peccatoribus, aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini, animis vestris deficientes*, &c. Cogitate (inquit) ac recogitate, sæpèque considerate, Christum Deum verum, qui à peccatorib. tam duros sustinuit cruciatus. Fructũ hæc cogitatio affert eximium, nam robur menti vestræ inferet, ne fatigemini laboribus, nève ferendo deficiatis. D. Petrus epist. 1. cap. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*, &c. Nemo potest sequi vestigia, si ea diligenter non inspexerit: inspicienda sunt ergo Christi vestigia, à Christo in passione impressa, in memoriam sempiternam. Vnde Exod. 25. *Inspice* (ait Dominus Moysi) *& fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*, &c. Monstratum est nobis in monte Caluariæ, omnium virtutum exemplar, nempe Chri-

22. Præcellentia passionis.

Passio digna est memoria perpetua.

ad Heb. 12

1. Pet. 2.

Passio recogitanda.

Exod. 25.

Christus ex cruce pendens. inspiciamus, & faciamus; inspiciamus mentis oculis semper Christum crucifixum, admirabilesque virtutes, ex admirabili exemplari in animum trāsferamus: Ezech. 43. *Fili hominis ostende domui Israel templum, & confundātur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus quæ fecerunt*, &c. Templum appellauit Dominus corpus suum, Ioan. 2. hoc templum opus est nobis ipsis sæpè ostēdere, à Iudæis dirutum, sepulchrique æquatum solo, vt confundamur ab iniquitatibus nostris, quæ tātæ ruinæ causa fuere. Metienda est fabrica & celsitudo templi; considerādum quàm excelsus sit Christus. expendendum, non hominem aliquem, aut Angelum esse pro nobis passum tormenta dira; sed omnium hominum, omniumque Angelorum Deum, ac Dominum; vt erubescamus ex omnibus quæ fecimus malis. Idem Pontifex summus D. Petrus epist. 1. capit. 4. memoriam Christi passionis velut arma nobis suppeditat, quibus aduersus hostes armemur, fortiterque pugnemus. *Christo* (inquit) *in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini*, &c. fortissima enim arma sunt, passionis sanguinisque Christi attenta & cum affectu consideratio 1. Machab. 6. *Elephantis ostenderunt sanguinem vuæ, & mori, ad acuendos eos in prælium*, &c. Ostenderunt milites Elephantis sanguinem vuæ, & mori, vt eos ad præliandum acuerent: ostendamus nos nobis, non sanguinem vuæ & mori, sed sanguinē Christi Dei hominisque veri, pro nobis in cruce profusum, vt nos ad prælium cum tartareis hostibus fortiter gerendum concitemus. Huc illud spectat Pauli ad Hebr. 12. *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei & consummatorem Iesum*, &c. quasi dicat: Quicumque in militia versamur Christi, cùmque tartareo dimicamus exercitu, inspiciamus sanguinem non vuæ vel mori, sed illum, quo summus Imperator noster, totus perfusus est. Addet animi fortitudinem hic aspectus, vehementerque ad prælium exacuet. Apollinaris lib. 4. epist. Si quantamlibet nobis anxietatem vitæ præsentis propinet afflictio: parua toleramus, si recordemur quid biberet ad patibulum, qui inuitat ad cœlum, &c.

Ezech. 43. *Ioan. 2.* *1. Petr. 4.* *Memoria passionis vtilissima.* *1. Mach. 6.* *Hebr. 12.*

Dubium est, ostenderetur ne solum sanguis vuæ, id est vinum, Elephantis; an etiam ab illis potaretur? Respondendum reor, non solùm ab Elephantis conspectum sanguinem vuæ, & mori, sed etiam potatum, vt in prælium accenderentur. Ratio est, quia 3. libro Machab. quamuis apocrypho, potatū ab elephantis vinum narratur his verbis: Rex iussit abundātibus pugnis thuris, & vino multo puro, omnes elephātos potare: qui erant numero quingenti, & efferatos poculi nimia subministratione, adducere ad occursum mortis Iudæorum, &c itaque illud citatū ex libr. 1. Machab. cap. 6. *Elephantis ostenderunt sanguinem vuæ, & mori, ad acuendos eos in prælium*, &c. Sic exponendum videtur; ostenderunt elephantis sanguinem vuæ & mori, ad potandum. ostensum enim vinum elephanti bibebant, vt in prælium tum sanguinis illius conspectu, tum potu inflammarentur. Militibus quoque Christi ostēditur sanguis Christi, tum vt memoria perpetua teneatur, tum vt potetur. potatur autem à sacerdotibus sub speciebus vini, à reliquis verò Christianis sub speciebus panis sumitur. Etenim tam sub speciebus panis, quàm vini, totus Christus, sanguisque eius continetur.

3. Mach. *Elephanti viso, & poto vino, in bellum exacuebantur. Machab. 6.* *Sanguis Christi ad bellum contra diabolū exacuit.*

Denique, vt ait D Hieronymus ad Algasiam, quæst. 5. Christus omnem doctrinam suam patibulo roborauit, &c. Sic nos tum doctrinam, & conciones, tum opera, & cogitationes, eiusdem patibuli memoria roboremus Legendus Bernard. serm. 43. in Cant. de fasciculo myrrhæ collecto ex laboribus & doloribus Christi. Nō requiro, inquit, vbi pascat in meridie, quem intueor Saluatorem in cruce. illud sublimius, istud suauius, vel paratius: panis illud, hoc lac. Hunc & vos dilectissimi, tam dilectum fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum cordis, &c. Hæc erat sapien-

D. Hieron. *D. Bernar.*

to, Lucæ 1. Zacharias, Virgo item Deipara, filio Dei incarnato. Nonnulli arbitrantur Ezechiam regem propterea in morbum incidisse grauissimum, cuius mentio fit 4.Reg. 20. quòd post profligatum à Deo Sennacheribi exercitum, nouum canticum non ediderit in actionem gratiarum. Sed hanc opinionem refutat Abulensis 4.Reg.20. quæst.3. de ea egimus tom.1. Si ergo noua beneficia nouos postulant hymnos, verisimile videtur Christum pro nouis atque inauditis Eucharistiæ passionisque beneficiis nouum edidisse canticum. Verisimilius tamen est illud Burgensis Episcopi, si enim canticum aliquod nouum Christus composuisset, Ioannes illud literis mandasset, vel Euangelista alius, si quidem dignissimum erat, quod posteritati traderetur, superabatque cetera scripturæ cantica, & nomen cantici canticorum sibi vendicabat. Præterea non videntur tunc fuisse capaces discipuli mysteriorum, quæ canticum illud nouum debuit continere, iuxta illud Ioannis 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*, &cæt. Lege Epistolam Augustini 253. in qua de hymno agit ab hæreticis conficto.

An nouum canticum Christus à cœna recedens composuerit.

Ioan.16.

Secundò dubitatur, an cecinerint tunc Christus & discipuli? Episcopus Conimbricensis Ioannes Soares, Palacios in Matthæum, & Petrus Montanus in libello de passione, arbitrantur cecinisse. Et quidem verbum Græcum cantum significat. legitur Græcè, ὑμνήσαντες, significat autē verbum ὑμνέω, *hymnum dicere*, vel decantare. Vertique potest, cum decantassent hymnum. Syriacè, *xabachu*, hoc est, *hymnodiam dixerunt*. Præterea D.Augustin. hymnum non esse ait si cantus absit, Psalm.72. Hymni, inquit, laudes sunt Dei cum cantico. Etsi sit laus, & non sit Dei, non est hymnus: si sit & laus & Dei laus, & non cantetur, non est hymnus. oportet ergo vt si sit hymnus, habeat hæc tria, & laudem, & Dei, & canticum, &cæt. Iuuencus: *Exin cantato Sanctis* *concentibus Hymno*, &c. Chrysostomus, si interpres fideliter vertit: gratias (inquit) egit Christus, & Hymnum cecinit, &cæt. Verisimile ergo est, Iudæos & Christum cum Apostolis hymnum decantasse. Funeris sui cantor dicitur candidus Cygnus. En habemus funeris sui cantorem, totius innocentiæ sanctitatisque candore oleum candidissimum. Tertiò, dubium est, An sit decantatus hymnus post Christi sermonem, & orationem, an post finem cœnæ, & Eucharistiæ institutionem? Respondetur, decantatum hymnum post finem cœnæ, & Eucharistiæ institutionem, ante sermonem & orationem Domini; post finem enim cœnæ aguntur gratiæ. Quòd si Matthæus ait hymno dicto Christum cum discipulis in montem Oliueti exiisse; non significat statim dicto hymno exiisse. Post dictum enim hymnum sermonem habuit, & orationem, post orationem autem exiuit. Non erit tamen à verisimilitudine alienum, dicere, Christū hymnum vsq; ad discessum ex domo distulisse, eumque post sermonem & orationem dixisse.

An hymnus cecinerint Christus et discipuli.

Iuuencus.

D.Chrys.

An hymnus decantatus sit post sermonem habitum in cœnaculo?

Docet nos locus iste, post sumptū cibum gratias Deo agere. In eos qui gratias agere non curant, inuehitur hoc loco Chrysostomus, porcosque meritò appellat; quia quemadmodum porci glande vescuntur, neque oculos in arborem attollunt, quæ illam profert; sic hi homines Dei cibos edunt, neque tamen in Deum attollunt mētem, gratias bonorum creatori, ac largitori agentes Audiant omnes (ait Chrysostom. hom.83. in Matthæ) qui quasi porci, cum iam comederint, euersa calcibus mensa, temulenti consurgunt; cum agere gratias debeant, & in hymnum à mensa deuenire, &c Cerne omnia, quæ in orbe terrarum sunt, cœlum cerne, stellas, solem, lunam, elementa, terræ fructus, animantia omnia, gratias creatori agere nequeunt, quia ratione carent, pro omnibus gratias agere ad hominē spectat, cui omnia seruiūt. Soluat ergo debitas Deo gratias homo tam

Gratiæ Deo agēdæ post cibum.

D.Chrys.

Homo, pro omnibus creaturis, agere Deo grates debet quia ipsi omnes seruiunt.

tam pro se, quam pro reliquis creaturis, quæ illius seruiunt vtilitati. Quotiescumque nouum accipit beneficium, toties nouum canticum, nouasque gratiarum actiones proferat. Ipsam cibi largitionem maximum Dei beneficium esse arbitretur, tantum vt à nullo terræ rege etsi potentissimo dari possit. Nullus enim Rex terræ vel panem, vel carnes, vel cibum alium efficere potest, solius Dei est, infinita potentia sua cibos producere, homines regesque pascere, & animantia reliqua.

Solius Dei est cibos producere.

Si ille non pascat, si cibos non suppeditet, tam reges quàm reliqui homines atque animantia, peribunt. Hinc illud Psalmi 103. *Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore: dante te illis colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem, turbabuntur; auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur.* &cæt. Lege Chrysostom. homilia 57. de hymno quem monachi post mensam dicere solebant.

Psal. 103.

CAPVT

CAPVT VIII.

De discessu Christi è cœnaculo in hortum.

MATTHAEVS CAPITE XXVI.

Tunc venit Iesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani.

MARCVS CAPITE XIV.

Et veniunt in prædium, cui nomen Gethsemani.

LVCAS CAPITE XXII.

Et egressus ibat secundùm consuetudinem, in montem Oliuarum: secuti sunt autem illum & discipuli.

IOANNES CAPITE XVIII.

HAEc cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse, & discipuli eius. Sciebat autem Iudas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis.

Egressus est.

Ruperti opinio.

RVpertus Ioan. 17. vt suprà diximus, orationem, quæ in cœnaculo à Christo habita est, in Gethsemani habitam esse putauit. Si ab eo quæras, vnde nam Dominum post orationẽ egressum dicat Ioannes? Respondet, Ioan. 18. post orationem egressum esse ex villa Gethsemani, quæ ad radices erat montis Oliueti, & reuersum trans torrentem Cedron, ciuitati appropinquasse, hortumque introisse, vt sponte aduersariis occurreret. Probabilitate caret opinio, nullumque, quod A sciam, habet sectatorem. Egressus est autem Dominus à cœnaculo, in quo cœnauerat, sermonemque habuerat, & orationem; quod Ioannes significat illis verbis: *Haec cum dixisset Iesus egressus est*, &c. Hæc, inquam, cùm dixisset, id est, cum sermonem ad discipulos, & orationem ad Patrem habuisset, egressus est in hortum. B Matthæus ait venisse cum discipulis in villam, quæ dicitur Gethsemani; Marcus, in prædium. idem tamen nomen Gręcum, χωρίον, est apud vtrumque, quod agrum significat, villam, prædium. Lucas scribit iuisse in montem Oliuarum; Ioannes, in hortũ

Egressus est Christus ex cœnaculo post sermonem habitum.

Digitized by Google

omnia maximè cōsentiunt, erat enim ad radices montis Oliuarum prædiū, siue villa, & in villa hortus. D. Hieronymus de locis Hebr. Gethsemani, inquit, est ad radices montis Oliueti, nunc Ecclesia superædificata, &c. Cū ergo Dominus hortum petiuit, villā etiam siue prædium petiuit, & montem Oliueti, ad cuius radices hortus erat & villa.

D. Hieron. *Hortus vbi erat.*

Egressus est Dominus ex ciuitate Ierusalem spiritalem ex illa egressū indicans, de quo Matthæi 23 *Ecce*, inquit, *relinquetur domus vestra deserta*, &c. Et Ierem 12. *reliqui domum meam dimisi hereditatem meam*, &c. Egressus est ex synagoga: trans torrentem verò Cedron, hoc est, trans torrentem passionis, postquam mortem subiit, in hortum introiuit amœnissimum, id est, Ecclesiam, de qua Cant. 4. legitur, *hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus*, &c.

Matth. 23. Allegoricè. Ierem. 12. *Cant. 4.*

Quæ dicitur Gethsemani.

Quid significet Gethsemani.

QVid significet hoc villæ nomen dubium est. Pagninus & alii legendum volunt, *Geth-semani*, absq; *thige*, vero vallem significat: *semen, semanim*, oleum vel vnguentum. Iuxta hanc interpretationem, significat *Gethsemani, vallem olei*. Mons dicebatur mons Oliueti, vallis verò vallis olei. D. Hieron. in Matthæum, vallem pinguissimam interpretatur. Vallis quidem fuit pinguissima, & hortus Christi sanguine irrigatus. ibi enim, vt Lucas ait, *factus est sudor Christi sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*, &c. Verum apud Euangelistas, tam Græcè quam Latinè legimus *Gethsemani*, cū *th*; forsitan deducitur nomen à *gath*, idest, torculari, & *semanim*, id est, oleo dictaque est villa, *torcular olei*, quòd torcular haberet huiusmodi. Cōgruit nomen passioni de qua agimus in villa cœpit, quę dicebatur torcular olei; fuit enim passio torcular olei, id est, misericordiæ, ex quo summa Dei misericordia effluxit abundantissimè Caninius de vocibus Hebraicis, sic scribit. Sunt duo vocabula Syriaca gethsemani, id est, pecuaria butyri. is. n. locus à copia butyri id nomē nactus est. Montanus Matt. 26. ait villam vel hortum appellatū, *gan semini*, id est, hortum octauum, quòd horti in suburbiis magnarum vrbium, ordine positi, notis quoque numerorum distingui soleant, & ille in quem Christus introiuit esset ordine octauus, in suburbanis Ierusalem. Sic ille.

D. Hieron. *Passio Christi fuit torcular olei misericordia.* *Canini nr.* *Montanus.*

Trans torrentem Cèdron.

PRope vrbem Ierusalem vallis est Iosaphat, hanc interfluit torrens Cedron; vltra torrētem mons attollitur Oliueti, ad cuius radices villa erat, & hortus Gethsemani. Quia ergo Dominus petebat montem Oliueti, ideò torrentem cū discipulis pertransiuit. *Ecce iste venit saliens in montibus*, ait Ecclesia, Cant. 2. è monte Sion in montem Oliueti abit, in horto mōtis Oliueti comprehenditur, & ad montē ducitur Caluariæ. Torrens autem (ait Simon Cassianus lib 13.) subitā & defluentem citò passionem insinuat, &c. Adumbrat ergo transitus hic torrētis, trāsitum passionis, quæ similis torrēti fuit pluuialibus aquis redundanti, & paulo post euanescēti Torrēs (inquit Cassiod Psal. 109.) fuit turbulēta persecutio Iudæorum, de qua Christus bibit in via, &c. Et D. Thom Ioā. 18. Per torrentem, inquit, passio designatur. Ps. 109. *De torrēte in via bibet*, &c. Vno die cruciatus Christi veluti torrēs redundarunt; sed cum æterna gloria cōmutati sunt Hinc illud Ps. 109. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*. Dominus *in via*, i. cū mortalis erat de torrente passionis veluti obiter bibit, propterea caput exaltauit gloria sempiterna D. Greg. hom. 25. in Euangelia: In humano, inquit, genere, ab ipso mundi initio torrēs mortis effluxerat. Sed de hoc torrente Dn̄s in via bibit, quia mortē in trāsitu gustauit, &c.

Torrēs Cedron. *Cant. 2. Allegoricè.* *Sim. Cassi.* *Cassiodor.* *Psal. 109. Christus torrentem pertrāsiuit id est, passionem.* *D. Gregor.*

Fuit passio ipsi Christo torrens cruciatuū, ac dolorū, mox exarescens. At nobis fluuius est, pleno ac perenni fluēs alueo, cuius impetus Ecclesiam irrigat, ac lætificat, iuxta illud Ps. 45. Flumi-

Psalm. 45.

Fluminis impetus lætificat ciuitatẽ Dei, &c. De probo viro dicitur Psalm. 1. *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*, &c. Arbor enim est probus Christianus, plantata secus decursus aquarum passionis Christi, eiusque vitalibus aquis irrigata, fructus proferens vitales. Similis hic fluuius illi est, quem Ioan. Apocal. 22. vidit aquæ viuæ, splendidum, velut crystallum, procedentem de sede Dei & agni. Aquæ viuæ fluuius splẽdidissimus est passio, procedens ab ipso Deo & agno Christo, Ecclesiamque totam irrigans.

Psal. 1.

Passio Christi fluuius lætificans Ecclesiam.

Apoc. 22.

Porrò transitum hunc nostri Dauidis Christi, adumbrat Dauid 2. Reg. 15. cum ex ciuitate Ierusalem egressus, filio Absalone persequente eundem torrentem Cedron pertransiit. sic Dominus à Iuda discipulo proditus Iudæis, egressus est (vt Ioan. ait) trans torrentem Cedron. In Græcis codicibus Ioan. 18 legitur τῶν κέδρων, quasi sit casus genitiuus numeri pluralis, significat autem torrens τῶν κέδρων, torrentem cedrorum. κέδρος enim à Græcis cedrus appellatur. Hunc in modum interpretantur torrentem Cedron, Nonnius, Haymo, Simon Cassianus, D. Thomas, Lyranus, Titelmannus, Erasmus, & alii. videlicet à cedrorum copia. Verum non Græcum, sed Hebræorum esse constat ex testamento veteri, in quo appellatur torrens, קדרון *Kidron* 2. lib. reg. c 15. & aliis locis. Cedri verò alii diuerso nomine appellantur Hebraicè, ארזים *arazim*. Si obiicias articulum Græcum, τῶν, significare nomen Cedron esse casum secundum numeri multitudinis, respondetur Ioãnem scripsisse non, τῶν, sed τοῦ κέδρων, numero singulari; factã autem mutationem ob imperitiam. קדרון *Kidron* vero, siue *cedron*, *tenebras* sonat & *obscuritatem* à verbo קדר *cadar*, quod significat *tenebrescere*, & *nigrescere*. Vnde torrens Cedron, significat torrentem obscuritatis, siue obscurum, quòd in depressa valle & vmbrosa deflueret. id quod à passione Christi non est alienum: fuit enim hora tenebrarum, iuxta illud, *hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*, &c.

2. Reg. 15.

Cedrõ quid significet.

Cur dictus sit torrens Cedron.

Vbi erat hortus.

TRans torrentem Cedron, hortus erat ad radices montis Oliueti. in illum tunc introiuit Dominus cum discipulis. consueuerat autem id facere, vt Lucas testatur, capit. 22. *Egressus*, inquit, *ibat, secundum consuetudinem, in montem Oliuarum*, &c. & Ioannes 18. *frequenter*, inquit, *Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis*, &c. pernoctabat enim Christus in agro. In paradiso terrestri, id est, in horto, (paradisus enim hortum significat) funestum nostræ captiuitati initium Adamus dedit; in paradiso item, id est in horto, Christus faustum dedit principium suæ passioni, nostræque per passionem redemptioni. D. Cyrillus libr. 11 in Ioan. cap. 31. Hortus, inquit, erat paradisi locum designans, vt in paradiso malorum initium factum est; sic in horto, Christi passio incipit, per quã à malis liberati in pristinum habitum restituti sumus, &c. Et Rupertus: Pulchrè, inquit, in horto voluit Adam secundus, id est Christus, obediens inueniri; quia primus Adam in horto inobediens inuentus est, &c. Ad hæc, postquam torrentem pertransiit, in hortum introiuit Dominus. Similem in modum nos, postquam laborum torrentem pertransimus, in hortum deliciarum introimus, idest, in cælestem paradisum trans torrentem est hortus; trans laborem & tribulationem est paradisus.

Luc. 22.

In horto initiũ datũ est captiuitati: in horto initium datum passionis redemptioni.

D. Cyrill.

Rupertus.

Trans torrentem hortus est deliciarum.

Digitized by Google

Sciebat autem Iudas qui tradebat eum, locum.

COnsueuerat Dominus in hortum cum discipulis se recipere; ideò satis notus erat hortus Iudæ, sciebatque eò Christum iturum illa nocte ex consuetudine. Voluit autem Dominus in loco Iudæ noto, illa nocte manere, vt sponte se pacti ostenderet. Theophylactus Luc 22. Media nocte, inquit, iter facit Dominus, festinatque venire in locum proditori notum, vt ostendat quòd sponte ad passionem veniat, &c. Qui vincula timet, volat; pedibus enim timor addit alas; loca omnia fugit, in quibus comprehendi potest. At Christus vincula minimè horret, notum proditori locum non fugit. Strenui ducis est, hostem non solum non fugere, verum etiam in ipso certaminis loco expectare. Sic dux strenuissimus Christus, Satanam hostem, ac mortem, non solùm non fugit, verum etiam ipsum pugnæ locum petiit, hostesque præstolatus est. Dauidem regem 2.Reg.15. timor coegit torrentem Cedron transire; filium enim persecutorem timebat, ac fugiebat. Nostrum verò regem non timor sed amor eundem torrentem transire fecit. nos enim amabat, filium verò suum, id est discipulum proditorem, non timebat, nec fugiebat. ideo in locum venit quem Iudas nouerat. Iudas sciebat locum, Christus verò sciebat omnia, quæ Iudas machinabatur, quibus tamen cognitis, à loco quem traditor nouerat, non recessit.

Theophyl.

Simile.

Christus locũ petiuit traditori notum.

2.Reg.15.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT IX.

De Mæstitia Christi in horto.

MATTHAEVS CAPITE XXVI.

TVnc venit cum illis in villam quę dicitur Gethsemani. Et dixit discipulis suis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. Et assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit contristari, & męstus esse. Tunc ait illis. Tristis est anima mea vsque ad mortem, sustinete hic, & vigilate mecum.

MARCVS CAPITE XIV.

ET veniunt in prædium, cui nomen Gethsemani. & ait discipulis suis: Sedete hic, donec orem. Et assumit Petrum, & Iacobum, & Ioannem secum, & cæpit pauere, & tædere; & ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem; sustinete hic & vigilate.

PAradisus, siue hortus ille A in quo Adamus peccatũ commisit, Gen. 2. paradisus voluptatis appellatur; at paradisus siue hortus, in quo secundus Adamus peccatũ à primo commissum, mœstitia cordisque dolore expiauit, paradisus, siue hortus est mœstitiæ atque doloris. In eo enim summam mœstitiam, cordis- B que dolorem perpessus Dominus est. Postquam in illum peruenit, discipulos certo quodam loco iussit consistere: *Sedete*, inquit, *hic donec vadam illuc, & orem*, &c Deinde ex eorum numero tres assumpsit, Petrum, Iacobum, & fratrem eius Ioannẽ, qui gloriæ in transfiguratione testes fuerant; eosdem in C horto mœstitiæ suæ testes esse voluit. coram iis, vt ait Matthæus, *cæpit contristari, & mæstus esse*, & vt Marcus ait, *cæpit pauere, & tædere*. apud Matthæum sic Græcè habetur, Ἤρξατο λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν. apud Marcum: Ἤρξατο ἐκθαμβεῖσθαι, καὶ ἀδημονεῖν. idem verbũ, ἀδημονεῖν, est apud vtrumque Euangelistã, quod significat grauissimè angi: interpres apud Matthæum vertit, *cæpit mæstus esse*. apud Marcum, *cæpit tædere*. ipsa externa corporis specie mœstitudinem animi Dominus discipulis indicabat, pauoremque & horrorem. neq; solùm corporis ipsa specie, sed voce etiam tristitiæ magnitudinem notam fecit, cum suspirio mœstissima illa verba proferens; *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, &c.

Paradisus in quo peccauit Adã fuit voluptatis, at in quo redimere cæpit Christus, doloris.

Cæpit contristari & mæstus esse.

DVbium est, quid significet verbum, *cæpit*, cùm Matthæus ait, *cæpit contristari & mæstus esse*: &c Marcus, *cæpit pauere, & tædere*. Origines tract. 35. in Matthæum, existimat, tristitiam hanc Christi non fuisse maximam, eo quòd Euangelista verbo, *cæpit*, vtatur; cœpit contristari, & mœstus esse, cœpit pa-

Origen.

Origenis sẽtẽtia improbabilis.

Digitized by Google

uere, & tædere. Cœpit, ait ille, pauere, vel tristari, nihil amplius tristitiæ, vel pauoris patiens nisi principium tantum; Nec.n. scriptum est; Quia expauit vel tristatus est; sed, cœpit pauere, & cœpit tristari. Illa quoque verba, *tristis est anima mea vsque ad mortem*; tale (inquit) aliquid significare videntur, tanquam si dicat dominus, tristitia cœpta est in me, vt non omni modo sim sine tristitiæ gustu, non semper, sed vsque ad tempus mortis meæ. Vt cũ mortuus fuero, moriar & vniuersæ tristitiæ, cuius principium tantum fuit in me. Hæc Origenes.

Maxima fuit Christi tristitia. Verumtamen dicendũ est, hanc Christi tristitiam maximam fuisse; quod illius causa probat. Christus.n. pro omnium hominum peccatis contristabatur, ac dolebat, (vt alias omittã causas de quibus infra.) omnium aũt hominum peccata maximam mœstitiã dolo remque postulabãt. Vnde D.Tho.3.p. q.46. art.6. ad 4. *D.Thom.* Christus (inquit) nõ solum doluit pro amissione vitæ corporalis, sed etiam pro peccatis omnium aliorum; qui dolor in Christo excessit omnem dolorem cuiuscumque contriti, tum quia ex maiori sapiẽtia & charitate processit, ex quibus dolor cõtritionis augetur; tum ẽt quia pro oĩbus peccatis simul doluit. hæc D.Th. *Non tã pro doloribus quã pro peccatis in hoc Christus tristitia affectus est.* Si opponas illud Origenis, Euangelistã non dixisse, Christum esse contristatũ, sed cœpisse cõtristari, hoc est, principium tantum habuisse & gustum mœstitiæ, hanc interpretationem minime recipimus. *Quid significet, cœpit contristari.* Aliud illa verba significant; videlicet Christum, cum antea mœstus non esset, cumque præ se non ferret mœstitiam, aut pauorem, tunc spõte sua cœpisse contristari, & pauere, tristitiamque & horrorem præ se ferre. Cœpit enim tunc contristari, cũm ante non esset tristis, quia sponte cũm voluit, mæstitiam suscepit.

Christus affectus suos in potestate habuit. Habuit quidem Dominus humanos affectus; neque enim, vt ait Aug lib. 14. de ciuit. Dei c.9. in quo verum erat hominis corpus, & animus verus, falsus erat humanus affectus. Aliter tamẽ habuit quàm nos; Primo quoad principium. Nam affectus nostri, rationis iudicium frequenter anteuertũt: affectus aũt Domini iudiciũ rationis, & voluntatem sequebantur, non præcedebant. Vnde Aug loco indicato ait, *D.August.* Christi, affectus & motus animi, ita cum voluit suscepisse, sicut cũ voluit factus est homo. hoc illud significat Ioã. 11. *turbauit seipsum*. Secũdò quoad obiectũ: Nostri .n. affectus sæpe in obiectũ feruntur illicitum: Christi affectus nullo modo. Tertiò nostri affectus rationem obscurant, perturbant, & sæpe superãt: Christi affectus rationi semper obtemperabãt; rationem neque obscurare, neque perturbare poterant. *In hominibus affectus rationem obscurant, nõ in Christo.* Quamobrem in Christo appellant affectus, *προπάθειας*, id est, propassiones. Vnde D.Hier. Matth.26. in verba hæc; *D.Hieron.* *cœpit contristari & mæstus esse*, &c. Verè, inquit, Dominus, contristatus est; sed ne passio in animo illius dominaretur, per propassionem cœpit contristari. Aliud est.n. contristari; & aliud, incipere contristari. *Differentia contristari, & incipere contristari.* Vult Hieron. verba explicanda hoc pacto: *cœpit contristari*, id est, non est contristatus consummata tristitia, quæ animo illius & rationi dominata sit, sed cœpit contristari cœpit tristitia inchoata, ita vt rationem non duceret sed sequeretur. Et D.Th.3.p.q.15 art.6. ad 1. *D.Thom.* Tristitia, inquit, à Christo remouetur secundùm passionem perfectam. fuit tamen in eo initiata, secũdùm propassionem vnde dicitur Matt.26 *cœpit contristari & mæstus esse* Sic D.Thom.

Passio, & propassio in homine. Passio Græcè *πάθος* dicitur. Propassio, *προπάθεια*. De vtraque idem Hier. *D.Hieron.* Matt.5. Passio, inquit, reputatur in vitium: propassio licèt vitii culpam habeat, tñ non tenetur in crimine. ergo q viderit mulierẽ, & aĩa illius fuerit titillata, hic propassione percussus est; si verò consenserit, & de cogitatione affectũ fecerit, iuxta illud Ps 72. *Psal.72.* *Transierunt in affectũ cordis*, de propassione trãsiuit ad passionem. Et huic non volũtas peccandi deest, sed occasio. Sic Hier.

Tristis est anima mea vsque ad mortem.

INgentem cordis mæstitiam, quam non cernebant, ipso vultu, & voce disci-

discipulis aperuit Dñs. *Tristis* (inquit) *Anima mea vsque ad mortẽ*. Græcè dr̃ anima περίλυπος, id est, circunquaq; vel vndiq; tristis, vndiq; mœrore obsessa. Triplicem habent sensum verba hæc. Primus est Origenis tract. 35. in Matth. D. Aug. lib. contra Fœlicianũ c. 15. D. Hier. Matth. 26. Haymonis, D. Tho. & aliorum, qui tẽpus putant significare; *tristis est anima mea vsq; ad mortẽ*, hoc est, vsque ad mortẽ mœstitia animam meam anget, atque premet. Põt hic sensus in duos diuidi; Alter tristitiæ magnitudinem minuit, hoc pacto; Tristis est anima mea vsq; ad mortẽ, hoc est, mestus quidẽ sum, sed hęc tristitia breui permanebit tempore, morte ipsa finietur. Alter sensus probabilior mestitiã auget, hoc modo: Tristis est anima mea vsq; ad mortẽ, hoc est, magna tristitia cor meũ cõpleuit, cui quidem sola mors finẽ afferet; dũ vita suppetet, tristitia cor meũ occupabit. Secundus sensus est Euthymii; Tristis est anima mea vsq; ad mortẽ, id est, sicut in morte, tam tristis est anima mea, quã si iam animam agerẽ. Tertius; Tristis est anima mea vsq; ad mortẽ, hoc est, tãta est mæstitia quæ meã premit animã, vt vsque ad mortẽ me possit adducere. Vnde Titelmanus; Tãta (inquit) premitur mestitudine cor meũ, vt maior vix possit æstimari: ita vt sufficiẽs videatur animã meã è corpore eiicere, vitamque finire; nisi me diuinitatis virtus ad perferenda quæ supersunt passionũ tormẽta, sustentaret, &c. Probabiles sunt hi sensus. Simile est illud Isai. 38. *ægrotauit Ezechias vsque ad mortẽ*, &c hoc est ægrotauit morbo mortifero. Ita hic, tristis est anima mea vsq; ad mortem, hoc est, tristis est tristitia mortifera. Ionæ 3. Bene (inquit) irascor ego vsq; ad mortem, &c. hoc est, bene irascor ita lethifera. Vel, bene irascor vsque ad mortis desideriũ. Nam Ionas petiuit animę suæ vt moreretur, & dixit, *Melius est mihi mori, quàm viuere*, &c.

Triplex sensus. *Secundus sensus.* *Isa. 38.* *Ionæ 3.*

Dubium exoritur huiusmodi. Anima Christi diuinam essentiam conspiciebat, ex quo conspectu summa lætitia emanabat. Nullus igitur locus mœstitiæ, aut dolori relinquebatur in tanto gaudio; quemadmodũ nullus locus relinquitur tenebris, in magno splẽdore. Respõdetur, Christũ, gaudiũ, quod ex conspectu diuinæ essentiæ emanabat, in superiori animi parte cõtinuisse; ita vt in inferiorem non redũdaret. Quemadmodum in supremo cælo empyreo lux contenta, inferiorẽ mundũ nullo modo illuminat; sic lux illa summi gaudii superiori animi parte continebatur, inferiorẽ non illustrabat: Sicut in hoc orbe duo sunt hemisphęria: sic in Christo duæ animæ partes. Ex duob. mundi hemisphæriis, vnum solis splendore collustratur, alterum in tenebris est; ita ex duabus illis animi partibus, altera quidẽ, id est superior, maxima lætitiæ luce perfundebatur; altera verò, id est inferior, maxima tristitiæ caligine obtegebatur. Erat ergo in corde & appetitu Christi sensitiuo maxima tristitia.

Dubium. *Responsio: An diuina essentia cõspectus, Christi animam à mæstitia liberarit.*

De voluntate quæritur, an ad illã mœstitia penetrarit? Nam voluntas Christi beatifico gaudio plena erat; non igitur mærore aliquo affici poterat. Respondetur tamen; voluntatẽ vehementi tristitia fuisse affectam, vehementiq; gaudio. id verò per miraculũ factum est; quemadmodum per miraculum beatificum gaudium in partem inferiorem nõ redundauit. Potest enim diuina omnipotentia efficere, vt duo contraria in eodem sint subiecto. Canus lib. 12. de locis c. 13. existimat, Christũ saltẽ in cruce beatificum gaudiũ ita cõtinuisse, vt nullo gaudio beatifico, etiam in parte animæ superiori afficeretur, quãuis cerneret diuinã essẽtiam. Eandem sententiam vr̃ sequi Maldonatus, Matthæi 26. Melius (inquit) sentiunt alii dispensatione quadam factum fuisse, vt cum Christus beatus esset, tristitiam etiam in superiorem animæ partem admiserit. Nam sicut beatitudinem suã cohibere potuit, ne deflueret in corpus, vt pati posset, ita premere eam potuit, & quodammodo occultare, vt ad tẽpus tristitiæ cederet, q̃ vna passionis suæ pars futura erat. hæc ille. Et Pater Salmeron tom. 10. tracta. 14 Cum in Christo (inquit) fuerit suspensum gaudiũ, ex uisione Dei ꝓcedens,

An fuerit mœror in voluntate Christi. *Canus.* *An Christus beatificum gaudiũ represserit?* *Sententia Maldonati.* *Salmeron.*

dens, ex quo cæpit contristari, & paue re, vt nónulli sentiunt, erat omni prorsus solatio destitutus. Vel quia in Christo nulla erat partis inferioris ad superiorem, aut superioris ad inferiorẽ redundantia, vt alii asserunt. sic ille. Responderi posset iuxta hanc sententiã, beatificum gaudium cessisse tristitiæ magnæ, per miraculum. verum video aliis viris doctis non placere.

Tristis est anima mea.

SI queras, An tristitia Christi pmixta fuerit cõsolationi? Victoria, vt testatur Medina, *3.p.q.46.ar.6.* aiebat dolorẽ Christi in passione permixtũ fuisse consolationi: quam viri prudentes reiicere non solent, cùm in calamitates incidunt. Respondendũ potius nulli consolationi permixtum fuisse dolorem, & mæstitiam Christi, vt sentit, D. Th. *3.p.q.46.ar.6.* In aliis (inquit) patiẽtibus, mitigatur tristitia interior, & ẽt dolor exterior ex aliqua consideratione rationis, per quandam redundãtiã à superioribus viribus ad inferiores q in Christo patiente non fuit. quia vnicuique viriũ permisit agere quod est sibi proprium, &c Et Iustinianus li. de Christi agone c.19. Deus (inquit) in puris naturalibus, sensibilẽ Christi partẽ reliquit. Fluenta.n. æternæ voluptatis continuit, ne impetu, quo solebãt, emanarent in illũ, &c. Card. Caiet. Marc. 13. Christus nihil consolationis interius recipiebat ex parte superiori, & derelictus erat non solum exterius in cruciatibus, sed etiam intus, &c. Hoc indicant verba illa in cruce prolata; *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* &c Dicit Christus (ait Dionys. Carthus.) se à Deo derelictum, quia patiebatur, ac si peccator, & à Deo contemptus esset. Et quia nulla fiebat pro tũc redundantia consolationis à superiori parte animæ, in partem inferiorẽ, &c. Idem alii sentiunt.

Non probatur sententia Medi.
D. Thom.
An fuerit permixtus consolatiõi dolor Christi.
Iustinian.
Caiet.
Nil habuit in passione consolationem Christus.
Carthus.

Petes, quænam fuerint causæ summæ huius tristitiæ? Prima, fuit omniũ peccatorum perspicua cognitio, pro quib. exhibere voluit Christus in horto, cordis cõtriti sacrificiũ, iuxta illud

Causa tristitia Christi.

A Psal. 50. *Sacrificiũ Deo spiritus contribulatus, cor cõtritum & humiliatum Deus non despicies*, &c. Secunda; Mors crudelesque cruciatus, qui ante oculos versabatur. Tertia, Iudaici populi sibi charissimi scelus, eiusdemq; populi, propter scelus deuastatio. quamobrẽ Lucę 19. *Videns ciuitatem fleuit super illam*, &c. Quarta, Apostolorum scandalum, quibus dixerat: *oẽs vos scandalum patiemini in me in nocte ista.* præcipuè verò B Iudę proditio. Quinta, Deiparæ Virginis & amicorum dolor. Sexta, hominũ ingratitudo erga tantum passionis beneficiũ. Aliquas ex his causis affert D. Hier. Matth. 26. Cõtristabatur (inquit) Christus propter infelicissimum Iudã, & scandalum omnium Apostolorum, & reiectionẽ populi Iudæorum, & euersionẽ miseræ Ierusalẽ, &c. περίλυπος ἐστιν ἡ ψυχή μου ait Dominus, hoc est circum tristis est anima mea; obsessa C est, & circundata mœrore. obsessus erat Christus ab omnibus omnium hominum peccatis, quæ ante oculos habebat; hi milites crudeles circundabãt animam, magnoque dolore, ac mœrore sauciabant. Alia ex parte illam obsidebant mortis impendentis atroces cruciatus, & opprobria, ex alia populi deuastatio, & tot hoĩum cæcitas, atque dãnatio. Itaq; obsessa erat vndiq; anima Sanctissima, cumq; posset in auxiliũ D suũ summum gaudium aduocare, quod hostes obsidentes mox verteret in fugam, aduocare noluit, sed obsideri, & vndique angi propter nos. Vt lunam terræ vmbra obscurat; sic Christi animam peccatorum nostrorum obscurissimæ vmbræ, crassissimæque nubes tristitia obscurarunt. Peccata à corde & voluntate habẽt initiũ, opere externo perficiuntur; idcirco meritò peccatorum omnium remedium Domini pasE sio, à cordis & voluntatis mœrore initium sumpsit, & in externos cruciatus prodiit. Ionæ 3. *doluit Ionas & contristatus est, quòd hedera exaruerat.* Christus autem non propter hederam sed propter infinita propemodũ peccata dolebat, & mœstus erat; præterea, quia populũ suum, veluti hederã, videbat, oẽm quem habuerat virorem amissurum.

Psal. 50.
Hieron.
Describitur Christi aĩa in medijs dolorũ causis.
A corde peccati initiũ.
Iona 3.

C A-

CAPVT X.

De oratione Christi in horto.

MATTHÆVS CAPITE XXVI.

ET progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste; Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.

MARCVS CAPITE XIIII.

ET cum processisset paululum, procidit super terram: & orabat, vt si fieri posset, transiret ab eo hora, & dixit: Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me; sed nō quod ego volo, sed quod tu,

LVCAS CAPITE XXII.

SEcuti sunt autem illum & discipuli; & cum peruenisset ad locum dixit illis: Orate ne intretis in tentationem. Et ipse auulsus est ab eis quātum iactus est lapidis, & positis genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum à me; veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.

COmitati sūt discipuli magistrū vsq; ad hortū: manserūt octo certo quodā loco, vt Christus imperauit; *sedete* (inquit) *hic, donec vadā illuc & orem* tres reliquos in aliū locū duxit, Petrū, Iacobū, & Ioannē, animiq; sui mœrorem patefecit. postea ab illis in propinquū antrum discessit ad orandū, dixitq; *sustinete hic & vigilate mecū*. Verbū, sustinete, significat manete, est.n. Græcè, *μείνατε ὧδε*, idest, manete hoc in loco, & vigilate mecū: estote mihi socii vigilādo & orando. aduersus somnum illos cōmunit, quē & tēpus nocturnum, & mœstitia aduocabat. se socium addit: *vigilate mecum*. dulce est cum tali vigilare socio.

Luc. Dubiū ex D. Luca oritur; Ait Lucas Christū auulsum esse à discipulis, *quantū iactus est lapidis*. Quæritur, nū dicatur hoc spatio loci auulsus ab octo di- A scipulis; an à tribus quos assumpsit, Petro, Iacobo, & Ioanne? Respondeō Lucā significare Christū auulsum esse à discipulis, quos iussit certo in loco manere, & orare; non ait esse auulsum à tribus tm, videlicet, Petro, Iacobo, & Ioanne. Sic.n. scribit; *secuti sunt eū discipuli & cū peruenisset ad locū, dixit illis, orate ne intretis in tentationē. Et ipse auulsus est ab eis, quantū iactus est lapidis*, &c ab eis auulsus est, id est, à discipu- B lis, qui eum secuti fuerant; Lucas enim Petri, Iacobi, & Ioannis assumptionē prætermisit. Verba illa, *Tristis est anima mea*, &c. Matthæus, & Marcus, huius assumptionis meminerunt; cū verò prior ait; *& progressus pusillū*, posterior verò, *& cū processisset paululū*, &c. de spacio intelligendi sunt, quo Christus à tribus discipulis discessit adorādū. Non ergo rectè aiunt nonnulli, hoc spacium quo à tribus discipulis discessit, fuisse iactum lapidis, vt Lucas ait. siqui-

An Christus auulsus sit à tribus discipulis, quantū iactum est lapidis, an ab octo.

Reijcitur quodquid asserunt.

by Google

siquidē Lucas de alio spacio agit: vt diximus, quo Christus ab aliis discipulis auulsus est. Verbū, auulsus, est Græcè ἀπεσπάσθη, significare mihi vr̄ discipulos voluisse sequi magistrū, ideò ægrè ab illis auulsum Dominū. Auulsus est Christus à discipulis ad orandū; sic nos oportet auelli cum vià negotiis, curis, & amicis, vt orationi vacare possimus. De locis in quib. manserunt discipuli, scribit Ioānes Soarius, Episcopus Conimbricensis, vir suo tpe concionator egregius, qui Tridentino Cōcilio interfuit, & Ierusalem, sanctaque passionis Christi loca inuisit. Marci 14. Non longè (inquit) à prædio Gethsemani, vbi reliqui octo Apostoli mãserunt, Dñs tribus, Petro, Iacobo, & Ioãni præcepit sustinere, & orare. Est ibi in loco saxum magnū habens tres in superficie concauitates longas, sed nō profundas in vnaquaq; sedit vnus ex trib. Apostolis, & ibi recubuerunt, &c. Præterea orationis locum antrū fuisse ait his verbis; Ingressus est Dñs antrū subtus terrã, in viuo lapide excissum, vbi trinã fecit Patri orationē. In hoc antrū cum ingrederemur, oēs tremore quodam, & horrore lacrymis merito persusi sumus, ibique super terrã procubuimus, &c.

Auellēdus animus à negotijs, & animis vt orationi vacet.

Locus ī quo manserunt Apostoli.

Locus ī quo Dominus orauit.

Procidit in faciem suam.

Lucas sic *positis genibus orabat, dicens*; &c. Nō ergo vr̄ procidisse in faciē suã, vt Matthæus ait, aut procidisse super terrã, vt ait Marcus. Maldonatus hoc vult, scilicet Christū nō fuisse omnino in terrã prostratū, sed genua flexisse. Si obiicias Marcum dicere procidisse super terrã; respondet, hoc dixisse Marcū, quia qui genua in terram ponit, super terram procidit. At verò Matthæus ait Christum procidisse i faciem suã: ergo non solum genua flexit, sed in terram ēt se prostrauit super faciē suã. Lucas verò genua posuisse scribit; non tñ negat in faciē procidisse; illud dixit, hoc prætermisit. Dici etiam potest, Dñm orasse, partim solis genib. flexis, quod ait Lucas, partim & genibus flexis, & prostrato corpore in faciem, ꝙ Matthæus, & Marcus affirmãt.

An Christus cū orauit, in terra se prostrauerit?

A Expendamus oēs quanta cū reuerētia Dñs oret, flexis genibus, prostratoque corpore sanctissimo. Ducē imitemur nostrū, magnoq; cum timore, ac veneratione, nos vermiculi summū Deū deprecemur, iuxta illud Psal. 94. *Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominū*, &c. Magi illi sapientes Matthæi 2 *procidentes adorauerunt eū*, &c. & Apoc 5. *Seniores viginti quatuor ceciderunt in facies suas, & adorauerunt viuentē in sæcula sæculorum*, &c. Placet ad modū Deo supplicantis reuerētia; vnde de Christo ait Paulus ad Heb. 5. *exauditus est pro sua reuerentia*, &c. sit ergo reuerētia semper orationis cōmes.

Reuerentia magna in oratione seruanda.

Psal. 94.
Matth 2.
Apocal. 5.
Hebr. 5.

Pater mi si possibile est.

Orationis verba tres Euangelistæ memoriæ prodiderūt. Matthęus; *Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste*, &c Marcus, *Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt transfer calicē hunc à me*, &c. Lucas; *Pater si vis transfer calicē istū à me*, &c. A voce dilectionis plena cępit, *Pater mi*, per naturã, non per adoptionē sicut aliorū hominum. Marcus vsus est voce Syriaca, *Abba*, eamq; explicauit addens, *Pater*, significat.n. *Abba*, Patrem. Est aūt nomen, *Pater*, casus nominandi, vt ex Græco contextu constat, ἀββα, ὁ πατὴρ, hoc est, *Abba*, ꝙ nomen significat Patrē. Similiter Paulus ad Rom. 8. *In quo clamamus*, Abba ὁ πατὴρ, &c. Matthæus ait dixisse Dominū, *si possibile est*: Marcus verò scribit dixisse; *oīa tibi possibilia sunt*, &c. Præterea Lucas ait dixisse; *Pater si vis*: vidētur hæc non nihil discrepantiæ præse ferre. Sed nulla est, sic.n. Dñs orauit; *Pater mi, si possibile est, & si vis: oīa aūt tibi possibilia sunt, trãseat à me calix iste*; vel trãsfer calicē hunc à me; quod idē est.

Pater, dilectionis & venerationis nomen est.

Rom. 8.

Non est repugnantia in Euangelistis ꝓpter hasce locutiones, si possibile, & si vis.

Transfer calicem hunc à me.

Passionē appellat calicē. Cur sic appellet, quæritur? Teophylactus Io. 18. calicē appellatam ait, quod dulcis Christo fuerit, & desiderabilis, ꝓpter salutē hominum. & Matth. 26 Calicem (inquit) passionem nominat, vel propter somnum, quē facit: vel quod lætitiæ causa sit, ac nostræ salutis, &c. quasi di-

Cur passio dicatur calix.

Theophyl.

si dicat, calicē appellauit Christus passionē, quia quemadmodum vini calix lætificat cor hominis, vt legitur Psal. 103. ita passio homines lætificauit, & Christū. vel, quia quemadmodū vini poculū somnū inducit, sic passio Christo mortis somnū attulit, à quo paulo post excitatus est. Idē autor Matth. 20. Calicē (inquit) appellat Dominus martyrium, & suam mortē; simul ostendēs, quòd leue sit, & quòd oporteat nos tā facilè illud aggredi, quàm si bibendū esset poculum. Hæc ille. Moralia sunt hæc. In promptu est causa, cur calix passio dicatur, videlicet, quia similis fuit calici, siue poculo pleno amaritudine. alias causas omitto longè petitas.

Martyriū calix.

Secundò quæritur, an Dñs mortem horruerit, ac propterea postularit calicē à se transire? Multorū Patrum sententia est, Christum non timuisse mortē. D. Epiphanius in Ancorato; Nō timuit (inquit) mortē Christus, &c. Si roges, cur igitur à se calicem transferri precatur? Respondet similē fuisse Regi fugam, pauoremq; simulanti, vt hostē ad pugnā eliciat, atq; superet. Prouocat (inquit Epiphanius) per hūc modū Christus aduersarium, id est, diabolū; vt illo opinante timere saluatorē, inducat illi mortem, &c. Similiter D. Hilar. li. 10. de Trinit. An ratione (inquit) subsistit, vt mori timuerit, q omnē ab Apostolis terrorem mortis propellens, ad gloriā eos sit martyrii adhortatus, &c. D. Hier. Matth 26. Quæ contristatur anima Christi est, & non propter mortē, sed vsq; ad mortē; donec Apostolos sua liberet passione Postulat aūt non timore patiendi, &c. itē initiò eiusdem c. Erubescant (ait) qui putant saluatorē timuisse mortem, & passionis pauore dixisse; Pater trāseat à me calix, &c. D. Ambr. Luc. 22. Tristis erat Christus, nō pro sua passione, sed pro nostra dispersione, & ideò dixit: *transfer calicē hunc à me*. Non quia Dei filius mortē timebat; sed quia nec malos perire volebat, &c. Aug. Psal. 2. Non est fortior miles quàm Imperator. Paulus miles regis dicit, *cupio dissolui, & esse cum Christo*. Paulus optat mortē, vt sit cū Christo, & ipse Christus timet mortē? Sed quid nisi infirmitatē nostrā portabat, & pro iis qui adhuc timent mortē, ista dicebat; Membrorū ipsius vox erat, nō capitis, &c. lege eūdem Augustinum epist. 120. ad Honoratum c. 11. & Psal. 103. ad illa verba, Producens fœnum iumētis, &c.

An Christus mortē horruerit. D. Epipha. D. Hilar. D. Hier. D. Ambr. D. Aug.

Existimandū est, Christū mortem timuisse, quia timere voluit. Patres de timore coacto sunt intelligēdi, qualis esse solet timor hoīum. Coactus horror in Christo nullū habuit locū. Quemadmodū sponte mortē; sic sponte horrorē suscepit, qui mortis est socius. Nihil in Christo coactū cōsideratur, (ait Damasc. li 3. fidei c. 20) sed oīa voluntaria; volens fame & siti, volēs metu, volens morte affectus est, &c. Fidē faciunt huic sñiæ verba illa; *cœpit pauere*, ergo timuit. verba itē orationis. Quoniā enim mortem formidabat, ideo vt calix transiret postulabat.

Christus mortem timuit, quia timere voluit. D. Damasc. In Christo nihil fuit coactum.

Quæri ēt pōt, cur Dñs summa cum lętitia, absq; vllo timore, & męrore ad mortē non est profectus? cur męstitię, timorisq; interni signum admirandū, videlicet sanguineū sudorē, dare voluit? Rñr, quia moriebatur Deus & homo; Putare verò possent hoīes, Deum hominē, absq; timore & męstitia, imò & absque dolore mortuum; siquidem id facillimū illi erat. Vt ergo intelligerent magno cū horrore, męrore, ac dolore, Deum hominē, cruciatus, mortē, crucē, opprobriaq; esse perpessum; iō tristitiam suā mortiferā, timoremque maximum, sanguineo indicauit sudore. Potuisset quidē absq; timore, summa cū lętitia, ēt appetitus sensitiui, pati mortem, ac tormenta oīa; quia Deus erat, & homo, Deum cernens. At melius esse iudicauit potestate sua vti, nō ad pellendū męrorē, ac timorē; sed ad augēdū, quia semetipsum in media tormētorum procella dereliquit, iuxta illud: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me*, &c. D. Ber. ser. 1. de sancto And. Quid (inquit) magnū fuerat Dñe Iesu, si accedēte hora itrepidus stares? an nō lōgè gloriosius fuit, vt nō mō passio corporis, sed ēt cordis affectio pro nobis faceret, & quos viuificabat mors tua, trepidatio robustos, & męstitia lętos,

Cur Christus ad mortem nō sit profectus magna cū lætitia. Cur sanguineū sudorē Christus emiserit.

& tæ-

tædium alacres,& turbatio quietos faceret,& desolatio cōsolatos,&c. D.Chrysost.hom.84.in Matth.ait,Christū sāguineū emisisse sudorē,ne heretici dicerēt, ꝙ mœstitiā simulauerit:itē vt passio crederetur:Si.n.(ait Chrys.)cùm & vultus & verba,& res mœrorem significarunt; non creditur tamen à nonnullis passio, (scilicet hæreticis.)quidnam dicerent, si ista non essent,&c.

D. Chrys.

Voluit Christus hominibus indicare quanti steterint,qua graui dolore,mestitia,& horrore,empti sunt. Duplicē hr̄e voluit passionem,(si tn̄ duplex dici pōt) alteram internā animi, alterā externam corporis.Externa corporis oībus manifesta erat:internā animi, externis signis patefacere opus fuit, nēpe verbis illis; *tristis est anima mea vsque ad mortem*; & stupendo sudore sanguineo. Voluit copiosam esse redēptionē, tum pp copiosum dolorē internum,tum propter copiosum externū. Non solum.n.attendit (vt ait D.Th.3.p.q.46.ar.6.ad 6.)quantā vim dolor ipsius hr̄et,ex diuinitate vnita;sed ēt quantum dolor sufficeret, secūdum humanā naturam,ad tantam satisfactionē.Adde ostendisse Dn̄m nō esse desperandum,quanuis nobis vel mors,vel tribulatio angorē pariat maximū; sed ad orationē esse recurrendum. D.Bern. Non despero(inquit)iam Dn̄e, etiamsi molesta mihi videatur tribulatio,quam patior:etiamsi pusillanimis sum, etsi desidero,vt transferatur calix à me.Didici ēt non ad carnalem siue caducā recurrere consolationē;sed ad angelicā, sed ad spiritualem,sed ad cœleste, &c. Præterea docuit nos Dn̄s,pro peccatis contritionē,mestitiam,doloremq;animo cōcipere,vsque ad mortē .hoc est,qui mortem omnibus peccatis afferat, nullumque viuere patiatur.

Duplex Christi passio, interna,& externa.

D.Thom.

D.Bern.

Non desperãdum ēt si caro tormētare fugiat.

Contritio vsque ad mortē omniū peccatorum:

Transeat à me calix iste.

IN controuersia est,quidnā hac oratione Christus postularit? D.Hier. Matthæi 26. quē Beda sequitur, arbitratū postulasse,ne calix passionis à Iudæis propinaretur propter tantum facinus damnandis.Postulat(inquit D.Hier.)non timore patiendi,sed misericordia prioris populi,ne ab illis bibat calicem propi-

Quidnam Christus postulauerit.

A natū.vnde & signanter dicit,*calix iste*,id est,populi Iudæorū, &c.quasi diceret, O pater non crucifigar ā Iudæis,non cōmittat populus meus facinus tantū,propter, quod omnino euertatur.item Hier. Orat Dominus,vt si Niniue aliter saluari non potest,nisi aruerit cucurbita; fiat voluntas Patris,&c.hoc est,orat vt si gētilitas,quam Niniue apud Ionam adumbrat,saluari non potest; nisi cucurbita, vel hedera,id est,nisi populus Iudæorū, B quem hedera indicat,aruerit;fiat Patris voluntas.Et D.Ambros.Nec illud distat à vero,si tristis erat Dominus pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegii pœnas daturos, & ideo dixit: transfer calicem hunc à me,&c.Haymo sic exponit:Si fieri potest, vt gentilitas liberetur, sine Iudæorum perditione, transeat à me calix passionis,&c.D Basilius 4.contra Eunomium:Hoc, id est, *transeat à me calix iste*,nō de seipso, sed C de iis qui in eo peccaturi erant, id est, de Iudæis,ne peccent,est accipiendum, pro quibus etiam crucifixus dicebat: *Pater dimitte illis*,&c.Habet etiam hanc interpretationem Origenes tracta. 35. in Matthæum;Diligens(inquit)Iudæos, videbat qualia erant passuri; ideo dicebat dolens de eis, transeat calix iste à me,&c. D. Hilarius in Matth.opinatur Christum orasse pro martyribus: Pro hīs(inquit)rogat, qui passuri post se e- D rant,dicens: *Transeat à me calix*, id est, quomodo à me bibitur, ita ab eis bibatur,sine spei diffidentia, sine sensu doloris,sine metu mortis,&c.quasi dicat Dominus:calix hic transeat à me, & perueniat etiam ad alios, transeat fortitudo mea in eos Non rogat(ait Hilarius)vt non patiatur, sed vt bibendi calicis in eos ex se transeat fortitudo,&c.Est alia E quoq; interpretatio huiusmodi; *Transeat à me calix iste*,id est,transeat passio, veniat post tres dies resurrectio: ne patiaris in sepulchro corpus meum diutius permanere.D. August. Psal.103.arbitratur Christum hac oratione personam suscepisse imbecillium, quos videbat in martyrio conturbari D.Catharina Senensis,vt refert Raymundus in eius vita,putauit Christum petiuisse calicis accelerationem, propter deside-rium

D.Ambr.

Haymo.

D. Basil.

Origenes.

D. Hilar. Christus pro martyribus orauit hac oratione,trāseat à me calix iste.

D. Aug.

D. Catharina.

rium illud bibēdi, hoc sensu: Tempus est, vt hunc calicem, quem ab instanti conceptionis meæ bibi per desideriū, tandem aliquando re ipsa bibam. Et iō accelerari desidero. Nam semel haustus transibit à me, completa obedientia tua, & restituto tibi honore, & hominibus salute, &c.

A

Respōsio ad difficultatē

Respondendum est Christum pro se orasse Patrem vt acerbissimam mortē auerteret, si possibile esset. Hoc.n. apertè significat verba ipsa, *transeat à me calix iste*, Græcè, *παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο*, hoc est prætereat à me, vel prætereat poculum hoc: item illa, *transfer calicem hunc à me*, hoc est, non moriar si possibile est, non occidat; horret enim caro mortem Nonne cernebat Dominus totum hominū genus periturum si transiret calix, cur ergo petebat vt transiret? Respondetur, non petebat hoc volūtate absoluta, & deliberata, vt dicemus, sed cōditionata. Præterea iam iustitiæ diuinæ satisfecerat seuero iure, meritis præcedentibus; Orabat igit᷑ Dominus, vt à morte liberaretur. fortè etiam orabat vt liberaretur à vehementi illa mestitia, & dolore, quo animus eius angebatur vsque ad sanguinis sudorem; vt cū lætitia mortem posset pati. Quod nō esse concessum in cruce ostēdit illis verbis, *Vt quid dereliquisti me?* Non fuit hæc oratio sensualitatis Christi, id est, appetitus sensitiui; hic.n. appetitus orare nō potest, vt docet D Tho. 3.p.q. 21.ar.2. quia non potest sensibilia transcendere, & in Deum ascendere. Rationis est oratio, non sensualitatis, Dici tamen potest oratio hæc Christi sensualitatis, quia ratio huius Patri proponebat, quod erat in sensualitate; id est, appetitu sensitiuo. Vnde D Th. loco indicato; Christus (inquit) orauit secundum sensualitatem, inquantum scilicet ratio eius exprimebat sensualitatis affectum, tanquam sensualitatis aduocata, &c. de his capite sequenti agendum.

Christus petiit vt mortē pater auerteret.

Obiectio.

Responsio.

B

C

Oratio fuit rationis.

D. Thom.

Christus quomodo orauerit secundum appetitū sensitiuum.

CAPVT XI.

De oratione Christi in horto.

Non sicut ego volo, sed sicut tu.

Dvplex erat ī Christo secundū humanā naturā voluntas, vt docet D. Th. 3.p.q.18.ar.5. nimirū voluntas sensualitatis, idest, appetitus sensitiui, qui participatiuè voluntas dr̄; & voluntas rationalis. Rursus volūtas rationalis, vel consideratur per modū naturæ, vel per modū rationis. Voluntas vt natura, naturaliter fugit ea, quę naturæ sunt contraria; vt mortem, cruciatus, & similia. Voluntas aūt per modum rationis, etiam illa pōt cōplecti, quæ naturæ aduersantur; vt crucē, tormenta, opprobria, & alia huiusmodi. Quæritur ergo, de qua nam voluntate intelligenda sint hæc uerba Christi, *Non sicut ego volo*, Respondetur intelligenda esse, de voluntate sensualitatis, & de voluntate rationali considerata per modum naturæ. Etenim voluntas sensualitatis, siue appetitus sensitiuus Christi, mortem, cruciatusq; vehemēter horrebat; voluntas quoque rationalis considerata per modum naturæ, naturaliter eadem impendentia mala refugiebat. At eadem voluntas rationalis per modum rationis spectata, tā mortem, quàm tormenta omnia, & opprobria libentissimè complectebatur. Quamobrem verba Christi sic sunt interpretanda: Non fiat sicut ego volo, voluntate sensualitatis, & voluntate rationali per modum naturæ considerata. Voluntas sensualitatis, & volūtas vt natura; calicem transire volunt, at non sic fiat, sed fiat quod tu vis. *Pater* sanctissime: fiat uoluntas tua diuina, quæ eadem est mea. Sunt hæc verba Christi, non uoluntatis sensualitatis, aut uoluntatis rationalis spectatæ per modū naturæ, sed sunt voluntatis ratio-

Duplex in Christo voluntas. D. Thom.

D

Volūtas rationalis noxia fugit, sicut & sensualitas.

cio-

tionalis consideratæ per modum rationis; sic enim considerata voluntas rationalis passionem magna cupiditate excipiebat.

Ratio superior & inferior.

Præter hæc, Ratio duo habet munera: nam vel rationes diuinas, & æternas considerat; vel rationes humanas. A priori munere dicitur ratio superior, à posteriori ratio inferior; cum tamen vnus & idem sit intellectus. Voluntas autem rationalis deliberata, per modum rationis; vel rationem superiorem sequitur, vt si mortem homo expetat propter Deum, vel propter æterna præmia; vel sequitur rationem inferiorem, vt si dux mortem exoptet, ne veniat in manus hostium, & in triumpho ducatur. Quamobrem dubitatur, an Christi voluntas secundum rationem inferiorem vel superiorem, mortem repulerit: Respondetur Christi voluntatem secundum rationem superiorem, vehementer exoptasse, vtpote Deo gratissimam, & totius gratiæ hominum, gloriæque fontem; sed secundum rationem inferiorem respuisse, sub conditione, & Patris obedientia: nam secundum cursum naturæ rebus consideratis, nulla ratio erat, cur mortem deberet expetere.

Voluntas vel rõnem superiorem sequitur, vel inferiorem.

Obiectio.

Obiiciet sic aliquis iis, quæ diximus: Omnes motus appetitus sensitiui in Christo præuisi erant, ac voliti: ergo non poterant in illo esse motus vlli, qui a diuina voluntate dissentirent. Atqui Deus volebat Christum mori; ergo neque in appetitu illius, neque in voluntate vt natura, fuerunt motus ab hac Dei voluntate discrepantes. Respondetur voluisse Deum vt Christus vnicuique potentiæ animi permitteret agere & pati ea, quæ illi naturalia, & propria erant. Neque verò vitiosi erant illi naturales motus, quibus mors respuebatur sub Dei obedientia. lege D. Thom. 3. par. quæst. 21. ar. 2. quo rationes tres reddit, cur Christus hos motus expresserit, hac oratione: Ratio (inquit) exprimebat sensualitatis affectum; & hoc vt nos de tribus Christus instrueret. Primò, vt ostenderet se veram humanam naturam suscepisse, cum omnibus naturalibus affectibus. Secundò, ut ostenderet quòd homini licet secundum naturalem affectum aliquid velle, quod Deus non vult. Tertiò, vt ostendat, quod proprium affectum debet homo diuinæ voluntati subiicere, &c. lege Damasc. lib. 3. fidei, cap. 24.

Responsio.

D. Thom.

Cur Christus affectũ expresserit appetitus.

Obseruandum præterea cum Diuo Thoma hos motus appetitus sensitiui, & voluntatis, quos Christo tribuimus, quasdam fuisse velleitates. 3. par. quæst. 21. art. 4. Voluntas simpliciter hominis, (ait D. Thomas) est rationis voluntas; hoc enim absolutè volumus, quod secundum deliberatam rationem volumus: illud autem, quod volumus secundum motum sensualitatis, vel etiam secundum motum voluntatis simplicis, quæ consideratur vt natura, non simpliciter volumus, sed secundum quid; scilicet, si aliud non obsistat, quod per deliberationem rationis inuenitur. Vnde talis voluntas magis est dicenda velleitas, quàm absoluta voluntas. hæc ille. Itaque verba illa; *Non sicut ego volo*, non de voluntate absoluta, sed de velleitate intelligenda sunt. Similiter & illa, *Transeat à me calix iste*. neque enim absoluta voluntate, sed velleitate quadam hoc voluit Dominus, quam satis indicant illa etiam verba; *Si possibile est*, &c. Sciebat Christus absoluta quidem potentia possibile esse, quod postulabat; sed ex hypotesi vaticiniorum, & decreti Dei esse impossibile. Cur igitur petit impossibile? Quia non voluntate absoluta, sed velleitate petit. Absoluta voluntas his verbis significatur, *Non sicut ego volo, sed sicut tu*, vel vt Lucas loquitur; *Non mea voluntas, sed tua fiat*, &c lege Augustinum episto. 121. ad Probam, cap. 14. & concil. sextum Constant. Act. 4.

Motus appetitus sensitiui potius fuere in Christo velleitates.

Volũtas, & velleitas i Christo.

In horto Christus nõ petiit, vt calix trãsiret absoluta volũtate sed potius velleitate.

Morale.

HOrtus ille, siue Paradisus, in quo Adamum primũ collocauit, hortus

tus fuit inobedientiæ; hic hortus Gethsemani, in quo secundum cernimus Adamum, id est, Christum, hortus fuit siue paradisus obedientiæ, quam verba hæc maximè indicant, *Non sicut ego volo, sed sicut tu; Non mea, sed tua volũtas fiat*, &c. Arborem inobedientiæ, in illo horto tartareus agricolas Satanas seuit: arborem obedientiæ, in hoc cælestis agricola Christus plantauit proprioque sanguinis sudore rigauit. Adamus in horto leuissimum obedientiæ mandatum fregit; nimirum, ex hac arbore ne comedas. Christus in horto grauissimum obedientiæ præceptum seruauit, factus obediẽs vsque ad mortem. Adamus obediẽtiam violauit, ne Euam suam contristaret, vt Augustino placet lib. 11. de Gen. Christus animã suam vsque ad mortem contristauit, ne obedientiam quo modo læderet. Adamus Euam suadentem, vt pomum ederet, exaudiuit; Christus carnẽ suã sanctissimam, naturaliter postulantem ne mortem atrocissimam oppeteret, non exaudiuit. Adamus voluntati suæ & vxoris obtemperauit: Christus Dei voluntati suam subiecit; *Non mea*, inquit, *voluntas, sed tua fiat, Non sicut ego volo, sed sicut tu.*

Paradisus siue hortus obedientia.

Inobedientia Adami, & obedientia Christi.

Ex hac huius horti præclarissima arbore; Christi sudore sanguineo irrigata, surculos animo inseramus; appetitus motum, diuinę voluntati semper omnibusque in rebus, ex Christo subiicere discamus. Errantium astrorum orbes veluti furtim proprio motu mouentur: veruntamen primi mobilis rapiuntur impetu, motu alio. Eundem in modum, si errantia astra nostra, id est, errantes appetitiones, furtim aduersus diuina præcepta motu suo ferãtur, primi nostri mobilis, id est, diuinę volũtatis impetu reuocẽtur, & in oriẽtem rapiantur. Semper hæc corde verba sint infixa, *Non sicut ego volo sed sicut tu*. D. Chrys. hom. 84. in Matt. Sublimẽ (inquit) admirabilis Philosophiæ virtutem tradidit Dominus, cùm exemplo nos doceat, etiam natura horrore perculsa, ac renitente, esse Deum sequendum, &c. item Euthym. Dicens Dominus, *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*: docuit quod natura licet retrahente, sequi oporteat Dei voluntatem illamque propriæ voluntati præponere tanquã maximè vtilem, &c. Origenes: Suscipiens (inquit) naturam carnis humanę Christus, omnes proprietates impleuit, ut non in phãtasia habuisse carnem existimaretur, sed in veritate. Secũdum quòd in hoc loco orat, calicem passionis transire à se, sed non sicut vult ipse, sed sicut vult Pater. Quoniam proprium est omnis fidelis hominis, primum quidem nolle pati aliquid doloris, maximè quod ducit vsque ad mortem; quia homo est carnalis. Si autem sic voluerit Deus acquiescere, etiam contra voluntatem suam, &c. lege D. Leonem serm. 7. de passione.

Subiiciẽda voluntas Deo, etiam retrahente appetitu.

D. Chrys.

Euthym.

Dei voluntas sequenda, etiã natura renitẽte.

Origen.

Vult Deus, totus nos sua tradi voluntatis ordinationi.

Huc spectat illud Domini, Matthęi 16. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, &c. Tunc nosmetipsos abnegamus, cùm Deo dicimus: *Non mea voluntas, sed tua fiat*: crucẽq; tollimus & laborẽ nobis paratum, & Christũ sequimur. Spectat etiã illud D. Greg. Per victimas aliena caro, per obediẽtiam verò propria voluntas mactatur, &c. eximiam enim victimam offert qui voluntatem propriam offert, diuinæ voluntatis mactatam gladio, dicens: *Non sicut ego, sed sicut tu*. Legẽdus Bern. ser. 1. de conuersione S. Pauli, quo docet imitandum Paulum dicẽtem Christo; *Domine quid me vis facere?* non autem cæcum illum, cui Christus Marci 10. ait; *Quid tibi vis faciam?* Quàm pauci (ait Bern.) inueniuntur in hac perfectæ obedientię forma, qui suã ita abiecerint voluntatem, vt ne ipsum quidẽ cor propriũ habeant; vt non quid ipsi, sed quid Dominus velit oĩ hora requirant, dicentes sine intermissione: *Domine quid me vis facere?* Heu plures habemus Euangelici illius cæci, quàm Pauli imitatores; *Quid vis* (ait Dominus ad cæcũ) *vt faciam tibi?* Sic Bern. Paulum imitemur, non cæcũ; voluntatẽ sequamur Dei, nõ nostrã. nr̃a volũtas, voluntas Dei fit: non fit nobis volũtas vlla propria, quę à Dei voluntate dissentiat.

Matth. 16.

D. Gregor.

D. Bernar.

Marc. 10.

Obediẽtia.

tiat. Voluntatem propriã habere nulli subiectam, Dei est proprium, vt ait D. Anselmus lib. de simil. cap. 8. his verbis: Sicut corona soli regi cōpetit, sic propria voluntas soli Deo, &c. Hinc illud Heli. 1. Reg. 3. *Dominus est, quod bonũ fuerit in oculis suis, faciat*, &c. Sit ergo Dei voluntas regula nostræ, vt docet Augu. Psal. 35. Corrigenda, inquit, est voluntas tua ad voluntatem Dei; non voluntas Dei curuanda ad te, & rectum habebis cor. illi sunt recti cordes, qui sequuntur in hac vita voluntatem Dei, &c.

Propria voluntas solius Dei est, id est, nulli subiecta. D. Ansem. D. Augu. Regula nostræ voluntatis sit volũtas Dei.

CAPVT XII.

De reuersione Christi ad discipulos dormientes.

MATTHÆVS CAPITE XXVI.

ET venit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic, non potuistis vna hora vigilare mecum? Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Iterum secundò abijt, & orauit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et venit iterum, & inuenit eos dormientes; erant enim oculi eorum grauati. Et relictis illis, iterum adijt, & orauit tertiò eundem sermonem dicens.

MARCVS CAPITE XIV.

ET venit, & inuenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon dormis? non potuisti vna hora vigilare? Vigilate, & orate, vt nō intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro verò infirma. Et iterum abiens orauit eundem sermonem dicens. Et reuersus denuò inuenit eos dormientes, (erant enim oculi eorum grauati) & ignorabant quid responderent ei. Et venit tertiò, &c.

NON semel tãtùm orauit nocte illa Dominus, sed ter, vt Matthæus apertè docet; idem indicat Marcus. D. Lucas prolixius scripsit: prolixius orasse dixit, apparuisse Angelum, & sudasse sanguine: quoties orauerit dicere prætermisit. Postquã semel orauit Patrem, oues suas bonus pastor inuisit; ad discipulos rediit. At non orantes, aut saltem vigilantes inuenit, sed dormientes; nox enim & cibus somnum ferebant. D. Lucas ait dormiuisse præ tristitia. Difficile est, post cibum meltum hominem, nocturno vigilare tempore: nihil tamen difficile tãto cum socio Christo. Admonuerat Petrum, Iacobum, & Ioannem magister, vt somno obsisterent; *Sustinete*, inquit, *hic, & vigilate mecum*, &c. Dubiũ est, ad quosnã discipulos redierit Dominus, dormientesque repererit. Non enim omnes simul eodem erant in loco, vt suprà diximus, octo certo quodam loco reliquit, dicens: *Sedete hic donec vadam illuc, & orem*, &c. Assumpsit vero

Reuertitur Christus ex oratione ad discipulos.

An sit Dominus reuersus ad 3. discipulos, an ad omnes.

Digitized by Google

verò Petrum, Iacobum, & Ioannem, & in alium locũ duxit; ad orandumq; discedens sic monuit; sustinete hic, & vigilate mecũ, &c. Respondetur, Christũ ex oratione rediisse ad omnes discipulos, primum quidẽ ad propinquiores, Petrum, Iacobum, & Ioannem; deinde ad reliquos octo, qui magis distabant, quantum iactus est lapidis.

Responsio.

Dicit Petro, sic non potuistis vna hora vigilare mecum.

AD Petrum sermonem dirigit, eũque arguit, & reliquos. Precipuè Petrum arguit, quòd vna hora vigilare cũ illo non potuerint, qui dixerat; *etsi omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor.* item, *Tecũ paratus sum, & in carcerem, & in mortẽ ire,* &c. Præterea, quia reliquorũ primus erat, & dux, eique claues regni cælorũ traditurus erat. Siccine, inquit, ò Petre, non potuisti tu, nec potuere reliqui, vna hora vigilare mecum, in tanta anxietate constituto? Polliciti estis vos mecum morituros, & non valetis vna hora vigilare mecum? Marcus Christi verba ita refert, quasi ad solum Petrũ dicta sint; *Simon dormis? nõ potuisti, vna hora vigilare?* &c. Ex Matthæo colligitur dicta Petro præcipuè, & aliis quoque. Dicit Petro; sic non potuistis, οὐκ ἰσχύσατε, vna hora vigilare mecum? &c.

Petrũ præsertim arguit.

Ex his verbis q̃stio oritur, an Christus primæ precationi vnius horæ tẽpus tribuerit? ait enim, *nõ potuistis vna hora vigilare mecũ?* ergo vna hora vigilauerat, & precatus fuerat. Probabile est Dñm circiter vnã horã orasse. Verba non cogunt hoc fateri; siquidẽ potuit eo loquẽdi modo vti, quamuis totam vnam horam orationi non impenderit. Attamẽ non videtur sic fuisse locuturus, si horã precationi non tribuisset: imò si dimidiam tantùm tribuisset dixisset potiùs; non potuistis dimidia hora vigilare mecũ? quod faciliùs erat quam vna integra hora vigilare. illos enim arguit, quòd rem facilem non fecissent. Obiicies: Christus pauca verba protulit, *Pater si possibile est transeat à me calix iste,* &c. Nunquid in paucis his verbis horam insumpsit? Respõdetur, non esse spectanda sola verba, sed etiam affectum, & morã, qua illa proferebat, vel repetebat; summãque contemplationem. Præterea forsitan pro discipulis etiam orauit, ita vt horam ferè consumpserit.

An Christus primæ precationi tribuerit horã vnã.

Obiectio.

Responsio.

Dulcia sunt verba hæc vltima; *Vigilate mecũ.* Cũ Christo vigilat, qui ꝑpter Christũ vigilat, eximiũ sociũ hẽt. Cũ Christo orat, q propter Christũ orat; cum Christo ignominiis afficitur, verberibus, cruciatibus, morte; qui hæc propter Christum tolerat. Comes facundus (ait Publius) in via pro vehiculo est, &c. noster verò comes, in hac laborũ via, pro vehiculo, pro solatio, pro fortitudine, pro cibo, & potu, denique pro omnibus est, quia omnia est. Meritò Dauid Psal. 22. canit: *Et si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecũ es,* &c. hic enim comes mala oĩa pellit, bona omnia inducit. O felicissimũ hominẽ, de quo illud scriptum est Psal. 90. *Cum ipso sum in tribulatione,* &c. Nobiscũ est Dominus vigilãs, in tribulatione; nos vigilemus cum eo. Heu meritò de nobis conqueritur; *Non potuistis vna hora vigilare mecum.* Cum ludo, cum furto, cum mundo, cũ carne, cum Dæmone, multis horis vigilare possũt homines; Iuda vigilat cum Christo precando, peccata cõfessione expiando, concionẽ audiẽdo, lectioni sacrorum librorum, aliisq; similibus operibus vacando, nõ possũt, imo nolunt, vna horã vigilare. Nocte concubia, potuerunt principes sacerdotum, magistratus tẽpli, & seniores, vigilare cum Iuda; discipuli non potuerunt vigilare cum Christo.

Morale.

Comes eximius Christus orationis, &c.

Psal. 22.

Psal. 90.

Nemo cum Iuda vigilet, sed cũ Christo.

Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.

EXcitat Dominus discipulos; vt vigilent hortatur, & orent, ne intrẽt i tentationem. Duplex est sensus horum verborũ; *orate ne intretis in tẽtationem,* &c. Primus; orationi impendite tẽpus hoc, vt orationi vacantes tentationes superetis. Alter germanior est; orate,

materia verò orationis hæc sit, vt non intretis in tentationem. Petite à Deo hoc, vt non intretis in tentationem.

Morale.

Imminebat tētatio valida, ideo Dominus discipulos monet, vt oratione se muniāt, expetiuerat illos diabolus, vt cribraret sicut triticum; illa nocte hoc facere decreuerat: remediū & arma præbet Dominus; *Vigilate, & orate ne intretis in tentationem*. Intrare autē in tentationem, est à tentatione superari. iuxta quem sensum, non hortatur Dominus, vt petamus ne tentatio intret in nos, sed ne nos intremus in tentationem. Nam tentationes nobis inuitis intrant, non possumus oīa ostia, & fenestras illis occludere, possumus tamen non intrare in tentationem, id est, Deo iuuante tentatione non irretiri. Non potest volucris efficere, ne laqueus illi paretur à venatore: potest tamen laqueum non intrare. Eundem in modum, non possumus nos efficere, ne diabolus, caro, mundus, aliquando nobis retia tendāt; possumus tamen in externa retia non intrare. Quemadmodum volucris laqueos intrās illaqueatur; sic homo intrans tentationem capitur. Si igitur intret in nos tentatio, nos non intremus in illam.

Quid sit intrare in tētationem.

Tentationē non possumus impedire quomi nus veniat sed repellere possumus.

Alius sensus esse potest huius petitionis: *orate ne intretis in tentationem*. Hoc est, orate ne tentemini, orate Deū, petite ab illo ne permittat vos tentari. Verisimilior alter sensus: nam iam impendebat Christi comprehensio illa nocte, & Apostolorum tentatio. Suadet ergo Dominus vt orent ne ab impendente moxque exoritura tentatione capiantur, & absorbeantur. Theophyl. Non iubet, inquit, nos Dn̄s sine tētatione esse: nā tētationes nos coronant: sed ne à tētatione absorbeamur, & intremus in vētrē eius, quasi bestiæ cuiusdā, &c. Est tentatio, ex sententia Theophylacti, feræ similis, verbi causa, leænæ; inuadit illa nos, sed orādum est ne à crudeli leæna deuoremur, & in eius ventrem intremus.

Theophyl.

Contemplare quæso optime lector Christum vigilantē, & orātem, sanguineque madētem magno in dolore: discipulos verò dormientes. En tibi hominum, salutem suam negligētium, typū. Pro nobis vigilat Dominus, orat, sanguine perfunditur, cruciatur, cruci suffigitur, nos profundo mentis stertimus somno, æternamque salutem pro nihilo ducimus. Oculis animi clausis, neque vigilantem Deū pro nobis, neque orantem, neque sanguine cōspersum, neque cruci suffixum neque morientem cernimus. Iudas, & hostes Domini vigilabant; discipuli dormiebāt. Vigilant hostes tartarei, nosque oppugnant; nos dormimus. D. Bern. serm. 2. de Sancto Andrea: Nos, inquit, miseri, vicinis tot serpentibus, & igneis telis vndique volitantibus, inimicis insurgentibus, perniciosa securitate, & negligentia dormitamus: ac si non sit militia vita hominis super terram, &c. item: Hoc, inquit, est, quod me vehemēter terret, quod oīno timoris acerbissimi gladio transuerberat animam meā; quod inter tanta pericula minùs timorati, minùs exercitati, minùs quā necesse est soliciti videamur, &c. Quis leone circundatus dormire audet? Atqui D. Petrus ait, Diabolū tanquā rugientem leonē nos circumire, vt deuoret. Cæteris vigilantibus in media tēpestate, Ionas dormiebat; excitatus verò in ventrē ceti est præcipitatus. Similem in modū ii, qui cæteris vigilantibus dormiunt, salutēq; æternā minimè curant, in vētrē dæmonis præcipitantur; hoc est, à Dæmone deuorantur. circuit enim quærens quem deuoret: qui autem deuoratur, in ventrem mittitur.

Morale.

Vigilat Christus & nos dormimus.

Vigilat diabolus: nos somno premimur. D. Bern.

Quid cōtingat dormientibus.

Vigilate (ait Dominus) & orate; Duo petit, vigilantiam & orationem. Vigilantia oculos mētis aperit: oratio alas præbet, vt tentationē fugiamus. Vigilandū, vt laqueos videamus, orandū, vt orationis alis in cęlū subleuati, illos effugere possimus, *frustra enim iacitur rete* (Prouerb. 1.) *ante oculos pennatorū*, &c. Intret oratio nostra ad Deū, vt nos in tentationē nō intremus, iuxta illud Ps. 118. *Intret postulatio mea in conspectu tuo*, &c. Ps. 24. *Oculi mei semper ad Dominū quoniā ipse euellet de laqueo pedes meos*, &c. En tibi egregium remedium ad superandas tentationes. oculos

Vigilantia necessaria, et oratio, ad superandas tētationes.

Psal. 118. Psal. 24.

los vigilantes, per orationem in Deũ attolle, vigila, & ora ne intres in tentationem. Oculi tui semper ad Dominum aspiciant; ipse euellet de laqueo tentationis pedes tuos, vt dicere cum propheta possis, Psal. 118 *Posuerũt peccatores laqueũ mihi, & de mandatis tuis non erraui*, &c. Caue Iahelis lac, id est, carnis lacteas dulcesq; oblectationes, quæ somno animum demergunt, æternamq; vitam eripiunt. Iud. 4. Iahel fœmina duci Sisaræ sitienti, lactis propinauit vtrem; somno deinde correptũ priuauit vita. Sic caro nostra, Iahel nostra, dulces nobis propinat oblectationes, quæ nostrũ ducẽ, idest, intellectũ & rationem, sopiũt, nosq; vita priuãt. Caue Iahelem, caue illius vtrẽ, siue lactis siue vini: te enim inebriatũ orco dabit. Qui vigilat, oculos habet apertos; oculus mẽtis est intellectus, is igitur vigilat, qui intellectum apertum habet, eoque aperto tam æternarum rerum magnitudinem, quàm caducarum paruitatẽ, atque vanitatem contẽplatur. As dormit qui intellectus oculum clausum habet erga diuina atque æterna, rerumque caducarũ pondere grauatum. *Erant (inquit Euangelista) oculi discipulorum grauati*: Sic multorũ Christianorum intellectus grauati sũt grauique somno pressi, æterna neque cogitant neque curant. Custodis officium est vigilare. Vnde antiqui finxere aurea poma in horto Hesperidũ à vigilãte Dracone fuisse custodita, & Argum custodem filię Inachi iis fuisse centoculum: Custos quisque est non filiæ Inachi, sed animæ suæ, aurea custodit gratiæ poma. Vigilare ergo oportet, vt vigilantem illum draconẽ; animumque totum, vt Argũ, oculis habere plenum. Psal. 120. *Nõ dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel*, &c.

Lac voluptatum, est laqueus.

Quis dicatur vigilare, vel dormire.

Consideratio.

Vigilanter custodiẽda anima.

Ps. 120.

Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

Vigilare iussit, & orare discipulos, ne intrarẽt in tentationem. reddit rationẽ cur vigilare & orare tũc oporteret; videlicet, q̃a imminebat grauissima tentatio à dæmone & Iudæis, infirmæ carni, eratque opus Dei auxilio vt illam superarent. *Spiritus (inquit,) promptus est, caro verò infirma*. Primus sensus, & præcipuus horũ verborum est; Ne vestris cõfidite viribus, qui polliciti estis mortem, si oportuerit, mecum subire, vigilate, & orate, ne à tentatione imminente superemini, vires à Deo petite. Nam Spiritus quidẽ vester, prõptus atque paratus est, ad subeunda ꝓ me vitæ pericula; caro vero est imbecilla, mortẽque horret, & vitæ discrimina: ideo vigilandum vobis est, & orãdum; vt infirma caro adiuuetur, ac roboretur à Deo. Per carnẽ infirmam adoritur Dæmon Spiritũ: quẽadmodum duces, ea parte ciuitatem aggrediuntur, qua propugnacula sunt infirmiora. Sic Adamũ aggressus est, per imbecilliorem Euam. August. Psa. 48. Per carnem, inquit, labitur homo. Eua interior nobis caro nostra est. Quo modo illum hominem Adam diabolus per Euam supplãtauit; sic per carnem vult nos supplantare, &c. Vt infirmas vrbis partes, nituntur obsessi omni cõtentione munire; sic carnem infirmam necesse est omni conatu vigili oratione corroborare. In hanc sententiam interpretatur Theophylactus: Spiritus, inquit, prõptus est, vt me non abneget; & propterea vos pollicemini mihi hoc, sed caro infirma est. Et ita si non per orationem virtutem dederit Deus carni, periclitabimini. Sic ille. Et Tertull. ad Martyres. Non nobis, inquit, blandiamur, quia Dominus consensit carnẽ infirmã esse. Propterea.n. prædixit Spiritũ promptum, vt ostenderet quid, cui, deberet esse subiectũ, scilicet vt caro seruiat Spiritui, infirmior fortiori, vt ab eo etiam ipsa fortitudinẽ assumat, &c. Theophyl. Matt. 26. existimat, his verbis excusari à benigno Domino Apostolorũ sõnũ, qua si dixerit; Venia vos dignor, quòd non propter contẽptũ obdormiueritis, sed propter carnis infirmitatẽ. iuxta hãc interpretationẽ, Spiritus hoc loco, & caro, Spiritum & carnem significant discipulorum, vt putant Chrysost. D. Hilarius, Origenes, D. Hieronymus, Euthymius, & alii.

Viribus humanis non est confidendum.

Infirma caro, oratione corroboranda est.

Diabolus per carnem infirmam spiritum aggreditur.

D. August. Caro est Eua nostra.

Theophyl.

Improbi et carnem habent infirmã, & Spiritũ: probi carnem. *Origenes.*

Obseruat Origenes proborum esse hominũ Spiritum habere prõtum, carnem infirmã. At improbi non solũ carnẽ habẽt infirmam, sed etiam Spiritũ, sunt enim toti carnales. Ad Apostolos (inquit Origenes) vel ad similes dicit: *Spiritus promptus est, caro infirma.* Infidelium autem & Spiritus segnis est, & caro infirma. Sic ille. Infirmitas carnis iustorum (vt de naturali taceam) est mortificatio. Vnde idem Origenes sensu morali, sic hæc verba exponit: *Spiritus quidem promptus est: caro verò infirma*, id est, mortificata. Nam per mortificationem, effrenatæ carnis cupiditates infirmantur, infirmitate quadam salutifera. Qui Spiritum habet promptum, carnem mortificat; qui segnis est, eandem saginat. lege Origenem.

Mortificatio.

Secundus sensus.

Secundo sensu Spiritus & caro, sumitur pro Spiritu & carne Christi, à D. Athanasio citato in sexta synodo generali Constantinop. Act. 4. in epistol. Agathonis Papæ; à Beda, Marci 14. & aliis, Spiritus meus (ait Dominus iuxta hunc sensum) mea voluntas rationalis ac deliberata, prompta est ad passionem subeundam. caro verò, & carnis appetitus, humana quoq; voluntas, vt natura, propter infirmitatẽ carnis, cruciatus, mortemque refugit. Probant ex hoc loco Athanasius, & Beda, duas voluntates habuisse Christũ, alteram diuinam, alteram humanam. Haymo verò reddit rationem cur hęc verba nunc Dñs dixerit: Exponit Dñs (ait ille) quare superius dixerit: *tristis est anima mea*, quòd scilicet Spiritus ipsius prõptus erat ad passionẽ, caro infirma ad toleranda supplicia, &c.

Spiritus Christi prõptus ad passionem subeundam, caro infirma, refugiebat mortem. *Haymo.*

Tertius sẽsus.

Tertio sensu accipitur à nonnullis Spiritus pro Cacodæmone, vt Lucæ 9 & 10. hunc in modum; Vigilate, & orate, ne tentatione capiamini; nam Spiritus tentator promptus est ad tentandum; caro autem vestra est infirma ad superandas tentationes; quod satis ostendit in superando somno. promptissimus est diabolus, & paratissimus ad tentandum; si facultas detur, Iob 1. *Circuiui*, inquit, *terram, & perambulaui eam*, &c. videlicet ad tentandum promptus 1. Petri 5. *Circuit quærens quem deuoret*, &c. prõptus & velox sicut Leo rugiens. D. Gregor. lib. 3. dialog. capit. 19. Malignus Spiritus cogitationi, locutioni, atque operi nostro semper insistit; si fortasse quid inueniat, vnde apud examen æterni iudicis accusator existat, &c. Cõfirmat eodem loco rem hoc exemplo; Vis, inquit, nosse quomodo diabolus ad decipiendum semper assistat? Vir vitæ venerabilis Stephanus noĩe, Valerię Prouinciæ presbyter fuit. qui quadam die de itinere domum regressus, mãcipio suo negligenter loquens præcepit, dicens: Veni diabole, discalcea me. Ad cuius vocem mox cęperunt se caligarum corrigiæ, in summa velocitate dissoluere, vt apertè cõstaret, quod ei ipse qui nominatus fuerat, ad extrahendas caligas diabolus obedisset. Quod mox vt vidit, vehementer expauit, magnisque vocibus clamare cępit dicẽs; Recede miser, recede, non enim tibi, sed mancipio meo locutus sum. Qua in re colligi potest, antiquus hostis, q̃ tã præsto est factis corporalibus, quã nimiis insidiis, nostris cogitationibus insistat. Hactenus D. Greg.

Diabolus Spiritus prõptus ad tentandũ. Caro nostra infirma.

D. Gregor.

Historia ex D. Gregor.

Promptitudo diaboli in famulatu.

Iterum secundò abiit, & orauit.

POstquam discipulos inuisit, & monuit Dominus, ad orandum reuersus est; orationemque eandem repetiuit *Iterum abiens* (inquit Marcus) *orauit, eundem sermonem dicens*, &c. Postquam secundò orauit, secundò Apostolos inuisit, & dormientes inuenit. *Erãt enim* (aiunt Matth. & Marc.) *oculi eorum grauati*, id est, somni pondere pressi, idcirco dormiebant. grauabat somnus oculos, somnum cibus, nocturnum tempus, mœstitiaque aduocabãt. *Relictis illis* (ait Matthæus) *iterum abiit & orauit tertiò*, &c. Marcus autẽ; *Erant oculi eorum grauati, & ignorabant quid responderent ei*, &c. Quæritur, an Dominus discipulos affatus sit aliquibus verbis, quibus illi respondere non potuerint? Respondetur, ad illos venisse, sed nihil dixisse; aduentu tamen excitatos

Reuertitur Dominus ad discipulos secundò & tertiò.

Domino nihil responderũt Discipuli.

àsom-

à somno, ignorasse quid responderent ei, hoc est, quomodo somnum suum à Domino iam reprehensum excusarét. Non enim legitimæ illis excusationes occurrebant, vel videbantur, quas cõmemorauimus; nimirum cibus, tempus nocturnum, & mœstitia. Itaque, vt Matthæus ait, *illis relictis iterũ abijt, & orauit tertiò*; vt capite sequenti videbimus. Tertiò orauit, tertioque ad discipulos reuersus est, & dormientes reperit.

Hominum socordia & somnus.

O lethargum hominum, horum discipulorum somno figuratum. admonet nos millies Deus ne dormiamus, nostræ verò salutis diligentem curam geramus; nos surda aure eodem in veterno perseueramus. Aduocabat somnum discipulorum, cibus, nox, tristitia; nostrum spiritualem somnum, aduocat saturitas, resque prosperæ, aduocat nox peccatorum, crassaque caligo, aduocat tristitia, quam in rebus diuinis inesse falsò diabolus persuadet, cùm sit in eis summa lætitia. Adeste in horto Prælati, prælatorum omnium exemplar intuemini; in tanta anxietate & mestitia, hostibus necem parantibus orat, & post orationem familiam suam visitat, dormientesque excitat. Docet vos orationi vacare, oues visitare, vultumque pecoris cognoscere. Ignorabant discipuli quid Domino responderent, & quomodo somnum excusarent. Heu quid respondebũt pastores Christo, qui oues non inuisunt, dormientesque non excitant, sed ipsi dormiunt, de ouibus parum solliciti? ignorabunt quid respondeant ei, quoque modo perniciosissimum & sibi, & ouibus somnum excusent? Visitandæ oues sunt non semel, sed iterum, atque iterum, & sæpius, sic Christus suas visitat. Si diabolus tanquam rugiens leo circuit, quærens quem deuoret, inuidia ductus & odio; quid facere oportet prælatum, Dei & ouium amore cõcitatum? circuit diabolus oues, circumeat ipse quoque pastor, neque patiatur hac in re superari à lupo & leone Psal. 120. *Non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel*, &c. Si vis Israelem custodire, id est, Dei populum, vigilandum tibi est; non dormiendum, aut dormitandum, sæpeque visitandæ oues.

Prælati orẽt & oues visitẽt, exẽplo Christi summi pastoris.

Pastori est inuigilandum gregi, ne qua ouẽ rapiat diabolus.

Sæpiùs autem orauit Dominus, non semel tantùm, eidemque petitioni institit; vt doceat nos non semel tantum quòd cupimus petere, sed sæpe, etsi nõ cõceditur. Hinc illud Pauli 2. Cor. 12. *Propter quod ter Dominum rogaui*, &c. Lucæ 18. habes viduæ parabolam, quæ crebris petitionibus iudicium à iudice impetrauit: & Lucæ 11. parabolam amici postulantis nocte perseueranter ab amico tres panes.

Sæpe andæ res à Domino petẽda.

Digitized by Google

CAPVT XIII.

De tertia Christi oratione, & sudore sanguineo.

LVCAS CAPITE XXII.

APparuit autem illi Angelus de cęlo confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et cùm surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia. Et ait illis: Quid dormitis? Surgite, orate ne intretis in tentationem.

Apparuit illi Angelus.

D. Lucas vnius tãtum meminit orationis, deinde subiecit, Angelũ Domino apparuisse, factũque in agonia sudasse sanguine. Videtur ergo significare, Angelum post primam orationem apparuisse. Iansenius quidem credibile iudicat, non semel tantũ apparuisse, sed ter in tribus orationib. Veruntamen credibilius est, semel tantũ apparuisse, post tertiam orationẽ, cũ Christus sanguineum sudorem emittebat. Cùm enim venerit vt eum confortaret, tunc idoneum fuit confortationis tempus, potius quàm in prima, aut secunda oratione. Lucas verò per ὕστερον πρότερον, ordinem rei gestæ nõ curans, quod posterius factũ est, priori loco commemorauit. itaque de Angeli apparitione postea dicemus.

An Angel⁹ apparuerit Domino ter.?

Factus in agonia.

DVbitatur quænam fuerit hæc Domini agonia? Non vult Iansenius concedere, hãc agoniam fuisse pugnã aliquam, inter carnem Christi recusantem cruciatus, & Spiritum eosdem desiderantem, atque complectẽtẽ. Cõcedit tamẽ Dionysius Carthus. in agonia enim factum, interpretatur factũ in certamine quodam interno, & lucta, qua naturalis, & sensitiuus Christi appetitus, & deliberata eius voluntas inter se quodammodo certabãt: hæc mortẽ amplectebatur, ille refugiebat. huiusmodi pugnã cõcedit etiã i Christo Lyranus, Card. Hugo, & alii. Iustinianus lib. de Christi agone c. 6. O quã mirandum, inquit, certamen; ò quanta pugna, in Christo carnem aspicere repugnare Spiritui, & Spiritum carni, &c. Illud tamen aduertendũ fuisse certamen hoc voluntarium: potuisset enim Christus efficere, vt appetitus mortem nullo modo recusaret: voluit tamen illũ quæ propria sibi erant agere; vt maiorem subiret dolorem. Pręterea appetitus etsi naturaliter crucem refugiebat, diuinæ voluntati, & humanæ deliberatæ, omnino obediebat; idque recusabat quod diuina voluntas, & humana deliberata eũ recusare volebant. Quamobrem non fuit propriè pugna hæc, & certamen inter volũtates contrarias. Lege sextã synodũ, in qua definitũ est, has voluntates nõ fuisse contrarias, etsi diuersa appeterent. Vocabulũ aũt, ἀγωνία, agonia, quo vtitur Lucas, luctã significat, & certamẽ. ideo pro certamine hoc Domini accipi potest. Significat etiã mærorem, & anxietatẽ, & horrorẽ, quo corripi solent homines graui vrgẽte certamine & periculo. In hac significatione ꝓbabili⁹ sumit agonia hoc loco, vt ẽt vult Ian-

Quomodo Christus factus sit in agonia.

Iustinian.

Certamen Christi voluntarium, & agoniæ.

Quid sit agonia.

Iansenius. Nam quod Euangelista Matthæus aliis verbis dixit; *cœpit contristari, & mœstus esse*, &c. Et Marcus; *cœpit tadere, & pauere, &c.* Lucas his explicauit, *factus in agonia*, idest, in magna tristitia, & horrore, anxietateque animi constitutus.

D. Gregor. D. Grego. lib. 24. Mor. cap. 7. arbitratur Christum hac agonia, morientium expressisse agoniam, & certamen. Appropinquante, inquit, morte, Christus nostræ mentis in se certamen expressit: qui vim quandam terroris, ac formidinis patimur, cum per solutionem carnis, æterno propinquamus iudicio. Neque enim tunc cuiuslibet anima immerito terretur, quando post pusillum hoc inuenit, quod in æternum mutare non possit. Sic ille. Iusto tunc adest Angelus confortans eum, illudque euenit Psal. 90. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te, in omnibus vijs tuis;* (in morte vsque in cælum) *in manibus portabunt te* (in morte præsertim) *ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem; Quoniam in me sperauit, liberabo eum, protegam eum quoniam cognouit nomen meum. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum. Cum ipso sum in tribulatione* (mortis.) *eripiam eum, & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum*, &c. O pretiosam mortem sanctorum? ò mortem impiorum pessimam? Heu quis eorum agoniam in morte, & post mortem poterit explanare? Absunt Angeli confortantes; adsunt Leones, Aspides, Basilici, Dracones, quos illi non conculcant, sed ab illis conculcantur, & tartareos, in rogos rapiuntur. *Ibi dolores, vt parturientis*, Psalm. 47. *in Spiritu vehementi conteres naues Tharsis*, &c. Parturientis dolores, & agoniæ eueniunt impiis, cum impiam Orco pariunt animam. Tunc naues Tharsis magnæ, diuitiis voluptatibusque onustæ conteruntur, diuitiarum onus deponunt, æternisque flammis demerguntur.

Formido hominis, & agonia in morte.

Psal. 90.

Mors iusti habet confortantem Angelum.

Agonia impij in morte.

Psal. 71.

Prolixius Orabat.

Videtur D. Lucas, totum tempus, quo tres Christi precationes durarunt, his verbis cōprehendisse. *Prolixius orabat*, &c. hoc est, factus in agonia, magno mœrore affectus, & horrore, orauit prolixius, videlicet ter. Rogabit aliquis, quam prolixè orauerit? Respondetur, Dominum ter orasse. Primæ orationi, vt supra dictum est, circiter horam vnam tribuit, iuxta illud; *sic, non potuistis vna hora vigilare mecum?* &c. Secundæ, verisimile est, tantum temporis tribuisse, similiter, & tertiæ. Tres horas in cruce perstitit; tres in oratione. prolixius ergo orasse dicitur, quoniam trium horarū spatio orauit. Finem videtur imposuisse circiter noctem mediam. Nā cum Iudas ex cœnaculo discessit, vt Ioannes scribit cap. 13. nox erat. post Iudæ discessum, longum Dominus sermonem habuit, ab eodem Euangelista descriptum cap. 14. & sequentibus; tum in hortum venit, hora ferè nona nocturna; tribus verò horis vsque ad mediā noctem orationi vacauit.

Quot horis Christus orauerit.

Docet nos Dominus orare prolixius, longumq; tempus orationi impendere. Qui tamen longū impendere non pōt, saltē impendat breue, neque orationē omittat; quia, vt ait D. Chrisost. lib. 2 de orando Deo, Si te ipsum destitueris deprecatione, perinde feceris, ac si piscē ex aqua extraxeris. Vt n. pisci aqua vita est, ita tibi deprecatio, &c. Act. 17. *In ipso* (ait Paulus) *viuimus mouemur, & sumus*, &c. Sicut pisces in mari viuunt, mouētur, & sunt; sic, multoq; magis, nos in Deo totius vitæ Oceano viuimus, in ipso mouemur, & sumus, corpore atq; aīo Christus factus ī agonia ad orationē abiit; sic nos in agonia, in mœstitia, & angore, ad orationē confugiamus, iuxta illud Iacobi cap. 5. *Tristatur aliquis vestrum oret*, &c. Qui tenebras pellere domo vult, fenestram soli aperit; similem in modum, qui mœstitiæ caliginem pellere ex animo cupit, orationis fenestram aperiat, Christique radios excipiat, iuxta illud Psalm. 33.

De oratione.

D. Chrisost.

Act. 17.

Simile.

Iacob. 5.

Psal. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestra non confundentur,* &c. Sit autem oratio intenta. prolixius orabat Dñs, Græcè ἐκτενέστερον προσηύχετο, idest prolixius, siue intentius orabat. quæ versio extat in Bibl. reg. Ne officiat prolixitas intentioni, neque intentio prolixitati. Sit item pinguis, idest, deuota, & humilis; oremus in Gethsemani, idest, in valle pinguium. Beda; Cum in valle, inquit, pinguium orat Dominus, insinuat nobis humilitatem semper in orationibus, & internæ pinguedinem dilectionis esse seruandam, &c.

Orationis conditiones.

Beda.

Et factus est sudor eius, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.

DIVVS Lucas, vt diximus, orationem Christi literis mandauit: quoties autem orauerit, quoties ad discipulos reuersus fuerit, & an in tribus orationibus sanguinem sudauerit, an verò, in vna tantum, & quænā hæc fuerit, memoriæ non prodidit.

Dubium ergo est, an in tribus orationibus Christus sudorem sanguinis effuderit, an verò in vna tantummodo, & quænam illa sit. Respondetur, sudorem sanguinis effudisse in sola tantū oratione tertia, atque extrema, mœrore excrescente, atque inundante. Iansenio placet, Angelum in tribus orationibus apparuisse; non omnino id displicet. Dici posset, Christum tā in prima quam in secunda, & tertia oratione, sanguinē sudasse pro summo angore animi, quo erat affectus; absterso autem ter sudore ab Angelo assistente, ad discipulos ter rediisse.

In tertia oratione sudorē sāguinis emisit Dominus.

Dubium secundum est, an verè Dominus sanguinem sudarit? Etenim Lucas sic scripsit: *& factus est sudor eius, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram,* &c. Sicut guttæ, inquit, sanguinis, id est, similis guttis sanguinis. Nō ergo erat sudor, sanguinis guttæ; sed sicut guttæ sanguinis. Quamobrem Euthymius neganter respondet his verbis: Significat Euāgelista, nō quod sanguinem sudarit, sed quod crassos deduxerit dominus sudores Respondendum est sanguineum fuisse sudorem. Sixtus Senensis lib. 1. Bibliothecæ, sect. 2. hunc affert anathematismū ex D. Athanasio: Si quis negauerit, verum hominem, quem filius Dei assumpsit, sanguinem sudasse, anathema illi, &c. Particulam, *sicut*, qua vtitur Lucas, nonnulli aiunt significare hoc loco, non similitudinem, sed veritatem quemadmodū Ioā. 1. particula, *quasi*, veritatē significat. *Vidimus gloriā eius gloriā quasi vnigeniti à Patre,* &c. vt eo capite explicatum est. Potest etiā particula, *sicut*, similitudinem iudicare hoc sensu: factus est sudor eius sanguineus similis guttis, quia guttatim decurrebat, guttis, inquam, non quibuscunque, sed, θρόμβοις, vt Græcè legitur. Sunt autem thrombi, vt Græcus Euthymius explicat, crassissimæ guttæ. Significat nomen grumos, idest, globos, quocirca apud D. Irenæum, lib. 3. cap. 32. legimus Christum sudasse globos sanguinis: & apud D. Iustinum in dialogo, sudorem hunc Domini instar sanguinis concreti defluxisse. Sanguis enim defluens, ob circumfusam aeris frigiditatem, cōcrescebat in thrombos, id est, grumos siue crassiores guttas sanguinis. Præterea significare potest particula, *sicut*, Christum non sudasse sanguinem solum, sed aliis humoribus permixtum; hoc pacto: Factus est sudor eius non sanguis merus, sed similis crassis guttis sanguinis, quia sanguine erat admixtus. Nam vt Lyranus ait, non solū humores per sudorem effluebant, verū etiam effluebat sanguis sudorem intingens.

An verè Dominus sudorē emiserit sanguinis.

Euthym. 3.

Sixtus Senensis.

Ioan. 1.

De guttis sāguineis.

D. Irenæus

Sanguis Christi in guttas concrescebat.

Dubium tertium est, fueritne sanguineus hic sudor naturalis, an miraculo tribuendus? Negant fuisse Naturalem nonnulli. Et D. Ilarius lib. 10. de Trinitate; Sudorem, inquit, Christi nemo infirmitati audebit deputare. quia & contra naturam est, sudare sanguinem. Nec infirmitas est, quod potestas, non secundum naturæ consuetudinem, gessit, &c. Gabriel in tractat. de passione art. 4. Secundum Bedam (ait Gabriel) sanguis quidem ille natura-

D. Hilar.

Beda.

An sudor fuerit miraculosus? Responsio authoris.

naturalis fuit; sed effusio eius cum sudore fuit miraculosa; vt tali signo insolito, à sæculis non audito, insolitam anxietatis suæ, & doloris magnitudinem demonstraret Christus, &c. lege Bedam Lucæ 22. Respondendum, verisimilius esse naturalem fuisse sudorem sanguineum, ex naturali angore profectum. Indicabat sudor ille visibilis angorem Christi inauditũ, qui cerni non poterat: angor, qui indicabatur, naturalis erat, sudoris ergo indicium similem in modum erat naturale, & naturaliter indicabat angorem. Neque verò vires naturæ superat sudor sanguineus; vt enim Aristoteles ait lib. 3. de hist. animalium, cap. 19. iã nonnulli sudore cruento exundarunt.

Maldonat.

Maldonatus noster Matth. 26. refert, Lutetiæ Parisiorum robustum hominem, & bene valentem, audita in se capitali sententia, sudore sanguineo fuisse perfusum. Episcopus verò Conimbricensis in Lucam tract. 225. scribit, feminam mariti mortem, vsque ad lacrymas sanguineas, in hoc Lusitaniæ Regno deplorasse. Quædam, inquit, matrona, in hoc regno tot effudit lacrymas orbata viri sui coniugio, vt deficiente humore, sanguinem per oculos funderet, &c. Miraculum forsitan factum est, vt tantus ille animi angor Christo mortem non afferret; at naturale fuit ex tanto angore, sanguinis illum sudorem effluere.

Quæ fuerit causa sudoris sanguinei.

Dubium quartum est, quæ nam fuerit causa huius sudoris inauditi? D. Hieronymus lib. 2. aduersus Pelagianos existimare videtur, causam fuisse orationis vehementiam, & ardorem.

D. Hieron.

Tam vehementer, inquit, Saluator orabat, vt guttæ sanguinis prorumperẽt ex parte, quem totum erat in passione fusurus, &c. fauet verbum Græcũ, quo vtitur D. Lucas, prolixius orabat, Græcè ἐκτενέστερον, quod verti pò, *intentius*, vt est in Reg. Bibl.

Gerson.

Gerson, in lib. de Passio. Christi, textu 2. causam sudoris putat fuisse gaudiũ: Facilè, inquit, est creditu, quod cum ratio Christi cognosceret, sensualitatem eidem esse obedientem, (scilicet ad moriẽdum) suscepit ex hoc in Deo singulare gau- A dium, & naturalem feruorem atque vigorem; per quem totus sensualitatis sanguis fuit commotus, & processit sanguinis sudor, &c. Non placet opinio, quia Christi appetitus in potestate erat Christi, illique obediens, quem tũc permisit agere propria. Respondetur, causam inauditi sudoris sanguinei fuisse inauditam Christi agoniam, quod Lucas significat cũ ait:

Sententia authoris.

B *factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis*, &c. videlicet propter agoniam, animique ingentem angorem quem sponte pro peccatis nostris suscepit.

Passio Christi externa & interna.

Duplicem Christus passionem subire voluit. Poterat ille anima lætissima mortem subire, dolores corpori relinquere. Sed tam animo, quam corpore acerbissimè pati voluit, atque in primis animo, quia ab animo peccata hominum initium sumunt. C Corpus passione externæ, quatuor clauis cõfixus est cruci externæ; animus verò passione internæ, quatuor item clauis confixus est cruci internæ.

Corpus confixũ est cruci externæ 4. clauis. animus cõfixus cruci internæ 4. item clauis internis.

Primus clauus fuit sanctissimæ carnis cruciatus, mors que acerbissima. Secundus clauus dolor atque contritio pro peccatis omnium hominum suscepta, quæ ante oculos habebat, dolebatque pro iis, ac D si essent propria. Tertius, populi sui Israelitici propter mortem suam deuastatio. Quartus, tot hominum in æterna tormenta damnatio, quibus culpa sua passio non attulit salutem; Iudæ discipuli scelus ac desperatio, & discipulorum scandalum. His quatuor clauis confixa anima cruci internæ, tristis erat vsque ad mortem, & facta erat in agonia, vt cum Luca loquar, &

Causa doloris & angoris Christi.

E factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis. Quod si in alio homine hæc non essent satis ad sanguineum sudorem fundendum, in Christo Deo, & homine satis superque fuerunt, cuius intellectus humanus (vt de diuino nihil dicam) perspicacitate omnium Seraphinorum intellectum vincebat, & ex omnia quæ proposuimus, eorumq; circumstantias omnes, perspicacissimè cernebat; dolorum, & tormentorum omniũ pondus, statera fidelissima pon-

Humanus Christi intellectus superabat perspicacitate Seraphinos.

pōderabat; peccatorum infinitorum pro quibus subibat mortem, grauitatem apertissimè intuebatur; populi Israelitici ex quo fuerat ortus excidium, hominumque absque numero æternis Orci flammis damnatorum, æterna tormenta; omnia ante oculos habebat. Quis si hæc sic videret, vt Dominus videbat, eaque charitate arderet, qua ille ardebat, non sudaret sanguinem? Mirum quod animam non exhalarit præ dolore, tanta charitate, totque malorum conspectu perculsus. Animam exhalare voluit in cruce externa; sudorem sanguineum exhalare voluit in cruce interna; vt ex sudore in aspectum cadente, quantus dolor esset intelligeretur is, qui in aspectum non cadebat. D. Iustinus in Dialogo: Sudor, inquit, Christo instar concreti sanguinis defluebat; quod scilicet, cor eius contremisceret, eiusque ossa pari modo; & cor eius simile esset ceræ, quæ in vētrem liquore defluat, &c. Existimat ille tunc impletum illud Psal. 21. *Factum est cor eius tanquam cera liquescens in medio ventris mei.*

D. Iustin.

Psal. 21.

Caietanus Luc. 22. opinatur Christum sanguinem sudasse quod defecerit sudoris materia. Deficiēte, inquit, aquositate sanguinis, quæ est materia sudoris; non nihil quoque sanguinis emisit. erat enim corpus exhaustum, & magnitudo passionum pellens violenter sudorem, pepulit simul aliquid sanguinis deficiente sudoris materia, &c. Iuxta hanc sentētiam dici potest, Dominum summo oppressum mœrore, ac pauore vbertim sudare cœpisse; deinde sudoris materia deficiente, naturam subministrasse sanguinem; Vel dicēdum tantum fuisse angorem, vt simul cum ipso sudore sanguinem emiserit.

Caiet. opin.

Obiectio. An Christi Sanguis, cū fluxerit ad cor.

Obiicitur: Timoris, & mœroris est, sanguinē ad cor vocare; Christus magno erat in timore, & mœrore: ergo sanguis ad cor eius, non ad sudorem externum confluxit. Responderi posset, non cōfluxisse sanguinem ad cor quia Dominus hoc etiam solatio, se voluerit priuare per miraculum. Respondendum potius, sanguinem quidem ad cor, vi timoris & angoris confluxisse: sed vi obedientiæ, & amoris, timorem, & angorem superantis, inde ad externas partes fuisse repulsum, prorupisseque in sudorem. Ex hac responsione sequitur, sanguinei sudoris causam potius fuisse obedientiæ, & amoris vim, quæ sanguinem ad externas partes euocauit, quam mœrorem. Dici potest fuisse hanc causam immediatam, agonem verò fuisse mediatā, vel respondetur, timorem summum, & angorem sudorem effecisse; sanguineumque sudorem deficiente materia erupisse. Præterea non omnis sanguis ad cor confluxerat, potuit ad cor confluere, & materiam sudori sanguineo suppeditare.

Responsio autoris.

Potest dici sanguinem ad externas partes euocatū vi obedientiæ, & summi amoris.

Extremum dubium est; An hæc oratio Christi fuerit exaudita. Videtur enim non fuisse exauditus, siquidem postulauit, vt transiret calix, & non transiuit. Respondetur cum D. Thom. 3 pa. q. 21. art. 4. exauditum fuisse. Tūc exauditur is qui orat, cum id quod secundum voluntatem rationis deliberatam vult, illi conceditur. Christo autem Pater etsi non concesserit, quod secundum carnis affectum, & velleitatem postulabat, id tamen concessit, quod secundum voluntatem rationis deliberatā maxime desiderabat, quodque secundum absolutam voluntatem volebat, & petebat. Obiicitur, Christus hac oratione solum petiuit, vt calix transiret, hoc non est concessum; ergo non est concessum, quod petiuit. Respondetur, non solum illud, sed aliud etiam petiuisse illis verbis: *Non sicut ego volo, sed sicut tu*, nimirum, vt fieret Patris voluntas mortemque crucis subiret, quod concessum est. Probari etiam potest Christum exauditū ex verbis Pauli ad Hebr. 5. *Qui in diebus*, inquit, *carnis suæ, preces supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia*, &c. Arbitratur enim Theodoretus, Anselmus, & alii, Paulum de oratione loqui, de qua nunc agimus.

An Christi oratio, fuerit exaudita.

Obiectio. Exauditus Dominus secundū voluntatē deliberatā & absolutā. Responsio. Hebr. 5.

Quamuis nos exaudiri non experiamur; in oratione perseuerandum est,

est; non enim irrita erit vt docet D. Bernar. in ferm. 5. in Quadrag. Nemo inquit, vestrum fratres paruipendat orationem suã; dico enim vobis, quia ipse ad quem oramus, non paruipendit eam. Priusquam egressa sit ab ore nostro, ipse scribi iubet eam in libro suo. Et vnum indubitanter è duobus sperare possumus; quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis nouerit esse vtilius, &c.

Nobis orãtib. aut cõcedit Deus quod petimur aut quod vtilius est.

CAPVT XIV.

De Angeli apparitione, item de sudore Christi.

APparuit (ait D. Lucas) *illi Angelus de cœlo confortans eũ:* Apparuit, inquam, in extrema oratione, post sanguineum sudorem: nam Lucas vsus est anticipatione, prius q; narrauit apparuisse Angelum, quam Dominum sanguineum sudorem emisisse. Quomodo apparuerit, si quæras; respondetur apparuisse assumpto corpore pulcherrimo, atq; splendido. Noster Vazquez 3. p. q. 12. disp. 56. putat Angelum confortasse ante sudorem Christum: post colloquium verò Angeli, & confortationẽ, creuisse dolorem, sanguinẽq; sudasse. sed verius est post sudorẽ, imò in ipso sudore confortatum Dominum. Quomodo verò Angelus confortarit Christum, grauius dubium est. D. Epiphanius hæresi 69. & in Ancorato, confortationem Angeli, interpretatur fuisse Christi laudationem Admiratione (inquit, ductus Angelus dicebat ad ipsum, glorificans, & benedicens proprium Dominum in stadio consistentem: Tua est adoratio, tuum est dominium, tua est potentia, tua est fortitudo; vt impleret id quod à Mose scriptum est; *Confortent ipsum omnes Angeli Dei.* Hæc ille. Probat suam interpretationem verbis Mosis Deut. 32. iuxta versionem Septuag. Interpr. *Confortent ipsum*, id est, laudent, & fortè prædicent Deum, omnes Angeli eius. Similem in modum cum ait Lucas, *Apparuit Angelus confortans eum;* intelligi potest, apparuit Angelus fortem Christum prædicans. Item S. Titus; Non id, inquit, factum est, quod Christus Angeli confortatione indigeret, verum, vt illud impleretur Cantici Mosis; *Et confortent illum omnes filij Dei.* Etenim propter summum rei miraculum, Angelus non citra illustrem laudem, pronamq; adorationem, eiusmodi oratione eum affatus credi potest: Tua Domine est virtus, tua est potentia: tu enim aduersus mortem, infernum, & diabolum, victoriam, & regnum obtinuisti, &c. lege etiam Theophylactum. At verò aliquid amplius requirere videtur confortatio, quàm laudes. Non sine causa vsus est Euangelista verbo confortare, & non verbo laudare. Respondetur verbum confortare hoc loco significare, fortem efficere, & roborare. Confortasse ergo dicitur Angelus Christum, quia eum consolatus est verbis, laudibus; externo aspectu, & sudoris sanguinei abstersione, aliisq; modis nobis ignotis. lege D. Thom. 3 par. quæstio. 12. artic. 4. vbi Caietan. Non eguit, inquit, Christus instrui ab Angelo, sed eguit exteriori ac sensibili propositione obiecti seruatiui inferioris partis, &c. Fuit autem opus hæc Angeli confortatio, quia Christus se ipsum confortare nolebat, omnemque consolationem propter nos sibi denegabat. Præterea opus fuit, vt ostenderetur, eos, qui propter Deum labores perpetiuntur, & orant, ab Angelis corroborari. Tertiò opus fuit ad ostendendam naturæ humanæ veritatem. In deserto illi ministrarunt Angeli, vt Beda ait, vt diuinitatem indicaret Domini sui: in horto Angelus confortauit, vt Deum factum esse hominem ostenderet, D. Epiphanius in Ancorato, ait Angelum coram discipulis visum A Christo quidem visus est, à discipulis minimè, non enim dormirent, si viderent.

Quomodo Angelus Christũ cõfortauerit. D. Epipha.

Deut. 32.

S. Titus.

Responsio authoris.

Morale.

De sudore sanguinis.

MEritò sanè vocatur hic hortus Gethsemanî, idest, torcular pinguium, torcular enim Christo fuit, nostrorumque criminum prælo grauissimo, terræ repromissionis diuinũ botrum pressit. Onus meum leue est ait Dominus; at onus nostrum graue est, & prælum amarum. Nos febrim incurrimus, ille pro nobis sudorem effundit. Væ illis, quorum febri sudor hic non affert sanitatem. Ezech. 24. *Multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius*, &c. Item, *Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis*, &c. Heu multo Dei labore, doloreq; sudatum est, & non exiuit de multis hominibus nimia peccatorum rubigo, nimiaque febris. quo afficietur nomine febris huiusmodi? *Immunditia*, inquit, *tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata*; Sanare te volui ò anima, & non es sanata, Gen. 3. Primo Adamo dictũ est: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, &c. in sudore quidem, sed non sanguineo. At noster Adam secundus, pane suo vescitur, id est, cordibus hominum; in sudore sanguineo. Paradisum, siue hortum suum coluit noster hortulanus, vsque ad sudorem sanguinis; sed heu tanto labore cultus, spinas multas, & tribulos illi germinat, Gen. 3. Ad Hebr. 6. *Terra super se venientem sæpè bibens imbrem, proferens tamen spinas, ac tribulos, maledicto proxima est, cuius consummatio in combustionem*, &c. Eundem in modũ anima super se venientem sanguinei sudoris imbrem excipiens; crimina tamen proferens, maledicto æterno proxima est, æternisque flammis digna.

Hortus torcular fuit botri terræ repromissionis.

Ezech. 24.

Suo sudore nostram febrim Dominus curat.

In sudore sanguineo, pane suo vescitur noster Adam.

Hebr. 6.

Omnibus odoribus (ait Plinius lib. 12. cap. 25.) præfertur balsamum vni terræ Iudææ concessum, &c. Sic omnibus odoribus, ac medicamentis, Christi sanguis præfertur, in vna, solaque Iudææ terra, ex Christi corpore effusus. Balsami arbor, eodem teste, osseis, lapideis, vel vitreis cultellis incisa, balsami fundit guttas; sic Christi caro doloris, mœstitiæque cultellis incisa, odoriferi balsami, id est, sanguinei sudoris, emisit grumos. Toto die æstiuo, ex arbore (ait Plinius) concham vnam impleri balsamo iustum erat. Afferte conchas, afferte corda homines, paruo tempore, ex hac balsami arbore, illa implebitis. Iam doloris & angoris cultellis incisa est; paulo post verberibus, spinea corona, clauisque incidetur, fluentque non guttæ, sed riui balsami. Est serpens qui Hæmorrhois appellatur, à sanguinis fluxu, αἷμα, sanguis est, ῥέω, fluo; hic si quempiam momorderit, sanguine totum cruentat, vnde illud Lucani lib. 9. de eo, cui Hæmorrhois morsum inflixerat.

Plinius. Simile.

Christi sanguis cũ balsamo confertur.

Hæmorrhois serpẽs peccatum adumbrat.

> *Sanguis erant lachrimæ, quæcunque foramina nouit.*
> *Humor, ab ijs largus manat cruor*, &c.

Huic serpenti simile est peccatum. Innumeri serpentes in horto Gethsemani Christo inflixere morsus, innumera peccata hominum, Ideò, sanguis erat sudor.

Libr. 2. Machab. cap. 3. de Onia Pontifice ob templi ab Heliodoro direptionem maximè dolente, sic scribitur: *facies & color immutatus declarabat internum animi dolorem. Circumfusa enim erat mæstitia quædam viro, & horror corporis*, per quæ, manifestus aspicientibus dolor cordis eius efficiebatur, &c. græcè, facies, & color immutatus, ἐνέφαινε τὴν κατὰ ψυχὴν ἀγωνίαν, idest, declarabat animi agoniam. Si sic On as Pontifex affectus erat, propter pecuniarum direptionem; qualiter affectum putamus nostrum summum Pontificem, propter direptionem animarum? Equidem facies & color immutatus, sudorque sanguineus, animi demonstrabat agoniam. Circumfusa illi erat mœstitia magna, & horror, sudorque sanguineus, per quem manifestus dolor cordis eius efficiebatur. Iam verò, vt eodem cap. legitur, *Qui videbat summi sacerdotis vultum mente vulnerabatur*, &c. Intueamur quæso nostri summi Sacerdotis

2. Mach. 3.

Cum Onia Pontifice confertur Dominus.

dotis vultum, sanguinei sudoris madentem guttis, omnes gemmas superantibus; commoueamur animo, vulneremur mente, conteramur corde; si non sudorem sanguineum ex corpore vi contritionis, saltem lachrymas ex oculis, siue ex corde effundamus.

Toto corpore lacrymas effudit Dominus sanguineas. *D. Bernar.*

Toto corpore lachrymatur Dominus; erant enim tot mala, quæ deplorabat, vt non oculorum solum, sed totius corporis lachrymis fuerint deploranda; vnde D. Bernard. serm. 3. de Ram. palm. Vsque tertiò, inquit, factus in agonia orabat. Vbi quidem nō solis oculis; sed quasi membris omnibus fleuisse videtur; vt totum corpus eius, quod est Ecclesia, totius lachrymis corporis purgaretur, &c. Christus toto corpore flet, nos saltem oculis ploremus.

Sudor sanguinis Ecclesiæ martyria præsignauit. *D. Prosper.*

Sudorem hunc sanguineū Ecclesiæ martyria præsignasse ait D. Prosper in lib. sentent. ex Augustino exceptarum: Orans, inquit, Christus cum sudore sanguineo, significabat de toto corpore illius, quod est Ecclesia, emanaturas martyrum passiones, &c. Sudauit sanè sanguinem corpus Christi idest, Ecclesia nonnullorum Romanorum Imperatorum tempore, qui Ecclesiam crudeliter sunt insectati; vnde Apocalypsis 17. *ebria dicitur Babylon de sanguine Sanctorum, & de sanguine martyrum.* Non desunt vsque ad nostrum tempus, sanguinei hi sudores, neque deerunt, quousque extremo tempore corpus Domini, id est, Ecclesia, factum in maxima agonia, totū sudore sanguineo Antichristo persequente perfundatur.

In labore & sudore Angeli nos cōfortant. *Dan. 12.*

Non desunt in his sudoribus, & agoniis, Angeli confortantes; *Apparuit illi*, ait Lucas, *Angelus confortans eum*, &c. In extrema illa Antichristi, agonia, & sudore Michael apparebit, iuxta illud Daniel. 12. *In tempore illo, consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui: & veniet tempus quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt, vsque ad tempus illud*, &c. & illud Apocap. 12. *Michael, & Angeli eius prœliabantur cum dracone*, &c. Confortauit Angelus Eliam 3. Reg. 19. fugientem Iezabel, cibumque præbuit, de quo legitur, *Ambulauit in fortitudine cibi illius, vsque ad montem Dei Oreb*, &c. Confortauit item tres illos pueros in fornacem ignis immissos, eripuitque periculo. Danielem quoque Dan. 6. in lacu leonis existentem, & Dan. 14. Abacuc in Chaldæam adduxit, vt eundem Danielem prandio reficeret. Item Act. 27. Paulum confortat; *Ne timeas*, inquit, *Paule, Cæsari te oportet assistere, & ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum*, &c. Iud. 6. confortat Angelus Gedeonem, & ad bellum gerendum contra Madianitas excitat. *Dominus*, inquit, *tecum virorum fortissime*, &c. Item, *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian*, &c. Sic nos ad bellum gerendum aduersus hostes Tartareos Angeli corroborant. Orantibus quoque astant, vt Dom. Bernar. docet sermo. 7. in Cant. Credimus, inquit, sanctos Angelos astare orantibus, offerre Deo preces, & vota hominum Probat hoc Angelus ita loquens ad Tobiam cap. 12. *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino.* Hæc Bernard. & aliæ, Tobiæ 5. rogat Tobias Angelum Raphaelem, ex qua nam sit domo aut tribu. Respōdet; *Ego sum Azarias, Ananiæ magni filius*, &c. Azarias, auxilium Dei significat; Ananias verò gratiam Dei. Præclarè Angelus ait appellari se Azariam, idest, auxilium Dei, filiumque esse Ananiæ, id est, gratiæ, siue doni Dei; quoniam Angeli nobis auxilium ferunt; filiique sunt gratiæ Dei; lege Origenem Matthæi 26. ad illa verba, *Exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum*, &c.

Apoc. 12. *3. Reg. 19.* *Dan. 14.* *Act. 27.* *Iud. 6.* *D. Bernar.* *Tob. 12.* *Tob. 5.* *Angeli auxilium nobis ferunt.*

Oportet mœstos consolari. *Iob 30.* *1. Cor. 12.* *Hebr. 10.*

Docet præterea nos hæc Angeli cōfortatio, oportere mœstos consolari verbis dulcibus, illorumque calamitatibus compati. Iob 30. *Compatiebatur anima mea pauperi*, &c. 1. Cor. 12. *Si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra*, &c. ad Hebr. 10. *Vinctis compassi estis*, &c. Magna fuit

Christi

Magna fuit Christi compassio.
D. Bonau.

Christi passio, magna quoque compassio, de qua ait D. Bonauentura libr. 3. sentent. dist. 16. quæst. 3. Multum, vt ille ait, Christum in se doluit, & multum nobis condoluit. Appellat autem dolorem compassionis eum, quo angebatur animo, ob scelera nostra. Quærit, fueritne maior dolor animæ Christi passionis, in appetitu sensitiuo, an compassionis in parte rationali? Respondit intensiorem fuisse dolorem compassionis: quia, inquit, quamuis magna causa esset dolendi in sensualitate, propter separationem ipsius à carne; & magna erat dispositio ad dolendum, propter optimam complexionem. In dolore tamen compassionis, amplior erat ratio dolendi, propter inhonorationem Dei, & separationem nostram à Deo. maior etiam erat dispositio ad dolendum, propter dilectionis nimietatem. Secundum enim quod dilectio maior est; secundum hoc plagæ cõpassionis sunt maiores. Hæc Diuus Bonauentura.

Quomodo ob compassionem plus doluerit.

CAPVT XV.

De reuersione Christi ad discipulos post tertiam orationem, & de Iudæ aduentu atque osculo.

MATTHÆVS CAPITE XXVI.

TVNC venit ad discipulos suos, & dicit illis: Dormite iam, & requiescite; ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus, ecce appropinquauit qui me tradet. Adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladijs, & fustibus missi à principibus Sacerdotum, & Senioribus populi. Qui autem tradidit eum dedit illis signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Iesum dixit; Aue Rabbi, & osculatus est eum. Dixitque illi Iesus: Amice, ad quid venisti:

MARCVS CAPITE XIV.

ET venit tertiò, & ait illis: Dormite iam, & requiescite. Sufficit: venit hora, ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus, ecce qui me tradet propè est. Et adhuc eo loquente, venit Iudas Iscariotes vnus de duodecim, &

cum

Digitized by Google

cum eo turba multa cum gladijs & lignis, à summis Sacerdotibus, & Scribis, & Senioribus. Dederat autem traditor eius signũ eis, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè. Et cum venisset, statim accedens ad eum, ait: Aue Rabbi: & osculatus est eum.

LVCAS CAPITE XXII.

ET cùm surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia. Et ait illis: Quid dormitis? Surgite, orate, ne intretis in tẽtationem. Adhuc eo loquente, ecce turba, & qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos, & appropinquauit Iesu, vt oscularetur eũ. Iesus autem dixit illi Iuda, osculo filium hominis tradis.

IOANNES CAPITE XVIII.

IVdas ergo cum accepisset cohortem, & à Pontificibus, & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus. & armis.

Dormite.

POst tertiam orationem, reuersus est Dominus tertio ad discipulos: & dormientes inuenit: dixitq; illis: *Dormite iam, & requiescite* &c. D. Augu. lib. 3. de consensu Euangelist. arbitratur, Christum permisisse discipulis somnum his verbis: *Dormite iam & requiescite*; quasi dicat. dormire vobis permitto, & requiescere, siquidem tam graui somno estis oppressi. siluisse deinde vt dormirent; postquam vero aliquãtisper dormierunt, eosdem excitasse illo verbo, quod Marcus addit (*Sufficit:*) hoc est, sufficit hactenus dormiuisse, surgite, quia adest proditor. Sequuntur hanc interpretationem, Beda Caietanus Simon Cassianus, Titelmanus & alii. Verisimilius est, verba hęc per modestam quandam ironiam à Christo dicta, vt

Christus tertio inuenit dormiẽtes discipulos.

A censet Theophylactus, Ammonius, Euthymius, & alii. Est sensus: *Dormite iã & requiescite*, si potestis; ecce appropinquant hostes, somnũ illi excutient, inuitosque facient vigilare. Post hæc verba, adiunxit apud Marcum: (*Sufficit.*) id est, satis est hactenus dormiuisse: venit hora comprehensionis meæ, surgite, procedamus hostibus obuiam. huic sensui fauet Matthæus, qui omisso verbo (*Sufficit*) scribit: *Dormite iam, & requiescite*; Græcè, καθεύδετε τὸ λοιπὸν, id est, *dormite reliquum. Ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur*, &c. Si dormire illos permisisset, non dixisset hostes appropinquare, quod ab fugandum non, ad ferendum somnum valet. D. Lucas ait, Dominum dixisse discipulis: *Quid dormitis? Surgite, orate ne intretis in tentationem*, &c.

Adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit.

ADhuc cum discipulis loquebatur Dominus, cum Iudas proditor, qui vnus erat ex duodecim discipulis & Apostolis venit, hortóq; propinquauit. Neqne verò solus venit, sed militibus comitatus, qui Christũ vinculis ligarent. *Cum eo turba multa* (ait Matthæus) *cum gladijs, & fustibus, missi à principibus sacerdotum, & senioribus populi*, &c. Similiter Marcus: Quod autem dixit Matthæus, cum gladiis, & fustibus, idem est, cum eo quod legitur apud Marcum, *cũ gladijs, & lignis.* Nam Græcè, tam apud Matthæũ, q̃ apud Marcum legitur, μετὰ μαχαιρῶν καὶ ξύλων: hoc est, *cum gladijs, & lignis.* D. Ioannes sic: *Iudas cum accepisset cohortem, & à Pontificibus, & Pharisæis ministros, venit illuc, cum laternis, & facibus, & armis*, &c. Quia mox erat, venit cum laternis, & facibus, venit etiã cum armis, quia ad tradendum Dominum venit. Præterea militum cohortem attulit, quam Iudæi à Pilato, vel aliquo alio duce Romanorum accepe runt. Attulit præterea ministros alios à Pontificibus, & Pharisæis datos. Præter hos venerunt etiam in hortum, vt Lucas 22 ait, *principes sacerdotum, & magistratus templi, & seniores.* Quinam fuerint hi Pontifices, Magistratus templi, seniores, Pharisæi, & Scribæ, diximus tom. 3. & hoc tomo 4. prope initium. Hoc comitatu fretus, pecuniæ desiderio duce, *antecedebat eos* vt ait Lucas. Antecedebat milites, ac ministros Iudas, veluti venaticus canis, ceruam indicans, de qua in titulo Psalm 21. legitur iuxta versionem D. Hieronymi *pro ceruo matutina.* potest que verti *pro cerua aurora*, Diximus de illa fusius tom. 1. cum Psalmum 21. explicauimus de Christi passione. Eodẽ Psalm 21. ait Dominus: *Circundederũt me canes multi*, &c. Circundederunt auroræ auream ceruam canes multi, vt illam caperent; Iudas primum infixit morsum osculo virulento.

Iuda aduẽtus, & comites.

Luc. 22.

Iudas canis venaticus.

Psalm. 21.

Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.

QVia Romanis militibus, & ministris à Pontificibus datis, non satis erat cognitus Christus, signum eis præbuit traditor osculi. *Quẽcunque*, inquit, *osculatus fuero, ipse est*, &c. Nesciẽs quid faceret Iudas, hoc signum dedit. Quo enim signo commodiori, potuit tradi Christus, qui charitatis ardore inflãmatus, pro hominibus mortẽ subibat; quam osculo, quod est signum charitatis? quo aptiori signo signari potuit, qui pro pace inter Deum & homines facienda, ad crucem properabat, quam osculo, id est, signo pacis? ô sponsa Ecclesia, quæ Cant. 1. postulas. *osculetur me osculo oris sui*, &c. Vide sponsum tuum, à Iuda osculo affectũ. Fuit enim opus, vt ore suo te oscularetur, ore Iudæ prius osculum excipere. Quemcunque (inquit proditor) osculatus fuero, ipse est, &c ipse est quẽ vobis trado, vinculis alligandũ. ipse est ille, quẽ cõprehẽdere iussi estis, *Tenete eum*, & comprehendite, *et ducite cautè*, ne è manibus elabatur vestris. O proditor, quẽ osculatus es, ipse est, qui pro nobis vitam sanguinemq; suũ profundit, ipse est, qui nos pretio infinito redimit, ipse est, qui te, omnesq; homines iudicabit, ipse est, rex regũ, & Dominus dominantium, ipse est, qui est, & à quo omne emanat esse, ipse est Deus æternus in sæcula sæculorum. Insensate traditor, quis te fascinauit, non obedire huic veritati, ante cuius oculos tot miracula magister patrauit? Heu fascinauit te pecunia. Vnus eras ex duodecim Apostolis Christi; nunc vnus es ex multis comprehensoribus Christi. Vnus eras ex duodecim, nunc vnus es canis index prædæ. *Tenete eum* (ait Iudas) *& ducite cautè*: teneamus eum (amice lector) teneamus Deum nostrum, amoris vinculis constringamus, & ducamus cautè. Hoc est, caueamus peccata omnia, maximè mortifera, summa cum vigilantia; ne nos deserat Deus noster ipse quærentibus ad mortem, se offert ligandum; non se iis abscondet, qui cum

Milites nõ ita Christũ cognoscebant.

Osculatur Iudas Christum.

Cant. 1.

Inuectiua in Iudã proditorem.

Christũ amicè tenere, & cautè ducere debemus.

quæsierint ad vitam, ligãdum amoris vinculis arctissimis. Antecedebat Iudas milites ad comprehendendũ Christum: eorum typus est, qui alios antecedunt ad facinora, ducesque sunt. Antecedamus homines exemplo, verbis, factis, ad virtutem, à vitiis eosdem deterreamus.

Aue Rabbi, & osculatus est eum.

SIgnum datũ militibus præbuit in horto Iudas; ingressus hortum, locum notum petiuit cum facibus, & laternis, & militibus, ad magistrum accessit, & osculatus eum salutauit, dicens; *Aue Rabbi.* Apud Marcum Græcè legitur duplicasse nomen Rabbi, dicẽs Rabbi, Rabbi: apud Matthæũ habetur, χαῖρε ῥαββεὶ, idest, *salue, gaude Rabbi.* Post salutationem ferebat proditor vincula, post mella, amarissimum fel propinabat, post dulcia verba, acerbissima inducebat facta, χαῖρε, inquit, id est, *gaude.* Quis te docuit Iuda tã apte loqui? equidem meritò dicis Domino, *gaude,* habet enim magnam gaudii segetem, quia sanguine suo totum redimet orbem; sed in te magnam habet mœroris materiam, quia discipulus, & Apostolus, magistrum hostibus tradis. osculum tuum morsus est canis, pecuniæ cupiditate rabidi; χαῖρε *tuum,* siue *gaude* tuum, mœror est cernentis, vnum ex duodecim factum, proditorem; salutatio tua dolor est illi, quia non est salutatio tua, ò Iuda, nunc oscularis viuum, vt prodas; ne desperes, mortuum saltem mente deosculare, veniamque pete, dabit veniam mortuus, qui nec negauit viuus.

Amice, ad quid venisti?

O Admirabilem Christi mansuetudinem, lupum agnus mansuetus non fugit, nõ repellit ab obsculo, amicum appellat, & sodalem, ore excipit, & corde pleno amicitia. Cumq; vt refert D. Brigitta lib. 4. reuel. c. 69. Iudas breuioris esset staturæ; ad eius osculũ excipiendum inclinauit se dicens.

Christi mãsuetudo summa.

Iudas breuior is fuit statura.

A *Amice, ad quid venisti,* nunc in hortũ? quodnam negotium huc te duxit? ò Domine, pessimum illum duxit negotium; negotium, inquam, non amici, sed inimici: vt te prodat venit, vt te tradat hostibus. Sciebat Dominus, rogat tamen sciens, vt discipulum sceleris commoneat. Amicum etiam appellat, quia illi erat amicus ex parte sua: ex sua enim parte Deus omnibus bene vult, nemini vult male; præter malum pœnæ propter peccatum. Græcè dicitur ἑταῖρε, quod nomen sodalem, socium, & amicum significat. Socium appellat, quia Apostulus erat, sed iam Apostata. socium Christi, socium impiorum pecunia fecerat. Blandè hominem compellat; vt ad pœnitentiã prouocet, & pristinam societatem atque amicitiam. sceleris etiam commonet; *Ad quid venisti?* quasi dicat, considera ad quam horrendum facinus patrãdũ accedis. D. Lucas ait, dixisse: *Iuda osculo filium hominis tradis?* &c. Vtrumque enim dixit; sed prius, Amice ad quid venisti? postea reprehendit, aiens: Siccine Iuda osculo me tradis? existimas tuam me latere proditionem? non latet, scio quale sit osculum tuum, quid significet, quibus, & cuius rei signum sit datum. D. Ambr. Lucæ 22. sic verba hæc exponit: Amoris pignore vulnus infligis, & charitatis officio sanguinẽ fundis, & pacis instrumento mortem irrogas; seruus Dominum, discipulus prodis magistrum? &c D. August. lib. 3. de consensu Euang. cap. 5. ait primò Dominum dixisse, *Iuda osculo filium hominis tradis,* deinde: *Amice ad quid venisti?* &c. Verumtamen prius videtur amicè excepisse, deinde increpasse: nã post increpationem, non satis cõmoda amica sequitur vox, & receptio.

Amicè excipit Iudã Dominus.

Reprehẽdit Dominus Iudam.

D. Ambro.

D. August.

En tibi mundi typum, osculo nos tradit tartareis hostibus, Iudæ similis; similis quoque Ioab, qui Amasam 2. Reg. 20. sic interfecit: *Dixit Ioab ad Amasam: Salue mi frater, & tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porro Amasa non obseruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram,* &c. Obserua mundi tũ oscula,

Morale.

2. Reg. 20.

 id est,

Iudas est mundi typus dã osculo & blãdimentis fallit.

id est, indulgentiam, & prosperitatẽ; tũ gladiũ Post oscula gladio percurit incautos, vt Amasã Ioab. idcirco multi pereunt; quia mundi solũ oscula, nõ gladios obseruant, & proditiones.

Rogabit aliquis, cur Iudas ausus fuerit Christum osculari? Respondendum id factum ex more patriæ. vt constat ex illis verbis Domini Lucæ 7. *Osculum mihi non dedisti*, &c. ad Rom. 16. *Salutate inuicẽ in osculo sancto*, &c. Sanctum enim erat Charitatis osculũ. Omitto alia loca; lege nostrum Lorinum. Act. 20.

Luc 7. Rom. 16.

CAPVT XVI.

Prosternuntur hostes à Christo.

IOANNES CAPITE XVIII.

IESVS itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis, Quem quæritis? Responderunt ei, Iesum Nazarenum. dicit eis Iesus: Ego sum. stabat autem, & Iudas, qui tradebat eum cum ipsis. Vt ergo dixit eis: Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit eos, Quem quæritis? illi autem dixerunt, Iesum Nazarenũ. Respondit Iesus, Dixi vobis, quia ego sum: Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Vt impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.

DVbium est, an Iudas osculatus fuerit Dominum, antequam milites solo prosterneret, an postquam prostrauit: D. Chrisosto. putat, traditorem non agnouisse Christũ in horto. D. quoq; Cyrillus, Theophylactus, & Euthym. Vnde sequitur, milites prostratos, antequã Iudas Dominum cognosceret, & oscularetur. postea verò quam se ligandũ obtulit, tunc accessit proditor, osculoq; dato illum indicauit militibus. Verisimilius D. August. lib. 3. de consensu Euangelist, cap. 5. & alii aiunt, osculum præcessisse prostrationem. Nam res sic se videtur habuisse: Iudas qui, vt Lucas scribit, antecedebat eos, hortũ ingressus est primus, & cum eo alii: peruenit ad Christũ, osculũ dedit militibus illũ

D. Chrysost.

An osculũ Iudæ prostrationem præcesserit.

D. August.

A indicans. dato signo, proditorisq; perfunctus munere, ad suos reuersus est, admirans quod ad cõprehendendum indicatũ Christum, signo cõmoti non essent. *Stabat autẽ* (ait Ioannes) *& Iudas cum ipsis*, &c. probant hanc sñiam verba Matthæi 26. *Confestim accedens ad Iesum dixit, Aue Rabbi, & osculatus est eũ*, &c. Marcus itẽ; *Cũ venisset, statim accedens ad eum*, &c. Quod si post prostrationem militum accessit, & o-B sculatus est magna mora intercessit, inter aduentum, & osculum.

Sciens omnia quæ ventura erant super eum.

IOannes quæ diuinitatis Christi sunt libenter litoris mandat. Ante Christi comprehensionem, non humano aliquo Iudæ vel aliorum dolo comprehen-

Digitized by Google

Omnes Iudaorũ machinationes nota Christo.

prehensum fuisse ostendit. Etenim omnes præuidebat dolos, omnes præcernebat insidias; quas cauere, si vellet, facillimè posset. *Sciens*, inquit, *omnia quę ventura erant super eum*, &c. quasi dicat: Non ignorabat Dominus Iudæ, & hostium aduentum, insidias, dolos, omnia quæ super eum ventura erant, nouerat; omnes, quos pro hominibus tolleraturus erat cruciatus, ante oculos habebat. nihilominus effugere illos noluit, imò illis se libentissimè obtulit; si enim se ille non obtulisset, nihil, hostes efficere potuissent. Nouerat autem Christus omnia quæ ventura erāt super eum scientia diuina, sciētia quoque beata, & infusa. Nouerat omnia Christus; at hostes nihil nouerant; ostēderat Iudas osculo Dominum, ostensum à Iuda non nouerant, in tenebris miseri versabantur, neq; illis laternę, neque faces, quas ferebant, proderant. Stabant, *& stabat Iudas cum ipsis*, vt Ioannes ait, Christum nec inuadebant, nec comprehendere conabantur, negotii, ad quod exequendum venerāt, videbantur obliti.

Nisi Christus se obtulisset milites nihil efficere potuissent.

Processit, & dixit eis; Quem quaritis.

IAm ostendit Ioannes Christum non venisse in manus hostium, quod eorum aduentum, insidiasque ignoraret; siquidem omnia ventura habebat ante oculos. Nunc ostendit, non venisse in manus hostium, propter imbecillitatem, siquidem vno verbo eos terræ ita infigere potuisset, vt surgere nunquā valerent. Solent viri vel per imbecillitatem comprehēdi ab hostibus, quia eos superare non valent; vel per imprudentiam, quia insidiis dolisque etsi fortissimi capiuntur. Leo de tribu Iuda, neque per imprudentiam capi potuit, quia vigilantibus oculis omnia cernebat: neque per imbecillitatem, quia omnia poterat. Quis leonem de tribu Iuda capiet? Non hostium potētia, non insidiæ, & doli, sed charitas.

Nō propter imbecillitatem, captus est Christus

Stabāt milites, stabat Iudas cum ipsis; quem comprehendere cupiebant, comprehendere non valebant. procesfit ad illos hominum amore inflammatus Christus, & interrogauit: *Quem quaritis?* Nisi Dominus non præcessisset, sanè illi in suo scelere non processissent. Processit Dominus, & amore excessit, hostibus seipsum offerēs. Hoc, illud est Isaiæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*, &c. Quem quæritis (rogat Dominus) in hoc horto, hac hora intempestæ noctis? Responderunt, *Iesum Nazarenum*. A flore deducitur nomen, *Nazarenus*; querebant Iesum floridum; in horto quærebant florem; non vt odore cælesti reficerentur, sed vt illũ eradicarent. O milites, optimum est Iesum quærere Nazarenum; præstantius est illum quærere, quam omnes mundi honores, regna, opes. Infinitum omnium bonorum thesaurum quærit, qui Iesum Nazarenum quærit, Saluatorē quærit, qui Iesum quærit. Sed an bene quæratis videte. Quæritur enim Iesus bene, & quęritur malè. bene quęritur, vt vinculis amoris quærentes cōstringat; malè quæritur, vt vinculis odii, à quærentibus constringatur. Ex his vos estis; malè quæritis Iesum, id est; Saluatorem, in vestram non salutem, sed perniciem Non quæritur cum fustibus, & gladiis Saluator; sed cum cōtritione, & lacrymis iuxta illud Psal. 94. *Venite, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino qui fecit nos*, &c. Adorate inuentum Saluatorem, cadite ante eum, crimina deplorate vestra. Heu non vultis ante eum cadere ante facies vestras adorantes; cadetis mox post terga vestra indignantes.

Isa. 53.

Nazarenus à flore deducitur.

Quomodo quærendus Christus.

Psalm. 94.

Abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.

REsponsum Dominus militibus dedit huiusmodi; *Ego sum*; scilicet, is Iesus Nazarenus, quē quæritis. Quæsitus autem ad mortem, illum se esse, quem quærunt, apertè confitetur, vt nos ipsius fidem doceat apertè, & confidenter coram hominibus non negare, sed profiteri. Simul ac Domini verba audierunt aduersarii, cũ Iuda, qui cum ipsis stabat, abierūt retrorsum, & ceciderunt in terram. Demonstat Dñs se per impotentiā, & imbecillitatem

Iudæ & aduersarios solo verbo prosternit Christus.

non posse ligari. Vno verbo Iudam ducem, cohortem, cæterosque omnes solo prostrauit. Nullum tale facinus Alexandri, Cæsares, Scipionesve perpetrarunt. Nam Bombardis, sagittis, gladiis, & hastis, ferro, vel igne prosternuntur hostes. vno verbo quis vnquā prostrauit? Diuina Christi potentia. O benignitatem, & mansuetudinem: potuisset illos neci dare, potuisset brachiis, vel pedibus, vel oculis priuare. A facinore vult deterrere, non supplicio afficere. Non aliis bellicis tormentis, quam verbo vno, in terram resupinos deiecit. Fuit vox hæc *in virtute*, id est, cū potentia (vt est in Psal. 28.) *Fuit vox Domini confringentis cedros*, id est, principes sacerdotum magistratus templi, seniores, & milites.

Psalm. 28.

Quid faciet iudicaturus (ait D. Augu. tracta. 112.) qui hoc fecit iudicandus? &c. Ante quàm sicut agnum mitissimum lupis se tradat, leonem se esse de tribu Iuda potenti voce, & veluti rugitu demonstrat.

Leonē se esse de tribu Iuda testatur redemptor, antequā se vt ouem offerat capiendum.

Si Sol sua se luce non prodat, frustra, vt cernatur, laternæ, facesq; adhibentur. Sic frustra laternas, facesque proditor Iudas adhibuisset, si sol iustitiæ Christus, se ipsum non ostendisset. ostendit illum amor, quia charitate ductus cupiebat mori. *Ego, inquit, sum*. Nóne vides quomodo sua luce, voce, & verbo se noster Sol patefaciat? *Ego sum*. Hoc item verbo, vt ait D. Leo serm. 1. de passione, manum illam hostium, quasi fulmineo quodā ictu strauit, ac perculit. Iustinianus lib. de triūpha. Christi agone, tonitruum appellat. Diuinæ (inquit) vocis tonitruo territi, retrorsum abierunt, &c.

D. Leo.

Iustinian.

Retrorsum ceciderunt, non in facies. Qui retrorsum cadunt, vbi cadát non cernunt; sic Iudæi retrorsum ceciderunt; quia peccatum, in quod ceciderunt, non agnoscunt. Similiter ii retrorsum cadunt, qui scelera non cernunt, in quibus iacent: illi verò in faciem & oculos cadunt, qui vbi cadūt considerant, protinusque è lutulento peccati fœtore surgunt. D. Gregor. lib. 31. Mor. cap. 10. In faciem (inquit) cadere, est, suas culpas agnoscere, &c

Qui nā cadant retrorsum.

D. Gregor. Psalm. 50.

A pœnitendo flere, &c. Psalm. 50. *Peccatum meum contra me est semper*, &c. id est, casus meus ante faciem meā est nó retro. Optat Satanas vt cadamus retrorsum, id est, vt peccatum committamus; commissum vero post terga reiiciamus. Genes. 49. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro*, &c. Colubro, cerastæque similis Cacodemō, B corpus nostrum, qđ animi velut equus est tētationū morsu exagitatū, vt ascēsor animus cadat, cadat, inquā, retrorsum, vt nec peccatum videat, nec pœnitentiam agat. Græcè sic: ἀπῆλθον εἰς ὀπίσω, καὶ ἔπεσον χαμαὶ hoc est, abierunt in ea quæ retro sunt, & ceciderūt in terram. Sic Iudæi relicto Messia vero, in ea quæ retro sunt, id est, in caduca, & temporaria bona abierunt; temporaria enim bona retro sunt. Vnde C Greg. lib. 33. Mora. c. 23. Retro, inquit, est omne quod transit, &c. lege etiam Augu. Psal. 89. Abierunt etiam Iudæi in ea quæ retro sunt, quia legem veterem, quæ retro est, & iam à Deo abrogata, sequuntur.

Gen. 49.

Cadunt retrorsū, quia tēporalia caduca præferunt.

D. Gregor.

Hanc militum prostrationē tribuit D. Hiero. sydereo cuidam Christi splēdori, in epistola ad Principiam 140. Nisi, inquit, habuisset, & in vultu quid D dam oculisq; sydereum, nunquā eum statim secuti fuissēt Apostoli, nec qui ad cōprehendendum eum venerant, corruissent, &c. Verisimilius est, diuina vsum potentia ad prosternendos aduersarios. Diuinitatē verò his verbis: *Ego sum*, indicasse putat Rupertus: Propriam, inquit, suæ diuinæ essentiæ vocem respondit, dicens, *Ego sum*, &c. etenim Exod. 3. ait Deus, *Ego sum, qui* E *sum*. Cum igitur Christus ait: *Ego sum*, quamuis significet, ego sum Iesus Nazarenus, potuit etiam significare, ego sum, qui sum.

D. Hieron.

Sententia Authoris.

Rupertus.

Sinite hos abire.

PErmisit Dominus prostratos surgere. prostrata sunt corpora, sed non est prostrata pertinacia. Interrogati iterum, iam stantes; *Quem quæritis*. Stante eadem pertinacia responderunt:

D. sum

Digitized

Iesum Nazarenum. Christus autẽ, quia hora aderat sese vinculis offerendi, iussit ne Apostolos simul comprehenderent, dicens; *Dixi vobis, quia ego sum, si ergo me quaritis, sinite hos abire,* &c. Ego me vobis iam manifestum feci; si non fecissem, nihil vestræ faces, & laternæ, nihil proditoris osculum profuisset. Si ergo me quæritis, iam agnoscitis: vt vincula mihi iniiciatis, facio potestatem; præcipio autem ne discipulorum quemquam comprehendatis, liberos omnes abire permittite. Hoc præcepto effecit Dominus, ne quisquam Apostolorum caperetur, ne Petrus quidẽ, qui aurem abscidit Malcho. Vnde Chrisostomus: Quis, inquit, continuit Iudæos, ne Discipulos comprehenderent? Nemo alius, quam quæ eos retrorsum proiecerat potẽtia, &c.

Apostolos ne cõprehẽdant iubet Christus militibus.

D. Chrisost.

Non erant illi victimæ pro mundo immolandæ, ideò ad aram non sunt ducti. Solus Christus hostia erat, qua mũdi scelera sunt expiata, ideo solus ligatus, & ad altare, id est, crucem ductus est. Semen erant Apostoli toto spargẽdi orbe, vt noua noui populi seges Deo produceretur; seruari oportuit semen, vt seges exoriretur. Nã, vt ait Isaias cap. 1. & Paul. ad Roman. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus,* &c. Deut. 22. iubet Dominus; *Si nidum auis inueneris, & matrem pullis, vel ouis incubantem, non tenebis eam cum filijs, sed abire patieris, captos tenens filios,* &c.

Apostoli crucifixi nõ fuerũt, quia non erant mundũ redempturi.

Rom. 9.

Deut. 22.

Diuinæ aquilæ nidum in horto Gethsemani Iudæi repererunt; matrem cũ pullis, id est, Christum cũ discipulis. non tenuerũt pullos, matrem verò dimiserunt; sed contra, matrem comprehenderunt, pullos reliquerunt. Sic enim aquila præcepit nobilissima, quæ pro pullis ipsis comprehendi voluit, & mori. Iob 40. de diabolo dicitur; *Qui fecit illum applicabit gladium eius,* &c. Non applicat gladium suum diabolus pro voluntate sua; sed Deus qui illum fecit, quibus vult applicat. Milites, hoc est, Satanæ gladium, discipulis noluit applicare, sed sibi.

Lege cauebatur necũ matre pulli tollerentur. Christo capto, Apostolos dimiserunt milites.

Iob 40.

Adumbrat præterea hoc; *Sinite hos abire,* nostram ex potestate diaboli, militumque eius liberationem, propter Christi passionem. Quasi dicat Dominus, ego comprehendar, & ad immolandum ducar; vos verò ò tartarei hostes, *Sinite hos abire,* hos, inquam, discipulos meos, Christianos meos, gratia donatos mea, propter merita passionis meæ. Non permisit Dominus tentari Apostolos imbecilles supra vires, nec nos permittit. Vnde Theophylactus: Quando, inquit, incidis in tentationes, crede quod nisi cognouisset Dominus te posse illas euadere, non permisisset te in eas incidere, sicut neque tunc discipulos, &c. Denique prostrati sunt Iudæi, & milites, sed nõ est prostratum scelus quod parabant. Similes sunt illi, quorum Deus corpora, vel animos morbis, vel aduersis aliis rebus prosternit; sed ad solita flagitia protinus surgunt.

Psal. 103.

Quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam.

EX potestate hostium, ait Ioannes, liberatos Apostolos, vt impleretur, id quod dixerat Dominus Ioannis 17. in oratione quam habuit ad Patrẽ; *Quos dedisti mihi ego custodiui, & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis,* id est, Iudas, &c. Loquitur Christus de perditione æterna. Perierat Iudas perditione æterna, quod sciebat Dominus. nemo ex aliis periit. Vt non perirent, non est passus Dominus eos comprehendi: nam si fuissent comprehensi, à Christo recessissent tormentis affecti, sicque periissent, nondum enim fidem in Christum firmissimã habebant, qua possent morti resistere. D. Augu. trac. 112. Cur, inquit, si tunc morerentur Apostoli, perderet eos Christus? nisi quia nondũ sic in eum credebant, quomodo credũt, quicunque non pereũt, &c. & Rupertus: Si comprehensi discipuli timore mortis negarent, quod vtique fieret, imbecilles enim adhuc erant, & negantes interficerentur, proculdubio perderentur, &c. D. Chrisostom. sic scribit hom. 82. perditionem Christus dicit non mortis, sed illam

Ioan. 17.

Solus Iudas, ex Apostolis æterna perditione perijt.

æternam. Euangelista autem, & in præsenti hoc accepit, &c. hoc est, Christus de morte æterna est locutus cap. 17. Ioannes verò dictū Christi ad præsens periculum Apostolorum accommodauit. Et Titelmanus, Quamuis, inquit, verba Domini Ioan. 17. de perditione secundum animam potissimum videantur intelligenda; simul tamen ex abundanti, etiam secūdum corpus voluit impleri, &c. Potest dici verba Domini vtroque sensu intelligenda, vt Lyranus putat: Hæc verba, inquit, dixit Christus non tantum de salute spiritali discipulorum, sed etiam de corporali. Et ideo Euangelista applicans ea ad perditionem corporalem, non discedit ab intentione literæ, &c.

Custodiuit bonus pastor oues suas, & animam suam pro eis posuit, egregiúq; dedit pastoribus documentum. Felix ille qui verè dicere potest hæc Domini verba: *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam*, &c. Hoc est, ex ouibus quas meæ curæ commisisti, nulla periit propter culpā negligentiamve meam, si quæ periit, culpa sua periit.

CAPVT XVII.

De comprehensione Christi, & Malchi percussione.

MATTHÆVS CAPITE XXVI.

TVNC accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. Et ecce vnus ex eis, qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens seruum principis Sacerdotum, amputauit auriculam eius. Tunc ait illi Iesus: Conuerte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia nō possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri? In illa hora dixit Iesus turbis: Tanquam ad latronem existis cum gladijs, & fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis. Hoc autem totum factum est, vt adimplerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo fugerunt.

Digitized by Google

MARCVS CAPITE XIV.

AT illi manus iniecerunt in eum, & tenuerunt eum. Vnus autem quidam de circunſtantibus, educens gladium, percuſſit ſeruum ſummi ſacerdotis, & amputauit illi auriculam. Et reſpondens Ieſus ait illis; Tanquam ad latronem exiſtis cum gladijs & lignis comprehendere me? quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuiſtis: Sed vt impleantur Scripturæ. Tunc diſcipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt. Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum, amictus ſindone ſuper nudo, & tenuerunt eum. At ille reiecta ſindone nudus profugit ab eis.

LVCAS CAPITE XXII.

VIdentes autem hi, qui circa ipſum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine ſi percutimus in gladio? & percuſſit vnus ex illis ſeruum Principis ſacerdotum, & amputauit auriculam eius dexteram. Reſpondens autem Ieſus ait: Sinite vſque huc: & cùm tetigiſſet auriculam eius, ſanauit eum. Dixit autem Ieſus ad eos, qui venerant ad ſe Principes ſacerdotum, & Magiſtratus templi, & ſeniores: Quaſi ad latronem exiſtis cum gladijs, & fuſtibus? Cùm quotidie vobiſcum fuerim in templo, non extendiſtis manus in me. Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Comprehendentes autem eum, &c.

IOANNES CAPITE XVIII.

SImon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percuſſit Pontificis ſeruum, & abſcidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen ſeruo Malchus. Dixit ergo Ieſus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Cohors ergo, & tribunus, & Miniſtri Iudæorum cõprehenderunt Ieſum, & ligauerunt eum.

Dubium est, percusseritne Petrus Malchum ante Christi comprehensionem, an postquam comprehensus est? Nã Matthæus, & Marcus prius verba faciunt de comprehensione; postea de percussione. Lucas verò, & Ioannes prius de percussione agũt, quàm de comprehensione. Respondetur. Matthæum & Marcum vsos fuisse, anticipatione; Lucam & Ioannem rectum ordinem secutos. Itaq; antequã comprehensus esset Christus, Petrus Malcho auriculã abscidit. Probatur primò, quia Petrus & reliqui Discipuli cùm primũ viderunt Christum cõprehendi, fugerunt; ergo antequã cõprehenderetur, seruum Pontificis percussit Petrus. Secundò, quia si vidisset Petrus jam comprehensum Christũ, non fuisset ausus hostes inuadere; sed quia prostratos viderat, neque ausos Christo manus iniicere; ipse gladiũ distringere, & Malchum vulnerare ausus est. Tertio, quia Christus tetigit Malchum & sanauit, quod factum videtur manu nondũ vinculis alligata. Legendus Augustinus, li. 3. de consensu Euang. c. 5.

Antequam Christus ligaretur, Petrus Malchum percussit.

Videntes hi qui circa ipsum erant,

Ex iis quæ videbant, intellexerunt ii, qui circa Christum erant, id est, discipuli, quod futurum erat, vt ait D. Lucas; nimirum Iudæos velle Christũ comprehendere. Antequam verò comprehenderetur, interrogarunt; *Domine si percutimus in gladio?* &c. hoc est; nunquid percutiemus aduersarios gladio? Audierant enim dicentẽ in cena, Ioa. 13. *Qui non habet vendat tunicã suã, & emat gladium*; cumque respondissent; *Ecce gladij duo hic*; respondit, *satis est.* quæ verba discipuli minimè tunc intellexerunt. nos suo loco exposuimus. Petrus nõ expectato responso, animi ardore, & amore in Christum concitatus, potentiaque illius fretus, qua hostes profligauerat; in Malchum irrruit fortè quia reliquos antecedebat, & propinquior erat, auremque dexterã illius amputauit. Aduerte hoc tempore nondum iniecisse manus in Christũ aduersarios, atque adeò neque Malchum. ideò dixit Lucas, *videntes hi, qui circa ipsum erant, quod futurũ erat.* &c. videbant Petrus, & reliqui Apostoli, non quod iam erat, sed quod futurum erat, id est, futuram comprehensionẽ; idcirco Petrus vt Dominum defenderet, & à comprehensione futura liberaret, in hostem fecit impetum. Quæres, an Petrus peccarit? D. August. lib. 22. contra Faustum c. 70. existimat peccasse. Verisimilius puto non peccasse, sed zelo commotum, & Christi charitate id fecisse. D. Leo serm. 1. de passione: Beatus (inquit) Petrus qui animosiore constantia Domino cohærebat, & contra violentorum impetus feruore sanctæ charitatis exarserat, in seruũ principis sacerdotum vsus est gladio, &c. D. Ambros. in Lucam. Petrus eruditus in lege, promptus affectu, qui sciret ad Phineæ reputatũ ad iustitiã, qđ sacrilegos peremisset; percussit principis seruum, &c. Item Beda; Petrus hoc fecit eodem mentis ardore, quo cetera fecerat. Sciebat enim quomodo Phinees puniendo sacrilegos, mercedem iustitiæ & sacerdotis perennis acceperit, &c. D. Chrys. Matthæi 26. Considera (inquit) Petri & amorem pium & humilitatem. Alterum enim ex diligendi feruore fecit, (hoc est seruum percussit) alterum ex obedientia: (nimirum gladium in vaginam misit,) &c.

Ioan. 13.

Petrus Malchum percutit.

D. August.

An Petrus peccarit, cùm Malcho abscidit aurem.

D. Leo.

D. Ambr.

Beda.

D. Chrys.

Petri amor & eiusdem obedientia.

Sinite vsque huc.

D. August. li. 3. de consensu Euang. c. 5. existimat, verba hæc respondisse Dominum discipulis interrogantibus, *Domine, si percutimus in gladio?* &c. Sensum vero hunc esse; *sinite vsq; huc*, hoc est, non vos moueat, quod futurum est: permittendi sunt hucusq; progredi; hoc est, vt me apprehendãt, & impleantur, quæ de me scripta sũt. Sed inter moras verborum (ait Aug.) discipulorum interrogantium Dominum,

D. August.

num,& Christi respondentis, Petrus defensionis auiditate, & maiori pro Domino commotione percussit, &c. Caietanus putat, vsque huc, tempus significare, hoc pacto; *Sinite*, id est permittete *vsq; in hanc horã vos sauire*, quo usque durat hora. hæc est enim hora eorum, & potestas tenebrarum. Adde & has interpretationes: *Sinite vsq; huc*; hoc est; satis est vsque huc processisse cum gladio, ne vltra progrediamini. Vel; sinite satellites vsque ad me venire, ne illos percutiatis. Probabiles sũt hæ expositiones. Est alia fortè probabilior, particulam, *vsque huc*, ad locum referens, hoc pacto: *Sinite vsque huc*, hoc est, sinite Malchum percussum vsque huc, id est, vsque ad hunc locum, in quo sum, vt illum tangam, & sanem, quod factum est. *Tetigit enim Dominus auriculam eius* (ait Lucas) *& sanauit eum*. Vnde colligitur auriculam non fuisse penitus abscissam, sed adhæsisse capiti, eamque cum capite coniunctã tetigisse Christum & sanasse.

Christus Malcho aurem reddit hostibus circumdatus.

Non caret mysterio hæc auriculæ abscissio. Non habebant Iudæi aurem dexteram, ad audiendum Christum, & Prophetas: ideo meritò auris dextera Malcho (quod nomen regem significat) abscinditur, sed sanatur Malchus: redditur illi auris dextera, quia nunc Iudæi multi audiunt: ad finem mundi omnes Christum audient & prophetas. D. Hieron. Matt. 26. Populus Iudæorum dexteram perdidit aurem, sed Dominus iis qui ex Iudæis credere voluerunt, reddidit, &c. Caueat Christianus ne aurem amittat dexteram, qua Deus auditur; sinistram verò seruet, qua auditur mundus, diabolus & caro. dextera auris, auris est audiendi, iuxta illud Domini, *Qui habet aures audiendi, audiat*, &c.

D. Hieron.

Aure dextera Deus auditur.

Christi attende benignitatem in hostes beneficia confert, miraculũ edit magnum, vt sanet Malchum. Erudiens nos (ait Chrysostomus Ioan. 18.) qđ in persecutores nostros, beneficos nos esse oportet, &c. hostes verò nihilo fiunt meliores. Obdurata corda sigilla signorum, id est miraculorum, non capiebant.

D. Chrys. In hostes charitas.

Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.

NOn vult Dominus defendi, quia defensione opus non habet vt iã ostendit, cùm satellites Satanæ, solo prostrauit. ideo Petro imperat vt gladium vagina recõdat; neque percutiat quemquam. deterret illum prima ratione ducta à supplicio, *Conuerte* (inquit) *gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*, &c. Sed nõ omnes qui gladiũ accipiunt, gladio pereũt: quomodo ergo verum est hoc dictum? D. Augu. li. 2. de serm. Dom. in monte c. 29. quem sequitur Beda, de spiritali gladio, id est, peccato, sic exponit. Omnis, inquit, qui gladio percusserit, gladio morietur, qa ipso peccato anima moritur quod cũque cõmiserit, &c. Ois igitur q alterũ iniustè occidit, se ipsũ occidit. lege eũdẽ Aug. in q veteris nouiq; testamẽti, q 104. Card. Caiet. verba Domini intelligenda ait; non de facto, sed de merito; quasi dixerit: Omnes qui gladio iniquè interfecerint hominem, morte digni sũt. Verisimilius Theophilactus arbitratur, Dominum his verbis legẽ Petro proposuisse, quæ de homicidiis ferri solet. Dictum, inquit, legis ponit quòd homicida & ipse occiditur. Lex enim hoc dicit: Qui acceperint gladiũ moriantur gladio, &c. ò Petre (ait Dominus) reconde vagina gladiũ, sic. n. lege statutum est, vt omnes homicidæ vita priuentur. Idem Theophylactus ait, verba hæc etiã indicare, Iudæos q gladium aduersus Dominum acceperant, gladio Romanorum perituros: à Romanis enim victi, & deuastati sũt. Et Euthymius: Prophetia, inquit, est perditionis Iudæorum, qui aduersus ipsum venerant, &c.

Quo modo omnis qui gladiũ accepit, gladio perit.

D. August. Beda.

Caiet.

Theophyl.

Iudæi gladio perierunt.

Euthym.

Exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum.

SVadet Petro secunda ratione, ducta ab auxilio Patris; simulque probat nullas esse hostium vires aduersus

se. Si enim voluerit, impetrabit à Patre duodecim Angelorum legiones; quorum vel vnus satis sit ad delēdam totam Iudæam. O Petre non indigeo tuo gladio, si me vellem defendere, hostiumque effugere manus, à Patre postularem auxilium, dedissetque mihi plusquam duodecim legiones Angelorum. Rogat Chrysostomus, cur non dixit; An putatis quia non possum omnes hos perdere? Respondet, quia nondum decentem, atque constantem de ipso fidem habebant, &c. Erant adhuc intellectu imbecilles discipuli, ad eorum captũ se demittit. De legione satis diximus tom. 2. cùm de legione dæmonum egimus. dixit autem Dominus plusquam duodecim legiones Angelorum; alludens ad numerum duodenarium Apostolorum. quasi diceret; Non indigeo vestro auxilio aduersus hostes vos paucissimi estis homines, nempe duodecim. (retinuit enim numerum Apostolorum) plusquam duodecim non homines, sed Angelos, imò plusquam duodecim Angelorum legiones impetrare à Patre possim, qui nō à Iudæis solum, sed ab omnibus etiam hominibus, si me impetāt, defendere me valeant, omnesque subitò disperdere.

Non erat opus Christo gladius.

Cur dixit Christus, plusquam duodecim legiones Angelorũ.

Quomodo ergo implebuntur Scripturæ?

IDem suadet tertia ratione, petita ab Scripturis. Ne me defendas Petre. Nam oportet impleri Scripturas Prophetarum, quæ de mea passione vaticinantur. Huiusmodi autem Scripturas, & in hoc & aliis tomis multas reperies, neque opus est easdem repetere. Matthæus infra ait: *Hoc autem totum factum est, vt implerentur Scripturæ Prophetarum,* &c.

Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?

QVartam adiicit rationem, sumptā ab obedientia. Pater iussit vt passionis calicem, licèt amarum, bibā: bibendus ergo est obedienter vsque ad guttam extremam. Calicem quem dedit & propinauit mihi Pater, non bibam illum? fieri hoc nequit. obtemperandum est Patri.

A

Colligamus hoc ex loco methodũ suadendi, tum nobis considerando, tũ aliis loquendo. Primùm ducamus rationem à supplicio, supplicio inquam ignis sempiterni; quod sanè etiam grauissimos peccatores à peccatis deterrere valet Deo iuuante. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribũt.* Hoc est, omnes qui peccatum acceperint mortiferum, quo velut gladio seipsos vita priuent; gladio æternæ damnationis peribunt. Secundò, ducamus rationem ab auxilio Dei, quod ille sufficiens oībus impertit, ad virtutem capessendã. *Dabit* (inquit) *mihi Pater plusquam duodecim legiones Angelorum,* &c. Sic dabit nobis auxilium ad fugienda peccata mortifera omnia, & virtutes oēs cōparandas. Tertiò, rationes ducamus ex Scripturis: sunt. n. in Scripturis rationes multæ, quæ suadere nobis & persuadere possint. *Quomodo* (inquit) *implebuntur Scripturæ?* quomodo implebuntur in me Scripturæ, quæ de viro iusto extant, si ego alio itinere abeo? Quartò, ducamus rationes ab obedientia: *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibã illũ?* Amarus est calix, at propinat illum Dei obedientia: bibamus illũ vsque ad amaras feces. dat illũ manus Patris; Pater est filiorum amans, quæ potiones filiis necessariæ sint, nouit. Pater amās filiũ, dat calicem: filius amās Patrem, bibat calicem, dicens: Calicē quem dedit mihi Pater, non bibam illum? fieri id nequit.

B C D

Vnde petendæ rationes ad suadendum.

Prima ratio ducitur à supplicio inferni.

2. Ab auxilio Dei.

3. Ex scripturis.

4. Ab obedientia.

Tanquam ad latronem existis.

VEnerant ad cōprehendendũ Christũ, vt Lucas scribit, principes sacerdotũ, & magistratus templi, & seniores. Non enim rem tantam Iudæ & satellitibus committere voluerunt: ipsi vt duces adfuerunt nocte intempesta. Postquā ergo discipulos allocutus est Dñs; magna cum tranquillitate animi, ad hos populi duces conuersus, sic

Alloquitur Christus principes sacerdotũ, &c.

eos est affatus. *Tanquam ad latronē exisiu cum gladijs & fustibus comprehendere me*, &c. Tanq̃ ad latronem, armis muniti, ad comprehendendum me vi venistis At verò, ego neque latro sum, neque vi comprehendi possum; quod ex iis quæ nunc contigerunt, intelligere potestis. Qui vno verbo vos potuit ꝓsternere, non potest vi comprehendi. intelligere idem potestis, quia quotidie vobiscum in tēplo fui, vbi me poteratis comprehendere, & non cōprehendistis, quia cōprehendi ego nolui. Iam nunc volo, iam nunc id vobis permitto. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*. Hæc est hora vestra, in qua vobis permitto id quod optatis exeq. Hæc est potestas tenebrarum, hoc est hominum impiorum, qui tenebræ sūt, & in tetra vitiorū caligine versantur; est etiam potestas tenebrarum, hoc est cacodæmonum (vt interpretatur Euthymius) potestatem tam illis q̃ vobis tribuo me comprehendendi. Si enim non tribuero, oēs tam vestri quam cacodæmonum conatus inanes erūt. Aliter: Non me tenuistis in templo tēpore diurno; sed nunc tempore hoc nocturno, ac tenebroso comprehendere vultis. nimirum hęc est hora vestra, vobis cōueniens; hominibus in caligine vitiorum versantibus, caliginosa hæc hora conuenit. hæc est potestas tenebrarum: hæc est potestas quæ vobis, q; tenebrę estis, permittitur à Deo, vt me comprehendatis.

Christus mansuetus vi comprehendi non potuit.

Exprobratio Christi ad milites.

Quæritur hoc loco, an principes sacerdotū, & seniores, venerint ad Christum. Nam Matthæus ait, conuenisse illos in domo Caiphæ illa nocte. *Illi (inquit) duxerunt Iesum ad Caipham, vbi scribę & seniores conuenerant*, &c. Caietanus Lucæ 22. putat verisimilius non venisse hos ad Christū. Lucas verò cū ait illos venisse, sic est intelligendus; *dixit ad eos qui venerant ad se principes sacerdotum, & magistratus templi & seniores*, &c. hoc est, dixit ministris horū hæc verba. Affuerunt.n. illi non per seipsos, sed ꝑ suos ministros, quos Christus dicitur affatus Beda Lucæ 22. Nō per seipsos, inquit, sed per eos, quos miserunt ad cōprehendēdum Christū, quid aliud quā ipsi in suæ iussionis potestate venerunt? &c. Probabilior multò est alter respondendi modus, quem Caiet. attigit, non venisse ad Christum oēs principes sacerdotū, & Seniores, sed nonnullos; in domo verò Caiphæ alios expectasse rei exitum. Cōsidera quæso Christū inter hostes animo pacatissimo, oībus verbum suum impertientem. Iudam proditorē alloquitur, ac monet; postea Petrū & discipulos; tandem ipsos sceleris duces seniores, & principes sacerdotum. interim omnes audiunt, nemo in eum manus inijcit quousque hora adfuit tenebrarum. ò diuinam Christi potentiam.

An principes seniorū venerint ad Christū Caietan.

Beda.

Christi mirabilis patientia.

Cohors ergo, & tribunus, & ministri Iudæorum, comprehenderunt Iesum, & ligauerunt.

POstquam Dominus Iudæis potestatem dedit, dicēs: *hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*; iniecerūt in eū manus, & comprehenderunt eū. Ioannes ait *cohortē, & tribunū, & ministros Iudæorum eum comprehēdisse, & ligasse*; funibus nimirū, vel etiam catenis ferreis, vt ducerent cautè. Cohorti præerat tribunus, qui Grecè dicitur χιλίαρχος, hoc est, dux mille militū: ministri Iudæorum appellantur satellites alii, quos principes sacerdotū, & seniores cum cohorte miserant. *Tunc (vt aiunt* Matthæus, & Marcus) *discipuli omnes fugerunt*. Petrus verò, & Ioannes, ex fuga retracti, Dominum sunt secuti vsq; ad domum Caiphæ Extant adhuc speluncæ, quæ dicuntur latibula Apostolorum, in descēsu Vallis Iosaphat. Percussit Deus Pastorem summum comprehensione, dispersæ sunt oues, & in latibula confugerūt Spiritus quidem promptus erat, cùm dicebant: *Etsi oportuerit nos mori tecum, non te negabimus*; caro verò infirma fuit, cùm reliquit Christum, ac fugit. Valida est vt mors dilectio (ait Beda Matth 26) ꝑ amorē non timuerunt discipuli damnū mortis Sed vana fuit præsumptio humana sine ꝓtectione diuina, &c. Solus Christus

Comprehēditur Christus.

Quis tribunus dicatur.

Fugiūt discipuli.

Beda.

ſtus comprehēſus eſt, ſolus crucifixus, torcular calcauit ſolus; quia ſolius Chriſti ſanguis peccatorum noſtrorū erat medicina. Vnde Origenes Matth. 27. ad illa verba Petri; *Etſi oportuerit me mori tecum*; Cum Ieſu (inquit) pro nobis omnibus moriente mori, vt nos viuamus, hominum non erat: quoniam omnes fuerāt in peccatis, & omnes opus habebant, vt pro eis alius moreretur, non ipſi pro aliis, &c.

Origenes.

Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum.

ADdit D. Marcus, minoris ætatis adoleſcentem quendam, ſindone ſola coopertum ſuper nudo corpore ſecutum Chriſtum comprehēſum. Comprehenſus ille eſt ab aliis adoleſcentibus, ſic enim Græcè legitur, *καὶ κρατοῦσιν αὐτὸν οἱ νεανίσκοι*: id eſt, & tenuerunt eum adoleſcentuli. At ſindonem quam apprehenderant, reliquit, nudusque profugit. In cōtrouerſia eſt, quisnā hic fuerit adoleſcentulus, Græcè *νεανίσκος*, D. Greg. Iob. 29. ad illa verba; *conſumptis carnibus*, &c. Et 1 Reg. cap. 15. arbitratur fuiſſe Ioānē Euangeliſtam, nec diſſentit Beda Marci 14. extatque opinio in gloſſa ordinaria. eam ſequitur Baronius in Annal. citatq; pro ea Ambr. Pſal. 36. Creditur, inquit, adoleſcens hic fuiſſe Ioānes, veſte adhuc cœnatoria indutus, &c. Sindonem vult ſignificare veſtē cœnatoriā. Si roges cur Apoſtolus ſindone, vel veſte cœnatoria ſuper nudo indutus in hortū exierit; Reſpondet, par eſſe exiſtimare cū de Iudæ proditione cognouiſſet cæteris manifeſtius, magno mœrore affectum, Dominiq; tantum memorem, profunda ſui obliuione ſepultum, nihil de ſuméndis ſuis veſtibus cogitaſſe. At verò nimiā obliuionē Ioanni tribuit; neque videtur probabile veſtiū obliuiſci potuiſſe. vide quæ ſuprà dicta ſunt de veſte cœnatoria. Sed probabilitate caret. Quis enim credat, Ioannem ex domo cœnæ exiiſſe in hortū, amictum tantū ſindone ſuper nudo corpore? illa enim ſindon veſtis non erat. Ioannes præterea huiuſmodi veſte non ſolebat vti. Refutat hanc ſententiam Card. Caiet. Ientaculo ſexto q. 4. eo quòd Ioannes tempore paſſionis, iam agebat annum trigeſimum: non ergo dici poteſt *νεανίσκος*, id eſt, adoleſcentulus. Quidam (vt ſcribit Theophylact.) dicunt fuiſſe Iacobum minorē; hoc putat D. Epiphanius hæreſi 78. ſolebat enim linea indui veſte. Verum Iacobus, vt eodem loco ait Epiphanius, nonaginta ſex annos vixit, obiit autem trigeſimo anno poſt paſſionem Domini, vt tradit Hieronymus in lib. de viris illuſtrib. ergo tempore paſſionis non erat adoleſcentulus. Denique Marcus indicat hunc adoleſcentem non fuiſſe Apoſtolum: poſtquam enim ſcripſit, diſcipuli omnes fugerunt, ſubiicit; *Adoleſcens autē quidam ſequebatur eum*, &c. Adoleſcēs (inquit) non diſcipulus; ſi diſcipulus fuiſſet, dixiſſet: Vnus autē ex iis ſequebatur eum, &c. Quis igitur fuit? Theophylactus putat fuiſſe adoleſcentem ex domo in qua cœnauerat Chriſtus; Victor Antiochenus idem coniicit. Veriſimile eſt fuiſſe adoleſcentulum aliquem horti cuſtodem, in quo Dominus eſt comprehenſus: vel alium quempiā qui eodem in horto nocte intempeſta capiebat ſomnum, tumultu excitatus prodiit, & Chriſtum ſecutus eſt curioſitate ductus, vt eum videret ligatū.

Quis nam fuerit adoleſcens qui reiecta ſindone fugit.

D. Gregor.

D. Epipha.

Theophyl.

Dubitatur præterea an ſindon illa veſtis fuerit, an linteum aliquod nullā formam veſtis habens? quod appellamus *lencol*. Non deeſt, qui putet fuiſſe genus veſtis lineæ, ſed calidæ, qua homines aduerſus vim frigoris vterētur quales ſunt, quas dicimus, *Camarras, et Bernios*. Card Baron. vt ſuprà diximus, veſtem cœnatoriam fuiſſe ait, quā indui cœnare in lectis ſolebāt antiqui. Formam veſtis non habuiſſe veriſimilius eſt. Probatur, quia ſi veſtis fuiſſet, non dixiſſet Euangeliſta, amictus ſindone ſuper nudo; indicant enim hæc verba fuiſſe lencolium: de veſte enim non dicitur, amictus ſuper nudo; de lencolio autem rectè dicitur. Idē probant verba illa; *At ille reiecta ſindone nudus profugit ab eis*; &c. Sindon enim facilè reiicitur veſtis poſtq̄ induta eſt, difficilè.

Quid fuerit ſindon adoleſcentu.

Mora-

Morale.

SVrgamus nos quoque à peccati sõno, tumultu hoc stupendo excitati videamus ligatum Christum, & sequemur. Quem non excitet Deus propter peccata vinculis constrictus, & impiorum hominum potestati traditus? *hæc est hora vestra* (ait) *& potestas tenebrarum*, &c. Quænam tenebræ crassiores esse possunt, quam peccata? hæc est potestas harum tenebrarum, hæc est põtestas peccatorum. Neque Iudæi, neq; Ethnici, neque hostes omnes tartarei Christum potuissent ligare; si peccata nostra, & amor illius, ipsum non ligassent. Threnorum 4. (ait Ieremias) *Christus Dominus*, Hebraicè, *Christus Iehouah, captus est in peccatis nostris*, &c. Si quæritis, quis tantam habuerit fortitudinem, vt ligare potuerit hominem Deum. Respondeo, habuerunt peccata nostra; captus est Christus Deus i peccatis nostris, ipsis peccatis veluti vinculis, & amore quo nos prosequebatur, obstringi voluit, vt nos soluamur, & spiritu donemur, quo viuamus: est enim Christus spiritus, id est, halitus oris nostri: quemadmodum absque halitu nemo viuit, ita sine Christo. Iud. 16. *Ligatus est fortissimus Sanson* à Dalila, *sed vincula sic rupit, quõ si rũpat quis filũ de stuppa tortũ sputamine*, &c. Si externa illa vincula, quibus fortissimus noster Sanson vinctus erat, cõsideres; stupea erãt, vt stuppæ filũ sputamine tortũ dissoluere illa poterat. Sed si vincula peccatorũ expẽdas, non stuppea erant, sed adamantina: nullus ea Sansõ disrũpere potuisset, ipsa Dei fortitudine dissoluenda erant. Hæc erat potestas tenebrarum, id est, peccatorum: quas solus sol splendidissimus suo poterat illuminare fulgore.

Potestas tenebrarum id est, peccatorum nostrorum. Thren. 4.

Ligarunt Christum peccata nostra.

Iud. 16.

Poterat redéptor noster vincula quib. ligabatur, facilè dissoluere.

Capta est arca Dei, magno cum Israelitarum dolore 1. Reg. 14. Sic captus est Christus magno cũ discipulorũ mœrore ac stupore. captam arcã in medio Philistæorũ Israelitæ dereliquerũt; captũ Christũ in medio Iudæorum & satellitũ discipuli deseruerunt. Sola illa Dei Arca, id est, Christus, pretiũ redẽptionis nostræ cõtinebat; ideo hostib. tradita est vt illã perfringerẽt, pretiũ que effunderent. In vxorẽ Phinees cũ captã esse audiuisset arcã, partus dolores irruerũt, peperitq; filiũ, cui nomẽ imposuit, Ichaboth, dicens: *trãslata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei*, &c. Vtinã in eos qui captã audiũt thesaurorũ Dei Arcã, dolores irruãt parturientis, dolores, inq̃, contritionis, pariantq; & ex visceribus expellant teterrima peccatorũ monstra, q̃ animo fouent. Vtinã considerent magno cum mœrore captã gloriã Israel, idest, Christũ gloriã cæli, terrarũq; vt cælestem gloriã afferat mũdo. Rectè dixit vxor Phinees: *translata est gloria Domini ex Israel, quia capta est Arca Domini*: nam gloria Dñi, hoc est, Messię cęlestis gloria, translata est de Israel ad gẽtes, quia capta est arca Dñi: hoc est, quia cõprehẽsus & occisus est ab Israele Messias; cælestis gloriæ totus mũdus factus est particeps, Iudæorũ pleriq; eã amiserũt. Vocauit mater filiũ *Ichabod*; id est, Vbi gloria? vt roget Synagoga filium suũ, id est, populũ Israeliticũ, vbi est gloria nostra fili? vbi tẽplũ? vbi Sãcta Sãctorũ? vbi arca Dei? vbi Cherubini? vbi Regnũ? vbi Sacerdotiũ? vbi Põtificatus? vbi promissionis terra fluẽs lacte, & melle? Translata est gloria de Israel, extorris viuit, & profugus absq; gloria; Cur? Quia capta est Arca Dei: quia captũ & cõprehensũ Christũ occidit; neq; postq̃ resurrexit, eundẽ vocantẽ vult dextera aure audire. Reddit Dñs aurẽ dexterã Malcho; cũ hoc tẽpore nõnullos Iudæos vocãs cõuertit, in fine aũt mũdi oib aurẽ restituet, & gloriã quoq; veri Messię Iesu, quem cognoscẽt, & Mosaica lege relicta cõplectentur. Isaiæ 3. *Vę animæ eorũ, quoniã reddita sũt eis mala*, &c. Septuaginta vertunt: *Vę animæ eorũ, quia cõsiluerunt consiliũ malũ contra se, dicentes; Alligemus iustũ, quoniã inutilis nobis est. Igitur fructus operũ suorũ comedẽt*, &c. Malũ consiliũ consuluerunt Iudæi contra se dicẽtes: Alligemus iustũ, id est, Christũ, & occidamus, q̃m inutilis est nobis hic Messias. Igitur fructus operum & peccatorũ suorum amarissimos comedent, videlicet supplicium amarissimum lege Sapientis c. 2.

Arca Dei capta, dolores partus vxorẽ Phinees comprehenderunt.

1. Reg. 4. Translata est gloria Dei à Iudæis.

Ichabod significat, vbi gloria.

Iudæi in fine mundi conuertentur.

Isai. 3.

Demi-

Deniq; ligatus est Deus, vt solueret homo: *Si me*, inquit, *quæritis, sinite hos abire*. Me ligate vt soluātur à peccatis hoīes, & liberi ī cælū abeāt. Adolescēs astt ille, qui Christū sequēs, relicta sindone, profugit nudus, docet nos oībus humanis rebus relictis, nudos à mūdo profugere. Beda in Marcū: Iste, inquit, adolescens illorū & opus designat, & animum; qui vt securiores ab incursib. hostium fiant, quidquid in hoc mundo possidere videntur abiiciunt. ac nudi potiùs Domino famulari, quàm adhærendo mundi rebus, materiam tentandi, atque à Deo reuocandi, aduersariis dare didicerunt, &c.

Beda.

Sindonē relinquet, q vt Christū sequantur tēporalia deserunt.

CAPVT XVIII.

De gestis apud Annam.

IOANNES CAPITE XVIII.

ET adduxerunt eum ad Annam primùm; erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius.

Ligatum Christū duxerūt satellites primò ad Annam, deinde ad Caiphā. Ductionis ad Caiphā nō reddit rationē Ioannes, quia patebat; erat enim Pontifex. Ductionis ad Annam causam proponit, quia non erat Pontifex. *Erat enim* (inquit) *socer Caiphæ, Pontificis illius anni*. Quasi dicat: Non est ductus ad Annā tanquam ad Pontificem iudicādus: nō enim erat Annas Pontifex, sed Caiphas; ductus verò est, q̄a Annas socer erat Caiphæ Pontificis, honoris causa.

Ad Annā Christus ducitur, honoris causa.

Quid in domo Annę gestum sit quęritur? D. August lib. 3. de consensu c. 6. existimat, rogatū ab Anna de discipulis, & doctrina, eiusque in domo alapa percussū. Quę sententia vulgaris fuit, eo quod minus perspicaciter considerantibus, Ioannis narratio illā indicare videatur. Verum difficili argumēto refutatur: cōstat.n. ex aliis tribus Euāgelistis, Matthæo, Marco, & Luca, Petrū ter negasse Christum in domo Caiphæ: ex hac verò Augustini sententia, & eorum, qui illū sequuntur, efficitur negasse in domo Annæ. Nam apud Pōtificem negauit Petrus, apud quē Christus alapa percussus est, vt Ioannis narratio demōstrat. Quòd si is est Annas, apud Annam negauit: quod repugnat reliquis Euangelistis.

Quid sit actū in domo Annæ. August.

Caietanus Ioannis 18. sibi persuasit Petrum negasse septies; partim in domo Annæ, vt scribit Ioannes; partim in domo Caiphæ, vt cæteri Euangelistæ narrāt; diuersas enim censet fuisse eas negationes, quarum Ioannes meminit, ab illis, quas reliqui commemorant. Quod si verum est, facilè argumētum soluetur. sed de numero negationum posteà dicemus. Euthymius sic conciliat Euangelistas: Tres (inquit) Euangelistæ, tres Petri negationes in domo Caiphæ factas esse dicūt; Ioannes autem in domo Annæ. nec tamen ob hoc inter eos est dissonantia. Siquidem amborum, id est, Annæ & Caiphę vna domus erat, idemque atriū, habēs in se duo habitacula à se inuicem separata. sic ille. Cùm ergo eadem esset domus Annæ & Caiphæ, nihil mirum, si Ioannes negationes in domo Annæ factas ait; reliqui Euangelistæ in domo Caiphæ. Sed eandem fuisse domum nō probatur. Adrichomius quidē in theatro Terræ sanctę, in ciuitate superiore & monte Sion, duas collocat domos; alterā Annæ, alterā Caiphæ, q̄ ait fuisse palatiū cuiuscunq; sūmi Pōtificis.

Caietan.

Euthym.

An fuerit vna domus Annæ & Caiphæ? Adrichom.

Respondetur, eum, qui Christū Ioānis 18. de discipulis, & doctrina interrogauit, apud quē alapa percussus est, item

In domo Caipha alapa percussus est Dominus.

itē apud quē Petrus ter negauit; non fuisse Annam, sed Caipham. Probatur sic: Apertè Ioannes ait Caipham fuisse Pontificem anni illius, non Annam, cum sic scribit; *Adduxerunt eū ad Annam primum; erat enim socer Caiphæ, q erat Pōtifex anni illius*, &c. Caiphas ergo erat Pontifex illo anno, non Annas. Subiicit Ioannes, Petrum introisse in domum Pontificis; Pontificem interrogasse Christum de doctrina & discipulis, percussumque alapa; & Petrum negasse. Sanè hæc omnia, cum in domo Pontificis facta dicantur; in domo Caiphæ facta sunt, non in domo Annæ. Caiphas enim Pontifex erat, non Annas. Conciliat hæc sententia egregiè Euangelistas omnes, vt infra dicetur. Ea est D. Ephrem in serm. de passione, in quo ait Christum alapa cæsum coram Caipha. In eodem adduci tur D. Cyrillus; ille tamen nō satis explicat quid senserit. Sequuntur illam recentiores Iansenius, Buisonius, Arias Montanus Ioan. 18. & alii. Obiicitur; Ioannes postquam dixit Christū interrogatum de doctrina, & discipulis, & alapa percussum, Petrumque negasse semel; addit hæc verba; *& misit eum Annas ligatum ad Caipham*, &c. Ergo, quæ ante hæc verba narrauerat, in domo Annæ facta sunt, nō in domo Caiphæ. Respondetur, hæc verba addita esse per recapitulationem, qua si diceret. Hæc quæ narrata sunt, in domo Caiphæ contigerunt; nam Annas ligatum Dominum misit ad Caipham Pontificem. Præterea significat Ioannes his verbis nihil Annam de Christo statuisse, quia non erat Pontifex, sed ad Pontificem Caipham protinus misisse iudicādū.

Obiectio.

Responsio.

CAPVT XIX.

De gestis in domo Caipha.

De responsione Christi, & alapa.

IOANNES CAPITE XVIII.

POntifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus sim ipsis. Ecce hi sciunt, quid dixerim ego. Hæc autem cum dixisset, vnus assistens ministrorum, dedit alapam Iesu dicens: Sic respondes Pontifici? Respondit Iesus: Si malè locutus sum, testimoniū perhibe de malo: Si autem bene, quid me cædis?

CAptam arcam Dei Philistei i domū idoli Dagon attulerunt 1. Reg. 5. Eodem modo Satellites captū Christū, arcā thesaurorum Dei, in domum Caiphæ adduxerunt, qui Pontifex erat anni illius, vel potius Pontificis idolū, quia munus gerebat non virtutē Pontificis, iuxta illud Zachar. 11. *O pastor & idolum*. Non tulit Dagon Arcæ præsentiam, ante eam concidit, pronus atque confractus; nec tulisset quidē pessimus Dagō Cai-

phas Christi conspectum ante eũ procidisset, vt milites in horto prociderunt, nisi Christus potentiam suã frenasset, vt pro nobis à iudicio æterno liberandis iniquam subiret iniqui iudicis sententiam. Cõprehensus est Dominus in Gethsemani ad radices montis Oliueti; ductus deinde in montem Sion in domos Annæ & Caiphæ, quas paulo antè ex theatro terræ Sanctæ, diximus fuisse in ciuitate superiori, quæ sita erat in monte Sion. In domo autem, non Annæ, sed Caiphæ, de doctrina, & Discipulis est interrogatus, & alapa percussus, vt c. 18. dictum est. Soarius episc. Conimbr. ait, hortũ, in quo Dominus est comprehensus à domo Caiphę distare vnius milliaris spatio Addit in via sita est domus Annæ. ideo Iudæi ad eum prius Christũ duxerunt, &c. Adricomius in descript. Ierusal. nu 207. testatur, domum Annę loco, in quo captus est Dominus, bis mille trecentis sexaginta gressibus distasse; à domo verò Annæ per trecentos triginta gressus, ad domum Caiphæ adductum.

Domus Annæ, & Caiphæ, in ciuitate superiore erãt.

Interrogauit Caiphas Dominũ de doctrina sua, & discipulis, hoc est, interrogauit quid doceret, qualéve doctrinam traderet discipulis suis: vbinam illi essent, quorsum illos congregasset? Interrogabat autem, vt ansam aliquam accusandi ex responsione sumeret. Potuit etiam interrogare, vbi doctrinam didicisset, à quibus magistris, qua autoritate illam doceret; sed interrogasse potius videtur, quidnam doceret. Ad hoc enim respondit Dominus: *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, & in tẽplo, quo omnes Iudæi conueniunt*, &c. Quasi dicat, rogas quid doceam? rogẽtur testes, qui me audierunt. Ego enim corã omni populo docui in locis publicis in Synagogis, & in templo. nõ clãs testes meæ doctrinę habes multos, me interrogare opus non est. Si vis scire, quæ sit mea doctrina, eos interroga, qui me sæpe multique audierunt. Noluit Christus Pontifici ansam dare, q̃ quærebat, ad testes illũ remisit. de Discipulis non fuit opus respondere, quia alapa percussus respondit potius percussori. Illa verba. *In occulto locutus sum nihil*, &c. dubium habẽt: Christus enim multa docuit Apostolos; nõ palã, in synagoga, vel tẽplo, sed aliis locis in occulto: Respõdetur, Christũ docuisse in synagogis & templo publicè, nihil autem docuisse in occulto hoc est furtim, locis absconditis, fugientẽ magistratus, vt hæretici facere solent, qui falsam disseminant doctrinam. Docebat discipulos domi vel in montibus, si non publicè, certè publica, iuxta illud Matth. 10. *Quæ in aure auditis, prædicate super tecta*, &c.

De quibus interroget Dominum Caiphas.

Respondet Dominus Caiphæ.

Christus remittit Caipha ad testes.

Publicè Christus docuit.

Dedit alapam Iesu.

HÆc prima fuit alapa earum, quarum fecere mentionem Euangelistæ. Exhorrescat (ait hoc loco Diuus Chrysost.) cõtremiscat terra de Christi patientia, &c. Neque verò terra dehiscit, neque contremiscit, non exhorret cælum; quia Maiestatis suæ radios Dominus continet, vt pro nobis pati possit, nosque patienter doceat iniurias tolerare. D. Aug. tracta 113. Quid inquit, horum, scilicet suppliciorum, per potentiam iubere non potuisset, is, per quem factus est mundus; nisi patientiã nos docere voluisset, qua vincitur mundus? &c. Quęritur quis nam fuerit minister hic? D. Chrys. coniicit fuisse Malchum illum, cui Christus abscissam aurẽ reddidit: sequitur Enthymius. Non apparet ratio, quæ hoc suadeat. Verisimilius est alium fuisse quẽpiam ex ministris, siue famulis, qui Põtifici Caiphæ assistebat. Nam si Malchus fuisset, Ioannes eum hoc loco nominasset, sicut suprà nominauit cum à Petro est percussus.

Alapa percutitur Dominus.

D. Aug.

D. Chrys.

Authoris sententia Malchus non dedit alapam Iesu.

Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo.

INterrogat Aug tract. 113. in Ioãnẽ, cur non fecit Dominus, quod præcepit; *Si quis te percusserit in vna maxilla, præbe ei alteram?* Respondetur, Christũ, q̃ docuit, satis superq; exemplo cõfirmasse, cum diuinum vultum paulo post mille alapis summo silentio

Cur Christus respondit percussori.

tio obtulit. Nunc autē respondere voluit, ne fateri videretur crimen obiectum irreuerentiæ, aduersus Pontificem, cui magnus honor debetur. Sic Paulus Act. 23. *Nesciebam*, inquit, *quia princeps est sacerdotum*, &c. Documentum verò allatum: *Præbe illi alteram*: seruandum est semper præparatione animi: seruādum quoque extrinsecus, si circunstantiæ non indicēt aliud melius esse. Ad hæc, voluit Dominus semel in principio respōdere, & arguere eum, à quo iniustè percutiebatur, vt cæteros omnes admoneret seruandam in Conciliis & iudiciis iustitiā. *Si male, inquit, locutus sum, testimoniū perhibe de malo; si autem bene, cur me cædis?* Quasi diceret: Malè facta sunt punienda in iudicio, si testimoniis veris prius confirmentur: Quod autem benè gestum est, puniendum non est. D. Amb. Psal. 37. Percussus, inquit, Dominus respondit; Vide quemadmodum quasi vir infirmus, & quasi is qui se vindicare non posset, pueri li quodam loquebaē affectu: ita & tu si habeas quo redarguas arguentem, melius tacebis; ne redarguendi vicissitudine, commotionem tuam perdas. Melius est enim dissimulare iniuriam, quàm cum redarguis, vindicare. Sic ille. Illud vero qđ ait Christum puerili quodam locutū affectu, quasi se non posset vindicare, sic explicandum: respondisse Dominum perinde ac si puer esset imbecillis, qui se vindicare non valeret, cū tamen puncto temporis percussorē Tartareis posset ignibus incendere.

CAPVT XX.

De gestis in domo Caipha.

MATTHAEVS CAPITE XXVI.

AT illi tenentes Iesum, duxerunt ad Caipham principē Sacerdotū, vbi Scribæ & seniores conuenerant. Principes autem sacerdotum, & omne concilium quærebat falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent, & non inuenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Nouissimè autem venerunt duo falsi testes & dixerunt: Hic dixit. Possum destruere templum Dei, & post triduum reędificare illud. Et surgēs princeps sacerdotum ait illi: Nihil respōdes ad ea, quæ isti aduersum te testificantur? Iesus autem tacebat. Et princeps Sacerdotum ait illi. Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei. Dicit illi Iesus: Tu dixisti: veruntamen dico vobis, amodo uidebitis Filium hominis sedētem à daxtris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Tunc princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemauit: quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam, quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt, Reus est mortis. Tunc expuerunt in fa-

Digitized by Google

ciem eius,& colaphis eum cecide͏runt, alii autem palmas in faciem eius dederunt,dicentes: Prophetiza nobis Christe,quis est, qui te percussit?

MARCVS CAPITE XIV.

ET adduxerunt Iesum ad summum sacerdotem,& conuenerunt omnes sacerdotes,& Scribæ,& seniores. Summi verò sacerdotes,& omne concilium quærebant aduersus Iesum testimonium, vt eum morti traderent: nec inueniebant. Multi autem testimonium falsum dicebant aduersus eum:& conuenientia testimonia non erant. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant aduersus eum,dicentes,Quoniam nos audiuimus eum dicentem: Ego dissoluam templum hoc manufactũ, & post triduum aliud,non manufactum ædificabo. Et non erat conueniens testimonium illorum. Exurgens autem summus sacerdos in medium, interrogauit Iesum, dicens: Non respondes quidquam ad ea,quæ tibi obiiciuntur ab his? Ille autem tacebat, & nihil respondit. Rursum summus sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Christus filius Dei benedicti? Iesus autem dixit illi: Ego sum:& videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei,& venientem cum nubibus cœli. Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua,ait:Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam,quid vobis videtur? Qui omnes condemnauerunt eum esse reum mortis. Et cœperunt quidam conspuere eum,& velare faciem eius,& colaphis eum cædere, & dicere ei, Prophetiza;& ministri alapis eum cædebant.

LVCAS CAPITE XXII.

COmprehendentes autem eum,duxerunt ad domum Pōtificis sacerdotum: Et viri,qui tenebant illum,illudebant ei,cædentes; & velauerunt eum, & percutiebant faciem eius,& interrogabant eum,dicentes; Prophetiza,quis est, qui te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.

Digitized by Google

Conuentus tenebrarũ aduersus Dominum.

IN domo Caiphæ, vt ait Matthæus, Scribæ & seniores cõuenerant. Marcus ait cõuenisse omnes sacerdotes, & Scribas, & seniores. aderant etiam illi, qui ad Christum ierant alligandum: Tempus erat nocturnum, cõuentus nocturnus, potestas tenebrarum, tam Pontifex, qui conuentui præerat, quàm reliqui, qui aderant iudices, tenebris erãt oppleti ignorantiæ, odii, inuidiæ. *Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersum Christum eius*, Psal. 2. Expẽdite quæso eorũ Principum iudicumq; æquitatem, & amorem, quo iustitiam prosequebantur; expendite animos ab omni odii & inuidiæ caligine alienos. *Principes sacerdotum*, inquit Matth. *& omne cõcilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent*, &c. Iudicesne sunt hi, an lupi, aut leones seuissimi, Dei agnum circumuenientes? iudicum est vera quærere testimonia, hi quærebant falsa. Iudicum, est innocentem mortis faucibus eripere; hi innocentem morti tradere cupiebant; idcirco enim falsa quærebant testimonia, non vt pœna aliqua modica illũ afficerẽt, sed vt morti crucis omni opprobrio plenæ traderent. O potestates tenebrarũ; ò caliginẽ Tartaream, ò tenebras Ægypti tenebris crassiores & palpabiliores.

Iudicis est innocẽtem tueri, non condẽnare iniustè.

Psal. 81.

Deus stetit in Synagoga deorũ.

Psal. 81. *Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem Deos diiudicat, vsquequo iudicatis iniquitatem*, &c. Verè tũc Deus stetit in Synagoga Deorum, id est, iudicum. Iudicabatur palã, sed iudicabat occultè: in medio aũt Deos id est, iudices diiudicabat. At illi, vt est in eodem Psalmo; *nescierunt; neque intellexerunt; in tenebris ambulant*, &c. *Lux in tenebris lucet*, vt ait Ioan. cap. 1. *& tenebræ eam non comprehenderunt*. Quærebant, inquit, falsa testimonia: iudices videlicet, quorum munus est falsa testimonia repellere: atque è iudicio exterminare, hi ea quærunt, inuestigant, excipiunt. Sed quorsum testimonia quæritis, qui Innocentem occidere iam decreuistis? Volebant cæci

A homines speciem aliquã iuris illi accusationi obtendere. Nunquid inuenerunt quod quærebant? *Et non inuenerunt*, ait Euangelista, *cum multi falsi testes accessissent*. Græcè bis legitur, *non inuenerunt*, ἐζήτουν ψευδομαρτυρίαν, καὶ οὐχ εὗρον. καὶ πολλῶν ψευδομαρτύρων προσελθόντων οὐχ εὗρον, i. *quærebant falsũ testimoniũ, & nõ inuenerũt, & cũ multi falsi testes aduenissent, non inuenerũt.* Inuenerunt illi quidem falsos testes, B qui falsa dicerent testimonia: at falsa testimonia nõ inuenerunt. Accesserũt ad iudicium multi falsi testes; sed testimonia falsa, quæ iudices quærebãt, non adducebant.

Obiectio.

Dubitatur: falsi testes dicuntur ii, qui falsa testimonia dicunt. si ergo falsi testes erant, falsa testimonia dicebant, ergo inuenerunt iudices falsa testimonia, quæ quærebant. Respondeõ,

Responsio.

inuenisse quidẽ iudices falsa testimo C nia, sed non talia, qualia quærebant. Quærebant enim testimonia, quæ crimen continerent, quod morte crucis dignum iudicaretur à Pilato: at testes falsi nullum huiusmodi crimen obiiciebant. Vnde D. Marcus c. 14. ait: *Multi testimonium falsum dicebãt aduersus eum, & conuenientia testimonia non erant*, &c. Non erant inquam conueniẽtia ad inferẽdam mortem crucis. Græ D cè, ἴσαι αἱ μαρτυρίαι οὐκ ἦσαν, hoc est *non erant æqualia morti*, non erant idonea ad mortem à Pilato inferendam.

Testimonia non cõuenientia.

Nouissimè autem venerunt duo falsi testes.

NOuissimè, Græcè ὕστερον, id est, *posterius*: post alios testes venerunt ad dicendum testimonium duo falsi testes: testimonium autem huiusmo E di erat. *Hic dixit; Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud*, &c. Marcus sic: *Ego dissoluam templum hoc manufactum, & per triduum aliud non manufactum ædificabo*, &c. Dixerat hoc Dominus, Ioan. 2. *Soluite*, inquit, *Tẽplum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, &c. Cur igitur dicitur hi duo falsi testes, cũ verba recitẽt, quæ Dñs dixit? Respõdetur, propterea fal

Falsum testimonium explicatur

ſos teſtes appellari, quòd verba eo ſẽſu & ſignificatione recitant, quæ à Domino non ſunt dicta. illi aiunt Dominũ dixiſſe; Ego poſſum deſtruere hoc templum Dei ex lapidibus constructum, & ab Herode exædificatum, & in tribus diebus illud reædificare. *Dominus autem*, (ait Ioannes) *dicebat de templo corporis sui*, &c ergo falſum erat teſtimonium, ſiquidem Dominus de templo metaphorico corporis ſui verba faciebat: teſtes, de templo ipſo, in quod Iudæi confluebant, loquebantur. Præterea falſum erat teſtimoniũ, quia Chriſtus dixit, Soluite templum hoc corporis mei, neque verò dixit: Poſſum deſtruere vel diſſoluam templum hoc; ſoluite (inquit) & deſtruite vos; ſi deſtruatis, ego ędificabo. In hoc autem verbo poſitum erat crimen, ſcilicet, in euerſione templi Dei. Adde, non appellaſſe templum manufactũ, illud quod erat euertendum; aut non manufactum, illud quod erat ædificandum: falſum enim erat, templum corporis Chriſti, appellare manu hominũ factũ; quod in viſceribus virginis, Spiritus Sancti opera fuit efformatum.

In quo poſitũ erat crimen.

Nihil reſpondes ad ea quæ iſti aduerſum te teſtificantur.

MOs eſt reorum teſtimonia refellere aduerſariorũ. At Dominus teſtimonia nulla refellebat; ſed teſtib. pro libito accuſantibus tacebat. Iuxta illud Pſal. 37. *Ego tanquam ſurdus non audiebam: & ſicut mutus nõ aperiens os ſuum*, & itẽ eodem Pſalmo, *Factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones*, &c. Multas iuſtiſſimasque redargutiones, habebat Dominus in corde ſuo, quibus & redarguere, & facilè refutare poterat obiectas calũnias; ſed non habebat in ore. Optimũ eſt in cõuitiis tacere, & redargutiones nõ habere in ore. Sic Dauid Pſal. 38. *Poſui ori meo cuſtodiam, cum cõſiſteret peccator aduerſum me obmutui, & humiliatus ſum; & ſilui à bonis*, &c. A bonis (inquit) redargutionibus, & refutationibus ſilui, quibus conuicia

Pſalm. 73.

Patiẽtia ſilẽtium amat in conuitijs.

Pſalm. 38.

A potuiſſem redarguere. Silentium patientia amat. Iſai. 53. *quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet*, &c. Vir iuſtus, vt agnus coram tondente obmuteſcit: at vir iracũdus & improbus, vt canis, ſi vel minimo lapillo petatur, latrat, & mordet. D. Ambroſ. Pſal. 37. Petrus (inquit) præclarè in ſua epiſtola poſuit. 1 Pet. *Qui cũ malediceretur, nõ maledicebat, cum pateretur, non comminabatur.* Ad eius ergo ſimilitudinem iuſtus cupiens vitæ inſtituta formare, accuſatus tacet, læſus remittit, diſſimulat laceſſitus, & non aperit os ſuũ. Hæc ille, & multa alia in hanc ſententiam.

Iſai. 53.

Cum Chriſtus taceret, Caiphas Põtifex moleſtè ferens, è cathedra ſurrexit, ſicque eum eſt affatus: *Nihil reſpondes ad ea quæ iſti aduerſum te teſtificantur?* Hoc eſt; quid agis? præter morem reorum taces, & teſtimonia aduerſum te dicta non refellis. Chriſtus autẽ neque illi reſpondit quidquam. Græcè ſic nunc legũtur verba Caiphæ, *οὐδὲν ἀποκρίνῃ*; per duas interrogationes, *τί οὗτοί σου κατὰ μαρτυροῦσιν*. id eſt, *Nihil reſpondes?* hic vna eſt interrogatio. Altera. *Quid iſti contra te teſtificantur*, non audis? non reſpondes? ſed ſenſum reddidit interpres, vel aliter legit ſine duabus his interrogationibus.

Adiuro te per Deum viuum.

ACcuſabãt teſtes, Chriſtus ſilebat, nulla faciebat verba, ex quibus Caiphas, vel concilium poſſet calumniam aliquam excitare. Quo ſe verteret Pontifex impius? Ad adiurationẽ ſe vertit, vt Chriſti ſacrum ſilentium rumperet. Sciebat illum patrem ſuum appellare Deum, adiurat itaque hunc in modum, *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus filius Dei*, &c. Hoc eſt, ſi es Meſſias filius Dei. Quæres nunquid Caiphas Trinitatis myſteriũ agnouerat? Num ſciebat Meſſiam eſſe filium Dei naturalem? Reſpõdetur, potuiſſe Caipham aliquam huius myſterii cognitionem à maiorib. accepiſſe. Secundò reſpondetur, rogaſſe, an eſſet Dei filius, non naturalis ſed per excellentiam. Tertio reſpõdetur,

Adiurat Caiphas Chriſtum.

Potuit Caiphas aliquã de Trinitate habere cognitionem.

tur, rogasse, num esset filius Dei, non quòd crederet Deum habere filiũ naturalem, sed quòd Christus patrẽ suũ vocaret Deum. Adiuratione diuini nominis commotus Dominus silentium soluit, respondítque Pontifici: *Tu dixisti*, vt Mattheus ait, & vt ait Marcus: *Ego sum*, palam coram omni concilio fassus est se esse Messiam filium Dei, vt omnem tolleret eorum excusationẽ: iuxta sententiam Chrysostomi. Euthymius: Sciens, inquit, Christus, quòd nõ esset crediturus Caiphas, tamen veritatem deposuit, ne postmodum dicere posset; si postea quàm adiuratus est confessus fuisset, vtiq; credidissemus, &c. præterea Messiam regem se esse aperuit coram omnibus Iudæis: quia iam venerat hora crucis: antequam veniret, aperire nolebat se regẽ esse, ne Romanos altero rege nominato perturbaret. De responsione Domini, *Tu dixisti*, lege librum 2. huius 4. tomi cap. 11. vbi quæritur an apertè affirmet.

Euthym.

Christus corã Caipha veritatem deposuit.

Amodo videbitis filium hominis sedentem.

Duplex Messiæ aduentus.

DVplex traditur in scripturis Messiæ aduentus, primus & secũdus, primus in humilitate, secundus in maiestate. Primum in humilitate ignorarunt Iudæi; ideoque humilem Messiã repudiarunt: secundum quoque in maiestate nescierunt: quia maiestatẽ quãdam terrenorum regum esse arbitrabantur Messiæ maiestatem, in diuitiis & honoribus caducis consistentem. In concilio hoc summus Pontifex Christus veritatem illis aperit. *Ego*, inquit, *sum vester Rex Messias ad vos*, missus à Patre ex cœlo; Duplex est meus aduentus in mundum hunc: alter quem iam oculis ipsis cernitis in humilitate, videtis quã sim humilis inter vos, quàm cõtemptus, vinculis ligatus, vestroque iudicio subiectus. Verumtamen dico vobis erit alter aduentus meus in maiestate, tunc non ero vestro subiectus iudicio, sed vos omnes, omnesque reliqui homines meo iudicio subiecti eritis. Scrutamini scripturas, duplicem hunc aduentum inuestigate. ne propter humilitatem primi aduentus, me vestrum regem repudietis: quæ in Scripturis prædicta est à Deo. Quòd si maiestatem in me requiritis, iterum in maiestate veniam. *Amodo videbitis filium hominis sedentẽ à dextris virtutis*; Græcè, δυνάμεως, .i. *potentia Dei, & venientem in nubibus cæli*, &c. Quæ maior maiestas in Messia requiri potest? Messiam quæritis regem terrenum, satellitibus septum, opibus affluentem honoribusque caducis. non est hæc Messiæ maiestas & gloria: alia est cælestis, diuina, cælo terræque imperans, Angelis atque hominibus.

Christi duplex in mũdum aduẽtus.

Viderintne Iudęi Christum sedentem à dextris Dei.

Hæc verba difficultatem habent nõ vulgarẽ. Ait enim Dominus Caiphã, cæterosque Iudæos visuros sedentem à dextris potentiæ Dei: at illi eo modo sedentem nec viderunt, neque videbunt vnquam, quia impii fuerunt. Pręterea ait, *Amodo*, Grçcè ἀπ' ἄρτι, id est, *ex nunc*, vel *ab hac hora*, vel tempore, videbitis me sedentem ad dexteram patris. Difficile autem est explicare quomodo Iudæi *ex nunc*, viderint Christum tanta in gloria. Euthymius exponit, *amodò*, id est, non longo post tempore, aitque significari tẽpus post resurrectionem. quasi Iudæi Christum viderint sedentem à dextris virtutis Dei post resurrectionem. Sed quonã modo viderint, quæritur. Responderi potest, Iudæos post resurrectionem Christum sedentem à dextris virtutis Dei vidisse, non oculis corporis, sed animi, id est, intellectu, quia ex effectibus admirabilib. hoc cognoscere potuerunt, scilicet, ex missione Spiritus sancti, quem Christus ex cælo misit, ex concionibus Apostolorum & miraculis, ex conuersione multorum. Hæc enim omnia probabant Christum viuere in cælo, & ad dexteram Patris sedere. In die autem iudicii omnes eum videbunt venientem in nubibus cæli. Aliter dici potest loqui Christũ de iis qui in ipsum crediderunt Iudæis, hoc sensu: Aliqui ex vobis, id est, hi qui fidem meã recipient, videbunt me per

Euthym.

Quõ Iudæi post resurrectionem, Christũ sedentẽ à dextris virtutis Dei viderint.

fidem sedētem à dextris Dei: Omnes verò videbitis in die iudicii venientem in nubibus.

Sententia authoris.

Verisimilius est, loqui Christum de die Iudicii, quo Iudæi Christum videbunt venientem in nubibus cęli, sicut & cæteri homines, & sedentem à dextris Dei, i in summa maiestate, qualē postulat filius sedens ad dexteram Patris. Obstat particula (*Amodo*) vel, *ex nunc*: non enim Iudæi ex tunc viderūt Christum. Respondetur, non obstare; non enim significat Iudæos visuros Christum statim post illud, *nunc*, sed sic verba sunt explananda: Dico vobis, *Amodo, ex hoc nunc*, post hoc tempus videbitis me semel tantum in iudicio, sedentem à dextris Dei, & venientem in nubibus; nam ex illo tempore, quo Dominus Iudæos alloquebatur, non viderunt illum amplius; tādem cernent in iudicio. At non videbunt sedentem à dextris virtutis Dei; neque .n. videbunt impii Deum. Respondetur, sedere à dextris Dei, significare gloriam quamdam eximiā, singularem, atque præcipuam inter omnes: hanc cernent Iudęi, omnesque homines in Christo; Videbitis, inquit, me sedentem à dextris potentiæ Dei, id est, gloria inaudita omnesque glorias superante, me coruscātem aspicietis, cognoscetis me cælorum esse regem, Dei filium, Deumque Patri æqualem. Similis est locus ille Matth. 23. *Dico vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis, benedictus qui venit in nomine Domini*, &c. id est, post hoc tempus, non me videbitis præterquam in die iudicii, in quo etiā inuiti me adorabitis, & magno cum clamore dicens, *Benedictus*, &c. Apocal. 1. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*: id est, Iudæi, qui eum cruci suffixerunt. Messiā à dextris Dei sessurum vaticinatus est Dauid Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*, &c. Venturum in nubibus cæli Dan. 7. *Ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat*, &c. Ideo Dominus; *Videbitis*, inquit, *filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei*, vt vaticinatus est Dauid, *& venientem in nubibus cęli*, vt vaticinatus est Daniel.

Quid sit sedere à dextris.

Matth. 23.

Apocal. 1.

Psal. 109.
Daniel. 7.

In præclara gloriosaque transfiguratione, de passione actum est Lucę 9. *Dicebant* (Moyses & Elias) *excessum eius, quem completurus erat in Ierusalē*, &c. In passione de summa gloria aduētuque ad iudicium agitur. *Videbitis*, inquit, *filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cęli*. Eccles. 11. *In die bonorū, ne immemor sis malorum, & in die malorum, ne immemor sis bonorum*. &c. Cum bona affluūt, & velut transfiguratio adest; ne sis immemor passionis, & malorum, quę euenire possunt; ne euanescas. Cum mala cruciant, & passio adest; ne sis immemor transfigurationis, & bonorū, præcipuè æternorum; ne animo cadas.

Luc. 9.

Eccl. 11.

Sol nubibus tectus aliquando radicem eiaculatur fulgentem, quo suum indicat fulgorē. sic Deus, nube humilis pauperisque humanitatis tectus, in tenebris huius iudicii, radium emisit splēdidissimum suæ veritatis, quo sui splendorem, hoc est, summam Messiæ & iudicis dignitatem, ostendit: Vos (ait) me nunc iniquè iudicatis: Messiā apertè me esse confiteor, quod miraculis, vitaque sanctissimè acta & scripturis confirmatum est: sed non creditis. Scitote me vestrum quoque iudicem esse. Videbitis quidem me nunc in hoc iudicio: Eo completo, postquam me morte affeceritis; non videbitis amplius in hoc sæculo, videbitis tamen in altero sæculo, & altero iudicio; in quo longè alia conditione vos eritis. Ego veniam in nubibus cæli, vos ardebitis in igne Tartari; ego sedebo ad dexteram Patris, vos iacebitis ī cruciatu diaboli; ego summa gloria fruar, vos summo supplicio afficiemini; ego tum iudex ero, vos rei; ego vos iudicabo, vos sceleribus vestris debita tormenta luetis: pęna crucis q̄ vos mihi infertis, trā sibit; poena tartarei ignis quam vobis ego inferam, in sempiternum permanebit. Quis talem vnquam reum vidit, suorum iudicum iudicem? Totus vidit orbis: vt videret autem orbis, peccata nostra fuere causa. Reum hunc, non suorum sed nostrorum criminum effecit reatus.

Iudicem Christū videbunt Iudæi.

Prin-

Princeps sacerdotum scidit vestimenta sua.

D.Hieron.

CONsuetudinis est Iudaicæ, ait D. Hieronymus Matth.26. Cum aliquid blasphemiæ, & quasi contra Deũ audierit, scindere vestimenta. Fuit idem quoque mos in rebus luctuosis 2.Reg.1.4.Reg.2.& aliis locis. 4.Reg. 19. Rex Ezechias vestimenta scidisse legitur auditis blasphemiis legati Regis Sennacherib. Alii quoque eandem ob causam scissis vestibus ad Ezechiam venerunt 4.Reg.18. Vnde illud Ioelis 2. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*, &c. significabat, vestis, quæ supra cor est, discissio, cordis ipsius præ mœrore discissionem. Audita blasphemia in Deum, vel aliquo peccato conspecto, mœrore cor affligi par est. Quòd si audita ab alio blasphemia in Deum, mœrorem postulat; eadem blasphemia, vel peccatum aliud graue ac mortiferum ab homine commissum, quantum ipsius, qui commisit, dolorem flagitabit? Iam non scinduntur vestes; scindamus dolore corda cum peccamus. O pessime Pontifex Caipha, scidisti miser vestem, cor scindendum erat, in quo inuidia & odium, quo Dominum persequebaris, latebat. Si cor dolore ac pœnitentia scidisses, odium inuidiaque effluxissent, summæque veritatis, nõ blasphemiæ verba audire te vidisses; Summa veritas est, quam audis Caipha; hic enim, qui se velut reum ante te constituit, iudex est orbis totius; extremo mundi die, te cæterosque homines iudicaturus. Scidit infelix Pontifex, audita non blasphemia, sed veritate, vestimenta sua, magnoque clamore Christum blasphemasse asseruit, quòd filium Dei se esse, in nubibus cœli venturum, ad dexteramque Patris sedere affirmasset. O tenebras Cimmerias hominis impii, qui oculos vero Soli clausit. Veritatem, blasphemiam appellat; Solis radium, vocat caliginem, in tenebroso furore miser versatur.

Vestimenta cur scindebantur.

Ioel.2.

Inuectiua in Caiphã.

Vestimenta autem disrũpens, ostendit, Iudaici sacerdotii vestes, propter Christi mortẽ, esse penitus disruptas. Vbi nunc superhumerale Pontificis Iudæorum? vbi nam est rationale? vbi lapides pretiosi in rationali fulgentes? vbi Vrim, & Thumim? vbi tunica hyacinthina? vbi tintinnabula illa aurea, & mala punica? vbi lamina capitis ex auro? Nonne omnia hæc disrupta, videmus euanuisse? Quis disrupit pretiosas Pontificatus Iudaici vestes? Disrupit Caiphas, cæterique comites, qui verum summumque Pontificem, & Messiam Christum, in crucem egerunt. Id verò Caiphas Pontifex indicauit nunc, cum vestem suam discidit, vt D.Hieronymus ait Matthæi 26. Caipham (inquit) quem de solio sacerdotali furor excusserat, eadem rabies ad scindendas vestes prouocat. Scidit autem vestimenta, vt ostendat, Iudęos sacerdotii gloriam perdidisse, & vacuam sedem habere Pontifices. Hęc ille. E cathedra surrexit Caiphas, vt Christum interrogaret, cathedram reliquit vacuam. Vacua est sedes Pontifici? Iudaici Hierusalem, quod demonstrat abrogatum iam esse antiquũ Pontificatum. Pontificis enim illius sedes, Hierusalem erat, extra quam sacrificia Deo offerre non poterat. Vacua est Hierusalem; plena Roma; abrogatum Iudaicum sacerdotium, stabilitum sacerdotium Christianum, & ad extremum vsque orbis diẽ confirmatum.

Vestes Pontificatus Iudaici disrupta sunt.

Rogabis, Nunquid verè Iudæi vestes scindebant cum blasphemiam audiebant? Respondet Caiet. Marci 14. Consueuerant, inquit, Iudæi aperire vestimenta super pectus: hoc enim appellatur scindere vestimentum, etiam si nulla scissio propriè rupisset vestes, alioqui fuisset illud fictum doloris signũ. Rursus rogabis, an Caiphas legẽ fregerit, Leu.21. quo loco præcipitur summo sacerdoti, ne vestimenta scindat. Rñd. eo loco præcipi ne scindat vestimenta Põtifex, causa lugẽdi mortuũ: causa aũt blasphemiæ, vr̃ fas fuisse scindere, vt vult Oleaster, Leuit.21.

Caietan.

An Iudæi verè vestes disruperit.

Leu.21.

Dixerunt: Reus est mortis.

CVm Pontifex impius, summũ audiuit Pontificem Christũ, vestesque scidit,

scidit, dicens: Blasphemauit, non sunt opus testes; reliquos eiusdem farinæ interrogauit sacerdotes, scribas, & seniores, qui aderant: *Ecce nunc audistis blasphemiam, quid nobis videtur?* Cæteri verò responderunt, *Reus est mortis*, morte enim lex affici iubebat blasphemum. Leuit. 24. *Qui blasphemauerit nomen Domini, moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo*, &c. Debuerant hi boni Iudices, respondere. Expendamus verba hæc, an sint blasphema, rogemus eum, quonam modo in nubibus cœli sit venturus, & ad dexteram Dei sessurus; iubeamus, vt probet se Messiam esse. At furore tartareo perciti occlusis auribus clamant: *Reus est mortis*. Vaticinatus est Dominus, quod nunc impii egerunt Matth. 20. *Filius*, inquit, *hominis tradetur Principibus sacerdotum, & scribis, & condemnabunt eum morte*, &c Non est inter tot homines, qui pro Christo loquatur, pessimum hominem Caipham sequuntur omnes, ipsam vitam, mortis ream esse affirmant insani. Non potest esse reus, ò insani, qui nullo se crimine maculauit: non est reus Christus, qui nullum peccatum potuit committere. Reorum est ille redemptor, reorum liberator; vt reos liberaret, reus esse voluit; non tamen propter proprium aliquod crimen, sed propter scelera omnia, quæ homines commiserunt. Si illius personam spectetis, dignus est omni vita, omni honore, omnique gloria: si vestra, hominumque cæterorum, quæ luenda suscepit scelera, attendatis, reus est mortis, quia mortem innocentissimi agni nostra scelera postulabant. *Expedit enim*, (vt vester Caiphas dixit) *vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat*. Reus voluit fieri mortis, vt mortem ipsam ream faciat, eamque perimat, & diaboli principatum, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum, euertat. Hæc non intelligunt hi miseri iudices; sed cùm viderint in nubibus cœli venientem, tunc etiam nolentes intelligẽt se æternæ mortis esse reos, hunc verò reum, liberatorem esse reorum.

Iudicio Caipha, &c. cõdemnatur Dominus.

Leuit. 24.

Matth. 20.

Reus mortis Christus propter peccata nostra.

A

Tunc expuerunt in faciem eius.

POstquam reus mortis conclamatus est; illuditur, alapisque afficitur, & conspuitur Dominus. voluit enim, non mortem solùm diraque tormenta pati, verùm etiam iniurias, irrisiones atque illusiones, vt totius in eo patientiæ haberemus exempla. Dubitatur, an ipsi sacerdotes, & reliqui viri primarii illuserint & percusserint? Respondetur, & ministros, & satellites, qui Dominum ligatum tenebant, hæc fecisse D. Luc. *Et viri qui tenebant illum, illudebant ei cædentes, & velauerunt eum, dicentes*, &c. Marcus, *& cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem eius, & ministri eum cædebant*, &cæt.

B

Illuditur Dominus, alapis cæditur, & conspuitur.

Primò faciem terræ, cœloque venerandam inspuerunt; quæ quidem ignominia est horrenda. vsitatam apud Iudæos fuisse colligitur ex verbis illis Domini, Num. 12. *Si Pater eius spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi?* Pater ergo aliquando in faciem filii inspuebat, vt eum puniret: filius verò tã graui ignominia affectus, saltem septẽ diebus rubore suffundebatur. Secundò colaphis eum ceciderunt, Græcè ἐκολάφισαν. Colaphus nomen Græcum est. Euthymius autor Græcus ait, esse verberationem quæ in collo fit, vacua manu, vt sonum edat. Theophylactus verò ait, colaphizare, esse manib. percutere, & simul incuruatis digitis, & pugno cædere. Iansenius, Colaphum vult significare, pugni percussionem: Tertiò, alii Palmos in faciem eius dederunt, dicentes: *Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit?* &c. Quidam colaphis ceciderunt *Alij verò*, ait Matthæus, alapis, faciem beatissimam velo tectã percusserũt, Græcè ἐῤῥάπισαν. significat autem ῥαπίζω, *fuste*, vel *virga*, vel *crepida percutio*, significat quoque *alapis cædo*, vt noster interpres vertit. fieri potuit, vt tam alapis, quã crepidis & fustibus improbi Dominum percusserint. Veste, vel aliquo alio velo ope-

C

D

E

Num. 12.

Mos conspuendi in faciem.

Euthym.

Theophyl.

Digitized by Google

lo operuerunt illius oculos, tum alapas incutientes aiebant: *Prophetiza nobis ò Christe*, id est, ò Messia, *quis est, qui te percussit?* His verbis Messiæ ac Prophetæ dignitatē sibi falsò arrogasse significabant, & velut fictum Messiam & Prophetam irridebant, qui prophetare non posset, quis eum percussisset. D. Lucas addit; *& alia multa blasphemantes dicebant in eum*, &c. O mortalium cæcitatem, ipsos Dei oculos, se posse velare, aspectuque priuare, existimarunt viles homunculi. Quid agitis cæci, non potest splendore suo, sol hic priuari; tegite oculos, tectis oculis omnia cernit: quidquid agitis videt, quidquid cogitatis intuetur, si prophetare voluerit, quis est, qui ipsum percussit, & de percussore pœnas sumere, væ vobis. scit quis percutiat; percussores ostendet, non in domo vna Caiphæ, sed in totius orbis theatro, cum eum in nubibus cœli videbitis venientem.

Christum Prophetam irrident.

Percussus tacet Dominus, tacens tacere nos docet. Clausis oculis illuditur Dominus, vt nos serui cum illudimur, oculis velum patientiæ iniiciamus ne iniurias ac contumelias videamus. Isai. 50. *Corpus meum*, ait, *dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpātibus, & conspuentibus*; Hebraicè, *faciem meā non auerti ab ignominijs, & sputo*, &cæt. Corpus suum dedit Dominus colaphis, atque alapis faciem suam non auertit ab increpantibus, id est, à conuitiantibus, & conspuentibus; genas dedit vellentibus barbæ capillos, qui in genis sunt. Dedit, inquam, quia non vi aliqua coactus, sed sponte, pro hominum salute hisce ignominiis se obtulit. Thren 3. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs*, &c. Libenti animo vtramque maxillam alapis dedit, saturatus est opprobriis; fuerunt enim dulcissimæ Christo epulæ, colaphi, alaphæ, illusiones illæ, quas amoris ardor, & si concoctionis sint difficillimæ, facilè decoxit. Tertullianus in lib. de patientia: Saginari Dominus voluptate patientiæ discessurus volebat, &c. De his Sedulius antiquus Poeta lib. 5.

Isai. 50.

Faciem nō auertit ab conspuentibus.

Thren. 3.

Tertull.

Sedulius.

Ille, inquit, patiens, subiecto corpore totum
Sustinuit, nostraque dedit sua membra saluti.
Namque per hos colaphos caput est sanabile nostrum,
Hæc sputa per Dominum nostram lauere figuram,
His alapis nobis libertas maxima plausit, &c.

CAPVT

CAPVT XXI.

De Negationibus Petri.

MATTHAEVS CAPITE XXVI.

PEtrus verò ſedebat foris in atrio: & acceſſit ad eum vna ancilla, dicens: Et tu cum Ieſu Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus, dicens: Neſcio quid dicis. Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Ieſu Nazareno. Et iterum negauit cum iuramento; Quia non noui hominem. Et poſt puſillum acceſſerunt, qui ſtabant, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es, nam & loquela tua manifeſtum te facit. Tunc cœpit deteſtari, & iurare, quia non nouiſſet hominem. Et continuò gallus cantauit. Et recordatus eſt Petrus verbi Ieſu, quod dixerat prius, quàm gallus cantet, ter me negabis: & egreſſus foras, fleuit amarè.

MARCVS CAPITE XIV.

CVm eſſet Petrus in atrio deorſum, venit vna ex ancillis, ſummi Sacerdotis, & cùm vidiſſet Petrum calefacientem ſe, aſpiciens illum, ait: Et tu cum Ieſu Nazareno eras. At ille negauit, dicens: Neque ſcio, neque noui quid dicas, & exiit foras ante atrium; & gallus cantauit. Rurſus autem cum vidiſſet illum ancilla, cœpit dicere circumſtantibus: Quia hic ex illis eſt. At ille iterum negauit, & poſt puſillum rurſus, qui aſtabant, dicebant Petro: Verè ex illis es: nam & Galilæus es. Ille autem cœpit anathematizare, & iurare: Quia neſcio hominem iſtum, quem dicitis. & ſtatim gallus iterum cantauit. & recordatus eſt Petrus verbi, quod dixerat ei Ieſus: Priuſquam gallus cantet bis, ter me negabis. & cępit flere.

LVCAS CAPITE XXII.

PEtrus verò ſequebatur à longè. Accenſo autem igne in medio atrij, & circumſedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Quem cum vidiſſet ancilla quædam ſedentem ad lumen, & eum fuiſſet intuita, dixit: Et hic cum illo erat. At ille

negauit

Digitized by Google

negauit eum, dicens: Mulier, non noui illum. Et post pusillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus verò ait: O homo, non sum. Et interuallo facto quasi horæ vnius, alius quidam affirmabat, dicens: Verè & hic cum illo erat, nam & Galilæus est. Et ait Petrus: Homo nescio quid dicis. Et continuò adhuc illo loquente, cantauit gallus. Et conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia priusquam gallus cantet ter me negabis. & egressus foras, Petrus fleuit amarè.

IOANNES CAPITE XVIII.

SEquebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius Discipulus; discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria. Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se. Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non sum. Dicit ei vnus ex seruis Pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit Petrus: & statim gallus cantauit.

IN domo Caiphæ, non Annæ negasse Petrum, ostendimus suprà cap. 18. huius libri. Quomodo id factum sit, nunc explicandum est. Cum cæteris ille discipulis terga vertit mœrore plenus. At cum mentem ad id, quod promiserat aduertisset, videlicet, *& si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor*, &c. promissione & amore à fuga retractus Christum secutus est, sed præ metu, à longè. *Petrus* (inquit Lucas) *sequebatur eum à longè*. copulit amor vehemens Christo propinquare? in ipsumque Caiphæ palatium, in quo Dn̄s erat, illum immisit. O magna amoris vim. Nóne vides Petre periculum, cui te exponis? nonne venit in mentē magistri prædictio? nō horres noctem de qua prędixit, *In hac nocte ter me negabis*? Amor omnia superabat. Sed quonam modo palatium Caiphæ ingredi potuit Petrus? Docet hoc D. Ioannes cap. 18. *Sequebatur*, inquit, *Iesum Simon Petrus & alius discipulus*, &cæ. Pariter sequebantur Christum Petrus, & ille alius discipulus, vt comites, vel forsitan separatim. Discipulus alius Pontifici Caiphæ notus erat,

Petrus sequitur Christum, & domum Caipha ingreditur.

erat, idcircò, vt notus in palatium introiuit; Petrus ignotus minimè introiuit, stabatque ad ostium foris extra domum, quæ fores habebat clausas, ancillamque ostiariam, Id cum videret discipulus notus exiuit, petiuitque ab ostiaria, vt Petrum ingredi sineret. In hunc modum Caiphæ domum ingressus est Petrus.

Quis nam fuerit discipulus notus Pontifici.

Quæritur, quisnam fuerit discipulus ille notus Pontifici? Ioannem fuisse arbitrantur D.Hieron. D.Chrysost. Euthy. Theophyl. D.Cyrill. Lyranus, Iustinianus, de agone cap. 8. & alii At verò pauper piscator discipulus Christi manifestus, qui illum semper comitabatur, vnde notus erat Pontifici Caiphæ hosti Christi? Respondet D.Hierony. in epitaphio Marcellæ ad Principiam: Ioannes, inquit, propter generis nobilitatem, erat notus Pontifici, & Iudæorum insidias non timebat; in tantum vt Petrum introduceret in atrium, & staret solus Apostolorum ante crucem, sic ille. Nicephorus libr. 1. c. 28. & lib. 2. c. 3. ait notum fuisse Pontifici, quòd Pōtifici Caiphæ partem, quæ sibi ex hæreditate obuenerat, uendiderit. Lyranus vult notū fuisse, quòd pisces Caiphæ domum ferre soleret; uel quia aliquis ex eius consanguineis Pōtificis famulus erat, uel quia ex Dauide originē ducebat. D.August. tract. 113. in Ioannem quis fuerit hic discipulus dubitat, dubitat etiam Caietanus. Aliis uerisimile uidetur, fuisse discipulum aliquem nobilem, ideòque Pontifici notū. Hæc probabilior est opinio; notus enim Pontifici cum dicitur discipulus, significatur à magno Pontifice fuisse in honore habitū, & à famulis; ita vt propter eum Petrus domum introduceretur. Forsitan Ioseph fuit ab Arimathea, vel Nicodemus, uel similis alius discipulus occultus. Nam discipulum Ioannem pauperem, qui sequebatur semper Christum, eiq; dilectissimus erat, fuisse notum, & in pretio habitum à Caipha hoste Christi, non magnam habet probabilitatem. Illud tamen hanc de Ioanne opinionem cōfirmat, quòd ex discipulis solus iuxta crucem steterit, coram Caipha, Iudæis, atque militibus, nihilque mali fuerit passus. Quænam fuit huius rei causa, nisi illa, quā citatus Hieron. reddit, nimirum, quia erat notus Pontifici? Responderi potest Ioannis animi fortitudinem & amorem, causam fuisse, cur iuxta crucē steterit in conspectu Iudæorum, & militum. Quòd autem à nemine fuerit læsus, causa fuit Domini potentia, qui dixerat: *Sinite hos abire*.

D.Hieron. *Niceph.* *Lyranus.* *D.August.* *Probabilior authori sntia.* *Respondetur ad rationem D.Hieron.*

Petrus sedebat foris in atrio.

INtroductus Petrus in palatium Caiphæ, non ascendit in domum in qua Christus erat, sed *sedebat*, ait Matthæ. *foris in atrio*, hoc est, manebat foris extra alias ędes, in quibus Christus erat. Erat autem foris, quia extra reliquas domos erat. Præterea, (vt ait Marcus) *manebat Petrus deorsum. Cum esset*, inquit, *Petrus in atrio deorsum*, &c. Nam ad ædes per gradus ascendebant: in medio autem atrii huius pyra facta, ministri, ac serui circumsedebāt; quib. dissimulanter Petrus se adiunxit, vt Lucas scribit: *Accenso*, inquit, *igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum*; id est, inter illos. & D.Ioan. *Stabant serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se*, &c. Hoc in loco, negauit Christum Petrus.

Petrus sedet cū ministris & seruis prope ignem.

Dicit Petro ancilla ostiaria.

QVæritur quoties Petrus Christū negauerit? Nam Euangelistæ, sic negationes commemorant, vt plures quàm tres fuisse videantur. Quocirca Caiet. Ioan. 18. sibi persuasit Petrum negasse septies, ter à feminis interpellatum; quater à viris. Verū aduersatur Caietano celeberrima Christi prædictio. *Antequam gallus cantet ter me negabis:* ter dixit Dominus, non septies.

Caietan.

septies. Respondet Caiet.eum, qui septies negat, negare etiam ter; quemadmodum, qui soluit septem aureos, soluit etiam tres. Sed quis credat, Dominum cum sciret Petrum negaturum septies; ter dixisse negaturum propter hanc causam? Quis prudēs homo sic loquitur? Respondetur Petrum, ter tantum negasse, quamuis Euangelistæ vario modo commemorent negationes eo quòd ad vnam eandemque negationem diuersæ personæ concurrerint, diuersaque verba. Id paucis ostendemus.

Quoties negauit Petrus.

Ingressus Petrus, vt diximus; seruis & ministris se permiscuit, altòque corde dolorem premens se calefaciebat. Quem cum vidisset ostiaria ancilla, sedentem ad lumen (vt ait Lucas) interrogauit illum (vt ait Ioannes) dubitans: *Nunquid tu ex discipulis es hominis istius?* Deinde idem confirmauit, vt aiunt reliqui Euangelistæ. Matthæus, & Marcus. *Et tu cum Iesu Galilæo eras*. Lucas, *& hic cum illo erat*. Antequàm ancilla hæc simul diceret, tacuit Petrus; tandem respondens, negauit primò. Ex his intelliges eandem esse ancillam, cuius in prima negatione omnes Euangelistæ meminerunt. Erat.n. ancilla ostiaria, Ioan. 18. Non tamen rogauit Petrum cum illum introduxit, quia dubitabat, vel quia alterum discipulum reuerebatur; sed postea, cum se calefaceret. quod Ioannes innuit, cum post interrogationem ancillæ, & responsum Petri subiicit: *stabant autem serui, &c. erat autē Petrus stans, & calefaciens se*, &c At Lucas ait ancillam interrogasse Petrum sedentem ad lumen; Ioannes verò ait Petrum stantem se calefecisse. Respondetur statio nem, eo loco non significare situm corporis, sed præsentiam. Prætereà, Petrus non semper stetit, sed partim sedit, & partim stetit.

Prima negatio.

Petrus pro varia occasione sedebat & stabat.

Et exijt foras ante atrium, & gallus cantauit.

Timore perculsus Petrus, postquā primò negauit, exiit foras ante

A atrium, Græcè, εἰς τὸ προαύλιον, id est, *in vestibulum atrij*. Exiit ab atrio, in quo se calefaciebat, in vestibulū, quod erat ante atrium. Tunc verò gallus primum cantum edidit, quem forsitan Petrus non audiuit, vel non animaduertit, horrore captus. Vnde colliges circiter mediam noctem negasse Petrum secundò; eo enim tempore galli primum cantum edunt. Lege, quæ diximus hoc tom. 4. de galli cantu, cum egimus de prædictione negationum. Negauit autem Petrus secundò, paulò post primam negationem, vt Lucas

Secunda negatio Petri.

B ait; *post pusillum*, inquit, *alius videns eū*, &c. Itaque *exeunte illo ianuam*, videlicet atrii, (ait Matthæus) *vidit eum alia ancilla, & ait ijs, qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno.* Marcus sic: *Cœpit dicere circumstantibus, quia hic ex illis est.* Huius ancillæ moti verbis, quidam, ad ignem reuersum Petrum, interrogauerunt, vt ait Ioannes: *Nūquid tu ex discipulis eius es?* & Lucas addit: *Alius videns eum dixit, & tu de illis es.* Tunc secundò negauit Petrus cum iu-

C ramento, vt ait Matthæus.

Post pusillum verò, vt ait Matthæus; & Lucas; *Interuallo facto, quasi hora vnius, alius quidam affirmabat dicens: verè & hic cum illo erat: nam & Galilæus est.* Hunc secuti sunt alii, qui astabant, vt ait, Matthæus, & Marcus, & dixerunt: *Verè ex illis es, nam, et loquela tua*, id est, pronuntiandi, & loquendi modus, Galilæum te esse indicat, discipulum huius Magistri Galilæi. Non (in-

Tertia negatio.

D quit Hieronymus) quòd alterius sermonis esset Petrus, aut gentis exteræ: sed quòd vnaquæque prouincia & regio habeat proprietates suas, & vernaculum loquendi sonum vitare non possit, &c. lege Iud. 12. Idem confirmauit Malchi cognatus, vt refert Ioānes dicens: *Nonne ego te vidi in horto cum illo*, &c. Ignorabat hic Malchi cognatus cæsum fuisse à Petro Malchum, alioqui id illi obiecisset. His auditis, negauit Petrus tertiò, additis imprecationibus; & iuramentis. *Cœpit detestari* (ait Matthæus) *& iurare, quia non nouisset hominem.* Et Marcus: *Cœpit anathematizare, & iurare.* Detestabatur autem,

Hieron.

Detestabatur Petrus, id est, maledicebat sibimet.

autem, & anathematizabat, id est, mala sibi imprecabatur, & diris se deuouebat: Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, &cæ. Nimius timor, hæc omnia extorquebat.

Et conuersus Dominus, respexit Petrum.

CVm Petrus negaret tertiò, *adhuc illo loquente*, vt ait Lucas, *gallus cantauit*, secundò; de quo cantu diximus suprà, cum de prædictione negationũ verba fecimus. Post tres negationes respexit Dominus Petrum, ait idem Euangelista: Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat. *Quia priusquam gallus cantet ter me negabis, & egressus foras fleuit amarè*, &c. Dubium est quo nam modo Dominus Petrum respexerit? nam Petrus, vt diximus, in atrio erat foris, & deorsum: Christus in ædibus interioribus, quæ erãt atrio superiores. Respondet D. August. libro 1. de gratia Christi cap. 45. Hunc Christi respectum fuisse spiritualem; respexit enim Dominus Petrum, spiritualibus misericordiæ oculis, & in pœnitentiam reduxit; non corporalib. Non potest dici (ait August.) quod corporalibus oculis Petrum Dominus respexerit; intus actum est, in mente actum est, & voluntate. Dominus cor tetigit, memoriam reuocauit, interiore gratia visitauit Petrum, &c. lege D. Leonem serm. 9. Obiicitur; Christus dicitur conuersus cùm Petrum respexit; non est conuersus spiritualiter, quia non erat animo auersus à Petro; ergo conuersus est corporaliter ipso vultu. Respond. conuersum esse spiritualiter ad ferendum auxilium Petro; conuersus est ad Petrum, quem illo breui tẽpore reliquerat, vt probaretur. Cum tamen facilè fuerit Christo Petrum ad se trahere in locum superiorẽ, in quo erat; verisimile est traxisse, & corporalibus oculis respexisse. Vel forsitan postquàm Petrus tertiò negauit, ductus est Dominus ex aula superiori in atriũ inferius, in quo Petrus erat; conuersusque ad Petrum respexit, illum, eoque respectu docuit quanta sit hominis fragilitas, & ad pœnitentiam excitauit; quam ille non distulit, sed protinus egit. Egressus statim ex atrio fleuit amarè. Lucas, ἔκλαυσε πικρῶς, id est, fleuit amarè. Marcus Græcè; ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, Apud Theophylactum hæc est interpretatio: *Cum eiecisset fleuit*, hoc est, cum caput obuelasset, fleuit. Amarè enim fleuit, iuxta hanc interpretationem, capite obuelato, discedens ex atrio.

Quomodo Dominus Petrum respexerit.

D. August.

Obiectio.

Responsio.

Christus corporeis oculis Petrũ respexit, & spiritualibus.

De pœnitentia Petri Sedulius sic cecinit,

[illegible] g[illegible] mitiq; que sequente,
Culpa fugit, cedunt lacrymis delicta profusis,
Et dulcem veniam fletus generasti amari.

Sedulius.

D. Leo ser. 9. de passione? Felices, inquit, lacrymæ tuæ sancte Apostole, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere Baptismatis, &c.

Pœnitentia D. Petri. D. Leo.

Magnum dogma, inquit (Chrysostomus) à Petro discimus, quia videlicet nullo modo hominis volũtas sufficit, nisi auxilio superiori roboretur, &c. & D. August. serm. 124. de temp. Quid homo sine gratia Dei possit, timor beati Petri ostendit. Quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus cum negaret Christum, &c. Vehemens erat Petri voluntas, & prompta; quod satis verba illa dicta ostendunt, *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor*. & illa quoque: *Etiam si oportuerit, me mori tecum, non te negabo*. Caro autem infirma. Oportuerat vigilare Petrum & auxilium Dei implorare, ne in hanc intraret tentationem. Sed ille dormiuit, neque auxilium implorauit, ideo datum non est. Cardin. Caiet. Matth. 26. Petrus, inquit, paulò ante, Christo attestante, mundus, Sacramentis, corporis, & sanguinis Christi dignè communicans, præmonitus de futura tentatione, paratus potius mori, quàm negare, illũ negauit. Quare hoc? Quia magna est differentia inter charitatis gratiam habitualem, & vsum illius. Quia non sumus sufficientes ex nobis ad vsum charitatis, & gratiæ,

D. Chryso. Auxilium diuinum necessariũ est homini. D. August.

Card. Cai.

Hominis fragilitas.

Hominis fragilitas. tiæ, quam habemus infusam à Deo; sed egemus ad vtendum illa continuò gratuito auxilio, quo quia Petrus caruit tunc, ideò cecidit. Hæc ille. Vigilare ergo oportet, & continuo orare, ne intremus in tentationem: perpetuoque clamare: *Deus in adiutorium meum intende; Domine ad adiuuandum me festina*. *D. Basil.* D. Basilius, homilia de humilitate, ait priuatum fuisse auxilio propter arrogantiam: *Humilitas* Quoniam, inquit, arrogantius dixerat, *& si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor*: humanæ traditus est pusillanimitati, & prolapsus est in negationem, &cæt.

Psalm. 77. Psalm. 77. *Filij Ephrem intendentes, & mittentes arcum conuersi sunt in die belli*. Eundem in modum Petrus intẽdens voluntatem, velut arcum, & sagittas illas verborum emittens, *Animam meam pro te ponam; tecum paratus sum in carcerem, & in mortem ire*, &c. Conuersus est in die siue nocte belli; & negauit. *Matth. 14* Matthæus 14. *Petrus ambulabat super aquam vt veniret ad Iesum, videns verò ventum validũ timuit; & cum cœpisset mergi, clamauit, & continuò Iesus extendens manum apprehendit eum*, &cæt. *Petrus mergitur sed à Christo liberatur.* Eundem in modum funesta illa morte ambulabat Petrus veluti super periculosum pelagus, summo cum timore vt magistrum cerneret: videns verò ventum validum, timuit: validus autem ventus tot erant interrogationes ancillarum, & cæterorum; neque verò ille timebat ancillas, sed illarum timebat linguam ne viris rem nuntiarent. Denique non solum Petrus cœpit mergi, verùm aquis absorptus est, periissetque omnino nisi Dominus manum extendisset, & à peccato illum liberasset. sed respexit Dominus Petrum, & respexit Petrus Dominum. *Simile.* Plenæ sunt arbores floribus, quamdiu serenum viget tempus; sed si gelu pruinaque è cælo decidat, omnes pereunt sepulchri flores, neque fructus pareunt. Eundẽ in modum plenus erat Petrus verborũ quasi quibusdam floribus, ac pollicitationibus: *& si oportuerit me mori tecum, non te negabo*; sed decidente tot interrogationũ & tẽtationum frigidissima pruina, periere flores, fructuq; caruerunt. facile est extra pericula polliceri; in ipsis periculis promissa seruare, hoc opus, hic labor est. O Petre ad ignẽ sedes cũ seruis & ministris in domo Caiphæ, qui sedere solebas in domo Christi cũ Apostolis. Ad ignẽ Caiphę, ignẽ extingues Christi; non te calefaciet, sed comburet flamma; & consortiũ impiorũ. Incipis metu frigescere? ad solẽ Christum mente accede, auxiliũ postula, seruorum, ministrorumq; carbones fuge. *D. Ambr.* Ad carbones (ait Ambr.) Petrus stabat, quia algebat affectu, &c. Simili modo, nos ad mundi huius caduca bona, velut ad carbones sedemus, quia algemus, quia Christum, ęternaque bona non amamus. Negauit autẽ Petrus Christum, solo ore, vt Rupertus docet *Rupertus.* Matt. 26. Petrus, inquit, non corde sed ore solo Christũ negauit; &c. Confert illum cum Chusai, qui 2. Reg. 16. Dauidem solo ore negauit, & visus est ab eo defecisse.

Solo ore negauit Petrus. Permisit Dñs negare multis de causis. *Causa cur permiserit Dominus Petrum negare.* Prima (vt ait Aug. serm. 124. de tempore) vt in illo totum humanũ genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia præualere. Secunda, vt disceret Petrus ex iis quæ passus est, misericordiam. *D. August.* Augustinus eodem serm. Ideo Dominus Petrum paululum subdeseruit, vt Ecclesiæ rectori futuro ignoscendi peccantibus quędam regula poneretur; vt in clauibus esset fidelis ianitor, in sententiis clementissimus dispensator, &cæ. Item: permisit diuinæ sapientiæ secretum, vt primus ipse laberetur quò erga peccatores duriorẽ sententiam, proprii casus intuitu temperaret, &c. *D. Basil.* Basil. hom. citata: Petrus, inquit, lapsus institutus est ad pietatem, & edoctus etiã aliis infirmis parcere, &c. Tertia vt intelligeremus quã timidi Apostoli fuerint ante spiritus sancti aduentum, quàm fortes spiritus effecerit. lege D. Grego. Iob. 26. ad illa verba: Spiritus eius ornauit cęlos, &c. Quarta, vt pœnitentiæ haberemus exemplum in ipso, Catholicæ Ecclesiæ pastore. D. Leo sermo. 9. & glossa ord. Ob hoc Petrus hæsitare permissus est,

vt in Ecclesiæ Principe, remediũ pœnitentiæ conderetur, &c.

Exempla D. Petri ad agendam pœnitentiã.

Non multos dies, vel horas, Petrus in peccato iacuit, sed protinus ad se reuersus pœnitentiam egit: exemplo docet pænitentiam in diem alium nõ esse differendam, sed statim post peccatum agendam. Conuersus, Caiphæ fugit domum, in qua negauerat, fugit ignem, socios, ancillam ostiariam: fugiendas peccãdi omnes ostendit occasiones, domos, socios, inuitamenta; cecinit gallus, sed non satis fuit galli cantus, vt pænitentiam Petrus ageret. postquam Dominus respexit, tũc pœnitentiam egit. Gallus concionatorem adumbrat, vt D. Gregor. docet Iob 38. non est satis concionatoris vox, nisi simul adsit Christi in peccatorem respẽctus: sonat quidem vox exteriùs: sed cordi eam Deus imprimit interius. Grego. Iob. 37. in illa verba: *vestimenta tua calida sunt*: formare, inquit, vocem exterius possunt docentes; sed hanc imprimere interius non possunt, &c. Psalm. 44. *Lingua mea calamus scriba velociter scribentis*, &c. Talis esse debet concionatoris lingua, nempe Spiritus sancti calamus, qui res cordibus imprimit. Scriba est Sapientissimus Spiritus sanctus, velociter scribẽs: Nescit enim, vt Ambros. dixit, tarda molimina, Spiritus sancti gratia. 1. Cor. 13. *Neque qui plantat est alquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, &c. plantãt & rigãt concionatores, sed nihil sunt, nihil-

D. Gregor.

1. Cor. 13.

A que efficiunt, nisi magister internus Deus incrementum donet. Iustinianus lib. de Christi agone cap. 9. gallũ naturalem nostram rationem, ait significare, quę vociferationibus suis, tanquam galli cantu domum replet. Audiat peccator rationem, audiat conscientiæ vocem, audiat gallum suum, & recordetur Dei, quem offendit, egrediaturque cum Petro ex peccatis, & ploret amarè.

Iustinian.

Gallus qd significet.

B Miratur fortè aliquis, quòd summus Iudæorum sacerdos non virum aliquem sed ancillam habuerit ostiariam. Ex more factum videtur: fęminam etiam ostiariam habuit Isboseth Rex. 2. Reg. 4. eamque dormientem, quamobrem vita priuatus est. Væ iis, qui ancillam habent ostiariam, hoc est carnem. Væ iis qui huic ostiariæ claues domus suæ tradunt, vitam procul dubio amittent, quemadmodum Isboseth: Christum occident, quemadmodum Caiphas. Lege D. Gregor. Iob. 1. ad illa verba. *Offerebat holocausta*, &c. Nequaquam, inquit, Isbóseth morte succumberet, si non ad ingressum domus mulierem, id est, mollem C custodiam ad mentis aditum deputasset, &c. Vigilantem ostiariũ Dei timorem foribus admoueamus, & vt est in Prouerb. cap. 3. *Omni custodia cor nostrum custodiamus*: ne Isboseth nomen in nos quadret, quod filium confusionis significat. D Gregor. loco citato: Vir, inquit, confusionis est, qui forti mentis custodia munitus non est, &c.

2. Reg. 4. Olim ad Ianuam ancilla præponebatur.

Prouer. 3.

Finis Libri Sexti.

Digitized by Google

SEBASTIANI BARRADAS, E SOCIETATE IESV, DOCTORIS THEOLOGI,

Commentariorum in Quatuor, Euangelia, eorumque concordiam Euangelicam.

LIBER SEPTIMVS.

CAPVT PRIMVM.

De concilio Iudæorum, & suspendio Iudæ.

MATTHAEVS CAPITE XXVII.

MAnè autem facto consilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi. Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset; pęnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus dicens, Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo recessit; & abiens laqueo se suspendit.

MARCVS CAPITE XV.

ET confestim, manè consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus, & scribis & vniuerso concilio, vincientes Iesum, duxerunt, & tradiderunt Pilato.

LVCAS CAPITE XXII.

ET vt factus est dies, conuenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in cōcilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis: Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuimus de ore eius.

Manè autem facto.

An Christus fuerit adiuratus à Caipha manè. Obiectio. Responsio. Noctu fuit Christus adiuratus, condemnatus.

D. August. lib. 3. de consensu Euang. c. 7. putat, testes quidem dixisse testimonia in domo Caiphæ nocturno tempore, at Christum manè à Caipha interrogatum, & illis verbis adiuratum: *Adiuro te per Deum viuum*, &c. respondisse: *Ego sum*, &c. Hæc sententia probatur ex D Luca; ait enim, mane interrogatum Christum respondisse in Concilio matutino. Quòd si B obiicias Matthæum & Marcum: respōdetur, vsos fuisse anticipatione. Verisimilius existimat Dionys. Carthus. Caietanus, Iāsenius, & alii, à Caipha adiuratum Dominum, noctu condemnatum, atque irrisum; manè verò, congregato pleniori concilio iterum rogatū, iterum eadem respondisse. Dicendum itaque, noctu in domo Caiphæ ea facta, quæ hactenus explicauimus. Manè, vt ait Matthæus, *iterum congregati sunt, & consilium inierunt aduersus Dominum, omnes Principes sacerdotum, & seniores*: Addit Marcus & Lucas, *scribæ*. In hoc matutino concilio ea euenerunt, quæ narrat Lucas. Ratum facere voluerunt impii homines, quod noctu Dominus dixerat, scilicet, *Ego sum Messias, ego sum filius Dei*: Vt hæc illi crimina coram Pilato obiicerēt, quòd regem se, & filium Dei faceret. Rogarunt illum, vt ait Lucas, *Si tu es Christus dic nobis*: Respondit Dominus. Si vobis dixero me esse Christum, id est, Messiam, non credetis mihi: si autem vos interrogauero de Scripturis, vel aliis rebus, vt meis interrogationibus vos ad veritatem ducam; non respondebitis mihi, quia veritatem discere nō vultis; hoc vnum vobis dico, quod noctu iam dixi. *Ex hoc*, Græcè ἀπὸ τοῦ νῦν, id est, *ex hoc nunc, amodò, erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei*: quod suprà est explicatum. Rogarunt alterum, quod cupiebant tanquam crimen accusare coram Pilato; *Tu ergo es filius Dei?* Respondit Dominus: *Vos dicitis quia ego sum*. Post hæc ad Pilatum duxerunt.

Matutinū Iudæorum concilium.

Christus interrogatur.

Videns Iudas quòd damnatus esset.

C

VIdetur Iudas secutus Dominum cum Iudæis & satellitibus vsque ad domum Caiphæ, & vidisse omnia, quæ facta sunt, sententiamque audiuisse concilii: *Reus est mortis*. Præter hæc vidit Dominum duci ad Pilatum præsidem, vt occideretur. Vidēs itaq; (vt ait Matthæus) quod damnatus esset Christus ad mortem à Caipha, & cæteris; pœnitentia magna affectus est. Aliū sensum verba hæc habere possūt, quem

Iudæ pœnitentia.

quem reperies apud Origenem tract. 35. in Matthæum. Videns quòd damnatus esset, ipsemet, videns se esse damnatum propter crimen traditionis, pœnitentiam egit, &cæt. Sed alienus est à mente Euangelistæ: pœnituit autem Iudam quòd Christum vendidisset, videns quòd à concilio esset condemnatus; quia ab ipso venditus non est, vt occideretur, neque cogitauit, fore, vt Pilato traderetur vita priuādus, vt ex his verbis colligitur. Forsitan arbitrabatur id non passurum Christum; sed facilè manus Iudæorum euasurum. Fieri etiam potuit, vt occidendum existimarit, postea tamen cum condemnatū vidit, & ad Pilatum duci, pænitentia magna fuerit affectus.

Ductus pænitentia argēteos triginta, quibus Christum vendidit, principibus sacerdotum restituit, & senioribus, Christique innocētiam professus est coram illis: fassusq; peccatum suū. *Peccaui* (inquiens) *tradens sanguinem iustum* Quæritur, quibus principibus sacerdotum, & senioribus restituerit pecuniam Iudas? erant enim tunc omnes, non in templo, sed circa Christi condemnationem occupati. Respondent nonnulli, ex principibus sacerdotum, id est, ex præcipuis sacerdotibus, & senioribus, aliquos in templo fuisse, quibus Iudas pecuniam retulit Respondetur quoque obtulisse triginta argenteos principibus sacerdotum & senioribus, qui vel in domo Caiphæ erant, vel in domo Pilati, vel fortè in ipsa via. Non enim ait Matthæus retulisse argenteos principibus sacerdotum & senioribus, qui erāt in templo. Principes autem sacerdotum & seniores, infelici proditori huiusmodi dedere responsum: *Quid ad nos? Tu videris*. Quid, inquiunt, ad nos hoc tuum scelus attinet? nostra nihil refert, tu tibi cōsule, tu vide quid feceris. Cum verò nollent argenteos accipere, in templum miser abiit, & proiectis in ipso templo argenteis discessit. Noluit enim iniquam pecuniam retinens obire mortem.

Quomodo Iudas 30. argenteos restituerit.

Et abiens laqueo se suspendit.

Dvbium est, antequam Christus in crucem ageretur, Iudas se suspenderit, an post? Autor quæst. Noui & Vet. test. tom. 4. Augustini, quæstione 94. sic respondet: Improbabile, inquit, est apud me, quo die, imò quo tempore, laqueo etiam finierit Iudas, &cæt. Quidam, vt refert Magister historiæ, dixerunt, audita Christi resurrectione, quam non sperabat, se suspendisse. Vnde sequitur, post Christi resurrectionem, laqueo gulam fregisse. Sed hoc dictum, autoritatem non habet. Post Christi resurrectionem vixisse, aliqui opinati sunt, vt infrà dicemus. Autor comment. in Marcum, qui D. Hieron ascribuntur, post Christi mortem, & latronum, obiisse putat. Alter, inquit, latronum antecedit Petrum in paradisum; alter Iudam in infernum, &c. Quòd autem post resurrectionem, vel post mortem Christi se suspenderit, probatur; quia paulò antequam id faceret, pecuniam retulit in templo principibus sacerdotum, quam cū nollent accipere, in templo proiecit, & abiens laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum, & seniores in templo non fuerunt ante Christi mortem, vt supra dictum.

An Iudas ante Christi mortem se suspenderit.

Respondetur, probabile esse, ante Christi mortem, Iudam ad suspēdium cucurrisse. Probatur ex Matthæo; *Videns*, inquit, *quod damnatus esset Christus, pænitentia ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus; & proiectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit.* &cæ. Non dixit: Videns quòd esset cruci suffixus, sed, quod esset damnatus; ergo antequā cruci suffigeretur, postquam damnatus est, hæc contigerunt, quæ scribit Euangelista. Vnde D Aug. Psalm. 108. ad illa verba: *fiant dies eius pauci*: Pauci, inquit, fuerunt dies Apostolatus Iudæ, quoniam ante passionem Domini, scelere ipsius, & morte consumpti sunt, &c. D. Leo ser. 11. de passione: Prius, inquit, Iudas in

Iudas ante Christi mortem laqueo se suspendit.

desperationem transiit, quàm Sacramentū Christus generalis redemptionis impleret, &c. & ser. 3. Iudam alloquens: Expectasses, inquit, consummationem criminis tui, & donec Christi sanguis pro omnibus funderetur peccatoribus, informis lethi suspendium distulisses, &c. D. Ignatius epist. 8. ad Philipp. Cum paranda esset crux, dæmon pœnitentiam immisit proditori, & laqueum monstrauit, &c. & Origenes tract. 35. in Matthæum. Existimauit, inquit, Iudas, præuenire in morte moriturum magistrum, & occurrere ei cum anima nuda, vt confitens, & deprecās, misericordiam mereretur, &c. At qui hic pœnitentiam nō agit in corpore, anima nuda veniam non impetrat. Simile illud Theophylacti: Idcirco se Iudas strangulauit, vt præueniat Iesum in inferno, & ibi orando salutē assequatur, &c.

D. Ignat. *Origen.* *Theophyl.*

An Iudas ex suspendio obierit. Dubium secundum est: Num obierit Iudas ex suspendio? Euthymius Matthæ. 26. ait agnitum à quibusdam, & à suspendio liberatum. Deinde postquā in secreto quodam loco, modico vixisset tempore, effusis visceribus præcipitem factum. Theophy. scribit superuixisse inclinata arbore ex qua se suspenderat, morboque hydropico laborasse, ita vt transire non potuerit orbitam; & deinde pronum cecidisse, ac crepuisse. Oecumenius Actorum 1. verba hæc Papiæ discipuli Ioannis Euangelistæ, recitat: Ad magnū, inquit Papias, impietatis exemplum, in hoc mundo permansit Iudas. In tantum .n. corpore inflatus est, vt progredi non posset. Cùm currus leui cursu pertransiret, curru compressus est, ita vt effunderetur eius intestina, &c. Hæc etiam apud Oecumenium reperies: Ferunt palpebras oculorum eius adeò intumuisse, vt lumen omnino videre non posset. Porrò sanies ac vermes contumeliosè fluentes, ex toto ipsius corpore ferebantur, egredientes per sola loca secretiora, &c.

Euthym. *Theophyl.* *Oecumen.* *Papias.*

Iudas è suspendio nō est ereptus, sed in eo periijt. Credendum est Iudam suspendio periisse; quod probatur ex Matthæo cap. 27. *Abiens laqueo se suspendit*, &c. Quod nō dicitur nisi de eo, qui suspendio amisit vitam. Obiiciuntur uerba Lucæ Act. 1. *Suspensus*, Græcè πρηνὴς γενόμενος, id est, *praeceps factus; crepuit medius*, &c. Ergo non suspēdio periit, sed præceps factus crepuit. Respōdetur, πρηνὴς, significare præcipitem, & pronum, & eū, qui capite est propendente, & vultu in terram deiecto, qualis esse solet eorum vultus, qui suspensi sunt, vnde significat, suspensum, vt noster interpres vertit, *suspēsus crepuit medius*. Syri sic habent, Act. 1. *Et cecidit Iudas in faciem suam humi, & crepuit medius*, &c. Oecumenius quoque ait, fracto funiculo, quo erat suspensus, decidisse in terram præcipitio, ac crepuisse medium. & Magister historiæ: Rupto, inquit, laqueo putatur Iudas cecidisse, & crepuisse, &c. Nostræ versioni magis est consentaneum dicere, cum esset suspēsus crepuisse medium, in ipso suspendio, effusaque esse ex suspenso viscera in terram, quam auaritiæ pondere petiuerant. *Suspensus* (ait Lucas Act. 1.) *crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius*, &cæt. Fortè post suspendium intumuit, & tumefactus crepuit. D. Bernard. Psal. 90 serm. 8. Iudas, inquit, in aere crepuit medius, &c.

Oecumen. *Act. 1.*

Quęret aliquis, qua ex arbore, quoue loco, Iudas se suspenderit? Arbor ficus fuisse dicitur, idque cecinit Iuuencus Poeta hoc carmine:

Informem rapuit ficus de vertice mortem.

Arbor ex qua Iudas pependit, ficus. Idem ait Beda de locis sanctis c. 4. Adrichomius in theatro terræ sanctæ, Sycomorum fuisse ait, eamque adhuc extare, & cerni: locum vero suspendio assignat ad Occidentem montis Sion, in sylua quadam. Sepultus dicitur in agro suo, qua de re apud Oecumeniū Act. 1. hæc leges. Post multa tormenta & vltiones cū in suo prędio (vt aiunt) mortuus esset, præ fœtore prædium illud desertum permansit, & non habitatum, vsque in hodiernum diem: Sed neque vsque ad hoc tempus locum illum quisquam præterire potest nisi obturatis naribus, &cæt. Fides sit penes autorem. En tibi illud væ, illud Christi fulmen, Matth. 26. *Væ homini illi*,

Vbi sit sepultus Iudas.

illi, per quem filius hominis tradetur.

Cur Iudas se suspenderit. Cur se Iudas suspenderit, tertium est dubium. Respődet Theophylactus Matth. 27. Non ferens ignominias subsecuturas, seipsũ è vita subduxit, &c. *Theoph.* *Rupertus.* Rupertus Matthæi 26. ait se suspendisse, quia persensit, quod res non procederet secundum consilium eius. Volebat enim nomen Christi omnino extingui & doctrinam. Videbat autem Apostolos superstites esse, per quos id posset fieri. Voluerat vt omnes comprehenderentur, neque id assecutus fuerat. Sed non probat Rupertus suam hanc opinionem, neque mihi fit verisimilis. *D. Leo.* D Leo ad furorem refert sermo. 11. de pass. Traditor, inquit, insurrexit in seipsum, non iudicio pœnitentis, sed furore pereuntis, &c. *Orig.* Origenes citatus, voluisse ait anima nuda occurrere Christo, & veniam petere. *Theophyl.* Theophylactus, similiter voluisse præuenire Dominum in inferno, & orando salutem assequi. Atqui in inferno nulla est redemptio. Respondetur se suspendisse Iudam præ nimia tristitia, atque immoderata pœnitentia & desperatione, quam concepit, quòd viderit Christum damnatum à Iudæis, quem ipse prodiderat. hæc est causa, quam reddit Euangelista, *D. Leo.* D Leo ser. 3. de passione: Iudam, inquit, desperatio traxit ad laqueum. *Euthym.* Euthymius: cum ad Christum clementissimum cőfugere oporteret, ille ad mortem confugit, vt à desperata tristitiaq; vita citiùs liberaretur, &c. *D. August.* August. lib. hom. 50. homil. 27. Iudam, inquit, nő tam scelus quod commisit, quàm indulgentiæ desperatio, fecit penitus interire, &c. *D. Hier.* Hieron. Psal. 108. Pro clementia, inquit, Domini hoc dico; quia magis ex hoc Iudas offendit Dominum, quia se suspendit, quam quod Dominum prodidit, &c.

Gaudium erit in cælo (ait Dominus Luc. 15.) *super vno peccatore pænitẽtiam agente*, sed super hunc peccatorem Iudam pœnitentiam agentem, non fuit gaudium in cœlo, sed in tartaro; quia veram pœnitentiam non egit, sed desperauit, sibiq; mortem consciuit. *Euthym.* Euthymius: Peccatum, inquit, coram omnibus cőfiteri, ac proiicere ãrgẽteos, resipiscentiæ fuit; laqueo se suspendere, desperationis: peccatum agnouit, & pœnituit eum, ac confessus est; veniam autem ab eo, qui dare poterat, non requisiuit, &c. Auem anceps modica esca decipit, & laqueo capit: sic dæmon Iudam modica pecunia decepit, deceptum laqueo cepit, quo se suspendit. *D. Leo.* D. Leo serm. 9. de passione: Iudas dum sitit lucrum, peruenit ad laqueum, &c. Congruit pœna flagitio, vt *Beda.* Beda obseruat Act. 1. Dignam, inquit, sibi pœnã inuenit, vt guttur, per quod vox proditionis exiuerat, laquei nodus necaret; & qui hominum Angelorumque Dominum morti tradiderat, *Pœna Iudæ flagitio cőgruens.* cælo terræque perosus, aeris in medio, periret; & viscera, quæ dolũ proditionis conceperant, rupta caderent. *D. Bernar.* D. Bernardus serm. 8. Psalm. 90. Iudas, inquit, in aere crepuit medius, aerearum collega potestatum, vtpote, quẽ veri Dei, & hominis, qui de cælo venisset operaturus salutem in medio terræ; huius, inquam, proditorem, nec cælum reciperet, nec terra sustineret, &c. *Sedulius.* Sedulius.

Iudicio tali permisit membra fureri
Aeris in medio; communi vt poneret hosti
Debita pœna locum: cœlum terramque perosus,
Inter vtrumque perit, &c.

Desperatio Iudæ. Laqueo respiratio prohibetur: desperatione autem prohibetur Spiritus sanctus. laqueo respirationem prohibuit Iudas, & vitam temporalem amisit; desperatione prohibuit Spiritum sanctum, & vita æterna priuatus est. Itaque corpus suspendit, & animum. *D. August.* lege Aug. lib. homil. 50 hom. 27. Quod (inquit) fecit in corpore suo, hoc factũ est in anima ipsius. Quomodo, qui sibi collũ ligant, inde se occidunt, quia non ad eos intrat spiritus aeris huius: sic illi, qui desperant de indulgentia Dei, ipsa desperatione intus se suffocant, vt eos Spiritus sanctus visitare non possit, &c. Dolor ac mœstitia ob peccata suscepta, pelagus est, quo peccata demerguntur. At infelicis Iudæ dolor & mœstitia, Tartareo flante Spiritu magnam in corde illius procellã

excitarunt, quæ non peccata absorpta sūt, sed Iudas ipse desperatione demersus est, ac suffocatus. Abundantiorē tristitiā absorbere hoiem, ex Paulo colligitur 2.Cor.2. De quodā agens fornicario, sic ait: *Ne forte abundantiore tristitia absorbeatur. Propter quod obsecro vos, vt confirmetis in illum charitatem*, &c. Absorptus est Iudas abundantiori tristitia, non habuit, qui confirmaret in illū charitatem, non habuit, qui tabulam illi vere pœnitentiæ proiiceret.

Tristitia hominem absorbet. 2.Cor.2.

Heu quos quęsiuit medicos, quibus vulnus, hoc est, peccatum aperiret suum? *Pęnitentia ductus* (ait Matth.) *retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus, dicens, Peccaui tradens sanguinem iustum*, &c. Principibus sacerdotum suum fatetur peccatum. Nunquid charitatem suam in eum confirmarunt? vide quàm plenū sit charitatis responsum: *Quid ad nos? tu videris*, &c. Non poterant charitatem in Iudam confirmare, qui in Christum condemnationis sententiam cōfirmarant. His similes sunt confessarii illi, ac pastores, qui charitate in oues carent. *Quid ad nos?* (inquiunt) *tu videris*. Quid ad nos tua peccata attinēt, quid tuæ vexatio conscientię, tuæ molestiæ? Tu tibi consule. At verò, qui animarum zelo feruent, in omnes charitatem confirmant, omnium peccatis, pro virili parte medicinam adhibent, omnes in Dei gratiam ducere toto pectore conantur. O Iuda, quære in his animi tui angustiis condiscipulos tuos, illi charitatē in te confirmabūt, quære Ioannem dilectum, ille te introducet in domum summi Pontificis, nō Caiphæ, sed Christi: quære Petrum, ille remedium desperationi tuę afferet; peccauit, sed minimè desperauit: quod fecit, te docebit. Domum pete Deiparæ virginis, grauissimi sceleris impetrabit tibi à filio veniam. Denique ne quære sacerdotes Iudæorum, summum quære Pōtificem Christum: illi peccatum tuum fatere: illi dicito: *Peccaui, tradens sanguinem iustum*. Reseruatum est hoc peccatū summo Pontifici Christo: non possunt te absoluere Iudæorum Pontifices. Nō dicet hic Pontifex: Quid ad me? tu videris, sed dicet: Magnopere ad me attinet tuum peccatum, ego videro, quomodo illud expiem, sanguinem iustum, quem tradidisti, pro illo effundam. Neque ad Apostolos, neque ad Deiparam, neque ad Christum miser, sed ad laqueum festinauit, furiis agitatus conscientiæ. Laqueus dicitur locus Iudæ Act.1. iuxta interpretationem Oecumenii; *De quo, idest, Apostolatu præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum*, &c. locum suum (ait Oecum.) suspendium vocat, &c. sed rectiùs locus Iudæ dicitur Orcus; excidit Apostolatu, vt abiret in locum suum, Græcè ἴδιον propriū: particula (vt) consecutionem indicat. Proprium autem locum faciunt sibi impii tartarum. Hanc sibi domum illi peccando ædificant. Caiet. Locus, inquit, Iudæ dicitur, quia hactenus occupauerat alienū Apostolatus locum, & quia ex propriis meritis damnationis locum suum effecit, &cæt. Vermis conscientiæ Iudam suffocauit, quia ab illo per veram pœnitentiam, & spem veniæ non est suffocatus. Suffocemus vermem, ne nos suffocet. lege Bernardum serm. de conuersione ad clericos c.6. Optimum, inquit, est sentiri tunc vermem; cum possit etiam suffocari: itaq; mordeat nunc, vt moriatur, &c.

Pastores charitate carentes.

Laqueus locus Iudæ. Act.1.

Oecum.

Orcus locus Iudæ, & impiorum.

Caiet.

Vermis cōscientiæ. D.Bernar.

CA-

CAPVT II.

De agro figuli empto.

MATTHÆVS CAPITE XXVII.

PRincipes autem sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam: quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum diē. Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filiis Israel: & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

OBtulit (vt diximus) Iudas triginta argenteos Principibus sacerdotū, illi recipere noluerūt, quamobrem in templo eos proiecit. Extēplo acceperunt sacerdotes proiectam pecuniam. Principes verò in corbonam eam mittere noluerunt: aiebant enim fas non esse pretium sanguinis & cædis in gazophylacio reponere. Verè culicem liquantes (ait D. Hier.) & camelum glutientes, &c. Nam putarunt non licere pretium sanguinis mittere in corbonā; licere verò arbitrati sunt ipso Paschatis die Christum occidere: illud erat culicem liquare, hoc, camelum glutire. sed camelum glutiuerunt, qui eos strangulauit. Corbonam ait D. Hieronymus fuisse gazophylacium templi, vbi erant dona Dei. Iosephus lib. 22. de bello ca. 8. ait fuisse sacrum thesaurū. Hebraicè dicitur, corban. diximus de corbona tom. 2. ad illa verba Matthæi 15. *munus quodcumque est ex me*, &c.

Corbona. *D. Hier.* *Iosephus.*

A Dubitatur, cur dicant, *non licet eos mittere in corbonam*, nōne poterant in aliquo alio loco reponi? Respōdetur, propterea id dicere, quia videbantur triginta argentei oblati à Iuda, Deo: cum igitur esset donum illud oblatū Deo, debuit mitti in corbonam, id est, locum vbi erant dona Dei. Quia verò cædis pretium erat, nō est missum. Potest etiam responderi, sacerdotes 30. argenteos, quibus Christum emerunt, ex corbona, id est, sacro thesauro, accepisse, quod putarent ad religionē pertinere Christum occidere. Cutor quidem hist. schol. ex corbona sumptos putat, *non licet mittere in corbonā*, interpretatur his verbis: Mittere, intellige, pro remittere in corbonā; quia inde tulerunt argenteos, &c. Iuuēcus antiquus poeta sic canit:

Cur Iudæi corbonæ fecerint mētionem.

B

Inde sacerdotes pretium, quod sanguinis esset,
Illicitū sātes adytis iā cōdere tēpli,
Quod dare tum licitū dum sanguis distraheretur,
Credebant, &c.

Cy-

Cyrillus. Cyrillus Ioa. 18. Principes (inquit) pecunia sacra proditorem conduxerunt, &c. Videlicet ad religionem, & Dei honorem, cęlem Christi maximè spectare voluerunt indicare.

Emerunt ex illis agrum figuli.

CVm nefas esse existimarent principes sacerdotum, 30. argenteos, pretium cædis, inter dona Dei in corbona, siue gazophylacio recondi: consilio inito, statuerunt, vt emeretur ex illis ager figuli, vt peregrini, qui in vrbe è vita discedebant, sepulchroq; carebant, in illo sepelirentur. peregrini, Græcè ξένοι dicuntur; quod nomen significat *hospites, aduenas, extraneos*. Quęritur, cur dictus sit ager figuli? Respondetur, quia alicuius figuli erat, & ab eo venditus, &c. Minus probabile est, dici agrum figuli, quòd ex eo terra ad vasa figuli effoderetur; vel, quod testarum fragmenta in eum iactarentur. Illud quoque non est verisimile, figulum esse nomen proprium, quod autori histro. non displicea Dictus est postea ager non figuli, sed, *Hacel dama*, lingua Syriaca, vel Hebræa iā mutata vt solent mutari linguæ. Significat nomen *agrū sanguinis. Hácel, ager: dama, sanguis*, sic vocatus, quia pretio sanguinis, id est Christi cędis, emptus est. fuit hoc nomen, pro mundo sanguinis effusi memoriale.

Cur dictus sit ager figuli?

Quæritur secundo, vbi nam fuerit hic ager? Docet Adrichomius, ex aliis quos citat in theatro terræ sanctæ: Erat, inquit, situs ad Australem partem montis Sion Hujus medium Imp. Helena quatuor muris fecit includi; ac superius testudine concamerari, quæ septē foraminibus patet, per quæ defuncta Christianorum corpora dimittuntur, &c. Miram esse ait huius terrę vim ad consumenda corpora. Est, inquit, huius terræ virtus mirabilis, & fidem pene superans, quod defunctorū corpora viginti quatuor horarum spatio in puluerem redigat. quam virtutem etiā in alias regiones deuecta, minimè perdit. Hæc ille. Romā, iussu Helenæ aduectā ait; eandemque ibi retinere vim in campo, quem sanctū vocant: Romani respuere, sola peregrinorū corpora recipere ad sepulturā.

Adrichom.

Vbinā fuerit ager figuli.

Mirabilis vis agri ad cōsumenda cadauera.

Quæritur tertio, cur dicat Iudas Act. 1. possedisse huuc agrum? *& possedit agrū*, ait Petrus, *de mercede iniquitatis*, &c. Aiunt nonnulli, possedisse, quia alios possidere fecit. Credo potius, Petrum metaphoricè locutum dixisse Iudam possedisse agrum, quia ex pecunia, quā acceperat, ager emptus est. Cum nullum peculiarem habere dominum, sed in sepulturam peregrinorum emptus esset, possessionem Iudæ tribuit.

Act. 1.

Cur Iudas dicatur possedisse agrum.

Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam.

VAticinium hoc apud Ieremiā minimè reperitur, sed nō oīa extāt, quæ Ieremias, aliique Prophetæ scripserunt, & vaticinati sunt. Ex aliquo libro Ieremiæ, hoc vaticinium Spiritus sanctus suggessit Matthæo, qui nō extat; quemadmodum non extant illæ descriptiones eiusdē Ieremiæ, de quibus fit mentio lib. 2. Machab. c. 2. Hæc est Origenis sententia; ait eum hoc testimonium sumptum ex aliqua secreta scriptura Ieremiæ, quæ non extat. D. Hier. scribit, se vaticinium hoc legisse in Hebræo quodam volumine Ieremiæ apocrypho, quod illi Hebræus quidā ostendit. & Euthymius. Restat, inquit, vt in apocrypho, id est, occulto, Ieremiæ scriptum sit hoc testimonium, &c. & Caietanus. Credendū, inquit, i Ieremia Canonico scripta fuisse, hæc quæ citantur, quamuis ad nos non peruenerint. Multa enim Prophetarum scripta perdita fuisse cōstat ex lib. Reg. & Paralip. sic ille.

De vaticinio Ieremiæ.

Origen.

D. Hier.

Euthym.

Caiet.

Apud Zachariā c. 11. vaticinium inuenitur simile huic, quod Matthæus cōmemorat; ideo D. Hiero. arbitratur vaticiniū Matthæi sumptū ex Zacharia. Origenes quoque ait potuisse esse errorē alicuius, qui Euangeliū describēs, pro Zacharia, Ieremiā scripserit. Ferus existimat Zachariā duo habuisse nomina, dictū Zachariā & Ieremiā citatū à Matthæo. At Græci & Latini co-

An sit vaticiniū Zachariæ.

codices Ieremiã legunt, & emendata editio, non Zachariã. Vnde ẽt illi refutantur, qui aiunt, olim neque nomen Ieremiæ, neq; Zachariæ scriptũ fuisse; Matthæum verò scripsisse: *Quod dictum est per Prophetã*, &c. sed, *Quod dictum est per Ieremiam Prophetam:* scripsisse testatur emendata editio, & alii codices. Aug. li. 3. de consensu Euang. c. 7. scribit non oẽs codices habere nomen Ieremiæ, sed aliquos tantummodo habere nomẽ Prophetæ. Addit tamen; Plures codices habent Ieremiæ nomen; & qui diligentius in Græcis exemplaribus Euangelium considerauerũt, in antiquioribus Græcis, ita se perhibent inuenisse, &c. lege ipsum Aug. & Eusebium Cæsa. lib. 10. de demonst. Euang c. 4. cui videtur, aut locum extractum ex libro Ieremiæ per malitiam; aut negligẽtia librarii, scriptum pro Zacharia, Ieremiam. D. Augusti potuisse fieri ait, vt pro Zacharia scripserit Matthæus Ieremiam, vt indicaretur omnes Prophetas, vno spiritu, atque ore locutos; & quæ sunt Zachariæ vaticinia esse etiam Ieremiæ. Vt informaret nos Dominus (ait August.) tantam verborum suorum inter Prophetas esse concordiam, vt nõ absurdè, imò congruentissime, etiam Ieremiæ deputaremus, quod per Zachariam dictum reperiremus, &c. Item hoc de Prophetis maximè commendandum fuit; vt omnium libros, tanquam vnius vnum librum acciperemus, &c sed hæc August. responsio nõ probatur.

D. Aug.

Non probatur illa D. Aug. respõsio.

Et acceperunt 30. argenteos: pretium appretiati.

HOc est Ieremiæ vaticinium: Acceperunt 30. argenteos, videlicet principes sacerdotum; qui argentei erant pretium Christi appretiati, quem appretiauerunt, ex filiis Israel: erat enim Christus ex filiis Israel. Vel, *quem appretiauerunt*; cui pretium constituerunt; *ex filiis Israel*, id est, homines qui erant ex filiis Israel, siue Israelitæ; iuxta illud Matth. 26. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi cõstituerunt ei triginta argẽteos*, &c. Ecce Christum ab Israelitis appretiatum argenteis triginta. Aliter sumitur numerus multitudinis pro singulari. *Quem appretiauerunt*, & emerunt à filiis Israel, i. ab vno ex filiis Israel, videlicet à Iuda. sic Titelmannus. *Et dederunt eos in agrum figuli*; hoc est, dederunt eos, vt emeretur ager figuli, expẽderunt eos in agrum figuli; *sicut Dominus mihi Ieremia constituit*; Græcè, συνέταξε, ordinauit, id est, sicut mihi Prophetæ ordinauit, & ostendit Dñs faciendum, & implendum suo tẽpore.

Vaticiniũ Ieremiæ.

Apud Zachariam c. 11. simile extat vaticiniũ; *& appenderunt mercedẽ meã 30. argenteos, & dixit Dominus ad me: proiice illud ad statuarium (Iosor*, Hebraicè, id est, *figulum*, qui ex argilla vasa fingit & statuas*) decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli 30. argenteos, & proieci illos in domum Domini ad statuarium*, &c. sensus breuiter hic est; Appenderunt pro mercede, quã petis ab eis mihi satis debita 30. argẽteos, quibus 30. argentei Iudæ indicabantur. & dixit Dominus Prophetæ, vt significaret, quod erat euenturum: *proiice illos ad statuarium*, siue figulũ, idest, proiice illos in templum, vt Iudas faciet suo tempore; ad statuariũ, id est, vt statuarii, siue figuli ager ematur. Proiice ad statuarium, vt dentur statuario, siue figulo. *O decorum pretiũ, quo ab eis sum æstimatus:* per ironiam. *Et tuli* (ait Zacharias) *30. argenteos, & proieci illos in domum Domini ad statuarium*, &c. Quod Deus præceperat fecit, 30. argenteos sibi datos ab Israelitis, in templum proiecit ad statuariũ, vt darentur figulo pro agro. qua proiectione, Iudæ proiectionem, & agri figuli emptionem vaticinatus est. Nã ab Israelitis quõdam post reditum ex captiuitate Babylonica; petiuit Dominus Zachariæ: *Si bonũ est in oculis vestris afferte mercedem meã: & si nõ, quiescite*, &c. sequitur, *Appenderunt mercedẽ meã 30. argenteos*, &c. dederunt ergo Prophetæ 30. argenteos pro mercede petita, iussu Domini. proiecit eos Propheta in templo, vt ager statuarii

Zach. 11.

Vaticiniũ Zachariæ.

Zachar. 11.

tua-

tuarii emeretur; & Iudę traditio signi ficaretur.

Morale. Ecclesia ager sanguinis Christi.

D. Aug. sermo. 114. de tempore ait *Haceldama*, id est, *agrum sanguinis* adũbrare Ecclesiam. Est enim verè ager sanguinis, quia sanguine Christi empta est, & redempta, atque irrigata. Est præterea sepulchrum peregrinorum, quia Christiani peregrini sunt, iuxta illud 1. Petri 2. *Obsecro vos tãquã aduenas, & peregrinos abstinere à carnalibus desiderijs*, &c. Sunt etiã mortui, ac proinde sepulti, iuxta illud Pauli ad Coloss. 3. *Mortui estis & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo*, &c. De hac beata sepultura peregrinorũ, siue bonorum Christianorũ ait Chrysost, eodem capite: Nihil hac sepultura beatius, super qua gaudent omnes, & Angeli, & homines, & Angelorum Dominus. Si hæc vita non est vita, sed abscondita est vita nostra, tanquam mortui vita ista viuere debemus. Sic ille.

1. Petr. 2.

Coloss. 3.

D. Chrys.

Est pręterea Religio ager sanguinis in sepulturam peregrinorum, sanguine Christi emptus. Nam in religione maximè sepeliuntur mundo homines in mundo peregrini. Quid enim aliud sunt religiones D. Dominici, D. Francisci, & reliquæ, quam sepulturæ quædam peregrinorum? Magnam vim ad consumendam carnem habet terra illius agri sanguinis, vt diximus; siquidem 24. horarum spatio corpus redigit in puluerem; magnam quoq; vim habet religio ad consumenda carnalia desideria, si quis magno cum ardore eam complectatur. O felicem illũ, cuius carnem hic ager sanguinis Christi exedit. O infelicem illũ, cuius carnalia desideria tam potens terra non consumit. Non ego de obesis corpore loquor, sed de his, quorum animi carnalibus vitiis pingues sunt. lege Ambros. serm. 52.

Religio ager sanguinis est.

CAPVT III.

Accusatur coram Pilato Dominus, & mittitur ad Herodem.

MATTHAEVS CAPITE XXVII.

IEsus autem stetit ante præsidem, & interrogauit eum præses, dicens: Tu es rex Iudæorum? Dicit illi Iesus: Tu dicis. Et cum accusaretur à principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus; Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præses vehementer.

MARCVS CAPITE XV.

ET confestim, manè consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus, & scribis, & vniuerso concilio, vincientes Iesum duxerunt, & tradiderunt Pilato. Et interrogauit eũ Pilatus: Tu es Rex Iudæorum? At ille respondens, ait illi: Tu dicis. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. Pilatus autem

Digitized by Google

tem rursum interrogauit eum, dicens: Non respondes quidquam? vide in quantis te accusant. Iesus autem ampliùs nihil respondit, ita vt miraretur Pilatus.

LVCAS CAPITE XXIII.

ET surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accusare dicentes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem, se Christum Regem esse. Pilatus autem interrogauit eum dicens: Tu es rex Iudæorum? At ille respondens, ait: Tu dicis. Ait autem Pilatus ad Principes sacerdotum, & turbas: Nihil inuenio causæ in hoc homine. At illi inualescebant, dicentes: Commouet populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsq; huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset. Et vt cognouit quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodē, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus.

IOANNES CAPITE XVIII.

ADducunt ergo Iesum à Caipha in prætorium. Erat autē manè, & ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? Responderunt & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secūdùm legem vestram iudicate eū. Dixerunt ergo ei Iudęi: Nobis non licet interficere quemquam; vt sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans, qua morte esset moriturus. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum, & dixit ei: Tu es Rex Iudæorum? Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti? Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset regnū meū, ministri mei vtiq; decertarent, vt non traderer Iudæis: nunc aūt regnū meum non est hinc. Dixit itaq; ei Pilatus: Ergo rex es tu? Rn̄dit Iesus: Tu dicis, q̄a rex sum ego: in hoc natus sum, & ad hoc veni in mū-dū, vt testimoniū perhibeā veritati. Oīs, qui est ex veritate, audit vocē meā. Dicit ei Pilatus. Quid est veritas? Et cū hoc dixisset, iterū exiuit ad Iudęos, & dicit eis: Ego nullā inuenio in eo cām.

Adducunt Iesum à Caipha in prætorium.

Festinanter comederũt Iudæi agnum Dei.

EXodi 12. de Paschali Agno scriptum est: *Comedetis festinanter.* E quidē satis festinanter Iudæi Agnum immaculatum Christum comederunt. Alii rei, in carcere multos dies, multosque menses & annos nonnunquam continentur, at Christum festinanter, feria quinta noctu in horto Iudæi vinculis alligauerũt, eadem nocte in domo Caiphæ, reum mortis pronuntiarunt: feria sexta manè ad Pilati tribunal duxerunt, & cruci suffixerunt. Psal. 13. *ueloces pedes eorũ ad effundēdum sanguinem.* Post consilium initum, Caiphas, reliquiq; sacerdotes seniores, & Scribæ ad Pilatum attulerũt Christum tempore matutino. Erat autem Pilati domus non in monte Sion, sed in ciuitate inferiori: distabat à domo Caiphæ, teste oculato Episcopo Conimbric. ferè medio milliari: legendus Adrichomius in descriptione Ierusalem. nu. 207. A domo inquit, Caiphæ mille gressibus aberat palatium Pilati: à palatio Pilati via trecentorum quinquaginta gressuum est ad palatium Herodis: à palatio Herodis Dominus per sexcentarum vlnarum interuallum, alia via quā venerat, ad palatiũ Pilati reductus est. &c.

Psal. 13.

Quæ sit distantia inter domum Caiphæ & Pilati, & inter domũ Pilati & Herodis.

Adducunt (ait Ioãnes) Iesum à Caipha in prætorium, &c. hoc est, adducunt Christum à domo Caiphæ in domum prætoris Pilati, quæ prætorium dicebatur. D. Augu. incidit in codices mendosos; ideo lib. 3. de consensu Euang. c. 7. & tract. 114. in Ioannem; legit: *Adducunt Iesum ad Caipham in prætorium,* &c. Et existimat vel Caipham tunc temporis fuisse in prætorio. Pilatis vel prætorium Pilati fuisse in magna domo Caiphæ Mendosi fuere Augustini codices; veri habent, *Adducũt ergo Iesum a Caipha, id est, à domo Caiphæ, in pretoriũ.* Adduxerunt autem illum omnes, vnde Lucas: *Surgens,* inquit, *omnis multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum.* &c. Exod. 12. *Immolabit eum, id est, Agnum vniuersa multitudo filiorum Israel,* &c. Magna multitudo ad nostrum agnum immolãdũ confluxit, & tradendum ethnicis, vt illum immolarēt: iuxta Christi vaticinium Matth 20. *Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte* (videlicet in domo Caiphæ) *& tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum & crucifigendum,* &c.

D. August.

Exoritur quæstio: cur Iudæi Christum non interfecerunt, sed ad Pilatũ duxerunt; vt interficeret? Huius rei aliquot causæ reddi possunt Prima est D. Cyrilli, & Augustini; quia dies festus paschatis erat, quo id facere ipsis non licebat. Secunda D. Thom. quia crimen propter quod occidendus erat, ad Rempubl. pertinebat Adde, qa pertinebat ad præsidis iudicium, videlicet Messiam, id est, regem, se esse dicere; præterea Cæsari tributa dari prohibere. Tertia, vt videretur Christus non ab eis sed à Pilato crucifixus; ipsi verò viderentur alieni ab eius cæde. Vnde illud Act. 6. *vultis inducere super nos sanguinem hominis istius,* &c. D. Aug. tract. 114. Iudæi, inquit, isto modo ab interfectione Christi, se velut alienos facere voluerunt, &c. Glossa ordin. tradiderunt Iudæi Christum Romanæ potestati, vt eo modo, ab eius interfectione alienos se esse ostenderent, &c. Quarta, quia non licebat Iudæis per Romanos occidere quemquã vt illi fatētur, Io. 18 aientes: *Nobis non licet interficere quenquam,* &c. Quinta, quia etsi Iudæis liceret occidere aliis modis, vt lapidatione, cōbustione, gladio, strangulatione; non tamē licebat cruci quemquam suffigere. Cùm ergo vellent hoc ignominioso mortis genere Dominum afficere, ad Pilatum eum duxerunt. Infrà verba hæc Iudæorum exponemus: *Nobis non licet interficere quemquam,* & causam dicti agnoscemus: de Pilato satis diximus tomo I.

Cur Iudæi non interfecerint Christũ, sed ad Pilatũ adduxerint.

Actor. 6.

D. Aug.

Ioan. 18.

Et ipsi non introierunt in prætorium, vt non cõtaminarētur.

NOluerunt Iudęi qui Christum ducebant, in prætorium Pilati introire,

troire, id est, in domũ ingredi, in qua Pilati tribunal erat; ex quo ius dicebat: ne contaminarẽtur prophanæ domus, & hominum ethnicorum cõmercio de Paschatis, neque possent cõtaminati comedere Pascha. Quidam exponunt agnum paschalem, sed hãc opinionem refutauimus lib. 1. huius tomi, non enim significat hoc loco Pascha agnum Paschalem quem iam comederant; cibos alios significat, quib. vescebantur Iudæi, ipso die paschatis mundi; quia mundiciem legalem cibi illi postulabant. Erant autem hi cibi panes azymi, vt placet D. Tho. Innocẽtio 3. li. 4. de sacramento altaris c. 4. & aliis: D. Aug. tract. 114 ad hæc verba; *vt non contaminarentur*, &c. Dies enim inquit, agi cœperant azymorum, quibus diebus contaminatio illis erat in alienigenæ habitaculum intrare, ò impia & stulta cæcitas habitaculo videlicet contaminarentur alieno, & non contaminarentur scelere proprio. Alienigenæ iudicis prætorio contaminari timebant, & fratris innocentis sãguinem fundere non timebant. sic ille Quamuis in Scriptura id non præcipiatur, probabile tamen videtur requisitam fuisse munditiam ad esum azymorum, veluti aliquo modo sacrorũ; neque intolerabile erat per septẽ dies illos azymorũ seruare munditiã debitã. forsitan etsi lex nõ requirebat munditiam, principes ipsi sacerdotũ, & Pharisæi atq; Scribæ, maioris perfectionis gratia, mundi esse volebãt ad comedendos azymos panes. Præterea Pascha dicũtur, hostiæ pacificæ, in Paschatæ oblatæ, quæ non nisi à mundis edi poterant. Deut. 16. *Immolabis Phase Domino Deo tuo, de ouib. et de bob.* &c.

D. Aug.

Paschatis tẽpore hostia pacifica oblata pascha appellantur. Deuter. 16. Pascha significare potest hoc loco agnum Paschalẽ.

Quòd si velis Pascha hoc loco significare agnũ Paschalẽ; dicere poteris, Principes Sacerdotũ nocte illa in parandis iis quæ ad Domini comprehensionẽ necessaria erant, occupatos, auctoritate sua distulisse agni Paschalis esum in feriã sextã, eumq; feria sexta comedisse, cũ iã populus feria quinta comedisset. Existimabãt. n. obsequium se præstare Deo, si occasionẽ oblatam arriperent, & Christum illa nocte cõprehenderent, in suamque redigerẽt potestatem. etsi agnum alia die comederent. Erit sensus: noluerunt ingredi in prætorium ne fierent immundi: & vt possent mundi agnum manducare: cuius immolationem sua authoritate, ex feria. 5. in feriam 6. distulerunt.

Exiuit ergo Pilatus ad eos foras.

Noluerunt Iudæi domum ingredi, in qua ius dicebat Pilatus: neque verò ille iratus est, neq; homines repulit, quod contaminari se putarẽt ingressu prætorii, sed foras ad eos humaniter exiit, & viso Domino vincto, miti vultu, edito ex loco rogauit: Quã accusationem affertis aduersus hominem hunc; quæ crimina obiicitis? Nã Romani neminem indicta causa condemnare solebant. Act. 25. Festus: *Non est*, inquit, *consuetudo Romanis dãnare aliquẽm hominem, priusquã is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locũque defendendi accipiat ad abluendũ crimina*, &c. Responderunt Iudæi: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*, &c. Nolebãt Christum accusare coram Pilato Sacerdotes. & cæteri; sed volebant à se iam damnatũ, dãnari à Pilato, absque vlla accusatione & causæ examinatione. Ideo aiũt, nostra satis est autoritas, vicẽ subeat accusationis. Si nõ esset hic malefactor, si crimina morte digna non haberet; non tibi tradidissemus eum occidẽdũ absque vlla accusatione. Nos magnæ autoritatis viri, atque religionis, causam iam cognouimus, hoc tantum restat vt sententiam in illum feras. Euthymius Matth. 27. Iudęi, inquit, tradiderunt Christum Pilato ad interficiẽdum, non ad inquirendum. At ille non tulit, vt priusquam perquireret, occideretur: ideo discere vult quę sit accusatio, &c. Respondit Pilatus: Accipite eum vos, & reducite ex Prætorio, & secundum legem vestram iudicate eũ; siquidem eius crimina nostis. Ego enim absque causæ cognitione sententiam in eum dicere nequeo. Dubitãt de qua lege loquatur Pilatus? Caiet. arbitratur loqui de lege Iudæis da-

Act. 25. Pilatus cũ Iudæis loquitur.

Euthym.

Caiet.

ta à Romanis: hoc sensu; secundùm legem vobis à Romanis decretam iudicate eum. Sed de lege veteri loquitur, vt mox videbimus. D. Cyrillus sic interpretatur: secundùm legem uestrã iudicate eum. Si etiam innocentes lex vestra damnat: mihi non est fas punire non accusatum, probabilior altera interpretatio est.

Nobis non licet interficere quemquam.

Caiet.

ARgumentatur Caiet. Iudæis per legem veterem licebat interficere morte dignos; ergo non loquitur Pilatus de lege veteri, cùm ait: *secundum legem vestram iudicate eum*, &cæ. siquidem Iudæi respondent: *Nobis per legem nostram nõ licet interficere quemquam.* Consecutio negatur; quia Pilatus nunc facultatem Iudæis dabat iudicandi secũdum legẽ veterem, eo modo restrictam, quo Rom. restrinxerãt: Romani aũt potestatem abstulerãt Iudæis interficiendi quemquam: sed hac de re agamus fusius. Nõne Iudæi Christum lapidare uoluerunt? Io. 8. *Tulerũt ergo lapides vt iacerent in eum*, &c. Nõne Stephanum uita priuarunt, absque ullo præsidis iudicio? licebat ergo illis occidere absque facultate Romanorum. Respondet D. August. Iudæis licuisse interficere; sed non licuisse id facere die Paschatis: sic enim interpretatur hæc uerba: *Nobis non licet interficere quemquam*, &c. Scilicet in die festo Paschatis, quem tunc celebrabant, & in quo Christum occidere cupiebant. Idẽ senit D. Cyrillus: Vetari, inquit, aiunt ab impia cæde Christi, Pascha celebraturi. nam aliter ministeriũ Pilati non quæsiuissent, &cæ. Sed quia Iudæi absolutè aiunt; *Nobis non licet interficere quemquam:* nõ placet hæc interpretatio. Si. n. dicere uellent: Nobis non licet interficere quemquã in hoc die Paschatis, quamuis aliis diebus liceat; sanè Paschatis fecissent mentionem, neque absolutè sibi omnem potestatẽ occidendi negarent. præterea facilis erat præsidis responsio: Si nõ potestis

An Iudæis liceret interficere quẽquam?

D. Aug.

D. Cyrill.

A hodie, differte cædem in aliam diem. Theophylactus arbitratur licuisse Iudæis occidere, sed non licuisse crucifigere: hoc sensu: nobis non licet interficere quemquam cruce: hic autem reus crucis morte dignus est. Euthymii, & Chrysost. eadem est interpretatio. Ea tamen eodem modo, quo superior refutatur. Absolutè Iudæi loquuntur. *Nobis non licet interficere quemquam.* Absolutè ergo intelligẽdi sunt, nõ de morte crucis. D. Tho. inter alias hãc addit explanationem. Nobis nõ licet interficere quemquam propter peccatũ commissum in Rempub. quale hic commisit: ait. n. se esse Regem, & prohibet tributa solui. & Chrysost. Vt ostenderet, inquit, Iudæi, non esse in Iudæos tantum peccatum, non licere sibi dicunt. Non enim legi nostræ, sed communi crimini obnoxius est: &c.

Theophyl.

B

D. Thom.

D. Chrys.

C Respondetur, verba, si nihil obstet, in sensu proprio esse accipienda. Cum igitur hæc verba absolutè significent, Iudæos à Romanis priuatos esse potestate occidendi, absolutè sic intelligẽda sunt: *Nobis nõ licet interficere quemquam:* hic reus dignus est morte: non possumus illum secundum legem nostram iudicare, siquidem interficiendi potestas ablata est nobis. Rupertus, Iudicatum non licebat Iudæis occidere, nisi Romano præside, iudicatũ confirmante. &c. Quod obiicitur, Iudæos voluisse Christum lapidare, verũ est; sed ausi non sunt id facere, quia non licebat illis. Lapides quidem acceperunt, & minati sunt, sed non coniecerunt. præterea furor arma ministrat, & aliquando leges frangit, id quod in Stephani cæde factum dici potest. Iudæorum. n. tunc tantus fuit furor, vt Stephanum raperent; & absque potestate accepta à præside occiderẽt. Caiet. Act. 7. ait; Iudæos petiuisse Pilati consensum ad occidendum Stephanũ, quãuis id scriptura tacuerit, quæ multa silentio præterit. Aliter dici põt Romanos occidendi potestatẽ Iudæis abstulisse, absq; facultate præsidis; & præsidem Iudæis concessisse potestatem occidendi Christum, cũ dixit: *Accipite eum vos: & secundum legem vestrã iudicate*

Iudæis interficere nõ licuit.

Rupertus.

D *Obiectio.*

Responsio.

E *Caiet.*

cate eum: Iudæos verò noluisse vti facultate, quia in die festo paschatis volebant ab aliis Christum occidi, & qa volebant Christum à Romanis crucifigi. sed cum Pilatus voluerit Christum liberare accusatum, non est verisimile, antequam accusaretur, voluisse illũ tradere Iudæis occidendum illis verbis: *Accipite eum vos,* &c.

Vt sermo Iesu impleretur.

RESponderunt Iudęi: *Nobis nō licet interficere quenquam;* quod quidẽ verum erat; quoniam ablata erat illis potestas interficiendi. Vnde euenit, vt sermo Christi impleretur, quem dixerat Matth. 20. significans qua morte esset moriturus. *Tradent eum gẽtibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum,* &c. Quia enim Iudæis non licebat interficere quenquã; idcirco traditus est gentibus ad crucifigendum. D. August. tract. 114. Vt sermo, inquit, Iesu impleretur, id est, vt eum sibi traditum gentes interficerent. Quod Dominus futurum prædixerat. Ideo Pilatus, qui iudex Romanus erat, cùm vellet eum reddere Iudæis, vt secundùm legem suam, iudicarent eum, noluerũt eum accipere, &c.

D. August.

Inuenimus hunc hominem subuertentem gentem nostram.

Accusant Iudęi Christum.

CVm viderent Iudæi Pilatum nolle sententiam dicere, non audita causa, cęperunt illum accusare, vt Lucas ait. Tria obiiciũt crimina; Primùm, q̃ Iudæorum gentem subuertat: *Inuenimus hunc hominem subuertentem gentẽ nostram:* Secũdum, quòd prohibeat tributa solui Cæsari. *& prohibentem tributa dari Cæsari,* Tertium affectati regni: *& dicentem se Christum, siue Messiã regẽ esse.* Ipsi subuersores gẽtis; Christo gẽtis seruatori, subuersoris crimen obiiciunt. Tale est amentium iudicium. Iã verò de tributis mendacium dicunt, siquidem constat ex c. 22. Matthæi, Dominum statuisse tributa debita esse sol-

Tria crimina Christo Iudæi obiiciunt.
Matth. 22

A uenda, dum ait: *Reddite ergo, quę sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* De regno quoque, quid loquantur ignorant. Dixit enim Christus in concilio, se Messiam esse, cuius regnum, regno Cæsaris nihil officiebat.

Tu es Rex Iudæorum.

Crimen regni affectati.

HOc crimen regni affectati, cæteris grauius erat, & ad præsidẽ Cę- B saris, maximè attinebat: tãdemque propterea cruci suffixus est Dominus, q᷑ Messiam se esse dixisset, vt compertũ est ex titulo crucis. Ideo Pilatus cùm audisset; *Et dicentem se Christum regem esse,* vt Ioan. scribit: introiuit iterum in prætorium, & vocauit Iesum, & dixit ei, *Tu es Rex Iudæorum?* hoc idem interrogasse Pilatum, aiunt Matthæus, Marcus, & Lucas, respondisse verò Dominum: *Tu dicis.* Ioannes addit, respõdisse C Dominum, & rogasse Pilatum; *A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me,* &c. Quasi dicat, Videsne tu aliquid in me propter quod animus tibi suggerat me regẽ esse, regnumve affectare; an ab aliis hoc accepisti? Tu nullam rationem habes, cur me Regem putes, hominem, qui paupertatem, & virtutẽ sector, non regum opes, ac potẽtiã. Quòd si alii, id est, accusatores mei, tibi dixerunt de me, probent ipsi, quod D dicunt. Aliter. Rogas me à teipso, causa veritatis agnoscendæ, tanquam præses Romanus, ad quem attinet de crimine affectati regni inquirere? an alii, id est, accusatores, tibi dixerunt, & crimen hoc mihi obiecerunt? Sciebat oĩa Dñs: sed cum Pilato loquens scientiã abscondit. Respõsum reddidit Pilatus, se non à seipso hoc dicere, sed ab accusatorib. accepisse. *Nunquid,* inquit, *Iu-* E *dæus ego sum? gens tua & Pontifices tradiderũt te mihi. Quid fecisti,* &c. hoc est nunquid sum ego Iudæus, vt à meipso de te cogitẽ; Vel, ego non sum Iudæus qui te accusem, & crimen obiiciam. Populus tuus Iudaicus & Põtifices populi tui, in hoc te iudicium adduxerũt ab eis hoc tibi crimen obiicitur. Quid fecisti cur tibi obiiciatur? Dubitatur: nonne Christus audiuerat Iudæo-

Pilatus Dominum interrogat.

Christus Pilato respondet, eũ que interrogat.

rum accusationem: audierat ergo Pilatum ab eis accepisse illud crimen. Cur igitur Pilatum interrogat, an à Iudæis acceperit? Respondetur, Christũ interim fuisse in prætorio, dum Iudæi accusabant, ideòque Pilatum sic interrogasse. Vel non rogat Dominus, an audierit ab aliis, idest, ab accusatorib. sed ab aliis Iudæis, vel Romanis. Quasi dicat: Rogas hoc à te, cùm nihil de meo regno hactenus audieris, antequam accusatores hoc crimen obiicerẽt; an fama aliqua, id accepisti?

Regnum meum non est de hoc mundo.

Cur dicatur Christi regnũ non esse ex hoc mundo.

Respondit Dominus Pilato regnũ suum non esse contrarium regno Cæsaris, siquidem regnum Cæsaris est ex hoc mundo; regnum aũt Christi nõ est ex hoc mũdo. De quo regno loquatur Dñs, ambigitur. D. Chrysost. putat loqui de regno cœlesti. Nõ dicit Christus (ait Chrysost.) *regnum meũ non est de hoc mundo;* quod hoc etiam non possideat; sed quod in cælo habeat imperium, non humanum, sed longè maius, atq; præstantius, &c. D. Augu. loqui ait de Ecclesia, quæ regnum est Christi, non de hoc mũdo, quia peregrinatur i mũdo, & cæleste regnum est. D. Cyril existimat loqui de regno cæli, terræ, cæterarumq; rerum oĩum. Paucis respõdetur, Christum loqui de regno, quod in Ecclesia militante possidet nunc, possidebitq; in triumphante in sempiternũ. Sensus verò est: *Regnum meum non est de hoc mundo;* id est, non est terrenum, caducum, ex humanis pendens honoribus, armis, diuitiis, exercitibus, non est simile regnis terrarũ, vt regno Cæsaris, regumq; cæterorum. Rupertus: Regnum, inquit, meum non est de hoc mundo; id est, de arbitrio, vel placito illorũ, qui sunt in hoc mundo; non de magnitudine ciuitatũ, vel longis tractibus terrarum, non de multitudine, & fortitudine militum, &c.

D. Chrysost.

D. August.

D. Cyrill. Rupertus.

Probat deinde Dñs regnũ suum nõ esse mundanum. *Si de hoc mundo esset regnũ meũ, ministri vtiq; mei decertarẽt, ne traderer Iudæis,* &c. Si ego Rex essẽ mũdanus, milites haberẽ, illi verò certarent totis viribus, ne Iudæis crucifigẽdus traderer. Nunc aũt ne vnus quidẽ adest miles, aut comes, qui pro me loquatur. Ne timeas, Pilate, *regnum meũ,* (vt dixi) *non est hinc;* id est, non est de hoc mundo, terrenum ex vanis rebus pendens. Cæsaris regno regnum meũ nihil nocebit. Aug. tract. 115. Audite, inquit, Iudæi, & gẽtes, audite oĩa regna terrena; non impedio dominationem vestram in hoc mundo; regnum meum non est de hoc mũdo. Nolite metuere, metu vanissimo, quo Herodes cũ Christus natus nuntiaretur expauit; & tot infantes occidit, &c.

D. August.

Ex verbis Christi, rectè intulit Pilatus: *ergo Rex es tu?* Respondit modestè Dñs, id concedens: *Tu dicis, quia, idest, quod, Rex sum ego.* Non tamẽ sum Rex mũdanus, aut terrenus, sed cęlestis: nõ sum rex qui bella regibus inferã, qui regna alia sub meã potestatẽ redigere nitar, quæ terrena hæc caducaq; bona cõcupiscã. Rex sũ, cuius officiũ est docere hoies veritatẽ, quæ tibi iudici maxime est necessaria: *Ego in hoc, siue ad hoc natus sũ, & ad hoc veni in mũdũ, ex cælo, vt testis oculatus sim veritatis,* ignotã que hoib. patefaciã veritatẽ. *Ois verò, q. est ex veritate, hoc est qui diuino beneficio veritatem sectatur,* quærit & amat; *audit vocẽ meã,* hoc est, mihi credit, & verbis meis obedit, quia verissima sũt, & oculati testes ipsius veritatis. Non potest veritas populũ subuertere; falsum ergo Iudæi obiiciunt ò Pilate Domino, quòd gentem Iudaicam subuertat; ille veritatis oculatus testis est, Iudæi cæci testes sunt mendacii. Psa. 26. *Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi,* &c. D. Hier. sic vertit: *Insurrexerunt contra me testes falsi, & apertum mendacium,* &c. Obiiciebãt Iudæi crimina Christo, propter quæ crucifigeretur. Aperit Dominus Pilato iudici crimen: scis Pilate, quod est crimen, propter quod me accusant Iudæi? veritas est; ego ad veritatem docẽdam natus sum; veritas odiũ Iudæorum peperit.

Christus ad docẽdã veritatem in mũdum venit.

Psal. 26.

Magnũ sanè est hoc veritatis encomium: Dei filius ad hoc natus est, & ad

Magnum veritatis encomiũ.

hoc

by Google

hoc venit in mundum, vt testimonium perhiberet veritati, ò felicē veritatē quæ talem ac tm̄ meruit habere testē. cōgruebat hoc testimonium Christo; quia est verbum Dei. Verbo aūt testimonium fertur. Quale verbū, tale est testimoniū. Verbi hoīum testimoniū, nisi à verbo Dei illuminetur, fallibile est; idcirco falsa fuere philosophorū, falsaq; sunt hæreticorum testimonia. Verbi Dei testimonium, & hominum, quos illius spiritus docet, infallibile est, quia Verbum Dei ipsissima veritas est essentialiter. essentialis verò veritas, decipi nulla ratione potest, aut ꝓferre falsum. Hanc infallibilē veritatē vt traderet hominibus, cælestis Rex natus est; ad hoc in mundum venit, vt testimonium infallibile illi perhiberet. Tale testimonium erat necessariū; neque enim intellectus in testimonio fallibili conquiescit.

Obiectio. Cur non dixit; In hoc natus sum, vt scientiam veritatis hominibus tradā; *sed vt testimoniū perhibeam veritati*? *Responsio.* Respōdetur, quia Christus prima veritas non venit in mundū, vt sciētiam de rebus traderet naturalibus, de elemētis, de astris, cæterisq; huiusmodi; sed vt res supernaturales hoībus patefaceret summam Trinitatem, Patrem, filiū, & Spiritum sanctum, pœnitentiā veram, Sacramenta, cælestem beatitudinē, iudicium, præmium sanctorū, suppliciū impiorum, &c. De iis autē nō est sciētia euidens, ac certa; sed est fides certior quam scientia, carens tamen euidentia; idcirco ait, *vt testimoniū perhibeam veritati*. Nam huiusmodi veritas non percipitur scientia, sed fide, quæ diuinæ autoritati & testimonio præbetur.

Christus venit vt diuinarum rerū scientiā traderet.

Rupertus. Veritatis nomen (ait hoc loco Rupertus) amabile est, &c. Si nomen veritatis est amabile, multò amabilior ipsa veritas esse debet, quæ à Christo nobis est tradita. quòd si veritas tradita valde est amabilis, quanto amabilior erit ipse veritatis doctor, ipsa prima essentialisque veritas?

At Pilatus rogat summum veritatis doctorem, atq; testem; *Quid est veritas?* neq; responsum expectat. Discipulus esse, & discere velle veritatē vr, bene rogat vt discipulus; Quid est veritas? à definitionis postulatione bene īcipit. Sed attentionem non præbet discipulus ignauus. O Pilate, si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, *Ego in hoc natus sum, vt testimoniū perhibeam veritati*; si scires q̄ sapiētem nactus es magistrum; equidem tu cupidissimè petisses ab eo: *Quid est veritas?* auresque ꝑbuisses attentissimas respōsioni: sed vt sine intellectu infas, quæris Quid sit veritas; magistrum tamen nō audis, ad Iudæos pergis; neq;, vel prima elemēta discis. Iudex es, necessaria iudici veritatis cognitio: expecta Dn̄i responsum. Excusationem tamen habet Pilatus: cupiditate enim liberandi Christū raptus, ad Iudæos exiit, & veritatem testatus est his verbis: *Ego nullam inuenio in eo causam.*

Pilatus ꝓfitetur Christi innocentiam.

Quæres: Numquid Pilatus ignorabat, quid esset veritas? Nonne hoc cōpertum est oībus? Respōdetur, sciebat crassa Minerua, subtiliorē petebat explanationem, Vel rogabat Christū, qd esset illa veritas cui testimonium perhibebat. Ad iudicem maximè hæc quæstio spectat; *Quid est veritas?* At illū. n. spectat veritatem causæ diligenter inquirere; & petere à Domino, quæ est veritas in hac causa Domine, vt verè iudicare possim? At iniquis iudicibus ignota est veritas; quærunt quasi de rē ignota, quid est veritas? quasi dicāt: veritatem non curamus; nō nouimus: aurum, argentum, munera curamus, hæc nouimus.

Impij iudices non curant veritatem.

At illi inualescebant, dicentes.

VT Lucas scribit, Pilatus ad Principes sacerdotum, & turbas exiit, seque in Christo nullum reperire crimē coram oībus confessus est. *At illi* (inquit Lucas) *inualescebant, dicentes; Cōmouit populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsq; huc*, &c. Principes Sacerdotū, & alii, iniquissimo tulerunt animo verba Pilati, Christum omni crimine liberum proclamātis; & inualescebant totis viribus, obiicientes illi, quòd perturbasset populū doctri-

Accusant Iudæi Dominum.

na sua, docens tã in prouincia Iudææ, quã in prouincia Galilææ, à qua docere cępit: *Vsque huc* (aiunt.) id est, vsq; in Ierusalem, Iudææ metropolim. de prouincia autem Samariæ, quæ media erat, nullam faciunt mentionem, quia Samaritanorum erat. Hic videntur inserenda, quæ Matthæus hēt 27. & Marcus 15. *Et cum accusaretur à Principib. sacerdotum & senioribus, nihil respondit Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quãta aduersum te dicunt testimonia? & non respondit ad vllum verbum, ita vt miraretur præses vehementer*, &c.

Mar. 15.

Nihil respondit, ita vt miraretur præses.

TAcuit Dominus apud Caipham: Quamobrē, Caiphas, vt Matt. ait surgens: *Nihil* (inquit) *respondes ad ea, quæ isti aduersum te testificantur? Iesus autem tacebat*, &c. opusq; fuit adiuratione Pontificis. *Adiuro te*, &c. Tacuit etiam apud Pilatum cùm accusaretur, ita vt stuperet præses. Stupebat autē Pilatus, quia nouam & inauditã cernebat rem: nimirũ reũ accusantib. respōdere nolentem; cùm oēs homines omnibus viribus opposita sibi crimina diluere conētur. Aliã rationē reddit Origenes in Matthęum: Quod, inquit, scriptum est, non solùm mirari Pilatũ, sed etiam valde mirari, mouet me vt existimē, quod dignum ei videbatur magno miraculo, vt exhibitus ad crimina le iudicium Christus, inturbabilis maneret, & staret ante mortē, quæ apud oēs hoies terribilis existimatur, &c. Admiraris & vehemēter admiraris Pilate, ignorans quisnam sit is, cuius silētiũ admiraris. O si cognouisses & tu, quisnam est; multo sanè vehementius stuperes, illius cernēs humilitatē, paupertatem, patientiam. Ignorat Pilatus & ignorans miratur vehementer Dñi silētium: nos, qui nouimus illius maiestatem admiremur vehementissimè, silentium, alapas, verbare, crucē opprobria: admirationem comitetur amor.

Pilatus admiratur Christi silētium.

Origen.

Cur verò Dñs Pilato respōdere noluerit, rationē esse, ait D. Hiero. ne dimitteretur. Nihil, inquit, respondere voluit, ne crimen diluens dimitteret à præside, & crucis vtilitas differretur, &c. Theophyl. rogatum putat Christũ à Pilato, vt si se excusaret, haberet occasionem absoluēdi eum. Putat quoq; Christũ respondere noluisse, quia sciebat se non dimissum iri, quãtumuis se excusaret. Similiter Euthymius; Super suam, inquit, ducebat Christus respōsionem, quæ Pilato daretur, cùm non posset Iudæos comprimere, &c. Exemplum præterea præbere nobis voluit Dñs silentii inter calumnias, atq; iniurias, vt supra diximus. Deniq; noluit Dñs respondere, quia sponte voluit pro nobis mori. Qui enim sponte vult mori, cum opus nō est crimina refellere. Isa. 53. *Quasi agnus coram tōdente se obmutescet*, &c. Adde, quod D. Ambr. ait serm. 49. de Christo accusato, qui tribuitur etiam S. Maximo. Bene, inquit, tacet, qui defensione non indiget. Ambiat defendi, qui timet superari; festinet loqui, qui timet vinci. Christus autem cùm condemnatur superat, cũ iudicatur vincit. Quid opus erat ei loqui ante iudicium, cui ipsum iudicium erat plena uictoria? uincit cùm iudicatē Christus, quia sic innocens approbatur. unde ait Pilatus Matth. 27. *Innocēs ego sum à sanguine iusti huius*. Hæc ille.

Cur Christus Pilato noluerit respondere.

Isai. 53.

D. Ambro.

Christus vincit cum iudicatur.

Matt. 27.

Incipiens à Galilæa.

CVm Pilatus à Iudęis accusantibus audisset Christum à Galilęa docere cępisse: rogauit, an esset Galilæus, hoc est, ex prouincia Galilęę. Responsum est Galilæum esse: quia Dñs in Nazarethi Galilææ ciuitate, & in Capharnaũ habitauerat. Hoc respōso accepto, ad Herodem iudiciũ Christi transferre statuit, hacq; se molestia liberare. qa Herodes tetrarcha erat Galilææ: vt de subdito suo ille iudicaret. Facilè autem fuit Christũ ad Herodē mittere, quia tunc nō erat in Galilæa, sed in Ierusalem, ad celebrãdũ Pascha le festum. Erat hic Herodes filius Herodis infanticidæ, frater Philippi, & Archælai, is q. Baptistã occidit, de quo iam diximus tom. 1. & tom. 2. in initio.

Herodes erat in Hierusalē cũ capi⁹ Christ⁹ et dãnatus est ad mortem, ideo que ad eũ à Pilato missus est.

CA-

CAPVT IIII.

De gestis in domo Herodis.

LVCAS CAPITE XXIII.

HErodes autem viso Iesu, gauisus est valde; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem Principes sacerdotum, & Scribæ constanter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo: & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus; nam antea inimici erant ad inuicem.

NOn recusarunt Iudicem Herodem Iudæi; occiderat enim Baptistam, occisurum quoque Christũ sperabant. Ad eius domum protinus duxere Christum Gauisus est valde Herodes viso Iesu. Quis non gaudeat valde viso Iesu, viso Saluatore? Herodes, coram te habes totius gaudii fontem, viso Iesu, Angeli, cherubini, seraphinique gaudent valde; ex visione Iesu omnium pẽdet beatorum gloria. Gaude viso Iesu valde, sed scito gaudere. gaude quia domum tuam Iesus ingreditur, id est, Saluator, salutem affert, salutem animi omnibus impertiri vult, hanc ab eo postula, vt gaudium tuum sit plenum. Sed nescit gaudere Herodes, nescit solidũ. verũq; habere gaudium. Cur gaudet tetrarcha Galileææ viso Iesu, visa ipsa salute? Curiositas quædam vana causa est gaudii. Vnde Euangelista: *Gauisus* (inquit) *est valde. Erat enim cupiẽs ex multo tempore videre eum, e o quòd audierat multa de eo: Et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri*, &c. Ecce causam gaudii, ecce curiositatem. *Erat cupiens ex multo tẽpore videre eũ*: sed Christus improbi regis curiã fugiebat, qui fratris vxorẽ habebat, & Baptistã vita priuauerat. ipsum verò regẽ, siue tetrarchã ad Christum quærendum & audiendũ cupiditas non trahebat; fortè timebat audire, quod à Baptista audiuerat: *Nõ licet tibi habere vxorem fratris tui*, fortè reuocabat illum fastus regius. Fastus multos nobiles à concionibus reuocat. Miror cur Herodes nuntium nũquam miserit ad Christum, petens vt ad se veniret; cùm cuperet videre eũ ex longo tempore. Malè sibi conscius erat, ideò non misit: vxorem fratris habebat, Christi reprehensionẽ formidabat. Cũ viris iustis agere, eorũq; verba audire, mala conscientia timet illius,

Gaudet Herodes viso Iesu.

Virum iustos improbi timent.

Obiectio. *Mar. 16.* qui mores nō vult corrigere. Obiicies Herodes existimabat Christū esse Ioānem à mortuis reuocatum, Mar. 6. *Quē ego decollaui Ioannem hic à mortuis resurrexit.* Item, *dicebat Herodes; quia Ioānes Baptista resurrexit à mortuis. Et propterea virtutes operantur in illo,* &c. Cur igitur desiderabat videre Christum, si putabat esse Ioannem, quem interfecerat? Nonne timebat, ne per miraculū aliquod ab ipso interficeretur, quē interfecerat? *Responsio.* Respondetur dubitasse, nū esset Ioannes vitæ restitutus, vel sentētiā mutasset. Obiicitur: Herodes volebat Christum occidere, quomodo ergo gauisus est videns eum, quem vita priuare cupiebat? Nam Lucæ 13. aiunt *Luc. 13.* Pharisæi: *Exi hinc, quia Herodes vult te occidere.* Respond. Pharisæos fuisse deceptos, vel finxisse, potuit etiam Herodes animum mutare.

Nihil illi respondebat.

INterrogauit Christum Herodes sermonibus, siue verbis multis, vt ait Euangelista. Nimirum: num esset Messias? quæ illius esset doctrina? qui discipuli? quod crimen commisisset? de miraculis factis etiā interrogauit, & an posset, & vellet aliquod miraculū nūc facere? *Silentium Domini.* At Dominus, non solum miraculum non fecit, sed ne verbum quidē vnū interrogāti Principi reddidit. *Stabant autē* (ait Lucas) *Principes sacerdotum & scribæ cōstāter,* Græcè, εὐτόνως, accusantes eum, &c. Herodes interrogabat multis sermonibus, Principes sacerdotum, & scribæ accusabant cōstāter, Dominus verò, vt rupes stabat silens, circumsonantibus sacerdotibus, scribis & Herode, velut fluctibus. *Christus nec miraculū nec verbum protulit coram Herode.* Herodes sermonib. multis interrogabat; Christus nec sermonibus paucis respōdebat: Principes sacerdotum & scribæ constanter accusabant; Christus eorū accusationem constantissimè tacēs refellebat. O mirandum silentium Diuini Verbi; Cur silet Verbū illud, quod omnibus hominibus facultatem loquēdi donat? Cur silet Verbum Dei in aula Herodis tetrarchæ; quod in desertis locis turbas docet, & iuxta mare et naui Petri? ò Domine eximiam, nobilemque habes auditorum copiam, in hac aula, regem habes Herodem, sacerdotum Principes, Herodis exercitum, rex ipse te rogat: Diuinum os aperi, rerum diuinarum imperitos auditores doce. Tacet Verbum Dei, nihil Herodi respondet interroganti.

Causa silentij. *D. Greg.* Rationem reddit D. Grego. Iob 12. ad illa verba: *lampas contempta*: Huius, inquit, lampadis, id est, Christi, flammas Herodes explorare voluit; sed nullo radio lucis lampas emicuit. Quia ei, qui se non piè, sed curiosè quærerat, nihil de se mirabile ostendit, &c. Item Iob 31. ad illa, *Expaui*, &c. Quia (inquit) vidit Christus Herodem non quærere profectum; sed signa, vel sciētiam velle mirari; requisitus ab eo tacuit, &c. *Theophyl.* Theophilactus: Desiderabat Herodes signum videre, non vt crederet, sed vt oculos oblectaret, &c. *Euthym.* Euthymius: nihil respondit Christus Herodi, sciens eum velle signum videre, non vtilitatis causa, sed oblectationis, &c. Noluit ergo Dominus Herodis curiositati facere satis. Præterea, vt Carthusianus ait, noluit coram Herode cōcionari, & miracula patrare, quia si id fecisset, omnino eū liberasset à Iudæorū potestate. *Caiet.* & Caietan. Ex parte, inquit, Herodis in prōptu est meritum, quia curiosè mouetur ad interrogandū: ex parte autem Christi ratio fuit, ne impediret passionem, &c. Aliam rationē *Carthus.* addit Carthus. Noluit respondere, & miraculum facere coram rege, eiusq; *Fugit Christus ostentationem.* nobilibus; vt exemplum nobis præberet fugiendi ostentationem corā magnatibus. *D. Ambro.* & D. Ambros. Neq;, inquit, merebatur Herodes videre diuina; & Dñs iactantiam declinabat, &c. Vtinā *Iactantia fugienda.* concionatores iactantiam declinent; vtinam pauperibus cupiant euangelizare (cæteris paribus) potius quàm regibus. Deniq; meritò non respōdet Dominus Herodi, quia vocem Domini occiderat, nempe Ioānem Baptistā, qui de se ait: *ego vox clamantis in deserto*; quasi diceret: sileo, quia vocē meā Baptistam Ioannem mihi eripuisti.

Spreuit

Spreuit illum Herodes cum exercitu suo.

COnstantissimũ, admirabileq; Christi silentiũ, non est admiratus Herodes De Pilato Ethnico homine, ait Matth. *Non respõdit ei ad vllum verbũ; ita vt miraretur præses vehementer*, &c. De Herode, hoc scripsit Lucas: *Spreuit illum Herodes cũ exercitu suo, & illusit.* Exercitum habemus hoc loco, bellum gerentem, & quidem crudelissimum. Spreuit illum cum exercitu suo, & illusit: iuxta illud Ieremiæ 1. *Bellabunt aduersum te, & nõ præualebũt*, &c Acutissima sunt tela illusiones, irrisiones, & contemptiones. His telis Herodis exercitus cũ suo duce aduersus Christũ præliatur, sed non præualebit. Cõfigunt hæc tela, & occidunt multos, q patientiæ armis non sunt muniti; patiẽtiæ clypeo; ac thorace facilè repelluntur. Vnus Christus aduersus Herodis exercitum præualet; patientiæ enim inuictissimę fulgebat armis. tela milites coniiciebant dira, irrisiones & illusiones; inuictissimus dux tacẽdo vincebat; sicque vincere milites docebat suos O Christi milites ingredimini Herodis aulam, & videte regem vestrum cum exercitu illius certantẽ; cõsiderate arma, quibus se tuetur, & certandi modum: discite certare, telaque repellere, quæ æternam mortem multis afferunt, nimirum irrisiones atque illusiones. Tacet Dominus verbis, tacet suppliciis Olim 4. Reg. 2. quia pueri illuserũt Eliseo dicentes, *Calue: Calue, duo vrsi quadraginta duos lacerauerunt* Ecce plusquam Eliseus hic illuditur, neque irruũt in illudẽtes vrsi, aut leones: videlicet, tacet etiã supplicio. Quæritur quorsũ Ierosolymis Paschali tempore exercitum habuerit Herodes? Respondetur: exercitum attulisse ex Galilæa, quia Pilatum inimicum habebat Iudææ præsidem.

Spernitur Christus ab Herode.

Ierem. 1.

Inclytum patientiæ certamen.

4. Reg. 2.

Ideo Herodes secum milites adduxit Hierusalẽ, q a Pilatũ habebat inimicum.

Illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.

NOluit Herodes sententiã in Christũ dicere, quia velut fatuũ eũ existimauit, remisitque ad Pilatum, Putauit (ait Caiet.) Christum esse hominẽ loquacem corã vulgo, & indoctas turbas illum sequi; propterea spreuit illũ &c. Induit aũt veste alba, Gręcè λαμπρᾷ, qđ nomen splendidã & nitidã veste indicat, & albã: color. n. albus nitidus est, & splendidus. Ambigitur, an vestem albam Christus ad domum vsque Pilati duxerit? Existimat Caiet. minimè duxisse. Nõ remisit Herodes (ait Caiet.) ad Pilatum Christum veste indutum splendida, sed postquam indutum veste splendida illusit, remisit ad Pilatũ. Significatur enim, quòd veste splendida indutus multis ludibriis affectus est, & punitus vt fatuus; & postea remissus ad Pilatum, &c. Verisimilius alii opinantur albam vestem duxisse Dominum vsque ad domũ Pilati.

Remittit Herodes Christum ad Pilatũ.

Quæritur præterea, quorsum Herodes hac veste Dominum induerit? Respondetur, induisse vt dignitatem, nobilitatemque regiam, quã sibi tribuisse dicebatur, irrideret. Eundem in modum in domo Pilati eandem regiam Christi dignitatem veste coccinea milites irriserũt. Nam vestis alba & splẽdens diuitum erat, & nobilium: vt constat ex epist. D. Iacobi c. 2. *Si introierit*, inquit, *in conuentum vestrum, vir in veste candida*, &c. Quo loco; Græcè legitur, in veste λαμπρᾷ. forsitan more Romano hoc factum est ab Herode; si quidem cum pręside Romano agebat. Apud Romanos, qui magistratum aliquem ambibant candida toga vtebantur, à qua candidati dicebantur, consulatus vel præturæ, &c. Voluit igitur irrisoriè Herodes idicare Pilato, qualẽ sñiam diceret de regno, quod Christo obiiciebatur, videlicet esse Dominum regni candidatum, & regnum ambire irrisoriè, quamobrem ludibrio esse habendum, ò cęcum hoĩem Herodẽ ò cæcos aulicos, ò cæcum exercitum: Quæ ludibrio habenda sunt, hæc magni momenti esse iudicatis; quę infiniti momenti sunt, ea ludibrio habetis. Herodis regnum, siue tetrarchia, Cæsaris & regum cæterorum vana imperia, quæ instar modici vaporis, mox euanescunt, ludibrio digna sunt, atq;

De veste alba.

Iacob. 2.

Cãdidatũ regni candida ostendit vestis.

contemptu: hæc vos summo in pretio habetis. Regnum Christi sempiternũ, omniumque bonorum copia affluens, infinito in pretio est habendum; hoc vos pro nihilo ducitis, atq; irridetis. Aperientur aliquando tandem oculi vestri, & videbitis filium hominis venientem in nubibus cæli, cum potestate magna & maiestate. Tũc quale illius regnum sit, intelligetis; tunc non silebit, sed terribili sententiæ fulmine dãnatos orco vos dabit.

Candida vestis innocentiam indicat Christi.

Seruit tamen Herodes ignorans, ac cæcus suo facto, mysticis significationibus. Alba veste Dominum induit, qa illius summæ innocentiæ hic congruebat color. D. Ambrosius Lucæ 23. Non otiosum, inquit, est quòd alba veste induitur Dominus ab Herode, immaculatæ tribuens indicia passionis; quòd agnus Dei sine macula cũ gloria, peccata mundi susciperet, &c. Candidatus erat; regni nõ terreni, sed cælistis; regnum affectabat, non caducum, sed sempiternum; affectabat, inquam, nobis, Affectauit, emit sanguine & consecutus est O admirabilem cãdidatum? Candidatus est, non cõsulatus, aut præturæ, sed crucis. Crucem ambit, crucẽ desiderat, ad crucem candidatus innocentia properat. Olim color albus absolutionis signũ fuit, iuxta illud Poetę.

D. Ambr.

Ouid. met. 15.

Mos erat antiquis, niueis atrisque lapillis,
His damnare reos, illis absoluere culpa.

Quemadmodum color lapillorum albus absolutionem significabat reorũ; sic color albus, quo Rex noster induitur, absolutionem nobis significat peccatorum. Notabantur olim albo colore fausti dies: Passionis faustissimus nobis dies, albo vestis colore notatur.

Facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die.

Rediit illa die Herodes in gratiam cum Pilato. Ratio, cur redierit, est quia Christi iudicium Pilatus Herodi detulit, & Christũ ad ipsum misit. Vnde colligitur, simultatis, quę inter eos intercesserat, causam fuisse iurisdictionis aliquam vsurpationem. Forsitan enim Pilatus in aliquos animaduerterat, qui ad Herodis tribunal pertinebant. Luc. 13. legimus, Pilatum quosdã Galilæos interemisse, eorumque sanguinem cum sacrificiis eorum miscuisse. Potuit etiã alia inimicitiæ esse causa, quam diligentius inuestigare non est opus.

Amicitia Pilati, & Herodis qd. indicet.

D. Ambr.

In ipso passionis die duo principes inimici, alter Ethnicus, id est, Pilatus; alter Iudæorum legem seruans, id est, Herodes, amici facti sunt; quæ res indicat Christi passionem totius amicitiæ inter homines fontem esse. D. Ambrosius, hanc Pilati & Herodis amicitiam, typum fuisse ait, amicitiæ ineundæ inter populum Ethnycum & Iudaicum in fine mundi: quemadmodum verò Pilatus ad Herodem, Christum misit; sic ex gentibus Christiani ad Iudæos prædicando mittunt Christum. Denique Pilatus Ethnicus, & Herodes Iudæus, in die passionis Christi, in gratiam redeunt. Quis ergo Christianus, ea præsertim die, in pectore, odium audeat inimici retinere?

Digitized by Google

CAPVT V.

De comparatione Christi cum latrone: & nuntio uxoris Pilati.

MATTÆVS CAPITE XXVII.

PER diem autem solemnem consueuerat præses populo dimittere vnum vinctum, quem voluissent. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Iesum, qui dicitur Christus? Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi, & iusto illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Principes autẽ sacerdotum, & seniores, persuaserunt populis, vt peterent Barabbam, Iesum verò perderent. Respondens autem præses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barabbã. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Iesu qui dicitur Christus? Dicunt omnes; Crucifigatur. Ait illis præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur.

MARCVS CAPITE XV.

PER diem autem festum solebat dimittere illis vnum ex vinctis, quemcumque petissent. Erat autem, qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium, & cum ascendisset turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis. Pilatus autem respondit eis, & dixit: Vultis dimittam vobis regem Iudęorum? Sciebat enim, quod per inuidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Pontifices autem concitauerunt turbam, vt magis Barabbam dimitteret eis. Pilatus autem iterum respondẽs, ait illis. Quid ergo vultis faciam Regi Iudęorum? At illi iterum clamauerunt: Crucifige eum. Pilatus verò dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam.

Digitized by Google

LVCAS CAPITE XXIII.

PILATVS autem conuocatis Principibus Sacerdotum, & magistratibus, & plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem quasi auertentem populum; & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inueni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes, nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, vnum. Exclamauit autem simul vniuersa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam, qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate, & homicidium, missus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Iesum. At illi succlamabant, dicētes: Crucifige crucifige eum. Ille autem tertio dixit ad illos; Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo. Corripiam ergo illum, & dimittam. At illi instabant vocibus magnis, postulantes, vt crucifigeretur, & inualescebant voces eorum. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium, & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant.

IOANNES CAPITE XVIII.

EST autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum? Clamauerunt ergo rursum omnes, dicentes. Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

REmisit Herodes Christum ad Pilatum. Pilatus vt remissum liberaret dedit operam. Conuocatis (vt ait Lucas) Principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe Iudæorum, Christi innocentiam palam, coram omnibus confessus est, eādemque Herodis sententia confirmauit. *Ego,* inquit, *nullam inueni in eo causam mortis. Sed neque Herodes;* siquidem illum non A damnauit sententia capitali, neq; ego damnabo, sed emendatum illum dimittam; Græcè, *παιδεύσας*, liberum abire permittam, postquam minori supplicio flagellorum corripuero, atque emendauero. Post hæc in liberationē Christi incubuit, ideoque populo illum obtulit dimittendum, potius, quā seditiosum homicidam, ac latronem Barabbam. Reddit rationē Matthæus, cur Pilatus Dominum voluerit liberum dimittere. *Scicbat,* inquit, *quod per* *inui-*

Pilatus Christum vult dimittere.

Per inuidiā Iudæi Christū Pilato tradiderūt

inuidiam tradidissent eum,&c. Sciebat Iudæos, odio, & inuidia in Christum concitatos: ex hoc pestifero fonte ortam accusationem non ignorabat.

Rupertus. Refragatur nobis Rupertus, qui arbitratur Pilatum idem voluisse, quod Iudæi volebant, & Christum occidere cupiuisse. Ioãnis 18. Numquid, inquit, si non eiusdem & ipse voluntatis esset, rem totam tam pronus in Iudæorum inuidentiũ arbitrio poneret? &c. Item: Pilatus, inquit, rectè vulpi comparatus est, quia cum libenter postulationem dominicæ mortis acciperet; defendere se Christum finxit, & accepta aqua manus quidem, sed non conscientiam lauit, &c. At non meminit Rupertus, verborum Lucæ 27. *Iterum*, inquit Euangelista, *Pilatus locutus est ad illos volens dimittere Iesum*, &c. Cũ de Barabba agebatur; locutus est Pilatus ad Iudæos volens dimittere Christum. Non ergo volebat illum occidere. Et D. Petrus Act. 3. Quem, id est, Christum, *negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti*, &c. Hæc est Augustini sententia, & communis, illamque iudicant satis ea, quæ Pilatus gessit, vt Christum liberaret.

An Pilatus Christũ voluerit dimittere. *Luca 27.* *Act. 3.*

Habebat vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas.

CVpiens Pilatus Christum Iudæorum accusationibus eripere, populi vsus est consuetudine Solebat enim Romanus præses Iudææ rector, ex iis, qui in carcere vincti tenebantur reis, vnum quotannis liberum populo dimittere in Paschate, quemcunque petissent, vt Marcus ait. Lucas addit: *Necesse habebat dimittere eis per diẽ festum*, &c. Itaque cogebatur Pilatus cõsuetudinis vi, dimittere vnum, non pro libito, sed quemcumque Iudæi postulassent. Ratio consuetudinis fuisse videtur, quia illo tempore Paschali olim populus Hebræus ex Aegypto dimissus est Ansãm arripiens præses, cum Barabba Christum composuit, hoc est, cum tenebris solem, cum stercore aurum fulgentissimum, cum luto gemmam pretii infiniti. *Est*, inquit, *consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha; vultis ergo, vt dimittam vobis regem Iudæorum?* sic Ioannes. Matthæus verò, *Quem vultis dimittam vobis, Barabbã, an Iesum, qui dicitur Christus*, id est, Messias rex Iudæorum? Marcus verò hoc pacto: *Et cum ascendisset turba cœpit rogare sicut semper faciebat illis: Pilatus autem respondit eis, & dixit, vultis dimmittam vobis regem Iudæorum?* &c. Ex Marco colligitur prius Iudæos petiuisse vincti dimissionem; quam Pilatus peteret Christi liberationem. Cùm illi ascenderunt, & petiuerunt, tunc Pilatus Barabbam, & Christum petentibus obtulit.

Cum latrone cõfertur Domini.

Nomen *Barabbas*, *Filium* significat *Patris, bar, filius, Ab*, siue *abba, Pater* dicitur. Aliam interpretationem reperies apud D. Hieronymũ; Iste, inquit, in Euangelio, quod scribitur iuxta Hebræos, filius magistri eorum interpretatur, &c. Nam bar, est filius, rab; magister. Sed legendum potius barabbas, id est, filius Patris; quam bar- rabas, id est, filius magistri. Hũc suis coloribus atris Euangelistę depingũt. Matthęus, vinctum insignem vocat. D. Chrisostomus interpretatur, insignem latroné, & famosum. Euthymius, nominatum pro malitiis. Sanè insignis vinctus fuit, & famosissimus toto orbe, quia cũ Christo comparatus est. Felicissimus fuisset, si pro illo potius mori, quàm illi præferri cupiuisset. Marcus ait cũ seditiosis fuisse vinctum, & in seditione fecisse homicidium. Lucas, *Erat*, inquit, *propter seditionem quandam factã in ciuitate, & homicidium missus in carcerem*, &c. Ioannes denique latronem fuisse scribit. Huiusmodi hominem, cum fonte bonorum omnium Christo, confert Pilatus, facitq; populo optionem vt alterum ad vitam, alterum, ad mortem eligat. O horrendum honoris, vitæque certamen. Sed nihil est dubii. Quis latronem, & homicidam eliget? Quis fontem bonorum omnium damnabit? absque dubio Christum eligent Iudæi. Forsitan elegisset populus, nisi perditi homines, hoc est, Principes sacerdotum, & seniores, Barabbam

Quid significet Barabbas. *D. Hieron.*

bam petere suasissent.

Principes sacerdotum (ait Matthæus) *& seniores persuaserunt populo vt peterent Barabbam, Iesum verò perderent.* &c. Nulla sanctitas, nulla miracula inuidiã mitigare valent, inuidia principum Christum tradidit pilato, suadẽs populo, vt Iesum perderet, latronem absolueret. Ierem 10. *Quia stultè egerunt pastores, & Dominum non quæsierũt propterea non intellexerũt, & omnis grex eorum dispersus est,* &c. D. Cyrillus, Ioã. 18. Quoniam, inquit, multitudo Iudæorum, non modò ad cognoscendũ Christum à principibus non fuit deducta, imò etiam ad cędem eius inflammata; propterea lapsa in barathrum periit, &c. Si cæcus cæco ducatũ præstet, ambo in foueã cadunt. Heu quam profundam in foueã cæci hi cæcorũ duces, se, gregemq; suum præcipitarunt. Totius populi à principibus subornati vox hæc vna fuit; *Crucifigatur.* Hãc vocem confert D. Cyrillus cũ rugitu leonis iuxta illud Ierem. 12. *Facta est mihi hæreditas mea,* id est, synagoga, *quasi leo in sylua, dedit contra me vocem suã,* &c. Fertur (ait D. Cyrillus, in Ioã.) leo cum animal aliquod capere vult, mirabilem solere rugitũ edere, quo animalia, quæ propinqua sunt, perterrita cadunt. Quasi leo in sylua, synagoga aduersus Saluatorẽ facta est. Nam, quamuis nullo ille terrore perculsus sit, clamoribus tamen suis Christum synagoga interfecit, &c. Psal. 21. *Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens, & rugiens,* &c.

Populus petiuit Barabbam.

Suasores impij.

Ierem. 10.

D. Cyrill.

Christus ut crucifigatur postulat populus.

Ierem. 12.

D. Cyrill.

Vox populi uox Leonis.

Psal. 21.

Hoc, in iudicio Pilati cõtigit. At in iudicio Dei, duo quoque sunt propositi; latro quidã, & homicida sui ipsius, id est, homo peccator, & Christus Deus, & homo innocentissimus. Rogate misericordia, & iustitia Dei: *Quem vultis vobis de duobus dimitti?* Responderunt magno clamore; *Crucifige, crucifige,* innocentem, absolue reum; crucifige Dominum, absolue seruum: hac in re misericordia, in hac iustitia, maximè splendescet. *Quid enim mali fecit?* rogat Dominus; respondent misericordia ac iustitia: Nihil ille mali fecit: sed omnia mundi mala culpæ abluenda in

Iudicium misericordiæ & iustitiæ.

A se recepit. Non petimus, vt pro cõmisso; aliquo malo occidatur; sed vt pro soluendis omnibus peccatorũ debitis crucifigatur. Leuit. 14. is, qui à lepra erat expurgatus, duos offerebat passeres; alter immolabatur, alter verò immolati passeris sanguine intinctus liber auolabat. Eundem in modũ Christus crucifigitur; homo verò per pœnitentiam Christi sanguine imbutus liber auolat.

In die passionis suæ pacem fieri voluit inter Principes populi, Pilatum, B & Herodem; permisit quoq; se ad crucem postulari, Barabbam verò latronem dimitti liberũ. Indicant hæc passionẽ Christi pacis causam esse, & veræ libertatis hominum. liberatus est Barabbas, sed solo corpore; de animo ignoramus; fursitan Dominus ad pęnitentiã latronẽ adduxit. Qui verò per Christum liberantur, & animo à peccatorum nexibus, & corpore eripiuntur. Vt liberaretur Barabbas cũ Christo collatus est; vt liberaretur peccator cũ Christo confertur. si enim Chri- C sti vita & passio, pro peccatore nõ detur; peccator libertatem non assequetur. Ad hæc, adumbrat hoc Christi repudium, & latronis electio, vt Hiero. ait. Antichristum latronem à Iudæis eligendum, Christo repudiato.

Quid indicet repudiũ Christi, & liberatio latronis.

Misit ad eum vxor eius, dicens; Nihil tibi, & iusto illi.

VXor Pilati per nuntium à cæde Christi virum deterruit. *Nihil,* in- D quit, *tibi rei sit cum iusto illo.* Noli eum iudicare, & damnare; multa enim passa sum hodie per visum, propter eum. Ambigitur, quonam tempore viderit vxor Pilati spectra, & nuntium miserit? Respondetur vidisse per insomniũ vt sentiũt Chrysost. Theophil. Euthy. Lyran. Caietan. & alii; idque ex Euangelio Græco fit perspicuum, in quo legitur ἔπαθον κατ' ὄναρ, id est, per somnium passa sum. Verbum autẽ ἔπαθον, siue passa sum, qualia fuerint somnia ostendit, nimirum horribilia, quæ metum incuterent, & à condemnando

Domi-

Domino voluntatem auerterent periculi horrore. Habuit hoc somnium matutino tempore, postquam ab ea Pilatus discessit. Nam si noctu habuisset, Pilato aperuisset antequam ad iudiciũ discederet; illa autem nuntium misit, sedente illo pro tribunali. Tacuisse Pilatus videtur, & nihil Iudæis de vxoris dixisse insomnio, siquidem Euangelista hac de re mentionẽ nullam fecit. Chrysost. tamen, & sectatores notum factum esse somnium sentiunt, qđ probabilius est. nõ enim frustra à Deo fuit territa mulier, sed vt manifesta fieret Christi innocentia. Ioan. ca. 19. ait sedisse Pilatum pro tribunali hora quasi sexta. sero ergo admodum nuntius vxoris ad Pilatum venit. Respondetur Pilatum etiam antequam sententiam diceret, pro tribunali sedisse, tũcque venisse nuntium cum Matthæus scribit.

Vxor Pilati spectra vidit horribilia.

Chrysost.

Difficilius dubium est; Num vxorẽ Pilati Angelus aliquis, an cacodæmon terruerit? cacodæmonẽ terruisse illam putat D. Ignatius epist. 8. ad Philipen. cum, inquit, paranda esset crux tumultuabatur, & immisit pœnam proditori, & suspendium docuit. Terrebat, & mulierculam, & vxorem Pilati, turbãs eandem insomniis, & vt à crucifigẽdo cessarẽt Satanas moliebatur (qui prius omnem lapidem mouerat, vt eadem crux pararetur) quia sentiebat suam perniciem, &c. In eadem sententia est D. Bernardus serm. 1 Paschæ, D. Cypr. serm. de passione, Carthus. Lyranus, Caiet. & alii. Beda quoque in Matth. Hac vice, inquit, non antea se intellexit diabolus per Christi mortẽ nudãdum, & spolia humani generis amissurum: Ideo satagebat per mulierẽ, per quam spolia mortis inuaserat, Christũ eripere de manibus Iudæorũ, &c. D. Hieronymus, à Deo missum fuisse somnium arbitratur; & D. Chrysosto. Theophyl Euthy. & alii. Item D. Aug. serm 121. de tempore: In natiuitate, inquit, mundi vxor ducit virum ad mortem; in passione Christi, vxor prouocat ad salutem. illic serpentis subtilitas præcipitat, hic terror Angelicus reuocat, vt inde inciperet venia, vnde videntur prorupisse peccata. Hæc opinio verisimilior est. Nam si diabolus paulò ante ignorabat Dominum esse mundi redemptorem, cum in cor Iudę (vt ait Ioan.) misit vt traderet eũ, non video vnde postea id cognouerit, vt liberare cuperet. Præterea, si Christum liberare volebat diabolus; Iudæos potius, quam vxorem Pilati terruisset.

Bonusne Angelus an malus terruerit Pilati vxorem.

D. Ignati.

Angelus terruerit vxorem Pilati.

Sed quorsum Deus per Angelum Pilati vxorem spectris vexauit? Respondetur, vt innocentiam Christi profiteretur, & Pilatum ad eandem profitendã impelleret. Præterea, vt ad fidem, quæ postea vulganda erat, illam indueret. Vnde Theophylactus: Prouidentiæ, inquit, opus somnium factum, non vt absoluatur Christus, sed vt seruetur vxor, &c. seruatam autem Pilati vxorẽ ait Origenes scriptum in Scripturis quibusdam, nõ publicis. Ipse vero scribit Deum per visum eam voluisse conuertere, vt vetaret virum contra Christum ferre sententiam. Appellabatur fœmina hæc Procle, vt ait Nicephor. lib. 1. cap. 30. Ipsum Pilatum conuersum, & vitam æternam consecutum videtur significare Augu. ser. 3. de Epip. his verbis; Magi ab Oriente, Pilatus ab Occidente venerat, vnde Magi cũ dixerunt, *Vbi est, qui natus est rex Iudæorum*, Orienti Christo: Pilatus cum scripsit in titulo crucis: *Iesus Nazarenus rex Iudæorũ*, Occidẽti attestabatur regi Iudæorum, vt cum Abrahã, Isaac, & Iacob recumberent in regno cœlorum, non ex eis propagati per carnẽ, sed eis inserti per fidem, &c. Tertuli. Apolog. c. 21. Ea, inquit, omnia super Christo, Pilatus & ipse iam pro sua conscientia christianus, Cæsari tunc Tiberio nuntiauit, &c. Sed tenuis hæc est tantæ rei commemoratio.

Cur Deus per Angelũ terruerit vxorem Pilati.

Vxor Pilati dicitur cõuersa ad fidem.

Dubiũ an Pilatus sit conuersus.

CAPVT

CAPITE VI.

De flagellis Christi.

MATTHÆVS CAPITE XXVII.

Dimisit illis Barabbam, Iesum autem flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur.

MARCVS CAPITE XV.

Pilatus volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Iesum flagellis cæsum, vt crucifigeretur.

IOANNES CAPITE XIX.

Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit.

CVM vidisset Pilatus nihil profecisse apud furentes sacerdotes, & populum, remedium adhibitum, adhibet alterum. Christum iubet flagellari, vt Iudæos ad misericordiā flectat, Lucas 23. *Emendatum*, inquit, Pilatus, *Illum dimittam*, &c. Item *Corripiam illum & dimittam*. Emendauit & corripuit flagellis, non vt persequeretur, sed vt dimitteret. Hæc est sententia D. Cyrilli, Bedæ, & recepta. D August. Psal. 63. non persequendo flagellauit Dominum Pilatus, sed Iudæorū furori satisfacere volens, vt vel sic iā mitescerent, & desinerent velle occidere, cum flagellatum viderent, &c. Aliam rationem huius flagellationis reddit D. Hieronymus: Sciendum, inquit, est, Pilatum Romanorum legib. ministrasse, quibus sancitum est, vt qui crucifigitur, prius flagellis verberetur, &c. Quamobrem Romanis magistratibus lictores virgarum præferebant fasces, securibus alligatos, fascibus solutis, primò virgis damnatum cædebant, mox securi feriebant. Liuius lib. 6 decad. 3. Producti, inquit, campani omnes, virgisque cæsi, ac securi percussi sunt, &c. Plutarchus problemate 82. quærit, cur virgæ securibus alligatæ præferentur? Respondet, signum id esse, non oportere magistratus iracundiam promptam ac dissolutam esse; Virgarumque dissolutionem mora & tarditate iram frangere.

Pilatus iussit Christū flagellare, non persequēdo, sed liberare volens.

D. August.

D Hieron.

Qui crucifigebatur, prius flagellabatur.

Fasces lictorum.

Plutarch.

Oritur hinc dubium, an Christus sit bis flagellatus; bis enim flagellatus videtur, semel ante latam sententiam crucifixionis, vt verberum sanguine populū placaret; cuius flagellationis Ioannes meminit iterum post sententiam latam, vt Romanorum seruaretur lex, qua decretum erat, vt qui in crucem ageretur, is prius flagellaretur. Huius secundæ flagellationis meminisse videtur Matthæus & Marcus, cum

An Christus sit bis flagellatus.

Digitized by Google

cum aiunt; *& tradidit Iesum flagellis cæsum vt crucifigeretur*, &c. Bis itaque flagellatum opinatur Gerson in montotessaro, Arias Montanus in Scholiis, & alii. Verisimilius alii sentiunt, semel tantum verberatum fuisse, vt Iudæorum furor sedaretur diro supplicio. De hac vna tantum flagellatione loquuntur, Ioannes & Matthæus ac Marcus: sic enim sunt interpretandi, Matthæ. & Marc. *tradidit Iesum flagellatum, vt crucifigeretur*; hoc est, Dominum iam antea ad restinguendum furorem Iudæorum, flagellis cæsum tradidit eis. Mos & lex Romanorum satis seruata est; quia enim iam verberatus erat Dominus, ante latam sententiam; nō fuit opus iterum verberari postquam lata est. Satis superque legi satisfecit vnica illa flagellatio.

Gerson.

Quæres an Dominus humi prostratus fuerit, cum flagellabatur? Etenim Deut. 25. ait Dominus: *sin autem eum, qui peccauit, dignum viderint plagis*, iudices, *prosternent, & coram se facient verberari*, &c. Respōdetur, Dominum columnæ fuisse alligatum, cum verberatus est. Non enim more Iudaico, sed more Romano flagellabatur. Testis est ipsa columna, de qua Beda in lib. de locis sanctis, ita scribit: In superiori montis Sion planitie, monachorum cellulæ frequentes Ecclesiam magnā circundant, illic, vt perhibent ab Apostolis fundatam; eo quod ibi Spiritum sanctum acceperint, ibique Sancta Maria obierit; in qua etiam locus cœnæ Domini ostenditur. Sed & columna marmorea in medio stat Ecclesiæ: cui adherens Dominus flagellatus est, &c. & D. Hieronym. in Epitaphio Paulæ: Ostendebatur, inquit, illi columna Ecclesiæ porticum sustinēs, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & flagellatus, &c. Eiusdem columnæ partem Romæ ostendi in templo Sāctę Praxedis scribit Marianus in scholiis epitaphii.

An sit prostratus ad flagella excipienda. Deut. 25.

Beda.

Hieronym.

Dubitatur præterea, an quadraginta tactum verberibus sit affectus Dominus? Nam Deut. 25. lex hæc extat; *Pro mensura delicti, erit & plagarum modus: ita dumtaxat, vt quadragenarium numerum non excedat*, &c. Vnde illud Pauli 2. Cor. 11. *à Iudæis quinquies quadragenas, vna minus accepi*, &c. solebāt namque Iudæi 39. plagas incutere; ne numerum quadragenarium excederent. Respondetur Christum à Romanis fuisse flagellatum, non à Iudæis: Romanis autem certus verberum numerus præfixus non erat. Itaque Christum columnæ alligarunt, & quadragenarium plagarum numerum nimis excesserunt; neque liquet quot plagæ fuerunt flagellorum.

De numero flagellorū. Deut. 25. 2. Cor. 11.

Non à Iudæis, sed à Romanis Christus flagellatus est.

Aiunt ad quinque millia verberum Domino inflicta: quæ opinio cum reuelatione D. Brigittæ consentit. Cui reuelatum dicitur, Christum perpessum vulnera 5475. qua de re extant hæc carmina Bartol. Laurentii in fine Taulerii.

Reuelatio facta S. Brigittæ de numero Verberū Christo inflictorum.

Credere pro nobis passus tot vulnera Christe,
Quot comprehenduntur quatuor hisce cifris. 5475.
Inclyta quod natu, ac vita magis inclyta per te
Asserit ostensum diua Brigitta sibi.

Quod autem reuelatio cum numero quinque millium ictuum conueniat, probatur, quia Christi vulnerum maxima pars ex flagellis orta est. Ergo circiter quinque millia fuere ictuum ex flagellis: reliqua verò pars 475. reliquis plagis potest attribui. D. Vincētius serm. de Christi passione, scribit corporis ossa ex medicorum sententia esse 276. Christum verò ita flagellatum, vt cuilibet ossi triplex verberū ictus respondeat.

D. Vincen. Corporis ossa sunt num. 276.

Crediderim Dominum grauissimè fuisse flagellatum, ita vt Iudæos ad misericordiam posset flectere ipso intuitu miserando. Suadent etiam hoc Isaiæ verba cap. 53. *Nos putauimus cū quasi leprosum*. &c. Contraxerat enim ex flagellorum ictibus leprosi quandam speciem. Ad hæc multi forsitan milites ex cohorte, ad percutiendum conuenientes, plurima vulnera effecerunt, similisque fuit flagellatio illa fustuario. quod supplicium huiusmodi erat, vt Cælius scribit, lib. 10. cap. 5. Accepto fuste tribunus vix attingebat

Grauissimè est flagellatus Dominus. Isaiæ 53.

bat dãnatos, deinde omnes, qui in castris erant, cadentes fustibus, lapidibusque, plerosque conficiebant. Non sic percussus est Christus, fustibus, vel lapidibus, sed flagellis à multis militibus. Flagella autem, vel ex loris con texta erant, vel ex funiculis. D Vincē. ait à planta pedis vsque ad verticem crudeliter flagellatum. Ait præterea flagellatum primo spinis, & vepribus acutissimis; secundo flagellis aculeatis. tertio catenis hamatis. Vnde Eusebius & Chrisostom super illa verba, Isaiæ 53 *Disciplina pacis nostræ super eum*, dicunt (ait idē D. Vincent.) quod ista disciplina fuit triplex, dura, quia virgis & spinis, durior, quia flagellis nodatis, durissima, quia catenis ferreis Christus fuit cæsus, &c. Vbi tamē hæc ab Eusebio & Chrisostom. dicantur, hactenus reperire non potui. infra hoc capite reuelationem apposui D. Brigittæ, ex qua planè colligitur, quàm grauiter Dominus sit flagellatus Virgine matre præsente.

Obiectio.

Attamen flagellationem non fuisse grauem, ac periculosam, probatur argumentis, non leuis ponderis. Si fuisset grauis flagellatio, in maximum vitæ periculum adduxisset Christum; id autem Pilatus nolebat; quia illius vitā cupiebat seruare. Præterea, vt Marcus narrat, cum Ioseph corpus Christi petiit à Pilato, miratus est Pilatus quod iam obiisset: & accersito centurione rogauit, num iam mortuus esset. Vnde efficitur Christi flagellationem non fuisse periculosam, & grauissimā. Non enim miratus esset Pilatus, qui post flagellationem Christum vidit, quod tot flagellorum millibus Dominus cæsus obiisset. Respondemus, flagellis fuisse percussum Dominum, in locis minimè periculosis, ideoque Pilatum non prohibuisse milites, vel forsitan medicinam postea adhibere statuerat, si Dominus liberaretur Miratus autem est quod iam obiisset, quia de eius miraculis audierat, & existimabat posse in vita se diutius conseruare. huius loci explicationem inferius vide.

Periculosa non fuit Christi flagellatio.

Cur miratus est Pilatus de tam subita Christi morte.

Quæret aliquis, an Pilatus ipse suis manibus Christum flagellauerit? Probatur ex Ioanne cap. 19. pars quæ affirmat, *Apprehendit*, inquit, *Pilatus Iesum, & flagellauit*, &c. Probatur item ex Beda in Marcum cap. 15. Intelligendus, inquit, est Iesus non ab alio quam ab ipso Pilato flagellatus. scribit namque apertè Ioannes: *Tunc apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit* ac deinde subiungit. *Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius*, &c. Existimat Beda, Pilatum, Christū verberibus affecisse: milites verò coronā imposuisse spineam, & illusisse, idque verba Ioannis significare, sed probabilitate caret opinio: præsides enim prouinciarum, ad tam abiectam verberandi functionem se minimè demittebāt. Quod verò per alios faciebant, id ipsis tribuitur. Itaque cum Ioannes ait, Pilatum apprehendisse, & flagellasse Iesum, significat non per se, sed per milites apprehendisse, & flagellasse.

Ioan. 8.

An Pilatus ipse Dominum flagellauerit?

Beda.

Reijcitur ista opinio

Denique dubium est, an Virgo Deipara, adfuerit in domo Pilati, cū Christus est verberatus. Lib. 1. Reuelationum D. Brigittæ cap. 10. reuelatio extat eiusdem D. Brigittæ, ex qua Virginem adfuisse flagellationi, quamque grauis ipsa fuerit flagellatio notum fit. Loquitur cū D. Brigitta virgo Dei mater his verbis: Instante tempore Passionis filii mei, inimici eius rapuerunt eum, percutientes eum in maxilla, & collo: Ductus autem ad columnam personaliter exuit vestes suas, manusque suas applicuit ad columnam, quas inimici ad columnam alligauerunt. Ad primum ictum ego quæ astabam propinqua, cecidi quasi mortua, & resumpto spiritu, vidi corpus eius flagellatum vsque ad costas, ita vt costæ eius viderentur, & quod amarius erat, cum retraherentur flagella, carnes ipsis flagellis sulcabantur. Cūque filius meus, totus sanguinolentus, totus sic laceratus stabat, vt in eo nō inueniretur sanitas, nec quid flagellaretur; tunc vnus concitato in se spiritu quæsiuit: Nunquid interficietis eū sic iudicatum? & statim secuit vincula eius. Hæc reuelatio quam sequitur Dionysius Carthusian. in sermo. de Passione

An virgo Deipara flagellari Christum viderit.

D Brigitta

Digitized by Google

passione. Consentaneum est reuelationi illud quod scribit Simeō Metaphrastes in oratione de vita, & dormitione Deiparæ. Videlicet Virginē sanctissimam ingressam esse atrium Caiphæ, & Annæ, & secutam Christum in passione. Cum, inquit, tempus adesset passionis, & iam abduceretur Dominus ad Pilatum, & ante Caipham sisteretur, & ad Herodem mitteretur examinandus, & tādem in eum ferretur sententia, & cruce condemnaretur; mater sicut in aliis superabat mulierem, ita hic quoq; videtur plusquam mulier, quæ ab illo minimè recedit, sed propius sequebatur, nihil timens quod esset formidabile, sic autem ingressa est in atrium Annæ, & Caiphæ cernens vnumquodque eorum, quæ gerebantur. Hæc ille.

Metaphra.

Theatrum mundi totius facta est Pilati domus, spectaculum in ea proponitur toti mundo, omnibus Angelis & hominibus Spectaculum grande (ait Rupertus Ioannis 19.) mundo, Angelis, & hominibus, vt à seruis peccati, princeps libertatis seruilibus modis cæderetur, &c. Grande equidem spectaculum, stupendum, inauditum, est, Deus homo flagellis cæsus, instar serui contemptissimi. Quis non obstupescat, & extra se penitus rapiatur, si Deum hominē contēpletur, omni maiestate, omniq; potentia præditum, columnæ adstrictum funibus, verberibus que præbentē terga? *Obstupescite cæli super hoc*, Ierem. 2. Obstupescite Angeli omnes, Cherubini, atque Seraphini, *super hoc*, quia vos nouistis quid sit hoc, quis sit hic niue candidior, quem effusus sanguis rosis reddit rubicūdiorem, vos cernitis infinitā illius maiestatem, omnipotentiā, gloriam, æternasque opes cognoscitis, omnib. creaturis immenso interuallo superiorem illius diuinitatē intuemini. Heu, Deū rerum omnium Dominū, serui instar, flagris crudelissimè videtis discerpi, atque cruentari. At infiniti propemodum estis, vnus vestrū facillimè è tortorum manibus illum potest eripere, quid agitis? Nunquid stupor vestras cohibuit vires? scio; Nō stupor cohibuit, cohibet vestram ipse qui flagellatur potentiam, quemadmodum, & cohibet suam. *Oblatus est, quia ipse voluit*, flagellatur, quia ipse voluit, ad columnā funibus adstrictus tenetur, quia ipse voluit, infinitū enim Sansonem, non hominum funes, sed potentissimi amoris vincula ligare potuerunt, quo humanum persecutus est genus. O charitas (ait Iustinianus in ligno vitæ cap. 4.) quam magnum est vinculum tuum, quo Deus ligari potuit? Nullum vinculum filium Dei ad columnā tenere potuisset si charitatis vinculū defuisset, &c. Amor autem cogit pullos dilectos tegere: eundem in modum aquilā nostram, amor compulit, pullos suos, id est, homines dilectissimos scapulis defendere; iuxta illud Psalm 90. *Scapulis suis obumbrabit tibi*. Nōne scapulæ Domini flagellis conscisæ humanum obumbrarunt genus, & à summo diuinæ iracundiæ æstu protexerunt.

Domus Pilati theatrū mūdi.
Rupert.
Ierem. 2.
Iustinian.
Amor Chrē stū ligauit.
Simile.
Psal. 90.

Adeste homines, in hoc theatro vobis admirandū exhibetur spectaculū; adeste intuemini propter peccata vestra flagellatū Deum, quanti pretii sitis agnoscite, quantum Deo debeatis considerate, quàm execranda sint peccata vestra expendite. August. sermo. 114. de tempore. Agnosce, inquit, homo quantum valeas, & quantum debeas, & dum tantā redemptionis tuæ dignitatē perspicis, ipse tibi peccādi pudorē indicito Ecce pro impio, pietas flagellatur, &c. Psal. 31. *Multa flagella peccatoris* &c Si multa sunt flagella peccatoris, multa quoque esse oportuit flagella redēptoris. Deut. 25 *Pro mensura delicti, erit & plagarū modū*, &c. Maxima fuit mensura delictorum, maximam quoque esse oportuit mensuram plagarum

D. August.
Psal. 31.
Deut. 25.

Tertullianus lib. 4. contra Marcionē verba illa Gen. 49. *Lauabit in vino stolā suam*, &c. & illa Isaiæ 63. *Quare rubrū est indumentum tuū, & vestimenta tua, sicut calcantiū in torculari*, &c de Christi corpore exponit in hāc sententiā: Lauit Christus stolam suam in vino, id est, lauit carnem suam in sanguine, lauit autē tunc maximè, cum flagellis est maximè cruentatus. Tunc etiā ve-

Tertullia.
Gen. 49.

ſtimenta ſua, quod dixit Iſaias, id eſt, corpus ſuum, veluti in torculari rubeſecit. Torcular enim ſolus calcauit, cũ columnæ alligatus verberibus eſt cæſus. Calcari quidem videbatur verberibus; ſed dæmones velut botros, mortẽ, mundum, peccataq; omnia calcabat doloribus. Iſaiæ 53. *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum*, &c. Hoc eſt, caſtigatio noſtra ſuper eum eſt, per quam pax omnis, & felicitas eſt ſuper nos, conculcatis peccatis omnibus. 2. Reg. 6. ait Michol Dauidi: *Quam glorioſus fuit hodie rex Iſrael diſcooperiens ſe, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris*, &c. Congruunt ſanè verba noſtro Dauidi, non ironicè, ſed ſeriò, veriſſimeq; dicta. Nudatus quidem eſt Rex Iſrael Chriſtus, quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris, imò quaſi ſi nudetur vnus de viliſſimis mancipiis, ad flagella excipienda toto corpore. Sed; ò quã glorioſus fuit hodie Rex Iſrael, ſic nudatus, ſic verberatus, non glorioſus ſolũ fuit, ſed fons ſic fuit gloriæ: ſanguis enim ex ſacro eius corpore effluebat, infinitam mundo gloriam profundens.

Iſai. 53.

2. Reg. 6.

In exitu Iſrael de Aegypto, barbaroque populo, conuertit Deus petrã in ſtagna aquarum, & rupẽ virga percuſſam in fontes aquarũ. Pſal. 113. In exitu populi Chriſtiani ex tenebris peccati, conuertit fortiſſimam petrã Chriſtum flagellis percuſſum in ſtagna gratiæ, & fontes gloriæ.

Flagella pro nobis Chriſtus tulit, feramus, & pro illo.

Obſerua flagella tuliſſe Dominum alligatum columnæ. Nos quoque flagella ferre oportet alligatos colũnæ, id eſt, patientiæ: firmiſſima enim colũna patientia eſt, quę animam fulcit, ne flagellis concuſſa corruat. Amoris autem diuini vinculis alliganda eſt anima huic columnæ, ne ab ea ſeparetur. O illum beatum qui firmiſſimæ patiẽtiæ, veluti columnæ, charitatis funibus fortiſſimis adſtrictus, huius mundi flagella omnia excipit, coronabitur poſt flagella, non ſpinis, ſed gemmis.

Moralis.

Patientia colũna eſt.

CAPVT VII.

Coronatur Chriſtus ſpinis, & oſtenditur populo.

MATTHÆVS CAPITE XXVII.

TVNC milites præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem; & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei: & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius. Et genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes; Aue Rex Iudæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.

MAR-

MARCVS CAPITE XV.

MILITES autem duxerunt eum in atrium prætorij & conuocant totam cohortem; & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam. Et cœperunt salutare eum: Aue Rex Iudæorum. Et percutiebant caput eius arundine: & conspuebant eum, & ponentes genua adorabant eum.

IOANNES CAPITE XIX.

ET milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius: veste purpurea circundederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum: & dabant ei alapas. Exiuit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis, quia nullam inuenio in eo causam. Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum. Et dicit eis: Ecce homo. Cum ergo vidissent eum Pontifex, & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.

Plectentes coronam de spinis.

MAtthæus, & Marcus videtur significare, Christum spinis coronatũ, postquam traditus est, vt cruci suffigeretur. Ex Ioanne tamẽ fit perspicuum, antequã traderetur, coronatum esse, populoque ostensum, vt liberaretur. Matthæus igitur & Marcus, vt ait August. lib. 3. de consensu Euange. ca. 9. recapitulatione vsi sunt. Postquã crudeliter flagellatus est Dominus, petulantes milites verberum dolorẽ, nouo irrisionis, dolorisq; genere cumularunt, iuxta illud Psal. 68. *Super dolorẽ vulnerum meorum addiderunt, &c.* Etenim super dolorem flagellorum, addiderunt opprobria, irrisiones, spineam coronam. Additas, atq; cumulatas dat nobis Dominus pœnas suas, & dolores, vt nos illi cumulata reddamus obsequia nostra. Obiiciebãt Iudæi Christo, quod regẽ se faceret: idcirco milites regẽ illum ludicrum crearunt, regnumq; eius irriserunt. Præterea ex domo Herodis veluti regni candidatus, cãdida veste indutus, remissus fuerat: milites verò Romani, honorem ipsum cuius candidatus venerat ex domo Herodis, ridiculè tribuerunt in domo Pilati. Coronant vt regẽ, sed corona spinea, purpurea induunt chlamyde, sceptrum tradunt arundineum. Regẽ vero flexo genu salutant, conspuũt

Psal. 88.

Cur milites Christũ coronauerint spinis.

Digitized by Google

alapis cędunt, ipso sceptro arundineo percutiunt. Hæc autem non ignorãte Pilato facta sunt, (ait Augu. trac. 116) siue iusserit ea, siue permiserit: vt hæc ludibria inimici Iudæi biberent, & vlterius sanguinem Christi non sitirẽt.

D. August.

Dubium est an corona in pilei modum fuerit contexta? ait D. Vincent. in serm. de passione, ita contextam in pilei modũ, vt omni ex parte caput tegeret, & pungeret. Gabriel quoque in tract. de passione, opinatur fuisse coronam spineã similem coronæ imperatoriæ, quæ caput & cingit & tegit. Respondetur nõ fuisse in similitudinem pilei confectam, sed similem vulgaribus coronis, vt picturæ satis indicant. Vulneratum à coronæ spinis Dominum 72. locis opinatur D. Vincentius.

An corona instar pilei fuerit? D. Vincen.

De spinis verò coronæ Author historiæ schol. sic scripsit: Qui attentius considerasse se dicunt spinas illas, asserunt iuncos fuisse marinos, quorum acies nõ minus spinã pũgit. &c. D. etiã Vincentius, Lyranus, Salmeron, Toletus, & alii ex iuncis marinis contextã fuisse dicunt. Noster Delrius id negat lectione 9. de passione, quod iunci, cũ vnam habeant cuspidem, parum idonei fuerint coronæ plectendæ. quam multis enim iuncis opus fuisset, vt eorũ cuspides caput vndique cingerent. Huic rationi addit oculorum testimonium: Lustraui, inquit, non semel magnam illã coronæ partem, quę Parisiis in sancto Sacello asseruabatur, vidi in Hispania Legione, & in monasterio de Spina, & Louanii, & alibi coronæ spinas varias, nulla illarum quidquam cum iunco cõmune habet, sed omnes rhamnum, vel paliurum ostentant. Et Parisiẽsis quidem vni ramo plures spinas in latere cohærẽtes: quod à iunco procul est alienum, &c. Non displicet opinio. Responderi tamen potest, coronã ex iuncis marinis fuisse cõtextã, non solis, sed permixtis, ideoq; potuisse caput cingere, neque videri in multis coronæ partibus, quia cum sint duriores, & maiores per se asseruantur aliis locis.

An corona ex iũcis marinis fuerit contexta?

An Christi corona fuere iũci marini.

Chlamys propriè vestis est militaris, pallio breuior, & astrictior. Vnde illud Poetæ:

De chlamyde.

—Ipse agmine pallas,
In medio, Chlamyde & pictis conspectus in armis.

Dicitur à Ioanne, & Marco vestis purpurea, à Matthæo coccinea, quod idem fere est, quãuis coccinea à cocco dicatur, id est, grano, purpurea verò à purpura, id est, pisce ex concharũ genere, habente in faucibus liquorẽ, quo indumenta purpureo decore exornabantur. D. Ambros. putat duabus vestibus à militibus Christum indutum, sic enim scribit in Lucã, Chlamydẽ coccineã induitur à militibus, & purpuream tunicam, in altera designans martyrũ palmas, in altera regię potestatis insignia, &c. Vnam tantum fuisse coccineam vestem, vel purpuream, vera est opinio.

Coccus, & purpurea.

An vestis coccinea diuersa fuerit à purpurea? D. Ambro.

Quomodo autem (ait D. Hierony. Matthæi 27.) Caiphas Ioan. 11. dixit, Oportet vnum hominẽ mori pro omnibus, nesciens quid diceret. Sic & isti milites Pilati, quęcunq; fecerunt, licet alia mente fecerint, tñ nobis Sacramẽta tribuerunt, &c. Sunt. n. in his omnibus Sacramẽta quædã, id est, typi quidã, atq; figuræ veritatis. Chlamyde induitur sũmus Imperator militari, quia aduersus Tartareos duces fortiter dimicabat. Chlamys est purpurea, quia non incruẽto dimicat prælio, sed pro populo suo sanguinem Rex maximus profundit libenter. Nã vt placet, Eliæ orat. 3. Nazianzeni in Iulianũ, purpureus color, veros imperatores admonet, vt promptis animis sanguinẽ suũ pro subditorum salute fundant. Tenuem fragilemque per hastam, nempe arundinem, quia tanta est ducis fortitudo, vt hæc illi hasta sit satis, superq; ad transfigendum hostem. Pro galea spinæ tegunt caput, quia membra sua à vulneribus protegit, spinarũ aculeis. Hæc fuere patiẽtiæ arma, quibus occultata tremenda maiestas, mundũ superabat, & Orcum. Augus. trac. 116. Sic paulisper, inquit, occultata tremẽda potentia, cõmendabatur imitanda patiẽtia: sic regnũ, quod de hoc mũdo non erat, superbum mundum, non atroci-

D. Hieron.

Mysticè, quid significet corona, &c.

D. August.

Digitized by Google

atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat, &c. Eximia victoria est patiēdi vincere humilitate. Cōtēptibilis videtur corona spinea; sed in Christi capite, omnium regum aureas, gemmatasq; coronas superat. Filius Dei & hominis, atque redemptoris, corona hæc est. Nā triumphū indicat, quem solus Deus homo reportare potest, triumphum, inquā, de peccatis. Spinæ enim, vt ait Rupertus Ioan. 19. & alii, peccata designant, quæ animā pungunt, & lacerant; ex spinis igitur corona contexta, de spinis, id est, de peccatis; victoriam reportatam, triumphumque significat. Hic autem triumphus soli Deo homini cōgruit, vt iam supra ostensum est. D. Hilarius in Matthæ. Peccatorum, inquit, est aculeus in spinis, ex quibus Christo victoriæ corona contexitur, &c.

Vincit malos ptinax bonitas.

Rupert.

D. Hilar.

Ad hæc indicat spinea corona Christū labores, ac dolores in coronā, gloriāq; conuertisse: spinæ, labores, doloresq; significāt. cōuersæ sunt spinæ in coronā Christi: quoniā labores, doloresque in coronā æternam ipse cōuertit. Ex laboribus enim & doloribus coronas nobis ipse facit. iuxta illud Pauli Rom. 8. *Si tamen compatimur, vt conglorificemur*, &c. Timoth. 2. *Si sustinebimus, & conregnabimus*, &c. Solent spinæ rosas proferre: spinæ coronæ Christi, admirabiles rosas, tota terra, totoque cælo protulerunt. Gen. 22. *Vidit Abraham arietem inter vepres, hærētem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum*, &c. Hærens arietis caput vepribus, Christi agni immaculati caput, spinis hærens & coronatū, adūbrabat. Qua de re lege August. lib. 16. de ciuit. cap. 32. Victimas coronatas antiqui offerre solebant, vt Plinius docet lib. 16. cap. 4. Ecce præcellentissimam orbis victimā coronatā, non floribus, sed spinis. Clamabant hæ spinæ, & irrisiones, cælū clamore petebant; peccatorib. postulabant veniā. Vnde Ruper. Ioan. 19. Spinæ, inquit, vestis irrisoria, cæteræq; iniuriæ, sine dubio proclamant in cæleste propitiatoriū, & credentibus in Christum potenter impetrant remissionem peccatorum, &c.

Spina conuersa in rosas.

Rom. 8.

Timoth. 2.

Gen. 22.

Victima coronabātur.

Veniā nobis postulāt spinæ Domini.

Irridebatur autem omnibus his illusionibus regnum totius cæli, terræq; supremū. Corona spinea, diademata illa irridebantur, de quibus Apocal. 19. *In capite eius diademata multa*, &c. Chlamyde purpurea, irridebatur vestis illa admirabilis Psal. 103. *Amictus lumine sicut vestimento*: arundineo sceptro fragili, irridebatur sceptrum illud fortissimū Psal. 2. *Reges eos in virga ferrea*, &c. Iocosis adorationibus, Angelorum, hominūq; irridebantur adorationes. Etenim cæci illi milites his illusionibus indicare volebant Christū regno carere, & coronis, regia purpura, sceptro, regiisq; adorationibus.

Apoc. 19.

Psal. 103.

Psal. 2.

Irrisiones.

Quam igitur excusationē habebimus (ait Chrysost hom 88. in Matth.) si vituperati, ad iram concitamur, qui tot, tantaq; sustinuisse Christum non ignoramus? &c. Cant 5. *Aperi mihi soror mea*, (ait cælestis sponsus) *quia caput meum plenū est rore, & cincinni mei guttis noctium*, &c. Pulsat cordiū fores Dominus; aperiamus. Excipiamus cordibus caput illud rore plenū sanguineo, ex spinarum manāte vulneribus, plenum guttis noctium, id est, peccatorū, ac tenebrarum nostrarum; peccata enim nostra, rore, guttisq; sanguineis cælestem sponsum cōpleuerunt; vt nos illæ gratiæ, gloriæq; fontibus compleret. Spinas, tribulosque germinauit illi terra Gen. 3. vt nobis ille germinaret rosas, segetesq; cælestes.

D. Chryso.

Patientia.

Cant. 5.

Indicarunt præterea hi milites, quale sit mundi regnum. Coronam habet spineā, quia mille pungit negotiis, milleq; molestiis: sceptrū arundineum, id est, maximè fragile, quod cum minimè speras, subito frangitur. Chlamydem habet, id est, militarem vestē, purpuream; quia bellorū periculis, sanguinisque effusioni expositum est. Hinc illud, quod Seneca in lib. de breuitate vitæ, scribit de Augusto Cæsare orbis dominatore cap. 5. Qui, inquit, omnia videbat ex se vno pendentia, qui hominib. gentibusque fortunā dabat, illum diē lætissimus cogitabat, quo magnitudinē suā exueret, &c. coronę spinis, & purpureę Augustus pūgebat, ideo spinosā magnitudinē exuere optabat.

Quale sit mundi regnum.

Seneca.

Augustus Cæsar imperiū optabat deponere.

Ecce homo.

SIc, vt vidimus affectum Dominum populo exhibuit Pilatus toto corpore cæsum flagellis, ac cruentatum chlamyde indutum purpurea, spinis coronatum, *Exiuit* (inquit Ioan. 19. *Iesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum,* &c. Non meminit arundinis, sed verisimile est, etiam arundinē portasse. Satiare voluit Pilatus hoc miserando aspectu, Iudæorū odium & inuidiam, Christumq; liberare, vt August. & alii sentiunt. Egressus est Christus ex prætorio Pilati, vt cum Augustino loquar, non clarus imperio, sed plenus opprobrio Sic opprobrio, flagellisque clarū Pilatus populo ostendit, & toti mundo, dicens: *Ecce homo.* Quasi dicat, ecce hominē, quem ad me attulistis, verberibus instar mancipii cęsum, toto corpore sanguine perfusum, spinis coronatū, irrisum, opprobriisque mille affectum; satis iam pœnarum dedit, parcite illi, quia nullam causam mortis in eo reperio. Affectati regni crimen obiicitis, sed regnum eius ludicrū est, vt cernitis. August. Si regi, inquit, inuidetis, iam parcite; quia deiectū videtis, ferueat ignominia illius; frigescat inuidia vestra, &c. At vero, vt idem Augustinus ait, non frigescit inuidia, inardescit potius & increscit; quemadmodū si oleum addas camino. Viso Christo nullam pectore concipiunt misericordiam, sed rabie ac furore pleni, ingeminant suum, *crucifige.* Pilatus verò respōdit: crucifigite vos si libet, ego nō crucifigā. Nec enim causam inuenio.

Ostenditur Dominus populo.

D. August.

Cum viderent obiectum crimen læsæ Maiestatis Regiæ Pilatum non flectere; crimen intendunt læsæ diuinitatis, id est, crimen blasphemiæ. Obiecerunt, Christum se regem facere, nunc obiiciunt se facere filium Dei Tu Pilate (inquiunt) non inuenis causam: at in nostra lege, nos causam inuenimus grauissimam, nempe læsam diuinam maiestatem, quam hic læsit, quia filium Dei se fecit. Etenim Leuit. 24. sic præcipitur *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur; lapidibus opprimet eum omnis multitudo,* &c. Ergo secundum legem nostram debet mori, quia filiū Dei se fecit. *Cum audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit,* ait Ioānes. Dubium est; cur magis timuerit Pilatus, audiens Christum filiū se fecisse Dei? Caietan. putat magis timuisse liberare Christum. timebat illū liberum dimittere, antequam hoc crimen audiret; postquam audiuit, auctus timor est liberandi hominem blasphematorem, qui filium Dei se faciebat: verisimilius est timuisse Pilatū ne fortè filius Dei esset Christus quem tot affecerat contumeliis. Nam Ethnici Deos filios habere putabant. Pilatus autem in Christo nō vulgarem speciem intuebatur, sed Dei filio dignam. D. Cyrillus: Credidit, inquit, Pilatus posse Deum esse Christum; Semideos enim & Deorum filios gentilium fabulæ multos cōfingūt, &c. Timore hoc perculsus in prætorium reuersus est adducto Christo, vt quod à Iudæis audierat, inuestigaret Dicitur ostendisse Christum populo ex porticu quadam de qua Adrichomius in theatro terræ sanctæ sic scribit in descriptione Ierusalem numero 120. Xystus porticus erat in modū pōtis lapidei, frequentibus arcubus supra plateam publicam, ampla latitudine extructa; ac subdialibus inambulationibus ornata; per quam à Pilati palatio in arcem Antoniam, & inde in tēplum transitus erat. ex hoc tuto loco præsides Romani populum alloqui solebant, in quo stans Pilatus Christum videndum exhibuit, dicens: *Ecce homo.* vbi adhuc visitur ac peregrinis ostenditur arcus quidam lapideus cum hac inscriptione: *Tolle, tolle, crucifige,* cætera legi non possunt. sic Adrichomius. ex hoc loco reuersus est Pilatus in prętorium.

Crimen obiciunt Iudęi Christo læsæ Maiestatis diuinæ.

Leu. 24.

D. Cyrill.

Locus vnde Pilatus Christū populo ostendit.

Ecce homo.

Morale.

NOn solis Iudæis Christum Pilatus ostendit, sed toti etiam mundo; hodie quoque nobis dicitur, *Ecce homo.* Ezech. 43. iussit Dominus Prophetæ

Ezech. 43.

phetæ. *Ostende domui Israel templum, & confundantur ab iniquitatibus suis* &c. Ostendit tunc Ezechiel templum Israelitis; at Pilatus multo nobilius tẽplũ, hoc est, corpus Christi nobis ostẽdit, vt confundamur ab iniquitatibus nostris. Quis enim hominum ab iniquitatibus suis non confundatur, si corpus illud præcellentissimum flagellatum, spinis coronatũ, totque modis ludibrio pro peccatis suis habitum, contemplatus fuerit? *Vadam* (ait Moses Exod. 3.) *& videbo visionem hanc magnam*, &c. Magna visio fuit Deus in rubo spinosa, atque ardente apparens, quæ minimè comburebatur in mediis flammis. Multò maior visio est Deus ipse incarnatus, in spinea corona visus, flagellatus, irrisus. Eamus & videamus visionem hanc magnam: vt pungant nos sacræ huius coronæ spinæ, animumque nostrum diuinis pœnitentiæ aculeis compungant. Cant. 3. *Egredimini, & videte filiæ Sion regem Salomonem, in diademate, quo coronauit illum mater sua*, &c. Egredimini ò Christiani ex peccatorum carcere tenebroso, videte Regem Salomonem, non aurea spinea coronatum corona; qua eum coronauit mater siue nouerca synagoga, vt vobis ille aureas gemmisque rutilantes coronas in cœlo compararet. Egredimini, & videte regem vestrum; & postquã videritis à visione ad imitationem transite. Qui Christum regẽ habet spinis coronatum, illos imitari turpe est, quorũ illa vox extat Sap. 2. *Coronemus nos rosis antequam marcescant*, &c. Egregiè D. Bern. serm. 5. de omnibus sanctis: Pudeat, inquit, sub spinato capite, membrum fieri delicatũ, &c. duob. modis, vt ait mellifluus Pater, caput nostrum Christus, suis se mẽbris ostendit; ostẽdit se gloriosum in cælo, in terra verò spinis coronatum: in cælo enim locus est gloriæ, in terra locus spinarum, & laborum. Intueamur igitur caput nostrum spinis cinctum vndique imitemur eius spinas in terra, id est, labores, vt gloriam quoque eius imitemur in cælo. Audiamus D. Bern. Quibusdam, inquit, membris (id est beatis) gloriosum apparet caput Christus, vt ab ipso glorificemur. Quibusdã, (id est iis qui in terra versantur) ostẽditur caput hirsutũ spinis, inclinatũ in cruce, vt humilientur pariter; pariter & cõpungantur, &c. Ostẽditur igitur nobis caput nostrũ spinis circumdatum, non floribus, vt illud imitemur. Expergescere Christiane, excute socordiam. Ecce homo, ecce Deus, ecce Dei verbũ omnipotens, maiestate plenum, ecce exemplar virtutum excellentissimarum, inspice, & imitare pro parte virili. Vt Valer. Max. ait lib 4. cap. 6. Excellentissima animaduertenti, ne mediocria quidem præstare, rubori esse oportet: &c. Ecce homo excellentissimæ humilitatis: Ecce homo excellentissimæ patientiæ; Ecce homo excellentissimæ charitatis. Excellentissimas has aliasque virtutes si animaduertas, rubori tibi erit peccata committere, nec mediocres saltem virtutes comparare.

Exod. 3. — *Visio rubri.* — *Cant. 3.* — *Sapient.* — *D. Bern.* — *Quo modo rosas gerẽt in capite homines, si redemptor spinis coronetur.* — *Valer.*

CAPVT VIII.

Interrogat Pilatus Christum, & iterum ostendit populo.

IOANNES CAPITE XIX.

ET ingressus est prætorium iterũ:& dixit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. & exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis enim, qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cùm audisset hos sermones, adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali, in loco, qui dicitur lithostrotos, Hebraicè autem, Gabbatha. Erat autem Parasceue Paschæ, hora quasi sexta, & dixit Iudæis: Ecce rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus regem nisi Cæsarem.

Vnde es tu?

Cur Pilato non respõderit Christus petenti vnde esset.

TImuit Pilatus, ne fortè si filius Dei esset Christus, tum quia Iudæi id obiiciebant, tum quia ille dixerat, regnum suum non esse ex hoc mundo, & venisse in mundum vt testimonium veritati perhiberet: præterea, quia modestia, silenciũ, species, filio Dei congruebat. ideo ingressus prætorium, inquirere cœpit hac de re; rogauitque Dominum: A *Vnde es tu?* hoc est, vnde es ortus? vnde venisti? quænam est patria tua, qui genitores? Huic maximæ quæstioni, Christus noluit respondere. Nõ enim tempus illud, & locus, & persona, tantæ quæstionis responsionem ferebant. Pilatus vt ad respondendum excitaret. *Mihi*, inquit, *non respondes?* nescis vitam tuam in mea sitã esse potestate? Respondit Dñs. *Non haberes potestatẽ aduersum me vllã, nisi tibi datũ esset desuper.*

Potestas A Deo est.

Digitized by Google

super, id est, potestas hæc, quam habes, aliena est; potestatem nullam haberes in vitam meam, vel personam; nisi desuper à Deo illã accepisses; ille tibi permisit agere, quod agis, ille vult me pati quod patior. Caue ne potestate à Deo accepta vtaris malè, ne te disperdat.

Illa verba Pilati; *Nescis quia potestatẽ habeo crucifigere te, & potestatẽ habeo dimittere te?* &c. sic intelligenda sunt; potestatem habeo crucifigere te, si dignus morte & cruce sis. & potestatem habeo dimittere te; si sis innocens: Iudicis enim potestas sceleratos potest damnare, crimine carentes absoluere. Quod si Pilatus aliud se posse intellexit, de potestate minimè iusta locutus est. Potestatem habet iudex, vel princeps, sed potestas iustitiam sequi debet, ita vt nec insontes condẽnet, nec sontibus impunitatẽ malè prębeat. Non soluit potestas iustitiam; ait D. Ambr. c.3. Apolog Dauid. & Augus. lib.13. de Trinit c.13. Potentia, inquit, debet sequi iustitiam, non præire, &c. Vt autẽ potestas iustitiã sequatur, verba Christi sunt animo voluenda: *Nõ haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper:* &c Attẽdat princeps siue iudex, potestatem se accepisse à Deo, quamobrem vt potestatẽ Dei illã debet exercere iustè. Attendat Deũ datæ potestatis rationem expetiturũ: potestas minor, maiorẽ, potestas humana Principum, potestatem diuinã Dei ante oculos habeat; vt illam, & timeat & imitetẽ. Necessaria maximè est principibus humilitas, ne potestate gloriẽtur, dicentes: *Potestatem habeo crucifigere, & dimittere;* &c. vt humilitatem assequantur, audiant Dominum: *Non haberes potestatem, nisi tibi datum esset desuper.* Si autẽ accepisti, quid gloriaris?

Potestas sequi debet iustitiam.

D. Ambr. D. August.

Iudices ne abutantur potestate.

Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.

DIfficultatem parit particula propterea. Non enim facile est explicare, cur qui Christũ Pilato tradidit, maius habeat peccatum, propterea, quod Pilatus à Deo potestatem habeat permissiuam in Christum. Paucis sic locus videtur explicandus: Tu Pilate, nullã potestatem aduersum me haberes, nisi Deus dedisset: hæc vero potestas ĩ causa est, cur grauius sit Pontificum, & Iudæorũ cæterorum, qui me tibi tradiderunt, peccatũ, quã tuum. Nam tu propterea me flagellasti inuitus, & illusisti, quia tamquam iudici potestatẽ habẽti, tibi traditus sum: cõpulsus verò dãnas, volens me liberare. At Pontifices, cæteriq; Iudæi, qui me tibi tradiderunt, ex odio, atq; inuidia me persequũtur; nemine prouocante, aut suadẽte, causa præterea sunt tui peccati. Illi (inquit August.) me tuæ potestati tradiderunt inuidendo, tu verò eandem potestatem in me exerciturus es metuẽdo. Hominem occidere inuidẽdo, multò magis malum est, quã timendo, &c. Admonuit Pilatum Christus peccati, seque innocentem esse ostẽdit, in quo damnando Pilatus peccaret grauiter, Iudæi quoq; persequutores grauius quàm Pilatus iudex.

Explicatio loci difficilis.

Occidere inuidendo grauius est peccatum, quàm occidere metu.

Exinde quærebat dimittere eum.

IAm suprà dictum est, voluisse Pilatum dimittere Christum. Cur igitur Ioan. ait ex hoc tempore quęsiuisse dimittere eum, quasi antè non quæsiuerit? Respondet August. illud, *exinde*, significare, ex hac cã; quasi dicat Euangelista, exinde, id est, propter hãc caussam, ne s. peccatum committeret, non nũc primũ, sed ab initio, quærebat eũ dimittere. Græcè legitur, *ἐκ τούτου*, id est, *ex hoc*. D. August. interpretatur, ex hac causa. probabilius interpretabimur, ex hoc tempore. Antea verò Pilatus quærebat Dominum dimittere, sed non palam, & inuitis Iudæis. Ex hoc verò tempore palam ostendit se velle illum facere liberum. Cur nunc palam id ostẽderit, causa est, quia mouerunt cor verba Christi, ex quib. illũ innocentem esse intelligebat, se verò nocentissimum facere, si non faceret liberum; potestatem quoque suam à Deo acceptam audiuit, cuius supplicium debuit formidare. Quomodo voluerit, & quæsierit Pilatus Christum palàm liberare, non narrat Ioannes, tantùm ait: *Iudæi autem clamabãt dicen-*

Pilatus vult Christum liberare.

dicentes; si hunc dimittis, &c. Clamor & verba Iudæorum ostendũt illos intellexisse, Pilatum velle Dñm dimittere idcirco terribilem illam bombardam disploserunt: *Si hunc dimittis, nõ es amicus Cæsaris: omnis enim, qui se regem facit, contradicit Cæsari*, &c.

Sedit pro tribunali.

MOllis & inconstans Iudex fuit Pilatus. Quærebat Christum dimittere, sed bombardæ illius sonitu perterrefactus, Iudæis illum tradidit. Ne apud Cæsarem accusaretur metuẽs, vt clamorem Iudæorum compesceret, & finem causæ imponeret, sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Græco nomine λιθόστρωτος, id est, *lapide stratus*, Hebræo verò corrupto, vel Syriaco, dicitur, *Gabbatha*, id est, *excelsus*, quia locus fuit marmore stratus & excelsus. De hoc tribunali Adrichomius in descriptione Ierusalẽ nu. 115. sic scribit, Tribunal locus erat ante domum Pilati editus, & iudicio acommodatus vbi Romani præsides sententiam ferre solebant, &c.

Sedet pro tribunali Pilatus feria sexta. Notat item Ioãnes, horam & diem, quo pro tribunali sedit: *Erat*, inquit, *parasceue*: id est, pparatio Paschæ, erat feria sexta, qua Iudæi cibos præparabant in Sabbathũ: non enim Sabbatho cibos licebat coquere. Dicitur autem parasceue, siue præparatio Paschæ, dies ille, quo Pilatus sedit pro tribunali; quia Paschatis festũ illo anno in feriam sextam inciderat. Itaque erat parasceue Paschæ, id est, feria sexta, in qua Pascha celebrabatur. Hunc locum supra exposuimus initio huius tomi. *Hora erat quasi sexta*; de hora agemus infrà cum de crucifixione sermo erit.

Postquam pro tribunali sedit, nõ destitit oĩno Iudæos à scelere auertere. Nã Christum iterum eis ostendit, dicens: *Ecce Rex vester*. *Iterũ ostendit Pilatus Christum populo.* Ecce, inquit, illũ, quem regni affectati accusare non erubescetis, nullã habet regis effigiẽ, nisi ludicram, nullũ in illo ambitionis vestigiũ apparet. Hic ne est, qui se regẽ facit? *Theophyl.* Theophyl. sic interpretatur. Ecce, inquit, qualem hominem dicitis attentasse inuadere regnum, vilẽ s. & nihil tale attentare audentem: & ita accusatio vestra falsa est Sic ille. *Euthym.* Euthymius hoc pacto. *Ecce rex vester*, stat accusatus; non est absolutus, ne formidetis, &c. *Cur regem appellarit.* Forsitan subsannas Iudæos, Regem eis Iudæorum ostendit ludicrum. Aliter; quia dixerant Iudæi: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris; ois enim, qui se regem facit, contradicit Cæsari* Pilatus regem vocat Christũ, dicens: *Ecce rex vester*; Ecce illum, quẽ dicitis se facere regem vestrum, & contradicere Cæsari. Quis credat hunc hominẽ potentiæ Cæsaris contradicere, & se regẽ facere? Illi nihil de furore deponẽtes, *Crucifige*, clamabãt, *crucifige eũ*. At Pilatus ludẽs: *Regem*, inquit, *vestrum crucifigam?* hoc patiemini, vt regem vestrum supplicio maximè ignominioso afficiam? Responderunt: *Nõ habemus regem nisi Cæsarem*, &c. Non est hic rex noster, rex noster Cæsar est, alium regem nõ habemus.

Iudæi Messiam repudiant, Cæsarem eligũt à quo sunt deleti. Repudiarũt hic suum verum Regẽ, Christum, Iudæi, Cæsarem elegerunt Illum repudiarunt, qui vitam illis afferebat, illum elegerunt, qui mortẽ attulit. Cæsarem elegerũt Rom. Imperatorem, à Cæsare sunt deleti. *Iud. 9.* Iudic. 9. *Dixerunt omnia ligna*, id est, arbores, ad Rhamnũ: *Veni impera nobis*, &c. Sic Iudæi dixerunt: *Non habemus regẽ, nisi Cæsarẽ*; sed contigit illis illud, quod eodẽ scribitur cap. *Egrediatur ignis de rhammo, & deuoret cedros Libani*, &c. Egressus est à rhammo spinoso, id est, à Cæsare, ignis, & deuorauit Iudæos. *Isai. 8.* Isaiæ 8. *Pro eo, quod abiecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cũ silentio*, id est, Christũ humilẽ, & quietum, minimè bellatorẽ; *& assumsit Rasin*, id est, Cæsarem typicè. *Ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas*, &c. id est, exercitũ Cæsaris, à quo velut à diluuio obruentur. Negauerunt Iudæi Christum esse suum regẽ; negauit quoque Christus Iudæos esse suum populum. Dan. 9. *Nõ erit eius populus, qui eũ negaturus est*, &c. Non tamen pro sua summa misericordia ita negauit, vt illos, si velint, in populum Christianum non recipiat.

CA-

CAPVT IX.

Pilatus tradit Christum Iudæis crucifigendum.

MATTHÆVS CAPITE XXVII.

VIdens Pilatus quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret; accepta aqua, lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius: vos videritis. Et reſpondens vniuerſus populus, dixit: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Ieſum flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur.

MARCVS CAPITE XV.

PIlatus autem volens populo ſatisfacere, tradidit Ieſum flagellis cæſum, vt crucifigeretur.

LVCAS CAPITE XXIII.

ET Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum: Ieſum tradidit voluntati eorum.

IOANNES CAPITE XIX.

Tunc tradidit eis illum, vt crucifigeretur.

Accepta aqua lauit manus.

Innocentiã Christi palã Pilatus profitetur.

TVmultuabantur Iudæi, & A clamabãt. Pilato aduerſabantur, dimitti Chriſtum nullo modo volebant. Cùm ergo Pilatus videret, quia nihil proficeret, voluntati eorum obſequi ſtatuit; Dominumq; crucifigendum tradere. Prius tamen illius innocentiam palàm coram populo notiſſimam fecit; culpã cædis in Iudæos reiiciens. Aqua accepta manus lauit coram populo; quo ſigno, etiam longè aſtantibus teſtatus eſt, ſe mortis Chriſti innocentis non eſſe reum; ſed à Iudæis adactum permittere, vt ſuffigeretur cruci. Manuum enim ablutio,

tio, innocentiam adumbrat, vnde illud Psal. 72. *Iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas*, &c. Hoc est, laui cor, & purum reddidi; neque solùm cor, sed etiam laui manus, & opera cum innocentibus. In lege præcipitur, vt qui factæ cædis insontes sunt, manuum ablutione id significent, dicẽtes: *Manus nostra non effuderunt sanguinem hunc*, &c. lege Deutero. caput 21. Didicerat hoc à Iudæis Pilatus, eorumque morem seruans, vt ab eis intelligeretur, manus lauit innocentiam suam ipsa demonstrans ablutione. Præterea verbis quoque demõstrauit, *Innocens*, inquit, *ego sum à sanguine iusti huius; vos videritis*, &c. id est, manus meæ non sunt inquinatæ sanguine iusti huius; non enim illius cædis autor sum; coactus fieri permitto, quod tot clamoribus exposcitis. Vos videritis, quid agatis; Deus enim exposcet supplicium; vel etiam Cesar. Innocentem se ostendere voluit Pilatus, & verbis & manus abluẽdo. Non tñ satis fuit se ostẽdere innocentẽ; oportuit se innocentẽ facere, soluẽdo Christũ. Pilatus (ait Ambr.) lauit manus; sed facta non diluit. Iudex enim, neque inuidiæ, neque timori cedere debuit, &c. D. Leo serm 8. de passione: Non purgant, inquit, cõtaminatum animum manus lotæ; nec aspersis aqua digitis expiatur, quod famulante impia mente committitur, &c. Ostendit preterea hoc facto Christi innocentiam, iustum appellãs. *Innocẽs*, inquit, *sum à sanguine iusti huius*, &c. Pleno ore coram omnibus iustum vocat.

Psal. 72.

Manuũ ablutio significat innocentiam.

Deut. 21.

Innocentẽ se vult ostẽdere Pilatus.

Sanguis eius super nos.

Dixerat Pilatus: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius*: manusq; lauerat innocentiam suam ostendens; additque: *Vos videritis*, quid agatis, in vos crimen hoc ego reiicio. Reiectum crimen Iudæi suscipiunt, debitumque illi supplicium. *Sanguis*, inquiunt, *eius super nos, & super filios nostros*, &c. hoc est sanguinis & cædis huius supplicium super nos sit, & sup filios nostros. Addunt autẽ: *super filios nostros*: quia Deus parentum peccata in filiis aliquando punit, vt alibi diximus. Nu. 14. *Qui visitas peccata patrum in filios in tertiam, & quartam generationem*, &c. Optimã hæreditatem (ait D. Hieron. ironicè Matth. 27.) Iudæi filiis reliquerunt, dicentes. *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*, &c. Euenit quod petierunt super patres venit sanguinis Christi supplicium; & super filios, vt oculis cernimus. Perseuerat (ait Hieron.) vsque in præsentem diem hæc imprecatio super Iudæos, &c.

Iudæi supplicium cædis Christi in se recipiũt.

D. Hieron.

Olim mare rubrũ super Ægyptios venit, eosque obruit: Israelitis verò transitũ in terram repromissionis aperuit: sic Christi sanguis super Iudæos venit, eorumque rempub. obruit; Christianis verò in cælestẽ patriã viã patefecit. *Sanguis tuus super nos sit, & super filios nostros*. O bone Iesu; is super quẽ venerit, mundabitur; super quem non venerit, immundus in gehenna præcipitabitur. Asperge igitur nos Domine hyssopo sanguinis tui, & mundabimur; laua nos & super niuem dealbabimur. Exod. 12. de sanguine Paschalis agni legimus: *Videbo sanguinem, & trãsibo vos, neque erit in vobis plaga disperdens*, &c. O Domine sit sanguis tuus super nos; vt cùm in die iudicii impios æternis addices suppliciis, super quos sanguis tuus non fuerit; transeas nos, neque sit in nobis plaga illa homines disperdens in æternum. Rahab Iosue 2. *Appendit funiculum coccineum, in fenestra*, vt mortis discrimen euaderet. Nos sanguinis tui regiam purpurã ex animo appendimus nostro: vt à sempiterno mortis periculo eripiamur.

Sanguis Christi sit super nos, vt nos abluat.

Exod. 12.

Iosue. 2.

Tradidit eis, vt crucifigeretur.

Tandem Pilatus Iudæorum furori succubuit. Defuit enim illi maximè necessaria iudicibus constantia, pectorisque inuictum robur, similis fuit Dario regi, qui Dan. 6. *Pro Daniele posuit cor, vt liberaret eum, & vsque ad occasum solis laborabat, vt erueret illum.* Sed coactus ab inuidis, in lacum leonũ misit; sic Pilatus Christum decreuit absolue-

Dan. 6.

Pilatus trãdit Christũ

Iudæis. D.Chryso. soluere;sed ab inuidis Iudæis compulsus in crucem egit. Pilato præsidi Iudææ tribunum Romanorum obiicit. D.Chrysost.homi.87. in Matthæ. Cur (inquit) ò Pilate, non eripuisti Christum,sicut postea militũ tribunus Paulũ?Qui & sciebat gratũ fore Iudæis si Paulus traderetur,&seditio ac tumultus ea de re factus erat.Restitit tamẽ generosè,atque repugnauit. Sed non ita Pilatus. Hæc Chrysost. lege Acto. 24. Matthæus ait Pilatum tradidisse Christum Iudæis, vt crucifigeretur, idem Marcus,& Ioa.Lucas verò,*Pilatus*(inquit)*adiudicauit fieri petitionẽ eorũ*.addit;*Iesum tradidit volũtati eorum*,&c.

An Pilat⁹ tulerit sententiam. Dubium est an sententiam tulerit? Nam Euangelistæ sententiæ non meminerunt.Pilatus verò cùm manus lauerit Christumque iustum coram omnibus proclamauerit; nõ videtur mortis sentẽtiam in eum tulisse, quæ apertè fatebatur innocentem,morteque indignum. Lactantius lib. 4. de Sapiẽtia cap 18.ait,Pilatum sententiam non tulisse.Pilatus (inquit) sententiam non protulit,sed tradidit Christum Iudęis vt ipsi de illo secundũ legem suã iudicarent,&c Iuxta hanc opinionem permisit Pilatus Christũ crucifigi, noluitque ferre sententiam. Verisimilius est sentẽtiam tulisse,more iudicum;Huic opinioni fauent verba illa Lucæ: *Adiudicauit fieri petitionem eorum*,&c. verbum adiudicauit, sententiam significat.Omitto aliquot sententiæ formulas,quæ extant, quia non videntur Romano dignæ præside illius temporis. hoc vnum dicam,sententiam, causam continuisse mortis;ea verò erat,quod se fecisset regem;probat hoc crucis titulus: *Posuerunt* (ait Matthæ.) *super caput eius causam ipsius scriptam;Hic est Iesus Rex Iudæorum*, &c. lege si placet Adrichomium in descript. Ierusalem num.115.quo loco proponit sententiã exscriptam (vt ipse refert) ex antiquis annalibus.

Lactant.

Sententiã tulit ĩ Christum Pilatus.

Cur Pilat⁹ Christũ Iudæis tradiderit. D.Leo. D.Augus. Quæret aliquis, cur Pilatus Christum Iudæis tradiderit innocẽtem?Respondet D. Leo sermo. 8. Iudæi (inquit) Pilatum nomine Cæsaris territum, & vocibus inuidiosis increpatũ, ad effectum sui sceleris impulerunt, &c. Augustin.in Ioann. tradidit Pilatus Christum Iudęis.Apertissimè quippe contra Cæsarem venire videretur, si alium regem vellet ingerere, profitentibus se regem non habere nisi Cæsarem,&c.Theophylactus: timebat calumniam,ne accusaretur, quòd rebellem absoluisset, &c. Lactantius aliam causam addit libr. 4. de Sapientia capit.18.Iudæorũ (inquit) clamoribus & Herodis tetrarchæ instigatione,metuentis ne regno pelleretur,victus est Pilatus,&c. Opinatur Lactantius Herodem timuisse,ne regno, siue tetrarchia priuaretur à Cæsare, quòd passus esset in Galilæa versari hominem Galilæum,qui se regem diceret;ideoque Pilatum incitasse ad tradendum Christum Iudæis.Parum habet opinio probabilitatis.

Theophyl.

Lactant.

Victus est Pilatus,manus dedit mollis iudex,ac timidus;& , vt ait D. Leo sermon.3.de passione; lotis manibus, & ore polluto,iisdem labiis Iesum misit ad crucem, quibus eum pronuntiauerat innocentem,&c.Arundinea fuit Pilati virga,clamoribus Iudæorum,& calumniæ timore percussa ad iniquitatem inflexa est.

Iudex sit constans & rectus. Constantis, ac fortis iudicis virga ad iniustitiam nulla flectitur tempestate;est enim ferrea;iuxta illud Psalm. 2. *Reges eos in virga ferrea*,&c. & illud Ps. 44.*Virga directionis, virga regni tui*,&c. Hoc est,virga tua est directa,non obliqua,aut ad iniustitiam incurua,quales sunt virgæ iudicum impiorum, quales etiam sunt virgæ piscatorum, qui munera expiscãtur & opes, pisce vno capto flectuntur.Cum iniustitia graue gerũt bellum iudices; necesse ergo est pectus constantiæ thorace munire, & fortitudinis hasta dexteram armare;vt iniquitatem valeat irrumpere. Qui his armis caret,bellum ne ingrediatur vincetur enim, vt Pilatus. Hinc illud Ecclesiastici 7.*Noli quęrere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrũpere iniquitates, ne fortè extimescas faciẽ potẽtis*,&c.Extimuit Pilatus potẽtẽ Cæsarẽ, formidauit,illud:*si hũc dimittis,nõ es amicus Cęsaris*,&c.Quid mirum?carebat armis.

Eccl. 7.

Inter

Inter signa cælestia, Virgo, quæ iustitiam indicat, inter Leonem & libram sedem habet: hoc enim ordine numerantur, *leo, virgo, libra*; hic locus iustitiæ debetur, hic comitatus; oportet ex altera parte, leonem, id est, summã fortitudinem habere; ex altera, librã iuris, qua ius ipsum ponderet. *Conterebam* (ait Iob. 29) *molas iniqui, & de dẽtibus illius auferebam prædam*, &c. Optimus iudex Iob diuitum potentiumque improbitatem conterebat, & velut ex ore luporum, fractis eorum dẽtibus, prædam iniustam eripiebat. Nõ sic Pilatus prædam ex dentibus Iudæorum eripuit, luporum illorum molas non contriuit, vt mitissimum agnum Christum eriperet; quia Cæsarem timuit.

Iob 29.

Prouerb. 29. *Qui timet hominem, citò corruet: qui sperat in Domino, subleuabitur*, &c. Timuit hominem Cæsarem Pilatus, citò clamoribus Iudæorum corruit, & Christum tradidit. Ne homo imprudenter timeatur, animusque cadat, in Deum subleuandus est; *Qui sperat*, inquit, *in Domino subleuabitur*; id fecere in magno illo timore tres iuuenes Dan. 3. quos Nabuchodonosor in fornacem mitti iussit. *Ecce*, inquiunt, *Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ò rex, liberare*, &c. Adfuit Deus & liberauit. Præterea cùm timor hominis animum quassat, timor Dei in auxilium est inuocandus, timorque timore superandus: quod docet Dominus Lucæ 12. *Ne terreamini*, inquit, *ab ijs, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis, timete eum, qui postquam occiderit, potestatem habet mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete*, &c. Spectrum est hominum timor: si audacter improbitati resistatur euanescit. Psalm. 13. *Ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor*, &c. Vt narrat Alanus in Dialogo 3. cap. 13. In Sicilia subierũt forte quidam vastum specũ, & longiùs introgressi, gigantem immensa magnitudine, telumque instar trunci arboris manu tenentem videntes, consternati, & præ metu fere exanimati, in villam proximam aufugerunt. Quo rumore passim dissipato, tota vicinia armata ad specum concurrit; ad gigantem accedunt, eumque attingunt, tactus verò gigas in puluerẽ dissoluitur. Ita timor incissum abiit. Similes sunt huic giganti imprudentis timoris causæ, si bene tangantur, hoc est, consideratione expendantur, euanescunt. Gigas videbatur Pilato Cæsar, sed si bene Cæsarem tetigisset, in puluerem & risum abiisset. 1. Mach. 2. ait Matathias. *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus, & vermis est. Hodie extollitur, & cras non inuenietur; quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius perijt*, &c.

Prouer. 29.

Timor imprudens repellendus est.

Luc. 12.

Psal. 13.

Timor inanis.

1. Machab.

CA-

CAPVT X.

Ducitur Dominus in montem Caluariæ.

MATTHÆVS CAPITE XXVII.

EXuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum vt crucifigerent. Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus.

MARCVS CAPITE XV.

EXuerunt illum purpura, & induerunt eum vestimentis suis, & educunt illum, vt crucifigerent eum. Et angariauerunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum, venientem de villa, Patrem Alexandri & Rufi, vt tolleret crucem eius. Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est interpretatum Caluariæ locus.

LVCAS CAPITE XXIII.

ET cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem, venientem de villa: & imposuerunt illi crucẽ portare post Iesum. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Cõuersus autẽ ad illas Iesus dixit: Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vosipsas flere, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui nõ genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere mõtibus: Cadite super nos: & collibus, operite nos: Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur.

IOANNES CAPITE XIX.

SVsceperunt autem Iesum, & eduxerunt. Et baiulans sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum; Hebraicè autem Golgotha.

Exiuit baiulans sibi crucem.

TRaditus Dominus Iudęis in montem Caluariæ ductus est, vt crucifigeretur. Exuerunt eum chlamyde purpurea, vt Matthæus ait, indueruntque propriis vestibus; deinde, vt Ioannes testatur, crucem humeris imposuerunt. *Exiuit*, inquit; *baiulans sibi crucem*, Grę̨cè βαστάζων τὸν σαυρὸν αὐτοῦ, id est, *portans crucem suam.* D. Chrysost hom. 84. in Ioa. Quemadmodū victores, ita Christus victoriæ signum humeris tulit, &c. Euthymius: ferebat crucem in humeris tanquam strenuus miles lanceam, quá deiecturus erat aduersarium, &c. ferebat quoque Principatum suum, iuxta illud Isaiæ 9 *factus est principatus super humerum eius*, &c. Theophylact. Luc. 23. Principatus, inquit, Domini, & regnum eius est crux. Tertull. contra Iudæos. Christus, inquit, potestatem & sublimitatem suam in humeros extulit, crucem scilicet, &c. Dicitur autem crux Principatus Christi; quia per crucem Principatum cōsequutus est. Existimabant Pontifices per crucem omnino disperdendam Christi gloriam, cui inuidebant; at contra euenit; per crucem imperium gloriosum comparauit. Glossa Ord. Mat. 27. Rex, inquit, per crucem, non perdidit, sed confirmauit imperiū, &c. Huc spectat illud hymni Ecclesiæ: *Dominus regnauit à ligno*, &c. à cruce enim, & per crucem regnauit. Principatum quoque portabat Christus, quia humeris subditorū peccata expianda ferebat; iuxta illud Isaiæ 53. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*, &c.

D. Chryso. *Baiulat Christus crucem hastam, signū victoriæ, &c.* *Euthym.* *Theophy.* *Tertull.* *Ord. gl.* *Isa. 53.*

A Egredimini quoque filiæ Siō ex carcere peccatorum; & regem vestrum, quem iam vidistis in diademate, quo coronauit eum mater sua synagoga, videte in sceptro & Principatu, quem illius humeris imposuit. Oculos aperite fidei ac pietatis. Nam oculis infidelitatis & impietatis, vir esse pro suis criminibus ad crucem damnatus apparet: oculis fidei, rex potētissimus Principatum suum humeris gestans videtur. B Audiamus August. tract. 117. in Io. de admirabili hoc spectaculo verba facientem: Grande, inquit, spectaculum; sed si spectet impietas grāde ludibriū; si spectet pietas, grande mysterium; si spectet impietas, ridet regē pro virga regni, lignum sui portare supplicii: Si pietas spectet, videt regem baiulantē lignum ad semetipsum figēdum, quod fixurus fuerat, etiam in frontibus regum, C in eo spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda sāctorum. Dicturo enim Paulo: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*, ipsam crucem suam suo gestans humero commendabat, & lucernæ arsuræ, quæ sub modio ponēda nō erat, candelabrum ferebat. Hactenus August. D Leo serm. 8. de passione. Cū (inquit) lignum crucis portaret Dominus, quod in sceptrum sibi conuerteret potestatis; D erat quidē hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, sed manifestabatur fidelibus grande mysterium; quia gloriosissimus diaboli victor, pulchra specie triumphi sui portabat trophæum, & inuictæ patientiæ humeris, signum salutis adorandū, regnis omnibus inferebat, &c.

Inuitamur ad vidēdū Christū portantem crucem. *D. August.* *Galat. 6.* *D. Leo.*

Ite-

Iterum egredimini filiæ Sion, videte innocentissimum Abelem, ab inuido Caino, Gen. 4. foras eductũ, vt neci detur. Videte verum Isaac, Gen. 22. lignis onustum holocausti, in montem iter faciẽtem. Ligna tantum portauit Isaac typicus, sed non est immolatus; at Isaac verus & lignum portat & immolabitur. Vnde D. Chrysost. hom 84. in Ioan. Isaac, inquit, ligna portauit, sed tunc in Patris voluntate tantum constitit: figura enim erat. Nunc res secuta est, quia veritas, &cæt. Videte Noe arcam portantem admirabilem, in qua ab æterno diluuio genus seruet humanum. Videte Iacob portantem scalam suam, per quam ascensum in cœlum hominibus referet. Videte Eliacim (de quo Isaiæ 22. scriptum extat: *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius*, &cæt.) Clauem super humerum ferentem, nempe crucem, vt clausum aperiat Paradisum. Videte Mosem virgam gestantem suam, vt Aegyptios, id est, tartareos hostes, disperdat, homines verò seruet. Videte Abimelec humeris impositum arboris ramum portantem, sociisque dicentẽ, Iud. 9. *Quod me videtis facere, citò facite*, &c. Grauissimam arborem humeris fert Christus, adhortatur verò socios suos, quod facio, facite, Matthæi 16. *Si quis*, inquit, *vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, &c. Tollite cruces, tollite hastas vestras milites, ducẽ sequimini. Audite illius vocem, Matt. 10. *qui*, inquit, *non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*, &c. Non est dignus tãto duce miles, qui hastam non fert crucis.

Gen. 4. Gen. 22. Typi. D. Chrys. Gen. 7. Gen. 28. Isai. 22. Exod. 7. Iud. 9. Matt. 16.

Gestauit Dominus crucem pondere grauem, itinere longo. dicitur enim crux quindecim pedes habuisse altitudinis; lignum verò transuersum octo longitudinis, crassitudine tanta, quanta magno viro sustinẽdo satis esse potuit. Graue quidem pondus corpori, sed leue charitati Christi. Tribuũt hoc nonnulli crudelitati satellitum, vel Iudæorum. Sciendum tamen morem fuisse, Plutarcho teste, in lib. de Sera numinis vindicta, vt ii, qui in crucem agendi essent, crucem humeris portarent, quemadmodum nunc fures, circa collum funem portant, quo suspẽdun tur. Facinorosus quisque (ait Plutarchus) vltimo affligendus supplicio, corpore suo propriam fert crucem, &c. De longitudine itineris agit Adrichomius in theatro terræ Sanctæ, in descript. Ierusalem nu. 118. A palatio, inquit, Pilati, vsq; ad locum, vbi crux rupi infixa fuit, sunt gressus mille trecenti viginti & vnus: siue alia supputatione, pẽdes ter mille trecenti & tres, &c.

Plutarch.

Nolo prætermittere ea, quæ piè & copiosè de tota hac sacra crucis via idem autor scripsit. Incipiens, inquit, Dominus à palatio Pilati per viginti sex gressus, qui faciunt sexaginta quinque pedes, ad locũ processit, vbi crux ei imposita est. Vnde baiulans crucem per 80. gressus, hoc est, ducẽtos pedes, ad locum progressus est, vbi primum cum cruce cecidisse traditur. Inde statim per sexaginta gressus & tres pedes, siue centum quinquaginta tres pedes, ad locum uenit vbi beata Maria, cum Ioanne, filio suo occurrit. Hinc autem per 71. gressus & sesquipedem, siue 179. pedes, ad quoddam triuium, vbi Simon Cyrenæus crucem post Iesum portare coactus est. Isthinc porro per gressus 191. & semipedem, vel 478. pedes, ad locum accessit, vbi ipsi Veronica occurrit. Atque illinc per 336. gressus & duos pedes, alias 842. pedes, ad portam iudiciariam, vbi rursus cum cruce lapsus est. Deinde verò ardua, saxosa, atque paulatim ascendente via versus Septentrionem processit per 348. gressus, & duos pedes, seu 872. pedes, ad biuium quoddã, vbi mulieres plorantes allocutus est. Ac illhinc continuò per 161. gressus, & sesquipedem, siue 404. pedes, ad radicem montis Caluariæ, vbi vltimò cecidit. Deinde vlterius per 18. gressus, aut 45. pedes, ad locum vbi carnifices ipsi vestes extraxerunt; vbi & vino myrrhato felle mixto potatus est. Dehinc per 12. gressus, siue 30. pedes ad locum, vbi clauis cruci affixus est. Inde postremò per 14. gressus, siue 35. pedes.

Adrich. De spatio itineris Christi usque ad montem Caluariæ.

pedes, ad locum, vbi de cruce pendens in foramine rupis Caluariæ fixus est. Hactenus ex Adrichomio, à quo alii autores citantur.

Exeuntes autem, inuenerunt hominem Cyrenæum.

PRima horum verborum interpretatio, huiusmodi est: Exeuntes, Græcè ἐξερχόμενοι, in præsenti, exeuntes, inquam, ciuitatem, inuenerunt Simonem: ex qua interpretatione colligitur Christum à domo Pilati per ciuitatem crucem portasse; cum verò exiret ciuitatis portam, Simonem occurrisse. Verisimilius est de exitu ex domo Pilati loqui Euangelistam Matthæum, quemadmodum loquitur Ioannes, cùm ait: *Exiuit baiulans sibi crucē;* &c. Exiuit, inquit, ex domo Pilati. Secunda interpretatio est: Exeuntes domum Pilati, statim inuenerunt Simonem, & crucem illi imposuerunt. Sed cum Ioannes dicat; Exiuisse Christum baiulantem sibi crucem: per aliquod itineris spatium crucē tulit, antequā Simon inueniretur. Sic ergo tertia interpretatio; Exeuntes domum Pilati *inuenerunt Simonem;* non statim inuenerunt, sed postquàm Christus portauerat crucem vsque ad triuium, quod in via crucis supra descripta indicatur: eo in loco Simoni est imposita. Dicitur autem Simon hic Cyrenæus, quòd in ciuitate, vel in prouincia Cyrene esset ortus est enim in Libya prouincia huius nominis Cyrenaica, est & ciuitas Cyrene; est etiam alia in Cypro. Quæritur an fuerit Simō hic Iudæus? D. Hilarius in Matthæ. gentilem fuisse putat, Ambrosius quoque in Lucam, & D. Leo ser. 8. de passione; non tamen satis constat. Marcus enim 15. cap. Patrem eum appellat Alexādri & Ruffi; filios nominans, quasi Christianis notos, & fortè Christi discipulos. Hoc tamen nō probat, quia tam pater, quam filii, potuerūt esse proselyti, & postea ad Christum conuersi.

Vbi nam sit crux imposita Simoni?

Cyrenæus à Cyrene, vel Cyrenaica prouincia.

Hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius.

SImonem obuiam venientem ex villa angariauerunt, id est, compulerunt, vt crucem Christi ferret. Verbū angariare ex Græco emanauit, ἀγγαρεύειν, quo vtitur Matthæ. τοῦτον, inquit, ἠγγάρευσαν, vel ex Persico, vt nonnulli volunt: significat autem *compellere,* & *cogere*. Lucas ait; *apprehenderunt Simonem;* apprehensum enim coegerūt. Dubium est, an Simon solus crucem Christi portarit, an Christum portare iuuerit; ita vt simul illā tulerint Christus & Simon? Caiet. arbitratur, Simonem simul & Christum portasse crucem. Nam si solus portaret Simon, videretur ipse crucifigendus, non Christus. Fauere videtur Lucas huic sententiæ, cum ait: *Imposuerunt illi crucem portare post Iesum,* &c. Respōdemus probabilem esse; eam confirmant illa quæ paulò ante de via crucis scripta sunt: nimirum cecidisse Dominum bis sub cruce, postquam Simō est angariatus. Probabilius tamen videtur ex humeris Christi translatam in humeros Simonis, vt ait D. Leo ser. 8 de passione, Simon verò, inquit, quidam Cyrenæus inuentus est, in quem lignum crucis trāsferretur à Domino, &c. Hoc significant Matthæus & Marcus, cum simpliciter dicunt, *Hunc angariauerūt, vt tolleret crucem eius,* &cæ. Lucas verò non dissentit, significat enim Simonem portasse crucem, non ante Christum, sed post Christū, ita vt Christus præiret, ille sequeretur. Ratio Caietani soluitur quia satis patebat cunctis, non Simonem, sed Christum esse crucifigēdum.

Petes cur Iudæi in Simonem crucē transtulerint? Respōdetur, vt celeriùs ad Caluariæ montem peruenirent. Moralis verò ratio est, vt intelligamus nō esse satis ad salutem consequendam Christū portasse crucē, oportere nos quoque post illum eam ferre. fert autē crucem Simon angariatus, ac coactus; quia corpus nostrum, crucem refugit, nisi vi spiritus angarietur, & compellatur, numquam eam tollet.

Angariare quid sit.

An solus Simon portarit crucē sibi impositam?

D. Leo.

Cur Iudæi crucem in Simonem transtulerint.

Moralis.

Digitized by Google

Filiæ Ierusalem nolite flere super me.

SEquebatur Christum magna populi multitudo, vt ait Lucas, & feminarum, quæ tam lugubre spectaculum multis lacrymis prosequebantur. Ad eas conuersus est Dominus in ipso itinere, prædixitque vrbem Ierusalem incendendam, ac solo æquandã, propter ingens Iudæorum scelus. *Filiæ*, inquit, *Ierusalem*, hoc est, feminæ, quæ Ierusalem incolitis; lacrymas vestras in vos conuertite, ne lamentemini me, quasi hominem vulgarem, non sponte morientem, mortemque effugere minimè valentem. In morte mea, quid lateat vos nescitis. Vobis ipsis huiusmodi lacrymas impẽdite, & filiis vestris, quia propter hanc cædem à Iudæis patratam horribile supplicium luet populus vester. Etenim post aliquot annos tam grauiter populum hunc puniet Dominus, vt feminæ quæ tunc superstites fuerint lacrymis profusæ, sterilitatem, quam modò execrantur, sint desideraturæ, ac laudaturæ; dicentes: O beatas feminas steriles, ò beatos vẽtres qui non genuerunt, ò beata vbera, quæ non lactauerunt filios, tam graui opprimendos calamitate. Viri autẽ præ metu in intimos montium, colliũ, & rupium recessus se cupient addere, tantumque effugere excidium, & dicent: O mõtes cadite super nos, ò colles operite nos. sic Apoc. 6. *Omnis*, inquit, *seruus & liber, absconderunt se in speluncis, & in petris montium, & dicũt montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni, &c.* Aliter explicãtur hæc verba, hoc pacto: O montes, ò colles cadite super nos, obruite nos, & vita hac miserabili priuate, vt tot mala moriendo effugiamus. Prior sensus probabilior est.

Feminas Dominus alloquitur flentes.

Apoc. 6.

In hoc itinere linteum Christo dedit femina pia Veronica, vt faciem tergeret. Edidit ille magnum miraculũ; albo namque linteo faciei suæ imaginem perfectè impressit, quæ Romæ asseruatur & populo ostenditur. Veronica autem nomen est antiquum, Beronice, conuersum in Veronicam. Non gloriosæ, sed cruciatib. affectæ faciei nobis imaginem reliquit Dominus linteo impressam; quia in terra imitandi sunt illius cruciatus ac labores, in cælum gloria, honoresque differendi.

Veronica. Morale.

Quia si in ligno viridi.

SVpplicii, quod prædixit, adiicit causam: ea vero est Messiæ cædes. *Si in ligno*, inquit, *viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?* Lignum viride se ipsum appellat; lignum aridum Iudæos supplicio afficiendos. Lignum viride Græcè, ὑγρὸν, id est, humidum & viride, aptum non est igni, lignum aridum aptissimũ. Quemadmodum arbor viridis humore plena, igni non est apta; sic Christus viridis arbor, totiusque innocẽtiæ, & sanctitatis humore plena, non erat aptus crucis tormento. At vero quemadmodum arbor arida igni est aptissima. sic Iudæi aridi, gratiæque humore vacui, aptissimi fuere excidio, & incẽdio. Si in arbore viridi hæc faciunt; si arbor viridis in ignem mittitur, pro peccatis alienis; arbor arida, hoc est, Iudæi, ignem, id est, supplicium effugient? pœnas sanè soluent tanto flagitio debitas. Quia lignum viride Christum ignem miserunt Iudæi; ideo ipsi ligno similes arido, in ignem missi sunt, hoc est, incensi, ac vastati.

Christus arbor viridis Iudæi arbores aridæ.

Expendamus sæpe consideratione verba hæc: Si in ligno viridi Christo hæc faciunt; in Christiano arido, id est, peccatis mortiferis contaminato, quid fiet? Si iustitia Dei infinita pro peccatis hominum hæc fecit in filio charissimo; in seruo nequam, pro peccatis propriis, ab ipsomet seruo commissis, quid faciet? Horreamus diuinã iustitiam, quæ filio Dei non pepercit; Horreamus ignem illum tartareum, in quem omnes arbores aridæ mittendæ sunt.

Morale.

CAPVT XI.

Peruenit Dominus in montem Caluar.

MATTHÆVS CAPITE XXVII.

ET venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et cum gustasset, noluit bibere.

MARCVS CAPITE XV.

ET perducunt illum in Golgotha locum: quod est interpretatum Caluariæ locus. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: & non accepit.

LVCAS CAPITE XXIII.

ET postquam venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum.

IOANNES CAPITE XIX.

EXiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum, Hebraicè autem Golgotha, vbi crucifixerunt eum.

PEruenit Dominus ad Caluariæ montem, montem coagulatum, montē pinguem, montem, in quo beneplacitum est Deo mori in eo, vt tartarea deprædaretur regna; quamobrem mons quoque prædæ appellari potest; iuxta illud Psal. 75. *Illuminās tu mirabiliter à montibus æternis*, &c. Hebraicè; à montibus, *tareph*, id est, *prædæ*. Mōs equidem prædæ fuit Caluariæ mōs; quoniam in eo opimam prædam sibi comparauit Dominus. Vnde illud Gen. 49. *Ad prædā fili mi ascendisti*, &c. hoc est, Ascendisti in crucem ad prædam. D. Hieronym. sic vertit locum Psal. 75. *Lumen tu es magnificè à montibus captiuitatis; spoliati sunt superbi corde*, &c. Mons captiuitatis fuit Caluariæ mōs; in quo Christus in captiuitatem hostes nostros redegit; spoliauitque superbos corde. Fuit etiam mons luminis, in illo enim sol, etsi eclipsim passus est, mirabiliter orbem illuminauit: eodem Psal. 75. *habitatio eius in Sion*, &c. Hebraicè, *megonatho*.

Psalm. 75.

Caluaria mōs & prædæ diuina.

Gen. 49.

Psalm. 75.

monte Caluariæ, lustrum siue cubile Dei fuit, vnde in hostes victor, sicut leo, admirando impetu irruit. *Non accessistis* (ait Paulus ad Hebr. 12.) *ad tractabilem montem, & accessibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum, & vocem verborum, quā qui audierunt, excusauerunt se, ne eis fieret verbum,* &c. De mōte Sinai loquitur; valde dissimili monti Caluariæ. mons Sinai, quia in illum Deus descenderat, igne ardebat atque fumabat totus, vt dicitur Exo. 19. at mons Caluariæ nullum emittebat fumum, nullum corporeum ignem; sed tamen spiritali amoris diuini igne inflammatus erat: descenderat enim Deus super eum in igne infinitæ Charitatis: turbines & procellæ, & voces verborum audiuntur in monte Caluariæ; sed homines non terrent, quin potiùs alliciunt. turbines enim & procellæ Deū ipsum impetunt, vocesque verborum, id est, iniuriæ Iudæorum hominibus verò Dei amorem indicant. *Erat mons Sinai terribilis,* Exod 19. at mons Caluariæ, erat mons amabilis. Excusauerunt se Hebræi ne Deum audirent in monte terribili loquentem: non se excusent Christiani; Deum audiant in monte amabili; ex cathedra crucis docentem aiebant illi, *ne loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur;* Christianus dicat; loquatur mihi Dominus vt moriar mundo, viuam Deo.

Locum Caluariæ aiunt Euangelistæ Hebraicè appellari Golgotha. Hebraicè (inquit Ioan.) *Golgotha,* &cæt. Obserua non dixisse Ioannem, Syriacè, vel Chaldaicè, sed Hebraicè. Hebræum ergo nomen est, *Golgotha,* & alia similia, quæ in Scriptura reperiūtur, Hebræa sunt corrupta, licèt & immutata, quod linguis solet contingere. puro Hebræo Caluaria dicitur, *Gulgoleth;* corrupto, *Golgotha.* Alii volunt nomina esse Syriaca, & Iudæos tunc temporis pro Hebræa, lingua Syriaca fuisse vsos. At Ioannes Hebraicam vocat.

Vnde dicatur mons Caluaria. Vnde loco huic Caluariæ nomen obtigerit, dubium est. Nonnulli Caluariæ appellatum voluere, quòd in eo fuerit Adami Caluaria, corpusque sepultum, vt D. August. refert sermo. 71. de temp. Antiquorum, inquit, relatione refertur, quòd Adam in ipso loco, vbi crucifixus est Dominus, fuerit aliquando sepultus; & ideo Caluariæ locum dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et verè non incongruè creditur, quia ibi erectus sit medicus (scilicet Christus) vbi iacebat ægrotus, scilicet Adamus; &cæ. D. Epiphanius in fine libro 1. hæresi 46. Adam, inquit, sepultus est in Golgotha. Vnde meritò cognomen habuit locus quem Caluariæ locum interpretantur, &c. Orig. tract. 35. in Matth. Venit, inquit, ad me traditio quędam talis, quòd corpus Adæ ibi sepultum est, vbi crucifixus est Dominus, &c. D. Ambrosius in Lucam: Ipse crucis locus vel in medio terræ, vt omnibus conspicuus; uel supra Adæ, ut Hebræi disputant, sepulturam. Congruebat quippe vt ibi vitæ nostræ primitiæ locarentur, vbi fuerunt mortis exordia, &c. Præterea sepultum Adamum in monte Caluariæ sentit idem Ambros. Epist. 19. lib. 5. epistol. Athanasius de Passione, Cyprianus in serm. de resurrectione, Tertull. in carmine, & alii. Meminit eiusdem opinionis Theophylactus Matthæ. 27. & Marci 15. Traditio, ait, est, quæ à priscis patribus vsque ad nos peruenit, quòd Adam in monte Caluariæ sepultus est, &c. D. Hieronymus in epistola ad Marcellam sic scribit: Locus in quo crucifixus est Dominus, Caluaria appellatur; scilicet quòd ibi sit antiqui hominis, id est, Adami, caluaria condita, &c.

Adamus dicitur sepultus in monte Caluaria. D. August. D. Epiph. Origen. D. Ambr. D. Athan. D. Cypr. Tertull. Theoph. D. Hieron.

Hanc tamen opinionem veram non esse arbitratur Matthæi 27. Fauorabilis, inquit, est interpretatio, & mulcens aurem populi, nec tamen vera, &cæt. & Glossa ordin. Golgotha, inquit, interpretatur Caluariæ, non ob caluitium Adæ, quem mentiuntur ibi sepultum, &cæ. Adamum enim, in traditionibus Hebraicis, existimat Hieronym. sepultum in spelunca duplici, iuxta illud Iosue. *Adam maximus ibi inter Enacim situs est,* &cæt. Alii tamen no-

Opinio D. Hier. contraria.

Noe, ossa Adam in arcam intulit, & filiis reliquit.
Basilius.

nomen, *Adam*, eo loco non proprium, sed appellatiuum esse volunt. Nonnullis placet, Noë, ossa Adami in arcam intulisse, eaque filiis diuisisse; Sem dedisse caluariam, quæ in monte Caluariæ sit sepulta. D. Basilius Isaiæ c. 5. ait: Adamū in Iudæa habitasse: Obtinuit, (inquit) fama quædam in Ecclesia, memoriam conseruans, quòd Iudæa primum hominem habebat incolam, &c. D. Epiphan hæresi 47. scribit, Ierosolymis obiisse, & esse sepultū in Golgotha Refutatur hæc opinio, non leui argumento, quo confirmatur opinio D. Hieronym. Si Iudæi scirent in monte Caluariæ sepultam esse Adami caluariam, sanè magnificarent illum locum: at illi pro nihilo duxerunt, quia in illo sceleratos vita priuabant; Ergo non erat caluaria Adami in mōte Caluariæ sepulta. Responderi posset, ignorasse Iudęos caluariam primi parentis humatam in monte Caluariæ, locumque sceleratorum supplicio destinasse, non sine Dei prouidentia; vt in eo Christum in crucem agerent. Postea tamen Christianis reuelatum, quod illis fuit ignotum.

Authoris responsio.
D. Hieron.

Si petamus ab Hieron. vnde dictus sit locus Caluariæ? Respondet Matthæi 27: Extra vrbem loci sunt, in quibus truncantur capita damnatorum; & Caluariç, id est, decollatorum; sumpsere nomen &c. sed non caret difficultate hæc sententia: si enim ille locus erat, in quo damnati supplicio afficiebantur, cur à decollatis solùm sumpsit nomen? Responderi potest ab omnibus sumpsisse nomen, quorum ibi caluariæ manebant. Sed cur à caluaria solum non à toto corpore nomen ductum est? Respondetur, quia caluariæ extra sepulchrum erant. At verò non videtur verisimile, Iudæos permisisse, caluarias & ossa hominum, extra sepulchra esse. Verisimilius est dictum montem Caluariæ à caluariis, siue craniis quæ in sepulchris erant. Dici etiam potuit Caluariæ mons, id est, mortis, quia ibi damnati occidebantur. Forsitan dictus locus est Caluariæ, quod Caluariæ esset similis scilicet caluus arboribus, herbisque carens, totus saxosus, & sterilis; quamobrem damnatorum supplicio est destinatus. lege D. Cyrillum catech. 13: In hunc Caluariæ montem ductum esse Isaac vt immolaretur, scribit Augustin. sermo. 71. his verbis: Hieronymus scripsit, ab antiquis, & senioribus Iudęis se certissimè cognouisse, quòd ibi immolatus sit Isaac, vbi postea Christus crucifixus est. Sic ille.

D. August. Isaac i mōtem Caluariæ ductus est à patre.

Erat præterea mons Caluariæ in parte Ierusalem Occidentali, & in medio terræ situs, vt indicāt carmina illa Victorini Pictauiensis antistitis à Beda scripta in lib. de locis sanctis capit. 3:

Victorinus.
Mons Caluar. in medio terræ.

> *Est locus ex omni medium quem credidimus orbe,*
> *Golgotha Iudæi patrio cognomine dicunt.*

D. Hieron.

Idèm ostēdit D. Hieronym. vt alios omittam, Ezech. 5. in illa verba: *Ista est Ierusalem, in medio gentium posui eam.* Ierusalem (ait Hieronymus) in medio mundi sitam hic idem Propheta cap. 38. testatur, *vmbilicum terræ eam* esse demonstrans, &c. Eodem loco verba illa Psalm. 73. de passione interpretatur *Operatus est salutem in medio terræ.* D. Cyrillus Ierosol. Catech 13. Medium, inquit, terræ est Golgotha Non meus hic sermo est, Propheta dicit: *Operatus est salutem in medio terræ*, &cæt. Medium autem hoc, non mathematico rigore intelligendum est. Genes 2. *Produxit Dominus lignum vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni & mali*, &cæt. sic in medio orbis crucem plantauit arborem æternæ vitæ; arborem item, quæ scientiam docet cœlestem, boni & mali. Docet enim quantum malum sit peccatū, pro quo Deus voluit crucifigi, quantum bonum sit charitas, patientia, humilitas, cæteræque virtutes, quas in cruce, exemplo nobis commendauit singulari.

Ierusalem sita est in medio terræ.
Psalm 73.
D. Cyrill.
Gen. 2.

Illud etiam non est prætermittendum, Caluariæ montem extra portam Ierusalem tunc fuisse situm, cum Dominus crucifixus est. Ideoque Paul. ad Hebræ. 13 *Iesus*, inquit, *vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*, &cæt. Et D. Ioan. cap. 19.

Heb. 13. Mōs Caluariæ extra portā Ierusalem erat.

Prope

Morale.

Propa ciuitatem, inquit, *erat locus vbi crucifixus est Iesus*, &c. moraliter verò addit Paulus: *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus*, &c. Hoc est; exeamus ad Christum extra populum, extra mundum, eiusque cupiditates: velut peregrini vitam traducamus, crucem Domini portantes. Non enim in hoc mundo ciuitatem habemus, quam possimus diu incolere; in futuram cælestemque peregrinorum instar tendimus. Cur extra portam, & extra castra Christus sit passus, docet D. Chrysosto. in homil. de cruce & latrone. Ne putares, inquit, pro illa tantum plebe, id est, Iudaica, oblatũ Christum: ideo foras ciuitatem, ideo foras muros. Vt scias sacrificium esse commune, &c. & D. August. serm. 130. Propterea, inquit, extra ciuitatem, & extra muros immolatur, vt intelligas quoniam communis est hostia, pro genere humano oblata; & ideo communis est purificatio, non ex aliqua parte, quemadmodum fuerat Iudæis, &c. Zach. 13. *Erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, in ablutionẽ peccatorum*, &c. Non est Christus fons in domo priuata collocatus, sed patẽs toti orbi. Est enim fons admirabilis, nimirum in ablutionem peccatoris. Percurre totius orbis fontes, ac flumina; nullum reperies, qui peccatoris sordes, id est peccata, possit abluere. Solus hic fons patens hanc habet vim potentissimam. Cumque peccatorum sordes totum contaminauerint orbẽ, oportuit fontem toti orbi esse patentem. D. Hilarius in Matthæ. Locus, inquit, crucis, talis est, vt positus in medio terræ, & tamquam in vertice huius vniuersalitatis insistens; ad capessendam Dei cognitionem vniuersis gẽtibus esset æqualis, &c. Præter hæc ait August. sermo. 130. de tempor. Ob hoc vt aeris naturam mundaret, propterea non in altari, nec tecto superposito; sed sub cęlo immolatus est Dominus. Aer enim purgabatur, cum in altitudine immolaretur cuis; terra etiam purgabatur, quia stillabat sanguis Domini super eam, &c. lege libri huius 7. cap. 23.

Cur extra vrbẽ passus sit Christus.

D. Chrys.

D. August.

Zach. 13.

D. Hilar.

D. August.

Cur in aere passus Dominus.

Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.

POstquam in mõtem Caluarię peruenit Dominus, potum defesso præbuerunt, vinum cum felle mixtũ, vt ait Matthæ. Marcus verò datum ait vinum myrrhatum: præbuerũt autem ei huiusmodi vinũ, vt ait Euthymius, ludentes, & tanquam animo deficientem refocillantes. *Et cum gustasset noluit bibere.* Idem est, quod dicit Marcus: *Non accepit*: id est, nõ bibit, quamuis gustauerit. Quod indicat (vt placet Hieronymo) Dominum, mortis quidem gustasse amaritudinem; sed paulò post resurrexisse. & Sedulius,

tetigit labijs & ab ore remouit:
Quippe necem paruo degustaturus amaram
Tempore, quam reduci contemnere carne pararet.

Cur vinũ noluerit Dominus bibere.

D. Hieron.

Et tu verò si sapis vinum, etsi myrrha & aromatibus conditum sit, degusta tantum, hoc est, sobriè & tẽperanter bibe. Nam vt Salomon ait Prouer. 23. *ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet*, &c. literali sensu, noluit vinum bibere ne videretur se voluisse consopire, vt dolorum grauitatẽ non sentiret.

Dubium est, qualenam fuerit hoc vinum myrrhatum; Primò dici potest fuisse vinum odore myrrhæ cõditum. Vt enim ait Plinius libr. 14. c. 13. apud priscos vina myrrhæ odore condita lautissima erãt: dabatur autem vinum suaue damnatis, vt reficerentur, cordeque confirmarẽtur, iuxta illud Prouer. 31. *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo: bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius*, &c. Lege Lyranum, Galatinum, & Baronium tomo. 1. Non caret hæc sententia probabilitate, nihilque est, quod eam refellat. Quemadmodum enim nũc damnatis optimum datur vinum; sic tunc

Quale fuerit vinum myrrhatũ.

Plin.

Prou. 31.

D. August.

dari solitum verisimile est, & Christo oblatum: sed satellites fel admiscuerunt. August. lib. 3. de consens. Euang. cap. 11. ait *myrrhatum vinum* appellari à Marco, id quod à Matthæo dicitur, *cum felle mixtum*; hoc sensu: Dabant ei bibere vinum myrrhatū, hoc est, vinum amarissimum, Myrrhatum enim vinum amarissimum est. August. Dederūt, inquit, ei vinum bibere cum felle mixtum; id est, amarissimum: itē, fel posuit Matthæus, pro amaritudine. Alium adiungit sensum, qui simplicior & probabilior est: Dabant ei bibere *vinum myrrhatum*, id est cum myrrha amara mixtum: & dederunt ei bibere *Vinum cum felle mixtum*; quia vinum illud impii illi homines cum à myrrha & cum felle permiscuerunt. Dicitur ergo Marco vinum myrrhatum, propter mixtam amaram myrrham. dicitur à Matthæo: *Vinum cum felle mixtum* propter fel.

Vinū myrrhatum vinum amarissimū est.

Psal. 68.

Psal. 68. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto, fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*, &c. Proponitur mensa, quam in monte Caluariæ Christo parauerunt satellites: in mensa esca ponitur & potus: pro esca, siue cibo, fel obtulerunt; pro potu, postea obtulerunt acetum. Conuersa enim erat vinea in amaritudinē, iuxta illud Ierem. 2. *Quomodo conuersa es mihi in prauum vinea aliena?* &cæt. Deuter 32. *Vua eorum, vua fellis, & botrus amarissimus*, &cæ. Facta est mensa hæc coram Iudæis in laqueum, &cæt. Quia pœnas grauissimas luūt. Euthy. Matthæ. 27. fel appellari putat escam, quia aridi fellis fragmenta in vinum iniecta sunt, & emollita, vt vinum loco potus esset; fragmenta fellis, pro buccella panis; iis enim, qui animo destituūtur, vinum præbere solemus, iniecto pane. Lyranus: Quia, inquit, fel erat de natura sua magis esibile, quàm potabile; ideo nominat ipsum Psal. escam, &c.

Mensa quā milites Christo proposuerunt.
Ier. 2.
Deut. 32.
Fel cur dicatur esca.

CAPVT XII.

De diuisione vestium, & tituli crucis.

MATTHÆVS CAPITE XXVII.

POstquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius, sortem mittentes: vt impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Et sedentes seruabāt eum. Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Hic est Iesus Rex Iudæorum. Tunc crucifixerunt cum eo duos latrones: vnus à dextris, & vnus à sinistris. Prætereuntes aūt blasphemabāt eum mouentes capita sua, & dicētes: Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: salua temetipsum: si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & Principes sacerdotum illuden-

tes.

Digitized by Google

tes cum scribis, & senioribus, dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere: si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: confidit in Deo: liberet nunc, si vult, eum: dixit enim: Quia filius Dei sum. Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.

MARCVS CAPITE XV.

ET crucifigentes eum diuiserunt vestimenta eius, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret. Erat autem hora tertia; & crucifixerunt eum. Et erat titulus causæ eius inscriptus: Rex Iudæorum. Et cum eo crucifigunt duos latrones, vnum à dextris, & alium à sinistris eius. Et impleta est Scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est. Et prætereuntes blasphemabãt eum, mouentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas: saluum fac temetipsum, descẽdens de cruce. Similiter & summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum scribis dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Christus Rex Israel descendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, conuiciabantur ei.

LVCAS CAPITE XXIII.

CRucifixerunt eum; & latrones, vnum à dextris, & alterum à sinistris. Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Diuidentes verò vestimenta eius, miserunt sortes. Et stabat populus spectans, & deridebant eum principes cum eis, dicentes: Alios saluos fecit, se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus. Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei, & dicentes: Si tu es Rex Iudæorum, saluum te fac. Erat autem & superscriptio scripta super eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic est Rex Iudæorum. Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter, increpabat eum, dicens: neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit.

Digitized by Google

IOANNES CAPITE XIX.

CRucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc, & hinc; medium autem Iesum. Scripsit autem & titulum Pilatus: & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt: quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est Iesus: & erat scriptum, Hebraicè, Græcè & Latinè. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: Noli scribere, Rex Iudæorum; sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes: vnicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. Vt Scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi: & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.

Diuiserunt sibi vestimenta eius.

An Christus omnino nudus sit cruci affixus.

D. Ambr.

Abulens.

POstquam defessum longo itinere Dominum carnifices mensa illa amarissima exceperunt, lectum pararunt crucis, in quo amarissimum mortis somnum caperet; priùs tamen vestibus spoliarût. Quæritur, an nudum omnino crucifixerint? Sic existimat D. Ambros. Lucæ 23. Nudus, inquit, in crucem ascendit, & talis ascêdit, quales autore Deo nos natura formauit, qualis in paradiso homo primus habitauerat, talis ad paradisum homo secundus intrauit, &c. Abulens. parad. 5. c. 34. Respôdet, Christum non fuisse talem toleraturum in suo corpore ignominiam; vultque milites cæteras vestes exuisse; verecûdiæ tamen causa reliquisse femoralia: fortasse etiam præcinctum esse super femoralia linteo aliquo, ab vmbilico vsque ad crura pertingente, ab aliqua fœmina oblato. Nonnulli, Virginem Deiparam capitis velamine texisse natum, putarunt. Apud Dionys. Carthus. leges ad nudum Christum accurrisse quendam, & velamen portasse, quo tegeretur. Hoc ait sumptum ex Reuel. D. Brigittæ. Crediderim, non omnino nudum ex cruce pependisse Dominum coram viris & feminis, nô enim solus ille offenderetur ea nuditate; sed virorum etiam & fœminarû oculi. Dicet aliquis: nonne cùm Dominus flagellis est percussus, nudus omnino fuit? Inficior omnino fuisse nudum; etiam cum flagella perferebat ad columnam ligatus, ipse veste membra quę tegi debent, texit, vt decorum seruaretur. Præterea Christus sic est crucifixus & flagellatus, vt reliqui homines crucifigebantur, & flagellabantur à Romanis. Romani autem neque crucifigebant, neque flagella-

gellabant reos omnino nudos. Quòd si aliqui Patres nudum Christũ in crucem ascendisse, vel flagellatum esse aiunt; explicandi sunt non de omnimoda nuditate. Rectè enim dicitur nudus in cruce fuisse Christus, quamuis paruum aliquod velamentum habuerit. sic Ioan. 21. Petrus nudus dicitur, quamuis non omnino fuerit nudus.

Detractas vestes aiunt Matth. Marcus, & Lucas diuisisse milites, sortesque misisse. Quonammodo hoc sit factum, inuestigandum est. Ioannes distinctius explicauit his verbis: *Milites cum crucifixissent eũ, acceperũt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit*, &c. Imprimis aduerte quatuor fuisse Christi crucifixores, eosq; fuisse milites: ad hos pertinebãt Christi, & latronum vestimenta, de vestimẽtis latronum nihil opus fuit loqui Euangelistas. Ex vestimentis autem omnibus Christi arbitratur Caietanus fecisse milites quatuor partes, sicque Ioannem interpretatur: Milites acceperunt vestimenta, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem; & tunicam, scilicet acceperunt inconsutilem, eamque in vna illarum quatuor partium computarunt. Tunica verò inconsutilis, ratio fuit sortium; missæ enim sortes sunt super omnes vestes Christi, propter tunicam, quæ vna erat quatuor partiũ & scindi non poterat. Verisimilius est à quatuor partibus separatam esse tunicam inconsutilem. D. Cyrillus Io. 19. In quatuor, inquit, partibus cæteris vestibus diuisis, vnam tunicam dilacerare visum non est. Sortis ergo illam faciunt munus, &c. Idem sentit August. & alii. Est autem Ioannes sic explanandus: Milites postquam Dominus est crucifixus, acceperunt vestimenta reliqua præter tunicam, & ex illis fecerunt quatuor partes, iuxta numerum militum. Præterea acceperunt separatim tunicam, quam scindere noluerũt, sed commiserunt sortibus. Dubitatur,

De sortib. missis super Christi vestes.

Caietan.

D. Cyrill.

An de sola tunica milites sorte statuerint, an de reliquis etiam vestibus? Matthæus enim cæteras etiam vestes sorti subiectas fuisse docere videtur, cum ait: *Postquam crucifixerunt eum, diuiserunt sibi vestimenta eius sortem mittentes.* & Marcus, *Diuiserunt*, inquit, *vestimenta eius mittentes sortem super eis, quis quid tolleret*, &c. Responderi potest, milites super alia etiam indumenta misisse sortem; quia non erant æquales quatuor partes: præcipuè tamen super tunicam inconsutilem, quia vtiliter scindi non poterat, & fortè postquam super tunicam sortem miserũt, velut adiectitium quid occasione oblata, super alia indumenta idem facere voluerunt: Ioãnes sortitionis tunicæ, tanquam præcipuæ, fecit mentionem, alii Euangelistæ omnium vestimentorum. Obiicies illud Psal. 21. *Diuiserũt sibi vestimenta mea, & super vestẽ meam miserunt sortem*, &c. super vestem, inquit, id est, tunicam. Respõ. numerum singularem pro plurali accipi, vestem pro vestibus; vel de sola tunica fieri mentionem, quia illa præcipuè sorti commissa est. Possunt etiam verba sic explicari; Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam, id est, tunicam meam, quam diuidere noluerunt, miserunt sortem; vnde non sequitur super alias vestes missam non esse sortem.

An missæ sint sortes super omnia Christi vestimẽta.

Obiectio. Psal. 21.

Responsio.

Verisimile etiam est solam tunicam sorti fuisse commissam, vt indicat D. Ioannes, & Psal. 21. *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*, &cæt. Super vestem, inquit, id est, tunicam, non super alias vestes. Præterea in sola tunica ratio fuit sortitionis, quia carebat suturis, dissuique non poterat, sed scindi ac lacerari: ergo sola tunica in sortem uenit. Solus autem Ioannes tunicæ inconsutilis meminit: reliqui Euangelistæ cum reliquis uestibus illam copularunt; idcircò super uestes sortem missam esse dixerunt. Quod uerissimum est, quia inter uestes tunica erat, super quam sors est missa. *Diuiserunt vestimenta eius, sortem mittentes*, ait Matthæus: hoc est, diuiserunt sibi omnia

Sola tunica Christi fuit cõmissa sorti. Psal. 21.

Tunica erat inconsutilis.

vesti-

vestimenta etiam tunicam, sortem mittentes, non super omnia, sed super tunicam. Eodem sensu ait Lucas: *Diuidentes vestimenta eius, miserunt sortes*, videlicet super tunicam. & Marcus: *Diuiserũt vestimenta eius mittentes sortem super eis, quis quid tolleret*, &cæt. Diuiserunt, inquit, vestimenta inter se, & miserunt sortem super eis, quia super vnum illorum miserunt sortem, nimirum super tunicam; vt viderẽt quis militum quid vestium deberet accipere. legendus August. tract. 118. quo in loco, & verba Euangelistarum exponit, & docet quid mystico sensu hæc vestium diuisio, & tunicæ indiuisio significet.

Lucas.

Marcus.

Vestes in quatuor partes diuisæ, Ecclesiam significãt in quatuor orbis partibus collocatam: tunica verò minimè diuisa Ecclesiæ unitatem indicat, quæ charitatis vinculo continetur. Potest etiam tunica inconsutilis desuper contexta per totum Ecclesiam adumbrare, quæ desuper ex cœlo contexta est per totum, ex cœlo enim vocantur Christiani omnes, ex quibus contexitur, & cœli legibus reguntur. Ipsamet satellitum verba licet hic vsurpare, *Nõ scindamus eam*, μὴ σχίσωμεν αὐτὴν, verbum est *schizo*, quod de schismaticis & hæreticis dicitur, qui Ecclesiam scindunt Christi tunicam, vt docuit Dominus, cum D. Petro Alexandrino apparuit veste discissa, causamque interroganti sic respondit; *Arius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilacerauit*, &c. *Non scindamus eam*; non scindamus Christi tunicam è cœlo contextam; scissam verò ab schismaticis & hereticis toto pectore reparare conemur. Huius, idest, Christi, in exuuiis sors mittitur, vt sacra vestis, intemerata manẽs à Christo schisma vetaret, &c.

Mysticè; Vestis Christi inconsutilis Ecclesiam adumbrat.

Schismata & hæreses scindunt Christi tunicam.

Quæritur præter hæc; cur vestes acceperint, & diuiserint milites? Rupertus Ioan. 19. Idcircò, ait, accepisse milites Christi vestes, quòd lucrum ex illis sperarent. Quia, inquit, lucrosè venundare poterant vestimenta Christi, idcircò ea milites acceperunt. Non enim vilia existimabantur vestimenta, de quorum fimbriis contactis virtus exire consueuerat. Neque vtique tunc

Cur vestes milites diuiserint. Rupertus.

A in illo spectaculo deerant, qui ad comparandum ea certatim se ingererent. Nam, vt taceam de matre & discipulo; *stabant*, ait Lucas, *omnes noti eius à longe*. Sic ille. Euthymius putat diuisisse milites vestimenta, subsannantes quasi regis vestimenta essent: sicque impletam esse prophetiã Psalm. 21. *Diuiserunt sibi vestimenta mea*, &cæt. Idem autor censet viliora B fuisse indumenta Christi, quàm latronum. Montanus Matth. 27. ait munda fuisse & honesta, vel nitidissimo cuique ad vsum idonea. Ego munda fuisse puto & honesta; at idonea nitidissimo cuique inficior; erant enim pretii non magni, vt vult Chrysostom. & alii. Diuisa autem sunt à militibus, quia hic erat mos carnificum, vt vestes damnatorum inter se diuiderent, velut hæreditatem; vnde efficitur vestes etiam C latronum diuisisse. Non tamen miserunt sortes super eas, quia nulla erat inconsutilis.

Euthym.

Mõtanus.

Quot fuerint Christi indumenta locus hic postulat vt dicamus. Id tamen incertum est. Euthym. Matth. 27. coniicit fuisse tria, nimirum tunicam inconsutilem corpori in modum subuculæ applicatam; secundum, quo tunica tegebatur; tertium pallium. His addi D possunt thorax laneus, siue lineus, & fæmoralia cum calceis. Tunicam verò inconsutilem, idem Euthym. ait, ex traditione Patrum opus fuisse virginis Deiparæ.

Quot fuerint vestes Domini. Euthym.

Imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam.

E MAtthæus αἰτίαν, id est, *causam*, siue *accusationem*, aut crimen propter quod cruci suffixus est, Christo super caput impositum ait. Ioannes Græcè τίτλον, titlon dixit, vsurpata voce Latina tituli; *scripsi*, inquit, *titulum Pilatus, & posuit super crucem*. & Marcus: *Erat titulus causæ eius inscriptus*, &c. Græcè apud Marcum non est nomen titlos, sed ἐπιγραφὴ αἰτίας, id est, erat superscriptio causæ: eodem nomine vsus est Lucas: erat autem & super-

De titulo crucis. Titulus.

superscriptio, Græcè, ἐπιγραφὴ. Ex his colligitur in suprema crucis parte tabellam aliquam infixam, in qua huiusmodi titulus, siue causa, siue superscriptio fuerit; quæ toti populo ex more ostenderet, cur Dominus cruci esset suffixus. Quòd si mors hic apud Iudæos erat, crucibus latronum tituli quoque appositi sunt, ex quibus fieret notum eorum crimen. Tituli latronum latrocinandi crimen indicabāt, titulus Christi indicabat regnum affectatum.

Titulus causā mortis continebat.

Non eodem autem modo ab Euangelistis describitur. Matthæus sic habet; *Hic est Iesus Rex Iudæorum*. Marcus ita: *Rex Iudęorum*. Ioannes: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*. Sed idem significatur, siue hoc, siue illo modo dicas. Romæ asseruatus titulus ostendit Ioannis verba in eo fuisse descripta. Non vna tamen lingua satis fuit, tribus linguis, Hebraica, Græca, & Latina descripta sunt. *Et erat scriptum* (inquit Ioannes) *Hebraicè, Græcè, & Latinè*. Lucas; *Erat superscriptio scripta super eum literis Græcis, & Latinis, & Hebraicis*. Non seruarunt Euangelistæ eundem ordinem in numerandis linguis; quocirca ex illis cognosci non potest, quæ lingua fuerit prima in titulo. Cardin. Baron. ait in tituli parte, quæ Romæ extat, Ioannis esse ordinem, Hebraicam linguam primum obtinere locum, secundum Græcam, tertium Latinam. Ille tamen vult locum nobiliorem illum visum Romanis qui Christo erat propinquior in cruce, atq; in eo collocatam Latinā linguā, quæ princeps erat; posteà Græcam, vltimo loco remoto magis à Christo Hebræam. Sed iudicasse Romanos nobiliorem locū illum esse, qui erat Christo propinquior in cruce, non videtur probabile. Crediderim Romanos non curasse linguarum dignitatem, sed Hebraicam primo posuisse loco, quia lingua erat patriæ, qua Iudæi vtebantur omnibus cognita; Græcam collocasse ante Latinam, quia notior Iudęis fuit, quàm Latina. Potuerunt etiam sequi antiquitatis ordinem, quo ordine prima est lingua Hebræa; cæteris antiquior; secunda est Græca, tertia Latina. Sed Romani id non videntur spectasse, quod indicat ipse scribendi modus. Nam reliquæ duæ linguæ Gręca & Latina, à sinistra parte in dexteram scribi solent, Hebræa contra à dextra in sinistram tendit. In titulo autem crucis cæteræ Hebræam sequuntur, omniumque trium linguarum verba à dextra in sinistram perleguntur. Spectasse ergo videntur Romani legendi vsum & facilitatem; & primo loco Hebræam linguam collocarunt, quia vulgaris erat illius regionis; forsitan Iudæus aliquis verba exarauit in tabula more Iudæorū. Romani verò, neque ordinem curarunt, neque scribendi modum à dextera in sinistram. Hic etiam aduerte Ioannem illius temporis linguam non appellare Syriacam, sed Hebraicam. Obserua item titulum crucis Hebraica lingua, non Syriaca aut Chaldaica fuisse conscriptum, quod probat Hebraicè tunc locutos Iudæos. Obserua præterea; tituli charactères non esse descriptos calamo in carta, quod Lyranus existimauit, sed ferreo instrumento exaratos in ipsa tabula.

Tribus linguis scripta tituli verba.

De ordine linguarū.

Hebraicè, Græcè, & Latinè.

Confluebant ad festum Paschatis celebrādum ex toto orbe Iudæi, ideoque Pilatus tribus his linguis pręcipuis, titulum describi iussit; vt omnibus nota fieret causa, cur ex cruce Dominus penderet. Ad omnes homines vniuersi orbis cultores causa pertinebat, ideò meritò omnibus cognoscendā proponitur. *Imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam*; ait Matthæus. Causa autem erat: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*. Crucifixus namque est, quia erat *Iesus*, id est, Saluator omnium hominum, & quia erat Rex & Messias Iudæorum in terras à Deo missus, vt sanguine suo peccata expiaret. Tres autem linguæ præcipuæ omnium linguarum regnū adumbrarunt, vt ait D. Cyrillus: Titulus, inquit,

Tres linguæ Christi regnum indicabāt. D. Cyrill.

D. August.

quit, iste per præcipuas linguas, omnium linguarum Iesum futurum principem prædicabat, &c. D. August. Regem Iudeorum appellari putat, id est, Abrahæ filiorum, Spiritu, etsi non carne. Rex, inquit, est Iudæorum; sed Iudæorum circumcisione cordis, Spiritu, non litera, &c. Literali sensu de Iudæis solis Pilatus intellexit, qui titulum iussit apponi; mystico sensu de Iudæis spiritualibus intelligi potest nomen, *Iudæorum*.

3. Lingua Latina, Græca, & Hebræa discendæ à Theologis.

Consecratas habent Theologi in titulo crucis linguas tres, Hebræã, Græcam, & Latinam; quibus Scripturæ sacræ traditæ sunt. Qui Scripturas Diuinas cupit intelligere, diligenter his tribus linguis nauet operam; fiatque crucis titulo similis. Suprema pars crucis, titulus erat Hebraicè, Græcè & Latinè conscriptus; suprema pars hominis est intellectus; iisdem trib. linguis nobilissimis conscribatur, & illuminetur Hebraica, Græca, atque Latina.

Noli scribere; Rex Iudæorum.

NOn placuit Iudæorum Principibus titulus, eo quòd affirmaret Dominum regem esse Iudæorum; vt mutaretur à Pilato postularunt. *Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum*, ait Ioannes, *noli scribere: Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum*, &c. Numquid domum Pilati reuersi sunt Pontifices vt hoc postularent? fieri id potuit; vel forsitan Pilatus cum Pontificibus in montem Caluariæ venit.

Cur Pilatus noluerit mutare tituli inscriptionẽ. D. August.

Postulationi non annuit, respondit cõstãter: *Quod scripsi, scripsi*, hoc est; Actũ est, non mutabo apicem. Hoc autem egit, vt Aug. ait tract. 117. diuino quodam instinctu. O ineffabilem, inquit, vim diuinæ operationis, etiam in cordibus ignorantium. Nõne occulta vox quædam Pilato intus quodam, si dici potest, clamoso silentio personabat, quod tantò antè in Psalmorum literis prophetatum est: *Ne corrumpes tituli inscriptionem?* Ecce Pilatus tituli inscriptionẽ nõ corrupit, quod scripsit, scripsit. Sic ille. lege titulum Psal. 58. & eũdem August. lib. 1. de consensu Euangelist. cap. 3. D. Chrysost. hom. 84. scribit, Pilatum regis titulo Christum voluisse honorare, & excusare: Scripsit, inquit, titulum Pilatus, tum vt Iudæos vlcisceretur, tum vt Christum excusaret. Nam cum tanquam prauum tradidissent, & sententiam hanc latronum societate confirmare vellent: ne quis tam turpem mortis notam inureret, & tanquam malum & perditum, accusare posset, vt calumniãtium os obstrueret, in regem suum insurrexisse denunciat. & tanquam trophæo cuipiam literas insculpsit, clara voce & victoriã, & regnum profitens, quamuis nõ perfectè. Hæc Chrysostom.

D. Chrys.

Pilatus causam mortis in titulo scripsit, ne Christus vt latrones videretur crucifixus.

Probabilius est, Pilatum titulo causam, cur Christum crucifixerit, demonstrare voluisse; nimirum, quia regem se Iudæorum faciebat, & reus dicebatur à Iudæis læsæ Cæsareæ maiestatis. Sic autem scripsit: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorũ* quasi diceret: Hic est Iesus Nazarenus, qui affectauit regnum Iudæorum; hæc est causa supplicii. Quia tamen inuitus sententiam dixit propter Iudæorum clamores, & in Christũ propensus erat, ideo simpliciter Iudæorum regem scripsit: Adde diuinum instinctum. Voluit enim Deus sic scribi, & Pilato suggessit. Iansenius arbitratur, Pilatum ludibrii causa titulum imposuisse, vt exprobraret regni affectationem; Sensus autem Spiritus sancti erat: *hic est Iesus Messias Iudæis promissus*. Nam Rex Iudæorum, idem significat quod Messias siue Christus, siue vnctus. Itaque summam hanc veritatem, voluit Deus ipsemet crucis titulo esse confirmatam, in quam velut latronum ducem Iudæi egerant suum Messiam.

Est nomen Iesus oleum suauissimũ, iuxta illud Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum*: hoc oleum pretiosissimum effusum est in turbulẽta passionis tempestate super crucis fluctus. Lux est, tenebrosam illam noctem illuminauit. Honor Christi est, inter opprobria, & ignominias super caput eminuit. Causa est passionis, propterea. n.

passus

passus est Christus, quia Iesus, id est, Saluator hominum est: passioni nomē adstitit, vt illius causam redderet honore gloriaque plenissimam. Nempe hominum salutem 2. Cor. 6. *Ecce nunc dies salutis*: ait Paulus. Sol solus diem potest efficere: lucent quidem toto cœlo multa stellarum millia, & luna; diem tamen non efficiunt. Solus diem efficit sol, eūdem in modum solus sol noster Christus diem salutis efficere potuit. Multæ præcesserunt stellæ, Abraham, Isaac, Dauid, Elias, Eliseus, Patriarchæ Prophetæque, qui instar stellarum fuerunt: sed diem efficere non valuerunt. Solus sol iustitiæ Iesus, id est, Saluator, diem salutis valuit illuminare. Malach. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ. Et sanitas in pennis eius*, &c. Sanitatem in alis affert sol hic, affert salutem. Nonne vides solem hunc, in cruce extensas habentem alas? Sanitas in alis eius; sanitas in brachiis eius extensis, sicut extenduntur alæ ab auibus. Sol quem cernimus, diem efficit, in oriente; noster Sol in occidente, id est, in morte. tunc illuminat cum deficit. Additur, *Nazarenus*, quod nomen flores sonat: *lectus Christi floridus est*, Cant. 1. crux rubicundis rosis nitet, id est, sacris vulneribus, purpureo manantibus sanguine. Sequitur regius titulus. *Rex Iudæorum*; tribus præcipuis descriptus linguis. Existimabant Iudæi clamantes, *crucifige, crucifige*, Christi gloriam ac maiestatem crucis opprobrio se oppressuros. sed aliud titulus ostendit, in quo rex prædicatur Iudæorum. Vnde Beda Matthæi 27. Quia, inquit, Rex simul & sacerdos Christus est; cum carnis suæ hostiam in altari crucis Patri offerret, regis quoque dignitatem, qua præditus erat, titulo prætendit. Vt cūctis legere, hoc est audire, & credere volentibus innotescat, quia suum per crucem, non perdiderit, sed confirmauerit regnum, &c.

Dicet aliquis, quid magnum fuit esse regem Iudæorum? Respondetur, nihil magnum tunc fuisse regem temporalem esse Iudæorum, qui Romanis obtemperabant: sed supremæ dignitatis fuisse, regem Iudæorum esse, sicut Christus fuit. Christus enim non erat Rex Iudæorum temporalis. *Regnum*, inquit, *meum non est de hoc mundo*, &c. Sed Messias erat & Rex spiritalis promissus Iudæis. Non ita tamen vt solis Iudæis, sed toti etiam orbi, omnibusque linguis imperaret, Rexque esset regum, & Dominus dominantium, vt ex scriptura satis constat. Verba ergo tituli, si sensum altiorem spectes, hūc sensum cōtinent. *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*: id est, Messias Iudæorum, illis promissus, & ad eos missus, vt non illis solum, sed omnibus gentibus dominetur; non quidem temporali, & mundano regno, sed spiritali, atque æterno. De regno Messiæ diximus tomo 1.

Obserua duos nobilissimos titulos Christi, videlicet, *saluatoris, & Regis, siue Messiæ*, fixos in cruce; cum ille id præstabat, quod tituli flagitabant. ii. n. titulis, quos habent, digni sunt, qui exequuntur, quæ tituli pollicentur.

CAPVT XIII.

Crucifigitur Dominus inter latrones.

Præclarissimum obedientiæ mandatum in monte Caluariæ cōpleuit Christus. Duxit Isaac ligna holocausti, sed sacrificium ad finem in eis non perduxit: duxit Christus crucem, & perfectissimum holocaustum in ea se ipsum obtulit. Erat enim victima, quæ totius mundi peccata poterat expiare. Isaac verò minimè. De hac obedientia Paulus ad Philippens. 2. *Factus*, inquit, *obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*, & ext. Imprimis perfectissimum fuisse Christi sacrificium ostendit, quia vsque ad mortem peruenit. Factus est obediens Isaac vsque ad mortem voluntate, non re ipsa: quia noluit Deus vt vitam amitteret. Dominus autem factus est obe-

Obedientia vsque ad mortem.

Philipp. 2.

obediens vsque ad mortem, non sola volũtate, sed re etiam ipsa, quia illius mors toti orbi redimendo necessaria erat. Mortis præterea qualitatem exaggerat Apostolus: addens: *Mortem autem crucis*; quia mors crucis opprobrio plena erat, iuxta illud Sapien. 2. *Morte turpissima condemnemus eum*, &cæt. August. serm 18 de verbis Domini cap. 9. Nihil, inquit, eo tempore fuit ignominiosius, quam mors crucis. Nõ enim frustra cõmendans eius obedientiam Apostolus addidit, dicens: *Factus est obediẽs vsque ad mortem, mortem autẽ crucis*, &c. & Chrysosto ad Philipp. 2. Papæ, quam magnum & vehementer ineffabile, quòd seruus factus est. Quòd verò mortem sustinuit, multò plus est. Sed est & aliud maius quiddã isto, & admirabilius: quoniam nõ quæuis mors isti similis est, ista namque omnium videbatur probrosissima, ista plena dedecore, ista maledicta: *Maledictus enim*, inquit, *omnis qui pependit in ligno*. sic Chrysost & Paulus ad Galat. 3. *Factus*, inquit, *Christus pro nobis maledictum*, &c. Est autem Christus *factus maledictum* pro nobis, Iudæorum falsa existimatione, quemadmodum factus est peccator, & cum iniquis reputatus.

D. August.

Mors crucis ignominia plena.

D. Chrys.

Galat. 3.

Non solum autem mori pro homine Deus voluit, sed etiam maximè ignominiosam & execrabilem mortem perpeti, vt nullum genus mortis pro Deo homo perpeti recusaret. August. libr. 80. quæst. quæstione 25. Sunt, inquit, homines, qui quamuis mortem ipsam non timeant, genus tamen aliquod mortis horrescunt. Nihilominus autem, vt ipsa mors metuenda nõ est, ita etiam nullum genus mortis bene viuenti homini metuendum est. Nihilominus igitur hoc quoque Christi cruce ostendendum fuit. Nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius, & formidolosius, &cæt.

D. August.

Nullũ mortis genus timendum propter Dominum.

Voluit Dominus crucifigi; voluere quoque Iudæi infame morte inter latrones illum afficere, vt splendorem, quo inuidos eorũ oculos complebat, extinguerent. Verumtamen non satis fuere mortis, etsi probrosissimæ, tenebræ, ad extinguendum splendorẽ tantum. Vmbra fuit Crucis mors opprobrio plena, quæ coram Christi immenso fulgore mox euanuit. Neque potuere fratres gloriã obscurare fratris sui Ioseph, neque potuere Iudæi caliginẽ offundere maiestati Christi. Ioseph Aegypto dominatus est; Christus toti imperat mundo. In monte Caluariæ crux Regi figitur, qui ex dorso latronum eam transferet in frontes, pectoraq; regum: Collocatur altare, in quo cælestis victima toti orbi puritatem afferet: Vexillum summi imperatoris extollitur, in quo tartareas superabit acies. Adeste tanti reges milites, considerate regis vestri opprobria, & cruciatus omnibus patentes; sed considerate etiam occultam maiestatem, atq; omnipotentiam, quæ iis rebus vim ad redimendum orbem potuit præbere: ignominias, opprobria, & cruciatus pro duce vestro pati ne recuseritis. Nõ enim ignominiæ & opprobria sunt, sed honores. Socrates (ait Seneca in consol. ad Heluiam) carcerem intrauit, ignominiam ipsi loco detracturus. Neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat, &cæt. Quid nos de Rege regũ dicemus? Sanè nõ possunt dici ignominiæ & opprobria quæ Christus tolerauit; illa enim tolerauit, vt honore illustraret. Vnde illud Seduli lib. 5.

Iudæi non potuere Christi splẽdorem crucis morte extinguere.

> *Pœnam vestiuit honore,*
> *Ipsaq; sanctificãs in se tormẽta beauit.*

Crucifixi sunt cum eo duo latrones.

QVæritur, quonammodo sit Dominus fixus, humi ne collocatę cruci, an erectæ? Respondeo, verisimilius esse, manus ligno humi iacenti fixas esse; pedes verò iam erecta cruce, tabulæ, quæ cruci addebatur; facilior enim hic erat crucifigendi modus. Alii putant, in crucem iam erectam sublatum Dominum, lege lib. 1. Reuelat. D. Brigittæ cap. 10. Quæritur secundò quot clauis sit fixus? Pictores tribus clauis fixum solent pingere, eaque est

Quomodo cruci suffixus sit Dominus, & quot clauis.

Digitized by Google

est multorum opinio. Inter quos Nonnius,& Nazianz. in trag. Probabilius vrû quatuor clauis fuisse fixum, quia difficilè possunt duo pedes vno clauo traĩsfigi, facile verò duob. extat hæc sentẽtia lib. 1. Reuel. D Brigittæ. Extenderunt, inquit, in cruce, primò dexteram eius affigentes stipiti, qui pro clauis perforatus erat. Inde trahentes cum fune aliam manum eius, simili modo affixerunt. Deinde dextrum pedem crucifixerunt, & super hunc sinistrum duob. clauis, &c. sic opinatur D. Greg. Turonensis lib. 1. de gloria Martyrum cap. 6. cuius hæc sunt verba: Claui quòd quatuor fuerint, hæc est ratio: duo affixi erant in palmis, & duo in plantis. Sed quæritur cur plantæ fixæ sint, quę in cruce pendere visę sunt potiùs quã stare? sed in stipite erecto foramen factum manifestum est; pes quoq; paruulæ tabulę, i hoc foramine insertus est: super hanc verò tabulam tanquam stãtis hominis sacræ affixæ sunt plantæ. Hæc ille. Ex quibus colligitur cruci insertam fuisse tabulam, in qua pedes & consisterent, & figerentur. Omitto D. Irenæum lib. 11. cap. 42. & D. Iustinum in dialogo aduersus Tryphonem, quia hac de re non loquuntur perspicuè.

Quatuor claui. *D. Birgitta.* *Greg. Turon.* *D. Irenæus.*

Quærit idem Gregor. quid de his clauis sit factum? sic respondet; Duo sunt aptati in freno Constantini; tertius proiectus in mare Adriaticũ; quartum asserunt esse defixum in capite statuæ Constantini, scilicet, vt tota ipsa ciuitas cui eminet, munitione salutis, quodãmodo galea coronata esset, &c. Quorsum in mare Adriaticum proiectus sit clauus, docet idem autor nimirum vt tempestas sedaretur. Eo enim tempore, ait ille, magnis fluctib. mouebatur; in eo tam frequentia erãt naufragia, vt vorago nauiũ diceretur. Proiectus est à Regina Helena clauus, mare quietum reddidit. Ruffinus lib. 1. hist. Eccles. cap. 8. Clauos, inquit, portat Helena ad filium, ex quibus ille frenos composuit, quibus vteretur ad bellum; ex aliis galeam belli vsibus aptã fertur armasse, &c. & Theod. lib. 1. hist. Eccles. cap. 18 Helena clauorum alios galeæ regiæ inseruit, qui præsidio essent capiti filii sui, & hostium tela repellerent; alios frenis coniunxit: regi protectionẽ parans, &c. Videntur plures idicare clauos hi autores, quã tres.

Quid de clauis factum sit. Greg. Tur. *Ruffinus.* *Theodor.*

Ad mores Christianos hæc conuertamus: Orbis Imperator Constantinus Magnus clauis Christi, caput; frenosq; ad bella muniuit: nos eorumdem clauorum & Passionis consideratione frequenti, caput ad bella tartarea armemus, frenosque effrenatis animi perturbationibus adhibeamus. D. Ambro. in orat. de obitu Theodosii. In capite, inquit, rectè clauus, vt vbi sensus est, ibi præsidium corona de cruce, vt fides luceat: habena de cruce, ut potestas regat, sitque iusta moderatio, &c.

Passionis memoria armat animum. *D. Ambro.*

De clauo Christi interpretatur Ambro. illud Zach. 14. *In die illa erit, quod super frenum equi est, sanctum Domino;* scilicet clauus Christi in freno Cõstãtini. Eodem modo interpretatur Theodoretus, Greg. Turon. Nicephorus, & alii. Latrones quoque duos, clauis suffixos fuisse probatur; quia Euangelistę eodem crucifigendi verbo vtuntur, cũ de crucifixione Christi, & latronum loquuntur. Præterea probatur, ex historia inuentionis Sanctæ Crucis: facile enim fuisset Christi crucem cognoscere, si illa sola clauis fuisset perforata. At verò, vt Ruffinus scribit lib. 1. hist. Ecclesiast. c. 7. obturbabat reperti muneris lætitiam uniuscuiusque crucis indiscreta proprietas.

Zach. 14. *Latrones clauis sunt confixi.*

Ambigitur etiam, an habuerit Dominus in cruce spineam coronam? Euthym. existimat à militibus detractã, cum purpuream uestem exuerũt. Tertull. lib. aduersus Iudæos c. 13. contrariam sententiam significat his uerbis: Christus lignum humeris suis portauit; inhærens cornibus crucis; corona spinea in capite eius circundata, &c. Iustinianus lib de triumph. agone c. 8. & D. Birgitta lib. 1. c. 10. spinis coronatum ex cruce pependisse arbitrantur. Eadem est aliorum sententia; quam picturæ confirmant.

An Christo in cruce spineam coronã habuerit? Euthym. Tertul. Iustinian. D. Birgi.

Denique dubium est, quibusnam ex arboribus fabricata sit crux? Nonnulli ex quercu fabricatam uolunt. Histor scholast. autor in Euang. capit. 172. ex qua-

Ex quibus arborib. sit crux fabricata.

quatuor arborum genere fabricatam docet: Inuenitur, inquit, lignum Dominicæ crucis, & palmæ & cypressi, & vt quidam tradunt, oliuæ, & cedri, &c. & D. Bern in lib. de passione (si tamen illius est) c. 46. De quatuor, inquit, generibus arborum, crux facta fuisse refertur, de cupresso, cedro, oliua, palmis, &c. Beda tom. 3. in Collectaneis: crux de quatuor lignis facta est, quæ vocantur, cypressus, cedrus, pinus, & buxus. Sed buxus non fuit in cruce nisi tabula de illo ligno, in qua fuit titulus, &c. Glossa Clem. 1. de summa Trinit. & fide Catholica: fertur crux quatuor habuisse genera lignorum, cedrum in stipite, palmam in palo per longum, cupressum in ligno ex transuerso, oliuæ in tabula super crucē. & datur versus.

Ligna crucis palma, cedrus; cupressus, oliua. Hæc glossa.

D. Damasc. Christus faciē versam habuit ad occidentem in cruce.

Obseruauit D. Damasc. pependisse Dominum in cruce facie conuersa ad occidentem. Erat enim mōs Caluariæ in occidentali parte vrbis Ierusalem. lib. 4. fidei, c. 13. Dn̄s, inquit Damasc. cū in cruce penderet ad occasum prospiciebat, &cæt. videlicet prospiciebat terram occidentalem, Italiam, cæterasque Europæ regiones, Romam maximè, in qua sedem suam erat collocaturus. Quēadmodū antiquam illam Arcā testamenti, Deus ad occasum tēpli collocari voluit; sic donorum suorum Arcam, id est, sedem maximam, ad occasum mūdi voluit Romæ cōstitui. Adrichomius in theatro Terræ sanctæ, in descriptione Ierusalem nu. 252. ait ea positione fuisse erectam crucē, studio Iudæorum; vt Christus dorsum suum cōtra Ierusalem haberet, faciem autē versus occidentem. Indignum.n. eū reputabant, quē aspectu ciuitatis dignarentur. Verum videntur rem hanc Iudæi curasse parum. Ipse Dn̄s hæc curabat, in quib. cælestia, occultaq; mysteria latebant. Iere. 18. *Sicut ventus vrens dispergam eos corā inimico: dorsum, & nō faciem ostendam eis, in die perditionis eorum*, &c. Dispersi sunt toto terrarum orbe coram hoste tartareo; dorsum & non faciem ostendit eis Deus, in die perditionis eorum. Sedulius, cuius car-

Ierem. 18.

A mina à Beda recitantur Luc. 22. lib. 5. carminum, sic de cruce canit:

Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis.
Splendidus autoris de vertice fulget Eous.
Occiduo sacra labuntur sidere plāta,
Arcton dextra tenet, medium laua exigit axem.

Autor quoque Comment. in Marcū, qui Hier. adscribūtur, Species, inquit, B crucis quid est nisi forma quadrata mūdi? Oriēs de vertice fulget; Arctō dextra tenet; Auster in læua consistit; Occidens sub plantis firmatur, &c.

Crux quatuor orbis partes designat.

Non fuit satis solum Christum affigere cruci; inter duos latrones illum affixerunt, instar ducis, sicut vaticinatus fuerat Isaias c. 53. *& cum sceleratis*, inquit, *reputatus est*, &c. Existimat D. Leo serm. 4. de passione, Iudicium ostēdi extremum, in quo impii ad sinistrā, C iusti ad dexteram Christi collocabuntur. Affixus, inquit, est latronibus duobus, vno ad dexterā, altero ad sinistrā, similiter crucifixis; vt etiam in ipsa patibuli specie monstraretur illa, quæ in iudicio ipsius hominum est facienda discretio, &c. D. Aug. tract. 31. in Ioan. Ipsa, inquit, crux tribunal fuit. In medio enim iudice constituto, vnus latro qui credidit, liberatus; alius qui insultauit, damnatus est. Iā significabat q̄d D facturus est de viuis & mortuis; alios positurus ad dexteram, alios ad sinistram, &c. Sedulius lib. 5.

Cum latronibus crucifigitur Dominus.

D. Leo. Adumbratur Iudiciū

D. August.

Iura potestatis nō perdidit: aquus vtrūque
Iudex namque tuens, hunc eligit, hūc reprobauit.
Amborum merita præcelso examine pēsans.

Beda verò moraliter Mar. 15 cruce E boni latronis, eorum cruces significari opinatur, q̄ pura intētione pro Deo labores ac dolores perferūt: cruce latronis improbi, cruces illorū, q̄ eosdē labores ac dolores pro mūdo tolerāt. Præterea indicat Christus medius inter latrones moriēs, pro quib. moriat̄. Moritur.n. innocēs pro peccatoribus: sed quia non oēs peccatores salutē æternam consequuntur; ideò vnus ex latroni-

Moraliter. Beda.

troni-

Origen. tronibus salutem cõsequitur, alter peririt. Rectè Origenes hom. 35. in Matth. Cũ Iesu, inquit, mori pro nobis oibus moriente, vt nos viuamus, hominũ nõ erat: quoniam omnes fuerant in peccatis, & omnes opus habebãt vt pro eis alius moreretur, &c.

Christus innocens, latrones, & nocẽtes moriuntur. Lõgè ergo diuersa ratione Christus moriebatur, & latrones. Christus moriebatur, quia innocẽs erat, & sanctus; vt oibus sanctitatẽ afferret. Latrones vita priuabantur, quia nocentes erant & impii. Titulus Christi, *Iesus, id est, Saluator, Rex Iudaorũ*: cãm Christi toti orbi indicabat, ꝙ quia Saluator, & Rex erat mortẽ oppetebat. Tituli latronũ, latronũ cã: demõstrabãt, ꝙ qa latrones erãt supplicio afficiebãt. Sedulius li 5.

Par est pœna triũ, sed dispar cã duorũ.
Hi mũdo sũt ꝙpe rei, & crimine multo
Huic reus est mundus, saluatus sanguine iusto.

D Ambr. in Lucã ad illa verba; *dispono vobis*; Passio, inquit, Dñi æmulos hẽt pares nõ habet, &c. Potest. n. crux, & passio Christi imitatores habere, habetque permultos; sed pares habere non potest, qui tanto amore ac fortitudine patiantur; qui pro eadem cã mortẽ tolerent, pro qua ille tolerauit. s. pro totius orbis salute Psal. 44. *Exultauit vt gigas, ad currendã viã*, &c. Viã cucurrit vt gigas, quia parẽ incurrendo non habuit. Cucurrit, onustũq; peccatis post se traxit latronem, iuxta illud Cant. 1. *Trahe nos post te, curremus in odorẽ vnguentorum tuorum*. de hoc infrà.

Psal. 44.

Cant. 1.

Erat hora tertia, & crucifixerunt eum.

Qva hora sit Dñs cruci suffixus docet Marcus c. 15. Hora tertia suffixũ narrat. Vr̃ obstare Ioa. 19. dicens: *Sedit Pilatus pro tribunali. Erat autem parasceue paschæ, hora quasi sexta*, &c. Pilatus hora sexta ad ferendã sniam pro tribunali sedit; ergo nondũ erat crucifixus Dñs hora tertia, quę snia prolata est à iudice. Nonnullis modis soluitur hic nodus: Primò soluitur à Theophylacto, & aliis, existimãtib. errore librarii mutatã esse notam numeri ternarii Græcam, id est (γ) in notã numeri senarii (S) aiunt, & Marcum & Ioannẽ scripsisse, γ, & hora tertia crucifixum Dñm: mutatam posteà apud Ioannem notam, lege D. Hieronymũ initio Psal. 77. Canum de locis lib. 2. c. 18. & Caie. Marci 15. D. Augu. tract. 117. in Ioannẽ ait Christum crucifixum hora sexta, vt ex Ioãne colligitur, & crucifixũ hora tertia, vt Marcus scribit; diuerso tamen modo. Nã hora tertia crucifixus est linguis Iudæorũ, cùm clamauerũt, *Crucifige eum*; hora verò sexta crucifixus est manibus militum. Si petas ab Augustino, cur Marcus eius horæ mentionem fecerit, qua Iudęi linguis Christum in crucem egerunt, respõdet his verbis; Qm̃ Iudæi facinus interfecti Christi à se in Romanos, id est, in Pilatum, & eius milites transferre conati sunt: propterea Marcus suppressa ea hora, qua Christus à militibus crucifixus est, quæ agi sexta iam cęperat, tertiã potius horam esse recordatus expressit, qua hora intelligatur apud Pilatum clamare potuisse, *Crucifige, crucifige*; vt non milites tm̃ reperiantur crucifixisse Christũ hora sexta, verũ etiã Iudæi, qui vt crucifigeretur hora tertia clamarũt, &c. Eodem modo respõdet lib 3. de consens. Euang. c. 13.

De hora qua Dominus est crucifixus.

Theophy

D. August.

Huic aliam adiungit solutionem; videlicet, Christum crucifixum esse hora tertia, vt ait Marcus: Ioannem verò nõ loqui de hora sexta diei, sed de hora sexta ꝑparationis, siue parasceues, hoc sensu: *Erat autem parasceue Pascha hora quasi sexta*: hoc est, erat præparatio nr̃i Paschatis, & nostri agni Christi iuxta illud 1. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus*, & erat hora quasi sexta huius parasceues, siue præparationis agni Christi. Agebatur. n. iã hora sexta à principio ꝑparationis. Principium autem parasceues, siue præparationis agni nostri, vt vult Augu. tum fuit, cùm in domo Caiphæ reus mortis proclamatus est hora nona noctis. Effluxerant ergo tres horæ noctis, effluxerant etiam tres horæ diei, vt ait Marcus; *erat*, inquit, *hora tertia*. Itaque sexta, siue quasi sexta erat hora præparationis, siue parasceues agni Christi, quæ in domo Caiphę noctu cępit: erat

vero horā tertia diei cū crucifixus est. Nonnulli, vt testatur Theophy. in Ioa. existimarunt Marcum horam commemorasse, qua lata est sententia; Ioannē verò horam, qua re ipsa est crucifixus. Euthymius illa verba Marci; *Erat hora tertia*; referēda putat, nō ad crucifixionē, sed ad alia, quæ Christus passus est.

Thephyl. *Euthym.*

Præstat recepta sententia Lyrani, Carth. Iansenii & aliorū, Christū crucifixū esse intra horā tertiā, & sextā. Cùm verò mediū à duobus extremis nomen sumat, Marcum dixisse crucifixū hora 3. Ioānem hora quasi sexta, latam sniam. Quemadmodū nox in quatuor vigilias diuidebatur, quarū singulæ tres horas cōtinebant, Lucæ 12. *Si venerit in 2. vigilia, & si in tertia vigilia venerit*, &c. Matth. 14. *quarta autem vigilia noctis*, &c. Sic diuidebatur dies in quatuor partes præcipuas, quarū q̄libet tres horas complectebatur. Erantque ex horis insigniorib. tertia & sexta. lege Tertul. lib. de Ieiunio c. 10. Dici ergo pōt Christus crucifixus hora tertia, & hora sexta, qa inter has duas prçcipuas horas crucifixus est. Lata est snia à Pilato sedente pro tribunali, vt ait Io. hora quasi sexta, cùm nondū tertia oīno præteriisset, q̄ tres horas continebat. Posteà ductus est Dn̄s in Caluariam magna cum festinatione portāte crucem Simone Cyreneo, crucique est suffixus circa horam sextā; ideò & hora tertia, & hora sexta dicit crucifixus. lege quæ infrà dicta sunt de Solis eclipsi. Thelesphorus ī epistola decretali to. 1. Conciliorum; Missarū, inquit, celebrationes ante horam diei tertiā minimè sunt celebrandæ; quia & eadem hora Dn̄s crucifixus est, & super Apostolos Spiritus sanct. descendisse legitur, &c Itē D. Cyrill. Ierosol. Catechesi 13. Dominus, inquit, crucifixus est hora tertia, &c. D. verò Ignatius, in epist ad Trallianos: Hora, iquit, tertia Christus sniam accepit à Pilato; sexta hora crucifixus est: nona expirauit; ante Solis occasum sepultus est, &c. Similiter D. Clemens lib. 5. const. c. 16. tertia hora ait sniam latam, sexta crucifixum Dominum. & li. 8. c. 40. Preces facite hora tertia, qm̄ ea hora Dominus Pilati sniam accepit; sexta, quoniā tūc crucifixus est, &c. Idē affirmat D. Cyp. in tract. de oratione Dominica.

Recepta sententia. *Luc. 12.* *Dies & nox olim ī quatuor partes diuidebantur.* *Tertull.* *Christus circa horā sextā crucifixus est.* *Thelesphorus.* *D. Cyrill.* *D. Ignatius* *D. Clemens.*

Respondit dies redemptionis, diei captiuitatis. Adamus. n. cōditus est feria sexta, per octo dies in paradiso vixit, feria sexta sequenti admisso peccato diaboli iugum subiit: Christus verò crucifixus est feria sexta, & hora diei sexta, diaboli iugo fracto, hoiem captiuū redemit. Respondit præterea crucis totum mysteriū, peccati perpetrationi, vt indicat D. Greg. Nazian. in orat. 1. Apolog. Idcircò, inquit, lignū aduersus lignū, & manus aduersus manum; illæ inquam fortiter extensę, aduersus incontinenter extensā, illæ clauis confixæ, atq; cōstrictæ, aduersus remissam & solutam, illæ orbis fines coniungentes, aduersus eam, quæ Adamū ex paradiso exturbauit. Idcirco sublimitas aduersus lapsum, & fel aduersus gustum, & spinea corona aduersus prauum imperium, & mors aduersus mortem, &c.

Respondit redemptio captiuitati hominis. *D. Gregor. Naz.*

Respondit itē positio crucis imperio Christi, q̄ toto orbe extēditur; vnde Firmia. lib. 4. de vera sapient. c. 26. Extēdit, inquit, manus suas, orbēq; dimensus est Christus; vt iā tūc ostenderet ab ortu solis vsq; ad occasū, magnū populū ex oībus linguis & tribub. cōgregatū, sub alas suas esse venturū, & signū illud maximū frōtib. suis suscepturū, &c. Deniq; respōdit intimo amori pectoris, externus situs corporis; brachiis expāsis in cruce ī ipso ętatis flore pēdet: vt oēs nos cōplectatur. Capite demisso, vt pacis æternæ osculum offerat. Manib. pforatis, vt dona largiatur. Apertū in pectore hēt ostiū, vt oēs excipiat Fixus est clauis, vt cōstātē, fixūq; amorē indicet Cām habet mortis super caput inscriptā, vt amorē salutis nostræ scias cām esse tot cruciatuū: *Hic. n. est Iesus Nazarenus*, id est, Saluator, oīum virtutum florib. redolēs, Rex atque Messias orbi datus; vt populum suum præcellentissimi amoris vi ductus; & ab oīb. eripiat malis, & oīb. cumulet bonis, æternaq; salute donet.

Firmianus *Christi in cruce positio respondet intimo suo in homines amori.*

CAPVT

CAPVT XIV.

De verbis Christi in cruce prolatis.

MATTHÆVS CAPITE XXVII.

CIrca horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicens: Eli, eli lāma sabacthani? hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Quidam autem illic stātes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iste. Et continuò currens vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cæteri verò dicebant: Sine, videamus, an veniat Elias liberans eum, Iesus autē iterum clamans voce magna, emisit spiritum.

MARCVS CAPITE XV.

HOra nona exclamauit Iesus voce magna, dicens: Eloi, eloi, lamma sabacthani. quod est interpretatū: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Et quidam de circū stantibus audientes, dicebant, Ecce Eliam vocat. Currens autem vnus, & implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum. Iesus autem emissa voce magna expirauit.

LVCAS CAPITE XXIII.

IEsus autem dicebat: Pater dimitte illis. Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei, & dicentes: Si tu es Rex Iudæorum, saluum te fac. Erat autem & superscriptio scripta super eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic est rex Iudæorum. Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus, bla

Digitized by Google

ſphemabat eum, dicẽs: Si tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſum, & nos. Reſpondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es. & nos quidem iuſtè: nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit. & dicebat ad Ieſum: Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum. & dixit illi Ieſus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo. Erat autem fere hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram vſque in horam nonam. Et obſcuratus eſt Sol: & velum tẽpli ſciſſum eſt medium. Et clamans voce magna Ieſus ait: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et hæc dicens, expirauit.

IOANNES CAPITE XIX.

STabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cùm vidiſſet ergo Ieſus matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua. & ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua. Poſtea, ſciens Ieſus quia omnia cõſummata ſunt vt conſummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat poſitum aceto plenum. Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopum circumponentes, obtulerunt ori eius. Cùm ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit: Conſummatum eſt. & inclinato capite tradidit Spiritum.

Pater dimitte illis.

Primũ Verbum.

PRopone tibi ante oculos A Chriſtum redemptorẽ, propone quoque latrones qui cum eo ſunt crucifixi. Cùm latrones figebantur clauis, ſortem lamentabantur ſuam, exclamabant & eiulabant; at Chriſtus tanquam mitiſſimus agnus, nullum impatientiæ ſignum; multa eademque præclariſſima patientiæ docu- B menta dedit. Oculos conſidera in cælum ſuſpicientes, vultum alacrem, & erectum, omnique modeſtia plenum, os ſilens, nullum proferens gemitum, nullum eiulatum, nullum verbum; quo tolerantiam, vel tenuiſſima labe aſpergeret. Non tamen in cruce omnino ſiluit; ſeptem protulit verba, Diuinum verbum; quæ nunc ſunt explicanda.

Primum in cruce Verbũ, pro inimicis fundit Dominus precem.

Primum amoris fuit ſummi, erga inimicos, Lucæ 23; *Pater* (inquit) *dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Ante omnia charitatis excellentiſſimum actum profert; pro inimicis precatur,

pro illis à quibus opprobriis, cruciatibus, morteque afficitur, fundit preces, quod verbo docuit Matthæi 5. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos;* id nunc docet exemplo. Patris autem nomine vtitur, cùm pro persequentibus orat: *Pater* (inquit) *dimitte*, &c. Quia opus hoc filiorum Dei est: iuxta illud Matth 5. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filij Patris vestri, qui in cęlis est*, &c. Hanc præstantissimam pro inimicis precationē vaticinatus est Isaias cap. 53. *Ipse*, inquit, *peccata multorum tulit & pro transgressoribus rogauit*, &c. Summi sacerdotis est orare pro populo; noster summus Pontifex ad altare crucis pro populo iniquo orat. Ad Heb. 9. in Sācta Sāctorum semel in anno Pontifex introibat non sine sanguine; quem offerret pro sua, & populi ignorantia, &c. Christus verò Pontifex maximus semel in vita ad altare crucis accessit, non sine sanguine; quem simul cum precibus obtulit, non pro sua, sed pro transgressorū ignorantia.

Exemplo probat Dominus quod docuit.
Matth. 5.
Esai. 53.
Heb. 9.

Dimitte (inquit) *quia nesciunt quid faciunt*. Grauissimum erat scelus quod perpetrabant, de grauitate sceleris silet, excusationem adhibet, & dimitti postulat. Facinus est (ait M. Tullius extrema Act. in Verrem) vincire ciuem Rom. scelus, verberare; prope parricidium, necare; quid dicam in crucē tollere? Verbo satis digno; tam nefaria res appellari nullo modo potest, &c. Sic ille facinus exaggerat, quo affixus cruci est ciuis Romanus. Nos verò quibusnā verbis facinus exaggerabimus, quo Christus in crucem est sublatus? Si facinus est vincire ciuem Romanum, verberare, & in crucē tollere: qualenā facinus erit vincire Christum Deum, verberare, in crucem agere? Verbis satis dignis tā nefaria res appellari nullo modo potest. Inuenit tamen Dominus in tanto facinore excusationem quam adhiberet, dicens: *Dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*. At verò Iudæorum peccatum non habere excusationem, idē Dominus affirmat Ioann 15. *Si non venissem*, inquit, *& locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem nō habent de peccato suo*, &c. Non ergo excusat Iudæos. Respondetur obiectioni, Iudęos non habuisse excusationē, quæ peccatum tolleret, qualis fuisset ignorantia, quæ inuincibilis appellatur; habuisse tamen ignorantiam aliquam, quæ grauitatis aliquid peccato detraheret.

Excusat Dominus Iudæos.
M. Tull.
An Iudæi excusationem habuerint.

De hac ignorantia dubitatur; An Iudæi cognouerint Christum esse Deū, Dei filium naturalem, & Messiā à Deo promissum? cognouisse probatur verbis Domini Ioan. 7. *& me*, inquit, *scitis, & vnde sim scitis*, &c & Ioan. c. 15. *Viderunt & oderunt me*, &c. Matth. 21. *Hic est hæres, venite occidamus eum*. Ex quo loco colligit Beda Iudæos Christum nouisse. Manifestissimè, inquit, probat Dominus non per ignorantiam, sed p inuidiam Principes Iudæorum crucifixisse filium Dei. Intellexerunt hunc esse de quo dictum est Psalm. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuā*, &c. Origenes quoque eodem loco putat Iudæos intellexisse Dominum esse Messiam; quod etiam existimant Autor imperf. Lyranus, Euthym. & alii. D. Thom. 3. p. q. 47. art. 5 docet Iudæorum Principes cognouisse esse Messiā, ignorasse tamen esse Deum, ignorantia quodammodo affectata; Vulgus autem neque cognouisse Deum, neque Messiam.

An Iudæi cognouerint Christum esse Deum, & Messiā.
Ioan. 7.
Matth. 21.
Psal. 2.
Origen.
D. Thom.

Abulensis Matth. 21. q. 204. & 205. & Caiet. 3. p. q. 47. art. 5. arbitrantur neq; principes Iudæos, neq; plebeios agnouisse esse Deum, aut Messiam. Huic ego opinioni subscribo, quæ ex hoc loco confirmatur. *Nesciunt* (ait Dominus) *quid faciunt*. & D. Petr. Act. 3. *Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri*, &c. Prætorea Iudęi expectabant Messiam, qui rex esset tēporalis, Christum autem regem temporalem nō esse cernebant. Expectabant natum in ciuitate Bethlehem: putabant verò esse natum in Nazareth Galilææ; vnde quidam Ioann. 7. aiunt: *Nunquid à Galilæa venit Christus, nōne Scriptura dicit, quia de Bethlehem castello*, &c. & alii Nicodemo obiiciunt, *scrutare & vide, quia à Galilæa Propheta non surgit*, &c. & Ioa. 1. *Inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth*,

Abulensis.
Caiet.
Act. 3.
Ioan. 7.

x orerib, &c. Nō cognouerunt ergo Dominum Iudæi, inuidia & odio excæcati cum maxime ex vita, doctrina, & miraculis, cognoscere deberent. Dubitationes verò, si quas habebant tanto magistro dissoluendas, si bono animo proposuissent, facilè intellexissent veritatem. Augustin. tract. 3. in Ioann. Christus sperabatur venturus à populo Iudæorum; & quia humilis venit, nō est agnitus, &c. Gregor. Iob 42. eundem populum confert cum Isaac cæco; qđ Messiam ante se positum cernere non valuerit. & Iob 19. Redemptor (inquit) noster à synagoga cognitus non est, &c. legendus D. Leo sermo. 15. de passione, & D. Gregor. Nazianz. orat. 1. de pace. Testimonia allata, quæ suadere videntur cognitum à Iudæis Messiam, suis locis explicata iam sunt.

D. August.

D. Greg.

Illud restat explicandum; Num Pater hanc Christi orationem exaudierit, Iudæisque peccatum dimiserit? Respondet D. Thomas 3 par. quæstio. 21. ar. vlt. ad 2. Patrem Christi orationem exaudisse, omnibusque Iudæis ignouisse, pro quibus preces fudit; fudisse autem preces pro solis prædestinatis. Secundò responderi potest, cædis illius machinatores, dignos fuisse qui protinus darentur Orco; Christum autem impetrasse sua oratione, vt vita illis in pœnitentiam protenderetur. Tertiò respondetur, orationem fuisse conditionalem; multos autem ex Iudæis conditionem non compleuisse, quia Spiritui sancto & Euangelii prædicationi restiterunt. lege D. Hieronym. quæst. 8. ad Hedibiam. Impetrauit, inquit, quod petierat Christus, multaqs statim de Iudæis millia crediderunt; & vsque ad 42. annum datum est tempus pœnitentiæ, &c D. Leo serm. 11. de passio. De huius (inquit) orationis potentia fuit vt prædicatio Petri Apostol. ex iis, qui dixerunt: *Sanguis eius super nos*; multorum ad pœnitentiam corda converteret. & vno die baptizarentur ferè tria millia Iudæorum, fieretque omnium cor vnum, & anima vna, paratorum iam pro eo mori, quem poposcerant crucifigi, &c. D. August. tractat. 11. in Ioan. Videbat (inquit) Christus quosdam suos inter multos alienos, illis iam petebat veniam, à quib. adhuc accipiebat iniuriam. Non enim attendebat quòd ab ipsis moriebatur; sed quia pro ipsis moriebatur, &c.

An Christi orationem exaudierit Pater.

D. Thomæ responsio.

D. Hieron.

D. Leo.

CAPVT XV.

Idipsum latrones improperabant.

POstquam pro inimicis Patrem Dominus precatus est; crucis, cui affixus erat singularem effectum in latrone demonstrauit. Est crucis effectus, homine cooperante, peccatorum remissio, hominum salus, æternaque gloria; vno in latrone hunc effectū ostendit, cui admirabiliter peccata dimisit, salutem, gloriamque sempiternam donauit. Duo latrones affixi erant cruci; cumque alii Iudæi Christo improperarent, id ipsum illi faciebāt, vt aiunt Matth. & Marcus, qui numero plurali vtuntur; Lucas verò de vno tātum conuitiante facit mentionem. Dubium oritur, num latro bonus, ante cōuersionem in cruce, improperarit Domino? D. August. lib. 3 de consens. Euāgel. cap 16. putat non improperasse; si obiicias Marcum & Matthæum; respōdet eos vti numero plurali pro singulari; quemadmodum si is, quem rustici vnus irrideret, diceret etiam rustici me irrident. D. Hieron. Matth. 27. verisimilius existimat vtrumque latronē improperasse; deinde alterum credidisse. Eiusdem sententiæ est Origenes, Euthymius, & Theophylactus. D. Ambros. Fortasse, inquit, & bonus latro prius conuitiatus est; sed repentè conuersus. Potuit etiam de vno pluraliter dici, &c.

Effectus crucis in latronib. ostēsus.

An vterque latro Christo sit conuitiatus.

No-

Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es?

Christus ad latronū opprobria silet.

IMproperabat Christo improbus latro imbecillitatem, dicens, (vt scribit D. Lucas) *Si tu es Christus, saluū fac temetipsum & nos*; alter vero latro improperantē reprehendit. Silente Christo, nihilque omnibus opprobriis respondente; latro admirabiliter eius innocētiam & cognoscit, & profitetur. *Neque tu times Deum*, inquit, *quod in eadem damnatione es?* hoc est, cæteri, qui improperāt iusto huic, nō timēt Deū: neque tu times Deum quemadmodum illi, quod in eadem damnatione es, quod simul es crucifixus, moxque ex vita discessurus? oporteret Deum timere, saltem hoc tempore, pœnæque socio nō conuitiari. *Et nos quidē iustè*, in hac damnatione sumus, crucisque supplicium patimur, peccatis nostris debitum; hic autem innocens est, nihil cruci debet, si pœnę est socius, non est socius culpæ. Sic latro Christi innocentiam professus est.

Latronis conuersio.

Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.

Bonus latro regnū à Christo petit crucifixo.

NOn solum innocentiam Christi professus est latro, sed etiam regnum. Postquam cum altero latrone est locutus, vultu toto, atq; ore & corde, ad Dominum, Regemque versus: *Domine*, inquit, *memento mei cum veneris in regnum tuum*. De regno loquitur Christi; regnum habere, atque ex cruce in regnum abire cōfitetur, quia qui illi improperabant, de regno agebāt. *Stabat* (ait Lucas) *populus spectans, & deridebant eum principes cū eis, dicentes: Alios saluos fecit, se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus*, &c. Item apud Mat. *Si Rex Israel est, descēdat de cruce*, &c Cæteri regnum Christi irridebāt; titulus supra caput positus causam mortis indicabat eā esse, quod Rex esset Iudæorum. latro sua confessione, & titulū confirmat, & regem esse, in regnumq; ex cruce proficisci profitetur, quasi dicat: Domine hi regno tuo illudūt, regiā potestatem tuā irridents ego verò te regem esse credo pro populo tuo morientem, regnum te habere amplissimū confiteor: *Domine memento mei*, cum in hoc regnum veneris, ad illud me ducito; profitetur ergo latro Christi innocentiam. *Hic*, inquit, *nihil mali gessit*. D. Ambro. ser. 45. ait intellexisse pro alienis peccatis crucem perpeti. Intellexit latro (ait Ambr.) quod pro alienis peccatis has plagas Christus susciperet, & sciuit, quod illa in corpore Christi vulnera, nō essēt Christi vulnera, sed latronis, &c. Præterea profitetur regnū Christi, hoc est, confitetur Dominū Messiā esse ad Iudęos missum Regem, & in regnū hoc introduci postulat. Denique confitetur animæ immortalitatem, siquidem petit post mortem in regnum duci Messiæ. Confitetur etiam Christi resurrectionem, postquam regnaturum vidit.

D. Ambro. Latro confessus est Christū esse innocētem, esse regem, & animæ immortalitatem.

Quæritur vnde mirabilis hæc conuersio, & confessio orta sit? Respond. ex Christo summo Deo mirabiliter ortā, latrone cooperante. D. Leo serm. 2. de pass. inde, inquit, oriebatur hoc donū, vnde accepit fides ipsa respōsum, &c. August. ser 122. de tempo. Hæc, inquit, mutatio latronis, dexteræ excelsi est, &c. D. Greg. lib. 28. Moral. ca. 23. In cruce, inquit, claui manus latronis, pedesq; ligauerant, nihilq; in eo à pœnis liberum, nisi cor, & lingua remanserant. Inspirāte Deo totū illi obtulit, quod in se liberum inuenit, vt corde crederet ad iustitiā, ad Roma. 10. ore confiteretur ad salutem, &c. D. Hiero. Matth. 27. vult latronem ad conuersionem excitatum iis prodigiis, quæ in morte Christi contigerunt: Sole, inquit, fugiente, terra commota, saxisque disruptis, & ingruentib. tenebris, vnus latro credidit in Iesum, & priorē negationē sequenti cōfessione emēdauit, &c. Idem sentit Chrysos. in homil. de cruce & latrone, accedit Origenes. Vnde sequitur in tenebris cum latrone locutum esse Dominum, D. Leo serm. 2. de passione, arbitratur locutum

Vnde orta sit admirabilis cōuersio latronis. D. Leo. D. August. D. Gregor. D. Hieron. D. Leo.

by Google

locutum ante prodigia. Quæ, inquit, istam latronis fidem exhortatio persuasit? quæ doctrina imbuit? quis prædicator accendit? non viderat prius alia miracula; cessauerat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, viuificatio mortuorum, ea ipsa quę mox erant gerenda non aderant, (id est, miracula in passione facienda nondũ fiebant) & tamen Dominum confitetur, & regem, &c. Hac de re infra dicendum cum agetur de tenebris.

Hodie mecum eris in paradiso.

Secundum verbum.

Remunerat Dominus latronis confessionem, paradisum pollicetur; & eadem qua pollicetur die donat. Nõ in multos, ait, annos, aut menses, aut dies, differam præmium confessionis huius, hodie, hac ipsa die, paradisum tibi donabo, hodie mecum eris in paradiso, qui hodie mecum es in cruce, socius crucis, socius eris paradisi. D. Ambr. Psal. 37. Latro, inquit, adhuc rogabat Dominum, vt meminisset sui, cum venisset in regnum: & Dominus cum nondum venisset, ei iam regnum cæleste tribuebat. Quam velox misericordia. tardius votum precantis, quàm remunerantis est præmium, &cæt. Paradisum autem vocat beatificam visionem. In hoc enim paradiso, fuit latro cum Christo illa die: nam feria sexta Christus mortuus est & latro, descendit anima Christi in limbũ Patrum, eosdemque in diuinæ essentię visionem, veluti in paradisum introduxit. erat inter eos nouus hospes latro, in eundem introductus est paradisum, diuinæque essentiæ conspectum. Paradisus amœnum hortum significat, vt constat ex Genesi, ad significandam sempiternam gloriam, ac beatitudinem transfertur.

Remunerat Dominus latronis confessionem.

Non defuere Patres quibus visum est latroni promissum esse paradisum terrestrem, ex quo Adamus est expulsus. Vt omittam antiquiores, Iustinum in quæst. ad Orthodoxos, Euthymium in Lucam, Nicephorum, & alios. D. Bonauent. cap. 85. Meditat. existimat Christum Patres ex limbo eduxisse, & simul latronem, & in paradisum terrestré introduxisse; Qua de re infra suo loco. Sed multò præstantiorem paradisum promissum esse latroni, id est, diuinæ essentiæ conspectum, recepta est sententia. Non promisit Dominus figuram, id est, paradisum terrestrem, & veritatem ipsam promisit, & tradidit, id est, beatitudinem. lege D. August. epist. 57. ad Dardanum, in qua putat paradisum latroni promissum, esse sinum Abrahæ, in quem post mortem descendit, atque generale paradisi nomen esse vbi feliciter viuitur. & lib. 12. de Genesi ad literam cap. 28. visionem Dei appellat paradisum, & c. 34. paradisum paradisorum.

Quid significet hoc loco paradisus.

D. August.

Quæritur an latro indiguerit Baptismo, vt in paradisum introiret? Respondetur, non indiguisse, quia nondũ Baptismi Christiani lege tenebatur orbis D. August. lib. 1. de anima & eius origine cap. 9. ait non carere probabilitate fuisse baptizatum in cruce, aqua quę ex latere Christi effluxit. Sed quis formam Baptismi addidit aquæ cum Christus iam expirasset? quis dicat hominem mortuum esse baptizatum? latro enim iam tunc videtur mortuus fuisse. Preterea non adeò propè distabat à Christo latro, vt posset ad eum peruenire aqua, nisi velis miraculo ptismum tribuere. D. Cyprian. episto. 73. ad Iubaianum, & in serm. de cœna. & de Baptis. latronem baptizatum Baptismo sanguinis, martyremque fuisse credit D. August. ait inuentam fuisse in eo mẽsurã martyris, quãuis ppriè martyr non fuerit, quia pro Christo & fide eius nõ est mortuus: Apud Deum (inquit) tantum valuit quod confessus est Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro Domino crucifixus. Atque ita inuenta est in eo mẽsura martyris qui tunc in Christum credidit, quãdo defecerunt, qui futuri erant martyres, &c.

De Baptismo latronis.

D. August.

An fuerit martyr.

D. Cyprian.

D. August.

Admiranda quidem fuit hæc latronis illo intẽpore confessio, & inter signa alia & prodigia, quæ tunc contigerunt numeranda. Non minus fuit (ait Chrysostom. hom. 84. in Ioan.) in cruce

D. Chrysost.

Admirãda latronis conuersio & inter pdigia numerãda.

cruce latronem conuerti, & paradisum intrare, quam petras collidi, &c. Christum videt ex cruce pendentem, vulneratum, nudum, contemptum, opprobriis affectum, regem tamen esse profitetur. Videt nouissimum virorũ, vt Isaias appellat 53. & confitetur esse primum virorum, scilicet Regem. D. August. serm. 122. de tempore: Dominum, inquit, tunc latro non suscitãtem mortuos, sed morientem pro peccatoribus, agnoscere, & confiteri promeruit. O latronem mirabilem, violentum cælo, fide feruentem, &c. D. Leo serm. 2. de passione: latro confitetur Dominum & regem, quem videt supplicii sui esse consortem, &cæt. D. Ambros. serm. 45. Cõfitetur latro, quẽ discipulus abnegauit; latro, honorificat patientem, quem Iudas prodidit osculantem, &c.

D. August. *D. Leo.* *D. Ambro.*

Dedit illi lynceos oculos fidei Christus, quibus illuminatus id vidit, quod maximè erat absconditum. Vnde D. Bernard. serm. 2. de Epiphan. Videte, inquit, quam oculata sit fides, quam lynceos oculos habeat, diligentius cõsiderate. Cognoscit Dei filium lactentem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem: siquidem latro in patibulo, Magi in stabulo cognoscunt, Centurio vero vitam agnouit in morte, &c. Mirus latro mirè prædari sciuit. Vidit meridiano tempore regem summum pauperis contectum habitu, per angustam viam crucis facientem iter in regnum suum, agnouit sub pauperis habitu regias latere opes, inuadit regem latro, spoliat, regias diuinasque opes sibi comparat, quibus fit est locupletatus, vt inter cælestes principes sit collocatus, vnde Sedulius lib. 5. canit.

D. Bernar. Fides latronis. *Latro summum regẽ spoliat opibus cælestibus.*

Abstulit illi suis claustrum regni rapini, &c. Ecclesiastici 11. *facile est in oculis Dei subito honestare pauperem*, &cæt. Græcè πλουτίσαι, id est, *locupletare, facilè sanè fuit* in oculis misericordiæ Christi sanguine respersis, facilè, inquam fuit ingentibus diuitiis subitò locupletare pauperem latronem. Cõgruunt illi verba eiusdem Ecclesiastici eodem capite: *Est homo marcidus*

Eccles. 11.

A *egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius, & mirati sunt in illo multi & honorauerũt Deum*, &c. Marcidus homo erat latro, egẽs recuperatione, viribus deficiens, & honorum omnium, paupertate abundans. Oculus Dei ex cruce respexit illum in bono, & erexit eũ ab abiectione ipsius, & exaltauit caput eius. & mirantur, qui hoc legunt atque audiunt & Dei honorant, prædicantque misericordiam, atque benignitatẽ. B Psal. 112. *Suscitans à terra inopẽ, & de stercore erigẽs pauperẽ, vt collocet eũ cũ principibus, cũ principib. populi sui*, &c. Ecce tibi latronem, ecce inopem in terra & in stercore iacentem, ecce tibi Deum suscitantem illum ex abiectissimo loco, & cum principibus populi sui collocantem. *Hodie*, inquit, *mecum eris in paradiso*.

Latronem Deus ditat locupletauit. *Psal. 112.*

De regno quæstio erat; ostendit Dominus se regem esse regia, liberalissimaque C promissione paradisi & regni. Cuius nisi summi regis potuit esse hæc promissio: *hodie mecum eris in paradiso*? Ostendit etiam se Deum esse, qui peccata latroni remittat, eumque mirabiliter conuertat. Multa miracula tunc est operatus, inter alia latronis huius conuersionem, miraculum enim vocatur ab August. serm. 130. de temp. D Quid dicis, (ait August.) crucifixus es Domine, & paradisum promittis? ita, inquit Dominus, vt in ipsa cruce virtutem meam agnoscas; quoniam res hæc tristitiæ videbatur, vt non in cruce lignum attendas, sed virtutem eius qui crucifixus est, dicas: In cruce hoc miraculum operatus est, vnde maximè potentiam suam declarat omnipotens, non mortuum resuscitans, nõ mari & ventis imperans, non dæmones E eiciens, sed crucifixus, derisus, atque contemptus, longo scelerum vsu obduratam latronis mentem immutare præualuit, vt ex vtroque virtutẽ eius inspicias. In eodem enim tempore passionis crucifixus vniuersam turbauit creaturam, & saxa disrupit, duriorem vero lapidibus animam attraxit pariter.

Latronis conuersio miraculum.

riter, & honorauit. Hactenus August.

Sed dicet aliquis; Nũquid Christus latronibus deturpat, & dedecorat paradisum? Respondemus, non deturpare Christum paradisum latronibus in scelere permanentibus, sed decorare latronibus, cæterisque peccatoribus pœnitentiam agentibus, omnique flagitio nuntium remittentibus. Quod paradisum deturpare potest, paradisũ minimè ingreditur, id est, peccatum; quod illum potest illustrare, ingreditur, videlicet diuina gratia, charitas, cæteræque virtutes pulcherrimæ, ac fulgentissimæ. Nobilissimus erat lucifer, sed quia gratiæ virtutumque ornatum amisit, paradisum deturpauit, & ex paradiso pulsus est. Ignobilis erat latro, sed quia Christi misericordia, gratiæ virtutumque decore illustratus est, in paradisum est introductus, & paradisum illustrauit. August. serm. 130. de temp. Christus mortis & diaboli victor, & sacratissimam ingrediens patriam, secum latronem introduxit; nõ conculcans paradisum istius pietatis opere, sed honorans. neque confundẽs latronis introitu, sed illustrans. Honor enim est paradisi, talem Dominum habere, qui etiam latronem dignum facere possit paradisi deliciarum. Sic August. En tibi crucis primitias. quænam sunt? Latro. Indicant autem nullũ esse tot tantisque onustum peccatis hominem, cui crucis medicina non afferat salutem. Indicant præterea clausum homini paradisum, per crucem à Christo reseratum, veluti per clauem. August. serm. 130 de temp. In hac, inquit, die Christus paradisum aperuit, hodie nobis reddidit patriam principalem, hodie reduxit nos in ciuitatem paternam, & ęternam domum redonauit cõmuni hominum naturæ, &c. Ad hæc, indicant quid Christus ex hoc mundo concupiuerit, & retulerit. Nudus in cruce moritur, non opes, nõ honores, non caduca aliqua bona quæsiuit, secũque asportauit, sed animas. Nudus ex mundo exiit; latronis vnius animam asportat; animæ illius diuitiæ sunt, & deliciæ.

Latro, & peccatores cõuersi non deturpant, sed decorãt paradisum.

D. August.

CAPVT XVI.

Stabant autem iuxta crucem Iesu, &c.

QVIS credat dilectissimum filium, à matre derelictum in morte? non deseruit mater filium in morte, quamuis fuerit mors filii, gladius matris, iuxta illud Simeonis Luc. 2. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Adfuit nato mater gladio ipso transfixa, neque vulnus fugit, sed toto excepit pectore: quod Ioan. 19. narrat. *Stabant*, inquit, *iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius*, &c. secuta filium est Deipara vsque ad crucem, cum illo stetit simul cũ sorore sua Maria Cleophæ, & cum Maria Magdalena. Maria Magdalena satis est nota, de Maria Cleophæ sorore Domini, latè egimus tom. 1 lib. 6. cap. 15.

Ioannes, iuxta crucem ait fuisse Deiparam, sororem & Magdalenam. At Matth. cap. 27. postquam scripsit Christum emisisse spiritum, velum templi scissum, &c. hæc subiicit: *Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ secutæ erant Iesum à Galilea, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedei*, &c. Idem narrat Marcus cap. 15. Aiunt autem hi duo Euangelistæ astitisse cruci de longè aspiciẽtes, Mariam Magdalenam, Mariam Iacobi minoris matrem, quæ est Maria Cleophæ, vt diximus loco citato, Ioannes verò ait easdem astitisse iuxta crucẽ cum virgine Deipara Lucas 23. sic scribit: *Stabant autem omnes noti eius*, id est, Christi, *à longè, & mulieres quæ secutæ eum erant à Galilea*, &c. Videntur ergo cæteri Euangel. non consentire cum Ioanne. Vidit nodum August. & & soluit libr. 3. de consens. Euang. ca. 21. Ait feminas illas sororem, scilicet, Deiparæ, & Mariam Magdalenam, astitisse cruci à longè, vt aiunt Matth. & Marcus,

Virgo Deipara assistit cruci.

Feminæ assistũt cruci à longè, & propè.

D. August.

Marcus; & astitisse iuxta crucem, vt ait Ioannes. Astiterunt à longè si conferantur cum turba, propinquius circumstante Christum, vt cum centurione, & militibus, astiterunt iuxta crucem, quia in conspectu Christi aderant, eumque cernere, & audire poterant, quãuis longè à cruce. Aliter quoque soluit hoc pacto: Possumus, iquit, intelligere, quod illæ feminæ, quæ simul aderant cũ matre Domini, postquã eam discipulo commendauit abire iã cęperant; vt à densitate turbæ se exuerent, & longius cætera intuerentur, &c. Aduerte Matthæum & Marcũ dixisse feminas à longè stetisse, postquã Christus expirauit, potuerunt ergo diuerso tempore, & iuxta crucem esse, & longè à cruce, videlicet, dum Christus vixit, iuxta crucem fuerunt, postquam verò mortuus est, à cruce recesserunt, & à longè steterũt. Card. Caiet. vult feminas stetisse quidem à longè prius, postea ad crucẽ accessisse. Euangelistæ vero Matthæus, & Marcus, iuxta hanc sententiam non seruarunt in narrando ordinem temporis. Quod autem ait Lucas; *Stabant omnes noti eius à longè*, non de vniuersis accipiendum videtur, quia particula, omnes, dicitur etiam de plurimis, & non ad totum refertur, sed ad partẽ maximam, vt docet D Hiero. de filio prodigo. lege Euthymiũ Ioan 10. ad illa verba, Omnes fures sunt, &c. Omnes ergo noti Christi stabant longè à cruce, id est, plerique, potuerunt tamen pauci aliqui noti esse prope crucem.

Caietan.

Mulier, ecce filius tuus.

Tertium verbum.

POstquam Dominus Patrẽ pro crucifigentibus orauit, latronique pęnitenti paradisum promisit, matrem astantem extremis alloquitur verbis, filiumque ei dat, astantem simul Ioannem. *Mulier*, inquit, *ecce filius tuus*, Nũquid Christus non fuit deinceps filius Virginis? quorsum igitur alium illi filium donat? Respondemus Christum Deiparæ filium esse æternum, sed quia in cælum erat ascensurus, matrisque corporalem aspectum relicturus, filiũ ei alterum prouidet, qui illius curam agat dil gentissimam. Cur Christus in cruce filium voluit matri dare? cur id non fecit cum in cælum ascendit? tũc enim matrem reliquit, ante ascensionem sæpe eam inuisit. Respondetur, Christum matrẽ in cruce reliquisse: post crucẽ enim & resurrectionẽ cum ea non est versatus, licet sæpe inuiserit. Quia ergo in cruce relinquebat matrem, aliusque status resurrectionis sequebatur, in cruce filiũ ei prouidit.

Cur Christus in cruce virgini filium dederit.

Quæstionem quoque parit nomen, *Mulier*, cur Christus non appellat matrem, sed mulierem? Respondent Lyranus & alii, ne blanda matris appellatione viscera materna nimium commouerentur. Refellunt hanc responsionẽ nuptiæ Canę Galilææ, in quib. Dominus, Virginem, non matrẽ, sed mulierem vocat, cum tamen nulla huiusmodi subesset causa. Refellunt item aliã, quæ redditur, rationem, nimirum vocatã mulierem Deiparã à Christo, vt viduam, & desertam significaret: atqui in nuptiis appellat mulierem, nec tamẽ erat à filio deserta. Verisimilius est mulierem vocasse, vt Deũ se esse indicaret, & matris suæ Dominũ ac Patrem. Forte apud Hebręos filii matres appellare solebant mulieres, eratque nomen Hebræum blandius, quam nomen mulieris.

Cur Christus matrẽ suã non appellet matrem.

Ecce mater tua.

ELigere voluit Dominus tantæ matris futurum filiũ, elegit vero dignissimum, videlicet, Ioannem, qui ex fuga reuocatus, iuxta crucem aderat Virginis comes. *Ecce*, iquit, *mater tua*. Quæritur, an verba Domini in virgine, & Ioanne relationes aliquas physicas, ac veras, matris in virgine, filii in Ioanne, effecerint? Non desunt qui id affirment; sed ne quid nimis. Respõdetur nullas physicas relationes effecisse verba Christi in virgine & Ioanne, matris, & filii. Neque enim verba significant virginem esse matrem Ioannis naturalem, & Ioannem esse naturalem filium

De relationibus Physicis inter Virginẽ, & Ioannem.

filium virginis, sed virginem loco matris datam esse Ioanni, Ioannem in locum Christi suffectum, neque possunt relationes absque posito fundamento inseri. Matris vero, & filii fundamentum, quis non videat in virgine & Ioāne poni non potuisse? facta est virgo mater Ioannis affectu & cura; factus est Ioannes filius virginis dilectione, & obsequio. *Accepit*, inquit, *eam discipulus in sua*, &c.

In qua sua acceperit Ioan. virginem.

D. Ambro.

In quæ sua accepit Ioannes Deiparam? Nonne omnia iam reliquerat? nonne ex illis erat, qui Matth. 19. aiūt: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, &c. Respondet D. Ambros. suscepisse eam in sua, id est, in bona sua spiritualia. In exhortatione ad virg. sic scribit: Quæ sua habebat Ioannes, qui mundana, & secularia non habebat, quia de mundo non erat? Bonus verbi, sapientiæque possessor, bonus receptor gratiæ. Audite quæ Apostoli à Christo acceperunt. *Accipite*, inquit, *Spiritum sanctum, quorum remiser.* &c. Neq; enim mater Domini nisi ad possessionem gratię demigraret, vbi Christus habebat habitaculum. Hæc ille.

D. August.

Aliter D. August. tract. 119. Suscepit, inquit, eam discipulus in sua, non prædia, quæ nulla propria possidebat, sed officia, quæ propria dispēsatione exequenda curabat, &c. Item suscepit eā discipulus in sua; vt ad eius curā, quidquid ei esset necessarium pertineret, &c.

D. Cyrill.

D. Cyrillus Ioan. 19 commendauit Christus matrem discipulo, vt officium filii in eam seruaret. Matrem similiter admonuit, vt parentis in discipulum authoritatem haberet. Amore videlicet, atque charitate, non minus illos coniungi voluit, quam si naturæ maxima propinquitate coniuncti essent, &c. Verum est accepisse Ioannē virginem in suam curam, & officia sed aduertendum, Gręcè legi, suscepit eam discipulus, *εἰς τὰ ἴδια*, id est, *in propria*, sic Ioannes capite primo dixit, *εἰς τὰ ἴδια*, id est, Christus *in propria* venit, &c. significat autem in sua, vel in propria suscipere, suscipere in domum suam.

Ester. 5.

Esther. 5. *Reuersus Amā in domum suam*, &c. Græcè εἰς τὰ ἴδια, &c. Act. 21. ὑπέστρεψαν εἰς τὰ ἴδια, *redierunt in sua, in domos suas*, &c. suscepit ergo Ioannes Deiparam in sua, vel in propria, id est, in domū suam. Habitasse autē videtur cum matre, in domum igitur suam in qua habitabat, suscepit virginem, curamque illius egit.

Ioseph vita iā erat defunctus.

D. Epiph.

Vbinam Ioseph & virginis sponsus eximia virtute præditus? Cur alii virgo traditur? Ex hoc loco colligit D. Epiphanius hæresi 78. Iosephum vita iam fuisse functum eo tempore, quo Dominus est crucifixus. Nam si Iosephum sponsum virgo superstitem haberet, non esset tradita Ioanni.

D. Cypria.

D. Cyprianus in tract. de passione superstitem passionis tempore Iosephum fuisse arbitratur, æquoque tulisse animo Christi factum: passus est æquanimiter Ioseph. (ait Cyprianus) sibi Ioannem in hoc seruitio præponi, quem digniorē se iudicabat. & ideo maximè, quia magister electio sic negotium ordinabat, &c. Si quæras, cur Christus sic negotium ordinauerit, & virginem Ioanni tradiderit; Respondet; quia iā exigebat ratio vt coniugii remoueretur opinio, neque vltra pater Christi ęstimaretur, qui eatenus vicem patris, & coniugis tenuerat, &c.

D. Ambro.

Eandem sententiam sequitur D. Ambros. in lib. de instit. virg. cap. 6. & 7. lege Gratianum 27. quæst. 2 Idem Ambros. similiter vt Cyprianus rationem reddit cur à Iosepho sit separata Deipara; Lucæ 23. Nō abrogaretur, inquit, vxor marito. sed quæ pro mysterio coniugium prætexuit, completis mysteriis, iam coniugio non egebat, &c.

Epiphanij snia præfertur, Iosephum ante passionem obysse.

Sententiam sequimur Epiphan. Ioseph tēpore quo Dominus crucis mortem subiit, iam fuisse vita perfunctum. Si n. tunc vixisset, non separaretur ab eo virgo, cum qua verū inierat coniugiū, virtuteq; habebat coniugii non vicem, quamobrem remoueri non poterat coniugium, neque coniugii rati non consummati opinio

Morale

Threnor. 1. amici tēpore nubilo adsunt.

Verno tempore nobiscum manent hirundines, hyemali aufugiunt: sic infideles amici, florido tempore nos comitantur, horrido deserunt. Thren. 1.

Non

Non est qui consuletur eam ex omnibus charis eius, omnes amici eius spreuerunt eam, &c. Fideles autem amici semper adsunt prestò. Prouer. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur*, &c. Fidelissima Christi amica virgo fuit, fidelissimus amicus fuit Ioannes, in finem dilexerunt eum, in furibunda illa passionis Christi procella dilectissimum suum minimè deseruerunt, sed iuxta crucem astiterunt. *Stabant*, inquit, *iuxta crucem*, &c. stabat Deipara instar palmæ, iuxta illud Cant. 7. *Statura tua assimilata est palmæ*, &c. Non cedit palma ponderi, non cessit Virgo dolori, nihil indecorum, nihil à personæ tantæ dignitate, & grauitate alienum gessit, non criminibus manus admouit, non genas, non pectus laniauit, non eiulauit, aut vociferata est, sed acerbissimum dolorẽ alto pressit pectore, profusisq; lachrymis modestè demonstrauit. Metaphrastes serm. de ortu & educ. Virg. die 15. August. Dicunt, inquit, ii qui de his rebus tractauerunt, eam ab initio vsque ad finem se fortiter atque constanter gessisse: honestè quidem & non indecorè vtentem motu animi; factis etiam ostendentem se esse matrem, sed matrem omnino illius qui amico, mortuo, motum animi certis finibus continuit, mortuumque videns filium, eo motu animi vsa est, vt oportuit hæc illa. Stabat Virgo forti animo, cernens nati vulnera, ferensque cordis cruciatum maximum.

Prouer. 17.

Cant. 7.

Virgo vt palma stetit, dolori nõ cedens.

Metaphra.

Virgo nihil iuxta crucẽ indecorũ plangendo fecit.

Multò enim maiori fortitudine illius viguit pectus, quàm Resphæ, quę, vt narratur 2. Reg. 21. duos crucifixos natos constanter multis diebus comitata est. Robore animi Machabæorum superauit matrem, de qua 2. Machabæo. 7. hæc scripta extant. *Supra modum autem mater mirabilis & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub vnius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem, quam in Deum habebat, singulos eorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia, & fœminea cogitationi masculinum animum inserens, dixit ad eos*, &c. Magnum mulieris robur, sed parum est, si

2. Reg. 21.

Fortitudo Deiparæ Virg.

2. Mach. 7.

A cum Deiparæ robore conferatur; cui egregiè & altiori modo verba prædicta ex parte congruunt. Nam, Deipara iuxta crucem astante, verissimè dici potest: Supra modum mirabilis mater, & bonorum memoria digna, quæ morientem filium Deum atque hominem cõspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat fœmineæ cogitationi masculinum animum inserens. Supra modum Mater mirabilis Virgo est, cuius concepB tio, & partus supra modum fuere mirabiles. Iam vero quænam fœmina bonorum memoria dignior est, quã Virgo, quam omnes benedictam prædicant inter mulieres: forti animo filiorum cædes tulit mater Machabæorum propter spem quã in Deum habebat, sed quanto spes Virginis maior erat, tanto fortitudo erat superior: Masculino animo Machabæorum mater filioC rum mortem intuita est; Virgo vnicũ filium, non qualemcumque, sed Deum atque hominem in crucẽ actum, plusquam masculino vidit animo. Vidit enim eum ex cruce pendentem, animo matris Dei.

Considera quam fortem generosũque animum titulus matris Dei, in doloribus flagitet, hunc illi tribue. Si voluit Abraham ope Dei adiutus filium dilectissimum Isaac immolare; quid vaD luisse Deiparam dicendum est? D. Antoninus par. 4. Theo. tit. 15. ca. 41 § 1. Stabat (ait) Virgo ita diuinæ voluntati conformis, quod (vt Anselmus ait) si oportuisset, ad implendam, secundũ rationem, voluntatem Dei, ipsa filium in cruce posuisset ac obtulisset: neque enim minoris fuit obedientiæ, quam Abraham, &c. Denique gladius illius E animam pertransiuit: illa tamen modestiæ metas non transiuit. Quam vehementer autem doluerit, docet D. Bernardus in ser. in verba illa Apoc. 12. Signum magnum app. in cęlo, &c. Tuã (inquit) ò virgo animam pertransiuit vis doloris, vt plusquam martyrẽ non immeritò prædicemus, in qua nimirũ corporeæ sensum passionis, excesserit compassionis affectus, &c. D. Bonauẽ. in stimulo amoris, cap. de plãctu Virg.

D. Anton.

Virgo iuxta crucem modestissimè fleuit.

D. Bernar.

Virginis dolor iuxta crucem.

D. Bonauẽ.

Filius

Filius, inquit, in corpore; ò Virgo, tu in corde es passa, singula vulnera per eius corpus sparsa, in tuo corde sunt vnita, &c. Item: Quæro matrem Dei, & inuenio spinas, clauos: quæro Mariam, & inuenio vulnera, & flagella. quia tota conuersa es in ista, &c. Item Iustinianus de Agone cap. 2. Clarissimum, inquit, passionis Christi speculū effectum erat cor virginis, &c. & cap. 17. In corpore filius, in mente erat genitrix crucifixa, &c. Guerricus serm. 4 de assumptione: Stabat iuxta crucē planè mater, quæ nec terrore mortis filiū deserebat. Quomodo enim morte terreri poterat, cuius charitas fortis, vt mors, imò fortior quam mors erat? planè iuxta crucem stabat, cuius mentem dolor crucis simul crucifigebat, suamque ipsius animam tam multiplex pertransibat gladius quantis confossum corpus filii cernebat vulneribus, &c. Damascen lib. 4 fidei ca. 15. Virgo dolores partus quos effugit pariēs, illos tempore passionis sustinuit, &c. Denique D. Anselm. de excellentia Virginis cap. 5. Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus martyrum, leue fuit, comparatione tuæ passionis ò Virgo. non crediderim te potuisse stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse spiritus vitæ spiritus consolationis, te confortaret, te consolaretur, te intus doceret non esse mortem cum absumentem, sed magis triumphum omnia ei subiicientem, &c. in mediis fluctibus stat rupes, concutitur aquarum vi, sed nō mouetur: sic Deipara in mediis stabat dolorum vndis, cruciatuū vi impetebatur, sed nullo indecoro, vel mentis, vel corporis motu permouebatur. Stat columna recta graue sustinens pondus: sic stabat columna fidei Virgo, graue dolorum pondus perferens, stabat (inquam) rectissima, neque in vllam impatientiæ cogitationem flectebatur. Maximū illa die triūphum patientia egit in corde Virginis; omnes dolores vicit; impatientiā conculcauit; ipsos hostes, Christi crucifixores, non odio sed amore prosecuta est, & pro illis Deum deprecata.

Iustinian. — *Guerricus.* — *D. Damas.* — *D. Ansel.* — *Virginis patientia.*

A *Stabat autem Deipara iuxtà crucem*, ò beatam stationem, ò beatam arborē, ò vmbram saluberrimam, *Sub vmbra illius quem desideraueram, sedi*, Cant. 2. *& fructus eius dulcis gutturi meo*, &c. sedit Virgo sub desiderata vmbra Christi crucifixi; fructus eius illi dulcissimus. Quid dulcius diuina gratia, fide, spe, charitate, reliquisque virtutibus? quid dulcius gloria sempiterna? B Hi sunt crucis fructus suauissimi, nec non amarissimi. Fuere amarissimi cum ex arbore producti sunt; sunt suauissimi, cum degustantur. fructus quoque arboris huius est ipsa statio. Stabat Deipara iuxta crucem. Ex cruce orta est illius statio admirabilis. Cecidit Adam, cecidit Eua, cecidere Angeli, cecidere homines, illa stetit semper. Quicumque stat, meritis crucis stat. neque solum stat, sed surgit. Omnes C cecidimus, per crucē vero surgimus, surgētes per crucem stamus. Qui vult ergo stare, iuxta crucem, &c. stet inquam, iuxta Christum crucifixum, intellectu atque voluntate. Intellectu stet, cruciatus Domini corde frequenter versando. Voluntate stet, eundem summa dilectione & obsequio prosequendo. Dixit hoc Paulus ad Hebræos 12. illis verbis: *Recogitate eum, qui talē* D *sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes*, &c Hoc est, versate animo Christum crucifixum, ne defatigemini, & deficiatis, ac cadatis, sed stetis D Damasc. lib. 4. de fide: Crux, inquit, iacentium est resurrectio, stantium fulcrum, infirmorum baculus, &c. *Stabat iuxta crucem*, Deipara, & Ioannes, hæc statio proborum virorum est; iuxta crucem stant, carnemque crucifixam habent, iuxta E illud Pauli ad Galat. 5. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis*, &c. ad vmbrā crucis confugiunt sancti viri, vt ab æstu concupiscentiæ liberentur, ad crucem confugiunt, vt gratia virtutibusque exornentur. Primi parentes Gen. 3. *consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*, id est, cinctoria, vt nuditatem turpitudinēque suam tegerent.

Cant. 2. — *Per crucē resurgimus, & stamus.* — *Hebr. 12.* — *D. Damas.* — *Probi viri iuxta crucem stant.* — *Galat. 5.* — *Gen. 3.*

Nos

Nos non ad folia ficus, sed ad fructus crucis confugiamus, faciamusq; nobis non perizomata, sed byssinas, bombycinas, aureasq; vestes, quibus paupertatem, nuditatemq; tegamus nostram animūq; & corpus exornemus. Væ improbis illis, de quibus Paul. ad Philip. 3. *Multi, inquit, ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem, & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorū qui terrena sapiunt*, &c. Væ inimicis crucis, qui ventrem suum fecere Deum, qui gloriam posuerunt in confusione ipsorum Græcè, αἰσχύνη, id est, in verecūdia, in rebus pudendis, quę confusionē & verecundiam pariunt, quique terrenis rebus se manciparunt. Beatus ille qui cum Paulo iuxta crucem stans, ait ad Galat. 6. *Mihi autē absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*, &c. Sub vmbra crucis Deiparam reperiemus, Ioannem, Petrum, Paulum, Apostolos omnes, martyres, Virgines, confessores, non desunt eximii comites, stemus cum illis iuxta crucem. Iuxta crucem latro paradisum reperit, nos quoque iuxta crucem paradisum reperiemus, iuxta crucē Ioannes filius virginis effectus est, virginemq; accepit in sua. Nos autem iuxta crucem, filii virginis efficiemur, eamq; in nostram matrem accipiemus, quam summopere diligamus, & in dominam, cui toto corde seruiamus.

Psalm. 3.

Gal 6.

Vmbra crucis.

Mulier ecce filius tuus, ait Dominus Deiparæ, & Ioanni: *Ecce mater tua*. Typū gerebat illa Ecclesię; Ioannes Christianorum. Ecclesia mater est nostra; nos Ecclesiæ sumus filii. Cuilibet Christiano dicitur: Ecce mater tua Ecclesia, Venerare vt matrem, morē in omnibus gere, honorem tribue, illius doctrinam sequere, tunicam inconsutilē ne scinde, matrem hæresi & schismate ne lania. Ecclesię dicitur, Ecce filii tui, ama vt filios, guberna, pasce diuino verbo, pasce sacramentis, in cœli viā dirige, à tartari barathro auerte.

Deipara typus Ecclesię Ioan. Christianorum.

Præter hæc documentum habemus Christi hoc loco vt parentum curam geramus, vt docet D. Cyrillus, D. Ambros. Lucæ 23. Religiosum, inquit, est, quod latroni venia donatur, multo religiosius, quod mater honoratur a filio, &c. August. tract. 119. Exemplo suo ministros instruxit Christus vt à filiis impendatur cura parentibus, &c. Euthymius: Iam, inquit, moriens, matrē commendat discipulo, summè dilectā, maximè dilecto, virginem virgini, instruens nos, vt curam habeamus parētum ad extremum vsque spiritum, &c. Cypr. tract. de passione. Nunc, inquit, Domine materno moueris affectu, & thalamum humanitatis tuæ, cubiculario dilecto commendas, & prouides sedulo benedictæ inter mulieres, Apostolicā clientelam, & obsequium virginis, virgini discipulo tradis, &cæt. Hoc verbū Christi, ait D Bernar. Virginis animā pertransisse, vt gladium, serm. in illud Apoc. 12. *Signum magnū*, &c. An, inquit, non tibi, ò Virgo, plusquam gladius fuit, sermo ille reuera pertransiens animam tuam: *Mulier ecce filius tuus*? ò commutationem. Ioan. tibi pro Iesu traditur; seruus pro domino, discipulus pro magistro, homo purus pro Deo vero, &c.

D. Ambr.

Cura gerēda parētū.

Euthym.

D. Cypr.

D. Bernar.

Si quæras cur Ioanni matrem commendarit Dominus, respondet D. Epiphan. hæres. 78. his verbis: Manifestū est, quod propter Virginitatem, *ecce*, ait, *mater tua*, quamuis nō esset ipsius. sed vt ostenderet ipsam matrem esse principem virginitatis, quoniam ipsa vita erat, &c. Euthymius aliam adiungit causam, videlicet Ioānis vsque ad crucem constantiam. Discipulum, inquit, honore maximo honorauit, ac interim hanc longanimitatis dedit mercedem, &c. D. Ambros. de Instit. Virg. cap 7. Tradita, inquit, est virgo Ioanni coniugium nescienti; vnde nō miror, præ cæteris locutum mysteria diuina, cui præsto erat aula cælestium sacramentorum, &c. Libēter se virgo virginibus castisque hominibus tradit, illorum libenter mater est. Qui Virginem in matrem vult habere, & in propria suscipere, castitatem vehementer colat, omnem libidinis spurcitiam à se longè propellat, si alter Ioannes pro sua tenui parte.

Cur Ioānī matrē commendarit Dominus.

D. Epipha.

Euthym.

D. Ambro.

Castitas cōmendatur.

CAPVT XVII.

Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?

Quartum verbum.

CIrca horam nonam, ait Matthæus, vel hora nona, vt ait Marcus, magna voce exclamauit Dominus, patremq; sic est allocutus, *Eli, Eli, lamma sabacthani*, hoc est Deus meus, Deus meus; quare dereliquisti me? nam, *Eli*, cum affixo, significat idẽ, quod, Deus meus, *lamma*, quare, *sabactani*, cum affixo, dereliquisti me. Apud Marcum legitur, *Eloi*, quod nomen idem significat atque *Eli*. In Psalmo Hebræo 21. legitur, *azabtani*, quod idẽ est, atque *sabactani*; parua facta in lingua Hebræa mutatione. Neq; verò idcirco opus est dicere, Iudæos post captiuitatem Babylonicam, mutasse linguam Hebræam in Syriacam, vt alibi diximus.

Horum verborum multiplex est interpretatio. Prima interpretatio est, derelictũ Dominum, quia noluit illum Pater morti eripere, noluit in persona ipsa Christi tunc temporis miracula & maiestatẽ ostendere. Bernar. ser. 5. de verbis Isaiæ, Vidi Dom. Quasi, inquit, quædam ibi derelictio fuit, vbi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio, nulla ostẽsio maiestatis, &c. Secunda interpretatio est; *Vt quid dereliquisti me*, id est, meum genus, meũ populum Iudæorũ, ex quo natus sum ego & mater mea. Theophylactus huius meminit interpretationis. Quidã, inquit, hoc sic intellexerunt, quod Saluator in se personam gerat Iudæorũ, & dicat, Vt quid dereliquisti Iudaicum populum ô Pater, vt tantum admittat peccatum, & perditioni tradatur? Dereliquit me dicit, hoc est, meã cognationem, meumque populum. Hæc Theoph. Tertia; Protulit hæc verba Christus, vt se verum hominem esse confirmaret. Euthym. Vt quid, inquit, dereliquisti me, vt sustinerem dolores? Hoc autem dixit confirmans, quod sicut in veritate assumpsit humanam naturam, ita quoque verè crucifixus est, & non phãtasticè, prout multi hæretici delirarunt. Neque enim nisi dolens ita clamasset, &c. Quarta est vulgatis, blanda conquestione rogat Patrem Dominus cur eum dereliquerit, hoc est, cur nullam consolationem præbuerit tot cruciatus ferenti. Vt enim supra diximus, non est passus Dominus à parte superiori animæ, in partem inferiorem consolationem emanare. Quinta; Ostendit Dominus hoc loco, id quod ostendit in horto, videlicet naturam à morte abhorrere, vitã cupere; sed subiectam esse debere voluntati Dei, ideo ait: Pater vt quid me dereliquisti ad mortem vsque, quare me sic mori passus es, quare non transtulisti à me calicem vt petiui in horto, sed vsque ad feces haurire voluisti? En facta est voluntas tua. Theophyla. Sicut, inquit, Christus in mœstitia fuit ante crucem, ostendens timorem naturæ nostræ congruentem, (scilicet in horto) ita nunc ait, vt quid me dereliquisti, insinuans naturalem viuendi cupiditatem, &c. Sexta; D. Leo serm. 16. de pass. sic explanat; Causam, inquit, inquirit Christus qua sit derelictus, id est, non exauditus, &c. Item: Interrogat cur pati metuens caro, exaudita non fuerit (scilicet in horto) instante enim passione dixerat: *Pater si possibile est transeat à me calix iste*, &c. Itaque rogat Dominus quare sit derelictus, id est, non exauditus in horto, &c. D. Thomas 3. par. quæst. 50. art. 2. Dicit Christus se derelictum quantum ad illam orationẽ, qua dixerat: Pater si fieri potest transeat à me calix, &c.

D. Bern. *Theophyl.* *Euthym.* *Verè, non phãtasticè Christus est cruci suffixus.* *Theophyl.* *D. Leo.* *D. Thom.*

Septima est huiusmodi; Pater quare dereliquisti me, & morti tradidisti, siquidem homines meæ crucis meritis fruentur pauci, si cum iis cõferantur, qui pœnas æternas dabunt? Origen. Matth. 27. Forsitan, inquit, videns peccata hominum pro quibus patiebatur, dicebat Christus: *Quare me dereliquisti; vt fierem quasi qui colligit stipulam in messe, & sicut qui colligit racemos in vindemia, cum non sit botrio ad manducandum.*

Origen. *Michææ 7.*

candum primitius,&c. Octaua; Protulit Christus hoc verbum, vt nos causas inquiramus, cur eum Pater dereliquerit, & tradiderit tot cruciatibus. Si enim causa passionis Christi non cognoscatur, videlicet, quod crucem pertulit, vt medicinam peccatis afferret, nemo tam singulari medicina vtetur. Pater, inquit, quare dereliquisti me? Sanè, vt peccatoribus, ne perirent, remedium præberes; fac vt causam cognoscant, remediumq; præsentissimū vulneribus adhibeant. Cyprian. tracta. de pass. Tu, inquit, Domine de morte non agis, de opprobriis non contendis, sed hoc vis intelligi, quæ sit causa mortis, quis quæstus, vt vtraque re cognita, peccatum appareat, & gratia, & quanti ponderis sit vtrumque rerum probet effectus: cum originali morti nullum, nisi in Christi morte potuerit esse remedium, nec reconciliare Deo potuit exules, & damnatos quælibet oblatio, nisi sanguinis huius singulare sacrificium, &c. Nona; Deus erat Christus & homo, poterant homines existimare, sine dolore ac mœrore tulisse cruciatus, quia Deus erat: idcirco in horto sudore sanguineo perfusus, ostēdit quantum illi dolorem & mœrorē cruciatus attulerint. In cruce vero idē ostēdit, derelictum se à Patre clamās, & doloribus circumuallatū. Itaq; tam initio passionis in horto, quam in fine in cruce, passionis dolores maximos fuisse indicat. Decima; Ostendit Christus his verbis suam innocentiam, latrones qui cum eo erant crucifixi, rogare non poterant, *vt quid crucifixi sumus ac derelicti?* quoniam nocentes erant, crucis supplicio digni. At Dominus innocentissimus erat; idcirco merito ait, *Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Cur me tot tormentis exposuisti, cum sim innocentissimus. Causam cur sit derelictus ipso Psal. 21. reddit verbis consequentibus, *Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti: longè à salute mea verba delictorum meorum*, &c. Illud (*respice in me*) addiderunt Septuag. Interp. maioris explicationis gratia. Causa derelictionis his verbis declaratur: *longè à salute mea verba delictorum meorum*. Hoc est, longè distant a salute mea, & vita, mortemque; & derelictionē hanc flagitant delicta mea; hoc est, delicta hominum, quæ tanquam mea sanguine & morte expianda suscepi. Non pro delictis à me commissis, sed pro delictis hominum derelictus a te sum.

D. Cyprian.

Causa passionis Christi consideranda.

Dolor Christi maximus.

Innocentia Christi.

Derelictus autē est Christus à Deo, quia passioni eum non eripuit, & omni consolatione in cruciatibus acerbissimis priuauit. Non autem derelictus est, quod diuinitas ab eo in cruce discesserit, vt docet Nyssenus Grego. orat. 1 de resurrectione, Athanas. lib. de incarn. August. tract. 47. in Ioan. D. Thom. 3 p. q. 50. art. 2. Damas. lib. 3. fidei cap. 27. Et si, inquit, Christus mortuus est vt homo, & anima eius à corpore diuisa est, diuinitas tñ ab aïa corpore inseparabilis permansit, &c. D. Hilarius aliud videtur sensisse Cant. 33. hanc enim vocē, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me: corporis vocem esse ait recedentis à se verbi Dei contestatā dissidium. Similiter D Ambros. in Lucā: Clamauit, inquit, homo diuinitatis separatione moriturus. Nam cum diuinitas mortis libera sit, vtique mors esse non poterat, nisi vita discederet, qa vita diuinitas est, &c. Sed cum duplex diuinitatis separatio cogitari possit, altera qua omnino diuinitas separari poterat ab humanitate, quod nunquā fiet, altera qua separari poterat priuando humanitatem auxiliis, quibus mortē effugeret, & nullā præbendo consolationem: de hac secunda hi Patres exponi possunt. lege Magistrum sentent. lib. 3. dist. 21. & Sixtum Sen. annot. 126. & 164.

Diuinitas nunquā reliquit humanitatē.

D. Hilar.

D. Ambro.

Hic potest cogitari duplex diuinitatis separatio.

Postulant à nobis verba hæc Christi, vt causas inuestigemus, cur Dei vnigenitus filius charissimus derelictus sit, totque tormētis traditus, iuxta verba illa Cypriani, siue Autoris de operibus Cardin. Christi, iam citata: Hoc Domine vis itelligi, quæ sit causa mortis, quis quæstus, &cæt. Derelictus est Dominus, ne nos derelinqueremur, derelictus est, vt à peccatis, æternaque morte liberaremur, derelictus est, vt amorem suum erga nos ostenderet, vt iusti-

Causę mortis Christi cōsiderādę.

iustitiam, misericordiamque suam nobis patefaceret, vt amorem nostrũ ad se reparet, denique vt exemplum nobis patiendi exhiberet. Patet in cælũ via, sed ardua, & difficilis; præire voluit exemplo admirabili, ne via terreret, sed stupendũ Dei patientis exemplum nos cócitaret. Audiamus D. Leonem serm. 16. de pass. Per Christum, inquit, ad Christũ tendit, qui per semitam patientiæ, & humilitatis incedit. in quo planè itinere, nec æstus deest laboris, nec nubes tristitię, nec procella formidinis. Ibi sunt insidiæ iniquorum, persecutiones infideliũ, minæ potentiũ, contumeliæ superborum, quæ Dominus Rex gloriæ ideò omnia percurrit, vt inter præsentis vitæ pericula, non tã optandum sit nobis, declinãdo ista effugere, quam tolerando superare. Hæc ille. Animo sæpe voluamus cur Pater charissimum filium dereliquerit, si Deũ nolumus derelinquere. Passionis enim Christi causę, recta, cordis trutina, expensæ, ita Deo per amorem & timorem faciunt adhærere, vt possit fragilis homo crucis auxilio innixus, clamare cum Paulo ad Rom. 8. *Quis me separabit à charitate Christi,* &c. item *In his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos,* &c. eum, qui tã vehementer dilexit nos, ante oculos habet cruci suffixum, vehementer diligit diligentem, amorisq; vi dilecto ita adhæret, vt propter illum aduersa omnia superet.

D. Leo.

Exemplũ Christi.

Rom. 8.

Quæret aliquis, cur Dominus magna nũc voce clamarit, cũ dixit: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Respondetur, magna clamasse voce in extremo spiritu, vt ostẽderet se plusquam hominẽ esse, nempe hominem, & Deum, qui vires haberet diuinas: vnde, vt ait Marcus, *videns* Centurio *quia sic clamans expirasset, dixit: Vere hic homo filius Dei erat*. Quæret itẽ, cur Hebræa lingua scripta sint hæc verba? Respondetur, ideo Hebræa lingua scripta, quia ii qui aderant ex nomine Hebręo *Eli*, occasionem sumpserunt, dicendi *Eliam* vocat iste, vt mox dicemus, lege lib. 6. huius tomi, cap. 6.

Cur Dominus clamauerit.

CAPVT XVIII.

Sitio.

DIxerat Dominus, *Eli, Eli,* &c. *Quidã aũt illic astantes* (vt ait Matth.) *& audientes dicebant: Eliam vocat iste.* Potuerunt hi esse milites aliqui Hebrææ linguæ imperiti, qui putarũt *Eli, Eli,* significare Eliã. At vero vnde Eliam agnoscebant, si adeo linguæ erant imperiti? Fuisse videntur milites Ethnici, vel Iudæi linguæ periti, qui in verbo Eli, eli, ludere voluerũt. Nam Christus magna voce protulit hæc verba, longoq; Caluariæ montis spatio audita sunt, & itellecta. Hi Christo illudentes, imbecillemq; esse ostẽdentes, Eliã vocare aiunt, vt ipsum è cruce deponat & liberet, siquidẽ descendere ex illa non poterat, iuxta illud, *Si Rex Israel est, descẽdat nũc de cruce,* &c. Post prædicta verò verba, *Eli, eli,* &c. dixit Christus, *Sitio.* Quod verbũ Matthæus, Marcusq; præterierunt, Ioannes literis mãdauit, quamobrem nulla inter illos est discrepãtia. de potu vero omnes scripserunt, Matth. sic: *& cõtinuo currens vnus ex eis, acceptam spongiã impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere,* &c. eodẽ modo Marcus Ioannes hoc pacto: *Postea sciẽs Iesus, quia omnia iã consummata sunt, vt cõsummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo positũ erat aceto plenũ. Illi autẽ spongiam plenã aceto hyssopo circũponentes, obtulerunt ori eius,* &c. Cũ ergo Dominus sciret omnia ad finẽ vsque perducta esse, quæ de passione à Patre erant decreta; illud vaticiniũ Psal. 68. īplere voluit, *In siti mea potauerunt me aceto,* &c. idcirco dixit: *Sitio.* & verè quidem sanguine exhausto sitiebat. Aduerte, bis potum Christo oblatum semel enim cũ in montem Caluariæ venit, antequam in crucem ageretur, vino myrrhato felle permixto potatus est: iterum iam in cruce pendens, aceto, lege cap. 11. huius libri.

Quintum verbum.

Cur dixerint milites, Eliam, vocat iste.

Exhaustus erat totus Christi sanguis, ideo sitiebat.

Vas

Vas ergo positum erat aceto plenum.

QVæritur quisnam in montẽ Caluariæ vas aceto plenum adduxerit, spongiam, hyssopum, arundinem, & quorsum hæc adducta sunt in montem? Priori quęstioni rñdetur morem fuisse, vt hęc omnia afferrentur in locum crucifixorum. vnde Theophylactus in Matth. Aceto, inquit, Christũ potant, id quod damnatis faciebant, &c. Secundæ quæstioni respondetur, vas aceto plenum allatum, vt reis propinatum mortem accelerareт: acetum autem accelerare mortem, ait Caiet. Iansenius, Toletus, & alii. Montanus, Dabant, inquit, Christo bibere acetũ, vt citius interficerent. Nam acetum membris & neruis læsis vehementer nocet, & dolorem primum, deinde stuporem lethalem affert, &c. Theophyl. in Marcum: Cucurrit, inquit, vnus, vt acetum Christo potandum porrigeret, quo citius eum aceti conficeret amaritudo, &c Card. Baron. tom. 1. hãc opinionem reprobat, atq; aceto spongiæ, & hyssopo insitam à natura esse virtutem sistendi sanguinem, non accelerandi mortem: Lyranus quoque Matthæ. 27. putat non esse probabile eos citius mori, qui acetum bibunt, tũ addit: scribitur in quodam libro Hebraico, qui intitulatur, Liber iudicũ ordinariorum, quod quia Salomon dixerat Prou. 31. *Date siceram mœrẽtibus*, &c. ideo ex occasione huius verbi seniores Iudæorum statuerunt vt condẽnatis ad mortem daretur vinum aromaticum ad bibendum, vt facilius tolerarent passionem. In Ierusalem autẽ erant matronæ deuotæ, quæ hoc vinũ dabant ex deuotione. Iudæi tale vinũ datum pro Christo, & aliis duobus, acceperunt sibi: & loco eius posuerunt acetum cum felle mixtum. Hæc ille. Est alia opinio; datum acetum crucifigẽdis, vt recrearetur, si quis metu mortis, antequã in crucem sublatus esset, exanimaretur, in quẽ vsum & capite plectẽdis, & his, quibus secta vena sanguis extrahitur, etiã hodierno die dari solet. Titelmanus procuratione inimicorum acetum paratum esse sentit.

Cur acetũ crucifigendis detur.

Prima opinio videtur probabilis. Verisimile est enim, vt ante crucẽ, vinum reis dari soleret, ad leniendã mæstitiam: ita postea acetum dari solitũ, ad accelerandam mortem, ne diu doloribus cruciarentur, vel ne opus esset crurifragii dolore maximo: Adde eos, qui crucifixos custodiebant, citò illos mori voluisse, vt à custodia discederẽt. Sed Card. Baronius, cómentum appellat hanc opinionem; illa tamen doctorum multorum est, qui non temerè dixisse videntur, acetum mortẽ accelerare: id mihi exploratum non est. quod si verũ est, probabilior cæteris est hæc opinio. Cardinalis ait acetum sistendi sanguinem habere vim, hyssopum, & spongiã, datumque esse acetum crucifixis ferali sæuitia, vt sanguis sisteretur, diutiusque torquerentur. At nõ videtur hæc feralis sæuitia, sine causa euidentiori, tribuenda hominibus. Si enim amplius torqueri vellẽt crucifixos, non deerant alii faciliores modi. Quis tã ferus est vt erga morientẽ, ferali sæuitia vti velit? Humanitatis causa vinum dabatur ante crucẽ, humanitatis quoque causa acetum in cruce, vt citius doloribus soluerẽtur. (si tamen verum est acetum morti addere stimulos.) Opinio, quæ fert ad recreandos exanimatos, datum acetum, non placet. Solent enim recreari si aqua odorifera aspergãtur, vel vini potu, non autẽ aceti. Forte non propter crucifixos, sed propter crucifixores, vas aceti positũ erat in monte Caluariæ, loco dãnatorum, forte fętido, ad imbuendas nares, & odore tetrũ pellẽdum. sic aceto pestis tẽpore solemus vti. hyssopo aer aspergebatur, spõgia vero ferebatur ad extergẽdum sanguinẽ corporum ne corrũperetur, vel ad aliquid aliud. Potuit etiã poni vas aceti, propter custodes corporis mortui.

Opinio Cardinalis Baronij.

Vini potus exanimatos recreat.

Sine, videamus an veniat Elias

Quomodo sit propinatum.

QVomodo acetũ Christo sit datũ, explicant Euãgelistæ. Matthæus: *tum Currẽs*, inquit, *vnus ex eis accep. a spõgia sto acetum.* im-

impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cæteri verò dicebant: Sine, videamus an veniat Elias, ad deponendum eum, &c. Marcus hoc modo: *Currens autem vnus, & implens spongiã aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite videamus si veniat Elias, ad deponendum eum*, &c. Lucas sic: *Illudebant ei milites accedentes, & acetum offerentes ei, & dicentes, Si tu es rex Iudæorum, saluum te fac*, &c. Ioannes hoc pacto: *Illi spongiam plenã aceto hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius*, &c. Videtur Matthæus à Marco dissentire. Nam Matth. ait vnum ex illis obtulisse acetum Christo; cæteros verò dixisse: Sine, videamus an veniat Elias. Marcus verò ait, vnum ex illis potum dedisse Domino, eundemque dixisse: *Sinite, videamus si veniat Elias*, &c. Non dissentiunt Matthæus & Marcus; vtrumque verum est: postquam Christus dixit Eli, Eli, &c. & sitio. Vnus accurrens acetum obtulit ei, dixitque reliquis; sinite illum, nihil illi mali faciatis. Videamus an veniat Elias, vt eum de cruce deponat. Cæteri verò idem repetiuerunt, dicẽtes: Sine tu quoque videamus an veniat Elias, &c. Theophylact. ita exponit. Acetum (inquit) Christo in potum dabant, vt moreretur, priusquam veniret Elias. Vnde alii dicunt; Sine, videamus an veniat Elias, hoc est, sine eum, ne facias mori, vt sciamus, an iuuetur ab Elia. sic ille. Lucas numero vtitur multitudinis; Illudebant, inquit, ei milites accedentes, & acetũ offerentes: & Ioãnes; Illi spongiam hyssopo circumponẽtes obtulerunt ori eius, &c. Quod vnus fecit, multi fecisse dicũtur, quia alii quoque cum illo ad Christum accesserunt, vt acetum illi offerrent. Vnde Lucas ait: accedentes, & acetum offerentes. Ille vnus arundini impositam spongiã admouit ori Christi; alii accessere, vt comites facti. Vel fortè non vnus tantum, sed plures acetum ori Christi obtulerunt. Iuxta hanc interpretationẽ verba Marci sic interpretari possumus: Currens vnus dabat Christo potum, dicens: Sinite me acetum in potũ illi dare. Videamus an veniat Elias; cæteri responderunt; Sinite quoque nos ei præbere acetum, &c. Itaque plures acetum ei præbuerunt.

Concordia Euang. — *Theophyl.*

Spongiam aceto plenam hyssopo circumponentes.

VIdetur Ioannes à Marco & Matthæo discrepare. Matth. ait, spongiam aceto plenam fuisse impositam arundini, & sic Christo oblatum acetũ propter altitudinem crucis, Marcus scribit, spongiam circũpositam calamo, quod idem est. Ioannes autẽ narrat, spongiam aceto plenam circumpositam hyssopo, & oblatã Domino. At arundini est circumposita spongia, non ergo hyssopo. Adiiciamus Græca. Nam hi Euangelistæ omnes eodẽ participio vtuntur. Matthæus & Marcus, καὶ περιθεὶς καλάμῳ. i. spongiã *circumponens calamo* Ioãnes ὑσσώπῳ περιθέντες. i. *hyssopo* spongiam *circumponentes*. Inquirendum est quonam modo eadem spongia sit circumposita calamo, siue arundini & hyssopo. D. Cyrillus respondet, plures Christo acetum obtulisse, vt supra diximus: alios obtulisse spongiam aceto plenam circumpositam calamo, alios circumpositam ligno hyssopi. Euthymius existimat arundinem siue calamum, de quo loquitur Matthæus, fuisse calamum herbæ hyssopi; ideoque Ioannem dixisse, spõgiam circumpositam hyssopo, id est, calamo, siue cauli hyssopi: & Matthæum, impositam fuisse calamo siue arundini, nimirum hyssopi. Meminit huius interpretationis Theophylãctus, & probare videtur Ioan. 19. Quidam, inquit, hyssopum dicunt calamũ, talis est summitas calami. Circumponunt igitur calamo spongiam, & cæt. D. quoque Chrysost. cum ait, nonnullos spongiam ligno hyssopi circumpositã obtulisse, sentit, hyssopi caulẽ vicem arundinis potuisse gerere. Lyranus etiam, D. Antoninus, D. Thomas, Carthusianus, & Titelmanus, aiũt spongiam circumpositam hyssopo, id est, cauli hyssopi, & ori Domini admotam. Obstat huic sententiæ, quod hyssopus humilis herba est, & caulẽm nõ habet.

Quomodo spongia sit hyssopo circumposita. — *D. Cyrill.* — *Euthym.* — *Lyranus. D. Thom.*

habet, qui vicem arundinis gerere possit. Vt constat ex lib. 3. Reg. cap. 4. si quis verò dicat illo tempore in Iudęa caulem hyssopi longi temporis fuisse crassum instar arundinis, quis contrariam partem probabit? 3. lib. reg. fit mentio hyssopi humilis, *quæ egreditur de pariete*, non autem illius, quæ in terra oritur, quæ caulem crassum potuit habere, ita vt posset leuem spongiam sustinere.

3. Reg. 4.

Caietan. & Gagneius interpretantur, spongiam circumpositam fuisse arundini hyssopo, hoc est, hyssopi ramusculis cũ arundine colligatam; quia flexibilis herba est. Verum si Ioannes hoc significare voluisset, arũdinis mẽtionem fecisset, cui alligata dicitur spongia hyssopi vinculo; ille verò solum ait, spongiam hyssopo circumponentes. Nullius rei facit mentionem, cui fuerit alligata spongia; facturus, si hyssopus fuisset vinculum.

Caietan. Gagn.

Card. Baron. videtur sentire hyssopi succum aceto permixtum datum fuisse Christo: sic enim scribit tom. 1. Ex Gręco textu colligitur, & ex Theophylacto, acetum illud hyssopo fuisse permixtum, atque cõditum; sicque ex aceto & hyssopo spongiam fuisse imbutam, & arundini affixam, &c. Quod ait ex textu Græco colligi hanc opinionẽ, iudicet lector, supra enim textus Græcus est propositus, Ioannis, Matthæi & Marci, ex quo hoc colligi non videtur. Theophyl. verò in Ioannem, Matthæum & Marcum, nullum habet verbũ, quod illi faueat. *περιθέις* enim significat *circumponẽs*, *περιθέντες circumponentes*. At hyssopi succo nõ circumponitur spongia, sed ipso succo imbuitur & impletur. Denique, quẽadmodum participium *circumponens arundini, vel calamo*, apud Matthæum, & Marcum, significat spongiam circũ calamum, vel arũdinem esse positam, ita apud Ioannem, *circumponentes hyssopo*, significare debet circum herbam hyssopum esse positam eandem spongiam, quod ita factũ est, videlicet herbam hyssopum ipsa spongia cinxerũt, ita vt in medio spongiæ essent ramusculi hyssopi, deinde spongiam cingẽ-

Card. Baron.

A gentem hyssopum arundini inseruerunt, ac circumposuerunt. Voluerunt enim Christo illudere, iuxta illud Lucæ; *illudebant ei milites accedentes, & acetum offerentes*, &c. Obtuleruntque non solum potum, id est, acetum, sed etiam escam, id est, hyssopum herbam: vel forte illudentes, obtulerunt acetum, ramusculorum hyssopi viriditate veluti exornatum. nisi placeat caulem hyssopi fuisse arundinis instar, ilB lique spongiam circumpositam. Consentiunt, ergo Euangelistæ, siquidem spongia aceto plena circumposita est hyssopo, vt ait Ioannes, & circumposita est arundini, siue calamo, vt aiunt Matthęus & Marcus; hocq; modo Christo cũ dixit, *sitio*, potus est oblatus.

Verè sitiebat, aquamque appetebat Dominus: non tamen hac solum sitim verbo, *sitio*, significauit, sed sitim etiã aliam, qua hominum salutem, animasC que sitiebat. Iustinianus lib. de agone cap. 19. Quod, inquit, Christus Samaritanæ dixerat, *Da mihi bibere*. hoc in cruce omnibus ait: *Sitio*, &c. Item: Sitis hæc de ardore dilectionis, de amoris fonte, de latitudine nascitur charitatis, sitiebat nos, & dare se nobis desiderabat, &c. Apoc. 17. *Aquæ populi sũt, & gentes, & linguæ*, &c. Hanc aquam sitiebat Dominus, nimirum populorũ, gentiumque salutem, & conuersionẽ. D D. August. serm. 14. de tempo. Quod, inquit, sitire se dicit Dñs, fidẽ incredulæ gentis cõcupiscit, & c sitit nos Dñs sitiamus sitiẽtẽ, iuxta illud Psal. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum*, &c. Mundana omnia fastidio habeamus, Christum solum desideremus, sitis enim desiderium est. Psalm. 41. *Quẽadmodum desiderat ceruus ad fontes a-* E *quarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*, &c. siticulosus ceruus amœna præterit prata, floresq; conculcat, fontes aquarum requirit. sic siti beata incensus Christianus, mũdi fucatã amœnitatem spernit, caducosque flores despicit, ad fontem lætissimũ Christum properat Qui sitit, fontem solum quærit, qui non sitit, dulcissimos præterit fontes, neque aspicit, quia non vrget eum sitis. Eundem in modum, qui

Morale. Iustin.

Apoc. 17.

D. August.

Sitit Christus animas.

filium virginis, sed virginem loco matris datam esse Ioanni, Ioannem in locum Christi suffectum, neque possunt relationes absque posito fundamento inferi. Matris vero, & filii fundamentum, quis non videat in virgine & Ioāne poni non potuisse? facta est virgo mater Ioannis affectu & cura; factus est Ioannes filius virginis dilectione, & obsequio. *Accepit*, inquit, *eam discipulus in sua*, &c.

In qua sua acceperit Ioan. virginem.

D. Ambro.

In quæ sua accepit Ioannes Deiparam? Nonne omnia iam reliquerat? nonne ex illis erat, qui Matth. 19. aiūt: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, &c. Respondet D. Ambros. suscepisse eam in sua, id est, in bona sua spiritualia. In exhortatione ad virg. sic scribit: Quæ sua habebat Ioannes, qui mundana, & secularia non habebat, quia de mundo non erat? Bonus verbi, sapientiæque possessor, bonus receptor gratiæ. Audite quæ Apostoli à Christo acceperunt. *Accipite*, inquit, *Spiritum sanctum, quorum remiser.* &c. Neq; enim mater Domini nisi ad possessionem gratię demigraret, vbi Christus habebat habitaculum. Hæc ille.

D. August.

Aliter D. August. tract. 119. Suscepit, inquit, eam discipulus in sua, non prædia, quæ nulla propria possidebat, sed officia, quæ propria dispēsatione exequenda curabat, &c. Item suscepit eā discipulus in sua; vt ad eius curā, quidquid ei esset necessarium pertineret, &c.

D. Cyrill.

D. Cyrillus Ioan. 19 commendauit Christus matrem discipulo, vt officium filii in eam seruaret. Matrem similiter admonuit, vt parentis in discipulum authoritatem haberet. Amore videlicet, atque charitate, non minus illos coniungi voluit, quam si naturæ maxima propinquitate coniuncti essent, &c. Verum est accepisse Ioannē virginem in suam curam, & officia sed aduertendum, Grçcè legi, suscepit eam discipulus, *εἰς τὰ ἴδια*, id est, *in propria*, sic Ioannes capite primo dixit, *εἰς τὰ ἴδια*, id est, Christus *in propria* venit, &c. significat autem in sua, vel in propria suscipere, suscipere in domum suam.

Esther. 5.

Esther. 5. *Reuersus Amā in domum suam*, &c. Græcè εἰσῆλθεν εἰς τὰ ἴδια, &c. Act. 21. ὑπέστρεψαν εἰς τὰ ἴδια, *redierunt in sua, in domos suas*, &c. suscepit ergo Ioannes Deiparam in sua, vel in propria, id est, in domū suam. Habitasse autē videtur cum matre, in domum igitur suam in qua habitabat, suscepit virginem, curamque illius egit.

Ioseph vita iā erat defunctus.

D. Epiph.

Vbinam Ioseph & virginis sponsus eximia virtute præditus? Cur alii virgo traditur? Ex hoc loco colligit D. Epiphanius hæresi 78. Iosephum vita iam fuisse functum eo tempore, quo Dominus est crucifixus. Nam si Iosephum sponsum virgo superstitem haberet, non esset tradita Ioanni.

D. Cypria.

D. Cyprianus in tract. de passione superstitem passionis tempore Iosephum fuisse arbitratur, æquoque tulisse animo Christi factum: passus est æquanimiter Ioseph. (ait Cyprianus) sibi Ioannem in hoc seruitio præponi, quem dignior ē se iudicabat. & ideo maximè, quia magistri electio sic negotium ordinabat, &c. Si quæras, cur Christus sic negotium ordinauerit, & virginem Ioanni tradiderit; Respondet; quia iā exigebat ratio vt coniugii remoueretur opinio, neque vltra pater Christi æstimaretur, qui eatenus vicem patris, & coniugii tenuerat, &c.

D. Ambro.

Eandem sententiam sequitur D. Ambros. in lib. de instit. virg. cap. 6. & 7. lege Gratianum 27. quæst. 2. Idem Ambros. similiter vt Cyprianus rationem reddit cur à Iosepho sit separata Deipara; Lucæ 23. Nō abrogaretur, inquit, vxor marito. sed quæ pro mysterio coniugium prætexuit, completis mysteriis, iam coniugio non egebat, &c.

Epiphanij sn̄ia prafertur, Iosephum ante passionem obysse.

Sententiam sequimur Epiphan. Ioseph tēpore quo Dominus crucis mortem subiit, iam fuisse vita perfunctum. Si n. tunc vixisset, non separaretur ab eo virgo, cum qua verū inierat coniugiū, virtutēq; habebat coniugii non vicem, quamobrem remoueri non poterat coniugium, neque coniugii rati non consummati opinio.

Morale Threnor. 1. amici tēpore nubilo adsunt.

Verno tempore nobiscum manent hirundines, hyemali aufugiunt: sic infideles amici, florido tempore nos comitantur, horrido deserunt. Thren. 1.

Non

Non est qui consuletur eam ex omnibus charis eius, omnes amici eius spreuerunt eam, &c. Fideles autem amici semper adsunt prȩsto. Prouer. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur*, &c. Fidelissima Christi amica virgo fuit, fidelissimus amicus fuit Ioannes, in finem dilexerunt eum, in furibunda illa passionis Christi procella dilectissimum suum minimè deseruerunt, sed iuxta crucem astiterunt. *Stabant*, inquit, *iuxta crucē*, &c. stabat Deipara instar palmæ, iuxta illud Cant. 7. *Statura tua assimilata est palmæ*, &c. Non cedit palma ponderi, non cessit Virgo dolori, nihil indecorum, nihil à personæ tantæ dignitate, & grauitate alienum gessit, non crimi nibus manus admouit, non genas, non pectus laniauit, non eiulauit, aut vociferata est, sed acerbissimum dolorē alto pressit pectore, profusisq; lachrymis modestè demonstrauit. Metaphrastes serm. de ortu & educ. Virg. die 15. August. Dicunt, inquit, ii qui de his rebus tractauerunt, eam ab initio vsque ad finem se fortiter atque constanter gessisse: honestè quidem & non indecorè vtentem motu animi; factis etiam ostendentem se esse matrem, sed matrem omnino illius qui amico, mortuo, motum animi certis finibus continuit, mortuumque videns filium, eo motu animi vsa est, vt oportuit hæc ille. Stabat Virgo forti animo, cernens nati vulnera, ferensque cordis cruciatum maximum.

Prouer. 17.

Cant. 7.

Virgo vt palma stetit, dolori nō cedens.

Metaphra.

Virgo nihil iuxta crucē indecorū plangendo fecit.

Multò enim maiori fortitudine illius viguit pectus, quàm Resphæ, quȩ, vt narratur 2. Reg. 21. duos crucifixos natos constanter multis diebus comitata est. Robore animi Machabæorum superauit matrem, de qua 2. Machabæo. 7. hæc scripta extant. *Supra modum autem mater mirabilis & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub vnius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem, quam in Deum habebat, singulos eorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia, & fœmineæ cogitationi masculinum animum inserens, dixit ad eos*, &c. Magnum mulieris robur, sed parum est, si cum Deiparæ robore conferatur; cui egregiè & altiori modo verba prædicta ex parte congruunt. Nam, Deipara iuxta crucem astante, verissimè dici potest: Supra modum mirabilis mater, & bonorum memoria digna, quæ morientem filium Deum atque hominem cōspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat fœmineæ cogitationi masculinum animum inserens. Supra modum Mater mirabilis Virgo est, cuius conceptio, & partus supra modum fuere mirabiles. Iam vero quænam fœmina bonorum memoria dignior est, quā Virgo, quam omnes benedictam prædicant inter mulieres: forti animo filiorum cædes tulit mater Machabæorum propter spem quā in Deum habebat, sed quanto spes Virginis maior erat, tanto fortitudo erat superior. Masculino animo Machabæorum mater filiorum mortem intuita est; Virgo vnicū filium, non qualemcumque, sed Deum atque hominem in crucē actum, plusquam masculino vidit animo. Vidit enim eum ex cruce pendentem, animo matris Dei.

2. Reg. 21.

Fortitudo Deiparæ Virg.

2. Mach. 7.

Considera quam fortem generosūque animum titulus matris Dei, in doloribus flagitet, hunc illi tribue. Si voluit Abraham ope Dei adiutus filium dilectissimum Isaac immolare; quid valuisse Deiparam dicendum est? D. Antoninus par. 4. Theo. tit. 15. ca. 41. § 1. Stabat (ait) Virgo ita diuinæ voluntati conformis, quod (vt Anselmus ait) si oportuisset, ad implendam, secundū rationem, voluntatem Dei, ipsa filium in cruce posuisset ac obtulisset: neque enim minoris fuit obedientiæ, quam Abraham, &c. Denique gladius illius animam pertransiuit: illa tamen modestiæ metas non transiuit. Quam vehementer autem doluerit, docet D. Bernardus in ser. in verba illa Apoc. 12. Signum magnum app. in cȩlo, &c. Tuā (inquit) ò virgo animam pertransiuit vis doloris, vt plusquam martyrē non immeritò prædicemus, in qua nimirū corporeæ sensum passionis, excesserit compassionis affectus, &c. D. Bonauē. in stimulo amoris, cap. de plāctu Virg. Filius

D. Anton.

Virgo iuxta crucem modestissimè fleuit.

D. Bernar.

Virginis dolor iuxta crucem.

D. Bonauē.

Filius, inquit, in corpore; ò Virgo, tu in corde es passa, singula vulnera per eius corpus sparsa, in tuo corde sunt vnita, &c. Item: Quæro matrem Dei, & inuenio spinas, clauos: quæro Mariam, & inuenio vulnera, & flagella. quia tota conuersa es in ista, &c. Item Iustinianus de Agone cap. 2. Clarissimum, inquit, passionis Christi speculũ effectum erat cor virginis, &c. & cap. 17. In corpore filius, in mente erat genitrix crucifixa, &c. Guerricus serm. 4 de assumptione: Stabat iuxta crucẽ planè mater, quæ nec terrore mortis filiũ deserebat. Quomodo enim morte terreri poterat, cuius charitas fortis, vt mors, imò fortior quam mors erat? planè iuxta crucem stabat, cuius mentem dolor crucis simul crucifigebat, suamque ipsius animam tam multiplex pertransibat gladius quantis confossum corpus filii cernebat vulneribus, &c. Damascen lib. 4 fidei ca. 15. Virgo dolores partus quos effugit pariẽs, illos tempore passionis sustinuit, &c. Denique D. Anselm. de excellentia Virginis cap. 5. Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus martyrum, leue fuit, comparatione tuæ passionis ò Virgo. non crediderim te potuisse stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse spiritus vitæ spiritus consolationis, te confortaret, te consolaretur, te intus doceret non esse mortem cum absumentem, sed magis triumphum omnia ei subiicientem, &c. in mediis fluctibus stat rupes, concutitur aquarum vi, sed nõ mouetur: sic Deipara in mediis stabat dolorum vndis, cruciatuũ vi impetebatur, sed nullo indecoro, vel mentis, vel corporis motu permouebatur. Stat columna recta graue sustinens pondus: sic stabat columna fidei Virgo, graue dolorum pondus perferens, stabat (inquam) rectissima, neque in vllam impatientiæ cogitationem flectebatur. Maximũ illa die triũphum patientia egit in corde Virginis; omnes dolores vicit; impatientiã conculcauit; ipsos hostes, Christi crucifixores, non odio sed amore prosecuta est, & pro illis Deum deprecata.

Iustinian. *Guerricus.* *D. Damasc.* *D Ansel.* *Virginis patientia.*

A *Stabat autem Deipara iuxtà crucẽm*, ò beatam stationem, ò beatam arborẽ, ò vmbram saluberrimam, *Sub vmbra illius quem desideraueram, sedi*, Cant. 2. *& fructus eius dulcis gutturi meo*, &c. sedit Virgo sub desiderata vmbra Christi crucifixi; fructus eius illi dulcissimus. Quid dulcius diuina gratia, fide, spe, charitate, reliquisque virtutibus? quid dulcius gloria sempiterna? B Hi sunt crucis fructus suauissimi, nec non amarissimi. Fuere amarissimi cum ex arbore producti sunt; sunt suauissimi, cum degustantur. fructus quoque arboris huius est ipsa statio. Stabat Deipara iuxta crucem. Ex cruce orta est illius statio admirabilis. Cecidit Adam, cecidit Eua, cecidere Angeli, cecidere homines, illa stetit semper. Quicumque stat, meritis crucis stat. neque solum stat, sed surgit. Omnes C cecidimus, per crucẽ vero surgimus, surgẽtes per crucem stamus. Qui vult ergo stare, iuxta crucem, &c. stet inquam, iuxta Christum crucifixum, intellectu atque voluntate. Intellectu stet, cruciatus Domini corde frequenter versando. Voluntate stet, eundem summa dilectione & obsequio prosequendo. Dixit hoc Paulus ad Hebræos 12. illis verbis: *Recogitate eum, qui talẽ* D *sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes*, &c. Hoc est, versate animo Christum crucifixum, ne defatigemini, & deficiatis, ac cadatis, sed stetis. D Damasc. lib. 4. de fide: Crux, inquit, iacentium est resurrectio, stantium fulcrum, infirmorum baculus, &c. *Stabat iuxta crucem*, Deipara, & Ioannes, hæc statio proborum virorum est; iuxta crucem stant, E carnemque crucifixam habent, iuxta illud Pauli ad Galat. 5. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis*, &c. ad vmbrã crucis confugiunt sancti viri, vt ab æstu concupiscentiæ liberentur, ad crucem confugiunt, vt gratia virtutibusque exornentur. Primi parentes Gen. 3. *consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*, id est, cinctoria, vt nuditatem turpitudinẽque suam tegerent.

Cant. 2. *Per crucẽ resurgimus, & stamus.* *Hebr. 12.* *D. Damasc.* *Probi viri iuxta crucem stant.* *Galat. 5.* *Gen. 3.*

Nos

Nos non ad folia ficus, sed ad fructus crucis confugiamus, faciamusq; nobis non perizomata, sed byssinas, bombycinas, aureasq; vestes, quibus paupertatem, nuditatemq; tegamus nostram animiq; & corpus exoremus. Væ improbis illis, de quibus Paul. ad Philip. 3. *Multi, inquit, ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem, & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorũ qui terrena sapiunt*, &c. Væ inimicis crucis, qui ventrem suum fecere Deum, qui gloriam posuerunt in confusione ipsorum Græcè, *αἰσχύνῃ*, id est, in verecũdia, in rebus pudendis, quę confusionẽ & verecundiam pariunt, quique terrenis rebus se manciparunt. Beatus ille qui cum Paulo iuxta crucem stans, ait ad Galat. 6. *Mihi autẽ absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*, &c. Sub vmbra crucis Deiparam reperiemus, Ioannem, Petrum, Paulum, Apostolos omnes, martyres, Virgines, confessores, non desunt eximii comites, stemus cum illis iuxta crucem. Iuxta crucem latro paradisum reperit, nos quoque iuxta crucem paradisum repe riemus, iuxta crucẽ Ioannes filius virginis effectus est, virginemq; accepit in sua. Nos autem iuxta crucem, filii virginis efficiemur, eamq; in nostram matrem accipiemus, quam summopere diligamus, & in dominam, cui toto corde seruiamus.

Psalm. 3.

Gal 6.

Vmbra crucis.

Mulier ecce filius tuus, ait Dominus Deiparæ, & Ioanni: *Ecce mater tua*. Typũ gerebat illa Ecclesię, Ioannes Christianorum. Ecclesia mater est nostra; nos Ecclesiæ sumus filii. Cuilibet Christiano dicitur: Ecce mater tua Ecclesia, Venerare vt matrem, morẽ in omnibus gere, honorem tribue, illius doctrinam sequere, tunicam inconsutilẽ ne scinde, matrem hæresi & schismate ne lania. Ecclesię dicitur, Ecce filii tui, ama vt filios, guberna, pasce diuino verbo, pasce sacramentis, in cœli viã dirige, à tartari barathro auerte.

Deipara typus Ecclesię Ioan. Christianorum.

Præter hæc documentum habemus Christi hoc loco vt parentum curam geramus, vt docet D. Cyrillus, D. Ambros. Lucæ 23. Religiosum, inquit, est, A quod latroni venia donatur, multo religiosius, quod mater honoratur à filio, &c. August. tract. 119. Exemplo suo ministros instruxit Christus vt à filiis impendatur cura parentibus, &c. Euthymius: Iam, inquit, moriens, matrẽ commendat discipulo, summè dilectã, maximè dilecto, virginem virgini, instruens nos, vt curam habeamus parẽtum ad extremum vsque spiritum, &c. Cypr. tract. de passione. Nunc, inquit, Domine materno moueris affectu, & thalamum humanitatis tuæ, cubiculario dilecto commendas, & prouides B sedulo benedictæ inter mulieres, Apostolicã clientelam, & obsequium virginis, virgini discipulo tradis, &cæt. Hoc verbũ Christi, ait D. Bernar. Virginis animã pertransisse, vt gladium, serm. in illud Apoc. 12. *Signum magnũ*, &c. An, inquit, non tibi, ò Virgo, plusquam gladius fuit, sermo ille reuera pertransiens animam tuam: *Mulier ecce filius tuus?* ò commutationem. Ioan. tibi pro Iesu traditur; seruus pro do- C mino, discipulus pro magistro, homo purus pro Deo vero, &c.

D. Ambr.

Cura gerẽda parẽtũ.

Euthym.

D. Cypr.

D. Bernar.

Si quæras cur Ioanni matrem commendarit Dominus, respondet D. Epiphan. hæres. 78. his verbis: Manifestũ est, quod propter Virginitatem, *ecce*, ait, *mater tua*, quamuis nõ esset ipsius, sed vt ostenderet ipsam matrem esse principem virginitatis, quoniam ipsa D vita erat, &c. Euthymius aliam adiungit causam, videlicet Ioãnis vsque ad crucem constantiam. Discipulum, inquit, honore maximo honorauit, ac interim hanc longanimitatis dedit mercedem, &c. D. Ambros. de Instit. Virg. cap 7. Tradita, inquit, est virgo Ioanni coniugium nescienti; vnde nõ miror, præ cæteris locutum mysteria diuina, cui præsto erat aula cælestium sacramentorum, &c. Libẽter se virgo virgi E nibus castisque hominibus tradit, illorum libenter mater est. Qui Virginem in matrem vult habere, & in propria suscipere, castitatem vehementer colat, omnem libidinis spurcitiam à se longè propellat, si alter Ioannes pro sua tenui parte.

Cur Ioãni matrẽ commendarit Dominus.

D. Epipha.

Euthym.

D. Ambro.

Castitas cõmendatur.

Digitized by Google

CAPVT XVII.

Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?

Quartum verbum.

CIrca horam nonam, ait Matthæus, vel hora nona, vt ait Marcus, magna voce exclamauit Dominus, patremq; sic est allocutus, *Eli, Eli, lamma sabacthani*, hoc est Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? nam, *Eli*, cum affixo, significat idẽ, quod, Deus meus, *lamma*, quare, *sabactani*, cum affixo, dereliquisti me. Apud Marcum legitur, *Eloi*, quod nomen idem significat atque *Eli*. In Psalmo Hebræo 21. legitur, *azabtani*, quod idẽ est, atque *sabactani*; parua facta in lingua Hebræa mutatione. Neq; verò idcirco opus est dicere, Iudæos post captiuitatem Babylonicam, mutasse linguam Hebræam in Syriacam, vt alibi diximus.

Horum verborum multiplex est interpretatio. Prima interpretatio est, derelictũ Dominum, quia noluit illum Pater morti eripere, noluit in persona ipsa Christi tunc temporis miracula & maiestatẽ ostendere. Bernar. ser. 5. de verbis Isaiæ, Vidi Dom. Quasi, inquit, quædam ibi derelictio fuit, vbi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio, nulla ostẽsio maiestatis, &c. Secunda interpretatio est, *Vt quid dereliquisti me*, id est, meum genus, meũ populum Iudæorũ, ex quo natus sum ego & mater mea. Theophylactus huius meminit interpretationis. Quidã, inquit, hoc sic intellexerunt, quod Saluator in se personam gerat Iudæorũ, & dicat, Vt quid dereliquisti Iudaicum populum ò Pater, vt tantum admittat peccatum, & perditioni tradatur? Dereliquit me dicit, hoc est, meã cognationem, meumque populum. Hæc Theoph. Tertia; Protulit hæc verba Christus, vt se verum hominem esse confirmaret. Euthym. Vt quid, inquit, dereliquisti me, vt sustinerem dolores? Hoc autem dixit confirmans, quod sicut in veritate assumpsit humanam naturam, ita quoque verè crucifixus est, & non phãtasticè, prout multi hæretici delirarunt. Neque enim nisi dolens ita clamasset, &c. Quarta est vulgatis, blanda conquestione rogat Patrem Dominus cur eum dereliquerit, hoc est, cur nullam consolationem præbuerit tot cruciatus ferenti. Vt enim supra diximus, non est passus Dominus à parte superiori animæ, in partem inferiorem consolationem emanare. Quinta; Ostendit Dominus hoc loco, id quod ostendit in horto, videlicet naturam à morte abhorrere, vitã cupere; sed subiectam esse debere voluntati Dei, ideo ait: Pater vt quid me dereliquisti ad mortem vsque, quare me sic mori passus es, quare non transtulisti à me calicem vt petiui in horto, sed vsque ad feces haurire voluisti? En facta est voluntas tua. Theophyla. Sicut, inquit, Christus in mœstitia fuit ante crucem, ostendens timorem naturæ nostræ congruentem, (scilicet in horto) ita nunc ait, vt quid me dereliquisti, insinuans naturalem viuendi cupiditatem, &c. Sexta; D. Leo serm. 16. de pass. sic explanat; Causam, inquit, inquirit Christus qua sit derelictus, id est, non exauditus, &c. Item: Interrogat cur pati metuens caro, exaudita non fuerit (scilicet in horto) instante enim passione dixerat: *Pater si possibile est transeat à me calix iste*, &c. Itaque rogat Dominus quare sit derelictus, id est, non exauditus in horto, &c. D. Thomas 3. par. quæst. 50. art. 2. Dicit Christus se derelictum quantum ad illam orationẽ, qua dixerat: Pater si fieri potest transeat à me calix, &c.

Septima est huiusmodi; Pater quare dereliquisti me, & morti tradidisti, siquidem homines meæ crucis meritis fruentur pauci, si cum iis cõferantur, qui pœnas æternas dabunt? Origen. Matth. 27. Forsitan, inquit, videns peccata hominum pro quibus patiebatur, dicebat Christus: *Quare me dereliquisti, vt fierem quasi qui colligit stipulam in messe, & sicut qui colligit racemos in vindemia, cum non sit botrio ad manducandum.*

D. Bern. — Theophyl. — Euthym. — Verè, non phãtasticè Christus est cruci suffixus. — Theophyl. — D. Leo. — D. Thom. — Origen. — Michæa 7.

candum primitius, &c. Octaua; Protulit Christus hoc verbum, vt nos causas inquiramus, cur eum Pater dereliquerit, & tradiderit tot cruciatibus. Si enim causa passionis Christi non cognoscatur, videlicet, quod crucem pertulit, vt medicinam peccatis afferret, nemo tam singulari medicina vtetur. Pater, inquit, quare dereliquisti me? Sanè, vt peccatoribus, ne perirent, remedium præberes; fac vt causam cognoscant, remediumq; præsentissimũ vulneribus adhibeant. Cyprian. tracta. de pass. Tu, inquit, Domine de morte non agis, de opprobriis non contendis, sed hoc vis intelligi, quæ sit causa mortis, quis quæstus, vt vtraque re cognita, peccatum appareat, & gratia, & quanti ponderis sit vtrumque rerum probet effectus: cum originali morti nullum, nisi in Christi morte potuerit esse remedium, nec reconciliare Deo potuit exules, & damnatos quælibet oblatio, nisi sanguinis huius singulare sacrificium, &c. Nona; Deus erat Christus & homo, poterant homines existimare, sine dolore ac mœrore tulisse cruciatus, quia Deus erat: idcirco in horto sudore sanguineo perfusus, ostẽdit quantum illi dolorem & mœrorẽ cruciatus attulerint. In cruce vero idẽ ostẽdit, derelictum se à Patre clamãs, & doloribus circumuallatũ. Itaq; tam initio passionis in horto, quam in fine in cruce, passionis dolores maximos fuisse indicat. Decima; Ostendit Christus his verbis suam innocentiam, latrones qui cum eo erant crucifixi, rogare non poterant, *vt quid crucifixi sumus ac derelicti?* quoniam nocentes erant, crucis supplicio digni. At Dominus innocentissimus erat; idcirco merito ait, *Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Cur me tot tormentis exposuisti, cum sim innocentissimus. Causam cur sit derelictus ipso Psal. 21. reddit verbis consequentibus, *Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti: longè à salute mea verba delictorum meorum*, &c. Illud (*respice in me*) addiderunt Septuag. Interp. maioris explicationis gratia. Causa derelictionis his verbis declaratur: *longè à salutè mea verba delictorum meorum*. Hoc est, longè distant a salute mea, & vita, mortemque; & derelictionẽ hanc flagitant delicta mea; hoc est, delicta hominum, quæ tanquam mea sanguine & morte expianda suscepi. Non pro delictis à me commissis, sed pro delictis hominum derelictus à te sum.

D. Cyprian.

Causa passionis Christi consideranda.

Dolor Christi maximus.

Innocentia Christi.

Derelictus autẽ est Christus à Deo, quia passioni eum non eripuit, & omni consolatione in cruciatibus acerbissimis priuauit. Non autem derelictus est, quod diuinitas ab eo in cruce discesserit, vt docet Nyssenus Grego. orat. 1 de resurrectione, Athanas. lib. de incarn. August. tract. 47. in Ioan. D. Thom. 3. p. q. 50. art. 2. Damas. lib. 3. fidei cap. 27. Et si, inquit, Christus mortuus est vt homo, & anima eius à corpore diuisa est, diuinitas tñ ab aĩa corpore inseparabilis permansit, &c. D. Hilarius aliud videtur sensisse Cant. 33. hanc enim vocẽ, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me: corporis vocem esse ait recedentis à se verbi Dei contestatã dissidium. Similiter D. Ambros. in Lucã: Clamauit, inquit, homo diuinitatis separatione moriturus. Nam cum diuinitas mortis libera sit, vtique mors esse non poterat, nisi vita discederet, qa vita diuinitas est, &c. Sed cum duplex diuinitatis separatio cogitari possit, altera qua omnino diuinitas separari poterat ab humanitate, quod nunquã fiet, altera qua separari poterat priuando humanitatem auxiliis, quibus mortẽ effugeret, & nullã præbendo consolationem: de hac secunda hi Patres exponi possunt. lege Magistrum sentent. lib. 3. dist. 21. & Sixtum Sen. annot. 126. & 164.

Diuinitas nunquã reliquit humanitatẽ.

D. Hilar.

D. Ambro.

Hic potest cogitari duplex diuinitatis separatio.

Postulant à nobis verba hæc Christi, vt causas inuestigemus, cur Dei vnigenitus filius charissimus derelictus sit, totque tormẽtis traditus, iuxta verba illa Cypriani, siue Autoris de operibus Cardin. Christi, iam citata: Hoc Domine vis ĩtelligi, quæ sit causa mortis, quis quæstus, &cæt. Derelictus est Dominus, ne nos derelinqueremur, derelictus est, vt à peccatis, æternaque morte liberaremur, derelictus est, vt amorem suum erga nos ostenderet, vt iusti-

Causę mortis Christi cõsiderãdę.

iustitiam, misericordiamque suam nobis patefaceret, vt amorem nostrũ ad se reparet, denique vt exemplum nobis patiendi exhiberet. Patet in cælũ via, sed ardua, & difficilis; præire voluit exemplo admirabili, ne via terreret, sed stupendũ Dei patientis exemplum nos cõcitaret. Audiamus D. Leonem serm. 16. de pass. Per Christum, inquit, ad Christũ tendit, qui per semitam patientiæ, & humilitatis incedit. in quo planè itinere, nec æstus deest laboris, nec nubes tristitiç, nec procella formidinis. Ibi sunt insidiæ iniquorum, persecutiones infideliũ, minæ potentiũ, contumeliæ superborum, quæ Dominus Rex gloriæ ideò omnia percurrit, vt inter præsentis vitæ pericula, non tã optandum sit nobis, declinãdo ista effugere, quam tolerando superare. Hæc ille. Animo sæpe voluamus cur Pater charissimum filium dereliquerit, si Deũ nolumus derelinquere. Passionis enim Christi causç, recta, cordis trutina, expensæ, ita Deo per amorem & timorem faciunt adhærere, vt possit fragilis homo crucis auxilio innixus, clamare cum Paulo ad Rom. 8. *Quis me separabit à charitate Christi,* &c. item *In his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos,* &c. eum, qui tã vehementer dilexit nos, ante oculos habet cruci suffixum, vehementer diligit diligentem, amorisq; vi dilecto ita adhæret, vt propter illum aduersa omnia superet.

D. Leo.

Exemplũ Christi.

Rom. 8.

Quæret aliquis, cur Dominus magna nũc voce clamarit, cũ dixit: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Respondetur, magna clamasse voce in extremo spiritu, vt ostẽderet se plusquam hominẽ esse, nempe hominem, & Deum, qui vires haberet diuinas: vnde, vt ait Marcus, *videns* Centurio *quia sic clamans expirasset, dixit: Vere hic homo filius Dei erat.* Quæret itẽ, cur Hebræa lingua scripta sint hæc verba? Respondetur, ideo Hebræa lingua scripta, quia ii qui aderant ex nomine Hebrço *Eli*, occasionem sumpserunt, dicendi *Eliam* vocat iste, vt mox dicemus, lege lib. 6 huius tomi, cap. 6.

Cur Dominus clamauerit.

CAPVT XVIII.

Sitio.

DIxerat Dominus, *Eli, Eli,* &c. *Quidã aũt illic astantes* (vt ait Matth.) *& audientes dicebant: Eliam vocat iste.* Potuerunt hi esse milites aliqui Hebrææ linguæ imperiti, qui putarũt *Eli, Eli,* significare Eliã. At vero vnde Eliam agnoscebant, si adeo linguæ erant imperiti? Fuisse videntur milites Ethnici, vel Iudæi linguæ periti, qui in verbo Eli, eli, ludere voluerũt. Nam Christus magna voce protulit hæc verba, longoq; Caluariæ montis spatio audita sunt, & intellecta. Hi Christo illudentes, imbecillemq; esse ostẽdentes, Eliã vocare aiunt, vt ipsum è cruce deponat & liberet, siquidẽ descendere ex illa non poterat, iuxta illud, *Si Rex Israel est, descẽdat nũc de cruce,* &c. Post prædicta verò verba, *Eli, eli,* &c. dixit Christus, *Sitio.* Quod verbũ Matthæus, Marcusq; præterierunt, Ioannes literis mãdauit, quamobrem nulla inter illos est discrepãtia. de potu vero omnes scripserunt, Matth. sic: *& cõtinuo currens vnus ex eis, acceptam spongiã impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere,* &c. eodẽ modo Marcus Ioannes hoc pacto: *Postea sciẽs Iesus, quia omnia iã consummata sunt, vt cõsummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo positũ erat aceto plenũ. Illi autẽ spongiam plenã aceto hyssopo circũponentes, obtulerunt ori eius,* &c. Cũ ergo Dominus sciret omnia ad finẽ vsque perducta esse, quæ de passione à Patre erant decreta; illud vaticiniũ Psal. 68. iplere voluit, *In siti mea potauerunt me aceto,* &c. idcirco dixit: *Sitio.* & verè quidem sanguine exhausto sitiebat. Aduerte, bis potum Christo oblatum semel enim cũ in montem Caluariæ venit, antequam in crucem ageretur, vino myrrhato felle permixto potatus est: iterum iam in cruce pendens, aceto, lege cap. 11. huius libri.

Quintum verbum.

Cur dixerint milites, Eliam, vocat iste.

Exhaustus erat totus Christi sanguis, ideo sitiebat.

Vas

Vas ergo positum erat aceto plenum.

QVæritur quisnam in montē Caluariæ vas aceto plenum adduxerit, spongiam, hyssopum, arundinem, & quorsum hæc adducta sunt in montem? Priori quęstioni rūdetur morem fuisse, vt hęc omnia afferrentur in locum crucifixorum. vnde Theophylactus in Matth. Aceto, inquit, Christū potant, id quod damnatis faciebant, &c. Secundæ quæstioni respondetur, vas aceto plenum allatum, vt reis propinatum mortem acceleraret: acetum autem accelerare mortem, ait Caiet. Iansenius, Toletus, & alii. Montanus. Dabant, inquit, Christo bibere acetū, vt citius interficerent. Nam acetum membris & neruis læsis vehementer nocet, & dolorem primum, deinde stuporem lethalem affert, &c. Theophyl. in Marcum: Cucurrit, inquit, vnus, vt acetum Christo potandum porrigeret, quo citius eum aceti conficeret amaritudo, &c Card. Baron. tom. 1. hāc opinionem reprobat, aitq; aceto spongiæ, & hyssopo insitam à natura esse virtutem sistendi sanguinem, non accelerandi mortem: Lyranus quoque Matthæ. 27. putat non esse probabile eos citius mori, qui acetum bibunt, tū addit: scribitur in quodam libro Hebraico, qui intitulatur, Liber iudicū ordinariorum, quod quia Salomon dixerat Prou. 31. *Date siceram mœrētibus*, &c. ideo ex occasione huius verbi seniores Iudæorum statuerunt vt condēnatis ad mortem daretur vinum aromaticum ad bibendum, vt facilius tolerarent passionem. In Ierusalem autē erant matronæ deuotæ, quæ hoc vinū dabant ex deuotione. Iudæi tale vinū datum pro Christo, & aliis duobus, acceperunt sibi: & loco eius posuerunt acetum cum felle mixtum. Hæc ille.

Est alia opinio; datum acetum crucifigēdis, vt recrearetur, si quis metu mortis, antequā in crucem sublatus esset, exanimaretur, in quē vsum & capite plectēdis, & his, quibus secta vena sanguis extrahitur, etiā hodierno die dari solet. Titelmanus procuratione inimicorum acetum paratum esse sentit.

Cur acetū crucifigendis daretur.

Prima opinio videtur probabilis. Verisimile est enim, vt ante crucē, vinum reis dari soleret, ad leniendā mæstitiam: ita postea acetum dari solitū, ad accelerandam mortem, ne diu doloribus cruciarentur, vel ne opus esset crurifragii dolore maximo: Adde eos, qui crucifixos custodiebant, citò illos mori voluisse, vt à custodia discederēt. Sed Card. Baronius, cōmentum appellat hanc opinionem; illa tamen doctorum multorum est, qui non temerè dixisse videntur, acetum mortē accelerare: id mihi exploratum non est. quod si verū est, probabilior cæteris est hæc opinio. Cardinalis ait acetum sistendi sanguinem habere vim, hyssopum, & spongiā, datumque esse acetum crucifixis ferali sæuitia, vt sanguis sisteretur, diutiusque torquerentur. At nō videtur hæc feralis sæuitia, sine causa euidentiori, tribuenda hominibus. Si enim amplius torqueri vellēt crucifixos, non deerant alii faciliores modi. Quis tā ferus est vt erga morientē, ferali sæuitia vti velit? Humanitatis causa vinum dabatur ante crucēs humanitatis quoque causa acetum in cruce, vt citius doloribus soluerētur. (si tamen verum est acetum morti addere stimulos.) Opinio, quæ fert ad recreandos exanimatos, datum acetum, non placet. Solent enim recreari si aqua odorifera aspergātur, vel vini potu, non autē aceti. Forte non propter crucifixos, sed propter crucifixores, vas aceti positū erat in monte Caluariæ, loco dānatorum, forte fœtido, ad imbuendas nares, & odorē tetrū pellēdum. sic aceto pestis tēpore solemus vti. hyssopo aer aspergebatur, spōgia vero ferebatur ad extergēdum sanguinē corporum ne corrūperetur, vel ad aliquid aliud. Potuit etiā poni vas aceti, propter custodes corporis mortui.

Opinio Cardinalis Baronij.

Vini potus exanimatos recreat.

Sine, videamus an veniat Elias

QVomodo acetū Christo sit datū, explicant Euāgelistæ. Matthæus: Currēs, inquit, *vnus ex eis accep. a spōgia sto acetum.* im-

Quomodo sit propinatum Christo

habet, qui vicem arundinis gerere possit. Vt constat ex lib. 3. Reg. cap. 4. si quis verò dicat illo tempore in Iudęa caulem hyssopi longi temporis fuisse crassum instar arundinis, quis contrariam partem probabit? 3. lib. reg. fit mentio hyssopi humilis, *quæ egreditur de pariete*, non autem illius, quæ in terra oritur, quæ caulem crassum potuit habere, ita vt posset leuem spongiam sustinere.

3. Reg. 4.

Caietan. & Gagneius interpretantur, spongiam circumpositam fuisse arundini hyssopo, hoc est, hyssopi ramusculis cũ arundine colligatam; quia flexibilis herba est. Verum si Ioannes hoc significare voluisset, arũdinis mẽtionem fecisset, cui alligata dicitur spongia hyssopi vinculo; ille verò solum ait, spongiam hyssopo circumponentes. Nullius rei facit mentionem, cui fuerit alligata spongia; facturus, si hyssopus fuisset vinculum.

Caietan. Gagn.

Card. Baron. videtur sentire hyssopi succum aceto permixtum datum fuisse Christo: sic enim scribit tom. 1. Ex Gręco textu colligitur, & ex Theophylacto, acetum illud hyssopo fuisse permixtum, atque cõditum; sicque ex aceto & hyssopo spongiam fuisse imbutam, & arundini affixam, &c. Quod ait ex textu Græco colligi hanc opinionẽ, iudicet lector, supra enim textus Græcus est propositus, Ioannis, Matthæi & Marci, ex quo hoc colligi non videtur. Theophyl. verò in Ioannem, Matthæum & Marcum, nullum habet verbũ, quod illi faueat. *περιθέντες* enim significat *circumponẽs*, *περιθέντες* *circumponentes*. At hyssopi succo nõ circumponitur spongia, sed ipso succo imbuitur & impletur. Denique, quẽadmodum participium *circumponens arundini, vel calamo*, apud Matthæum, & Marcum, significat spongiam circũ calamum, vel arũdinem esse positam, ita apud Ioannem, *circumponentes hyssopo*, significare debet circum herbam hyssopum esse positam eandem spongiam, quod ita factũ est, videlicet herbam hyssopum ipsa spongia cinxerũt, ita vt in medio spongiæ essent ramusculi hyssopi, deinde spongiam cingẽ-

Card. Baron.

A gentem hyssopum arundini inseruerunt, ac circumposuerunt. Voluerunt enim Christo illudere, iuxta illud Lucæ; *illudebant ei milites accedentes, & acetum offerentes*, &c. Obtuleruntque non solum potum, id est, acetum, sed etiam escam, id est, hyssopum herbam: vel forte illudentes, obtulerunt acetum, ramusculorum hyssopi viriditate veluti exornatum. nisi placeat caulem hyssopi fuisse arundinis instar, ilB lique spongiam circumpositam. Consentiunt, ergo Euangelistæ, siquidem spongia aceto plena circumposita est hyssopo, vt ait Ioannes, & circumposita est arundini, siue calamo, vt aiunt Matthęus & Marcus; hocq; modo Christo cũ dixit, *sitio*, potus est oblatus.

Verè sitiebat, aquamque appetebat Dominus: non tamen hàc solum sitim verbo, *sitio*, significauit, sed sitim etiã aliam, qua hominum salutem, animasC que sitiebat. Iustinianus lib. de agone cap. 19. Quod, inquit, Christus Samaritanæ dixerat, *Da mihi bibere* hoc in cruce omnibus ait: *Sitio*, &c. Item: Sitis hæc de ardore dilectionis, de amoris fonte, de latitudine nascitur charitatis, sitiebat nos, & dare se nobis desiderabat, &c. Apoc. 17. *Aquæ populi sũt, & gentes, & linguæ*, &c. Hanc aquam sitiebat Dominus, nimirum populorũ, gentiumque salutem, & conuersionẽ. D D. August. serm. 14. de tempo. Quod, inquit, sitire se dicit Dñs, fidẽ incredulæ gentis cõcupiscit, &c sitit nos Dñs sitiamus sitiẽtẽ, iuxta illud Psal. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum*, &c. Mundana omnia fastidio habeamus, Christum solum desideremus, sitis enim desiderium est. Psalm. 41 *Quẽadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te E Deus*, &c. siticulosus ceruus amœna præterit prata, floresq; conculcat, fontes aquarum requirit. sic siti beata incensus Christianus, mũdi fucatã amœnitatem spernit, caducosque flores despicit, ad fontem lætissimũ Christum properat Qui sitit, fontem solum quærit, qui non sitit, dulcissimos præterit fontes, neque aspicit, quia non vrget eum sitis. Eundem in modum, qui

Morale. Iustin.

Apoc. 17.

D August.

Sitit Christus animam.

Deum sitit, solum Deum quærit, cætera omnia ad Deum dirigit, velut scopum: qui Deum non sitit, fontē aquarum viuentium Deum obliuiscitur, nō q̄rit, nō curat; ad dissipatas verò mūdi cisternas p̄perat, iuxta illud Domini Ier. 2. *Me dereliquerūt fontē aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, q̄ cōtinere nō valēt aquas*, &c. hi gladium se putant in dissipatis cisternis inuenturos. At verum gaudiū, non in cisternis dissipatis, sed in fontibus Saluatoris reperitur; iuxta illud Isaiæ 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*, &c. mundi cisternæ, hoc est, honorum ac diuitiarū status, sunt dissipatæ, non possunt continere aquas, id est, honores, gaudia, diuitias. Tandē tam cisterna quam aqua perit. Fontes autem Saluatoris, æterni sunt, æternū quoque gaudium continent, quod ex iis emanat. Obiicies: ex fontib. Saluatoris, in mœrore & dolore hauriūtur aquæ, nimirum per pœnitentiam, quæ dolorem habet & mœrorem propter commissa peccata merito cōceptum. Ergo nō hauriuntur in gaudio. Respōdemus, verum esse per pœnitentiæ dolorem ac mœrorem hauriri aquas Saluatoris. Veruntamen hunc dolorem, & mœrorem cum magno gaudio esse coniunctum quis non videt? Neque vero per solam pœnitentiam, sed multis aliis modis hauriūtur aquæ in gaudio de fontibus Saluatoris, per augustissimam Eucharistiam, & reliqua Sacramenta, per orationem, & contemplationem, bonaque opera. O beatum illum, quē fontiū Saluatoris sitis vrget.

Ierem. 2. Deus fons, mundus cisterna dissipata.

Obiectio. Ex fontib. Saluatoris quomodo hauriātur aquæ. Responsio.

Acetum ait August. trac. 119. in Ioā. Iudæos significasse; Iudæi, inquit, erāt acetum, degenerantes à vino Patriarcharum, & Prophetarum, &c. Sedulius.

Acetū quid adumbret.

Dulcia vina.

Sicut in horrendum dum conuertuntur acetum,

A mēsis proiecta iacēt, sic tēpore prisco

Gēs accepta Deo, nūc est odiosa propago.

Similem in modum Christiani impii acetum sunt à Christi moribus, & Apostolorum, ac Sanctorum degenerantes. Hoc tamen acetum sitit Dominus A non tamen vt acetum bibat, sed vt acetum in suaue vinum conuertat. Sic latronē sitiuit, acetum amarissimum, & in vinum optimum conuersum, in paradisum introduxit. Si acetum es, offer te Domino per pœnitentiam, vt in vinum te transmutet, & in paradisum introducat. Ioan. 19. *Cum accepisset Iesus acetum*, &c. acetum accipit saluator, hoc est, impios aceto similes, sed vt in vinū suaue cōuertat. *Sitio*, ait summus pastor, salutē sitiens ouium. Hæc pastorū sitis est, non auri, aut argenti, B non voluptatum, sed salutis ouium. Hoc boni pastoris verbum est; *Sitio*: Quid sitis pastor bone? ouiū mihi cōmissarum salutem. Qui hac siti vrgetur, oues non lanam curat, non lucrum, sed ouium sanitatē spectat; boni pastoris vox illa est 2. Cor. 12. *Nō quæro quæ vestra sunt, sed vos*, &c. hoc est, vos sitio, salutem vestrā sitio, non vestras opes: cōtra non ouium salutem, sed lanam, & lac sitiebant illi, quibus Ezech. 34. dicitur, *Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum, non pascebatis*, &c. Bernar. serm. 23 in cant. Oportet, inquit, vino zeli in charitate feruentis æstuet, qui aliis præsidet, &c.

Impii sunt acetum gustui Christi Saluatoris.

Ioan. 19.

2. Cor. 12.

CAPVT XIX.

Consummatum est.

D CVM accepisset Iesus acetum (ait Ioannes) dixit: Consummatum est, &c. Græcè τετέλεσται. Consummatum, perfectum est. Dixerat supra. *Sciens Iesus, quia omnia iam consummata sunt vt cōsummaretur Scriptura, dixit. Sitio*, &c. omnia iam erant consummata, restabat vnū, videlicet, Scripturam E implere illam, *in siti mea potauerunt me aceto*, &c. Postquam ergo Scripturam impleuit accepto aceto, dixit. *Consummatum est*, hoc est, omnia quæ Pater me passurum decreuerat, & prædixerat in Scripturis, & figuris, consummata & perfecta sunt. Illud vnū restat, vt

Sextū verbum.

vt ex vita hac mortali discedã cõmẽdato in manus Patris spiritu. D. Bern. in serm. de pass. Dixit (inquit) Dominus, consummatum est. Nihil restat implendum; iam nõ est quod expectem, &c. Lucæ 22. ait Dominus: *Dico vobis quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me; & cum iniquis deputatus est; etenim ea quæ sunt de me, finẽ habent*, &c. hoc est, oportet impleri Scripturam Nam omnia ea, quę de me scripta sunt, ad finem perducentur, & consummabuntur. Cùm verò iam ad finem passio esset perducta, ait: *Consummatum est*: hoc est, omnia illa, quæ de mea passione scripta sunt, ad finem peruenerunt. Luc. 18. *Consummabuntur omnia quæ scripta sunt de filio hominis*, &c. Consummata etiam sunt omnia, quæ typis fuerant de passione adumbrata. Matth. 5. *Iota vnum, aut vnus apex, non præteribit à lege, donec omnia fiant*, &c.

D. Bernar. Luc. 22. Luc. 18. Matth. 5.

Verba illa: *Cum accepisset Iesus acetum*; quæstionem pariunt; An Dominus acetum biberit? Respondetur; Dominum acetum accepisse; quomodo acceperit, esse dubium, gustarit ne tantũ & noluerit bibere, vt vinum myrrhatum, an potarit, & in viscera traiecerit. D. Antoninus 1. par. hist. in tract. de pass. sic Ioannem exponit: Cum accepisset acetum non quidem bibendo, sed gustando. Idem opinatur Titelmãnus, Caietanus, vinum quidẽ myrrhatum & felle permixtum, non bibisse arbitratur, acetũ verò bibisse. & D. Ambros. Luc. 23. Acetum (inquit) bibitur vinum cum felle non bibitur, &c. Hoc magis significat verbum (*accepisset*) aliquid ergo aceti sumpsit Dominus ex spongia, & bibit.

An Christus acetũ biberit? D. Anton. Caiet. D. Ambro.

Nihil Dominus reliquit imperfectum; autor fuit fidei, & consummator, iuxta illud Pauli ad Hebræos 12. *Aspicientes in autorem fidei, & consummatorem*, &c. Perfecit die sexto creationis opus; & die septimo Gen. 2. *requieuit ab omni opere quod patrarat*. Similiter nunc perfecit feria sexta opus redẽptionis, & requeuit die septimo i. sabbato in sepulchro à maximo opere, quod effecerat, & dixit consummatũ est Cõsummauit Noe Gen. 6. centũ annorum spatio Arcam in qua octo tantummodo animæ seruatæ sunt. Noster verò Noe Christus, vno die crucis cõsummauit Arcam, in qua non octo tantum, sed innumeræ seruantur animæ. Iacobi 1. *Peccatum cum consummatum fuerit generat mortem*. Mors verò Christi, cum consummata fuit, peccatũ interemit, & vitam generauit sempiternam. Ad Hebr. 7. *Nihil ad perfectum adduxit lex vetus*. at Christus omnia adduxit ad perfectum. Põtifices legis & sacerdotes, innumeris oblationibus & sacrificiis consummare homines non potuerunt: Christus verò summus Põtifex, vno sacrificio & oblatione sanctificatos consummauit. Ad Hebr. 10. *Vna oblatione consummauit, in sempiternum sanctificatos*, &c. Discamus nullũ bonum opus relinquere imperfectum, sed ad finem omnia adducere; discamus virtutem, diuinamque gratiam in finem vsque conseruare; discamus in cruce, vsque ad consummatum est perseuerare. Descendat nunc de cruce, & credemus ei, aiebant illusores illi Matt. 27. at Christus descẽdere noluit. etsi diabolus, aut hoĩes de cruce descẽdere suadeant, in cruce pmaneamus, vt Bern. in serm. 1. Paschatis suadet his verbis: Neminem audiamus fratres; non carnem & sanguinem, non spiritum quemlibet descensum à cruce suadentem. Persistamus in cruce, moriamur in cruce, &c. Eundem de perseuerantia loquentẽ audiamus epistol. 126. Perseuerantia (inquit) sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus. Absque perseuerantia, neque qui pugnat victoriam, neque palmam, victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est; nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium; soror est patientiæ, constantiæ filia, propugnaculũ sanctitatis. Hæc ille. Patiẽtiæ soror est perseuerantia, quia ad perseuerandum in rebus difficilibus patientia summopere est necessaria. Iacobi 1. *Patientia (inquit) opus perfectum habet*, &c. Luc. 8. *fructum afferunt in patientia*. Ad maturitatem peruenit fructus,

Morale. Hebr. 12. Iacob. 1. Hebr. 7. Hebr. 10. Perseuerantia vsque ad consummatũ est. D. Bernar. Perseuerantia indiget patientia.

by Google

ctus, si neque patiētia desit neque perseuerantia. Si desit, acerbi & aceto similes fructus Deo proferentur.

Et clamans voce magna.

IOannes ait Dominum postquam dixit: *Consummatum est*: inclinato capite tradidisse spiritū; id omisit, quod Lucas narrat c. 23. *Et clamans voce magna Iesus, ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens expirauit*, &c. Itaque postquam dixit: Cōsummatum est: magna voce clamauit, dicens; *Pater in manus tuas commendo spiritum meū*; & inclinato capite emisit spiritum. Bis Dominus in extremo spiritu voce magna clamauit, semel cū dixit: *Deus Deus meus vt quid dereliquisti me*: iterum cum dixit: *Pater in manus tuas*, &c. Cum Deo magno clamore loquendum est, clamore, inquā, cordis. Vnde illud frequens in Ecclesia, Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat: est autē clamor cordis magnus feruor, & magnū desiderium. Cur voce magna clamauerit Dominus rationem reddit Theophylactus: Clamat, inquit, magna voce Dominus, vt sciamus verum esse quod dixit Ioan. 10. *Ego potestatem habeo vt ponā animā meā*, &c. D. Ambr. Luc. 23. voce magna, ait, clamasse vt pfiteretur se vsque ad mortem pro peccatis nostris deuenisse: Professio, inquit, gloriosa in voce magna vsque ad mortem, se pro nostris descendisse peccatis annūtiat, &c. D. Athan. quæst. 77. ad Antioch. ait clamasse Christum, vt suam declararet potentiam. Clamat quoq; Dominus iā iam moriturus, quemadmodum victor clamat dux cum victos insequitur hostes, & veluti leo de tribu Iuda rugit, prędam tartaro erepturus, iuxta illud Amos 3. *Nunquid rugiet leo in saltu, & non habebit prædam*, &c. D. Chrysosto. in Matthæ. hanc refert causam homil. 89 Propterea, inquit, in fine clamat tenebrarum; vt intelligerent adhuc ipsum viuere, & ab eo tenebras factas fuisse: vt meliores hac ratione fierent, &c. Præterea voce magna clamauit; vt miraculū ederet, quo homines ad fidem duceret. Miraculum enim fuit illa in morte magna vox; quoniam morientes clamare non possunt in extremo spiritu. Autor comm. in Marcum sub nomine Hieronymi: Nos, inquit, cum ima voce, vel sine voce morimur, qui de terra sumus: Christus cum exaltata voce expirauit, qui de cælo descendit, &c. Denique ante extremum spiritum clamauit, & caput inclinauit, vt aduerterent qui aderāt, eum tunc ex vita discedere, illique tribuerent miracula, quæ mox sunt consecuta; *ecce velum templi scissum est, terra mota*, &c.

Cur Christus moriēs clamarit?

Theophyl.

D. Ambro.

Amos 3.

Abulensis paradoxo 3. c. 51. arbitratur Christum clamasse in extremo spiritu, quia ad illud vsque tēpus per miraculum integras cōseruauerat vires: Tunc, inquit, mortuus est Christus cū voluit. Ideò nō erat eius debilitata natura, vt in cæteris morientib. fieri cernitur: quin potiùs ita fortasse valebat sicut anteà valebat. Ob hoc cùm esset in limine mortis clamauit. Hæc ille. & D. Thom. 3. par. quæst. 47. art. 1. ad 2. Sicut, inquit, Christi voluntate natura corporalis, conseruata est in suo vigore vsque ad extremum: sic etiam quando voluit subitò cessit nocumento illato, &c. Item: Vt Christus ostenderet quòd passio illa non eripiebat per violentiam eius animam, naturam corporalem in sua fortitudine conseruauit; vt etiam in extremis positus, voce magna clamaret, &c. item Sedulius lib. 5. mortem sic alloquitur:

Abul.

An Christus integras vires seruarit vsq; ad mortem?

Per miraculum voce magna Christus clamauit.

> *En pessima non tu*
> *Peruenis ad Christum, sed Christus*
> *peruenit ad te,*
> *Cui licuit sine morte mori*, &c.

Verisimilius videtur naturæ Christi humanæ, vires non fuisse inter tot cruciatus & dolores conseruatas per miraculum; sed fuisse tot cruciatibus fractas ac debilitatas, adeò vt non posset clamorem emittere sine miraculo ante mortem: emisisse autem clamorē per miraculum. Obiicies; fuit igitur mors Christi violenta, non volūtaria; siquidem vi vulnerum vires amisit, & obiit; At ille ait Ioannes 10. *Nemo tollit animam*

Mors Christi quomodo violenta.

animam meam à me, sed ego pono eam, &c. Respondetur, violentã fuisse Christi mortem, hoc est, vi vulnerum & passionis illatam; alioqui Iudæi illum nõ interfecissent. Fuit tamen voluntaria, quia magna voluntate passioni se obtulit, cumque posset mortem, & vulnera omnia impedire, facillimeque effugere, id noluit facere. lege D. Thomam quodlib. 1. q. 1. art. 3.

In manus tuas commendo spiritum meum.

Septimum verbum.

HÆc verba magna voce ꝑtulit Dominus, & spiritum, id est, animã in manus Patris commendauit Græcè apud Lucam, & apud Sept. Interp. futurum est, *παραθήσομαι*, id est, *commendabo*, Hebraicè quoque Psal. 30. sed significatio est temporis præsentis, tibi committo animam meam, in manibus tuis animam depono velut depositũ, illam sumpturus paulò post in resurrectione. Animæ immortalitatem docẽt hæc verba; viuit enim spiritus, ex corpore egressus, & Deo commendatur. longè verò aliter homines, quàm Christus, spiritum suum in morte Deo cõmendant. Illi commendant spiritum Deo, vt eũ a dæmonũ eripiat insidiis, & à suppliciis liberet: Christus verò commẽdauit Patri spiritum, vt illum ad inferos spoliandos duceret, & vt tertia die in corpus reduceret. Nõ cõmendat corpus Patri, sed spiritum, q̃a spiritum tãdem sequitur corpus: si bene habuerit spiritus noster in cælo, bene habebit corpus: si malè habuerit spiritus, corpus in sua ducet æterna mala. Præterea docet magnam habẽdam curam spiritus, commendandumq; maximè Deo. Ad corpus illa verba præcipuè videntur pertinere: *Vt quid dereliquisti me*, &c. Nam corpus tormentis expositum est, & per corpus passa est anima. Ad spiritum hæc pertinent: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Corpus nostrum propter Deum derelinquendum, atque spernendũ est; spiritus Deo maximè commẽdandus. Ad hæc ostendunt hæc verba, Christum nihil debuisse inferorum illi loco, ĩ quẽ Patres olim descendebant. *Descendam lugens in infernum*, Gen. 37. aiebat Iacob pater duodecim tribuum; at verus Iacob Christus, Pater futuri sæculi, nõ ait: Lugens descendam in infernum; sed, Pater in manus tuas cõmendo spiritum meum. Quasi dicat: nihil debet inferis spiritus meus; non inferis vt loco sibi debito recipiendus est, sed manibus tuis, & complexibus excipiendus.

Quorsum Dominus Patri spiritum commendarit.

Inclinato capite tradidit spiritum.

NOn tradit Christus spiritum Patri clamãs, sed postquam clamãs dixit; Pater in manus tuas, &c. caput inclinauit, & spiritum emisit, vt Ioannes indicat. Capitis autem inclinatio adorationẽ indicauit; efflans enim animam Deum adorauit capite inclinato. Præterea, eadem capitis inclinatione egit Patri gratias pro toleratis vsque ad mortem cruciatibus, humilem quoque obedientiam vsque ad mortẽ significauit: iuxta illud Apost. ad Philip. 2. Factus obediens vsque ad mortem, &c. vnde D. Bernard. in serm. de pass. Inclinato, inquit, capite Christus, factus obediens vsque ad mortem, tradidit spiritum, &c. Deu. 34. *Mortuus est Moyses iubẽte Domino*, &c. sic Christus mortuus est iubente Patre. Sed Moyses placida morte obiit; at Christus acerbissimam subiit. Theophylactus cũ Chrysostomo obseruat capitis inclinatione ostendisse Christi imperium in mortem. Nos (inquit) primum expiramus, & deinde inclinamus caput: ille autem priùs inclinauit caput, deinde expirauit. Ex quibus omnibus manifestatur quòd ipse fuerit Dominus mortis, &c. Dominus erat mortis, ideo quia voluit mortuus est, quando voluit, & quomodo voluit. Quis (ait August. tract. 119.) ita dormit quando voluerit, sicut Christus mortuus est quãdo voluit? quis ita vestẽ deponit quando voluerit, sicut se carne exuit, quando voluit? quis ita cùm voluerit abit, quo-

Capitis inclinatio adoratio fuit.

D. Bern.

Deut. 34.

Theophy.

Mors Christi voluntaria.

D. August.

Orig. quomodo cùm voluit obiit, &c. Origenes tracta. 35. in Matth. de hac capitis inclinatione, sic ait: Inclinauit Christus caput, & quasi supra Patris gremium illud repausans, exiit, &c. Autor *D. Athan.* quæstion. ad Antioche. quæ Athanasio tribuuntur; scribit Dominum cùm caput inclinauit velut nutu mortem accedere formidantem vocasse: Quidnam (inquit) illud est inclinato capite tradidit spiritum? Nam omnes moribundi moriuntur primum, & tunc demum inclinant capita. Sola mors adhuc restabat, & sibi metuens appropinquare non audebat. Ideo Christus inclinato capite vocauit eã; antequã enim inclinaret caput, proprius accedere verebatur. Sic ille.

Diuinitas neque ab anima, neque à corpore separata est. Mortuus est autem Dominus, non propterea quòd diuinitas à corpore, vel anima discesserit: semper enim & in sepulchro, cum corpore, & apud inferos cum anima, fuit copulata, sed propterea quòd anima à corpore separata fuerit. Obiicies: Diuinitas vita est, ergo si cum corpore coniuncta *D. Ambro.* erat, viuebat corpus. Vnde Ambr. Cum diuinitas (inquit) à morte libera sit, vtique mors ibi esse non poterat, nisi vita discederet, quia vita diuinitas est, &c. Confirmatur; quia quamdiu anima est copulata cum corpore, viuit homo. Ergo multo magis viuet

A si sit copulata diuinitas. Respondetur, diuinitatem vitam dare effectiuè & voluntariè, animam verò formaliter & necessariò. Quamobrem diuinitas etsi copulata sit cum corpore, vitam illi minimè donat; anima verò necessariò tribuit. Qua hora obierit Dominus, docet Matth. videlicet, circa horam nonã; Marcus, hora nona. Inclinato capite moritur Dominus. Docet nos caput inclinare, hoc est, humilitatem colere ad mortem vsque: delectat illum inclinatum hominis caput 3. Regu. 21. *Ambulauit Achab demisso capi-* B *te*, &c. Sequuntur verba hæc Dei ad Eliam; *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, nõ inducam malum in diebus eius*, &c. Septuag. vertunt: *Nonne vidisti vt compunctus est Achab à facie mea*, &c. Qui compunctus est, caput inclinat; qui non compungitur, extendit arroganter collum, vt filiæ Sion, de quibus Isaias cap. 3. *Eleuatæ sunt filię Sion, & ambulauerunt extento collo*, &c. Si petas, in quam partem Dominus inclinauerit caput: respond. in partem dexteram inclinasse verisimilius esse. Hypo- C crita qui humilis est, vt honores aucupetur, in sinistrum latus caput inclinat; qui verò, vt Deo placeat, humilitatem seruat, is in latus dextrum.

3. Reg. 21. Morale. Docet Christus nos humilitatem in morte colere.

In dextrũ latus caput inclinãdum.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XX.

De Eclipsi Solis.

MATTHÆVS CAPITE XXVII.

A Sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam.

MARCVS CAPITE XV.

ET facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram vsque in horam nonam.

LVCAS CAPITE XXIII.

ERat autem ferè hora sexta: & tenebræ factæ sunt in vniuersã terram vsque in horam nonam, & obscuratus est Sol.

A sexta autem hora.

IVdæi *signa petũt*: ait Pau. A 1. Corin. 1. Dederat eis innumera in vita signa Dominus, addit alia in morte: *obscuratus est Sol, & tenebræ factæ sunt super vniuersam terram*, &c. Cœlum cum Dominum suum mori cerneret, vestẽ mutauit, splẽdorem in meridie exuit, atras induit tenebras; Sol tantum perhorrescens facinus, sceleratos homines sua luce priuauit. O Deus omnipotens cur miracula non edis mortifera? Cur fulmina in capita sceleratorum è cœlo, vel crucè non iacularis? Cur igne, grandine, horrendisque tonitruis impios non disperdis? Cur imbrium copia non submergis? Quis manus continet? nunquid claui? minimè. Misericordia manus cõtinebat Domini. Miracula edit, non quę noceant, sed quę prosint. Iesum esse indicat crucis titulus, id est, Saluatorem; non vult perdere, sed seruare; idcirco miracula non facit mortifera, sed quæ ad fidem pœnitentiam, æternamque vitam Iudæos aduocent. *Facta hora sexta* (ait Marcus) *tenebræ factæ sunt per totã terrã, vsque in horam nonã.* & Lucas: *Erat* B *autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram, vsque in horã nonam*, &c. Obiicitur: Christus crucifixus est hora sexta, mortuus hora nona; si hora sexta Sol obscuratus est, vsque ad horam nonã, sequitur, toto tẽpore quo Christus ex cruce pependit,

Deflet cælum Domini mortẽ.

Obiectio.

mon-

montem Caluariæ fuisse crassissimis tenebris circumfusum, quæ Iudæos omnes aspectu priuarent. Nam tenebræ illæ crassissimæ videtur fuisse. Quomodo igitur fieri ea potuerunt, quæ facta esse afferunt Euangelistæ, eo tempore quo Dominus in cruce pependit? Quomodo in tenebris crassissimis potuerũt vestimenta Christi diuidere milites, & sortes mittere? quomodo potuerunt illudere ei, etiam prætereũtes? Quomodo potuerunt acetum in spongia illudentes præbere? Nunquid Christus matrem & discipulum, & latronem in tenebris allocutus est?

Responsio. *An tenebræ Iudæos qui erant in monte Caluaria, aspectu priuarint?*

Respõdetur Dominum crucifixum esse prope finem horæ tertiæ, quæ (vt suprà diximus) tres horas continebat; paulò ante horam sextam, ideòque dici crucifixum hora tertia, & hora sexta: dicitur crucifixus hora tertia durãte, nondum finita, & hora sexta iam sequente, & appropinquante. Sic nos qđ fit inter horam vndecimam & duodecimam, dicimus factum hora vndecima, quia ea durante, & hora duodecima, quia ea appropinquante, factũ est. Dicimus præterea Eclipsim solis factã hora sexta cõtigisse, vt Marcus ait, fortè post aliquod tempus. In illo autem temporis spatio, quod præcessit sextã horam, & secutum est, Christo iam pẽdente ex cruce, potuerunt milites vestiméta diuidere, & sortes mittere, potuerunt & prætereũtes & alii Christo illudere: potuit Dominus matrem, discipulum & latronem alloqui.

Obiectio. *An in tenebris Christo acetum milites porrexerint.* *Responsio.*

Obiicitur: illo temporis spatio non obtulerũt milites acetum Christo: sed postea, ergo obtulerũt in tenebris crassissimis. Nam obtulerũt illud paulo antequam traderet spiritũ, ille verò spiritum tradidit hora nona, qua hora tenebræ montem obscurabant. Respondetur, acetum esse oblatum Domino hora nona qua spiritum emisit. Cùm verò eclipsis solis ad nonam vsque horã durauerit, nona hora splendor rediit. Illo autem tempore quo milites acetum dederunt, iam tenebræ minores erant, nempe in fine Eclipsis. Potuerũt ergo videre quid facerẽt. Denique illud addimus, tenebras trium horarum non adeo fuisse crassas, vt Iudæos qui in monte Caluariæ erãt, illa facere impedirent, quæ fecerunt. Illud mirũ est, post tam stupendam eclipsim, non fuisse corde compunctos, illos qui acetũ obtulerunt, sed Domino illusisse. Difficilè dura compunguntur corda. Putarunt eclipsim similem fuisse aliis, ac naturalem.

Tenebræ factæ sunt.

Quomodo factæ sint tenebræ. *Origen.* *Sedul.* *Caiet.*

QVomodo factæ sint hę tenebrę, in controuersia est. Origenes arbitratur factas crassissimarum nubiũ interpositione: & Sedulius;

Sol nube coruscos.
Abscõdẽs radios, tetro velatus amictu,
Delituit, tristéque infecit luctib. orbẽ.

D. Hieron. *D. Cypria.*

Caie. putat per diuinam potentiam subtractos solis radios absque interpositione lunæ vel nubiũ. In hac opinione videtur fuisse diuus Hieron. in Mat. Videtur, inquit, mihi Sol retraxisse radios suos, ne aut pendẽtem Dominum videret, aut impii blasphemantes sua luce fruerentur, &c. & D Cypr. de bono patientiæ: Cũ Sol, inquit, & radios oculos suos subtrahat, ne Iudæorũ facinus aspicere cogatur, &c. sed verba hæc, subtrahere radios, non significant apertè hãc opinionem. Nam & si alio quouis modo eclipsis fiat, dici potest Sol subtraxisse suos radios.

Responsio. *Dionysius Areop.*

Respondetur hac in re sequendum D. Dionysium Areopagitam, qui Luna interposita inter Solem & terram tenebras factas, Heliopoli in Ægypto se vidisse testatur, epist. 7. ad Polycarpũ, & epist. 11 ad Apollophanem. Multa autem miracula in hac Eclipsi ex Dionysio colliguntur. Primũ est, quòd luna se Soli obiecerit, lucemq; eripuerit tempore plenilunii: erat enim Luna decimaquinta, vt supra diximus. Eclipsis autem Solis nequit fieri in plenilunio, sed in nouilunio cõtingit: tũc

Miracula multa in hac eclipsi facta.

Luna decima quinta, quæ Soli erat opposita, ad Solem venit, & inter Solem ac terram se interposuit. Cernebamus (ait Dionys.) inopinanti, cùm Luna se Soli obiiciebat. Neque .n. coniũctionis tem-

Areopagit Dionys. tempus erat, &c. Secundum, Luna post Eclipsim à Sole discessit, suoque loco restituta, è regione illi se opposuit; permanseruntque cælorum motus in suo naturali ordine, quem seruabant. Tertiũ, Eclipsis solis naturalis semper incipit ab Occidẽtali parte solis, & peruenit vsque ad Orientalem; propterea quòd Luna proprio motu tẽdit ab Occidente in Orientem, & ab Occidente veniens Soli se subiicit ex parte Occidentali Solis: in hac verò Eclipsi cùm Luna iam Solem pertrãsisset, essetque illi opposita, retro rediit à loco in quo erat, cępitque obscurare Solem ex parte Solis Orientali, tendens in Occidẽtem. Quartum, in naturali Eclipsi Luna à parte Solis, quam primo obscurat primò recedit; ex eademque parte ex qua incipit Eclipsis, icipit Solis repurgatio, & lux, Eclipsi recedente. In hac verò Eclipsi, postquam Luna lucẽ eripuit, non est progressa vlterius versus Occidentem, sed reuersa ad Orientẽ; cœpitque lux Solis ex Occidẽtali parte primo apparere; Eclipsis autem incepit à parte Orietali Lege epist. Dionysii, & D. Thomam 3. p. q. 44. ar. 2. Adde etiam, naturalem Eclipsin breui tẽporis spatio durare; hanc autem per tres horas durasse, vt Chrysost. obseruat homil. 89. in Matthæum: & D. Antonin. pp. hist. tit. 5. c. 6. §. 6. vbi aliæ, inquit, Eclipsationes Solis non durant p horam, hæc permansit per tres horas, &c. Etenim Luna sub Sole stetit immota. Sedulius: *Eclipsis q fit naturali ordine, breui tempore perdurat.*

vt tribus horis
Cæca tenebrosi latuerunt sydera calis:
Sic Dominus clausi triduo tulit antra sepulchris

Super vniuersam terram.

Dubium est, an Eclipsis hæc generalis fuerit, an Iudææ peculiaris? Quòd fuerit generalis, probant verba Euãgelistarum, qui affirmant factas esse tenebras super vniuersam terrã. Nihilominus Origenes, & alii putãt peculiarem Iudææ fuisse Eclipsim. Probatur sentẽtia. Primò, quia nõ opus erat; ĩ aliis locis tenebras fieri, vbi Christus notus nõ erat sed in Iudæa, vbi pdicatum fuerat Euãgeliũ, vt eius doctrina cõfirmaretur, eiusq; diuinitas. Secũdò, quia si admirabilis hæc Eclipsis aliis in regionibus visa esset, multi Ethnici autores illã memoriæ prodidissent: at nullus prodidit. Tertiò, qa super vniuersã terram Eclipsis esse non poterat hora sexta; nã in media orbis parte nox tũc erat: in plerisque verò aliis locis vbi dies erat, hora sexta meridiana non erat, quia diuersis in locis, diuerso tempore meridies est. Euangelistarum verba iuxta hanc opinionem, sic explanãtur: *tenebræ factæ sunt super vniuersam terram*, id est, super totam Iudææ terrã. De terra enim in qua Christus versatus erat, & de qua Euangelistæ eatenus locuti fuerant, intelligendi sunt. Similia illa verba sunt lib. 3. Reg. c. 18. Abdiæ ad Eliam: *Viuit Dominus Deus tuus, quia non est gens, aut regnum quò non miserit Dominus meus te requirens*, &c. Si hyperbole non est, vt esse videtur, accommodatè rei, de qua loquebatur, intelligenda sunt. Illa quoque Lucæ 2. *Exijt edictum à Cæsare Augusto vt describeretur vniuersus orbis.* Vniuersus, inquam, Cæsari subiectus. Gen. 41. dicuntur omnes prouinciæ iuisse in Ægyptum ad quærendum frumentum. Videlicet illæ propinquiores, quæ fame laborabant.

Origenes. An eclipsis generalis fuerit super totam terram? 3. Reg. 18. Luc. 2. Genes. 41.

Respondemus sequendam esse communem opinionem, Eclipsim fuisse generalem: siquidem id significant Euangelistarũ verba: nullaque ratio cogit, ne in propria significatione intelligãtur. Præterea poterat Christus Eclipsim facere generalẽ; idque conueniens erat; quia generalis totius orbis Dominus mortẽ subibat, & generaliter pro omnibus moriebatur. Ergo generalem fuisse existimandum est. Quod si obiicias, Lunam non posse Eclipsim generalem in toto orbe efficere; respondetur, Lunam sua interpositione obscurasse quod potuit; quod verò obscurare non potuit; id Christum per radiorum solis subtractionem, vel alia ratione perfecisse. Aliter respõderi potest, Eclipsim illam à Luna sola effectam, vt aint

Eclipsis fuit generalis. Obiectio. Responsio.

ait Dionysius, dicique ab Euangelistis generalem super vniuersam terrā; qa non fuit Iudææ solius, sed vniuersalis reliquis regionibus, iuxta Lunæ potestatem.

Argumentis suprà positis respondemus, primò opus fuisse, siue conueniēs vt in aliis quoque regionibus Eclipsis cerneretur in morte conditoris orbis totius; & tenebris, veluti atra veste, se regiones cunctæ induerent, moriente rege suo. Secundò Phlegontem Ethnicum Tiberii imperatoris libertum, de hac Eclipsi scripsisse, vt ait Origen. in Matth. & Euseb. in Chronico Tertull. quoque Apologet. c. 21. in archiuis Romanorum huius Eclipsis memoriā fuisse ait. D. Tho. 3. p. q. 44. ar. 2. rationem reddit cur ethnici de hac defectione Solis non egerint. Potuit, inquit, hoc contingere, quia astrologi nō solicitabantur de obseruanda Eclipsi, quia tūc Eclipsis tempus non erat; sed illam obscuritatem ex aliqua passione aeris accidere putauerunt, &c. Tertio argumēto respondetur, Euāgelistas non significare Eclipsim factam, cùm hora sexta erat in omnibus regionibus, sed eo tēpore, quo hora sexta erat in Iudęa: in aliis autem regionibus alia poterat esse hora. Neque item significant Eclipsim in ea terræ parte factam, in qua erat nox, sed in ea qua dies fulgebat.

Ethnici et eclipsis huius meminerunt. Origen. Tertul. D. Thom.

Quæritur an in hac Eclipsi Luna cōuersa fuerit in sanguinem? conuersam esse probant verba Ioel 2. *Sol conuertetur in tenebras, Luna in sanguinem*, &c. D. Hierony. in commentariis eiusdem capitis in hanc sententiam propēdet: Sol, inquit, versus est in tenebras, quādo pendentem Dominum suum videre nō est ausus: & Luna in sanguinem. Quod iuxta historiam factum esse credamus, & ab Euangelistis silentio prætermissum: neque enim omnia quæ fecit Dominus, ab Euangelistis referuntur, aut certè, &c. Glossa interlin. hoc, id est, Lunam cōuersam esse in sanguinem, etsi Euangelistæ non memorant, tamen ad literam factū esse credimus, &c. Sit ergo opinio probabilis, Lunā tunc apparuisse sanguinolentam propter vapores interpositos. Verba namque hæc Ioelis ad tempus Christi referri possunt, quemadmodum superiora referuntur. *Effundam*, inquit, *de spiritu meo super omnem carnem*, &c. Hęc de aduentu spiritus sancti explanantur à D. Petro, Act. 2. & adduntur omnia verba sequentia. quamobrem ad Christiana tēpora pertinent omnia. Addit Dominus apud Ioelem: *Et dabo prodigia in cælo, & in terra, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi*, &c. hoc est, dabo prodigia in cælo & in terra; in terra quidē dabo prodigiosum & stupendum sanguinem Dei ex cruce pendentis: dabo ignem, id est, spiritus sancti igneas linguas: & vaporem fumi, quia credibile est, cū spiritus sanctus ī linguis igneis descēdit, aliquam nubem veluti fumi, in cænaculum descendisse, vt in tabernaculo factum est, & in templo Salomonis. Additur: *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*, &c. hoc est, in morte Domini Sol lumine priuabitur, Luna sanguineū ostēdet vultum; antequam veniat dies Domini magnus & horribilis Iudæis, id est, dies, quo Deus Ierusalē solo æquabit per Romanorum exercitum; populum sibi delictum disperdet, domumque suam, id est, templum, incendet, ne vnquam exædificetur.

An luna cōuersa sit in sanguinem. D. Hieron. Ioel. 2. Luna vere fuit in sanguinē.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXI.

De alijs prodigijs in morte Domini.

MATTHAEVS CAPITE XXVII.

ECce velum templi scissum est in duas partes, à summo vsq; deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerũt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes; Verè filius Dei erat iste.

MARCVS CAPITE XV.

ET velum templi scissum est in duo, à summo vsque deorsum. Vidẽs autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo filius Dei erat.

LVCAS CAPITE XXIII.

ET velum templi scissum est medium: Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum dicens: Verè hic homo iustus erat. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua, reuertebantur.

Et ecce velum templi.

Luget orbis.

QVemadmodũ vita functo patre familias, familia luget; sic mortuo orbis conditore, res conditæ plangunt. Sol luget & Luna, totumque orbem ad planctum prouocat, ipsum quoq; templũ luget, vestemque scindit pretiosã, quã erat indutũ, s. velũ. Sedulius: *templũ* inquit, *Saucia discisso nudauit pectora velo*, &c. *Clamans voce magna Dominus*, ait Matthæus, *emisit Spiritum*. *Et ecce velum*

templi scissum est, &cæt. Clamauit voce A magna, dicēs, *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*; deinde, *inclinato capi te emisit Spiritum*, & ecce postquam emisit Spiritum, *velum templi scissum est*, &c. Contigerunt quæ sequũtur. D. Lucas vsus est anticipatione, cum prius scissi veli meminit, quam mortis Domini. Scissum est autem velum, vt ait Matthæus, in duas partes à summo vsque deorsum: vt ait Lucas, scissum est medium. Dubitatur quot B fuerint templi vela? Nonnullis videtur vnum tantum fuisse: sed in tractatu de templo tomo 2. probatum est duo fuisse.

Cum igitur duo fuerint, alterum in ostio oraculi, alterum in ostio domus exterioris, quæritur, quodnam ex illis scissum sit in morte Christi? Respondet D. Hieron. quæst 8. ad Heldiam Mihi, inquit, videtur in passione Domini illud velum esse conscissum, quod in C tabernaculo & in templo foris positũ fuerat; & appellabatur exterius; &cæt. Eiusdem sententiæ est Origenes, & D. Thom. Matthæ. 27. D. Leo sermo. 10. de passione existimat velum interius disruptum. Velum, inquit, cuius obiectu includebantur Sancta Sanctorũ à summo vsque ad ima disruptum est, &cæt. Idem opinatur Euthym. Cyrillus in Ioannem, Caiet. & alii: Hæc opinio mihi magis placet, quoniam velum templi D videtur sumi ab Euangelistis pro velo præcipuo & nobiliori: præcipuũ autem velum & nobilius illud erat, quod oppansum erat ante sancta Sanctorum; de hoc ergo loquuntur Euangelistæ. Decebat enim velũ illud scindi, quod erat nobilius, in morte Domini, non verò solum ignobilius. Quamuis autem occultum erat, potuit Dominus facere vt facilè m nifestaretur. Dionysius Carthus. Matth. 27. ait, for- E sitan vtrumque velum scissum esse. Sed obiiciet aliquis, Euangelistas vnius tantum meminisse, non ergo vtrumque esse scissum. Respondebitur, Euangelistas meminisse vnius tantum nobilioris, quod forsitan per excellentiã velum templi appellabatur, neque negasse alterum quoque esse disruptũ.

Duo erant tẽpli vela quodnam ex illis scissum est.
D. Hieron.
Origen.
D. Thom.
D. Leo.
Postrema opinio uidetur probabilior.
Dionys. Carth.

Hanc veli scissionem, ait D. Leo, repudiationem significasse Iudaicarum ceremoniarum; Velum, inquit, scissum est, & sacrum illud mysticumque secretum, quod solus summus Pontifex iussus fuerat intrare, reseratũ est, vt nihil iam esset discretionis, vbi nihil resederat sanctitatis. Repudiatos itaque vos ò Iudæi debuistis agnoscere, & omne ius sacerdotii perdidisse, &c. Euthym. scisso, inquit, velo ostendit Deus, quod à templo diuina auolasset gratia, quòdque interiora, id est, Sancta Sanctorum, omnibus peruia atque cõspicua constituẽda essent, quod etiam postmodum ingredientibus Romanis factum est, &c. Theophyl. Matth 27. Velum scinditur, demonstrante Deo quòd templũ inaccessum & nunquam visum, cuius intima velamen secludebat, soluetur, & prophanetur; ita vt omnibus sit spectabile, &cæ. Secundo, veli scissionem, ait D. Leo, significasse transmigrationem à synagoga ad Ecclesiam, serm. 17. de passione. Adeo, inquit, tunc, à lege ad Euangelium, à synagoga ad Ecclesiam, à multis sacrificiis, ad vnam hostiam, quæ Deus est, euidens est facta translatio, vt emittente Domino spiritum, velum vi subita scinderetur. Quoniam figuras veritas auferebat, & superflui erãt nuntii sub præsentia nuntiati; &c. sermo. 18. præcesserunt figuræ, vt sequeretur effectus, & in aduentu rerum nuntiatarum, finita sunt officia nuntiorum, &c. Tertio, significat veli scissio, aperta iam esse mysteria, quæ sub typis & scripturis legis veteris latebant. D. Ambros. in Lucam, Synagogæ, inquit, velamen aufertur, vt religionis interna mysteria reuelata mentis cernamus obtutu, &c. Theophyl. Matthæ. 27. Nonnulli, inquit, alias causas afferunt; & quòd reuelentur omnia legalia, quæ prius litera, vt velamẽto quodam erant cooperta, & quæ prius obscura erãt, ac plena ænigmatibus, manifestentur nunc in Christo impleta, &c. lege D. Cyrillum in Ioannẽ: Quia, inquit, pulcherrimus fidei nucleus, ariditate literalis testæ perfracta, denudatus est, scissum est velum. Non enim

Quid adũbrarit veli scissio.
D. Leo.
Euthym.
Theophyl.
D. Leo.
Typi & figuræ aperiuntur.
Theophyl.
D. Cyrill.

trunca-

trunca & manca, sed perfecta fidei illuminatio est. Quia omni cognitione ac sapientia locupletandi iam erāt fideles, sine aliqua veli obumbratione totum intelligentes mysterium, idcirco templi velum totaliter scinditur, &c. Sedulius: illud ouans templum;

Sancta discisso nudauit pectora velo,
Interiora sui populis arcana futurit
Iam reseranda docens. quia lex velamine Mosis
Tecta diu, Christo nobis veniente patescit, &c.

Quartò significat scissio veli, ipsum templum scissa veste, Iudæorum scelus detestari: idem Theophylact. hanc causam superiori addit ex sententia aliorum; his verbis: Sicut erat mos Iudæis in blasphemiis contra Deum, scindere vestes; ita nunc quoque diuinum templum, quasi ægrè ferens Christi mortem disrupit vestem suam, hoc est, velum, &c. D. Cyrillus in Ioannem eandem reddit, & Euthym. Quintò significat per Christum apertam esse viam in cœlum, quæ antea erat clausa. Euthym. Scissum, inquit, velum significauit diuisum iam esse medium parientem inter cœlum & terram qui inter Deum erat, & homines, & factum esse cœlum hominibus peruiū, &c. Nam Sancta Sanctorum cœlum significabant. lege Paulum ad Hebræ. 9. Ostendit Dominus velum cęli in morte sua scindendum, cum latroni dixit in cruce: Hodie mecum eris in paradiso; ostendit iam scissum, cum apud inferos Patribus diuinam essentiam absque vllo velo patefecit.

Theophyl.

Euthym.

Terra mota est, petra scissæ sunt.

NOn est mortuus Christus sicut communis homo, ait Theophylact. in Lucam, sed cum magna potestate. Sol in morte eius obscuratus est, terra mota, petrę scissæ, velum templi disruptum. Si quæras, an tota orbis terra fuerit mota respondet Origenes neganter. Quemadmodum enim signū veli, & scissarum petrarum, & monumentorum apertio, peculiaria in Iudæa fuerunt prodigia; sic enim fuisse videtur terræ commotio. Baronius, & alii, aliis quoque in locis motam terram esse aiunt. Quod probatur Phlegontis testimonio, cuius verba Eusebius recitat in chronico Scripsit, inqt, super his & Phlegon, qui olympiadū egregius supputator est, in lib. 14. ita dicēs: Quarto autem anno 202. Olympiadis magna & excellens inter omnes, quę ante eam acciderant, defectio solis facta est. Dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, vt stellæ cæli visæ sint; terræque motus in Bithynia, Nicenæ vrbis multas ædes subuertit, &cæt. Refert Plinius libro secundo c. 84. sub Tiberio ingenti terræ motu exscissas esse duodecim ciuitates in Asia: sed hunc terræ motum Eusebius in chronico quinto anno Tiberii attribuit, quo Christus adhuc mortalē hāc ducebat vitam multo ante crucem.

Terra motus.

Phlegon.

Plinius.

Terra motus fuit generalis.

Scissæ quoque sunt petræ, id est, saxa & magnæ rupes. Baronius putat ex concussione terræ motus, esse scissas: fortè aliquæ sic fractæ sunt Fuit tamē hoc miraculum peculiare, neque natū ex vi motus terræ D. Hieronym ait in Euangelio Nazaræorum legi, superliminare templi infinitæ magnitudinis fractū esse, atque diuisum. Fertur etiā petram, siue rupem montis Caluariæ, in qua fixæ sunt tres cruces, scissam esse, atque ita scissam vt diuisio interiecta sit inter Christi crucem, & crucem impii latronis, quasi diuidēs ærum à Domino. Illud non prætermittam, qđ ex Plutarcho narrat Eusebius lib. 5. de præparat. cap. 9. Tiberii Imperat. tempore, Thramnum nauis gubernatorem iussum esse iuxta paludem quandam nuntiare magnum Pana mortuum esse; eaque renuntiata, magnum multorum gemitum, imò verò innumerabilium miraculo quodam commixtum, subitò auditum esse. Magnū Pana mortuum, nonnulli Christum esse intellexerunt, eiusque mortem deplorasse dęmones, quod magnam illis cladem attulerit

Petra scissa.

Eusebius.

tulerit Pan.n.significat, omne, Christus autem quia Deus est, Pan est, id est, omnia est.

Iram frenatã ostendit Deus. Iram Deus Iudæis his prodigiis ostendit; sed frenatam. Mouetur terra, sed neminem absorbet; scinduntur petræ, sed non scindunt Iudæos, aperiuntur monumenta vt resurgant mortui, non vt sepeliantur viui, propter tantum scelus morte digni, videlicet irã frenat Dominus. Præterea compatitur terra motu suo creatori suo, ipsa quoque durissima saxa scinduntur, vt homines doceant, in morte redemptoris corda scindere saxea.

Monumenta aperta sunt.

TEndebat mors Christi in vitam, crux in resurrectionem: idcircò signũ datur resurrectioni paulò post futuræ *Monumẽta*, inquit, *aperta sunt*, &c. Sint ne aperta in morte Christi, dubitatur. Etenim sepulchra aperta sunt, vt mortui resurgerent, mortui autem resurrexerunt, postquam Christus resurrexit; ergo non in morte, sed in resurrectione Christi aperta sunt. *Responsio.* Respondeo sepulchra aperta fuisse in morte Christi, cum mota est terra, & petræ scissæ sunt; vt resurrectionem Christi significarent, & resurrectionem quoque hominum, quam Christus suis nobis doloribus meritus est. *Quo tempore fuerint aperta sepulchra.* Mortui autem postquam Christus in vitam rediit, in vitam reuocati sunt; Christus namque est primogenitus mortuorum. Hoc significat Matth. cum sic scribit: *Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt; & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis*, &cæ. Vnde D. Hieronym. Matthæ. 27. Quomodo, inquit, resurrexit Lazarus mortuus, sic & multa corpora Sanctorum resurrexerunt, vt Dominum ostenderent resurgentem, & tamen cum monumenta aperta sint, non antea resurrexerunt, quàm Dominus resurgeret, vt esset primogenitus resurrectionis ex mortuis, &cæt. *Quo tempore resurrexerint corpora sanctorum.* Eadem est aliorum interpretum sententia. Argumento respondetur, monumenta aperta esse in morte Christi, vt resurrectionem indicarent: mortuos tamen Sanctos non statim cum monumenta aperta sunt resurrexisse, sed post resurrectionem Christi. Quòd autem cum monumenta aperta sunt, non resurrexerint probatur, quia resurrexerunt ad nuntiandam resurrectionem Christi; illa verò postea erat nuntianda: tunc ergo resurrexerunt cum Christus resurrexit.

Rogabit aliquis; num apertis monumentis corpora mortua visa fuerint Iudæis ante resurrectionem? Respondeo multis visa esse saltem Ethnicis, fuisseque celeberrimum illud miraculum. Nam corpora illa integra fortè permanebant, quoniã condita fuerant aromatibus more Iudæorum. Erant Iudæorum sepulchra extra vrbes, ideò Euangelista ait, *venerunt in sanctam ciuitatem*; videlicet, quia extra illam sepulta erant corpora. vidisse autem Iudæos corpora fit verisimile, quia sepulchra aperta fuere à feria sexta vsque ad diem dominicum. At ne contaminarentur cernere fortè noluerunt & ingredi sepulchra; mortuorum enim tactu Iudæi contaminabantur; Ethnicos nihil impediebat.

Multa corpora Sanctorum surrexerunt.

NOn dixit Matth. resurrexisse animas, & corpora; sed multa corpora. Anima enim non resurgit, quia non moritur: resurgit cadauer quod cadit, & resurgit homo, qui moritur. Quæritur an hi Sancti rursus obierint; an potiùs in cęlum cum Christo immortalitate donati abierint? D. August. epist. 99. ad Euodium, Euthy. Theophylactus, & alii putant, rursus obiisse. *D. August. Euthym. Theophyl. An ij sãcti qui resurrexerunt rursus obierint? Hebr. 11.* Confirmatur opinio testimonio Pauli ad Hebr. 11. quo capite ait patres nõ accepisse repromissionem, ne sine nobis consummarẽtur. Hinc sequitur antiquos patres nõ rediisse ad vitam

vitam immortalem; si enim redierunt, sine nobis iam consummati sunt, id est, perfecta animæ corporisque beatitudine donati; quæ (quod attinet ad corpus) in diem Iudicii iustis simul omnibus donanda reseruatur. sed facilè respondetur, Paulum loqui de animi tantum gloria, quam patres, qui limbo continebantur, ante Christi aduentum non receperunt; *ne sine nobis*, id est, sine Sanctis noui Testamenti *consummarentur*, id est, perficerentur beatitudine animi. Secundò opinio confirmatur, quòd Petrus Acto. 2. significet Dauidis corpus in sepulchro esse, ideo enim addit: *& sepulchrum eius apud nos est*, quasi diceret, in quo ipsius cineres adhuc sunt. Verba autem Psalm. 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, &c. non de Dauide, cuius caro vidit in sepulchro corruptionem, sed de Christo intelligenda sunt. Quòd si Dauidis cineres in sepulchro eius erant, eo tempore, quo Petrus Act. 2. loquebatur, non resurrexit Dauid ad vitam immortalem, cum tamen in hac resurrectione eximium locum sibi debuerit vendicare. Si Dauid non resurrexit, neque alii. Respõdetur D. Petrum significare Dauidem mortuum esse & sepultum, in cineresque redactum; quamobrem, nõ illi, sed Christo congruere verba illa Psalm. 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Defunctus, inquit, est Dauid, & sepultus est; id est, in puluerem redactus in sepulchro, viditque corruptionem, Verba quæ sequuntur; *& sepulchrum eius apud nos est*: addidit ad maiorem confirmationem. Quasi diceret; Ante oculos habetis sepulchrum eius, quod testatur eum sepultum esse, & vidisse aliquando corruptionem. Vnde patet hoc testimoniũ probare quidem Dauidem vidisse corruptionem in sepulchro multis annis; sed nõ probat eo tempore iacuisse in sepulchro quo Petrus verba faciebat; potuit enim videre corruptionẽ multis annis, & cum Christo resurgere. Tertiò probatur opinio non leui argumento, si aliqui Sancti tunc surrexerunt ad vitam immortalem, surrexit etiam Baptista magnus; id enim eius dignitas postulabat. Certum autem est non resurrexisse ad vitam immortalem, siquidem caput eius vsque ad hanc diem, Romæ in magna veneratione habetur. Responderi potest non resurrexisse Baptistam, quia tũc solum Sancti antiquiores resurrexerunt; non autem illi, qui Christo propinqui erãt tempore.

Hebr. 11. — Act. 2. — Psalm. 15.

Secunda opinio est, eos Sanctos, qui cum Christo resurrexerunt, non obiisse iterum, sed in cœlum cum Christo abiisse immortales. Ea est D. Epiphan. heresi 75. quo loco ait introisse in sanctam ciuitatem, id est, in Ierusalem terrestrem & in cælestem quoque. D. Ambros. Psalm. 1. Puto, inquit, quòd Euangelista magis illam significet Ierusalem supernam, quàm istã. Item Diuus Hieronym. Sanctam, inquit, ciuitatem aut Ierosolymam cælestem intelligamus, aut hanc terrenam, quæ propter templum sancta appellabatur, &c. Est etiam Remigii, D. Thomæ Matthæ 27. & aliorum. Neque desunt probationes. Prima est: quia par est credere, cum Christo esse aliquot homines corpore animoque perfectos. Secunda, quia sine pœnitentia sunt dona Dei, ergo Deus donum vitæ datum non reuocauit sine culpa eorum, quibus est datum. Tertia validior: horum Sanctorum animæ in limbo erant, & post mortem Christi protinus essentiam diuinam viderunt; ergo assumpserunt corpora beata, & immortalia, non ergo mori poterant. Nam anima beata corpus reddit immortale. Possunt tamen solui hæ rationes vt alias omittam leuiores. Primæ respondeo Christum non indigere hominibus corpore præditis in cœlo, satis illi esse nũc animas, corpora beata in diem iudicii differri. Secundæ respondeo dona illa Dei tolli, quæ in aliquod certum tempus tantummodo, & ob certam aliquam causam data sunt: qualis erat vita data his Sanctis solum ad nuntiandam & probandam resurrectionem. Tertiæ respondeo animas Sanctorum beatas, in corporibus fuisse nõ beatis, & mortalibus, paucis diebus, vel horis

2. Opinio. — D. Epiph. — D. Ambr. — D. Hieron. — Remig. — D. Thom.

per miraculum; quoniã sic opus erat, vt iterum corpora in sepulchra reuerti possent.

Autoris sẽtentia.

Vtraque quæstionis pars verisimilis est. Quòd si huius resurrectionis finem spectemus, verisimilius videtur Sanctos, qui resurrexerũt, iterum obiisse. Nam Sancti hi ideò resurrexerunt, vt nuntiarent ac probarent sua resurrectione, resurrectionem Christi: ergo debuerunt esse ex iis, qui ante paucos annos è vita excesserant; cognitique erant in vita iis, quibus apparebant; ignotos enim ii quibus apparebant, nec sciuissent esse mortuos: neque resurrexisse. Resurrexerunt ergo sancti aliqui viri, qui paucis ante annis vitam cum morte commutauerant, & viuentibus noti erant. hi verò non videntur ad vitam immortalem resurrexisse, relictis aliis sanctis antiquissimis. Igitur postquam officio suo functi sunt, in sepulchra redierunt, quæ aperta erant; corpora absque dolore vllo deposuerunt, clausisque sepulchris solutæ corporibus animæ abierunt. Vt alia omittam; probatur hæc sententia ex reuelat. D. Brigittæ lib. 6. cap. 94. in quo hæc extant Deiparæ virginis verba: Animæ Sanctorum, qui surrexerunt, ascenderunt cum filio meo; sed corpora expectant resurrectionem, &c. & lib. 7. capit. 26. Scias, inquit, quòd nullum corpus humanum in cœlo est, nisi corpus gloriosum filii mei, & corpus meum, &cæt.

Probabilius est, obijsse iterũ eos qui surrexerãt cũ Christo.

Reuelatio sancta Brigittæ.

Obiectio.

At obiici potest: finem huius resurrectionis potius probare resurrexisse Sanctos, vt immortali vita perfruerentur. Resurrexerunt enim vt Christi resurrectionem sua resurrectione probarent. Ergo quemadmodum Christus resurgens à mortuis iam non moritur, & mors illi non dominatur; sic sancti resurgentes iam non moriuntur, mors in illos imperium nullum habebit. Nonne, si mortui sunt Sancti, verisimile est Iudæos qui viderãt aperta sepulchra, & mortua corpora, postquam viderunt clausa, vel ea aperuisse & vidisse sanctos mortuos, vel si non aperuerunt existimasse illos redditos sepulchris, & resurrectionem ad immortalitatem non fuisse? Non ergo satis probabat Christi resurrectionem, resurrectio sanctorum ad mortalitatem. Respondetur, illos sanctos resurrexisse, vt probarẽt verborum testimonio Christum resurrexisse; sua vero resurrectione probabant potuisse corporibus vitam reddere, tam mortalem quam immortalem. Proprio corpori Christus reddidit immortalem; horum sanctorum corporibus mortalẽ. Iudæi verò sepulchrorum apertione, & hac resurrectione sanctorũ ad mortalem vitam, dispositi sunt, vt facilius iis crederent, quæ de resurrectione Christi ad immortalem vitam Apostoli prædicabant.

Responsio.

Videns autem Centurio, quod factum fuerat.

Effectus factorum miraculorum in morte Christi indicant Euangelistæ: Matthæus, centurionem, & milites, qui Dominum custodiebant, ait, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuisse valde, & dixisse: *Verè filius Dei erat iste.* D. verò Lucas: *Videns*, inquit, *centurio, quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: Verè hic homo iustus erat*, &c. Vtrumque dixisse videtur Centurio; Verè hic homo iustus erat, vt scripsit D. Lucas; & filius Dei erat; quod scribit Matthæus. Ait autem Matthæus, milites Christum custodientes idem dixisse. Mysterium Trinitatis omnes hi ignorabant, non igitur quid dicerent, intelligebãt. Sed quia audiuerant à Iudæis, Christum se appellasse filium Dei, illis verbis, Ioann. 19. *Secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit*; ideo dicebant; Verè filius Dei erat iste, videlicet, sicut ipse asserebat. D. Bern. serm. 2. de Epiph. ait, Centurionem fidem tunc habuisse, & Christum per fidem cognouisse. Videte, inquit, quam oculata sit fides; cognoscit Dei filium lactentem,

Effectus Passionis in centurione, militibus, & Iudæis.

D. Bern.

De fide centurionis.

ctentem, cognoscit in ligno penden- tem, cognoscit morientem. Siquidem latro in patibulo, Magi in stabulo cognoscunt, Centurio verò agnouit vitam in morte. Latro, regem: Centurio, Dei filium, simul & hominem pronuntiat, &c. D. August dubitat libr. 3. de consens. Euangel. Fortè, inquit, Centurio Christum non vnigenitum æqualem Patri intellexerat; sed ideo Dei filium dixerat, qui iustum crediderat, sicut multi iusti dicti sunt filii Dei, &c. Si non habuit fidem modò, postea habuit; dicitur enim ad Christum conuersus, & martyrii corona decoratus. Eius vitam scripsit Metaphrastes: habetur apud Surium 25. die Martii. Appellatum Longinum, ait Metaph. & ex synagoga fuisse Iudæorum. Alii sentiũt fuisse Ethnicum, eo quòd dux fuerit militum Romanorum. Centurio autem is dicitur, qui centum præest militibus, vnde Matthæi 27. ἑκατόνταρχος dicitur. Commoti igitur sunt admirandis signis Ethnici, Centurio & milites.

D. August.

Quis fuerit Centurio.

Neque solum Ethnici, sed etiam Iudæi; sic enim Lucas scribit: *& omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum illud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua, reuertebantur*, &cæt. Omnes, inquit, qui aderant ad spectaculum, Græcè, θεωρίαν, ad Theoriam hanc; reuertebantur domum suam, percutientes pectora, agentes videlicet pœnitentiam. O spectaculum coelo, terræque, Angelis & hominibus stupendum. Si tamen recta adsit consideratio, significat nomen Græcum θεωρίαν, *considerationem*, & *speculationem*. Qui adiunt ad hanc theoriam mente, qui Deum considerant pro peccatis crucifixum, reuertuntur a vitiis ad virtutem, pænitentiam agunt, pectora percutiunt, corpora verberant ac macerant, à Theoria hac ad praxim descendunt, & bonis operibus nauant operam. Mœstum erat spectaculum Christi crucifixi; sed lætum erat spectaculum turbæ reuertentis, & pectora percutientis. Iam producere incipiebant Iudæi pœnitentiæ quosdam flores, qui Apostolis prædicantibus fructum parerent. Habacuc 3. ex visione septuainterpret. *In medio duorum animalium cognosceris*, &cæt. D. Hieronym. sic interpretatur: In medio duorum latronum cognosceris. Et D. August. libro 18. de ciuitate Dei eandem cum aliis affert interpretationem. Nonne vides Christum in medio duorum latronum iam cognosci, etsi non perfectè? flores sunt, fructum expectemus.

Iudæi pectora percutiunt.

CAPVT XXII.

De aperto latere Christi.

IOANNES CAPITE XIX.

IVdæi ergo (quoniam parasceue erat) vt non remanerent in cruce corpora Sabbato, erat enim magnus dies ille Sabbati, rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura; sed vnus militũ lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis, & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium eius. Et ille scit quia vera dicit: vt & vos credatis. Facta sunt enim hæc vt scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

Quoniam parasceue erat.

VT cōstat ex suprà dictis, A fixus est cruci Dominus in parasceue Paschæ, id est, feria sexta, in quam illo anno festũ Paschæ incidit. Omnis enim feria sexta parasceue, nomine Græco dicebatur, id est, præparatio, quia in ea cibi præparabantur in Sabbatum, quos ipso Sabbato præparare non licebat. Iudæi ergo, ait Ioan. *quoniam parasceue erat*, hoc est, quoniā erat feria sexta, quam sequebatur Sabbatum, dederunt operam vt corpus Christi, & corpora latronum, è crucibus ipsa feria sexta tollerentur, propter Sabbati sequentis reuerentiam. Ne remanerent ipso Sabbato in patibulis, quod initium sumebat ab occasu Solis feriæ sextæ. *Erat enim magnus dies ille Sabbati*: magnus, inquam, cultu & reuerentia, quia in dies Paschales inciderat, vt suprà diximus, in tractatu de cœna Domini: Itaque Pilatum præsidem rogauerunt, vt fractis cruribus crucifixi occiderentur, & de patibulis deponerentur.

Ob reuerentiam Sabbati, corpora è cruce tollebātur.

Deuter. 21. Præcipit Deus, vt cru- B cifixi cadauer eadem die qua fuerit supplicio affectus, sepeliatur. *Non permanebit*, inquit, *cadauer eius in ligno, sed eadem die sepelietur*: quæ lex Iudæos compellebat vt Christum è cruce deponerent feria sexta, & sepelirent. Verum Ioan. huius legis nō meminit, sed cultus sabbati magni; quia

Deut. 21.

for-

forsitan Iudæi illa se lege liberos existimabãt, quòd Dominus iussu Pilati fuisset actus in Crucem. Annuit postulationi Iudæorum Pilatus. Quia verò latrones duo nondum animam efflauerant, ideo cruri fragio sunt interfecti. Christo non sunt fracta crura, quia viderunt milites eum iam esse mortuum.

Christo mortuo nõ fregerunt crura milites.

Vnus militum lancea latus eius aperuit.

NOn sunt crura fracta Domino; sed ex militibus vnus, pro cruri fragio latus eius percussit hasta; vt si forte spiraret adhuc, penitus moreretur. Dices: Nonne milites miraculis territi fassi sunt Christum esse filium Dei? Cur igitur hic audet filium Dei hasta vulnerare? Respondetur, Centurionem & milites noluisse crura Christo frangere ductos illius reuerentia: ne tamen fortè viuus deponeretur è cruce, miles ille in cor hastam contorsit, vt statim sine dolore crurifragii è vita abires, scirentque Iudæi, ideo fracta illi non esse crura, quòd mortuus esset. D. Brigitta lib. 7. cap. 15. militem furore percitũ ait, Christi latus transfixisse. Venit, inquit, vnus accurrens cum furia maxima, & infixit lanceam in eius latere dextro tam validè, quod quasi per aliam partem corporis lancea voluit pertransire, &c. Chrysosto. ait ad Iudæorum gratiam conciliandam milites id fecisse.

Vnus militum latus Christi aperuit.

D. Brigitt.

D Chryſ.

Vsuardus, Ado & Beda in Martyrolog. Idibus Martii scribunt, hunc militem Longinum appellatum esse, ad fidem Domini conuersum, & martyrii gloriam consecutum. Aiunt autem nonnulli nomen, Longinus, ductum esse à nomine Græco, λόγχη, quod significat hastam. Sed si ab hoc nomine duceretur, vocandus esset Lonchinus. Verisimilius est sic dictum à longitudine corporis. Tradiderunt autẽ quidam, vt ait Petr. Comest cap. 179 hunc Longinum vitiosos ac caliginantes habuisse oculos; sed cum casu Christi sanguinem illis admonisset, videndi

De Longino, & an fuerit cæcus.

A acumen recuperasse. Huius miraculi meminit etiam Petrus de Nat. Mãtuanus & alii. Gregor. Nazianz. in Tragædia huius dicitur sententiæ:

Vbi, inquit, fixit hastam, defluentis sanguinis
Tinctam liquore, & ecce vt vtraque è manu
Haurit, oculosque hoc vngit, hinc vt scilicet
Detergat oculum noctẽ, quæ cæca tegit, &cæt.

Sed Græcè sic legitur ὡς ἔοικεν ὡς B ἄγνισμα ἔχῃ. Oculos, inquit, siue *Pupillas* vnxit, vt fertur, vt haberet purgationem oculorum, vt interpres intellexit. Sed purgatio fortè ad animum potest referri. Citantur etiam D. Isidori hæc verba: Longinus latus Saluatoris aperuit, & tactu sanguinis Christi, cũ esset altero oculo priuatus, illuminatus est extra, & intus lumine fidei, & per Apostolos baptizatus, & post longum tempus in eremo Episcopatus honorem & Martyrii coronã meruit. C Hæc ille. Sed ego illa non potui reperire. Vide P. Salmeronem. Videtur orta hæc opinio ex verbis Ioan. *Et qui vidit, testimonium perhibuit,* &cæt. Hoc est miles cæcus, qui vidit, sanguine Christi inũctis oculis, testatus est, &c. At non ad militem, sed ad Ioannem verba hæc spectant, vt infrà dicemus. Obiicitur huic miraculo, non potuisse D militem esse cæcum. Responderi potest non fuisse cæcum, sed vel altero oculo priuatum, vel oculis malè affectis.

Isidorus.

Cum duo sint latera, dextrum, ac sinistrum, dubitatur, sitne apertũ Christi latus dextrum, an sinistrum? Dextrum apertum esse ait D. Bernardus serm. 7. in Psal. *Qui habitat.* Dominus, inquit, dextrum sibi latus passus est propter me fodi, &cæ. Eadem est sen-E tentia Innocentii, libro 2. de Mysteriis Missæ cap 58. D. Bonauent. in Meditat. c. 80. Ludolphi, D Brigittæ lib. 7. c. 15. & aliorum. Grego. Nazianz. in tragœdia: Adegit ille lanceam in dextrum latus, &c. Græce tantum est πλευρά, id est, *latus*. Obiicitur. Miles cor Christi petebat hasta, ergo non percussit latus dex-

D. Bernar.

Innocent.
D. Bonau.
D. Brigitt.

dextrum, sed latus sinistrum. Respondetur, latus percussisse dextrū, & per latus petiisse cor. Quæritur. An cor miles transfixerit? D. Brigitta libro 2. cap. 21. affirmat his verbis: In corde punctus erat tam amarè, & immisericorditer; quòd pungens non destitit, donec lancea attigit costam, & ambæ cordis partes essent in lancea, &cæ. D. etiam Vincentius hastam ad cor ascendisse putat. & D. Cyprianus de duplici Martyrio id significat, cũ ait, Christum amisisse quidquid resederat in corde sanguinis. Gabriel in tract. de passione, ait, hastam infixam sub costis dexteri lateris, vsque ad cordis ipsius transfixionem.

D. Brigitt. D. Vinctt. D. Cypria.

Continuò exiuit sanguis & aqua.

APertum latus Christi fons fuit aquæ & sanguinis admirabiliter. *Continuò* (inquit) *exiuit* ex latere aperto, *sanguis & aqua.* Non exiit aqua permixta sanguini, sic enim discerni non potuisset oculis; Ioannes autem significat se oculis corporeis vidisse fluentem aquam & sanguinem. *Qui vidit*, inquit, *testimoniũ perhibuit*. Prius ergo sanguis exiuit, deinde aqua, vt existimat Simon Cassianus, & P. Salmeron. Post sanguinem, inquit, fluxit aqua, ad significandum quòd Christus totum sanguinẽ profuderat, quo nos ad bibendum de aqua vitæ æternæ inuitaret, &cæt. Vel simul aqua & sanguis fluxerunt, diuersis viis, & separato fluxu. Quod sentit D. Cyprianus tract. de pass. De latere, inquit, tuo Domine fons egreditur, in vitam æternã prosiliens; & de eadem consubstantialique origine diuisis limitibus, aqua & sanguis emanant, &cæt. Dubitatur, an fuerit vera aqua? Respondetur, veram fuisse aquam, non verò phlegmaticum humorem. Sic definit S. P. Innocentius III. Can. in quadam, de celebrat Miss.

Aqua uera & sanguis ex Christi corpore exijt. Sim. Cass. Salmeron. D. Cypr. Innocent.

Quæres, fuit ne aqua per miraculum tunc in corpore Christi orta, an naturaliter ex eo prosiliit? Respõdeo fuisse aquam per miraculum in corpore mortuo genitam, vt D Thomas ait 3. p. q. 66. artic. 4. ad 3. ad ostendendũ, corpus Christi non fuisse phantasticũ, sed verum. Quamobrem Innocentius illud 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra spiritus, aqua & sanguis*, &c. in hanc sententiam interpretatur: tres sunt qui testimonium dant in terra humanitatis Christi veræ; spiritus humanus, aqua fluens ex latere, & sanguis. Nam spiritus quem Christus emisit in morte, verum habuisse corpus indicat: idem quoque indicant aqua, & sanguis. Siquidem, vt Innocentius ait, *ex corpore phantastico non vero, nec sanguis, nec aqua potuisset exire.* D. Thom. loco citato: Fuit, inquit, aqua pura miraculosè egrediẽs à corpore mortuo, sicut & sanguis; ad comprobandam veritatem Dominici corporis, contra Manichæorum errorem. vt scilicet per aquam, quæ est vnum 4. elementorum, ostenderetur corpus Christi verè fuisse compositum ex 4. elementis: per sanguinem verò, ostenderetur esse compositum ex 4. humoribus Sic D. Thom. Petes similiter: An sanguis miraculosè ex corpore Christi emanarit? Respondetur, miraculosè emanasse: quod significat D Thom. verbis citatis. Theophylact. Sanguinem, inquit, ex mortuo corpore prodiisse, admirabile est, &c. Euthymius: Res, inquit, supra naturam, ac manifestè docens, quòd maior quã homo esset, qui fuerat vulneratus. Siquidem à mortuo homine, etiã si millies quis eum pupugerit, non exibit sanguis, &c.

D. Thom. 1 Ioan. 5. Innocent. An sãguis & aqua fluxerint miraculosè, an naturaliter. D. Thom. Theoph. Euthym.

Præterea ex latere Christi mortui, efformatam Ecclesiam aiunt Patres; quemadmodum ex latere Adami dormientis efformata est Eua. Ex latere Adami eduxit Deus costam, in quã efformaret Euam, ex latere Christi eduxit aquam, & sanguinem, in quibus efformauit Ecclesiam. Clemens V. in Clement. de summa Trinitate & fide Cathol. Emisso, inquit, spiritu, Christus sustinuit lancea perforari latus suum,

Clemens.

Digitized by Google

suum, vt ex inde profluentibus vndis aquæ & sanguinis, formaretur vnica, immaculata, ac virgo sancta mater Ecclesia, coniux Christi. Sicut de latere primi hominis soporati, Eua sibi in cōiugium est formata, &c. Etenim aqua & sanguis Baptismum significabant, & Eucharistiā, ac proinde etiam reliqua Sacramenta, & ex quibus Ecclesia constituta est. D. Chrysost. hom. 84. in Ioa. Non casu, inquit, & simpliciter hi fontes scaturierunt; sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est. Sciunt hoc initiati, per aquam enim regenerati, sanguine, & carne nutriti. hinc mysteria ortum habent, vt quoties ad admirandum calicem accedis, tanquam ab ipso latere hauriēs accedas, &c. D. August. tract. 120. Vigilanti verbo Euangelista vsus est, vt non diceret, latus eius percussit, aut vulnerauit, aut quid aliud, sed, *aperuit*. Vt illic quodammodo vitæ ostium pāderetur, vnde Sacramenta Ecclesiæ manauerunt, sine quibus ad veram vitam non intratur, &c. Item: Prima mulier facta est de latere viri dormientis. Magnum quippe significauit bonum. In habitu iacētis & dormientis secundus Adam, inclinato capite in cruce dormiuit; & vnde ei formaretur coniux, quod de latere dormientis effluxit, &c.

D. Chrysost.

D. August.

Rogabis; an Sacramenta ex latere Christi meritoriè effluxerint? Respondetur, Sacramenta ex latere Domini effluxisse, non meritoriè, siquidem iam carebat anima, cùm est apertum latus, quę meriti principium est, & radix. Dici potest effluxisse, significatiuè, significabantur enim Sacramenta illo sanguine, & illa aqua, vt diximus. lege Abul. Gen. 13. q. 352. Ruffinus in expositione Symboli; aqua, & sāguine lateris Christi, Baptismum aquæ & Baptismum sāguinis significatū putat. Potest, inquit, intelligi quod duplicem gratiam Baptismi figurauerit. Vnam, quæ datur p aquæ Baptismum; aliam; quæ per martyrium profusione sanguinis quæritur &c. & D. Hieronym. epist. 83. ad Oceanum. Latus, inquit, Christi percutitur lancea, Baptismi atque martyrii pariter Sacramenta fundantur, &c.

Sacramēta fluxerūt ex latere Christi.

Denique vidimus hactenus Christi opprobria, verbera, cruciatus, sanguinem, mortem; vnde hęc orta sunt nunc videmus, nimirum ex visceribus illis, de quibus Baptistæ Pater Zacharias cecinit; *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriēs ex alto*, &c. Aperuit miles Dñi latus, aperuit cor, aperuit viscera misericordię, nūquā claudēda: etiā nūc in cælo patent, semperque patebunt. D. August. lib. 15 de ciuit. Dei c. 26. ait ostium Arcæ Noe, hoc vulnus lateris Christi adumbrasse. Quod, inquit, ostium in latere Arca accepit, profecto illud est vulnus, quādo latus crucifixi lancea perforatum est. Hanc quippe ad illum venientes ingrediuntur, quia inde Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur, &c. Veruntamen discrimen magnū est inter ostium Arcæ, & Christi latus; ostium namque Arcæ clausum est, hominibus non patuit, quotquot ingredi, & à diluuio seruari cupiebant: at ostium lateris Christi omnibus est patefactū, inundationem æternamque mortem effugere cupientibus. Vnde Simon Cassianus in Ioa. Sibi, inquit, ad negligentiam imputet, qui non ingreditur, si apertum nouit introitum, &c.

Morale.

D. August.

Vulnus lateris adumbratur ostio.

Arca Noe.

Cassia.

En tibi fontem è rupe prosilientem: percussit Moses rupem, fons effluxit; sic percussit miles Christum, exiliit aqua & sanguis. De hoc fonte Paul. 1. Cor. 10. *Bibebant*, inquit, *de spiritali consequēte eos: petra, Petra aūt erat Christus*, &c. *Qui sitit* (ait fons, Ioan 7.) *veniat ad me, & bibat*, &c. Adeò autem abundat aquis, vt flumina in visceribus efficiat. *Qui credit in me* (inquit eodem loco) *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*, &c. De ventre, id est, visceribus eius, qui Saluatoris bibit aquas, flumina fluunt. quomodo ergo sitire poterit? O anima, ò columba Christi, en tibi cauernam maceriæ; in hac nidū colloca, Tartarei vt accipitris vngues effugias. Cant. 2. *Columba*, inquit, *mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*, &c. D. Gregog. Per foramina, inquit, petræ, vulnera manuum & pedū Christi libenter intellexerim; Cauernam verò maceriæ, vulnus lateris, quod lancea

Fons Christus.

1. Cor. 10.

Ioan. 7.

Cant. 2.

D. Greg.

lancea factum est, eodem sensu dixerim, &c.

1 Ioan. 5. *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus. Non in aqua solum, sed in aqua, & sanguine*, &c. Facile fuerat venire in sola aqua, difficile fuit venire in sanguine. Sed vt aqua Baptismi vim haberet abluendi peccatorum sordes, oportuit sanguinem addere. Baptista Ioan. in sola aqua venit. *Ego*, inquit, *baptizo vos in aqua*. At Christus venit in aqua & sanguine. ideòque sanguinis sui meritis Spiritum sanctum in Baptismo donat, quem Ioannes non donabat. Moyses de aqua fluuii sumptus est, & inde nomen habuit, Exod. 2. Filia Pharaonis, *vocauit nomen eius Moyses, dicens, quia de aqua tuli eum*, &c. Per aquam maris rubri, & per aquam Iordanis ille populum in terram repromissionis introduxit, nó autem per sanguinem, quem effuderit. At Christus, tum per aquam maris rubri, & aquam Iordanis, id est, per Baptismum, populum suum in Christum repromissum intro mittit, tum per sanguinem, quem effun dit. Moyses ab aqua nomen habet. Christus à sanguine, appellatur enim Iesus, id est, Saluator, quia sanguine sal uauit.

Et qui vidit, testimonium perhibuit.

TEstimonio suo hoc miraculũ confirmat Ioannes; de se loquitur, quamuis de tertia aliqua persona loqui videatur. Ego, inquit, qui aquam vidi, & sanguinem ex latere Domini effluentem testimonium perhibui, & verum est testimonium meum, & ego scio quòd verum dico, vt vos credatis. Hinc constat, Ioannem satis propinquum fuisse cruci, vidit enim ipsam aquam & sanguinem emanantem ex latere Domini. Erat etiã satis propinqua virgo Deipara, siquidem (vt ait Metaphrastes 15. Augusti) aquam & sanguinem magna cum reuerentia collegit, quantum licuit.

Os non comminuetis ex eo.

EXod. 12. de agno Paschali, sic præcipit Dominus: *Nec os illius confringetis*, &c. Sublimiori sensu de agno Dei Christo verba hæc intelligenda sunt, in quo Ioannes ea esse impleta ait. Erat prædictum, os Christi non confringendum; ideo non sunt fracta eius ossa, id est, crura, priusque mortuus est, quam frangerentur. Quia verò fracta non sunt crura, latus vulneratum est, vt liqueret esse mortuum.

Significant autem ossa, Christi diuinitatem, quę fracta non est in passione, cùm sit impassibilis. Significant etiam virtutes Christi, quarum nulla frangi potuit tot cruciatibus: patientia, charitas, humilitas, cæteræq; omomnes infractæ permanserunt. Non sunt fracta crura Christo, vt ostenderet, semper se habuisse crura ad currendam viam indefesso cursu, instar gigantis, Psalm. 18. *Exultauit vt gigas ad currendam viam*. Demus operam, ne vnquam ossa nostra, id est, virtutes, frangantur; ne vnquam frangantur crura nostra, vt viam mãdatorum Dei semper possimus alacriter percurrere. Psalm. 33. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex ijs non conteretur*, &c. Cant. 5. *Crura illius columnæ marmoreæ*, &c. Non franguntur marmoreæ columnæ; sic nec Christi crura.

Videbunt, in quem transfixerunt.

ALio testimonio vtitur Euangelista ex capit. 12 Zachariæ petito, quod tunc impletum est, cum latus Domini miles vulnerauit. Apud Zachariam Deus loquitur hoc pacto: *Aspicient in me, quem confixerunt*, &c. Ioannes, sententia eadem retenta, dixit; *Videbunt, vel aspicient, in quem transfixerunt*, scilicet, in Christum, cuius latus hasta percusserunt. Posterior pars vaticinii impleta est, cũ latus est apertum;

Digitized by Google

tum; prior pars implebitur in die iudicii. tunc enim videbunt Iudæi omnes Christum, quem transfixerunt. Vnde Ioannes Apocalypſ. 1. *Ecce*, inquit, *venit in nubibus*, *& videbit eum omnis oculus*, *& qui eum pupugerunt*, &c. Probat hoc testimonium, Christum esse Deum; ſiquidem Deus ait; *Videbunt me, quem transfixerunt*; ergo Deũ trãsfixit miles, cum Christum transfixit. De Christo autem verba intelligenda Ioannes docet.

CAPVT XII.

De ſepultura Domini.

MATTHÆVS CAPITE XXVII.

CVm autem ſerò factum eſſet, venit quidam homo diues ab Arimathæa, nomine Ioſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Ieſus; hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu. Tunc Pilatus iuſſit reddi corpus. Et accepto corpore, Ioſeph inuoluit illud in ſindone munda. Et poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in Petra. Et aduoluit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abiit. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria ſedentes contra ſepulchrum.

MARCVS CAPITE XV.

ET cum iam ſerò eſſet factum (quia erat paraſceue, quod eſt ante Sabbatum venit Ioſeph ab Arimathæa nobilis eſt decurio, qui & ipſe erat expectans regnum Dei; & audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu. Pilatus autem mirabatur, ſi iam obiiſſet. Et acceſſito centurione, interrogauit eum, ſi iam mortuus eſſet. Et cum cognouiſſet à centurione, donauit corpus Ioſeph. Ioſeph autem mercatus ſindonem, & depo-

deponens eum inuoluit sindone, & posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, & aduoluit lapidem ad ostium monumenti. Maria autem Magdalene, & Maria Ioseph aspiciebant vbi poneretur.

LVCAS CAPITE XXIII.

ET ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio, vir bonus, & iustus; hic non consenserat consilio, & actibus eorum; ab Arimathæa ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipse regnũ Dei. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu: & depositum inuoluit sindone, & posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat. Et dies erat parasceues, & Sabbatum illucescebat. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius. Et reuertentes parauerunt aromata, & vnguenta; & Sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.

IOANNES CAPITE XIX.

POsthæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa, eo quòd esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum, vt tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Iesu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco, vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.

Digitized by Google

Venit quidam homo diues ab Arimathæa.

Ioseph & Nicodemus curarunt sepulturã Christi.

Arimath.

Hora nona efflauit Dominus sanctissimam animam; postea de sepultura actum est. Curatũ est funus à duobus viris magnæ autoritatis, Iosepho, & Nicodemo. Ioseph, vt Matthæus ait, diues erat, ex ciuitate Arimathæa. Vt ait Ioãnes, discipulus erat Christi, occultus autem propter metũ Iudæorum; vt ait Lucas, erat decurio vir bonus, & iustus; vt Marcus scribit, erat nobilis decurio. Ciuitas Arimathæa, vt vult Beda in Marc. Abulens. 1. Reg. 1. & alii, dicitur Ramatha Samuelis patria, ab Ierosolymis distasse fertur 20. milliaribus. Nomen autem Decurio, non significat hoc loco eum, qui decem præest militibus; sed significat Senatorem, & consiliarium, Græcè. n. dicitur, Βουλευτής. D Hieron. Math. 27. In Marco, inquit, Ioseph iste βουλευτής appellatur, i. consiliarius. Et de ipso quidam putant primum Psalmum esse compositum; *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum*, & reliqua. Sic Hieronymus. Congruit sanè Iosepho primus Psalmus; cum enim esset consiliarius, non abiit in consilio impiorum Iudæorum, &c. Vnde D. Lucas, *Hic*, inquit, *non consenserat consilio, & actibus eorum*, &c. Obseruat etiam Hieron. diuitem appellatum ab Euangelista Iosephum, vt ostenderet causam, quare à Pilato corpus potuerit impetrare; pauperis enim, ait, & ignoti non erat ad Pilatum præsidem Romanæ potestatis accedere & crucifixi corpus impetrare, &c.

Quid hic significet decurio.

D. Hieron.

Ioseph senator & consiliarius.

Petijt corpus Iesu.

Cum non posset Ioseph Christi crucifixi corpus sepelire absque præsidis facultate, Pilatum adiit corpusq; sepeliendum petiit. Marcus ait audacter hoc fecisse: *Audacter*, inq̃t, *introiuit ad Pilatũ, & petijt corpus Iesu*, &c. Audax autem factum fuit, quia fautorem se crucifixi ostendebat tum Pilato, tum Pontifici Caiphæ, & cęteris Iudæis Christi hostibus. Audaciam hanc hortatu Deiparæ Virginis animo concepisse scribit Metaphrastes 15. Augusti. Ex hoc facto (ait Victor Antiochenus) summam Iosephi constantiam, & fortitudinem spectare licet; parum. n. aberat, quin vitam ipsam Christi causa impenderet; quippe qui Iudæorum omnium inimicitiam propter illum in se susciperet, &c. Chrysost. in Matth. Fortitudo, inquit, Ioseph maximè admiranda est; cum propter amorem Christi periculum mortis susceperit, & vniuersorũ se odio tradiderit, &cæ. Gregor. Turonensis hist lib. 1. c. 21. ait à sacerdotibus comprehensum, sed mirabiliter liberatum: Apprehensus, inquit, Ioseph in cellã includitur, & ab ipsis sacerdotum principibus custoditur. Sed resurgente Domino, nocte parietes de cellula, in qua Ioseph tenebatur, suspendũtur in sublimi: ipse verò de custodia absoluẽte Angelo liberatur parietib9 restitutis in locũ suũ, &c.

Ioseph, audacter corpus Domini petijt Deipara hortatur. Victor Ant. Fortitudo Ioseph.

D. Chrys.

Gregor. Turon.

Ioseph traditus in custodiam.

Accersito centurione.

Considerãtè Pilatus petitionẽ cõcessit. Miratus est, quòd Dominus iam obiisset, mortis eius certior fieri voluit; idcirco vt Marcus ait, Cẽturionem vocauit, qui crucifixioni pręerat; rogauit, an esset iam mortuus? Affirmauit centurio iam è vita excessisse: id postquã audiuit Pilatus, corpus Christi donauit Iosepho; verbo. n. donandi vtitur Marcus; non. n. vendidit sed gratis dedit. O donum summum? ò si scires donum ò Pilate; quod donas, non tam facilè donares, tibi potius seruares. Sed cæcus pretiosissimam gemmã

Pilatus corpus Christi donat Iosepho.

nom

non videt. Accipe donum Ioseph, tibi sed non ex omni parte cognitum: adueniente Spiritu sancto plenè cognosces. Theophylactus ait verisimile esse, quod aurum Pilato dederit Ioseph pro corpore, quia diues erat. Sed verbum, *Donauit*, & Græcum, ἐδωρήσατο, datum absque auro significat.

Theophyl.

Quæritur, cur miratus sit Pilatus, cũ audiuit Dominum iam animam efflasse? Respondetur Pilatum solum ipsum crucis tormentum proposuisse ante oculos, non alios Christi cruciatus. Quia verò crucifixi non tam citò in cruce obire solebant, (vt ex latronib. liquet, q crucifragio sunt occisi) ideò miratus est. Præterea miratus forsitan est, quia de Christo magnam conceperat opinionem, audierat enim filium Dei se facere Ioan. 19. Adde vidisse signa, quæ facta sunt Euthymius in Matth. Pilatus, inquit, sperabat Christum tardè moriturum tanquam diuinum quendam hominem, qui cæteros excederet, &c.

Cur miratus Pilatus.

Inuoluit illud in sindone munda.

Marcus scribit, Iosephum emisse sindonem & deposuisse Dominũ ex cruce: *Mercatus*, inquit, *sindonem, & deponens eum inuoluit sindone*, &c. Matthæus ait inuoluisse sindone munda. Erat ergo sindon munda, & noua Hinc (ait Beda in Marcum) Ecclesiæ mos obtinuit, vt sacrificium altaris, non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus est Domini in sindone munda sepultum; iuxta quod in gestis Pontificalibus à Beato Papa Syluestro legimus esse statutum, &c D. Hieronymus in Matth. illum ait Christum in sindone mũda inuoluere, qui pura cum mente suscipit. Oportet enim eum qui Eucharistiam suscipit, mundum habere animum, nouoque numquam peccandi decreto renouatum.

Beda.

D. Hieron.

Eucharist. corde mundo accipienda.

Quomodo autem Ioseph Christum ex cruce deposuerit, prostrata ne humi cruce, an stante, & erecta, non constat. Pictura recepta, erecta cruce deposuisse indicat. Verisimilius hoc est, quia forsitan oportebat per aliquot dies cruces in loco crucifixionis erectas permanere, vt terrorem videntib. incuterent. Cardin. Baronius tom. 1. in Appendice, ex Rabbi Iacob, & Rabbi Mose Ægyptio ait polinctores ea, quę damnatorum corpori inhæsissent, vnà cum eis sepelire consueuisse, eo quòd legis maledictioni subiecti essent. Qua ratione ductus putat spineam coronã, & clauos in sepulchro Domini inclusos; crucem verò, quam locus sepulturæ nõ caperet, in propinquiori aliquo specu esse reconditam. Si illud verum est polinctores omnes cruces, & quæ damnatorum corporibus adhæsissent, sepelire consueuisse; probabilius videtur clauos simul cum cruce fuisse sepultos. Hinc colliges cur Virgo Deipara clauos non seruarit; videlicet qa sepeliendi cum cruce erãt Sepultæ autem sunt simul cruces latronum, cum cruce Christi, vt crucis inuentio indicat; simul enim omnes sunt repertæ à D. Helena. Quòd si eadem die cruces, & crucifixi sepeliebantur; fieri potuit, vt crux sepelienda paulo post Christi mortem humi prosterneretur, & ex ea humi prostrata Dominus deponeretur; Adrichomius in descriptione Ierusalem num. 247. vallem ait fuisse cadauerum appellatam, inter mœnia Ierusalem & montem Caluariæ, in quã cadauera, ossa, & cineres damnatorũ proiiciebantur: in hanc verò vallem cadauerum, scribit proiectam esse crucem Christi & titulum, & cruces latronum, egestisque deinde, atque exoneratis ciuitatis sordibus vallem oppletam; & cruces fuisse sepultas. His adde ruinas ciuitatis Ierusalem, cũ à Romanis est versa. Ierem 31. loquens de ædificatione Ierusalẽ; *Ædificabitur*, inquit, *ciuitas Domino à turre Hananeel vsque ad portã anguli. Et exibit vltra normã mensura super collẽ Gareb, & circuibit Goatha, & oẽm vallẽ cadauerũ, & cinerũ, & vniuersã regionẽ montiũ vsq; ad torrẽtẽ Cedrõ*, &c Lyran. *Goatha*, putat dictum postea mõtem *Golgotha*, id est, *Caluaria*, putat etiam dictum *Gareb*, eodem

Car. Barõ. Cruces sepulta cum crucifixis.

Adrichom. Vallis cadauerum.

eodem loco Ieremiæ: vallem autẽ cadauerum sic appellatã, quia ibi rei puniebantur, quorum cadauera ibi manebãt, & eadem ratione nominari regionem mortis & cinerum.

Posuit illud in monumento suo nouo.

HAbebat hortum Ioseph iuxta mõtem Caluariæ, in horto verò rupes erat, in qua sibi sepulchrum exciderat more Iudæorum, qui in hortis vel similibus locis extra vrbes sepeliri solebant. In hoc horto, & sepulchro Christum sepeliuit; Ioan. 19. *Erat autẽ in loco, in quo crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat*, &c. Non dixit Ioannes cuiusnam hortus fuerit, & sepulchrum, sed ex Matthæo constat fuisse Iosephi. *Posuit*, ĩquit Matthęus, *eum in monumento suo nouo, quod exciderat in petra*, id est, in rupe. Si sepulchrũ Iosephi erat, erat etiam hortus in quo sepulchrum exciderat.

Ioan. 19.

Sepulchrũ Christi, erat Iosephi.

Sepulchrum verò à Beda describitur his verbis, Marci. 15. De monumẽto Domini ferunt, qui nostra ætate de Ierosolymis Britanniam venere, quòd domus fuerit rotunda, de subiacente rupe excisa: tantæ altitudinis, vt intrò consistens homo, vix manu extẽta culmẽ possit attingere. Quæ habet introitum ab Oriente, cui lapis ille magnus aduolutus est. In cuius monumẽti parte aquilonari sepulchrum ipsum, hoc est, locus Dominici corporis, de eadẽ petra factus est, septem habens pedes longitudinis, trium verò palmorum mensura cætero pauimẽto altius eminens. Qui videlicet locus non desuper sed à latere meridiano per totum patulus est, vnde corpus inferebatur. Color autem eiusdem monumenti ac loculi, rubicũdo & albo dicitur esse permixtus. Hæc Beda Lege lib. 8. huius tomi c. 2 & 3. in quo quæritur, an sepulchrum duas habuerit spelũcas. Cur in sepulchro ex rupe fabricato collocatus sit Dominus, causam reddit D. Hieron. Matth. 27 In monumento, inquit, nouo, quod excissum fuerat in petra, conditus est, ne si ex multis lapidibus ædificatum esset, suffossis tumuli fundamentis, ablatus furto diceretur.

Beda.

Describitur sepulchrum.

D. Hieron.

Venit autem & Nicodemus.

ERat autem Nicodemus, vt Ioannes ait, cap. 3. *Princeps Iudæorum*, ille q ad Iesum nocte venit, quique a Christo dicitur Magister in Israel. Hic, vt idem Euangelista scribit, cap. 19. ad sepeliendum Christum venit; & quasi cẽtum libras myrrhæ attulit, & aloes ad condendum corpus: nondum enim resurrectionis fidem stabilem habebat.

Dubium est, cuiusmodi fuerint hæ libræ; nam si libræ fuere mensurales; multis corporibus vngendis satis fuere. Nonnulli putant, libras fuisse non mensurales, sed nummarias, quibus vnguentum emptum fuerit. Mensurales fuisse respondendum est. Diues enim erat Nicodemus, & Princeps Iudæorum, voluitque liberalem se erga dominum exhibere, eiusque corpus, & sepulchrum vnguenti magna copia perfundere. Ioseph itaque & Nicodemus corpus ex cruce depositum vnguento perfuderunt ex more Iudæorum; deinde in hortum propinquum duxerunt, vbi erat in rupe excisum sepulchrum Iosephi. Postquam verò illud in sepulchro collocarunt, magno lapide ostiũ quod spectabat Orientem, concluserunt. Euthymius in Ioannem ait, Iosephum, & Nicodemum in alio sepulchro voluisse Christum humare: Volebant, inquit, Christum in alio digniore monumento, quod longius à ciuitate distabat, collocare: sed propter parasceuem in propinquo posuerunt eũ, &c. Non placet opinio, nec ex Euangelio Ioannis colligitur. Non enim significat ad aliud distantius sepulchrum voluisse ducere: sed significat Domini sepulchrum fuisse propinquum crucis loco, ita vt ante Sabbatum potuerit sepeliri.

Vnguento libræ cum ẽt an non surales?

Euthym.

Ex Rabbi Iacob, & Rabbi Mose refert Baronius loco paulo ante citato, viros, virorum, & feminas, feminarũ cadauera curare consueuisse in hũc mo-

An feminæ curarint

Funus Domini. modum: Oculos in primis, & ora claudebant defunctorum, stringebant fascia, tondebant capillos, lauabant corpus, vnguentis vngebant, linteis inuoluebant, sicque curatum in sepulchro locabant. Quòd si virorum cadauera soli viri curabant, efficitur, Magdalenã & reliquas feminas, plangere quidem potuisse, & deosculari corpus, funus autem non curasse. quod significat D. Marcus cum ait: *Maria Magdalena, & Maria Ioseph aspiciebant vbi poneretur*, &c. Non ponebant ipsæ corpus in sepulchro, sed aspiciebant, vbi poneretur à viris, & D. Lucas: *Subsecutæ*, inquit, *mulieres viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius*, &c Ex loco crucifixionis subsecutæ sunt feminæ corpus Christi vsque in hortum, & sepulchrum & viderunt monumentum; & quomodo corpus esset in eo collocatum. Aspiciebant autem mulieres, vbi poneretur corpus, quia vnguentis illud vngere decreuerant, post Sabbatum. De Virgine autẽ Deipara sic scribit Metaphrastes 15. Augusti. Virgo, inquit, in deponendo Christo ex cruce maternis manibus inseruiuit, & clauos qui extrahebantur, in sinu suo accepit, & membra illius amplexa est. Et Iosepho in manu tradens sudarium, ait, Tibi cura erit, vt sepulturæ tradens, hoc eum honestè cõponas, myrrha condias, & ei iusta facias. Hæc ille. Idem scribit Deiparam assedisse sepulchro donec rediuiuum vidit natum sed cum sepulchrum militibus esset cinctum, nõ videtur id decuisse Virginem, nisi fortè in horto illo Ioseph domus aliqua erat, in qua cũ Ioanne, & aliis feminis honestè manere potuerit Obserua, corporibus, quæ condiuntur, extrahi intestina, ne intus corrũpantur: id verò in corpore Christi peculiari Spiritus sancti suggestione seruatum non est.

Metaphra.

An Deipara Virgo manserit apud sepulchrum?

Erit sepulchrum eius gloriosum ait Esaias cap. 11. Gloriosum sanè fuit, hodieque est Christi sepulchrũ. Etenim ab omnibus colitur, celebraturque Christianis sanctissimus ille locus. Cœpit gloria hæc Christo mortuo; sedata est tempestas furens, siluere vẽti, quieuere turbulenti maris fluctus; opprobria accepere finem; incepit in morte gloria. In horto sepelitur: in nouo magnoque sepulchro exciso in rupe, in quo nullus ante fuerat humatus, liberalissimè atque honorificentissimè vnguento perfunditur, funus à viris curatur nobilibus ac diuitibus, Nicodemo Iudæorum principe, legisque perito, & Iosepho consiliario. Venit Ioseph, venit & Nicodemus, ad Christi corpus, nobiles aquilæ audaci volatu, iuxta illud Matth. 24. *Vbi fuerit corpus, illic congregabuntur, & aquilæ*, &c. Audacter ille à Pilato corpus petit: audacter hic allato vnguento vngit; audacter Christi se discipulos esse testantur. Hanc diuinam audaciam Spiritus sanctus illorum pectoribus tribuerat, vt Christi sepulchrum gloriosum esse inciperet. In sepulchro autẽ nouo humatus est Dominus, *in quo* (vt ait Ioannes *nondum quisquam positus erat*. August. Sicut, inquit, in Mariæ Virginis vtero, nemo ante illum, nemo post illum conceptus est; ita in hoc monumẽto nemo ante illum, nemo post illum sepultus est, &c. Quæ res (ait Chrysost. in Matth.) diuinitus fuit dispensata; ne alium non Christum surrexisse suspicio fieret &c. In horto sepultus est, in horto granum frumenti cecidit in terram; mortuum, fructum multum afferet, iuxta illud Ioan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuũ fuerit, multum fructũ affert.* &c. In horto granum sinapis seminatum est; paulo post arbor exurget magna, Matth. 13. In horto requieuit, quia in horto suo, id est, Ecclesia quietem solet accipere, eiusque fructib. delectari. In horto sepultus est, quem tam amœnũ suo sepulchro reddidit, vt toti orbi sit desiderabilis. In horto est hortulanus mortuus, sed qui mortuus hortum suũ coluit, & viuus. In horto passionem aggreditur; in horto sepelitur, quia pro horto suo amenissimo, id est, Ecclesia, passus est. In horto Gethsemani sanguineo sudore perfunditur. In horto Iosephi vnguentis madet, quia sudor, & sanguis eius, gratiæ vnguenta cuncta

Morale.

Sepulchrũ Christi gloriosum.

D. August. D. Chrysost. Ioan. 12. Euthym.

Chrysost.

Ioan. 12.

cta protulit, post quæ currimus, iuxta illud Canticor. 1. *Curremus post odorem vnguentorum tuorum*, &c. His vnguentis flagrare nos vult Euthym. cum pectore nostro, veluti sepulchro nouo, Christi corpus excipimus: in Matth. Et nos, inquit ille, Domini corpus in altari accipientes, odoramentis illud vngamus; suauibus videlicet virtutum operibus, ac opere, & contemplatione, &c.

Euthym.

In alieno autem sepulchro conditus est Dominus, vt ait August. sermo. 133. De tempore; quia pro alienis delictis mortuus est. Ideo, inquit, in aliena sepultura ponitur, quia pro aliorũ moriebatur salute. Vt quid illi propria sepultura, qui in se propriam mortem non habebat? Addit: vt quid & tumulus in terris, cuius sedes manebat in cælis? Vt quid illi sepultura, qui tridui tãtum temporis spatio, nõ tam in sepulchro mortuus iacuit, quàm velut in lecto quieuit? &c. Aliena fuit Christo mors; aliena vulnera; aliena crux; nostra erant hæc omnia; sic & sepulchrũ, Domino vitæ fuit alienum. Ambros. libro 3. de Virginib. Habeant, inquit, tumulũ, qui sub lege sunt mortis: victor mortis suum tumulum non habebat, &c. His adde virtutum difficilia opera audacter esse aggrediẽda, sed & cõsideratè, quòd fecit Ioseph audacter, vt ait Marcus, ad Pilatum introiens, & corpus Domini petens, & Nicodemus illud vngens.

Cur alienũ fuerit sepulchrum. D. August. D. Ambros.

CAPVT XXIV.

De custodia sepulchri.

MATTHÆVS CAPITE XXVII.

ALtera autem die, quæ est post parasceuen, conuenerunt Principes sacerpotum, & Pharisæi, ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium: ne fortè veniant Discipuli eius, & furentur eum, & dicãt plebi: Surrexit à mortuis; & erit nouissimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite, sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus.

Altera autem die.

ISAI. 57. *Impij*, inquit, *quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum*, &c. Non potuerunt quiescere impii Principes sacerdotum, & Pharisæi, qui velut mare feruens Christo vitam

Isai. 57. Non quiescũt Pharisæi & cæteri.

Vv 2

vitam eripuerant, redundant adhuc fluctus eius in sepulchrum, veluti in littus; demergere Christi resurrectionẽ volunt, qui vitam demerserant. Sed redundarunt fluctus hi *in conculcationem, & lutum*. Non enim stulti efficere potuerunt, quòd volebant; imò resurrectionem Christi amplius comprobarunt. D. Hieronym. Matth. 27. Non suffecerat, inquit, Principibus sacerdotũ, & Scribis, ac Pharisæis, crucifixisse Dominum Saluatorem, nisi sepulchrum custodirent, cohortem acciperent; signarent lapidem, & quantum in illis est, manum opponerent resurgenti; vt diligentia eorum nostræ fidei proficeret. Quanto enim magis reseruatur, tãto magis resurrectionis virtus ostenditur, &c.

Sua custodia resurrectionẽ Christi comprobant. D. Hieron.

Altera die, id est, Sabbato post parasceuen, hoc est, post sextam feriã, qua cibos Iudæi præparabant in Sabbatũ, quaque Dominus fuerat crucifixus, Principes sacerdotum, & Pharisæi, minimè quiescentes, mortuo iam Christo, atque sepulto, ad Pilatũ venerunt, ab eoque postularunt, vt sepulchrum iuberet custodiri. *Domine*, aiunt, *recordati sumus, quod seductor ille dixit*, se in vitam rediturum post tres dies; iube ergo sepulchro custodiam adhiberi vsque in tertium diem, vt eum tunc falsitatis manifestæ arguamus, non reuocatum tertia die in vitam, sed in tumulo iacentem. Quòd si sepulchrum non custodiatur, periculum est, ne aliqui ex Discipulis eius, nocturno tempore eũ furentur, dicantque plebi, surrexisse à mortuis. Et erit nouissimus error plebis, quo credent eum surrexisse à mortuis, colentque vt Messiam immortalẽ, peior priore, quo viuentem coluerũt. His verbis custodiam postularunt à Pilato, cur ea necessaria esset, aperuerũt; quia audierãt, dixisse Christum se die tertia resurrecturum. Ne verò Pilatus illos irrideret, sibi persuadentes hominem mortuum posse in vitam redire, aiunt se hoc non formidare, sed vereri, ne Discipuli, vt Magistri verba vera reddant, illum furentur, plebique persuadeãt resurrexisse. Obserua id, quod de sua resurrectione dixerat Dominus, notum fuisse Principibus sacerdotum, & Pharisæis; multò igitur notius fuit Discipulis.

Ratio cur custodiendum putarunt sepulchrum.

Habetis custodiam, ite, custodite.

GRæcè ἔχετε, habete custodiam, siue habetis, vt noster interpres rectè vertit. Annuit Pilatus; Vos, inquit, Romanorum militum habetis custodiam, ite, custodite sepulchrum, sicut scitis opus esse. Græcè legitur ἔχετε κουστωδίαν, & infra, signantes lapidem cũ custodibus, Græcè μετὰ κουστωδίας. Euthymius ait κουστωδίαν fuisse ordinẽ militarem, sicut σπεῖραν, id est, cohortem. Theophylactus; κουστωδία, inquit, Romanum nomen est, ita enim milites nominant, ad custodiendum ordinatos, &c. Abierunt Iudæi, custodierunt sepulchrũ, appositis militibus, qui custodirent: & sigillo obsignarunt lapidem, qui claudebat aditum, ne quis lapidem posset per fraudem amouere, necesse enim erat sigillum frangere, si amoueretur Simili modo Daniel. 6. *Allatus est lapis vnus, & positus est super os laci, quem obsignauit rex annulo suo, & annulo optimatum suorum*, &c.

Euthym. Theophyl.

Daniel. 6.

Addit præterea Nicephor. lib. 1. hist. c. 32. sepulchri ostium ferro clausum; non enim sat is fuit timori Principum & Pharisæorum, lapis, ferro quoque opus fuit. Traditum, inquit, est nobis ab antiquis, Iudæos, lapidem illum, qui in sepulchro pro operculo positus fuerat, ad summum monumenti labrũ, petramq; infernè se illi cõiũgentẽ, ferramẽtis quibusdam fabrili lapicidarũ arte perforasse, ferrũq; ingens à fabro ex propinquo acceptum per vtrumq; foramen immisisse, & in circuli, siue annuli formam circumegisse, atque ita firmiter capitibus commissis, omni ex parte quasi vinculum circumduxisse; vt lapis qualicumque modo reuelli loco suo, aut saltem ratione aliqua remoueri non potuerit, nisi arte quapiam, & vi adhibita necessariò aut ferrum confringeretur, aut petra rumperetur. Hæc ille.

Niceph.

Modus quo clausum, signatum & custoditum fuit sepulchrũ Christi.

Ex

Ex facto impiorum discamus pietatem: postquam Christi corpus ex altari in pectus velut nouum sepulchrum excipimus: diligentem adhibeamus custodiam, vt in eo per gratiam semper permaneat, neque vnquam nos deserat Vigilantes apponamus milites, hoc est, vigilantes virtutes, quæ somnum, id est, ignauiam, à nobis repellant; plusquam ferreo instrumento nos astringamus, hoc est, adamantino non peccandi decreto pectus muniamus.

CAPVT XXV.

De descensu animæ Christi ad inferos.

Dixit Christus latroni; *Hodie mecum eris in paradiso*, &c. Hodie (inquam) id est, feria sexta, qua ex mortali vita abiit. Apertus est ergo paradisus homini feria sexta, quo die Dominus crucem tulit vel vt clauem, qua illum aperuit; hic autem Paradisus apud inferos apertus est. Potuit enim Christi potentia sub terra Paradisum subitò plantare. Erát apud inferos in limbo (vt vocant) Patrum sanctorum animæ, aliæque permultæ, quibus nihil iam pœnarum erat luendum; ad has descendit Dominus feria illa sexta, diuinæque essentiæ visione in sempiternum beatas reddidit; sicque apud inferos in terræ profundis cauernis Paradisum fecit. Paradisus enim gaudio plenus diuinæ essentiæ visio est, ex qua summum gaudium, sũmaque in vidente delectatio exoritur itaq; Angelis Paradisus in cælo semp fuit; hominibus verò prius fuit apud inferos, in corde terræ, quam apud superos in cælo Empyreo.

Paradisus apud inferos descendente Christo.

De hoc Christi descensu canit vates Psa. 15. *Non derelinques animã meã in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem*, &c. Quæ verba Christo tribuit D. Petrus Act. 2. In cruce separata est à corpore Christi anima post mortem, anima petiuit inferos, corpus sepulchro conditum est, animã nõ reliquit Deus in inferno, id est, limbo; quemadmodum relinquebat tunc animas omnium Sanctorum. Corpus verò non reliquit in corruptione, in qua etiam nunc cæterorum hominum relinquit corpora, vsque ad iudicium. Vnde D. Petrus loco citato: *Christus*, inquit, *neq; derelictus est in inferno, neq; caro eius vidit corruptionem*, &c Locum hunc, in quo Patres erant, appellat Dominus *cor terræ*, Matth. 12. *Erit*, inquit, *filius hominis in corde terræ tribus diebus & trib. noctib* &c. hoc est, in profundo terrę loco erit; & veluti medio terræ, à morte vsque ad resurrectionem. Pau. vocat inferiores partes terræ, ad Eph. 4. *Descendit*, inquit, *primum in inferiores partes terræ*, &c. Zachar. 9. vocat lacũ, in quo non erat aqua, id est, cisternam, siue puteum: erat enim locus similis cisternæ, siue puteo magno carenti aqua. *Tu*, inquit, *in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu: in quo non erat aqua*, &c. Oseas 13. vocat thesaurum; *Ipse*, inquit, scilicet Christus, *diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis*, &c. Locus enim ille thesaurus erat subterraneus, in quo Patrum animæ velut vasa pretiosa ac desiderabilia latebant, vt D Hieron ait in Oseã. descendit ergo Dominus in cor terrę, descendit in inferiores partes huius terreni globi, descendit in lacum carẽtem aqua, & in thesaurum vasis plenum pretiosissimis, id est, animabus Patrum antiquorum, easque omnes subitò beatas reddidit, tertiaq; die inde eduxit. Quamobrem Origenes, id quod latroni dictum est; *Hodie mecum eris in Paradiso*; omnibus illis Sanctis dictum putat, homilia. 15. in Genesis. Quod, inquit, Christus dixit latroni; Hodie mecum eris in Paradiso, non illi soli dictum, sed omnibus sanctis dictum intellige, pro quibus in infernũ descendit, &c. Tertullian. lib. de Anima, c. 55. Christus, inquit, non ante ascendit ad sublimiora cælorum, q̃ descendit ad inferiora terrarũ, vt illic Patriar-

De Christi descẽsu ad inferos. Psal. 15.

Act. 2. *Matth. 12.* *Ephes. 4.* *Zachar. 9.* *Osea 13.* *Origenes.* *Tertull.*

ptisma,&c. Ait D.Petrus Christum viuificatum esse spiritu (vt habent correcta biblia iussu summi Pontificis) hoc est, in vitam reuocatum esse spiritu, id est, anima viuificante corpus. Addit; *In quo & ijs, qui in carcere erant, spiritibus, veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, in dieb. Noe,* &c. hoc est in quo spiritu, siue anima, idem Dominus veniens prædicauit post mortē, iis spiritibus, qui in carcere inferni erant, quique increduli fuerant tempore diluuii. Ex his verbis constat, Christum prædicasse incredulis, fide carentibus, qui in tartaro erant: prædicatio autem Christi non potuit fructu carere; ergo aliquem habuit fructum in illis incredulis, eosque conuertit, saluosque fecit. Idem sanctissimus Ecclesiæ Pastor, eiusdem Epist capit. 4. ita scribit; *Propter hoc & mortuis euangelizatū est, vt iudicentur quidem secundum homines in carne, viuant autem secundum Deum in spiritu,* &c. Mortuis ait euangelizatum, videlicet à Christo, cum descendit ad inferos, vt viuerent in spiritu. Patres Limbi, purgatoriique animæ prædicatione non indigebant; ergo damnatis Christus euangelizasse, aliquibusque salutem attulisse videtur. Legendus D. Iustinus in Dialogo D. Hieron. Isaię 54. Ambrosius ad Rom. 10. Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. D. Iren. lib. 3. contra hæres. cap. 29. Epiphan. Hæres. 24 Nicetas in orat. 42. Nazianzeni, Gregorii, Cyrillus in Ioan. Hilarius Psalm. 118 noster Lorinus 1 Petr. 3. & 4. & Pererius lib. 9. in gen. Caiet. in Comment. epistolę, ait Christum prædicasse damnatis, duplicemque habuisse prædicationem; Alteram, qua manifestauit se esse Messiam, & conuicit tam Dæmones, quàm incredulos omnes; quę communis fuit omnibus. Alteram peculiarem, illis, qui viuebant tempore, quo fabricabatur arca Noe, quæ insinuatur fuisse fructuosa.

1. Petr. 4.

Respondemus, nullum ex his, qui in damnatorum loco erant, Christum liberasse; sunt enim damnatorum tormēta sempiterna; neque ratio vrgens est, cur à Domino tunc liberatos aliquos priuilegio concedamus. Quamobrem D. Gregorius lib 6. epist 15. siue capit. 179 ad diaconum quendam, qui dixerat, Dominum omnes saluasse, & à pœnis debitis liberasse, qui apud inferos ipsum Deum sunt confessi, sic scribit: De qua re, inquit, volo, vt fraternitas vestra longè aliter sentiat, descendens quippe ad inferos, solos per suam gratiam liberauit, qui eum & venturum esse crediderunt, & præcepta eius viuendo tenuerunt, &c. Verba D. Petri non repugnant huic sententiæ: Explicari enim possunt duobus modis. Primo explicat D. Thomas 3. par. quæst. 52 art. 2. Christum ait spiritu, id est, diuinitate, prædicasse spiritibus, qui in carcere erant, id est, animabus hominum, quæ erant in corporibus, velut in carceribus, prædicasse, inquam, per internas inspirationes, & externas iustorum exhortationes ante incarnationem. Secutus est D. Thomas Augustinum, qui epist. 99 ad Euodium late hunc D. Petri locum in eamdem sententiam exponit de prædicatione facta viuis, non mortuis. Non suspicemur, inquit, quod apud inferos ad faciendos fideles, atque liberandos Euāgelium prædicatum sit, vel adhuc etiā prædicetur, quasi & ibi sit Ecclesia cōstituta, &c. Est ergo sensus, Christus carne mortuus est, spiritu verò, id est, diuinitate sua ad vitam est reuocatus, in quo spiritu, id est, in qua diuinitate, veniens ante incarnationem prædicauit spiritibus, qui in carcere corporis erant; *qui fuerant increduli olim in diebus Noe*; hoc est, per internas inspirationes, & externas Noe exhortationes, prædicauit animabus illius temporis incredulis. Diluuio periere incredulæ animæ, per aquam octo seruatæ sunt, scilicet Noe, & filii fideles cū vxoribus. Similem in modum nunc homines seruantur per aquam Baptismi in Arca Ecclesiæ; pereunt increduli, seruantur fideles, qui fidem habent viuam cum operibus coniunctam. Quēadmodum verò Christus olim veniens in spiritu, prædicauit hominibus incredulis tempore Noe; sic etiam veniens in carne nouissimis his temporibus

D. Gregor.

D. Thom.

D. August.

bus prædicauit per seipsum, & prædicat per suos discipulos toti orbi. Ostẽdit D Petrus, quæ gesta sunt tempore Noe typum fuisse eorum, quæ tempore Christi geruntur. Prædicari etiam modò hominibus à Deo; & arcam fabricari, id est, Ecclesiam, incredulos perire, seruari per aquam Baptismi fideles probos.

Secundum testimonium ex eadem prima epist. cap 4. Aug. epist. citata de viuis similiter exponit, carne viuunt, anima verò mortui sunt, iuxta illud Matth 8. *dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, &c. Sensus est, *Mortuis euangelizatum est*, id est, impiis incredulis, animo mortuis, vt postquam fidem Christianam receperint, *iudicentur in carne nunc*, id est, affligantur, & persecutionibus vexentur in corpore, iuxta illud 1. Petri 4. Tempus est, vt incipiat iudicium à domo Dei, &c. id est, afflictio, & vexatio. 1. Cor. *Dum iudicamur à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur*, &c. viuant autem in spiritu: quo erant mortui. Apud Petrum sic legitur: *Qui reddent rationem ei qui iudicaturus est viuos & mortuos; propter hoc enim & mortuis euangelizatum est, vt iudicentur quidem secundùm homines in carne, viuant autem secundum Deum in spiritu*. hoc est, Ethnici iudicabuntur à Christo. Propterea enim prædicatum est Euangelium ipsis Ethnicis mortuis spiritu, vt conuertantur; & in die iudicii iudicentur, id est, damnentur & puniantur, secundum homines in carne, id est, carnaliter viuentes; viuant autem secundum Deum viuentes in spiritu, ad eum conuersi. viuant inquam æternam in cælo vitam in spiritu, id est, propter spiritum, illi autem damnabuntur in carne, id est propter carnem.

Aliter potest locus primus explanari de mortuis, hunc in modum: In spiritu, id est, anima veniens Christus ad inferos, prædicauit spiritibus, qui in carcere erant, id est, animabus, quæ in carcere erant limbi, & purgatorii; prædicauit (inquam) redemptionem, suam vitam, mortem, cruciatus amorem, &c. Obiicies, Animæ limbi, & purgatorii non erant incredulæ. Respondemus, Petrum non dixisse spiritus illos esse incredulos, sed fuisse aliquando incredulos in diebus Noe. Nam in diebus Noe fuerunt increduli; quia Noe credere noluerunt, sed adueniente diluuio pœnitentiam egerunt, salutemque consecuti sunt. illorum autem qui tempore Noe diluuio demersi perierunt meminit, quia de Baptismo agere voluit per quem seruantur homines, sicut Noe, & filii, per Arcam & aquam seruati sunt. His adde, posse locum exponi de damnatis, hoc pacto; Veniens Christus in spiritu, id est, anima, in infernum, prædicauit iis spiritu qui fuerant increduli tempore Noe, &c. non autem prædicauit vt conuerterentur spiritu, sed vt à damnatis agnosceretur ipse Deus esse & homo, viuorum mortuorumque iudex, tartari victor, ac triumphator. Preterea eorum incredulitatem scelera que alia increpauit. Aliter sic: Christus mortificatus est carne: viuificatus autem spiritu, id est, per Spiritum sanctum. In quo, siue per quẽ veniens prædicauit Euangelium spiritibus qui in carcere erant, id est, animabus hominum, quæ diaboli carcere & captiuitate premebantur: qui quidẽ spiritus hominum fuerant olim increduli in figura, & vmbra tempore Noe cùm arca fabricabatur, in qua aliqui seruati sunt. illi enim homines qui increduli erant Noe cũ fabricaretur Arca, typus erant incredulorum, qui nó credunt prædicatoribus Euangelii per Spir. S. predicantibus cùm fabricatur Ecclesia, in qua sola seruari possumus.

Quæri potest, an Christus apud inferos de Dæmonibus triumphum egerit? Egisse enim videtur significare D. Paulus ad Colos. 2. sic scribens: *Expolians principatus, & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso*, &c. hoc est, Spoliauit Dominus demones, & traduxit confidenter palàm, Grecè, ἐδειγμάτισεν ἐν παρρησίᾳ, velut in exemplum infamię proposuit magna cõfidentia ac potestate palã triũphans de illis in se ipso, i. per se ipsum

Coloss. 2.

An Christus in inferno publicum triumphum egerit.

Digitized by Google

ipsum apud inferos. Cur ergo non dicemus Christum apud inferos, vbi erant omnes homines omnium sæculorum præteritorum, numero penè infinito, Luciferum alligasse spiritualibus catenis, cœterosque dæmones innumerabiles, & coram omnibus animabus Limbi, purgatorii, ac Tartari penè infinitis, multisque Angelorum myriadibus palam triumphum egisse admirabilem? Congruit triumphus gloriæ Christi, congruit Pauli verbis. Nam apud superos Christus non traduxit dæmones velut in spectaculo confidenter palam triumphans de illis; apud inferos vero id efficere potuit, sicut in triumphis captiuos per vrbem solent victores traducere, & circumagere. Veruntamen verba Pauli aliter explicantur in hanc sententiam; Spoliauit dæmones hominibus, quos habebant in potestate, & traduxit illos confidenter palam, hoc est, ignominiosè superatos, ac spoliatos ostendit omnibus, & quales sint, quàm impii, Deique hostes indicauit, triumphans illos in semetipso in cruce pro hominum redemptione moriens.

Quæritur præterea, quomodo Dominus dolores inferni soluerit? Soluisse enim eos Petrus docet Actor. secundo. *Quem*, inquit, *Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*, &cæt. Respondemus Christum multis modis soluisse dolores inferni, hoc est, irritos reddidisse, vt exponit Augustinus, epistol. 99. Primò, quia omnes electos à doloribus inferni meritis suis efficaciter liberauit; secundo, quia sufficienter omnes homines sanguine suo tartareis pœnis eripuit; possunt enim omnes salutem æternam consequi per Christi sanguinem; tertiò, quia ex purgatorii igne animas eduxit; quartò, quia nullum inferni dolorem ipse pertulit, ideò dicitur à D. Petro dolores inferni soluisse, irritosque reddidisse, hoc sensu; quem Deus suscitauit à mortuis, λύσας, id est, *soluens*, hoc est, irritos reddens dolores inferni in Christo. *Secundum quod impossibile erat teneri illum ab eo*: erat enim impossibile Christum inferni carcere contineri. Augustin. epistol. 99. Quod, inquit, si mouet aliquem, quomodo accipiendum sit solutos à Christo dolores inferni; neque enim cœperat in eis esse tanquam in vinculis, & sic eos soluit, tanquam si catenas soluisset, quibus fuerat alligatus; facile est intelligere sic dolores solutos, quemadmodum solui possunt laquei venantium, ne teneant, non quia tenuerunt, &cæt. Aliter, quem Deus suscitauit, soluens dolores inferni, quibus animæ purgatorii torquebantur, soluens etiam dolores Patrum, qui carcere Limbi continebantur, de quibus lege Diuum Thomam, tertia parte, quæstio. 52. artic. secundo, ad secundum.

Act. 2.
Quonã modo Christus dolores inferni soluerit.
D. August.

Quæritur tandem, quomodo Christus infernum momorderit? Ait enim Oseas capit. 13. *Ero mors tua ò mors, morsus tuus ero inferne*, &cæt. Respondetur, Christum appellari morsum inferni, quia veluti serpens ex Cruce pendens infernum momordit, & excidit. Morte enim Christi sufficienter, vt dictum est, homines à tartareis ignibus sunt liberati. Diuus Gregor. homil. vigesimasecunda, in Euangelia, momordisse ait, quia cum ad inferos descendit, iustos inde eduxit, impios reliquit. Ex eo, inquit, quod mordemus, partem abstrahimus, partem relinquimus. Quia ex inferno partem Christus abstulit, partem reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum, &c.

Osea 13.
Cur dicatur Christus momordisse infernum.

Illud etiam non prætereundum, cur dicatur Dominus inter mortuos liber Psalm. 87. Respondetur, omissis aliis sensibus, rectè dici Christum liberum inter mortuos in inferno, quia non descendit ad inferos, vt reus, sed vt Deus. Liber erat, nulla illum attingere catena poterat

Psal. 87.
Cur dicatur Christus inter mortuos liber.

Digitized by Google

poterat], imo omnes ille catenas Limbi purgatoriisque perfregit. Vnde Diuus Hieronym. in commentar. sic verba exponit: *Inter mortuos*, inquit, *liber*, quia nemo me in inferno vinxit, sed ego vinctorum catenam propria virtute laxaui, &cætera. Liber erat quia vt victor descendit, A non vt debitor, liber, quia sponte sua descendit, potuitque quando voluit ascendere; liber, quia vt liberator descendit, patresque ad superos eduxit. Liber erat in sepulchro, liber in Limbo, quia tam mortem, quam vitam habebat in potestate.

Finis Libri septimi.

Digitized by Google

SEBASTIANI BARRADAS, E' SOCIETATE IESV, DOCTORIS THEOLOGI,

Commentariorum in Quatuor, Euangelia, eorumq́ue concordiam Euangelicam.

LIBER OCTAVVS.

CAPVT PRIMVM.

De feminis quæ ad sepulchrum venerunt.

MATTHAEVS CAPITE XXVIII.

VEspere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene,& altera Maria videre sepulchrum, & ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo;& accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur,& vestimentum eius sicut nix. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes,& facti sunt velut mortui. Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim, quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis; non est hic: surrexit enim, sicut dixit. Venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus. Et citò euntes dicite discipulis eius, quia surrexit; & ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis; ecce prædixi vobis. Et

exeuntes

Digitized by Google

exierunt citò de monumento cum timore, & gaudio magno, currentes nunciare discipulis eius. Et ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illi Iesus: Nolite timere, ite, nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.

MARCVS CAPITE XVI.

ET cum transisset Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valde manè vna Sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam Sole. Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola cādida, & obstupuerunt. Qui dicit illis: Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hic: Ecce locus, vbi posuerunt eum. Sed ite dicite Discipulis eius, & Petro, quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. At illæ exeuntes, fugerunt de monumento, inuaserat enim eas tremor, & pauor: & nemini quidquā dixerunt, timebant enim.

LVCAS CAPITE XXIV.

VNa autem Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ parauerant aromata: & inuenerunt lapidem reuolutū à monumento. Et ingressæ nō inuenerunt corpus Domini Iesu. Et factum est, dum mente consternatę essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cùm timerēt autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuentem cum mortuis? non est hic, sed surrexit. Recordamini, qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens; Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum eius. Et regressæ à monumento, nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iaco-

bi,

bi, & cæteræ, quæ cum eis erant, quę dicebant ad Apostolos hęc. Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum, verba ista: & nō crediderunt illis.

Cum transisset Sabbatum, emerunt aromata.

POstquam in cruce Christus mortuus est, anima petiuit inferos, corpus in horto Iosephi sepultū est. Mortuus autē est Dominus feria sexta, hora nona, sepultus paulo post ipsa eadem die ante occasum Solis. Nam ab occasu Solis Sabbatum sequebatur, quo sepelire mortuos non licebat, Lucę 23. *Dies*, inquit, *erat parasceues, & Sabbatum illucescebat*, &cæt. Hoc est, erat feria sexta, & Sabbati lux, siue dies sequebatur. Feminæ, vt supra diximus, vbi sepeliretur, obseruarunt, vt ad sepulchrum redirent, eumque vnguento perfunderent pretioso. Parato vnguento redierunt, sed non eadem die, qua Dominus est sepultus, id est, feria sexta, quia nō suppetebat tempus illa die faciendi, quod cupiebant. Sabbato quoque, vt ait D. Lucas cap 23. *siluerunt secundū mandatum*, idest, quieuerunt, cessarūt ab opere, quia id diei festiuitas poscebat. Sabbato transacto, sequenti die in sepulchrum aromata portantes reuersæ sunt.

Luc. 23.

De tempore, quo pararunt aromata, dubium exoritur. Nam Marcus 16. sic scribit. *Et cum transisset Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum*, &c. ait post Sabbatum transactum emisse aromata. At Lucas cap. 23. *Viderunt*, inquit, *monumētum, & quemadmodum positum erat corpus eius, & reuertentes parauerunt aromata & vnguenta, & Sabbato quidem siluerunt secundum mandatum*, &c. ait parasse aromata, & postea Sabbati mandatum obseruasse, ergo non pararunt, cū trāsisset Sabbatū, sed ante Sabbatū. Nō detur, Lucā nō affirmare, mulieres parasse vnguēta ante Sabbatū: sed simplicitur asserere, parasse vnguenta, quod factum est post Sabbatum. Deinde verò addidit, mulieres Sabbatum seruasse: itaque anticipatione vsus est. Aliter respondetur, mulieres illas regressas ex sepulchro, feria sexta ante Sabbatum, parasse aliqua aromata, qđ Lucas ait; sed cum illa non essent satis, emisse plura post Sabbatum, vt Marcus scribit. Sic ordinaria Glossa ex Beda: Sepulto, inquit, Domino, dū licuit operari, id est, vsque ad solis occasum parauerunt vnguenta, vt Lucas ait. Et quia præ angustia temporis explere non potuerunt, mox transacto Sabbato, id est, Occidente Sole, vbi operandi licentia rediit, festinarunt emere aromata, vt ait Marcus, &c. Sed verisimilior est prior responsio. Obiicitur: Feminæ valde manè sepulchrū cum vnguentis petiuerunt post Sabbatum; ergo ante Sabbatum vnguenta emerunt. Respondetur, valde mane vnguenta emisse, & statim abiisse. Vel dici potest, feria sexta ante Sabbatum in domo vnguentarii parasse vnguenta, vt Lucas ait; quia vero Sabbatum aduenerat, post Sabbatum rediisse, eaq; emisse, vt ait Marcus.

De tēpore quo feminę pararunt vnguenta.

Glossa ordinaria.

Obiectio.

Responsio.

Quæritur præterea: Nonne hæ feminæ sciebant, Christum, à Ioseph & Nicodemo esse vnctum magna vnguēti copia? quorsum igitur sic iam vnctum vngere volebant? Respondere quisquam potest, feminas non adfuisse vnctioni Nicodemi, sed à loco remotiori, quid ageretur, spectasse. Probabilius est propius accessisse, & quid ageretur, vidisse: Lucas 23 *Viderunt*, inquit, *monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius*, &c. Si viderunt quomodo positum erat corpus, vnctū fuisse

Cur vnctū iam Christum volebant feminę vngere.

Luc. 23.

fuisse viderunt; sciebant ergo Domini corpus vnguentis copiosè perfusum; at amor erga illum ad vngendum iam vnctum ducebat.

Orto iam sole.

De tēpore quo venerunt fem. ad sepulchrum.

EST etiam quæstio de tempore quo feminæ ad sepulchrum venerunt. D. Matthæus sic scribit: *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit*, &c. Marcus hoc modo: *Valde manè vna sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam sole*, &c. Lucas hoc pacto: *Vna sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum*, &c. Lucas ait venisse valde diluculo, Marcus orto iā sole. Matthæus vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati: videndum est, quonam modo hæc consentiant? Respondendū est, venisse feminas valde diluculo, vt ait Lucas; neque vero reliqui Euangelistæ dissentiunt. Matthæus ex sententia Bedæ venisse eas ait, *Vespere sabbati*, quia tunc se ad veniendum præparatunt; Beda in Matth. Vespere, inquit, sabbati venire cœperunt, sed lucescēte manè ad sepulchrum peruenerunt, id est, vespere aromata parauerunt, sed parata manè ad sepulchrum detulerunt, &c. Sequuntur hanc opinionē Lyranus, Carthus. & alii. Non placet, siquidem Matthæus aperte ait, *Vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati venisse*; præparari autem ad veniendum non est venire.

Vespere sabbati, quid significet.

Hieronymus in Epist. ad Hedibiam quæstio. 4. vult Matthæum significare feminas venisse ad sepulchrum diluculo; illius hęc sunt verba: Mattheus scribit vespere sabbati, id est, serò, nō incipiente nocte, sed iam profunda, & magna ex parte transacta apparuisse Dominum Magdalenæ, & apparuisse vespere sabbati illucescentis in vnam sabbati, se ipsum interpretans, quid dixisset; *Vespere sabbati*, id est, appropiquante iam luce sequentis diei, &cæt. interpretatio Hieronymi huiusmodi est; *Vespere sabbati* (Græcè, ὀψὲ) id est, serò sabbati, ꝓfunda iam nocte, & magna ex parte transacta: quæ nox *lucescit in prima sabbati*, id est, die Dominica: ea luce diei Dominicæ iam propinquante venerunt feminæ. Similiter Dionysius Alexandrinus in Epist. ad Basilidem: Qui, inquit, rem hanc accuratius, & subtilius expendent, noctem profundam, id est, noctis tempus iam penè decursum per vesperam à Matthæo significatum statuent, &c. Augu. quoque lib 3. de consensu Euang. cap. 24. existimat, *Vespere sabbati*, dici à Matthæo ipsam noctem, quæ sabbatū sequitur. A parte, inquit, prima noctis, quæ est vespera, ipsam noctem voluit significare Matthæus, in cuius noctis fine venerunt mulieres ad monumentū, &c. Causam cur noctem Matthæus vesperam nominarit, reddit hoc pacto: ea verò de causa intelligitur eandem noctem sic appellasse, quia iam à vespere licebat afferre aromata, transacto vtique sabbato: ergo quoniam sabbato impediebantur, vt non antè facerēt; ab eo tempore nominauit noctem, ex quo eis licere cœpit, vt facerent, quodcumque vellent, tempore eiusdem noctis, &c. Si obiicias Augustino, feminas venisse diluculo non vespere, id est, nocte, sic respondet; Vsitatus, inquit, loquendi modus diuinæ Scripturæ est à parte totum significare. à vespere ergo noctem significauit Matthæus, cuius extremum est diluculum; diluculo enim venerunt illæ mulieres ad monumentum, ac per hoc ea nocte venerunt, quæ significata est nomine, *Vespere*, tota enim significata est eo nomine, & ideò quacumque eius noctis parte venissent, ea vtique nocte venissent. Cum ergo venerunt parte eius noctis extrema, ea proculdubio nocte venerunt. Hæc Augustinus.

D. Hierony. *Dionysius Alexandr.* *D. August.* *Vespere noctem significat.*

Nicephorus lib. 1 cap. 33. sic interpretatur: Vespere sabbatorum, id est, post septem dies hebdomadæ, qui dicuntur sabbata, quasi dicat Matthæus post totius hebdomadæ peractum circuitum illucescente die Dominica, venerunt ad monumentum feminæ. Euthymius eodem modo: Dicens, inquit, Matthæus, *Vesperam sabbatorum*, finem significauit omnium sabbatorum, siue septem hebdomadæ dierum. Ne autē putes,

Nicephor. *Euthym.* *Baron.*

putes, quod in fine sabbati venerunt mulieres, addit, *quæ lucescit*, &c. Idem D. Cyrillus in Ioan exacto ait iã sabbato, & altero die appropinquante, venit Maria ad monumentum, &c. legendus est Gregor. Nyssenus orat. 2. de resurrectione Domini.

D. Cyrill.

Apud Cardinalem Baroniũ ita verba explanantur, *Vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati*, &c id est, in ortu stellæ eius diei quæ lucescit in prima sabbati; venerunt mulieres ad monumẽtum. In ortu, inquam, stellæ, quæ vesper dicitur, & lucifer, &c. sed Græcè non est nomen stellæ, legitur enim ὀψὲ, id est, serò. Præterea stella hæc, cũ manè apparet, non solet appellari vesper, sed lucifer; ideoque interpretationem hanc non recipimus.

Paucis: Græcè apud Matthæum sic legimus; ὀψὲ δὲ σαββάτων, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων: hoc est, vespere, siue serò autem sabbatorum illucescente in vna sabbatorum. Appellabant verò Hebræi sabbata, vt hoc loco obseruet Euthymius; dies septem hebdomadæ in honorem sabbati: Hebræi, inquit, sabbatum honorantes, etiam sex dies ipsum præcedentes, in honorem eius sabbata appellabant, nominantes diem Dominicam vnam, siue primam sabbatorum, secundam autem sabbatorum, & tertiam sabbatorum, secundum, ac tertium septimanæ diem, & similiter alios sequentes, &c. Hinc constat idem esse vespere sabbatorum, & vespere sabbati. Nam vespera omnium septem sabbatorum, vespera erat sabbati, siue serò sabbati, sumitur autem vespera, siue serò, pro tempore serotino, vel vespertino, & obscuro totius noctis, quod lucescit in primam diem sabbati, vel in vnam sabbati, id est, in die vel in die Dominica. Est itaque sensus Matthæi, vespertino, siue serotino illo tempore post sabbatum, quod lucescit die Dominica, cum lucescebat, venerunt mulieres ad sepulchrum. Consentit ergo cum Luca, qui ait, venisse valde diluculo; & cum Marco, qui ait, venisse valde manè Sed quod Marcus addit; *orto iam sole*, repugnare videtur, nomenim is venit, orto iã sole, qui valde manè, & valde diluculo venit Respondet Montanus, Marcum sic intelligendum, vt feminæ valde manè surrexerint, & in sepulchrum se contulerint; sed peruenerint, quo tendebant, orto iam sole. Est hæc sententia Dionysii Alexandrini Episto. citata. Etsi, inquit, valde manè iter sunt ingressę, & forte ad monumẽtum quoque venerunt, attamen dum in via morantur, & circa sepulchrum versantur, & occupantur, sol exoriri primosque radios spargere cœpit. Hæc ille. Respondetur potius duobus modis dici solem oriri, altero postquã ingreditur Orizontem, altero prius quam ingreditur, cum diluculum luce sua efficit: venisse vero feminas orto iam sole hoc secundo modo, cum sol lucem quandam tenebris adhuc mixtam efficiebat. Id significat Marcus cũ addit, *valde manè*, quasi diceret, valde manè, cum sol nondum Orizontem ingreditur, sed crepusculum efficit matutinum. In hanc sententiam Augustinus interpretatur lib. 3 de consensu Euangelist. cap. 24. legit autem: *valde manè, oriente sole*, legendum tamen est, *orto sole*, Græcè ἀνατείλαντος, Quod, inquit, dicit Lucas, *Valde diluculo*, & Ioãnes, *Manè cum adhuc tenebræ essent*: hoc intelligitur Marcus dicere, *Valde manè oriente iam sole*, hoc est, cum cælum ab Orientis parte iã albesceret, quod non fit, nisi solis orientis vicinitate, &c. His adde forsitan Matthæum nomine solis hoc loco Christum intellexisse hoc sensu literali Venerunt feminæ ad monumentum valde manè orto iam sole, id est, post veri Solis Christi resurrectionem. Iam enim Christus resurrexerat, cum ad sepulchrum accesserunt.

Explanatur Matthæus. Euthym. Dies hebdomadæ dicebãtur sabbatorum.

Quid significet orto iã sole.

Mõtanus. Dionysius. Alexandr.

D. August.

Noua explicatio.

D. Chrysologus serm. 2. de Resurrect. ait solẽ in die resurrectionis properantius in Iudæam festinasse, ita vt summo manè iam esset ortus. Ab hora, inquit, sexta vsque ad nonam tenebræ factę sunt. ergo Sol, qui præter horam, vt Domino compateretur, abscesserat, cum resurgeret Dominus, claritate ante tempus occurrit. Et qui vt suo commoreretur autori, ipsam meridia-

D. Chryso.

ridianam suam mortificauerat clarita tem, euictis tenebris, vt consurgeret autori suo, antelucanus erupit, &c. Pia videtur meditatio.

Vna sabbatorum.

QVo die venerint mulieres ad sepulchrum, indicatur, nimirũ *vna sabbatorum*. Græcè omnes Euangelistę vocant, *μίαν σαββάτων*, id est, *vnã sabbatorum*. Latinè vertit interpres in Matthæo, *prima sabbati*, in Luca vertit, *vna sabbati*, & in Ioanne, & 1. Cor. 16. Vbique tamen Grecè est, *vna sabbatorum*, sed eadem est significatio. Dicitur autem vna sabbatorum, dies Dominica, vna dicitur, quia, *vnum*, significat Hebræis primum, Gen. 1. *Factum est vespere, & mane dies vnus*, id est, dies primus. Haggei 1. *In die vna mensis*, id est, in die prima, 1. Cor. 16. *Per vnam sabbati vnusquisque vestrum apud se seponat*, &c. id est, per diem primam, scilicet, Dominicam. Dicitur vna sabbatorum, id est, prima, quia prima dies est hebdomadæ post sabbatum, *vna sabbatorum*, id est, prima dierum hebdomadæ. Vt enim paulo ante diximus, omnes hebdomadæ dies Iudæi sabbata vocabant. Vnde D. Hieronymus epist. ad Hedibus quęs. 4. Omnis, inquit, hebdomada in sabbatum, & in primam sabbati, & in secundam sabbati, & tertiã, & quartam, & quintam, & sextam, sabbati diuiditur, &c. Dicitur quoq; vna sabbati, id est, prima post sabbatum, vel prima dies hebdomadæ. Nam hebdomada tota sabbatum appellabatur. Quamobrem Phariseus Lucæ 18. *Ieiuno*, inquit, *bis in sabbato*; id est, in hebdomada. Vna ergo sabbatorum, id est, prima die post sabbata omnia, post dies omnes hebdomadæ, quæ Dominica nunc dicitur, venerunt feminæ ad monumentũ valde diluculo. Matthæus 28. tantum ait venisse *videre sepulchrũ*, quorsum venerint, prætermisit dicere, scilicet, ad vngendum Christum, quia effectu caruit vnctio. D. tamen Dionysius Alexandrinus episto. citata ait feminas à Matthæo nominatas nõ portasse aromata, sed venisse tantum ad videndum sepulchrum.

Genes. 1. Vna & prima sabbati idem.

1. Cor. 16.

D. Hieron. Dies hebdomada à sabbato numerabantur.

Sabbatum dicebatur hebdomada.

Dionys. Alex.

Maria Magdalene, & altera Maria.

VIdeamus, quænam feminæ ad sepulchrũ venerint. Matthæus duas tantum numerat, Magdalenam, & alteram Mariam, alteram autem Mariam appellat Mariam matrem Iacobi minoris, quam cap. 27. cum Magdalena coniungit dicens; *Inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Ioseph mater*, &c. Marcus numerat tres, Magdalenam, Mariam Iacobi, & Salomem matrem Ioannis Euangelistæ. Lucas plures fuisse ait: *Erant*, inquit, *Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cætera, quæ cum eis erant*, &c. Cæteræ, inquit, quæ cum eis erant, ergo plures erant (erat autem Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis Lucæ 8.) Ioannes solius meminit Magdalenæ. Addit D. Martham Cardin. Baronius, ex rituali Romano: In ordine, inquit, Romano ex maiorum, vt puto, traditione additur & Martha, dum sic in Antiphona canitur: *Maria, & Martha cum venissent ad monumentum, Angeli splendentes apparuerunt*, &c.

Quæ fuerint feminæ, quæ venerũt ad sepulchrum.

Quæstio existit hoc loco, an Virgo Deipara sepulchrum filii inuiserit. Id significat Nazianzenus orat. 42. & in tragœdia de Christo patiente, Sedulius Poeta antiquus sic canit:

> *hoc luminis ortu,*
> *Virgo parens, aliæque simul cum munere matres*
> *Messis aromaticæ, notu venere gementes*
> *Ad tumulum*, &c.

Nazianze. An virgo Deipara venerit ad sepulchrum. Sedulius.

D. Gregor. Nyssenus orat. 1. de resurrect. & Nicephorus lib. 3. cap. 33. Virginem Deiparam aiunt appellari à Matthæo alteram Mariam, cum ait ca. 28. *Venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum*, &c. Theophylactus idem arbitratur Matthæi 27. in illa verba: *Erat ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum*, &c. Hæc tamen arbitratio, exploden-

Nyssen. Nicephor.

Theophyl.

plodenda est omnino; Virgo enim nō altera Maria, sed mater Christi appellatur in Euangelio, neque Mariæ Magdalene postponitur. Respondetur autem quæstioni Virginem sanctissimam in sepulchrum cum reliquis feminis non venisse, cæteras enim fide longissimo interuallo superabat, credebatq; filium vnguentis non egere, nempe rediturum tertia die in vitam. Expectabat ergo illum domi, precibus, sanctissimisque meditationibus vacans, de sepulchro inuisendo non curabat.

Præterea quæritur, semel ne an sæpius mulieres venerint ad monumentum? D. Hieronymus in Matth. sępe ad sepulchrum venisse mulieres scribit, diuersis temporibus, alias serius, alias citius. Quod, inquit, diuersa tempora istarum mulierū in Euangeliis describuntur, sedulæ visitationis officiū est; dum crebrò abeūt, ac recurrunt, & nō patiuntur à sepulchro Domini diu abesse, vel longius, &c. D. Ambrosius in Lucam diuersas mulieres diuersis temporibus venisse arbitratur: Quomodo, inquit, soluendum, nisi quatuor Euangelistas, de diuersis quatuor putas dixisse tēporibus, vt & personas alias mulierum, & alias coniicias visiones? Aliæ cum vnguento prima Sabbati veniunt; aliæ sine vnguento vespere Sabbati; istarum nomē exprimitur; illæ de Galilæa secutæ Dominum designantur, &c. Similiter D. Gregor. Nyssen. orat. 2. de Resurrect. Quatuor ait fuisse mulierum accessus ad sepulchrum, quatuor tēporibus. Matthæus, inquit, de iis scribit feminis, quę vespere Sabbatorum venerunt; Ioannes Magdalenā venisse ait in tenebris; Lucas, alias circa diluculum: Marcus, aliam orīēte Sole, adiunctis nonnullis, quæ iam antea ad monumentum fuissent. Sic ille. Denique Græcus Euthymius de quibusdam, qui Euangelistarum dicta conciliare nesciebant, loquens, sic ait Matthæi 27. Hi quidem quatuor ad monumentum accessus diuersis temporibus factos esse dicentes, non easdem fuisse mulieres aiunt, quarum meminerunt quatuor Euāgelistæ, sed alias, & alias, similium inter se inuicem nominum.

D. Hieron. *An feminæ venerint sæpius ad sepulchrū.* *D. Ambro.* *D. Gregor. Nyssen.* *Euthymi.*

Alii vero de quatuor accessibus cōformiter dicunt; sed hos ab eisdem mulieribus factos esse asseuerant, &c. Respōdēdum, semel atque iterum venisse ad sepulchrum, vt infra dicemus, cap. 9.

Quis reuoluet nobis lapidem.

DVo erant, quæ feminas impedire poterant, ne in sepulchrum ingrederentur, custodia militum, & magnus lapis, ostio monumenti aduolutus. Cur de custodia militum non loquuntur, sed solum de lapide? Respondendum, quia sepulchrum à militibus custodiri nesciebant. Nam illæ discesserant à sepulchro feria sexta, custodia autem adhibita est altera die post parasceuem, id est, Sabbato, vt ait Matthæus. Cum ergo custodiri sepulchrū ignorarēt, de solo impedimento, quod nouerant, verba faciunt, id vero sublatum repererunt ab Angelo.

Cur feminæ militū non meminerunt, sed lapidis.

CAPVT II.

De tempore resurrectionis.

Ecce terræmotus factus est magnus.

CVM iam prope sepulchrum fœminæ essent, terræmotus magnus factus est, vt ait Matthæus. Non ex more solito factum sentit Hieronym. in episto. ad Hedib. 46. sed tam magnum, vt cuncta concuteret, & euersionem terræ funditus minaretur. Factus est autem hic terræmotus (ait Euthymius) propter custodes, vt timore erecti, & terrore Angeli consternati, fugerent, & hæc Iudæis nuntiarent, ac testes ipsi fierent veritatis, &cæt.

D. Hieron. *Euthym.*

Digitized by Google

Præterea factum est, vt Angeli ex cœlo descensum, eiusque potentiam indicaret. Vnde Matthæus postquam dixit: Terræmotus factus est magnus, reddit causam; *Angelus enim Domini descendit de cælo*, &cæ. Denique factus est ad honorandam Christi, qui resurrexerat ex sepulchro, maiestatem.

Accedens reuoluit lapidem.

An vnum tãtummodo lapidem reuoluerit Angelus.

DEscendit de cœlo Angelus lapidemque illum magnum ab ostio sepulchri remouit, & sepulchrum patefecit Quæritur, reuoluerit ne Angelus vnum tãtum lapidem, an duos, vel tres, Sepulchrum enim Domini, vt infra dicitur, c.3. duas habebat speluncas, videtur ergo duos etiam in ostiis habuisse lapides, quos Angelus reuoluerit. Præterea, sepulchri ipsius locus, lapide erat clausus, lapidem etiã illum reuoluit Angelus; ergo reuoluit tres lapides. Respondetur, vnum tantum reuoluisse, vt Matthæus indicat, dicens: *Accedens reuoluit lapidem*; non dixit, lapides. Nam in speluncæ interioris ostio non erat lapis, vt infra dicitur, sed solum in ostio exterioris. Locus verò, in quo corpus Domini est collocatum, mobilem lapidem videtur non habuisse, vt indicant hæc verba Bedæ, Matth. 27. Locus, inquit, Dominici corporis de eadẽ petra factus est; qui non desuper, sed à latere meridiano per totum patulus est, vnde corpus inferebatur, &c. Non erat ipsum sepulchrum Domini patulum ex superiori parte, sed clausum rupis lapide immobili, ex latere apertum erat, ergo lapidem mobilem nõ habebat, quẽ Angelus remoueret; feminæ verò ex latere ipsius sepulchri aperto ipsum corporis locum viderunt. Lege libri huius caput 3.

Beda.

An reuoluerit Ang. lapidẽ vt resurgeret Christus? D. Hieron.

Quæritur secundò, an remouerit lapidem, vt tunc Christus resurgeret, & sepulchro patefacto exiret? Respondetur, nõ esse reuolutum lapidem ab Angelo, vt Christus tunc resurgens ex sepulchro exiret. Etenim iam antea surrexerat, sepulchro clauso. D. Hieron. epist. ad Hedib. q. 6. Non putemus (ait) Angelum idcirco venisse, vt aperiret sepulchrum Christo Domino resurgẽti. Sed postquam Dominus resurrexit, indicasse quod factũ est; & sepulchrũ vacuum reuolutione lapidis ostendisse, &c. Chrysologus serm. 75. Reuoluit Angelus lapidem, non vt Domino præberet aditum; sed vt Dominum iam resurrexisse monstraret, &c. Theophylactus: Resurrexit Dominus lapide super sepulchrum adhuc posito, &c. D. Gregor. Nyssen. orat. 2. de resurrect. Cum, inquit, Angelus lapidem reuoluisset, reperit resurrexisse Dominũ, sepulchro, sicut Deum decebat, clauso relicto; quemadmodũ clausis quoque ianuis penetrans in domicilium ad Discipulos accessit, &c. Euthymius Matthæ. 28. Christus, inquit, surrexerat prius quam Angelus descẽderet. Quemadmodum enim natus est, seruatis integris claustris virginis, ita quoque resurrexit seruatis integris monumenti signaculis, &c. Idem docet D. Epipha. in orat. de sepultura Christi.

D. Chrysol.

Theophyl. Nis. Grego.

Euthym.

Quorsum igitur reuoluit Angelus lapidem? Respondetur, vt resurrectio Christi confirmari posset. Si enim sepulchrum esset clausum, nemo ipso sepulchro teste, cognoscere poterat Christum resurrexisse. Vt ergo ipsum sepulchrum resurrectionis testis esset, lapidem reuoluit Angelus, vt tam Discipulis, quam Iudæis omnibus eo conuenientibus testimonium certissimum daret D. Iustinus Mart. quæst. 117. Christus, inquit, suapte potentia ex monumento, cui lapis impositus fuit egressus est, & ad Discipulos ianua clausa ingressus. Non enim excitationis eius gratia saxi de monumẽto facta est deuolutio, sed eorum causa, qui id conspecturi erant, vt ipsius resurrectio ostenderetur. Nam quod sepulchralia eius in monumento vestimenta viderunt, ipsum autem non viderunt, euidentissimum resurrectionis eius fuit indicium, &c. Certè ipsius sepulchri testimonio vtitur Angelus, cum mulieres sic affatur. *Surrexit, venite, videte locum, in quo positus erat Dominus*, &c. D. Chrysolog. ser. 74. Lapis, inquit, aduolu-

D. Iustinus Lapis reuolutus est, vt pateret sepulchrũ, & testaretur Christum resurrexisse.

D. Chrysol.

d by Google

solutus probauit mortem, reuolutus extitit resurrectionis assertor, &c.

Aspectũ Angeli describit Matthæus terribilem: *Erat*, inquit, *aspectus eius, sicut fulgur, & vestimẽtum eius sicut nix*, &c. rationem reddit Nissenus orat. citata. Vt ipso, inquit, terribili habitu perterrefaceret custodes, &c. quod factum esse scribit Matthæus c. 28. *Præ timore*, inquit, *eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui*: scilicet cum viderunt Angelum aspectu fulguris emicantem. Accessit quoque ipse terræmotus magnus, vt ait Euthymius. Quid egerint, docet D. Hiero in epist. sæpe indicata ad Hedib. q. 6. Qui fuerunt, inquit, tanto timore perterriti; vt putarentur mortui, aut dimisisse sepulchrum, & fugisse credẽdi sunt, aut ita corpore, & animo obtorpuisse, vt non dicam viros, sed ne mulierculas quidem sepulchrum intrare cupiẽtes auderent prohibere. Sic Hiero. Fugisse putat Euthym. & Iudæis, quæ viderant, nũtiasse. Resumptis viribus post aliquod tẽpus deseruerunt sepulchrũ; illos tamen fœminæ humi videre stratos, ac semimortuos, vt Dei cognoscerent potentiam in hoc spectaculo.

Matth. 28

Angelus terruit custodes.

D. Hieron.

Custodes sepulchrũ deseruerũt

Surrexit, sicut dixit.

IAcebant velut mortui, sepulchri custodes: Angelus vero super reuolutum sedebat lapidem. Inde fœminas aduenientes sic affatus est. Timeant custodes, & fiant sicut mortui, ne timeatis vos, sed viuentes, atque incolumes sepulchrum ingredimini: scio enim, quod Iesum quæritis, qui feria sexta cruci suffixus est. Nõ est in loco, in quo eum quæritis, non est in sepulchro, surrexit enim, sicut prædixit, antequam in crucẽ ageretur. Probat deinde surrexisse Christũ, sepulchri testimonio; *Venite*, inquit, *videte locum, vbi positus erat Dominus*, &c. Venite in sepulchrũ, & videte locum in quo sepultus erat Dominus meus, & vester, ipse locus vobis testabitur iam surrexisse. Postquam vero vacuum videritis sepulchrum, abite magna cum festinatione, Discipulis Domini resurrectionem nũtiate. Ostendet autem se vobis in Galilæa, quo ante vos proficiscetur, ibi eum cernetis. Obseruat D. Gregor. Nyssenus orat. illa 2. Angelum præterito tempore vsum dixisse, *surrexit*, quia iam ante lapidis reuolutionem surrexerat Christus. Dicebat, inquit, Angelus, *surrexit*, significans ante suũ aduentum accidisse resurrectionem Seruatoris, &c.

Angelus fœminas alloquitur.

Nis. Grego.

Dubitatur, quonam tẽpore, hoc est quanam hora resurrexerit Dominus? Idem D. Grego. ait, horam noctis, qua surrexit, ignotam esse. Et Euthymius Matth. 27 Quando, inquit, Christus resurrexerit, nullus Euangelista indicauit, solus enim hoc nouit, qui solus surrexit, vt nouit, &c. D quoque Hieron. in epist. citata 150. qõ. 6. ait surrexisse hora, qua ipse voluit, & quæ nulli mortalium est cognita. Verum quidem est mortalibus hominibus non esse certò cognitam, quid tamen sit probabilius, dicendum est. Respondetur Christum die dominica surrexisse diluculo. D. Clemens in Constit. lib. 5. cap. 16. hoc sentit: ait enim, illucescente vna sabbatorum, id est, prima die hebdomadæ; scilicet, dominica, Christũ rediisse in vitam. Idẽ docet D. Ignatius in Epistola ad Trallianos; Illucescente, inquit, die dominico, surrexit Christus a mortuis, &c. Et D. August. ad finem Psalm. 58. Merito, inquit, resurrectio Domini diluculo fuit, vt impleretur, quod dictum est Psalm. 29 *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Ad vesperum quidẽ discipuli mortuũ planxerunt, diluculo ad resurrectionẽ exultarunt, &c. Ambrosius, Psalm. 45. Vespere, inquit, passus est Christus, mane surrexit, &c. Denique habetur hæc sententia in hymno ab Ecclesia recepto, eiusdem Ambrosii: Aurora Lucis rutilat, cum rex ille fortissimus victor surgit de funere. Imo & in Marco habetur cap. 16. *surgens*, inquit, Iesus: *mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ*, &c. D. Hieron. in epistola ad Hedib. quæstio 3. sic distinguit hæc verba, & interpretatur, surgens, idest,

Quanã hora resurrexit Christus.

D. Gregor.

Euthym.

D. Hieron.

D. Clemẽs.

D. Ignat.

D. August.

Psalm. 29.

D. Ambro.

Marc. 16.

D. Hieron.

Google

riam, post sabbatum, & post partē diei dominicæ, ipsa die dominica. D. Leo serm. 1. de Resurrect. Ne turbatos discipulorum animos, inquit, longa mœstitudo cruciaret, denunciatam tridui moram tā mira celeritate breuiauit, vt dum ad integrum secundum diem, (id est, sabbatum) pars primi nouissima, (id est, sextæ feriæ) & pars tertii (id est, dominicæ diei) concurrit, & aliquantulū tēporis spatio decideret, & nihil dierū numero deperiret, &c.

D. Leo.

De noctibus præterea ambigitur; ait enim Dominus Matth. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & trib. noctibus,* &c. Fuit ergo Dominus apud inferos in corde terræ, tribus diebus, fuit etiā tribus noctibus. Hæ noctes quomodo numerandæ sint, dubium est. Respondetur non esse anxiè inuestigandas, quoniam dies, & nox pro vno die naturali sumuntur, quem in modum Matthæ. 4. Christus dicitur ieiunasse, *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, id est, quadraginta diebus naturalibus. Est sensus, erit filius hominis in corde terrę tribus diebus naturalibus: qui luce constant, & tenebris, non tamen integris. At verò si inuestigemus has tres noctes, illas reperiemus, quāuis non integras, sicut & dies. Spiritū emisit Dominus hora tertia post meridiem, statimq; ad inferos descendit in cor terræ, in corde terræ mansit illa feria sexta, fuit etiam nocte eiusdē feriæ sextæ vsque ad duodecimam horam noctis habemus diem, & noctem vnam. Fuit præterea sabbato toto, qd' die constat, & nocte, habemus duos dies, & duas noctes. fuit quoque à media nocte post sabbatum, à qua dies dominica ducit initium, vsque ad tertiā horam. Habemus tres dies, & tres noctes, diem feriæ sextæ, & noctem, diē, & noctē sabbati, diem, & noctē dominicę diei. Obiicit: hic dies & nox dominicæ diei à media nocte inchoatur; Christus surrexit hora tertia post mediam noctem, vel si malueris, hora quarta; paucissimæ igitur horæ assignari possunt nocti, & diei. Responde-

An Dominus tribus noctib. fuerit in sepulchro? Matth. 12.

Noctes cū diebus confundūtur.

Obiectio.

Responsio.

A tur id fieri per synecdochem, vt supra dictum est. Dici etiam potest Dominum latius de nocte hac locutum, nēpe vt complectatur etiam illam noctis partem, quæ mediam noctem præcedit: Eruntque tres noctes non integræ, videlicet, nox feriæ sextæ vsque ad mediam noctem, nox sabbati à media nocte vsque ad tempus matutinū, nox sequens sabbatum post tempus vespertinum vsque ad crepusculum dominicæ diei.

B Dominica aūt die surrexisse Dñm Euangelistæ testantur. asserunt enim surrexisse, vna, vel prima sabbati, id est, prima die hebdomadę post sabbatū, quæ est Dominica, vt supra exposuimus. Cōditus est hac die mūdus, eadem resurrexit Dñs ad renouandum mundū. Vnde Sedulius lib. 4. sic canit.

Dominica die surrexit Dominus.

Cœperat interea post tristitia sabbata felix.
Irradiare dies culmen qui nois alti
A Domino dominante trahit, primusque videre
C *Promeruit nasci mundum, atque resurgere Christum,* &c.

Et Ecclesiast. hymnus Magni Gregor.
Primo dierum omnium,
Quo mundus extat conditus,
Vel quo resurgens conditor,
Nos morte victa liberat, &c.

D Dicitur ab Euangelistis *vna, vel prima sabbati, vel sabbatorum*, dictus est dies Dominicus à Dño, quia in eo resurgēs Dominus colitur. Apoc 1. *Fui in spiritu (ait Ioannes) in Dominica die*, &c. Iam tūc hoc nomine appellabatur. De die Dominica D. Augu. sic scribit ser. 154. de tempo. Venerabilis, inquit, est hic dies, qui Dominicus dies, & dies primus, atque perfectus est, & dies clarus, in quo visa est prima lux, in quo transgressi sunt filii Israel mare rubrū, siccis pedibus, in quo pluit manna filiis Israel, & in quo Dñs Baptizatus
E est in Iordane, quo vinū de aqua factū est in Cana, quo benedixit Dñs quinque panes, quib. satiauit quinque millia hominū, in quo resurrexit à morte, quo intrauit in domos clausas, vbi erant discipuli congregati, in quo Spiritus sanctus descēdit in Apostolos, & in

De die dominica.

D. August.

Quæ in die Dominica Christus præstitit.

Google

in quo speramus Dominum venturum ad iudicium,&c. Et serm 251. Dominicum diem Apostoli,& Apostolici viri ideo religiosa solemnitate habendũ sanxerunt;quia in eodem Redemptor noster à mortuis resurrexit. Qui ideò Dominicus appellatur vt in eo à terrenis operibus, vel mundi illecebris abstinentes, tantum diuinis cultibus seruiamus:dantes,scilicet huic diei honorem, & reuerentiam propter spem resurrectionis nostræ,quam habemus in illa. Nam sicut Dominus resurrexit à mortuis, ita & nos resurrecturos speramus,&c. Item; Dominicus, inquit, dies est primus dies sæculi, in ipso formata sunt elementa mũdi;in ipso creati sunt Angeli. Hæc August.

Dominicus dies dicitur, qa Domino in illo vacãdũ.

Exierunt citò de monumento.

POstquam Angelum feminæ audiuerunt,ex sepulchro egressæ sunt, currentes nuntiare discipulis, quæ viderant,& audierant. In via vero Dominus illis apparuit,easque salutauit dicens, *Auete;* præcepitq; *fratribus suis,* id est, discipulis nũtiare Galilæam,vt peterent,ibi eum visuri:volebat enim Dominus in Galilæa se discipulis ostẽdere rediuiuum,quoniam in Iudæa Iudæorum metu perturbabantur,in Galilæa verò liberius poterant agere. Adde discipulos fuisse Galilæos,misit ergo illos in patriam;quod iucundum erat: Veruntamen antequam discederent in Galilæam,illis apparuit in Iudæa;promissum superans,apparens in Iudæa prius,postea in Galilæa.

Mittuntur in Galilæã discipuli.

CAPVT III.

De concordia Euangelistarum circa mulieres quæ venerunt ad sepulchrum.

MAtthæus, vt vidimus, ait, Angelum lapidem reuoluisse, & super eum sedisse, mulieresque sic esse allocutum: A *Nolite timere vos, scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hic, surrexit enim, sicut dixit. Venite & videte locũ, vbi positus erat Dominus,*&c. Marcus autem sic scribit: *Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida, & obstupuerunt, qui dicit illis; Nolite expauescere, Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic, ecce locus vbi positus erat* &c. B Lucas hoc modo: *Et inuenerunt lapidem reuolutum à monumento. Et ingressæ non inuenerunt corpus Domini Iesu. Et factum est dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgẽti. Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuentem cum mortuis? non est hic, sed surrexit,*&c. Hæc hi Euangelistæ scribunt. Nos verò multis omissis, breuiter, ac perspicuè conabimur ea C omnia in consensum redigere.

Alloquitur Angelus mulieres.

In primis ergo vnus Angelus descendit de cælo, lapidem reuoluit, super eum sedit, mulieribus Christum surrexisse nuntiauit, vt ait Matthæus, & vt ingrederentur in sepulchrũ iussit. Hæc, quę Matthæus scripserat, Marcus prætermisit, cœpitque ab ingressu sepulchri rem narrare. Nam postquam Angelus, qui in lapide sepulchri sedebat, mulieres ingredi iussit, illæ ingres- D sæ sunt: *Et introeuntes* (ait Marcus) *in monumentum, viderunt Angelum iuuenis specie, sedentem in dextris sepulchri coopertum stola candida, & obstupuerũt.* Viderunt (inquam) alium Angelum intra sepulchrum, vt ait August. lib. 3. de consensu Euangelistarum cap. 24. qui similiter vt ille alius, qui in lapide sedebat, Christum surrexisse testa- E tus est. Lucas ea omisit, quæ Matthæus, Marcusque dixerant, & aliud addidit: ait feminas inuenisse reuolutum lapidem ingressasque esse sepulchrum, & corpus Domini non inuenisse, propterea mente fuisse consternatas, duosque adfuisse illis Angelos fulgentibus indutos vestibus, qui testes etiam fuere resurrectionis. Itaque plures Angeli testes resurrectionis mulieribus apparuerunt. In primis reuolu-

Concordia Euãgelistarum circa mulieres.

Testantur Angeli Christum surrexisse.

uolutum viderunt lapidem, & Angelum super eum sedentem. Deinde eius monitu introierunt in sepulchrũ, & alterum viderunt Angelum sedentem à dextris sepulchri, & obstupuerunt. Tandem cum mente consternatæ essent intra sepulchrum, quod corpus Domini non reperirent, alii duo Angeli iuxta illas steterunt: omnes verò Angeli resurrexisse Christum testati sunt. Quod interpres dixit, cum mente consternatæ essent, Græcè legitur, ἐν τῷ διαπορεῖσθαι αὐτάς, significat autem verbum græcum *dubitare*, & *hæsitare*, vertique potest, *cum dubitarent ipsæ*; dubitabant enim cum quadam mentis consternatione, quid de corpore Domini esset factum.

Alio modo sic Marcus cum Matthæo conciliatur. Dicitur sepulchrum duas habuisse speluncas, alteram interiorem, in qua erat corpus Domini, eamq; clausam illo magno lapide, quẽ reuoluit Angelus; alteram exteriorẽ. Venit igitur Angelus, & reuoluit lapidem ab ostio speluncæ interioris; collocauitq; in spelunca exteriore à dextris sepulchri, & sedit super eum. Venerunt feminæ, vt ait Matthæus, viderunt Angelum hunc sedentem super lapidem, in spelunca exteriore. Vt verò ait Marcus introeuntes in monumẽtum, id est, in eandem speluncam exteriorem, viderunt iuuenem, id est, eundem Angelum sedentem super lapidẽ à dextris sepulchri coopertum stola candida, &c.

Duo asserit hæc sententia, alterum, sepulchrum duas habuisse speluncas: alterum, lapidem magnum non exteriorem, sed interiorem speluncã clausisse. Quod attinet ad primum Beda significare videtur, sepulchrum vnam tantum esse speluncam, non duas, eius verba scripsimus lib. 7. cap. 23. Ait enim Matthæi 27 esse domum rotundam de subiacente rupe excisam, tantæ altitudinis, vt intro consistens homo, vix manu extensa culmen possit attingere, quæ ab Oriente habet introitum, cui lapis ille magnus aduolutus est. In cuius monumẽti, inquit, parte aquilonari sepulchrum ipsum hoc est, locus Dominici corporis de eadẽ petra factus est, septem habens pedes longitudinis, trium verò palmorum mensura, cætero pauimento altius eminens. Qui videlicet locus non desuper, sed à latere meridiano, per totum patulus est, vnde corpus inferebatur, hæc ille. Lege eundem Bedam lib. de locis sanctis. Nullam ille duarum speluncarum facit mentionem, sed vnius tantum in cuius pariete aquilonari sepulchrum est excisum; non ergo duæ erant speluncæ. D. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 14. Vestibulum quoddã scribit fuisse ante sepulchrũ, quod propter ornatũ additum sepulchro, erasum conicit. Ipsum audiamus: *Foramen*, inquit, *petra* Cant. 2. dicitur id, quod tunc erat foramen ante ostium monumenti Saluatoris, ex eadem petra excisum, sicut hic solet esse ante monumenta. Nunc autem non apparet, quoniam erasum est vestibulum propter præsentẽ ornatũ. Nam ante regalem hunc ornatum, & apparatũ sepulchri vestibulũ erat ante petrã, &c.

An sepulchrum Domini duas habuerit speluncas. Beda.

D. Cyrill.

Alii Terræ sanctæ exploratores aiunt etiam nunc duas speluncas habere sepulchrum, vnde sequitur habere vestibulũ. Borchardus p. parte, §. 47. c. 7. sic sepulchrum describit: Speluca, inquit, in qua Domini sepulchrum cõtinetur, est longitudinis septem pedũ: ostium, quo ad hanc speluncam patet ingressus, ab oriente situm est demissum valde, & paruũ. Tumba verò sancti sepulchri est ad dexteram ingredientis iuxta parietem ad Septentrionem. Est autem altera spelunca sita ante speluncam sepulchri, eiusdem longitudinis, & latitudinis, ac dispositionis intus, & extra, & antequam quis ingrediatur, apparent vt vna. Primò ergo intratur in anteriorem, deinde in aliam, in qua iacuit corpus Domini; Hæc Borchardus oculatus testis. Cum illo alii oculati etiam testes consentiunt, qui duas speluncas esse aiunt. Accedit Iudæorum mos, qui, vt D. Cyrillus ait, ante monumenta solebant excidere vestibula. Credendum est testibus oculatis; Dicendum duas esse speluncas in sepulchro Domini, alteram

Duas esse in Christi sepulchro speluncas quidã volunt. Borchard.

Autoris sententia.

exteriorem, alteram interiorem, vtrãque tamen sepulchrum appellari. Beda, quæ scripsit, ab aliis accepit, qui duas speluncas non satis distinxerunt. D. verò Cyrillus coniecit ante duas speluncas fuisse aliquod aliud vestibulum iam dirutum, quia duæ speluncæ sepulchrum Domini appellabantur, ille tertiam desiderabat, quæ esset vestibulum.

Card. Baronius.

Cardinalis Baronius vnam tantum speluncam fuisse existimat propter Bedæ descriptionem; eam verò coniicit pariete medio postea fuisse diuisam. Addit fuisse in parte occidentali mõtis Caluariæ speluncam in petra excisam, eamque amplam in modum vestibuli, quæ aliam intus contineret speluncam, in qua excisum est sepulchrũ Domini. Porrò vestibulum, id est, primam speluncam, vt ait Cyrillus, fuisse erasam, ac dirutam. Sed videat lector, an velit concedere ausos fuisse antiquos Christianos aliquid sanctorum locorum, sanctique sepulchri diruere.

An fuerint in sepulchro duo lapides. Matth. 27.

De secundo, id est, de lapide quæstio est, fueritne vnus tantum, an duo? Responderi potest fuisse duos, alterũ in ostio prioris, alterum in ostio posterioris speluncæ collocatum. Sed repugnant verba Matthæi cap. 27. *Munierunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus*, Munierunt, inquit, sepulchrum signantes nõ duos lapides, sed vnum tantummodo. Si duo fuissent, sanè vtrũque signassent, vt validius munirent. Item Angelus, *reuoluit lapidem, & sedebat super eũ*, &c. si duo fuissent, duos reuoluisset. Præterea obstant verba mulierum Marci 16. *Quis reuoluet nobis lapidem?* &c. item eodem cap. *Viderunt reuolutum lapidem, erat quippe magnus valde*, &c. Vnus ergo erat lapis, non duo.

Marci 16.

An lapis clauderet speluncam exteriorẽ. Obiectio.

Hinc exoritur alia quæstio, si vnus tantum erat lapis, claudebatne speluncam exteriorem, an interiorem? Borchardus existimat clausisse speluncam interiorem, in qua ipsum erat sepulchrum. Obiicitur; idẽ Borchardus ait ostium speluncæ interioris fuisse valde demissum, & paruum, lapis verò, vt

A testatur Marcus, erat magnus valde, ergo non claudebat ostium speluncæ interioris paruum, valdeque demissum. Responderi potest, paruum ostiũ fuisse, sed magno lapide clausum, non enim oportebat lapidem æqualem esse ostio: quanto lapis maior erat, tanto ostii licèt parui custodia maior. Rursus obiicitur: feminæ, vt ait Marcus, viderunt reuolutum lapidem, videlicet cum extra primam speluncam essent, ergo lapis reuolutus non erat in ostio interioris speluncæ, sed exterioris. Si enim in ostio interioris fuisset, non vidissent feminę eum reuolutum, siquidem ostium speluncæ interioris non cernebatur ab illis, quia extra totum sepulchrum erat. Responderi potest per ostium speluncæ exterioris vidisse feminas ostium interioris, lapidemque ex illo amotum.

Responsio.

Obiectio.

Responsio.

Autoris sententia.

C Probabilius tamen videtur, lapidẽ illum magnum valde, fuisse collocatũ in ostio speluncæ exterioris, quod maius erat ostio speluncæ interioris. In eo enim ostio positus, vtramque claudebat speluncam. Obiicies, olim aliquos homines habitasse in sepulchris Iudæorum, iuxta illud psa. 67. *Qui habitant in sepulchris*, &c. & illud Marci 5. *Occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis*, &c. Matthæi 8. *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes*, &c. Si homines in exteriori spelunca monumenti habitabant, ergo illa non claudebatur lapide, sed interior. Respondetur multas monumentorum speluncas apertas fuisse, illas nimirum, quæ cadauera nondum habebant, vel quæ habebant cadauera in puluerem iam redacta, in his habitasse pauperes. Cum vero cadauer sepeliebatur, exterioris speluncæ ostio lapis magnus solebat admoueri.

Psalm. 67. Homines in sepulchris habitabant. Mar 5. Matth. 8.

D

E

Angelus sedit super lapidem, quem reuoluerat ab ostio monumenti.

Itaque vt ad superiora reuertamur, Angelus reuoluit lapidẽ ab ostio speluncæ exterioris, & sedit super ipsum extra spelũcam, feminasq; suffit ingredi in vtramque speluncam. Ingressæ illæ alium Angelum intus inuenerint, vt supra diximus cum Augustino.

CA-

CAPVT IV.

De resurrectione Christi, & ascensu ab inferis.

Morale.

SOl hic, quē corporeis cernimus oculis, occidit q. dem; sed paulò post occasum rursus veluti rediuiuus in Oriente cernitur. Sic Sol ille, quem mētis luminibus intuemur Christus, occidit in cruce, & sepulchro, sed paulo post occasum, rediuiuus summo fulgore rutilans exortus est. Feminæ venerunt, *orto iam sole*, ait Marcus; Venerūt, inquam, ad sepulchrum, id est, ad solis occasum. Sed iā Sol erat exortus, iam tenebras dispulerat mortis, vitæque immortalis splēdore fulgebat. *Quid quæritis viuentem cū mortuis? non est hic, sed surrexit*, &c. aiunt Angeli quærētibus Solē in occasu. O mulieres cur quæritis Solē iā ortū, i loco occasus? *Nō est hic*, nō est in occasu, iā est in ortu, iam surrexit. Tribus horis obscuratus est Sol, crucifixo Domino; sed post tres horas pristinū splēdorem recuperauit. Sic tribus diebus eclipsim perpessus est ipse Dominus in sepulchro; sed mox nouis splendēs radiis in vitam rediit. Sol, quem cernimus, in Oriente, non in Occidēte exoritur. At noster Sol Christus ex Occidente Oriētem fecit, in ipsoque sepulchri occasu ortus est, iuxta illud Psal. 67. *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi*, &c. Super ipsum occasum ascendit & resurrexit Sol fulgentissimus; quia Domini, Deique veri & nomen, & naturam habebat. Præterea Sol oculis cōspicuus, solam illuminat terræ faciem, intimas illius tenebras nescit expellere; noster verò Sol non faciem solum terræ, sed ipsius quoque cor, profundissimasque cauernas radiis fulgentissimis compleuit. Ecclesiast. 24. *Penetrabo*, ait, *omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo sperantes in Domino*, &c. Penetrauit Sol noster inferiores partes terræ, ad infernum vsque peruenit, inspexit mortuos omnes, sperātes in se patres, qui i corde terræ erāt, gloriæ sempiternæ lumine illuminauit. Vnde D. Damasc. lib. 3. fidei, ca 29. Ob id, inquit, Christi anima ad inferos descēdit, vt quemadmodum iis, qui in terra versabantur, iustitiæ Sol ortus erat, ita etiam iis, qui infra terram in tenebris sedebant, illuceret, &c. O effectum Solis nostri admirabilem: prius diuinæ essentiæ fulgentissimis radiis homines illustrauit in corde terræ, quàm in sublimitate cæli. Etenim diuinam essentiam in limbo Patrum primum ostendit hominibus, posteà in cęlo. *Hodie mecum eris in Paradiso*, dixit latroni. Si rogemus: ò Domine, hodie tecum erit latro hic apud inferos, in profundissimis terrę cauernis: num ibi Paradisus est? Non est ibi Paradisus, respondit Dominus; sed illuc Paradisum ego afferam. Id enim, quod Paradisū efficit, id est, visionem beatificam, inferorum incolis impertiar. O rem mirā: in corde terræ summa miseria erat, summum supplicium, summa mœstitia; erat etiam summa felicitas, summū præmium, summa lætitia; illa in tartaro erant, hæc in limbo Patrum.

Cum Sole Christus cō fertur.

Psal. 67.

Eccles. 24.

Damasc. Voluit Christus descendere ad inferos vt Sol iustitiæ oriretur etiā iis qui in tenebris sedebant.

Paradisus fuit apud inferos.

Sed non est locus dignus summa felicitate cor terræ. tribus dieb ibi commoratus est Dn̄s non integris, fractisque inferorum catenis, cum beata illa sanctorum multitudine, victor ad superos ascendit. Solus descendit (ait Cyrillus Ierosol. Cathec. 14.) ad inferos, cum multis inde ascendit, &c. Solus in cruce fuit, solus in sepulchro, solus ad inferos descendit; iam magna sanctorum multitudine stipatus ascendit. Quis tā gloriosum illi peperit comitatum? Crux illa peperit, in qua pependit solus. *In baculo meo trāsiui Iordanē istū* (ait Iacob Gen. 32.) *& nunc cū duab. turmis regredior*, &c. Sic noster Iacob in baculo suo crucis, trāsiuit tumētes passionis fluctus: ecce cū multis sanctorum

Cyrill.

Genes. 32.

Solus descēdit Christus multis comitatus ascendit.

Ioan. 12. ctorum turmis regreditur. Ioan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terrã mortuum fuerit, ipsum solũ manet*, &c. Mortuum est nostrum granum frumenti, non mansit solum; magno animarum numero surrexit comitatum. Post immolatum agnum, Mose duce ex Aegypto educti sunt Israelitæ, post immolatum Christum ipso eodem duce educti sunt ex inferis antiqui Patres: duce Iosue in terram fluentem lacte, & melle intromissi sunt Israelitæ duce Iesu in conspectum diuinæ essentiæ omni lacte suauiorem, omni melle dulciorem; introducti sunt patres. Zachar. 9. *In sãguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua*, &c. In sui n. sanguinis efficacia, & crucis suæ, eduxit Patres, qui in limbo veluti i cisterna quadam carente aqua continebantur.

Zach. 9.

Nobilis aquila laqueos ingrediens, quibus multæ auiculæ sunt captæ, laqueos discutit, & frangit, auolantque omnes; sic nobilissima aquila Christi anima, limbum ingrediens, catenas, quibus Patres, tenebantur, discussit, ac fregit omnibusque stipata ad superos auolauit. Habacuc 3. *Et super excelsa mea deducet me Victor in psalmis canentem*, &c. Non ne tunc super excelsa sua, i. super Iudeæ montes, deduxit Victor Christus Patrum illam multitudinem, in Psalmis canẽtem? canebant n. modo suo sanctæ illæ animæ, Christo agebãt gratias, eiusq; victoriã hymnis celebrabant. Rursus Moses comitantibus cæteris suum canebat canticum. *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum, & ascensorem deiecit in mare*, &c. Psalmum quoque canebãt 113. *In exitu Israel de Aegypto Domus Iacob de populo barbaro*, &c. Tunc enim Israel ex tenebrosa profundæ terræ Aegypto eductus est, non Mose, sed Christo duce. Moses per desertũ Israelem duxit quadraginta spatio annorũ, neque potuit in Iudæam introducere: Christus tempore breuissimo populũ suum in ipsam Ierusalem intromisit. Moses cum populo suo non magnum terræ spatium peragrauit, Christus cũ suo, ex corde terrę profectus vsque in

Habacuc 3

Moysis Cãticum.

A Ierusalem peruenit. Mich. 2. *Ascendet pandens iter ante eos*, &c. Ascendit Dominus pandens iter ante beatum illũ populum, si non mare diuisit rubrum, certè tartareum, quod maius est, aperuit chaos, vectes confregit; foresque inferorum; multoque potentiorem Pharaonem, cum exercitu demersit suo.

Michea 2.

Patribus comitatus, sepulchrum ingressus est, corpusque suum plagis affectum, & mortuum, illis ostendit pro hominum salute: tum diuina vi subitò resurrexit. Psalm. 15. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ*, &c. Non mansit anima Christi apud inferos, vt vidimus. Corpus verò nõ vidit corruptionem Sicut Exod. 3. flammis incensus rubus non abiit in cineres; sic mille incensum tormentis Christi corpus, & morti traditum, in puluerem non est redactum Quemadmodum Danie. 14. Draco postquam oblatum Daniele cibum deglutiit, disruptus interiit: Ita mors postquàm Christi corpus deuorauit, crepuit, & periit. Isai 25. *Præcipitabit mortem in sempiternum*, &c. Nam velut è celsissima turre mortem præcipitatam occidit. Septuaginta Interpretes conuerterunt: *Deuorauit mors præualens*, &c. Præualuit enim mors Christi omnium hominum mortibus, easq; deuorauit. Mors (ait D. Cyrillus Isai. 25) preualuit contra primum parentem, & contra omnem sobolem. At in Christo vires amisit: tertia enim die reuixit calcata morte, & factus est nobis resurrectio, &c. 1. Pet. 3 *Christus, inquit, est in dextera Dei deglutiens mortem*, &c. 1. Cor. 15. *Absorpta est mors in victoria*, &c. Notas fecit Christo Deus vias vitę immortalis, quę cunctis hominibus fuerant ignotę, vt Ambrosius ait serm. 74. Ignota, inquit, erat via vitę, quę nullius adhuc resurgentis fuerat temerata vestigio, &c. Resurrexerunt aliqui mortui ante Christum, sed nullus ante illum ad vitam resurrexit immortalem. Ipse viam aperuit, ipse ad vitam sempiternam primus rediit. Quamobrem Apocal. 1. & ad Colossens. 1.

Psal: 15.

De resurrectione Domini.

Exod. 3.

Dan. 14.

Isai. 25.

D. Cyrill.

D. Ambr.

sens. 1. dicitur *primogenitus mortuorũ*, primus ex sepulchro noua quadam, ac mirabilique regeneratione veluti genitus est.

Resurrectio est regeneratio quædam.

Nam resurrectio regeneratio quædã est, non ex vtero matris, sed ex vtero terræ, iuxta illud Psal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, &c. Quæ verba D. Hilarius, & alii de resurrectione interpretantur hoc sensu: Ego hodie in vitam te reuocaui. eundemque sensum Paulus Act. 13. indicat. Non parua similitudo fuit (ait Ambrosius serm 56.) inter sepulturam, & vuluam. Sicut de matris vulua viuus exiit Christus, ita de sepultura viuus surrexit; nisi quòd gloriosior ista, quàm illa natiuitas. Illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale, &c. D. Chrysologus ser. 74. Vteri, inquit, noua forma; mortuum concipit; parit viuum, &c. Gregorius Nyssenus Orat. 1. de resurrect. Hęc dies ex mortuis primogenitum quasi obstetrix excepit, &c. Psalm. 27. Refloruit caro mea, &c. Floruit caro Domini, cùm ex vtero Virginis natus est; refloruit, cùm resurrexit, suoque odore compleuit orbem. D. Maximus de resurrect. serm. 5. Non reflorescit, inqt, nisi quod antè floruit. Floruit enim caro Domini, cum primum de Virginis vulua processit: refloruit autem, cum rediuiua de sepulchro germinauit, & in floris modum, cunctis hominibus immortalitatis afflauit odorem, &c. Matthæi 19. *In regeneratione*, inquit Dominus, *cum sederit filius hominis*, &c. Regenerationem appellat hominum resurrectionem.

D. Ambro. *D. Chrysol.* *D. Gregor. Nyssen.* *Psalm. 27.* *D. Maxi.* *Matth. 19.*

Olim Chaldei Salomonicum euerterunt tẽplum; excitatũ verò ab Israelitis est post septuagita annos, sed structura inferiori. Euerterunt Iudæi Dei templum, id est, corpus Christi, at non post septuaginta annos, sed post paucissimos dies ab ipso excitatum est, non inferiori quidem, sed multo sublimiori, ac pulchriori fabrica. Vnde illud Ioan. 2. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, &c. Lignum viride se appellauit Dominus, cum cruce onustus montem petebat Caluariæ. *Si in ligno*, inquit, *viridi hæc faciunt*, &c. Et quidem lignum viride fuit semper, non aridum. Cui illud Iob. 14. rectè congruit, *Lignum si præcisum fuerit, rursum reuirescit, & rami eius pullulant. Si in puluere mortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam*, &c. Præcisa est vitæ arbor ab hostibus, sed rursum viruit in resurrectione. Ad odorẽ aquæ germinauit (ait Magnus Gregorius in Iob) quia per virtutem Dei caro ad vitam rediit; & fecit comam, quia Apostolorum debilitas, quæ in morte illius expauit, rursus viruit, &c. Erant Apostoli arboris vitæ, id est, Christi, coma, id est, rami. Viruit arbor in resurrectione, rursusq; rami illi adhęserunt virentes. Viruit autem arbor ad odorem aquæ, hoc est, Diuinitatis irrigata aquis.

Ioan. 2. *Iob 14.* *Apostoli in resurrectione virue-runt.* *D. Greg.*

Psalm. 3. *Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me*, &c. Exurrexi, inquit, quia Dominus suscepit me, & à mortuis excitauit me, quia Diuinitatis aquæ carnem meam irrigarunt. 2. Cor. vltimo; *Et si crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei*, &c. Distringit gladium aduersus hostem fortis dux, neque tamen vaginam dimittit: postquam victoriam comparauit, in vaginam gladium refert. Eundem in modum Christus cum hoste certans, animam acutissimum ensem à corpore velut vagina eduxit: Diuinum verò verbum neque gladium dimisit, neque vaginam; animæ enim, & corpori in morte separatis vnitum fuit. Postquam autem hostes vicit, in vaginam reduxit gladium, id est, animam in corpus. D. Leo serm. 1. de Resurr. Deitas, inquit, quæ ab vtraque hominis substantia non recessit, quod potestate diuisit, potestate coniunxit, &c. Meritò dicitur Psal. 3. citato Christi mors sopor, & somnus, Dormiui & soporatus sum: somnus enim fuit, quia paucissimis diebus in sepulchro mortuus recubuit, mox rediit ad vitam. D. Ambros. serm. 57. Tridui, inquit tãtum temporis spatio, non tam in sepulchro Christus iacuit mortuus, quàm velut in lectulo dormiens conquieuit. Ipsa enim temporis

Psalm. 3. *Diuinitas humanitatem excitauit.* *2. Cor. vlt.* *Mors Christi somnus.* *D. Ambros.*

poris breuitas declarat somnum potius fuisse, quam mortem, &c. D. Leo serm. 1. de Resurrect. Tam velox, inquit, incorruptæ carnis viuificatio fuit, vt maior ibi esset soporis similitudo, quam mortis, &c.

D. Leo.

Fuit Christus inter mortuos; sed vt dicitur Psalm 87. fuit *inter mortuos liber*, liber, inquam, ab oneribus, quæ soluebant mortui. Nam mortuorum corpora in cinerem rediguntur, corpus Christi non vidit corruptionem, animæ mortuorum sanctorum, tunc temporis, limbi carcere continebantur, Christi anima non est derelicta in inferno, Psalm. 15. Mortuorum corpora ad iudicii vsque vltimum diem in sepulchris manēt; Christi corpus post breuem somnum mox surrexit, quia mortis erat Dominus. Nonne vides, vt abiecta pelle, verno tempore, serpens nouus, nitidusque exurgat? *Exaltauit Moses serpentem in deserto* Caluariæ, id est, Mosaicæ legis cultores Christum exaltarunt in cruce. Aspice, vt abiecta mortalitate, rediuiuus, rutilansque ex sepulchro depositis mortis exuuiis iam prodeat, erga homines agnus, aduersus tartarum, peccatum, & mortem, serpens. Aspice rutilantissimum corpus illud, quod mortis caligine vidisti obscuratum, aspice immortale corpus, quod vidisti mortuum; aspice impassibile, quod sęuos cruciatus vidisti perpeti; aspice mira agilitate decoratū, qđ cruci vidisti confixū, admirabili subtilitate præditū, quod vulnerib. vidisti perfossū, aspice Patribus, Angelisq; stipatū, qđ latronum vidisti in pœna socium; aspice sepultos cruciatus omnes, atque opprobria, gloria resurrectionis. Iuxta illud D. Chrysologi serm. 75. Resurrectionis gloria sepeliuit morientis iniuriam, &c. Regia corona caput rutilat, quod spinis impii coronarunt: Cruore in cruce madens ille vultus, cœlesti quadam pulchritudine in resurrectione fulget: manibus pedibusque imposita vulnera, astrorum instar splendent: latus, quod miles aperuit, solis superat lucem. ò quantum cernis mutatum corpus ab illo, quod in cruce pendebat? Hanc stupendam mutationem indicat Apostolus 2. Corin. 5. his verbis: *Cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus*, &c. Cognouerat Christum secundum carnē mortalē, & passibilem, sed post resurrectionē iam non cognouerat secundū carnē huiusmodi, sed secundū carnē mutatam, immortalē, impassibilem, Soleque ipso rutilantiorē. Resurrectio Domini, ait D. Leo serm. 1. de Resurr. non finis carnis, sed commutatio fuit, neque consumpta substantia est. Qualitas transiit, non natura defecit, & factum est corpus impassibile, quod potuit crucifigi, factum est immortale, quod potuit occidi, factum est incorruptibile, quod potuit vulnerari. Et meritò dicitur caro Christi in eo statu, quo fuerit nota, nesciri; quia nihil in ea passibile, nihil remansit in ea infirmum: vt & ipsa sit per essentiam, & non sit ipsa per gloriam. Hæc ille.

Christus inter mortuos liber.

Simile.

Resurgens Dominus.

D. Chrys.

2. Cor. 5.

D. Leo.

Vna autem siue prima die Sabbatorum surrexit Dominus, id est, die Dominica. Dominica dies principium dedit mundo; eadem principium dedit vitæ immortali: immortalem, incorruptibilem, impassibilemque hominem dies Dominica prima vidit Christum, hominem ac Deum. Diem Sol efficit, hanc diem Sol clarissimus effecit ex sepulchro ortus; hæc est. n. dies, quam fecit Dominus, quod sæpe Ecclesia repetit. Dies ista (ait Hilarius Arel. hom. 1.) amplius ex sepulchro radiauit, quàm de Sole refulsit, &c. D. Chrysologus serm. 2. de resurrectione, in hac die vult Solem properasse, & tres horas illas, quas diei Eclipsis eripuerat, restituisse. Sol, inquit, vt manè faceret, manicauit. Et qui ante noctem fugerat, nūc ipse noctem præuenit fugaturus, vt reddat luci nox horas, quas terror Dominicæ passionis inuaserat, &cæt. Sed, vt diximus suprà, pia est meditatio. D. Ignatius titulum Psalm. *In finem pro octaua*, scilicet, die, de Dominica die intellexit, Epist. 6. ad Magnesianos: Pro Sabbatizatione, inquit, diem festum celebret omnis Christianus, Dominicam resur-

Die dominica surrexit Dominus.

Hilarius.

D. Chrys.

Digitized by Google

resurrectionem, regalem eminentissimum omnium dierum, de qua propheta expectans dicebat, *In finem pro octauo*, in quo die & vita nostra exorta est, & mortis ĩ Christo facta victoria, &c.

Lux lætitiæ in resurrectione Domini orta est in cordibus discipulorum.

Die dominica dixit Deus Genes. 1. *Fiat lux; & facta est lux*; eadem die dixit: fiat lux in corpore meo mortuo, & facta est vitæ lux in illo; dixit quoque fiat lux lætitiæ in cordibus meorum discipulorum, & facta est lætitiæ lux in cordibus eorum quæ omnes depulit mœroris tenebras. Hac item die dixit; fiat lux gratiæ in animis peccata sua ritè confitentium; & facta est; fitque gratiæ lux super eos, qui delicta sua confessione expiant. Nam die Dominica confessionem delictorum expiatricem instituit; cùm discipulis dixit Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, &c. Denique hac die resurrectionis dixit Deus: Fiat lux Euangelii toto orbe; & facta est lux, sicque etiam nunc. Sophon. 3. *Expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum. Quia iudicium meum, vt congregem gentes, & colligam regna*, &c. Congregem, inqt, gentes, & colligam regna ad fidem, Euangeliique lucem. Ad Rom. 4. *Christus mortuus est propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostram*, &c. At Christus cùm resurrexit, non erat in statu merendi; ergo non est meritus nobis iustificationem per resurrectionem, sed per passionem. Quid ergo significat Paulus? Non significat, Christum per resurrectioné promeritum nobis esse iustificationem, quam per passionem promeritus est; sed surrexisse, vt iustificationem nostram exequeretur: *Mortuus est*, inquit, *propter delicta nostra abolenda*, nosque iustificandos; *resurrexit propter iustificationem nostram*: hoc est, vt executioni mandaret id, quod fuerat promeritus; resurrexit, vt iustificationem exequeretur, confirmans in fide Apostolos, docens, & lucem Euangelii in orbem mittens. Ad quæ facienda si non resurrexisset, nec homines credidissent, nec iustificati essent. In eundem sensum explicari possunt verba D. Petri epist. 1. ca. 1. *Regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi*, &c. Statim ipso die resurrectionis cœpit iustificationem exequi, Sacramentum iustificationis instituens, id est, Sacramentũ pœnitẽtiæ; postea opus est prosecutus.

Ioan. 20.

Rom. 4.

Resurrexit Christ. vt iustificationẽ nostram exequeretur, non vt mereretur, nam id per passionẽ fecerat.

1. Petr. 1.

CAPVT V.

De Duplici resurrectione nostra.

Morale.

RESurrexit Christus, vt vidimus; nos quoque cum eo, & in eo tanquam in capite nostro resurreximus; iuxta illud Pauli ad Ephe. 2. *Conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo*, &c. Nazianz. Grego orat. 41. Heri, inquit, cum Christo in crucem agebar, hodie simul glorificor. Heri cõmoriebar, hodie simul viuificor. Heri consepeliebar, hodie simul resurgo, &c. D. Leo serm. 2. de Resurrect. Nos, inquit, in Christo crucifixi, nos sumus mortui, nos sepulti, nos etiam die tertia resuscitati, &c. 1. Pet. 1. *Regenerauit nos in spem viuã per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis in hæreditatem incorruptibilẽ*, &c. Nam Christi resurrectio iis, qui per Baptismum regenerantur, spem parit similis resurrectionis & gloriæ in cælo, iuxta illud Psal. 102. *Renouabitur vt Aquila iuuentus tua*, &c. Hoc est, Renouaberis resurgens in pulcherrima iuuentute, sicut regia Aquila Christus renouatus est. D. Maximus serm. 5. de Resurrect. Vnius Aquilæ renouandam in nobis iuuentutem asserit Psalmographus; quã vnam, & solam Aquilam rectè Christum Dominum dixerim, cuius iuuentus renouata est tunc, cum primum à mortuis surrexit, &c. D. Greg. lib. 14. Moral. c. 30. Habemus, inquit, spem resurrectionis nr̃æ, considerata gloria capitis nr̃i, &c. 2. Cor. 4. *Qui suscitauit Iesum*

Ephes. 2.

Cum Christo nos surreximus.

D. Greg. Naz.

D. Leo.

1. Petr. 1.

Aquila Christus ad cuius similitudinem renouamur.

D. Max.

D. Gregor.

2. Cor. 4.

sum, & nos cum Iesu suscitabit, &c. In Adamo mortui sumus; in Christo vitá consequemur. Radix mortis Adam, radix vitæ Christus 1. Corin. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes viuificabuntur*, &c. In Adamo capite mortui sumus; in Christo capite resurgemus. Resurgent autem Christo capiti similes, qui viua illius membra fuerint, spiritumque capitis sui habuerint, Paulo teste ad Roma. 8. *Si spiritus*, inquit, *eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitauit Iesū Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantē spiritū eius in vobis*, &c. Qui ergo vult Christo similis in resurrectione esse, spiritum eius habeat.

Rom. 8.

Qui vult in resurrectione Christi gloriosam imaginem ferre; ferat, dū vita mortalis suppetit, laborum opprobriorumque eius imaginem. 1. Cor. 15. *Primus homo de terra terrenus; secundus homo de cælo cælestis. Qualis terrenus, tales, & terreni; qualis cælestis, tales & cælestes. Igitur sicut portauimus imaginē terreni, portemus & imaginem cælestis*, &c. Primus homo Adam ex terra, & in terra factus, terrenus fuit, resurrectionis, & gloriæ dotibus caruit. Secundus homo, & Deus, Christus, de cælo fuit cælestis, Qualis fuit terrenus Adam, tales eius filii sunt, resurrectionis, & gloriæ dotibus carentes. Qualis verò Christus est cælestis, tales eius filii erunt in resurrectione mortuorum. Igitur in hac vita sic viuamus, vt sicut hic portauimus, & portamus imaginem terreni Adam; ita in resurrectione portemus gloriosam imaginē cælestis Christi. O beatam imaginem: ò imaginem omnibus emendam laboribus, ac cruciatibus. hanc Deus filiis suis donat, videlicet donat illis, vt primogenito sint similes, & ad hanc imaginem ab æterno illos prædestinat: quod docet Paulus ad Roman. 8. *Quos præsciuit*, inquit, *& prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*, &c. De hac sermo illi est ad Philip. 3. cum ait: *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*, &c. Et ad Colossens. 3. *Vita vestra absċōdita est cum Christo in Deo; cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria*, &c. Abscondita est nunc hæc imago in Christo exemplari summo, ac prototypo; in resurrectione autem celso in loco proponetur omnibus spectanda, Angelis, & hominibus. Huius manifestationem ab omni creatura expectari ait idem Apostolus ad Roman. 8. *Expectatio*, inquit, *creaturæ reuelationem, (id est, manifestationē) filiorū Dei expectat*, &c. Scilicet in resurrectione nouissima; cùm animæ rursus copulabitur corpus, ab omnibus liberum malis, quibus nunc vexatur.

1. Cor. 15.

Portemus nūc imaginem Christi cruci affixi, ut ī resurrectione eiusdē gloriosi imaginem portemus.

Rom. 8.

Philip. 3.

Coloss. 3.

Vita iustorum apparebit in iudicio.

Rom. 8.

Erit enim tunc tempus gloriosæ libertatis filiorum Dei, vt appellat Paulus ad Rom. 8. *Ipsa*, inquit, *creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei*, &c. hoc est; in libertatem gloriosam sanctorum. Liberi erunt tunc sancti ab omni malo tum culpæ tum pœnæ. Liberum erit corpus beatum ab omni concupiscentia, tranquillissimamque præbebit animæ habitationem: neque caro concupiscet aduersus spiritum, neque spiritus aduersus carnem; neque inueniet beatus homo aliam legem in membris suis; repugnantem legi mentis suæ, propter quam ingemiscat, dicēs, ad Roma. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*; sed pacē inueniet summam inter animā, & corpus, propter quam lætus canet: Beatus ego homo, iam me Deus liberauit de corpore mortis, id est, morti, concupiscentiisque obnoxio, corpusque dedit immortale, omni liberum concupiscētia. Est nunc spiritus veluti vir, caro vxori est similis, sed perpetuo dissidēt iurgio, iuxta illud ad Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autē aduersus carnem*, &c. Longum fit in morte diuortium; in resurrectione sanctorum pax fiet sempiterna, nullo iam modo rebellante carne. De hac pace D. Cyprianus in tract. de Resurrect. sic scribit: Decreuisti Domine, vt caro iterum dilecto accolæ (id est, corpori) consociata, pudica, & pacifica rediret (in resurrectione) nullas secum reuehens

Libertas iustorum in resurrectione.

Rom. 7.

In resurrectione nulla erit concupiscentia carnis.

Gal. 5.

D. Cypria.

hens contumelias, quibus deinceps quietis internæ cócuteret puritatem. Addidisti, vt inter legem carnis, & spiritus nulla postmodum esset diuersitas; neque post initum fœdus, vlla iterum inter eos recrudescat rebellio, sed per manum tuam reconciliatio ordinata, stabilis in perpetuum perseueret. Te igitur iubente terra fit caro; & expulsa de domo, iterum coniugatur viro, non iam ancilla, sed libera. Et habitant vnius moris in domo, murmurationibus consopitis, quas olim com pugnantes inter se concupiscentiæ có citabant. hæc ille. Exornabitur vxor hæc caro viro, id est, spiritui iam omnino subiecta, præclaris dotibus, claritate, agilitate, subtilitate, & impassibilitate, de quibus tom. 3. diximus.

1. Cor. 15. De illius ornatu agit Paulus 1. Corinth. 15. *Seminatur*, inquit, *corpus in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget spirituale*, &c. Seminatur in sepulchro corpus corruptibile, ibique corrumpitur; sed in resurrectione surget indutum in corruptione, incorruptibile, atque immortale *Oportet* (ait eodem cap. Apostol.) *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*, &c. O vestem omni auro, gemmisque pretiosiorem? Seminatur corpus cum ignobilitate, surget decoratum *gloria*, id est, magno splendore. Seminatur cum infirmitate, id est, infirmum, atque imbecillum, surget in virtute, *δυνάμει*, id est, fortitudine, ac robore eximio ornatú Seminatur corpus animale, Græcè ψυχικὸν, à ψυχῆ id est, *anima, animale*, dictum, vt diuiditur ab spiritu; surget spirituale, *πνευματικὸν*, hoc est, iam non erit *animale* animæ brutas functiones exercens, sed erit *spirituale* spiritui subiectum, & spiritus instar nullo alimento indigés agile, subtile.

Ornatus corporis in resurrectione.

Corpus resurget spirituale.

Soluite templum hoc (dixit Christus Iudæis Ioan. 2.) *& in triduo reædificabo illud*, &c. Morti verò dicere poterat: Solue mors templa mea omnia, ego in die vltimo reædificabo illa; etsi sint innumerabilia. Nam templa sua, id est, corpora sanctorum, quæ mors solo æquare non desinit, nobilissima structura reædificabit tempore nouissimo; mortemque eorum destructricem túc destruet, iuxta illud Oseæ 13. *O mors ero mors tua*; & illud Pauli 1. Cor. 15. *Nouissima inimica destruetur mors*, &c.

Ioan. 2. Deus tépla illud, &c. su à destru sta à morte, in resurrectione, reædificabit.

Quemadmodum Christus ex sepulchro suo natus est noua quadam natiuitate, vt supra diximus, ita eius viua membra ex tumulis suis nascentur natiuitate quadam illustrissima. Ex matribus nascimur, inducimurque in hunc orbem mortales, nudi, pauperes, ac lacrymantes; at ex vtero terræ renascemur immortales, impassibiles, gloria, ac splendore amicti, opibus cælestibus locupletati, gaudio exultantes sempiterno. Inducemur autem à Christo non in hunc angustum terrarum orbem, sed in latissimum cælum Empyreum, in quo admirabilibus diuinisque voluptatibus perpetuo perfruemur. Has expectemus voluptates, humanis remittamus nuntium. Sicut in hyeme arbores aridę videntur esse, verno autem tempore floribus nitescunt pulcherrimis; sic in hac huius vitæ mortalis hyeme, videamur hominibus aridi, omni mundanarũ voluptatũ virore abiecto; expectemus ver illud æternum, quo perpetuis floribus decorabimur. Minutius Felix in Octauio: Vide, inquit, quam in solatium nostri, resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergitur & nascitur, astra labuntur, & redeunt, flores occidunt, & reuiuiscunt; post senium arbusta frondescunt, semina nonnisi corrupta reuirescunt. Ita corpus in sæculo, vt arbores tempore hyberno occultant virorem, ariditate mentita. Quid festinas, vt cruda adhuc hyeme, reuiuiscat, & redeat? expectandum etiam corporis ver est. Hæc ille. Hactenus de resurrectione corporis, de resurrectione animæ iam dicamus.

Natiuitas iustorũ ex vtero terræ.

Minutius

Resurrectionis nostræ similitudines.

Exemplar est resurrectio Domini duplicis resurrectionis nostræ; resurrectionis corporis, vt vidimus, & resurrectionis animæ. Resurgit enim etiam anima cum ex peccati fætido se-

pulchro

pulchro in vitam gratiæ prodit, nouisque moribus, ac virtutibus splendescit. Cernitur huius resurrectionis imago in Baptismo. Baptismalis enim in aquam demersio vitæ veteri nos mori, ac sepeliri designat, sicut Christus mortuus, ac sepultus est. Baptismalis verò ex aqua emersio significat resurrectionem animæ, mortuis iam, atque sepultis peccatis, in nouam, sanctamque vitam resurgentis. Ad Rom. 6. *Consepulti sumus*, inquit Apostolus, *cum illo per Baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*, &c. Surrexit Christus post mortem, ad nouam quandam vitam; sic Christianus in Baptismo post mortem peccatorum, surgit ad morum quandã nouitatem. Mors eius nostræ mortis spiritualis imago est; resurrectio, nostræ resurrectionis. Augustinus in Enchirid. cap. 53. Quidquid, inquit, gestum est in Christi cruce, in sepultura, in resurrectione, in ascensione, in sessione ad dexteram Patris, ita gestũ est, vt his rebus consignaretur vita Christiana, quæ in terris agitur. Nam propter Christi crucem dictum est ad Galat. 5. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs*. Propter sepulturam ad Rom 6. *Consepulti sumus cum Christo per Baptismum in mortem*. Propter resurrectionem eodem capite: *Vt quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*. Propter ascẽsionem, sessionemque ad dexteram Patris; ad Colossens. 3. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sũt, quærite, vbi Christus est ad dexterã Dei sedens*. Sic ille.

De resurrectione animæ agitur.

Rom. 6.

August.

Corporis resurrectio semel fit, animarum verò sæpius.

Resurrectionem corporum distulit Deus in extremum mundi diem, resurrectionem verò animarum ne puncto quidem temporis differri vult. Si pœnitẽtiam improbus homo agit, statim Deo excitante resurgit. Resurrectioni corporum vnam tantum diem tribuit resurrectioni animarum totum tribuit tempus, quo mundus permanet. Resurrectio corporis vna tantum est; semel namque corpus moritur, semel resurgit: resurrectiones animæ multæ sunt; iidẽ enim homines sæpe peccato vulnerati moriuntur, pœnitentia excitati resurgunt. Pendet autẽ corporis resurrectio maximè ex resurrectione animæ. Si anima ante mortem non resurgit; resurget quidẽ corpus, sed vt torqueatur in sempiternum. Si verò anima resurgit, à peccatisque excitata ex corpore exit; corpus ipsum gloriosam resurrectionem, qualem suprà descripsimus, consequetur. Hoc tempus animæ destinatum est, extremus dies corporis resurrectioni. Nunc igitur animam, à peccati morte excitemus, nouisque moribus, & Christiano dignis exornemus; corporis ornatũ, pulchritudinem, gloriamque in diem extremum differamus.

Resurrectioni animæ hoc tempus datum.

Appellatur dies resurrectionis Pascha, id est, transitus. Transitus ille fuit Christo à morte in vitam, improbis quoq; transitus fit à vitiis ad virtutes; probis transitus ad altiores virtutum gradus. Teste enim D. Ambrosio tunc ritè Pascha celebratur, cum hic transitus fit. In sermone de Paschate: Moneo (inquit ille) vt ritè Pascha celebretis, id est, transitum faciatis. Quicunque mali hanc festiuitatem celebratis, transite de vitiis ad virtutes; & D. Bernar. serm. 1. de Resurrect. Christus, inquit, quia transit in nouitatem vitæ, nos quoque inuitat ad transitum, &c. Transitus sit resurrectionis festum nobis, non sit reditus; trãsitus ad vitæ nouitatem, non reditus ad peccati vetustatem. Nomine Paschatis, id est, transitus, ait D. Bernardus, diem Paschatis priuare eos, qui ad peccata Paschali redeunt tempore serm. citato de Resurrect. Sacram, inquit, Dominus Resurrectionem, Paschæ priuamus nomine, vt sit nobis in reditum magis, quã in transitum, &c. Intueamur exemplar nostrum Christum, de quo Paulus ad Ro. 6. *Christus, inquit, resurgens ex mortuis, iam non moritur. Mors illi vltra nõ dominabitur*, &c. Nõ fuit Pascha Christo exemplari nostro reditus ad mortem, sed transitus ad vitam immortalem. Sic non sit nobis reditus ad peccatum, sed transitus ad vitam gratiæ, quæ

D. Ambr. resurrectio est Pascha, id est transitus ad virtutes.

D. Bern.

Rom 6.

Gratia conseruanda per totã vitã.

Gratia conseruanda per totam vitam.

quæ nunquam extinguatur. Quemadmodum in vitam immortalem resurrexit Dominus; sic nos ad vitam gratiæ immortalem suscitat. Etenim vita gratiæ immortalis est, siquidem conseruari potest, iuuãte Domino, in sempiternum, quia gratiam, quam semel donat, in sempiternum donat. Sempiterna est gratia; heu nos facimus temporalem, cũ peccato eam sauciamus, atque occidimus. O mortem, omni dolore, planctuque dignam. Hæc igitur nobis cura sit maxima ad vitam resurgere gratiæ, eandem perpetuò conseruare, nostrumque exemplar imitari. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*; similiter Christianus resurgẽs spiritaliter ex morte peccati iam non moriatur, peccati mors illi vltra non dominetur. Caueat ne Romanos milites custodes sepulchri imitetur, qui die Paschatis facti sunt velut mortui. Caueat, ne in die immortalis vitæ Christi, fiat semimortuus, id est, corpore viuus, animo mortuus. Caueat, ne diem resurrectionis cõuertat in diem mortis. Resurgunt tunc arbores, resurgunt prata, resurgit tempus vernũ; resurgat anima Christiana, illamque vocem Christi audiat resurgentis Cãtic 2. *Surge, propera amica mea, iã enim hyems transiit, imber abijt, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra*, &c.

CAPVT VI.

De mulieribus quæ ad sepulcrum venerunt.

Morale.

Meritò Angeli Luc. 24. feminas ad sepulchrum venientes sic affantur: *Quid quæritis viuentem cum mortuis? Non est hic*, &c. Quærendæ.n. res sunt suis locis. Christus autem ibi non erat, vbi eum feminæ quærebant. Quærebant inter mortuos; erat inter viuos; quęrebant in domo mortis; erat in domo vitæ: quęrebant in sepulchro iacentem, cum quærere deberent in domo victoriæ triumphantem. O feminæ, non est hic Dominus, non est in morte, sed in vita immortali. Non iacet mortuus, sed triũphat viuus. Quorsum affertis vnguenta ad condiendum mortuum? afferte potius palmas, victricesque lauros ad celebrandũ triumphantem viuum. Quorsum quæritis in morte eum, qui triumphat de morte; in sepulchro eum, qui mortem occidit? Quorsum quæritis cum vnguentis vngendum corpus id, quod astra, Solemque splendore, & incorruptibilitate superat, quod odoris suauitate omnia vnguenta, omnesque odores vincit? Surrexit, non est hic.

Venite, videte locum, vbi positus erat Dominus. Iam lapis reuolutus est, qui sepulchrum videre prohibeat. Venite, & videte sepulchrum Domini. Videte, quam sit gloriosum sepulchrum illud, quod antequam Dominum exciperet, erat ignobile. Rupes illa, quæ hominibus vix nota erat, nunc ab Angelis colitur; ad imum sepulchrum descendunt ab excelso cęlo. Sed quid Angelis cum sepulchro; Quid immortaliter viuentibus cum domo mortuorum? Magni momenti negotium habent Angeli in sepulchro hoc. Est.n. sepulchrum Domini Angelorum. *Videte*, (inquiunt) *vbi positus erat Dominus*. Dominus (inquam) tam Angelorum, quam hominum. Domini sui resurrectioni vt testimonium ferant, in sepulchrum veniunt. Pleno ore surrexisse clamant, neque solum ore, sed ipso etiam habitu resurrectionem ostendunt.

De Angelis apud sepulchrum conspectis.

Angeli aspectum sic describit Matthæus 28. *Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius, sicut nix*, &cæt. Marcus 16. *Viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida*, &c. Lucas 24. *Ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti*, &c. Aspectus Angeli fulgureus, fulgensque vestis Christi splendorem indicabant; iuuentus adumbrabat

robur, ac fortitudinem resurgentis. A dextris sedebat Angelus; quia, vt placet Magno Gregorio homil. 21. in Euangelia, sinistra manus vitam hanc mortalem significat; dextera vitam æternam, atque immortalem. A dextris ergo sedebat Angelus, quoniam Christus resurgés à mortuis in vitam transiuerat immortalem.

Candida autem Angeli stola resurrectionis gaudia demonstrat. Lætis enim nuntiis candor vestis congruit. Candida stola (ait Gregor.) coopertus Angelus apparuit, quia festiuitatis nostræ gaudia nuntiauit, &c. Festiuitas nostra est resurrectio; quia propter iustificationem nostram resurrexit Christus, quia nostrum resurrexit caput, quia in illo nos resurreximus. Est etiam Angelorum festiuitas, quia per Christi resurrectionem eorum ruina reparatur. Gaudent itaque Angeli, magnaque cum lætitia in sepulchrum veniunt. Milites Romani sepulchri fuere custodes; iam non milites Romani, sed milites cœlestes custodes sunt. Milites Romani facti sunt velut mortui à militibus exterriti cœlestibus. Milites cælestes Iudæorum custodes prostrauerunt, sigilla lapidi imposita, ferreaque vincula dissiparunt, magnum lapidem ab ostio sepulchri remouerunt, sepulchrumque patefecerunt.

Milites terreni custodiũt sepulchrum, milites cælestes patefaciunt.

Sepulchrum Mosis occultauit Deus Deuteron. 34. *Non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem*, &c At sepulchrum Christi cunctis hominibus per Angelos patefecit; cognoscunt homines sepulchrum Christi vsque in præsentem diem, inuisunt, venerantur, sepulchrum Mosis occultatum est (vt aiunt) ne populus Israeliticus si sepulchrum cognosceret hominem Mosem sicut Deum coleret, quod diabolus cupiebat. Quamobrẽ, vt Iudas Apostolus ait in epistol. *Cum Michaele Archangelo de corpore Mosis Angelus altercabatur*. Cupiebat enim diabolus, sepulchrum, quod Mosis corpus continebat, ostendi populo; prohibebat Michael, & occultabat. Sepulchrum autem Christi obseratum, atq; occultatum esse optabat diabolus; ne resurrectio crederetur. At Angelus è cęlo descendens reseratum, feminis totique mundo ostendit, vt resurrectionis nuntio fides haberetur, Christusque, qui in illo conditus fuerat, & ex illo resurrexerat, diuinis coleretur honoribus. Non enim vt Moses, merus erat homo, sed Deus verus, & homo. Quid nam profuit Iudæis sepulchri custodia? Quid milites? Quid sigilla? Quid ferrea vincula? Quid lapis magnus? En dissipata sunt omnia. Milites iacent velut mortui; sigilla disiecta sunt, ferrea vincula fracta; lapis magnus reuolutus. *Ite* (ait Pilatus Iudæis Matthæ. 27.) *custodite sicut scitis*, &c. Sic sciuerunt Iudæi custodire sepulchrum. Sciuerunt quidem custodire sepulchrum aduersus vim hominũ; sed nesciuerũt custodire aduersus potentiam Dei, & Angelorum. Habemus Iudæorum hic imaginem quandam. Quemadmodum sepulchrum aduersus potentiam Dei custodire non potuerunt; sic ciuitatem Ierusalem, rempublicamque suam aduersus eandem vim custodire non valuerunt. Misit Deus Angelos, qui milites sepulchri custodes prostrauerunt, factique sunt velut mortui; ita misit Romanos, qui milites Ierusalem, Iudaicæque reipublicæ custodes superarunt, factique sunt verè mortui. Vides in sepulchro stragem militum Romanorum; ea indicat stragem Iudæorum.

Deut. 34.

Sepulchrũ Mosis occultatum est, sepulchrũ Domini patefactum cunctis gentibus.

Feminæ verò vnguenta ferentes odorifera ad vngendum Christum mortuum; mortuorum nos memores esse docent. illæ corpus volebant vngere vnguentis corporalibus; nos animas in igne purgante existentes spiritalibus vnguentis, id est, precibus, eleemosynis, & sacrificiis vngamus; Pammachiumque illum imitemur, de quo D. Hieronym. in consolatione ad eundem; Cæteri (inquit) mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos; Pammachius ossa veneranda eleemosynæ rigat balsamo, &c. Ruth 2. dixit Noemi de Booz: *Benedictus sit à Domino, quoniam eandem gratiam, quam præbuerat*

Animæ purgatorij precibus iuuãdæ.

D. Hieron.

Ruth 2.

-rat viuis, seruauit & mortuis,&c. Nos quoque gratiam, amicitiam, & beneficentiam, quam seruauimus viuis, seruemus mortuis, tum erga animam, tum erga pupillos filios, & vxores viduas.

Non timebant feminæ; audaces fecerat amor erga Christum; *perfecta charitas* 1. Ioã. 4. *foras mittit timorem*, &c. Matutino crepusculo iter faciunt, & ad vngendum Dominum properant: minister enim properans gratus est; piger, ingratus. Augus. lib. 11. de ciuit. capit. 28. Pondus, inquit, meum amor meus, &c. Hoc pondus celeriter animum fert, timorique præponderat. Quis nos separabit à charitate Christi? ait Paulus ad Rom. 8. hoc est, cuiusnam rei timor me diuellet à Deo, quẽ diligo valde? timor ne mortis, gladii? &cæt. *Certus sum, quia neque mors, neque vita*, &c. Hoc est, nullius rei timor à Deo me poterit seiungere. Difficultas sese obiecit mulieribus: *Quis* (inquiunt) *reuoluet nobis lapidem?* &c. Sed non sunt deterritæ à præstanti opere, lapidis magnitudine. *Erat quippe magnus valdè*, pergunt, non despondent animum, quòdque minimè putabant, lapidem ab Angelo reuolutum inueniunt, apertumque sepulchrum. Docent nos, ne pusillanimes simus, animumque obiectis difficultatibus ne despōdeamus, Deus enim lapides, etsi magni esse videantur, reuoluet, hoc est, difficultates oblatas complanabit. Zachar. 4. *Quis tu mons magne coram Zorobabele? in planum*, &c. id est, redigeris in planum, ò mons magne. Etsi montes magni occurrant; in planiciẽ redigentur, & in valles, à Christo auxiliante complanabuntur. 1. Corint. 3. *Plus omnibus laboraui* (ait Apostolus) *non ego autem, sed gratia Dei mecum*, &cæt. Sic nobiscum gratia, & auxiliũ Dei operatur, ea, quæ difficilia asperaque videntur, faciens superare. Audiamus, quid de se ipso scribat D. Cyprianus post baptismum lib. 2. epist 2. Postquã (inquit) cælitus spiritu hausto, in nouum me hominem secunda natiuitas reparauit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare, quod prius difficile videbatur, geri posse, quod impossibile putabatur: vt esset agnoscere, terrenum fuisse, quod priùs carnaliter natum, delictis obnoxium fuisse, &cæ. Ambr. Psal. 118. serm. 14. Non ex infirmitate (inquit) nostra vis iustitiæ æstimanda est, &cæ. Offerebat sese Dauidi non lapis magnus, sed murus excelsus; at ille Dei confidens auxilio, Psalm. 17. *In te* inquit, *eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum*. Psalm. 45. *Deus noster refugium, & virtus, propterea non timebimus, dũ turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris*; &c. id est, Deus noster refugium nostrum est, & robur; Deus noster est auxiliator; propterea non timebimus, etiam si orbis terrarum perturbatione agitetur, & montes ipsi in medium pelagus trãsferantur. At verò ignauos & pusillanimes lapis magnus, & nonnunquam etiam paruus à Dei itinere reuocat, vt dicitur Psalm 13. *Dominum non inuocauerunt, ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor*. Si timere non vis, vbi non est timor, Deum inuoca, in illum oculos coniice, eius auxilium implora.

Timore trepidauerunt, vbi non erat timor, exploratores, quia in Deum auxiliatorem oculos non coniecerunt. Num. 13. *Nequaquam* (inquiunt) *ad hunc populum possumus ascendere, quia fortior nobis est*, &c. Similiter populus cap. 14. *Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Aegyptum*, &c. Iosue verò, & Caleb in Dei præsidium aspiciẽtes clamant: *Dominus nobiscum est, nolite metuere*, &c. Quasi dicerent, inuocate Domini auxilium, ne trepideris, vbi non est timor, siquidem nobiscum est Dominus. *Ibi vidimus* (aiunt exploratores) *monstra quædam de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur*, &c. At hæc omnia monstra postea Dei auxilio in puluerem conuerterunt eorum posteri. Inanis fuit ille terror Israelitarum; inanisque est terror hominum ignauorum, similis terrori, quem Siculis quibusdam visus gigas in specu Siciliæ attulit. De quo sic

Marginalia: 1. Ioan. 4. — D. August. — Feminæ amabant, ideo non timebant pericula. — In occurrẽtibus difficultatibus & laboribus, nemo sit pusillanimis. — Zachar. 4. — D. Cypr. — D. Ambr. — Psal. 17. et 45. — Psalm. 13. — Inanes timores. — Num. 13.

scribit Alanus Corpus in dialog.3.capit.13. Subierunt, inquit, fortè quidam vastum quendam specum, & longius introgressi, gigantem immensa magnitudine, telumque instar trunci arboris, manu tenentem videntes, consternati, & præ metu fere exanimati, præcipites aufugerunt in proximam villam. Quo rumore passim dissipato, tota vicinia armata ad specum concurrit, eumque ingreditur; propiusque B iam armis confisa accedere est ausa. Diu verò fixis oculis, nec sine horrore gigantem intuentes, cum voce, motuque omni eum carere viderent, audaciores inde facti propius accedunt, & tandem attingunt. Corpus verò contactum in puluerem dissoluitur. Creditur fuisse vnus ex famosis illis, ac antiquis Siciliæ gigantibus, ante A multos annos demortuus. Hæc ille. Timebant Siculi illi gigantem, viuus illis videbatur, & mortuus erat; ipsoque contactu versus est in pulverem. Sic monstra illa de genere giganteo viderunt, & timuerunt Israelitæ quæ, si auxilium Dei spectes, quod illis suppetebat, mortua erant, bellique contactu in cinerem abierunt. Sic multa nos timemus inaniter, quæ si Deo confisi aggrediamur, ac tangamus, ipso operis contactu rediguntur in nihilum. Viriliter in rebus Deo placentibus agendum est, neque vanis terroribus locus dandus Nã si id facias, terrebunt te (ait Seneca epist. 104.) non tantum pericula, sed suspiciones; vanis semper agitaberis, &c. Perturbant homines (ait Epictetus in Enchirid. c. 8.) nõ res ipsę, sed rerũ opiniones, &c.

Nõ ita magna sunt difficultates, si propius accedamus.

CAPVT VII.

Corrumpuntur pecunia custodes sepulchri.

MATTHAEVS CAPITE XXVII.

QVæ cum abijssent; ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes: Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus. Et, si hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi, accepta pecunia, fecerunt, sicut erant edocti. Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos; vsque in hodiernum diem, &c.

Ecce

Digitized by Google

Ecce quidam de custodibus venerunt.

Testes resurrectionis Christi.

MVltos resurrectionis testes hactenus habuimus, datos mulieribus Christum colentibus. Testis fuit sepulchrum ipsum; testis Angelus, qui lapidem reuoluit, & sedit super eum; testis alter Angelus, qui intra sepulchrum mulieribus visus est; testes duo alii, qui iisdem mulieribus apparuerunt. Hoc loco testes alios habemus, nempe custodes sepulchri. Foeminæ Christi resurrectionem nuntiarunt Apostolis, custodes sepulchri eandem renuntiauerunt principibus sacerdotum. Voluit enim Dominus hos ipsos testes esse suæ resurrectionis, quos ipsi custodes sepulchri esse voluerunt, & per hos nuntiari resurrectionem ipsis Iudæis. Postquam ergo Angelus apparuit, lapidemque reuoluit, velut mortui facti sunt custodes sepulchri. Sed non multo tempore velut mortui iacuere; receptis rursus vitæ functionibus, protinus ad principes se contulerunt sacerdotum, & renuntiarunt omnia, quæ contigerant, videlicet motu horrendo motam fuisse terram; Angelum fulgureo apparuisse aspectu; lapidemq; ab ostio sepulchri repulisse; sepulchrum esse vacuum; Christũ resurrexisse. Obiicies: Custodes facti sunt velut mortui viso Angelo; postquam verò vires receperunt, in fugam se coniecerunt; non ergo viderunt sepulchrum vacuum, atque adeo non potuerunt renuntiare Iudæis Christum resurrexisse; cuius resurrectionem non viderant. Respondemus, custodes toto illo tempore, quo Angeli apud sepulchrum fuere, prostratos iacuisse; postquam verò disparuere Angeli, in se fuisse reuersos, sepulchrumque vidisse apertum, & vacuum, relicta linteamina, & sudarium. Vnde intellexerunt, Christum resurrexisse, fuisseque inanem sepulchri custodiam. Præsentibus Angelis nõ fuisse illi ausi sepulchrum ingredi, & quid actum esset, videre; ideo disparuere Angeli, vt sepulchrum ingrederẽtur: quod opus erat, vt possent de resurrectione ferre testimonium. Quæritur, cur custodes Principibus sacerdotum non timuerunt nuntium hoc afferre; cum possent illi facile apud Pilatum eos accusare, quòd pecunia corrupti Christi corpus discipulis tradidissent; mendaciorumque velo tegerent traditionem. Respondent nonnulli, eos pecuniæ emungendæ causa, ad sacerdotes venisse. Sed respondendum est, Deum timore hoc illos liberasse, quia opus erat reddere illud testimonium Iudæis resurrectionis. Præterea putabant, Iudæos non ausuros accusare tot milites apud Pilatum, ne offenderent Romanos. Denique noluerunt militiã deserere, & in fugam se coniicere; sed custodiæ suæ rationem reddere iis; qui eos ad custodiendum sepulchrum constituerant. Adde, eorum centurionem in Christum credidisse (vt infrà dicemus) ideò alios secum ad testimonium hoc ferendum duxisse.

Custodes sepulchri testes etiam fuerunt resurrect.

Obiectio.

Responsio.

Cur custodes Iudæis nunciare non timuerint ea, quæ acciderãt.

Et congregati cum senioribus.

Pertinax principum, & seniorũ incredulitas.

MAledictus furor eorum, quia pertinax, Genes. 49. Pertinacissimus sanè fuit eorum hominum furor, & inuidia. Dixerant Pilato; *Seductor ille dixit: Post tres dies resurgam: iube custodiri sepulchrum*. Nunc ab ipsismet sepulchri custodibus audiunt, Christũ resurrexisse, sicut dixerat; pertinaciter tamen in incredulitate permanent, neque tot testibus fidem habent. Congregantur cum Principibus sacerdotum seniores. Quærere certè debuerunt: Num credemus in Iesum, quia videtur resurrexisse? Sed nõ hoc quærunt; sed quomodo tot militum te-

testimonium opprimant inquirunt; pecunia id posse fieri aiũt, si militibus detur copiosa. Factum id est. Pecuniæ magnam summã custodibus dederũt, vt veritatem extinguerent mẽdacio. Cauete, inquiunt, ne hominum cuiquã hæc narretis, summo ea silentio tegite. Dicite verò venisse vobis dormientibus discipulos noctu, raptoque aufugisse corpore. Quòd si timetis, ne Pilatus vos puniat, quòd negligenter sepulchrum custodieritis, neque in eius custodia vigilaueritis, nostra res agitur, non Pilati. Nos suadebimus ei, ne de vobis pœnas sumat, vosque securos faciemus. Aliter: Quòd si hoc auditum fuerit à Pilato, nos suadebimus ei, ita contigisse, vt vos dicetis, videlicet à discipulis esse ablatum corpus; vosque omni culpa, ac supplicio liberabimus, securosque reddemus.

Testis dormientes. *D. August.*

Scitum est illud Augustini dictum de his Iudæis Psal. 63. Quid est, quod dixisti, ò infelix astutia. Tantũ ne deseris lucem consilii, pietatis, & in profunda versutia demergeris, vt hoc dices: *Dicite, quia vobis dormientibus, venerunt discipuli eius, & abstulerũt eum?* Dormientes testes adhibes? verè tu ipse obdormisti, qui scrutando talia fecisti. Hæc August. Testibus vigilãtibus ipsi sacerdotum Principes, & seniores non crediderũt, reliquos verò Iudęos iisdem dormientibus credere voluerunt. Si milites dormiebãt; quomodo clausis oculis viderunt discipulos corpus Christi auferentes? Ipsa linteamina in sepulchro relicta Ioan. 20. probant resurrectionem. Vnde D. Chrysostom. homil. 84. Neque enim si qui corpus abstulissent, reliquissent linteamina, neq; si furati essent, sudarium inuoluere, & ponere in vnum locum curassent; sed vt erat, corpus abstulissẽt.

D. Chrys.

Propterea prædixit Ioannes, quòd cũ multa myrrha esset sepultus, quæ non minus, quàm pix corporis linteamina conglutinat; vt cũ audieris sudaria in sepulchro relicta, furto abreptum nõ arbitreris. Non. n. fur adeo stultus fuisset, vt in superflua re tantum laborasset, &c. Et Sedulius lib. 5.

Sedulius.

Aunc; inquit, beneti
Corporis ablator, velocius esse putauit
Soluere contectum, quam deuectare ligatum;
Cum mora sit furtis contraria? Cautius ergo
Cum Domino potuere magis sua lintea tolli, &c.

Fictum insomnium fuit; Iudæorum mendacium fuit, pecunia, veritatem stulto mendacio oppressit. Auaritia illa (ait August. loco indicato) quæ captiuauit discipulum comitem Christi, captiuauit & militem custodem sepulchri, &c.

Metaphr. *Longinus centurio in Christum credidit, et resurrectioni Christi testimoniũ reddidit.*

Sed non captiuauit illa Centurionem Longinum. Audiamus Metaphrastem in vita eiusdem decimoquinto Martii. Longino, inquit, centurioni iussit Pilatus vitæ sepulchrum tueri custodia militari. Et ille quidem fecit, quod erat imperatum. Cum autem peractum esset magnum mysterium resurrectionis, Principes sacerdotum, & seniores pecuniis persuaserunt militibus; vt calumniarentur Christi resurrectionem. Illi igitur ad Pilatum accedentes, falsam esse dixerunt resurrectionem. Verum non sic Longinus, sed mendacii fuit præclarus confutator; Christum verum esse Deum prædicauit, & à mortuis esse excitatũ affirmauit, &c. Indignati sunt centurioni Iudæorum principes, & Pilatus (vt ait idem autor) ille vero militiã deseruit, posteaque Christi præco factus in Cappadociam venit, cum duobus aliis militibus, qui eundem pro Christo habebant zelum.

D. Hieron. Vnde accepta sit pecunia data custodibus.

Si quis roget, vnde nã acceptæ sint pecuniæ, quæ militibus datæ sunt. Respondet D. Hieronymus Matthæi 28. his verbis: Pecuniam, quæ ad vsus tẽpli data fuerat, vertunt in redemptionem mendacii; sicut antea triginta argenteos dederãt Iudæ proditori, &c. Ex templi pecuniis ait & triginta argẽteos acceptos, & pecuniam datam militibus. Quid mirum si copiosam dederunt pecuniam? Non ex sua dabant, sed ex aliena crumena.

Et diuulgatum est verbum istud.

Corrupti pecunia milites quid fecerint, indicat Euangelista, impudentissimum dixere médacium, quod sacerdotum Principes construxerunt, nempe discipulos corpus Christi ex sepulchro noctu rapuisse. *Et diuulgatum est verbum istud* (ait Matthæus) *apud Iudæos vsque in hodiernum diem*, &c Verbum potest sumi pro re; diuulgata est res ista, (Hebræa phrasi.) Vel pro dicto; diuulgatum est dictum hoc mendax militum apud Iudæos, vsque ad hoc tempus, quò scilicet scripsit Matthæus. Non deest, qui putet, diuulgatam esse militum accepta pecunia corruptionem, idque etiam significari à Matthæo his verbis, hoc sensu; Et diuulgatum est verbum hoc, scilicet, pecunia corruptos esse milites; & idcirco dixisse corpus Christi à discipulis noctis ablatũ. Sed probabilius est, solum mendacium militum diuulgatũ esse ab ipsismet militibus, qui vt perspicuum est, pecuniam se accepisse tacuerunt, Matthæumq; significare mendacio impudentissimo fidem ab incredulis esse habitam, quæ non habita fuisset, si pecuniarum corruptio fuisset etiam vulgata.

D. Gregor. Turonen. D Gregor. Turon. libr. 1. Histor. cap. 21. de militibus nonnulla scribit, quæ non satis cum his consentiunt. Apprehensus, inquit, Ioseph, qui Christum in suo monumento recondidit, in cellam includitur, & ab ipsis sacerdotum principibus custoditur; sed resurgente Domino nocte parietes de cellula, in qua Ioseph tenebatur, suspenduntur in sublimi, ipse verò de custodia, absoluente Angelo, liberatur, parietibus restitutis in locum suum. Cumque pontifices militibus exprobrarent, & sanctum Christi corpus ab iisdem instanter requirerent, dicunt eis milites: Reddite vos Ioseph, & nos reddimus Christum. Sed vt verum cognouimus, nec vos benefactorem Dei, nec nos filium Dei reddere nunc valemus. A Tum illis confutatis, milites ab hac accusatione liberantur. Hæc ille. Quæ (vt ait Cardin. Baronius) in pseudo-Euangelio nomine Nicodemi scripto habentur. Ipse Gregorius Turonensis gesta citat Pilati missa ad Tiberiũ. Sed dictis repugnant; non enim milites accusati sunt à pontificibus, & ab accusatione liberati, quin potiùs polliciti sunt pontifices militibus se eorum negotium acturos apud Pilatum. B Nos (inquiunt) suadebimus ei, & securos vos faciemus. Neque item pontifices à militibus instãter corpus Domini requisiuerunt, sed pecuniis datis persuaserunt, vt à discipulis sublatum esse vulgarent. Sed aduenit Spiritus veritatis sanctus, stultissimi mendacii tenebras discussit; Christumque verè resurrexisse per Apostolos apud Iudæos & apud omnes orbis nationes diuulgauit. Diuulgatumque est verbũ C hoc; *Resurrexit Dominus verè*: tũ apud Iudæos fideles, tum apud omnes gentes, vsque in hodiernum diem, diuulgabiturque perpetuò vsque ad mundi finem magna cum fide.

Fieri potuit vt pontifices cẽturionem Lõginum, & milites cum eo consentientes accusarent, illique id respõderent quod dictum est, ea verò quæ in Euangelio narrãtur, aliis militibus pecunia corruptis conueniunt. D

CAPVT VIII.

De primis apparitionibus Domini post resurrectionem.

E Resurrexit verè Dominus: neque .n. decebat Deum in sepulchro permanere, oportebatque propter iustificationem nostram exequendam in vitam redire, iuxta illud Pauli ad Romanos 4. *Resurrexit propter iustificationem nostram*, &cæt. scilicet exequendam, vt supra

diximus cap. 4. Noluit autem manifestum se facere populo vt ante crucē; sed illis se ostendit quadraginta dierum spatio, qui resurrectionis testes futuri erant, & iustificationis exactores; sicut D. Petrus docet Act. 10 *Nunc* (inquit) *Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis à Deo*, &c.

Christus post resurrectionem non vt antea in Iudea versatus est, & apparuit. Act. 10.

Prius verò apparuit feminis, quàm viris, quia feminae vigilantia, & animi ardore, vngendique corporis desiderio viros superarunt. Femina prius tartareum vidit serpentem mortisque nuntium, & mortis causam viro attulit; nunc verò feminae prius Christum vident, vitaeque nuntium ad viros ferunt. D. Ambrosius Lucae 24. Quae, inquit, mortem prior gustauerat, resurrectionem prior vidit, veterisque lapsus compensat aerumnam resurrectionis indicio, &c. Chrysologus serm. 79. Fit (inquit) resurrectionis nuntia, quae fuit mortis interpres. Et quae viro porrexerat interitus tanti nūtium, viris ipsa porrigit magnae salutis auditum, &c.

Feminis prius apparuit Dominus.

D. Ambr.

Chrysolog.

Inter feminas primò apparuit Virgini Deiparae. Non prodiderunt hoc memoriae Euangelistae; sed & ratio, & multorum doctorum autoritas id persuadet. Ratio quidem; quia hoc Matris dignitas postulabat vt priusquam discipulis, caeterisque feminis illi appareret. D. Marcus vt significaret Magdalenae honorem magnum contulisse Dominum, ait apparuisse illi *primò*, id est, ante alias feminas & discipulos. Honor ergo est prima apparitio, igitur Deiparae denegari non debet. Quod censet D. Anselmus de excellentia Virg. cap. 6. Rupertus lib. 7 de Diuinis officiis, capit. 25. D. Bonauent. in vita Christi. D. Brigitta lib. 6 Reuelat. cap. 94. & in serm. Angelico, cap. 6. & alii. D. Ambrosius lib. 3. de Virginibus. Vidit (inquit) Maria resurrectionem Domini, & prima vidit & credidit. Vidit & Maria Magdalena quamuis adhuc ista mutaret, &c.

Deiparae Virgini apparet Dominus primò.

D. Ansel. Rupertus. D. Bonau. D. Brigitt.

Sedullius.

Sedullius. *Huius se visibus antè*

Luce palam Dominus prius obtulit, vt bona mater
Grandia diuulgās miracula, quae fuit olim,
Aduenientis iter, haec sit redeuntis & index, &c.

Prima meretur gaudia, quae plus audebat caeteris; canit Ecclesia in hymno de Magdalena. Haec verò ratio Deiparae Virgini multò magis conuenit. Prima igitur ante omnes merita est Virgo resurrectionis gaudia, quae plus ardebat caeteris omnibus, digniorque his primis gaudiis erat. Nulli dignius, quàm Matri filius gaudiorum suorum primitias dare potuit. Iudith. 14. *Ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis. Quem cum sumpsisset (Samson) in manibus, comedebat in via, veniensque ad patrem suum, & matrem, dedit eis partem, qui & ipsi comederunt*, &caet. Samson fauum mellis in ore leonis, quem occiderat, repertum parentibus impertiuit; Sic Christus dulcissima resurrectionis mella in ore mortis, quam interemerat, inuenta prius Matri suae Deiparae Virginis quā reliquis communicauit.

Iudit. 14.

Cant. 4.

Rupertus loco indicato ait, Christū mox vt surrexit illud dixisse Cant. 4. *Vadam ad montem myrrhae, & ad collem thuris*, id est, vadam ad matrem meam. Erat enim illa tunc mons myrrhae, & collis thuris. Mons amarae myrrhae erat, quia ipsius animam gladius pertransiuerat passionis; collis thuris, quia orationi vacabat in cubiculo suo cum filio hunc in modum colloquens: *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara*, Psal. 56. O Christe gloria mea exurge ex sepulchro, ò psalterium meum, ò cithara mea dulcissima; cuius nimium delector harmonia, exurge, audiam rursus mei psalterii, meae citharae suauissimum concentum. Tertiae diei mi nate dilectissime, mane iam illucescit; *Ad vesperum demorabitur fletus*, dicitur Psalm 29. *& ad matutinum laetitia.* Ad vesperum mortis tuae hactenus demoratus est fletus; ad matutinū resurrectionis tuae exurgat tecum noua laetitia. Haec cum diceret: ecce subito cubiculum filius ingreditur magno

Psalm. 56.

Psalm. 29.

un-

circumfusus splendore, beatarumque animarum, quas ex limbo eduxerat, stipatus multitudine. O plusquam mulier, ò Virgo Deipara, *ecce filius tuus*, non Ioannes, sed Christus, non in cruce, sed in gloria, non vir dolorum, sed gaudiorum. Ecce filius tuus in vitam reuocatus, immortalis, impassibilis, splendidus, mortis, peccati, mundi, tartarique victor. Ecce psalterium tuum, ecce cithara tua, suauissimo te oblectabit aspectu, vocisque concentu: ò mons myrrhæ, mons iam esto gaudiorum. Pelle corde amaritudinem, mella dulcissima resurrectionis, quæ tibi tuus Samson præbet, comede. Regina cœli lætare, Alleluia, quia surrexit Dominus verè, Alleluia. A facie Domini, vt est in Psalm. 113. *mare fugit, & Iordanis*, montes, & colles exultauerunt. *Mare vidit, & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum. Montes exultauerunt vt arietes, & colles sicut agni ouium. Quid est tibi mare, quod fugisti, & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum? Montes exultastis sicut arietes, & colles sicut agni ouium? A facie Domini mota est terra*, &cæt. Similem in modum nunc à facie Domini mare amarum, hoc est, omnis amaritudo ex corde fugit Virginis: Iordanis, hoc est, mœstitiæ fluuius, qui illius pectus perfluxerat, conuersus est retrorsum. Montes, id est, superiores animi partes, intellectus ac voluntas; & colles, hoc est, partes inferiores, mirum in modum exultauerunt. Gestit Christiana deuotio (ait Rupertus loco citato) perpendere, quantus torrens gaudii repente inundans, animam Virginis ferro doloris confossam inebriarit: Cum rediuiuus filius illi, ante omnes fortasse mortales, materno eam non defraudans honore, victoriam suam annuntiauit, &cæt. Sed quis fando gaudium explicare poterit, quod D. Anselmus impenetrabile esse existimauit ipsis etiam Angelis? De excellent. Virg. capit. 6. Nolo (inquit) hanc immensitatem gaudii Virginis penetrare quis laboret, quoniam quæ ipsis Angelis est admiranda, & impenetrabilis, non facilè crediderim, quòd cuiuis homini mortali possit esse penetrabilis, &cæt. Potuit meritò Virgo illud Thren. 1. vsurpare in passione filii: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus*, &cæt. Nunc verò in resurrectione verba potest vertere, ac dicere; ò vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est gaudium, sicut gaudium meũ. Considerate profundum gaudii, & impenetrabile pelagus, quo filius ex passione ipsius perceptos dolores meos demersit. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo*, Psalmus 93. *Consolationes eius lætificauerunt animam meam*. Magni fuere dolores; magna gaudia; hæc illis responderunt. Isaias capit. 12 ait: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*. En Saluatoris fontes in domo fluxere Deiparæ Virginis; totius lætitiæ fontes nunc sunt quinque illa vulnera, quæ totius doloris fontes in cruce fuerunt. Totius gaudii fons humanitas illa est, gloriæ splendoribus plenissima. Ex his fontibus Saluatoris gaudium haurit Virgo, quod non auferetur ab ea.

Psalm. 23. — Gaudium Deiparæ Virg. in resurr. — D. Ansel. — Thren. 1. — Psalm 93. — Isaia 12.

Tob. 10. *Flebat Anna* (propter filii absentiam.) *Quotidie exiliens circunspiciebat, & circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, vt procul videret eum, si fieri posset, venientem*, &cæt. Aduenit filius Tobias, gaudio compleuit matrem Annam. Flebat Virgo propter filii mortem, neque tamen exiliens circunspiciebat, & circuibat vias; vt à mortuis excitatum videret viuum, neq; sepulchrum petebat, vt vngeret mortuum: Sed resurrectionis fide illuminata, domi illius expectabat aduentum, de cuius resurrectione non dubitabat. Aduenit dilectissimus filius, lacrymas matris, suo lætissimo conspectu penitus abstersit. *Sufficit mihi* (aiebat Iacob, Genes. 45.) *si adhuc filius meus viuit*, &c. Quid igitur diceret virgo? Sufficit mihi (aiebat) filius meus viuit; vita mea viuit; ipsa omnium creaturarum sufficientia viuit, sufficit mihi.

Tob. 10. — Genes. 45.

Magno

Magno sanè gaudio affectus est ipse Iacob, cum filium Ioseph Aegypto præpositum velut à mortuis excitatum vidit,& cõplexus est. Multo maiori affecta est Virgo cum filiũ suũ cœli terræq; regem verè ex inferis sepulchroque venientem vidit,& complexa est. Magno gaudio affectus est Abraham, cum filium Isaac sacrificii flãmis ereptum conspexit; sed multo maiori affecta est Virgo, cum filium, Dominumque suum cõspexit à crudelissima morte liberatum. Magno gaudio affecti sunt Israelitæ, cum Aegyptios mari rubro demersos, se verò saluos, atq; incolumes sunt intuiti: Multo maiori gaudio Virgo exultauit, cũ Tartareos hostes, rubro sanguinis filii sui pelago obrutos intuita est, sanctosque Patres ex limbi penetralibus liberos, æternaque beatitudine affectos. Vidit tunc primum parentem Adamum, vidit & Euam, Abrahamũ, Isaac, Iacob, Dauidem, cęterosque antiquos Patres summa cum lætitia intra suum cubiculum. Qui omnes ante Dominam suam prostrati, laudibus illam celebrarunt, dicentes illud Iudith. 15. *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri*: Tu fons fuisti totius glorię nostræ, lętitiæ, & honoris: siquidem quidquid gloriæ, quidquid lætitiæ, quidquid honoris genus habet humanum, ex Christo Deo nostro fluxit, qui ex te est natus. Verè fecit tibi magna, qui potẽs est. Adeò verò magna, vt nulli ex feminis, nullis ex viris meris, nulli ex Angelis, Archãgelis, Principatibus, Cherubinis, vel Seraphinis fecerit æqualia, oẽs superas magno interuallo, solũ Deum superiorẽ habes.

Confertur gaudium B. Virginis cũ gaudio Abrahami & Israelitarum.

Postquã Dominus matri diuina impertiuit resurrectionis mella, in hortum abiit sepulchri, apparuitque primo ante alios oẽs Mariæ Magdalenæ, vt Marcus refert. Cum verò illa cum reliquis feminis in ciuitatem repedaret, apparuit simul omnibus, quæ secũda fuit apparitio ex his, quarũ meminere Euangelistę. Ex viris ante omnes alios apparuit D. Petro, quæ tertia fuit apparitio. Probatur, quia vt Marcus refert postquã feminis apparuit, visus est duobus Discipulis, qui Emauntem petebãt. Ante verò iam apparuerat Petro, vt colligitur ex illis verbis Discipulorum Luc. 24. *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*, &c. D. August. lib. 3. de consensu Euang. cap. 25. Omnium, inquit, virorũ primo apparuisse Dominus intelligitur Petro, ex his, quos Euangelistæ commemorarũt. Cæterũ si apparuerit alicui prius quàm Petro, quod Euangelistæ tacuerunt, quis dicere audeat, vel negare? &cæt. Ambros. Luc. 24. Petro visus est Christus primo manè, &c. Debebatur hæc prærogatiua Petro. Primò quia Apostolorum primus erat. Secundò quia magnum ex negatione perceperat dolorem, quem par erat resurgentis magistri conspectu, & alloquio leniri. Tertiò quia maximè Christum amabat. Quartò quia Ecclesiæ totius pastor creandus erat. Quintò quia illius testimonium apud cæteros Apostolos habebat pondus. *Surrexit Dominus vere*, aiũt Apostoli, *& apparuit Simoni*. Feminarum nullam faciunt mentionem, quibus ante Petrũ apparuisse videtur. Habebat enim Petri testimonium magnum pondus. Inter primos etiam apparuisse Dominũ Iacobo minori colligitur ex Euangelio, quo Nazaræi vtebantur, cuius verba D. Hier. recitat in Catalogo de scriptor. Ecclesiast. in Iacob. Euangeliũ, inquit, quod appellatur secũdum Hebræos, & à me nuper in Græcum Latinumque sermonem translatum est, quo & Origenes sæpe vtitur, post resurrectionem Saluatoris refert: Dominus autem cũ dedisset sindonem seruo sacerdotis, iuit ad Iacobum, & apparuit ei. Iurauerat enim Iacobus se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à mortuis. Rursusque post paululum: Afferte (ait Dominus) mensam, & panem; statimque additur; Tulit panem, & benedixit, ac fregit, & dedit Iacobo iusto, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis, à dormientibus. Hæc illud Euangelium secundum Hebræos.

Apparitio Virgini.
2 Magdalenæ.
3. Feminis
4. D. Petr.
Primo ex viris apparuit Dominus, D. Petro.
Apparuit & D. Iacobo minori.
Ex Euangelio secundum Hebraos hoc desumptũ est.

C A-

CAPVT IX.

Apparet Christus primò Magdalenæ, postea eidem simul cum reliquis feminis.

MARCVS CAPITE XVI.

SVrgens autem Iesus mane prima sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia. Illa vadens nunciauit his, qui cum eo fuerant, lugentibus, & flentibus. Et illi audientes, quia viueret, & visus esset ab ea, non crediderunt.

LVCAS CAPITE XXIV.

PEtrus autem surgens cucurrit ad monumentum, & procumbens vidit linteamina sola posita, & abiit secum mirans, quod factum fuerat.

IOANNES CAPITE XX.

VNa autem sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum: & vidit lapidē sublatum à monumento. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium Discipulum, quem amabat Iesus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus, vbi posuerunt eum. Exiit ergo Petrus, & ille alius Discipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, & ille alius Discipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit & ille Discipulus, qui venerat primus ad monumentum, & vidit, &

credi-

credidit: nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum Discipuli ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fieret, inclinauit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis, sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis, quia tulerunt Dominum meum, & nescio, vbi posuerunt eum. Hæc cum dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat, quia Iesus esset. Dicit ei Iesus: Mulier quid ploras? quem quæris? illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum: & ego eum tollam. Dicit ei Iesus, Maria. Conuersa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magister.) Dicit ei Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum; vade autem ad fratres meos, & dic eis: ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Venit Maria Magdalene annuncians Discipulis: Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.

Surgens Iesus manè.

D. Hieron.

VT suprà iam diximus capit. 2. D. Hieronymus, Epist. 150. ad Hedib. & alii, verba Marci; *Surgens autem Iesus manè prima sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ*; in hunc sensum sunt interpretati: *Surgens*, Græcè *ἀναστάς*, temporis præteriti, id est, *cum surrexisset*, Dominus; *mane prima sabbati apparuit primò Magdalenæ*: hoc est, die Dominica manè apparuit Magdalenæ. Illud (*mane*) non copulant cum participio (*surgens*) sed cum verbo, *apparuit*. Iuxta hunc sensum significat Euangelista Christũ die dominica manè, primò apparuisse Magdalenę. Probabilior sensus est aliorum, qui (*mane*) cum participio (*surgens*) coniungũt. Estque sensus: Surgens matutino tempore Dominus, prima die hebdomadę A post sabbatum apparuit primò Magdalenæ. Non deest, qui participiũ, *surgens*, dicat non significare resurrectionem Christi ex sepulchro, sed motũ. Quasi prius Christus sedisset, & Magdalenæ apparuisset. Dicitur enim ille surgere; qui aliquid operis aggreditur, quamuis verè non surgat, vt, *capit populus*. Exod. 32. *manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*, &c. Sed cũ Marcus de resurrectione Christi eo capite B loquatur; multo verisimilius est, participium, *surgens*, resurrectionem ex sepulchro significare, vt omnes aiunt interpretes. Quo autem modo Magdalenæ apparuerit Dominus, narrat Ioannes cap. 20.

Prima apparuit Dominus Magdalenæ.

Surgere dicitur, qui aliquid operis aggreditur. Exod. 32.

Vna autem sabbati.

VNa sabbati, vt diximus, primã sabbati significat, id est, diem Dominicam.

Digitized by Google

nicam. Die Dominica Magdalena (ait Ioannes) *manè cum adhuc tenebræ essent*, hoc est, valde manè antequam Sol tenebras dissipasset, venit ad monumentum; viditque lapidē ab ostio monumenti sublatum. Angelus enim illū abstulerat. Hoc cum vidisset, concitato cursu ad Petrum Apostolorum ducem, & Ioannem, rediit, sublatumque Domini corpus nuntiauit. Illi mox ad sepulchrum cucurrerunt. Ioannes autem Petrum cursu præcessit, priorque ad sepulchrū accessit. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina; non tamen introiuit, satis sibi esse putans videre ex ostio sepulchrum vacuum, & linteamina, quibus fuerat contectum corpus Christi. Nonnulli aiunt, ob Petri reuerentiam non introisse, sed illū expectasse. Si obiicias, illum in cursu hanc reuerentiam minimè seruasse: Fortè respondebunt, tunc raptum desiderio videndi sepulchrum, non aduertisse; postea cum aduertit, introire noluisse. Euthymius non introisse ait, vel timore detentum, vel his, quæ viderat, iam contētum. Quæri potest, quomodo Ioannes potuerit videre linteamina, cum in sepulchrum non introierit? Respondetur, sepulchrum, vt diximus, duas habuisse speluncas; alteram exteriorem, alteram interiorem; Ioannem verò exteriorem introisse, non autem interiorem, in cuius pariete excauatum erat sepulchrum, ex ostioque linteamina vidisse. Accessit post Ioannem Petrus, & introiuit in secundam speluncam, in qua monumentum erat; & vidit sepulchrum vacuum, linteamina verò posita, & sudarium, quod supra caput Christi fuerat, separato in loco collocatum, atq; inuolutum. Tunc & Ioannes introiuit in secundam speluncam, viditque eadē, quæ Petrus, & credidit. Nōdum enim sciebant scripturas, quę de Christi resurrectione vaticinabantur. His conspectis domum discesserūt ob metum Iudæorum.

Cur Ioannes ī sepulchrum non introierit.

Euthym.

Quomodo Ioan. cū nō introierit, linteamina viderit.

Funeralia autem, linteamina, & sudarium in sepulchro relicta sunt, vt testimonium redderent resurrectioni. Præterea quia exuuiæ mortuorum in sepulchro erant relinquendæ, neque à viuente asportandæ. Quæritur, quonā modo summo manè, cum adhuc tenebræ essent, Petrus & Ioannes videre potuerint linteamina, & vacuū sepulchrū? Nyss. orat. 1. de Resur. sic scribit: Plenum luminis erat sepulchrum, vt etiam si nox esset adhuc; dupliciter tamen, tum sensibiliter, tum spiritualiter Apostoli viderent ea, quæ intus erant, &cæt. Sed de lumine nihil est in Euāgelio. Si Angeli adfuissent, illuminassent sepulchrum: non aderāt verò, cum Petrus & Ioannes accesserūt. Respondendum ergo est, iam satis lucis diem præbuisse, qua videri possent linteamina; vel Apostolos ad eliciendum ignem silicem attulisse. Quòd si quis Angelum adfuisse dicat, qui etsi visus ab Apostolis non fuerit, monumētum illuminauerit, non repugnabo.

Cur lintea mina in sepulchro Dominus reliquerit.

Nyssenus.

Quomodo in tenebris videri potuerint linteamina.

Quæritur preterea quid crediderit Ioannes? ait enim se introiuisse in sepulchrum, & credidisse. Respōdet D. Gregor. homil. 22. in Euangelia, non credidisse tūc Christum resurrexisse, sed credidisse dictis Magdalenæ. Probatur, quia Euangelista subiungit hæc verba: *Nondum enim sciebant scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere*, &c. Quasi dicat, credidit discipulus verbis Magdalenæ. Nondum enim sciebant scripturarū vaticinia, vt crederent Christum resurrexisse. Eadem est interpretatio D. Augustini tractat. 120. in Ioan. & lib. 3. de consens. Euangelist. cap. 24. *Ioannes*, inquit, *intrauit, & credidit*, quod Maria dixerat, sublatum Dominum de monumento. Idem putat Theophylactus. D. Hieron. q. 5. in epistol. ad Hedibiam ait, Petrum & Ioannem, cum vidissent linteamina, credidisse resurrectionem Christi, cuius corpus non inuenerant. Idem opinantur D. Cyrillus, Chrysosto. Euthymius, & alii. Hæc probabilior sententia est, s. Ioannem credidisse resurrexisse Christum. Nam verbū, *credidit*, absque adiectione positum, fidem significat. Quod verò subiungitur: *Non. n. sciebant scripturam*, &c. Indicat causā, cur antea non crediderint, quasi dicat; Non crediderunt, quia ignorabāt, quę in Scri-

Quid crediderit Ioan. viso sepulchro.

D. August.

Theophyl.

D. Hieron.

D Cyrill.

D. Chrysos.

Euthym.

in Scriptura erant de Christi resurrectione vaticinia.

Se credidisse ait Ioannes, de Petro silet. Lucas 24. ait Petrum vidisse linteamina; *Et abijt (inquit) secum mirans, quod factum fuerat*, &c. D. Greg. Nyssenus Orat. 2. de resurrect. ait, Petrum bis venisse ad sepulchrum, semel Ioannis 20 iterum Lucæ 24. Sed dicendum semel venisse, miratumque esse, & credidisse, vt ait D Cyrill. & Diuus Hieron. & alii. D. Hieron. q. 5. Epist. ad Hedib. Apostoli (inquit) Petrus, & Ioannes maiori fidei sunt, quam Magdalena; qui absque Angelorum visu absque ipsius Saluatoris aspectu, postquam corpus ejus in monumento non repererunt, crediderunt eum ab inferis resurrexisse, &cæ. Petrus ingressus sepulchrum credidit, ingressus est Ioannes, estque valde verisimile, cum Petro de his signis resurrectionis Christi collocutum fuisse, & tunc credidisse post Petrũ, ita vt prærogatiua Petri sit, ante omnes discipulos credidisse. D. Cyrillus in Ioannem, ad illa verba: *Abierunt ad semetipsos*: Firma (inquit) iam fide resurrectionis Petrus & Ioannes roborati domum regrediuntur, &c. D. Chrysostomus: Visis linteaminibus credentes resurrexisse, spe abierunt bona, &c.

D. Hieron.

Petrus viso sepulchro credidit Christum surrexisse.

D. Cyrill.

D. Chrys.

Dubitatur, quænam appellet Ioannes linteamina numeros multitudinis; quia corpus Christi præter sudarium, vna tantum sindone munda fuit inuolutum. Respondetur, sindonem illam fuisse magnam, atque duplicatam, propter vnguentorum copiam, quibus corpus est perfusum, ideòque linteamina vocari: vel forsitan alia fuere linteamina præter sindonem, quæ subticuere Euangelistæ. De sudario, Beda scribit in libello de locis sanctis. ait longitudinis octo habuisse pedes. Hoc, vt idem Beda refert, ex Iudæis quidam Christianus vsq; ad mortem habuit diuitiis sibi affluentibus. Moriturus filiis optionem fecit eligendi vel diuitias, vel Domini sudarium. Maior thesauros, minor sudarium elegit. Mox illi decreuere opes vsque ad paupertatem; huic cum fide auctæ sunt. Peruenit postea ad impios homines, fideque carẽtes, à quibus post longa litigia sic est receptum. Maiuuias Saracenorum rex iudex postulatus, in rogum inflammatum sudarium misit. Sed ignem effugiens, in summo aere diutissimè volauit. Ad extremum cunctis admirantibus, in Christiani cuiusdam sinum sese demisit.

Quæ fuerint linteamina, an plura.

Beda.

De sudario Domini.

Maria autem stabat ad monumentum.

Discesserunt Petrus & Ioannes ob metum Iudæorum. D. Cyrillus in Ioannem. Firma (inquit) iam fide Petrus & Ioannes domum regrediuntur, prædicaturi discipulis, deliberaturique quid sibi sit faciendum. Citius autem arbitror reuersos fuisse, quoniam Iudæorum iram aduersus Discipulos Christi non ignorabant. Vnde neque sibi tutum putabant, ad diẽ vsq; circa monumentum immorari. Nec formidine pressos fuisse dicemus, sed periculum ante tempus subire noluerunt. Hæc Cyrill. sed Iudæos timuisse, ex verbis Ioannis 20. colligitur. *Cum fores essent clausæ, vbi erant Discipuli congregati propter metum Iudæorum*, &cæt.

D. Cyrill.

Ioan. 20.

Magdalena autem, quæ nihil timebat, *stabat ad monumentum foris plorans*, foris inquam, id est, in spelunca exteriore sepulchri. Stare cogebat amor, flere cogebat dolor, quia sublatũ putabat illum quem amabat: Discipuli crediderunt, & læti abierunt, illa nõ credebat, mœstaque flebat. Inclinauit se, & prospexit in monumentum per ostium speluncæ interioris; & vidit duos Angelos in albis vestibus sedentes, sepulchrum venerantes Domini sui; vnum, in loco, vbi pedes Domini in sepulchro positi fuerant; alterum, in loco, vbi fuerat collocatum caput. Cur fleret, hi Angeli rogarunt. *Mulier* (inquiunt) *quid ploras?* quæ causa est tuarum lacrymarum? illa respondit. Ploro, *quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum*; mearum causa

Angeli rogant Magdalenam cur fleat.

causa lacrymarum est Dominus meus, quem ex hoc sepulchro video ablatum. ò felices lacrymas, quæ Domini funduntur causa; ille eas absterget.

Cur sit conuersa retrorsum Magdalena. D. Chrys.

Postquam Angelis respondit, *conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat, quia Iesus est*. Cur conuersa sit retrorsum, dubium est D. Chrysosto. homil. 85. existimat; Christum à tergo Magdalenæ repentè apparuisse, cum diceret; *tulerunt Dominum meum*, &cæ. Tunc Angelos vultu, ac motu corporis, Domini præsētiam significasse; ideoque conuersam esse retrorsum, vt videret, quisnam adesset. Idem sentit Auctor quæstionum ad Antiochum quæst 78 Forsitan Dominus cum ingressus est locum, in quo erat Magdalena; pedibus sonitum excitauit; idcirco illa retrorsum conuersa est, vt videret, quisnam esset ingressus. Mirum sanè est, Magdalenam Angelorum aspectu non fuisse captā; sed tam facilè ab illo retrorsum oculos conuertisse. Forsitan timuit, ne à tergo quispiam noceret, vel ingens quærentis Christum mulieris affectus, illam huc atque illuc vertebat. D Gregor. Nyssen Orat. 2. de Resurrect. putat corpore conuersam esse, vt abiret.

Nyssenus.

Dicit ei Iesus: Mulier quid ploras?

Conuersa retrorsum Magdalena, Christum vidit; à quo interrogata, cur ploraret, existimans hortulanum esse horti illius, in quo erat sepulchrum, respondit; *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam*. ò incredibilem mulieris erga mortuum Dominum amorē. Neque verò abs re hortulanum esse putauit. Erat enim ille hortulanus, qui sanguine suo Ecclesiæ hortum irrigauerat, ligone crucis prosciderat, nunc verò auulsis sentibus, sementem fidei facturus resurrexerat. Ergo Domine Iesu, si hortulanus es, in corde Magdalenæ sementem fidei: resurrectionis tuæ facito; auelles spinas doloris & mœroris. Quærit te mortuum; nisi te indices, te non cognoscet viuum; indica te viuere, desinet mortuum cogitare. Adhuc tua vulnera ab oculos illius obuersantur, adhuc corporis tui lamētabilis species menti oberrat. Te ipsum de te rogat; *Si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam*, &c Et meritò sic rogat; quia tu te sustulisti; tu solus te morti tradère, & auferre potuisti. Dicito ergo illi, indica illi, quem diligit anima eius, vbi iā morte superata pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiat. Dicito illi, vbi posuisti te, in quanto honore, & quanta gloria, & illa te tollet in corde suo amore perpetuo. Vno potes verbo dicere ò Dei verbum. Sic factū est; vno prolato verbo, ex corde Magdalenæ tenebras dispulit, fidemque produxit. Solito vocis sono, *Mariam* vocauit. Nouerat enim eam ex nomine, iuxta illud Exod. 33. *Noui te ex nomine*, videlicet scripto in libro vitæ. Cognouit ouis vocem pastoris, discipula vocem Magistri: In illum conuersa respondit, *Rabboni*; hoc est, Magister; simulque ad amplexandos irruit pedes. Quamdiu accipiter tectis oculis manu tenetur aucupis, quiescit: at si oculi deteguntur, protinus in ardeā tota vi pectoris inuolat: Sic Magdalena cum tectos habuit oculos, hortulanumque vidit, quieuit; at vbi primum oculis lux est reddita, dominumque cognouit, mox ad pedes amplexādos irruit. Caietanus arbitratur tangere voluisse non pedes Christi, sed faciē, siue collum, nec consideràsse, quid ageret in tam insperata, tamque subita, & magna lætitia Dicendum cum August. ser. 60. de verbis Domini, D. Cyrillo in Ioan. D. Gregor. homil. 25. in Euāg. & aliis, tangere voluisse pedes, neque adeò fuisse incōsideratam; vt faciem, vel collum Domini sui auderet attingere.

Cùm Christo, loquitur Magdalena.

Simile. Agnoscit Christum Magdalena.

Caietan.

Illud dubitationem parit; quod ait Ioannes, Magdalenam conuersam ad Christum, respondisse, *Rabboni*. *Conuersa*, inquit, *illa, dicit ei; Rabboni*. Nam Magdalena ad Angelos conuersa erat

ante-

ante aduentum Christi; postea conuersa est retrorsum ad Christum, quem putauit esse hortulanum, cum dixit; *Domine si tu sustulisti eum*, &c. Quomodo ergo nunc iterum ad Christum dicitur conuersa, cum ait, *Rabboni?* Respondetur Magdalenam præ desiderio Christi, inquieto affectu, postquàm verba illa protulit; *Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi*, &c. conuersam esse corpore ad Angelos & sepulchrum; tunc Christus proprio illam nomine vocauit; vocata verò ad vocantẽ conuersa respondit, *Rabboni*, & ad pedes sese prostrauit. Chrysostomus ait, Mariam postquam cum hortulano (vt putabat) locuta est, ad Angelos se conuertisse; vt interrogaret eos, cur assurrexissent, & obstupuissent. Assurrexerunt enim (vt ait Chrysostom.) & obstupuerunt cùm Christus ingressus est speluncam exteriorem, vt supra dictum est. Diuus Augustin. ait, nunc conuersam esse corde, cum cognouit Christum.

Magdalena pedes, non faciẽ Christi tãgere voluit

D.Chrys.

Obseruat D.Bernard. non nominasse eum, quem quærebat, sed dixisse; *si tu sustulisti eum*; causamque reddit, cur id fecerit, serm 7. in Cant. Non exprimebat, inquit, ex nomine, quem quæreret, sed tantum aiebat: *Si tu sustulisti eum*. Quem *eum* non aperit, quia palàm omnibus esse credit, quod à suo corde neque ad momentum recedere potest, &c. D.Gregor. homilia 25. in Euang. Vis, inquit, amoris hoc agere solet in animo, vt quem ipse semper cogitat, nullum alium ignorare credat, &c.

D.Bern.

D.Gregor.

Rogabit aliquis, cur Christum existimarit hortulanum esse? D. Hierony. in epist. ad Hedib. Magdalena, inquit, stupefacta miraculo, hortulanum putabat, quem tanto studio requirebat, &c. Respondendum potius Christum noluisse protinus ab illa cognosci; cũ ergo videret hominem illo in loco, nempe in horto, in quo erat sepulchrum, putauit horti esse cultorem, & rogauit, num abstulisset corpus Domini ex sepulchro, & in alium locũ transtulisset.

D.Hieron. Cur existimarit Magdalena Christum esse hortulanum.

Illa quoque verba; *Et ego eum tollam*; tribuit Hieronymus ignorantiæ Magdalenæ; Ignorans (inquit) imbecillitatem femineam, tantarum se virium repromittit, & credit, vt corpus viri existimaret ab vna, & pauida muliere posse portari, &c. Sed vis magna amoris potiùs quam perturbatio illa fuit. Amor enim Magdalenæ omnia sibi possibilia arbitrabatur. Præterea, *Ego eum tollam*, dicebat, quia si sola non posset, adiutores non deessent. Sed cur quem hortulanum putabat, vocat Dominum? *Domine*, inquit, *si tu sustulisti eum*, &c. D Hieronym. quæst. 5. in epist. 150. citata sic respondet; Humilitate, & timore hortulano defert obsequium, &c. August. tract. 121. Honorabat, inquit, hominem, à quo beneficium postulabat, &cæt. Petebat ab hortulano, vt ostenderet corpus Christi, ideò vt beneuolum redderet, dominum appellabat.

Cur Magdalena hortulanum appellarit dominum.

Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum.

MVltæ sunt horum verborum interpretationes. Patrum fontes aperiam: satius est enim ex fontibus, quam ex riuulis haurire, & Patres suis verbis breuiter audire loquentes. D. Gregor. homil. 25. in Euangelia, in hunc modum interpretatur. *Noli me tangere*, quia in corde tuo nondum ascendi ad Patrem, id est, quia nondum æqualem me esse Patri credis. In eandem sententiam exponit D. Hierony. quæstio. 5. ad Hedib. & D. August. tractat. 121 in Ioan. Noli, inquit, me tangere, id est, noli in me sic credere, quemadmodum adhuc sapis. Ibi me tanges, quando me credideris Patri non imparem Deum, &cæt. Et tract. 26. Noli me tangere. quid est? hoc me solum esse putas, quòd tibi appareo, noli me sic credere, hoc est, noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum, tibi nondum ascendi, &c. Et ser. 155. de tẽpore, Noli in hominẽ solum

Cur Christus noluerit à Magdalena tangi.

D.Gregor.

D Hier.

D.August.

D. Ambro.

solum credere, sed verbum æquale genitori intellige, &c. Similiter D. Ambros. Luc. 24. Non corporali, ait, tactu Christum tangimus. Nondum enim, inquit, Dominus, ascēdi ad Patrem meū, id est, nondum tibi ascendi, quæ viuentem cum mortuis quæris, &c. Lege eūdem lib. 3. de virginibus, & sermo. 58. D. Leonem, serm. 2. de Ascens. & D Bernardum, serm. 28. in Cantica.

D. Cyrill.

D. Cyrillus in Ioann. Quia Christus nondum Spiritum sanctum miserat, ideò à tactu suo Mariam prohibebat, dicens, *nōdum ascendi ad Patrem meū*, id est, nondum Pater meus spiritum sanctum ad vos misit, &c. Diuus Chrysostom. sentit voluisse Christum Mariam admonere de veneratione sibi debita post resurrectionem; Mariæ, inquit, mentem erigit Dominus, vt reuerentius adeat: *Nondum enim ascendi ad Patrem meum*: ostendit illuc maturare, & cùm illuc abiturus, neque amplius cum hominibus conuersaturus esset, non erat eodem, quo prius animo aspiciendus, &c. Legendus Iustinus Martyr. quæst explic. quæst. 48. Spiritales & recipiendæ sunt hæ expositiones. Morale illud est D. Epiphanii hæres. 26. vt ostenderet, inquit, manifestam castitatem, & sanctimoniam per sanctificationem, dicit Christus Mariæ; *Noli me tangere*, &c.

D. Chrysost.

D. Epipha.

Accommodatius ad literam verba sic videntur interpretanda. Volebat Magdalena in pedibus Christi tangendis immorari, & longum tam optato amplexu desiderium, magistri exsatiare. At Dominus volebat illam festinanter mœstis discipulis resurrectionē nūtiare, idcirco à pedibus illā tunc repulit, Noli, inquiens, me tāgēdo immorari. Nondū n. ascendi ad Patrē meū, hoc est, nondum in cælu ascēdi, nō sū in cęlo sum, & inde veniens appareo tibi, mox discessurus, adhuc in terra versor sæpe me videbitis, licetque tibi ad pedes meos morari. Nunc vade celeriter ad fratres meos, id est, discipulos, & hæc verba mea nuntia eis: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deū meum, & Deum vestrum*; iam instat tam tempus, quo in cælum ascendam ad

Sensus litera.

A Patrem meum natura, & Patrem vestrum adoptione; Deum meum secundum humanam naturam, cui sum ęqualis secundum Diuinam; & Deum vestrum. D. Ambr. lib. 3. de Virginib. Patrem, inquit, meum dicendo, à creaturis se Dei filius separauit; Patrem vestrum dicendo, adoptionis spiritalis gratiam designauit. Ita & Deum meū dicendo, mysterium suæ incarnationis ostendit; vt quem Patrem naturaliter B habet Deum appellet propter suscepti corporis Sacramentum. Sic ille.

D. Ambr.

In tanta resurrectionis gloria discipulos fratres appellat Dominus, iis valde dissimilis, qui cùm primum ad aliquem dignitatis gradum ascendunt ignobiles consanguineos non agnoscūnt. Valde quoque dissimilis Pharaonis pincernæ, qui prosperis succedentibus, pauperis Ioseph oblitus est. Nō sic Christus hominum amator, non sic C in tanta prosperitate non obliuiscitur pauperum piscatorum, sed fratres vocat, & resurrectionem suam mœstis iubet celeriter nuntiari. Sic etiam Angelus Matt. 28 feminis; *Et cito*, inquit, *euntes dicite discipulis eius, quia resurrexit*, &c. Etenim nuntium lætum festinationem postulat. Vnde Philo de legatione; Mercurii, inquit, pedibus alata subligantur talaria; quia docet Deorum internuntium, atque interpretem D læta nuntiantem esse celerrimum, & alis ferri velocissimè, &c. Si quæras, an Magdalena pedes Christi fuerit cōplexa? Respondetur affirmanter. Non enim Christus tangere omnino prohibebat, sed tangendo in complexu pedum immorari. Posteà vt Matthæ. 28. ait; *Feminæ tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum*, &c. Quod feminis aliis cōcessit, semel cōcessit Magdalenæ bis.

Humilitas Christi in tanta gloria.

Lætum nūtium festinationem postulat. Philo.

E

Venit maria Magdalena annuntians discipulis.

OBtemperauit iussis Domini Magdalena: tetigit quidem pedes celeriter, tum abiit ad discipulos, seque vidisse Dominum redituum asseruit,

seruit,& verba ab eo accepta nuntiauit. Discipuli verò fidem illi minimè habuerunt, vt Marcus narrat: *Illa*, inquit, *vadens nũtiauit ijs, qui cum eo fuerant, lugentibus, & flentibus. & illi audientes, quia viueret, & visus esset ab ea, non crediderunt*, &c. Neque Magdalenæ crediderunt, neque reliquis feminis, Luc. 24. Forsitan quia iudicabant verisimile non esse Dominum prius apparuisse feminis, quam viris discipulis suis. Præterea quia rebus difficilibus fidem adhibere difficile est. Tantæ autem rei testes viros potius desiderabant, quam feminas, quæ facilius illuduntur.

CAPVT X.

De concordia Euangelistarum circa prædicta.

INuestigandum restat, quonam modò Ioannes cum cæteris consentiat Euangelistis. Nam Ioannes significat Magdalenam solam venisse ad sepulchrum; reliqui Euãgelistæ aiunt venisse simul cum aliis feminis. Ioannes scribit illam vidisse reuolutum lapidem, reuersamque in ciuitatem; alii Euangelistæ narrant Magdalenam simul cum aliis feminis Angelos vidisse, antequam in ciuitatem reuerteretur. Ioannes ait Magdalenam reuersam nuntiasse Petro, & Ioanni reuolutum esse lapidem sepulchri, & sublatum corpus Domini: Matthæus narrat Magdalenam reuertentem in ciuitatem cum altera Maria vidisse Christum. Quomodo ergo dicere potuit Petro, & Ioanni sublatum esse corpus eius, quem viuum viderat? Ioannes ait Magdalenam vidisse Dominũ in sepulchro; Matthęus ait vidisse, cùm reuerteretur.

Consensus Euangelistarum in prædictis de feminis.

Maximè consentiunt inter se Euangelistæ. In primis hoc sic ostenditur: Magdalena nõ sola venit ad sepulchrũ sed cum aliis feminis, vt Euangelistæ aiũt. Neque verò Ioannes ait solam venisse, sed solius Magdalenæ meminit, cæteras feminas silentio præteriuit. Voluit enim narrare, quem in modum illi soli Christus apud sepulchrum apparuerit. Cum reliquis quoque feminis Magdalena Angelos vidit, & sepulchrum apertum, & reuolutum lapidẽ; omnesque simul reuersæ sunt, Apostolis nuntiarunt, quæ viderant; ea pro deliramentis ab illis sunt habita, vt ait D. Lucas. Ioannes verò ait Magdalenã venisse ad Petrum, & Ioannem; quia præcipui erant inter Apostolos; & ad illos locuta est. Ait præterea dixisse, *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus, vbi posuerunt eum*, &c. Quia hoc dixit Magdalena; addit quoque cum aliis feminis se vidisse Angelos, sed Ioannes de Angelis tacuit, solum de ablato Domino scripsit; vt ostenderet, cur Petrus, & ipse ad sepulchrum properarint: scilicet vt viderent; an esset vacuum. Dixit autẽ Magdalena: *Nescimus, vbi posuerunt eum*: quia aderant aliæ quoque feminę. Nescimus, inquit, neque ego scio, neque comites. Vidisse Angelos simul cum comitibus, eorumque verba audiuisse probatur; quia Matthæus ait ad sepulchrum venisse Magdalenam, & alteram Mariam. Aliarum mulierum non meminit, tum subiicit; Respondens Angelus dixit mulieribus, &c. Quibusnam mulieribus? sanè Magdalenæ, & alteri Mariæ, aliarum enim mentionem non fecerat; ergo aderat tunc Magdalena. Matthæus narrauit Christum in itinere apparuisse Magdalenæ, & Mariæ Iacobi; Ioannes narrauit apparitionem alterã: bis enim Magdalenæ Dominus apparuit; semel apud sepulchrum, vt Ioãnes narrat; posteà in itinere cum aliis simul feminis, quod Matthæus scribit. Nam Magdalena, & aliæ feminæ portantes vnguenta ad monumentum venerunt; reuolutum viderunt lapidem, & Angelos. Hæc cum vidissent; omnes reuersæ sunt ad Apostolos; & quæ viderant; nuntiarunt. Pro nugis habita sunt. Petrus tamen, & Ioãnes ad sepulchrum

Mulieres omnes simul à sepulchro ad discipulos reuersa sunt.

chrum festinarunt;Magdalena,& reliquæ feminæ illos secutæ sunt,& in sepulchrum reuersæ. Apostoli domum redierunt;feminæ apud sepulchrum manserunt.Reliquæ foris erant extra vtramque speluncam. Magdalena ingressa est, viditque duos Angelos in albis sedentes,vnum ad caput, & vnum ad pedes sepulchri,& postea Christũ. Tum egressa ex sepulchro cum reliquis feminis in ciuitatem rediit, apparuitque simul omnibus Christus in itinere. *Ecce Iesus* (inquit Matthæus) *occurrit illis*, &c. Occurrit, inquam, cum secundò ex sepulchro in ciuitatem regrediebantur,vt ait Iansenius, & alii,non enim Matthæus curauit aduentus duos feminarum ad sepulchrũ distinguere: cũ de primo loqueretur, quod in secundo factum est adiecit.

D.August. sententia.

D.Augustini lib.3.de consensu Euãgelistarum cap.24.sententia hæc est. Magdalena cum cæteris mulieribus sepulchrum inuisit. Vbi verò vidit lapidem ab ostio sepulchri amotum,antequam diligentius aliquid inspiceret,non dubitans corpus Christi esse ablatum,cæteris relictis feminis, protinus Petro & Ioanni cursu concito nuntiauit.Illi ad sepulchrum venerunt,vt Ioannes narrat,domumque reuersi sunt. Manebant autem fœminæ adhuc apud sepulchrum; Magdalena quoque, duobus Apostolis recedentibus, cum fœminis mansit foris plorans;tunc visus est illis Angelus in lapide sedens,& auditus. Magdalena verò in sepulchrũ se inclinauit, & duos conspexit Angelos,qui rogarunt, cur ploraret;tũc Christum cognouit. Post hæc cum reliquis fœminis, quæ nondum illum viderant,ex sepulchro rediit in ciuitatem, omnes verò simul Christi conspectu sunt exhilaratæ.

Obiicitur August.

Huic Augustini placito obiicit Card. Toletus,Non esse verisimile fœminas vidisse Angelum super lapidem sedentem,& audiuisse; sepulchrumque esse ingressas;post recessum Apostolorũ,& Magdalenæ aduentum;quoniam inueniri non potest,quid fecerint,antequã illa adueniret.

Responsio.

Responderi tamen potest,Magdalenam, cùm vidit lapidem reuolutum, à cæteris facultatem petiisse id nuntiandi Apostolis,& petiisse ab eis, vt eam interim expectarent mox reuersuram gradu properante.Si ergo roget quis,quid fecerint fœminæ absente Magdalena,respondebitur, expectasse Magdalenam,vt simul cum illa ad sepulchrum accederent: erat enim magnæ inter illas auctoritatis.expectasse quoque quidnam Apostoli nũtio audito facerent. Post aduentum Magdalenæ,cum ea simul sepulchrum introierunt,videruntque Angelos, & vt Marcus 16.ait,*Exeuntes fugerunt de monumento, inuaserat enim eas tremor, & pauor.* Reuersa est Magdalena in monumentum plorans, vidit duos Angelos in albis sedentes,postea Christum: reuersæ sunt simul domum, simulque omnes Dominus salutauit,dicens, *Auete*,&c.

D.Hieron. sententia.

D.Hieronymus in epist.150.ad Hedib.quæst.5.arbitratur, Magdalenam cum reliquis fœminis venisse ad sepulchrum,Christumque simul cum eis vidisse à mortuis excitatum; postea ad sepulchrum rediisse,& Dominum vita functum plorando quæsiuisse.Magdalena,inquit,quæ prius viderat Dominum resurgentem, cum altera Maria, & eius pedibus fuerat aduoluta; postea reuersa per noctẽ, domi enim per desiderium eius manere non poterat,venit ad sepulchrum. Cumque lapidem vidisset ablatum, cucurrit ad Petrum, &c. Si obiicias Hieronymo, credibile non esse,fœminam, quæ Dominum cum aliis fœminis viderat rediuiuum, quæsiuisse postea mortuum & dixisse:*Tulerunt Dominum, & nescimus, vbi posuerunt eum;* Respondet, Magdalenam præ stupore hęc non animaduertisse.In tantum, inquit, obstupefacta torpuerat, & fidem miraculis territa quasi in caligine possidebat; vt ne Angelorum quidem præsentium sẽtiret aspectum,&c. Item: Cùm videret Angelos,& quos cernebat, ignoraret,stupore perterrita,huc atque illuc faciem circumferebat, nihil aliud nisi Dominum videre desiderans, &c. At quis credat tantum Magdalenæ fuisse stuporem, vt Christum crederet, &

quæreret mortuum, quem cum summa lætitia viderat rediuiuum?

Euthymij sententia.

Tolerabilior est Euthymii opinio Matthæ. 28. qui arbitratur, Magdalenam auctoritate Apostolorum permotam, putasse, fuisse illa, quæ viderat, vana spectra. Nam quæ Magdalena, aliæque mulieres nuntiarunt, vt Lucas ait, Apostolis visa sunt deliramenta. Ideo Magdalena ad sepulchrum rediit, ploransque, Christum mortuum quæsiuit.

Refert idem Pater Hiero. in eadem episto. quæst. 4. nonnullos existimasse, duas fuisse Marias Magdalenas ex eodem vico Magdalo; & alteram esse, quæ in comitatu fœminarum Christum vidit; alteram, quæ apud sepulchrum plorauit. Huius sententiæ est D. Ambros. Luc. 24. Facilis ea est, omnesque difficultates soluit. de vna enim Magdalena loquitur Matthæus, de altera Ioannes. Nescit (ait Ambrosius) Christum resurrexisse vna Maria Magdalena secundum Ioannē; scit altera Maria Magdalena secūdum Matthæum. Nam eadem scire, & postea nescire non potuit. Ergo si plures Mariæ, plures fortasse etiam Magdalenæ, cùm illud personæ nomen sit, hoc locorum. Denique alteram esse cognosce. Illa apud Matthæum admittitur pedes Domini tenere; ista apud Ioannem prohibetur; illa Angelum videre meruit, hæc primò cùm venit, neminem vidit: illa discipulis Dominum resurrexisse nuntiauit, ista raptum esse significat; illa gaudet, hæc plorat: illi Christus occurrit, hæc adhuc mortuum quærit: illa Dominum vidit, & credidit; hæc non potuit agnoscere, cùm videret. Sic ille. At verò vnicam esse Magdalenam probata asserit sententia.

D. Ambr.

Quidam aiunt duas fuisse Magdalenas.

Aliorum sententia Magdalenam bis venisse ad sepulchrū.

Alii, vt idem Hieronymus testatur, senserunt, Magdalenam bis sepulchrū inuisisse, primò quidem sine aliarum mulierum comitatu, tunc ea euenisse, quæ narrat Ioannes. Deinde verò cæteris comitantibus, vt narrat Matthæus. Refutatur opinio, quia fœminæ sepulchrum petentes, vt Marcus ait, dicebant; *Quis reuoluet nobis lapidem*, &c. ergo ignorabant lapidem esse reuolutum; quod ignorare non poterant, si Magdalena, quæ eas comitabatur, iam viderat sepulchrum patefactum Quærentibus enim quis reuoluet nobis lapidem? dixisset, se iam vidisse illum reuolutum. Præterea id iā dixerat Petro, & Ioanni, imò dixerat Apostolis se vidisse Dominum, &c. quæ omnia etiam reliquis dixit fœminis. Sed dici potest non sine probabilitate, Magdalenam, cùm adhuc tenebræ essent (vt ait Ioannes) sepulchrū petiuisse solam sine aliis fœminis; vidisse lapidem reuolutum; certiores fecisse Petrum & Ioannem, simul cum illis rediisse ad sepulchrum; illis recedentibus, apud sepulchrum mansisse; Angelosque, ac Dominum conspexisse, & illius nuncium retulisse discipulis, quibus spectra inania visa sunt, quæ loquebatur. Non aderant cum Apostolis fœminæ, quæsiuit illas Magdalená, simulque cum eis summo mane iterum sepulchrum petiuit. Quæ autem viderat, tacuit; quia Apostolis visa fuerant deliramenta. Cumque dicerent: *Quis reuoluet nobis lapidem?* Siluit, ne fortè delirare diceretur. Peruenerunt omnes ad sepulchrum, lapidem reuolutum, Angelum super eum sedentem alios præterea Angelos & Angelorum Dominum viderunt, vt referunt Euangelistæ. Redierunt ad discipulos; quæ viderant, & audierant, narrarunt; nugas esse mulierum, & insomnia, illi existimarunt; non tamen omnes, quia Petrus & Ioannes iam crediderant Christum in vitam rediisse, vt supra diximus.

Discipuli fœminarū verba de Domini resurrectione nugas esse putarunt.

Legendus præterea est D. Gregor. Nyssen. orat. 2. de resurrectione Christi, vbi ait, Magdalenam, & alteram Mariam (vt scribit Matthæus) venisse ad sepulchrum, vidisse Angelum super lapidem sedentem, & postea Christum, cùm redirent in ciuitatem. Alteram Mariam ad Apostolos venisse: Magdalenam verò dubitationis cogitationes admisisse, reuersamque esse ad sepulchrum solam. Postquam peruenit ad sepulchrum (vt ille existimat) cum lapidem reuolutum, nō autē Ange-

Nyss Greg. sententia.

Angelum super eum vidisset, ab incredulitate se vinci passa est, imaginationem, & alienationẽ mẽtis ex pauore repentino contractã esse existimãs, id quod prius viderat, idque pro falso ducebat. Sic affecta, ad Petrum & Ioannem venit, dicens; *Tulerunt Dominum meum de monumento*, &c. Illi ad sepulchrum se contulerunt, ipsa quoque rediit, & apud sepulchrum manens Christum vidit, vt dictum est. Hæc est Nysseni sententia, quam expendat lector. Addit ille causam aliam, cur Magdalena dubitauit: his verbis: Vides, quod cum ex iis, quæ post relationem custodum apud Iudæos conficta erant, aliquid tale ad aures Magdalenæ peruenisset, mente immutata, atque deprauata est; ac putauit aduersarios furatos esse corpus Christi, vt furtum in Apostolos conferrent, &c. At verò summo manè nondum poterant ad aures Magdalenæ peruenisse, quæ erant conficta apud Iudæos post relationem custodum, qui eadem die summo mane facti sunt velut mortui, vt Matthæus docet. Hæc de iis dicta sufficiant.

CAPVT XI.

Apparet Dominus duobus discipulis petentibus Emmaus.

MARCVS CAPITE XVI.

Post hæc autem duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam: & illi euntes nuntiauerunt cęteris: nec illis crediderunt.

LVCAS CAPITE XXIIII.

ET ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emmaus: & ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus, quæ acciderant. Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent: & ipse IESVS appropinquans ibat cum illis: oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognouisti, quæ facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerũt: De IESV Nazareno, qui fuit vir Propheta, potẽs in opere, & sermone coram Deo, & omni po-

pulo: Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes, & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel. Et nũc super hæc omnia, tertia dies est hodie, quòd hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt, dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt, sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non inuenerunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ? Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? & incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. Et appropinquauerunt castello, quò ibant: & ipse se finxit lõgius ire. Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipse euanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad inuicem: Nõne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? & surgentes eadem hora reuersi sunt in Ierusalem; & inuenerunt congregatos vndecim, & eos, qui cum illis erant, dicẽtes: Quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ipsi narrauerunt, quæ gesta erant in via: & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

Ecce duo ex illis ibant ipsa die.

1. apparitio Deipara Virg. 2. Magdalenæ.

APparuit Christus, ipsa die Dominica, qua resurrexit, Deiparæ Virgini. Posteà eadem die primò apparuit Magdalenæ; vt ait Marcus. Deipara namque Virgo famulis non adnumeratur. De famulis loquitur Marcus, & discipulis; cùm ait primò apparuisse Magdalenæ; id est; ante omnes domesticos, & discipulos testes & mulieres, quæ cũ sequebantur. Secundò apparuit eidẽ Magdalenæ, & cæteris feminis in ciuitatem reuertentibus. Tertiò apparuit D. Petro. Quartò apparuit duobus discipulis in castellum Emmaus iter agẽtibus. Dixi autem prius apparuisse D. Petro, quia cùm discipuli hi duo se Dominum vidisse renuntiarunt cæteris discipulis, dicentes illos audierunt. Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni; &c. Iam igitur Simoni Petro ap-

3. Feminis.

4. D. Petro.

5. D. Iacobo minori, vt supra.

6. Discipulis duobus euntibus Emmaus.

Ra-

paruerat, cum apparuit duobus in via. Nisi quis dicat, apparuisse Petro eo tẽpore, quod discipuli duo redeuntes in Ierusalem ex pago, in itinere consumpserunt. Sed verisimilior est prior opinio, prius apparuisse Petro manè, post quam feminis apparuit. Est ergo hæc quarta apparitio, (si apparitiones Deiparæ Virg. & D. Iacobo factas omittamus, quas omiserunt Euangelistæ) describitur à Luca copiosè, breuiter à Marco.

Euthymius tamen Marci 16. arbitratur, nõ vnam fuisse apparitionem, sed diuersas, alteram à Marco traditam, alteram à Luca. Vnam fuisse, & eandem sentit D. Augustin. libr. 3 de consensu Euangelist. cap. 25. & alii. Sed non leuis est Euthymii obiectio. Nam Marcus ait, discipulos, de quibus loquitur, nuntiasse cæteris se vidisse Dominum; illos verò non credidisse. Lucas verò ait duos discipulos reperisse cæteros iam credentes, & dicentes; *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Respondet D. Augustinus, discipulis duobus nuntiantibus se vidisse Christum, habitam non esse fidem à nonnullis ex reliquis discipulis; de quibus Marcus est intelligendus. ab aliis habitam esse fidem, de quibus Lucas loquitur. Erant enim multi congregati, ex quibus quidam credebant, alii non credebant. Responderi quoque potest, discipulos congregatos credidisse quidem propter testimonium Petri Christum surrexisse, vt ait Lucas, atque idcircò dixisse: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* At non credidisse verbis duorum discipulorum; quia non erant tantæ auctoritatis apud eos, quantæ erat Petrus. Videbaturque illis absurdum credere Christum prius duobus discipulis minoris notæ apparuisse, quam Apostolis.

D. August.

An Lucas & Marcus eandẽ apparitionem referant.

Oculi eorum tenebantur.

Proficiscebãtur hi duo discipuli in castellum Emmaus. Castellum Grecè dicitur, *κώμη*, id est, *vicus*, siue *pagus*. Sexaginta stadiis distabat ab Ierusalem, milliaribus septem cum dimidio, leucis ferè duabus; si leucæ vni quatuor tribuamus milliaria. Pagus fuit Emmaus, posteà ciuitas Nicopolis appellata, vt est in histor. tripert. lib. 6. cap. 24. Est, inquit, ciuitas Palestinæ Nicopolis nomine. Hanc cum adhuc pagus esset, Euangeliorum sacer liber Emmaus appellat, quam Romani post vastationem Ierosolymorum, Iudaicamque victoriam, Nicopolim ex euentu vtique victoriæ vocauerũt &c. Nicopolis enim ciuitatem significat victoriæ. Lege Iosephum libr. 17. Antiquit. cap. 12. & Bedam in Lucam. D. Marcus ait discipulis his duobus apparuisse Dominum, *πορευομένοις εἰς ἀγρὸν*, id est, euntibus in agrum, siue in villam, vt noster interpres vertit. Cũ enim ibant in Emmaus, in agrum ibãt, & villam aliquam.

Emmaus Nicopolis.

Et factum est, dum fabularentur (ait Lucas) id est, dum loquerentur, nam fabula à fando, non solum sermonem significat fictum, sed etiam verum; sic etiam fabulor. Loquebantur autem de Christo. Fuitque non lupus, sed agnus in fabula. Adiunxit se Agnus Dei de se loquentibus, & rogauit, quanam de re sermonem haberent mœrore affecti: ipso enim vultu mœrorem indicabãt, quod significat nomen Græcum, *σκυθρωποί*. Ipsi verò, à quo rogarentur, & quem viderent, ignorabant. *Oculi enim illorum* (ait Lucas) *tenebantur, ne eum agnoscerent*; &c. & Marcus: *Ostensus*, inquit, *est in alia effigie*, &c. Quæ verba dubium primum pariunt, tenuerit ne Christus oculos discipulorum, ne eum agnoscerent, an dæmon? August. lib. 3. de consensu Euangelistarum, cap. 25. existimat dæmonem tenuisse oculos discipulorum, immisso aliquo impedimento; quod causa fuit, ne Christum cognoscerent. Non incongruenter, inquit, accipimus, hoc impedimentum in oculis discipulorum à Satana factũ fuisse, &c. Respondẽdum est cum aliis plerisque dubio; non dæmonem tenuisse oculos discipulorum, sed Christum; quia ab eis cognosci tunc nolebat. Secundum dubium hinc oritur, quonam modo Christus tenuerit discipulorum oculos?

Fabula à fando deriuatur, ideò fabulari etiã est de rebus veris loqui.

D. August. Quomodo Dominus tenuerit discipulorum oculos.

oculos? D. Augustinus huic quæstioni propositæ à Paulino respondet epist. 59. in solutione quæst. 8. Christum aliquo modo mutasse corporis lineamenta, ne agnosceretur. tenuit ergo discipulorum oculos, ne eum agnoscerent, quia lineamenta immutauit. Sed libr. 3. de consensu, capit. 25. ait, non aliter quàm erat, Christum apparuisse discipulis, quorum oculi tenebantur. Respondendum est, non mutasse Christũ gloriosi vultus lineamenta, vel figurã; sed in oculos discipulorum speciem immisisse, quæ aliam effigiem verè repræsentabat, ideòque ait Marcus; *Ostensus est in alia effigie:* & Lucas: *Oculi eorũ tenebantur,* &c. D. Thomas 3. par. quæstio. 54. artic. 1. ad 3. Non apparuit, inquit, illis discipulis in specie gloriosa; sed sicut in potestate eius erat, vt corpus suum videretur, vel non videretur; ita in potestate eius erat, vt ex eius aspectu formaretur in oculis intuentium, vel forma gloriosa, vel non gloriosa, aut etiam commixta, vel qualitercumque se habens. Modica tamen differẽtia sufficit ad hoc, quòd aliquis videatur in aliena effigie apparere. Sic D. Thom. Caietanus Ientaculo 7. docet Christum speciem vultus, corporisque sui, quam in oculos discipulorum emittebat, ita esse moderatum, vt lineamenta vultus, figuram, ac colorem, non perfectè, sed aliqua tantum ex parte repræsentaret. Et Luc 24. Modus, inquit, quo Dominus altera apparebat forma, ex parte immutationis erat: lineamenta enim, & colores Christi, secundum aliquid sui immutabant visum discipulorum: & secundùm aliquid non immutabant. Et sic species in sensu nõ repræsentabat faciem, qualis erat, sed qualem species præ se ferebat. Et sic ostensus est in alia effigie, &c. D. Thomas. 3. sentent. dist. 21. quæsti one secunda, artic. 4. ait Diuina potestate impeditas fuisse internas potentias, ne Christum agnoscerent; quamuis externa species eundem repræsentaret.

D. Thom.

Caiet.

Dicet aliquis Christum apparuisse in alia effigie, quia reuera alia habebat vultus lineamenta post resurre- A ctionem, & aliam effigiem multò pulchriorem; ideoque non fuisse cognitum à discipulis. Hoc tamen non congruit cùm verbis Lucæ; qui causam, cur non cognosceretur Dominus, oculis tribuit discipulorum, non formæ illius. Si enim non cognoscebatur Dominus propter mutationem formæ, & lineamentorum; non oportebat oculos discipulorum teneri, satis erat formæ illa mutatio. Marcus quoque, cum B ait, ostensum esse *in alia effigie;* intelligendus est de alia effigie diuersa ab ea, quam tunc habebat. Ex his quæstio exoritur, an Dominus post resurrectionem alia habuerit vultus lineamenta, aliamque effigiem pulchriorem, maioremque corporis quantitatem?

An Christus post resurrectionẽ aliã habuerit effigiẽ.

D Thomas quæstio. 54 artic. 1. ad 3. sic scribit: Ad tertium dicendum, quod sicut Seuerianus dicit in sermone Pa- C schali, nemo putet Christum sua resurrectione vultus sui effigiem commutasse. Quod est intelligendum, quantum ad lineamenta membrorum: quia nihil inordinatum, & deforme fuerat in corpore Christi per Spiritum sanctum concepto, quod in resurrectione corrigendum esset. Accepit tamen in resurrectione gloriam claritatis (vnde ibidem subdit idem Seuerianus) sed mutatur effigies, dum efficitur ex D mortali immortalis. Vt hoc sit acquisiuisse vultus gloriam, non vultus substantiam perdidisse. Hæc D. Thomas. Respondendum ergo est, Christũ post resurrectionem lineamenta eadem, eãdemque effigiem habuisse multo pulchriorem propter splendorem, habereque nunc in cælo. Itaque si à discipulis in ea effigie visus fuisset, facilè fuisset cognitus. Existimo tamen verisimile esse post resurrectionem mutas- E se Dñm corporis, & vultus lineamẽta, in admirabilem quandã pulchritudinẽ, qualẽ postulat Dei vultus in statu immortalitatis, & summę glorię. Ea. n. mutatio accidentium est, non substantię. Quod verò dicitur, nihil inordinatũ & deforme fuisse in corpore, & vultu Christi p Spiritum Sanctũ cõcepto quod in resurrectione, corrigẽdũ esset

D. Thom.

Sententia Autoris.

verum

Verum quidem est in statu mortalitatis, & humilitatis, tale enim corpus Spiritus sanctus effecit, quale status ille postulabat. At status immortalitatis, & summæ gloriæ postulat admirabilem pulchritudinem vultus, & forsitan maiorem quantitatem corporis; hanc verò pulchritudinem admirabilem in terra non decebat habere Christum, sed similem reliquis hominibus venustatem.

Respondens vnus, cui nomen Cleophas.

QVisnam fuerit hic Cleophas à Luca nominatus, quisve discipulus alter, cuius nomen tacuit, incertũ est. Duos ex septuaginta discipulis fuisse, probabile est Cleopham nonnulli putarunt fratrem fuisse Ioseph sponsi Deiparę; D. Hieronymus ĩ Epitaphio Paulæ sic scribit: Paula repetito itinere Nicepolim, quæ prius Emmaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in Ecclesiam dedicauit, &c. Hospitiũ, in quod receptus est Dominus, ait fuisse domum Cleophæ. Dorothæus in eius vita Simonem vocat. Sociũ Cleophæ putat D. Epiphan Hæres. 23. fuisse Nathanaelem; Origenes initio comment. in Ioan. Simeonem vocat. Ambrosius lib. 10. in Lucam, capite extremo Amaonem. D. Gregor. in præfatione libri Iob, cap. 22. Nicephorus lib. 1. cap. 34. Theophylactus, & alii, existimant fuisse ipsum Euãgelistam Lucã, qui suum nomen humilitatis causa siluerit: Nonnulli id negant, quoniã Lucas Christum non vidit, vt colligitur ex illius verbis initio Euangelii: *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis*, &c.

Incertũ est qui nã fuerint duo discipuli.

Tu solus peregrinus es in Ierusalem.

ROganti Domino quibus de rebus loquerentur discipuli, respondet Cleophas admirans; Tu ne solus peregrinus es, Græcè, παροικεῖς, id est, peregrinaris in Ierusalem, *& non cognouisti, quæ facta sunt in illa his diebus?* Poterat peregrinus in Ierusalem manẽs, ea ad quæ tota ciuitas confluxerat, videre, ac cognoscere. Imò peregrini curiosi esse solent. Cur igitur ait, *Tu solus peregrinus es, & non cognouisti*, &c. Quasi dicat, & idcirco, quia peregrinus es, ignoras ea, quę tota ciuitate cõcurrente, acta sunt? Respondetur, sensum huiusmodi esse: Tu solus peregrinaris in Ierusalem, hoc est, tune solus in ipsa vrbe Ierusalem manens, peregrinus fuisti ab ipsa, & quasi absens, ita vt non cognoueris ea, quæ coram omnium oculis facta sunt? Aliter ex omnibus peregrinis, qui ad festiuitatem Paschalem celebrandam confluxerunt, tune vnus, & solus es, qui non cognouisti, quæ facta sunt in ea? Vel sine interrogatione: sanè ex omnibus peregrinis, qui nunc in Ierusalem venerũt, tu solus ignoras, quæ in illa acta sunt; cæteris enim omnibus sunt comperta. Aliter. Quia curiosi esse solent peregrini, ait Cleophas: Tu solus peregrinus es in Ierusalem; & præter morem peregrinorum ignoras ea quæ maximè publica in ea fuere.

Affatur discipulos Christus.

Sed miror, cur sic loquatur Cleophas, vndenã sciebat peregrinum illũ ignorare ea quæ facta erant in Ierusalem? Peregrinus enim solum rogauerat; *Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicẽ, & estis tristes?* Colligere quidem poterat Cleophas ex his verbis, peregrinum ignorare sermones, quos conferebant ad inuicem, & cur essent tristes, sed colligere non poterat eum ignorare ea, quę in Ierusalẽ facta erãt. Respondendum videtur, peregrinum, antequã discipulos interrogaret, iuxta illos iter fecisse breui aliquo tẽpore, eosque audiuisse loquentes de passione Magistri; atque idcirco Cleopham ex eius interrogatione collegisse illum ignorare, quæ facta erant in Ierusalem. Cum enim audiuisset eos loquentes de passione, interrogauit, *Qui sunt sermones isti*, &c. Vel dicendum, Cleopham sic respondisse, quia putabat, peregrinum, si nõ ignorasset, quæ

Cur Cleophas peregrinum sic alloquatur

quæ facta erant, facilè coniicere potuisse de illis rebus factis esse sermones. Erant enim omnium sermone dignissimæ.

De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta.

DIxerat Cleophas: Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & ignoras quæ facta sunt in ea his diebus? Rogat peregrinus, *Quæ*, id est, Quænā ignoro facta his diebus in Ierusalem? vel, quænam sunt ista facta in Ierusalem? Interrogat autem, vt vlcus aperiant, medicinamque ipse adhibeat. Responderunt discipuli, vel vnus nomine vtriusque: *De Iesu Nazareno*, Græce, τὰ περὶ Ἰησοῦ τοῦ Ναζαρηνοῦ, i. ista sunt, *quæ de Iesu Nazareno*, vel circa Iesum Nazarenum contigerunt, vel ignoras, quæ de Iesu Nazareno, vel circa Iesum facta sunt? Et quomodo summi sacerdotes, & Principes nostri eum Pilato tradiderunt, & egerunt in crucem? Duriusculum autem videtur hæc referre ad illa peregrini valde distantia verba; *Qui sunt hi sermones*? vt aliqui referunt. Docent deinde, quis fuerit Iesus Nazarenus *Qui*, inquiunt, *fuit vir propheta, potens in opere, & sermone*. Potens dicitur in opere propter stupenda miracula, in sermone, propter singularē doctrinam. Humi adhuc serpebant, diuinitatem Christi non agnoscebant, humana illi tribuūt, Dei filium non vocant. Filium Dei tacent (ait Beda) vt scilicet, non perfectè credentes. Vel soliciti ne inciderent in manus Iudæorum persequentium, quia nesciebant, quis esset is, cū quo loquebantur, quod verum credidere, celantes, &c.

Nos autem sperabamus.

SPerabant hi discipuli, viuēte Christo, quod ipse esset redempturus, id est, liberaturus, populum Isreliticum, veluti rex terrenus, à iugo Romanorum, vt ait Theophylactus. Post mortem spem abiecerunt, cum cernerent crucifixum, tertiamque iam esse diem, neque viderent à mortuis excitatum. *Et nunc*, inquit, *super hæc omnia tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt*, &c. Et tamen ille non resurrexit, non enim hactenus rediuiuum vidimus. Veruntamē mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ad sepulchrum abierunt, idque se vacuum corpore vidisse, & ab Angelis audiuisse aiunt, illum resurrexisse. Nonnulli quoque viri ex nostris (nēpe Petrus, & Ioannes) ad monumentum perrexerunt, veraque nuntiasse mulieres cognouerunt. Videlicet quod attinet ad sepulchrūm; vacuum enim corpore repererunt; Angelos tamen non viderunt, quos mulieres se vidisse nuntiarunt. *Mulier ex nostris* vocant Discipuli, id est, sectantes Christum, Discipulas Christi; sic vocant *viros ex nostris*, Petrum, & Ioannem, id est, ex familia Discipulorum Christi. *terruerunt nos*: Grecè ἐξέστησαν, id est, *attonitos reddiderūt*, & terruerunt suo nuntio, dicentes se vidisse sepulchrum vacuūm corpore, & Angelos, qui eum asserunt resurrexisse.

Exponunt discipuli peregrino, quæ de Domino cogitabant.

CAPVT XII.

O stulti, & tardi corde.

MIrum equidem est sermonis hoc initiū; mira beneuolentię captatio. Homo ignotus, comites, quibus se adiunxit, stultos vocat, & tardos ad credendum, quæ verba illorum excandescentiam, potius quā beneuolentiam poterant concitare. At verò Deus est, qui loquitur, qui increpando accendit corda. Non vt afficiat contumelia Discipulos, sic loquitur, sed vt eorum in credendo tarditatem stimulet. O stulti, iquit, Grecè ἀνόητοι, idest,

Increpat discipulorum tarditatē ad credendum.

id est, insensati, absque mente, ad complectendam fidem resurrectionis, & tardi ad credendum in omnibus, quæ Prophetæ prædixerunt. Præpositio, *in*, abundat more Hebræo. dicitur, *credere in omnibus*, pro, *credere omnibus*, Prophetarum vaticiniis. Ambigi hic potest. Nunquid hi duo Discipuli omnia Prophetarum de Christo vaticinia nouerant, & intellexerant? Nunquid Prophetis non credebant? Non videntur sanè nouisse vaticinia, & intellexisse, siquidem de Petro, & Ioanne, præcipuis Apostolis, legimus Ioann. 20. *Nondum sciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere*, &c. Certum autē est credidisse Prophetis. Cur igitur tam acriter de tarditate obiurgantur ad credendum omnibus Prophetarum prædictionibus, neque cognitis, neque intellectis? Respondetur, non obiurgari propterea quod omnibus Prophetarum prædictionibus non credant, quas ignorant, sed propterea, qd. non credant Christum fuisse cruci suffigendum, & in vitam reuocandum, quod Prophetæ prædixerunt. Est sensus: O stulti, & tardi corde ad credendum rei quæ à Prophetis prędicta est. Credebant quidem Prophetis Discipuli, sed id, quod illi prædixerant, nō credebant, quia vaticinia illorum non nouerant, nec intelligebant. Ideo ait Dominus, ò tardi corde ad credendū rebus de quibus vaticinati sunt sacri vates. Noluit addere, ò tardi corde ad credendum resurrectioni, quam vobis vester magister prædixit, cuius prædictio etiam ipsis hostibus nota erat, quamobrem sepulchrum custodiri iusserunt.

Nonne hæc oportuit pati Christum?

CONfirmat, quod significauerat, scilicet, Prophetas de sua Passione, & resurrectione esse vaticinatos, illorum vaticinia profert, atque interpretatur. Vos, inquit, dicitis Iesum Nazarenum à vestris principibus fuisse actum in crucem, neque vsque in hanc tertiam diem resurrexisse creditis. Nesciebatis illum morte sua fuisse redēpturum Israel, & spem resurrectionis eius fere abiicitis. Rebus non creditis à vatibus satis prædictis. Nonne Iesus Nazarenus, de quo loquimini, erat Christus, id est, Messias potens in opere, & sermone? Nonne Christum hæc oportebat ex hypothesi, diuino decreto supposito, & Prophetarum prædictionibus, pati, & in crucē agi, & post crucem ac mortem resurgere, & intrare in gloriam suam, hoc est, in regnum suum gloria plenissimum, sicque redimere Israelē? Audite Prophetarū prędictiones: *Et incipiēs a Moyse, & omnib. Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant*, &c. En vatum prædictiones Moyses, cæterique sancti vates Iesum Nazarenū Messiam, mortem crucis fuisse subiturum, & resurrecturum vaticinati sunt, si nō creditis feminis, credite Prophetis. Quod si tertia dies est hodie, qua ille se dixit resurrecturum, resurgere potuit manè, & aliis sese ostendere. Præterea nondum tertia præteriit dies, adhuc tempus superest, quo Discipulis possit se videndum exhibere. Vtinam Lucas Christi illas interpretationes litteris mandasset, multum nobis lucis attulissent. Percurrit Scripturam sacram; peregrinis, minimè peregrinus in Scripturis, quæ de se ipso in illis erant, breuiter explanans. Discipulorum cordibus velut ignem subiecit: quamobrem infra aiunt: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* &c. Christum spirant Scripturæ; vtinam non desit nobis Spiritus sanctus earum auctor, vt quo auctore sunt cōpositæ, eodem expositore intelligantur, si velimus hoc loco loca multa, quæ Dominus interpretatus esse videtur, explanare, actum agemus, id enim egimus toto hoc opere.

Christus discipulis Scripturas explanat.

Appropinquauerunt Castello, quo ibant.

TOto illo itinere eximius Magister Discipulos imperitos docuit, Scripturasque explanauit, quousque ipsi pago Emmaus appropinquarunt. Tunc finxit se longius ire, vltra progrediens, & vale illis dicens, Græcè, προσεποιεῖτο. Exoritur quæstio de hac fictione, siue simulatione. Fictio enim est mendacium in facto, cum quis id fingit, quod facere non vult, omne autem mendacium peccatum est, quod longissimè à Christo abfuit. Respōdet D. Thomas ex August. 22. quæst. 111. art. 1. ad primum. Cum fictio, inquit, nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed figura aliqua veritatis. Sic Dominus finxit se longius ire, quia composuit motum suum quasi volentis longius ire, ad significandum aliud figuratiuè, scilicet, quod ipse ab eorum fide longius aberat, vt Gregorius dicit, vel, vt Augustinus dicit: quia cum longius recessurus esset in cælum, ascendendo, per hospitalitatem quodammodo retinebatur in terra. Sic D. Thomas. lege August. lib. 2. quæst. Euang. quæst 51. & lib. cōtra mendacium cap. 13. Preterea respōderi potest, Dominum voluisse vlterius progredi, si non retineretur à Discipulis, nihilque falsi fuisse in illa fictione. Præterea vlterius voluit progredi, quia nolebat in illo oppido illa die manere, idque forsitan verbis aperuit, dicens, se non mansurum illa die in vico, quod factum est, siquidē mox disparuit, & discessit longius. Præterea iter Discipulorum tendebat ad Emmaus, sed iter Christi alio tendebat non igitur mirum, si longius, id est, alium in locum ire præ se ferebat.

Fictio est mēdacium in facto.

D. Thoma. Quomodo Christus finxerit se lōgius ire.

Et coegerunt illum.

OBiugatorem, qui ardere corda fecerat, & peregrinum, in cuius mente ipsæ habitabant Scripturæ, discedere minimè patiuntur, manere secum coegerunt illa die, quoniam iam Sol in occasum tendebat. Mansit libenter, accubuit mensæ cum discipulis, panem accepit, benedixit, ac fregit, illisque porrexit edendum. Oculi, qui tenebantur in via, ne eum agnoscerēt, in mensa aperiuntur, Dominumq; cognoscunt. At ille à cognoscentibus oculis mox euanuit, Græcè ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν, id est, disparens factus est ab eis, disparuit à discipulis. Speciem immisit in oculos discipulorum, qua se ipsum repræsentauit, ita, vt cognosci posset; ideoque à discipulis est cognitus. Mox vero euanuit ab oculis eorum, id est, disparuit inuisibilemque se reddidit, sublata specie, & per dotem agilitatis temporis puncto discessit. Dubia duo restant; Alterum, cur dicant discipuli se cognouisse Dominum in fractione panis? Alterum, Num Christus Eucharistiam illis præbuerit.

Manet Dominus cum discipulis.

Priori dubio respondetur ex sententia Lyrani, Caietani, & D. Thom. Christum solitum sic panem manibus frangere, ac si cultello scinderet, ideoque à discipulis dici cognitum in fractione panis. Sed non satis probatur hic Christi mos, imò miraculum perpetuum, cum cibum sumebat. Rectius dicitur, cognitum Dominum in fractione panis, id est, dum panem frangeret, & porrigeret discipulis, voluit autem tunc cognosci speciem ex se emittēs qua cognosceretur, vt indicaret Eucharistiæ cælestem panem hominum oculos illuminare, ad cognoscendum Deum.

Cognouerunt discipuli in fractione panis.

Quomodo i fractione panis cognouerint discip. Christum.

Posteriori dubio respondet Iansenius, & alii, Christum non præbuisse his duobus discipulis Eucharistiam. Erant enim imparati, neque tunc nouerant, quid esset Eucharistia, nō enim cœnæ extremæ interfuerant. Alii multi præbuisse credunt. Nam fractio panis de Eucharistia dicitur. Act. 2. *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*, &c. Fauet Augusti. lib. 3. de consensu Euange. cap. 25. A Christo, inquit, facta est permissio (videlicet

An Christus discipulis Eucharistia prabuerit August.

delicet impedimenti in oculis discipulorũ, de quo supra diximus) vsque ad Sacramentum panis, vt vnitate corporis eius participata remoueri intelligatur impedimentum inimici, &cæ. Lege eundem epist. 59. ad Paulinum, & sermo. 146. Fauet etiam D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ illis verbis; Apud Emmauntem in fractione panis cognitus Dominus. Cleophę domum in Ecclesiam dedicauit, &cæt. Quod si discipuli imparati erant, potuit illos Dominus parare, & cognitionem, quæ de Eucharistia necessaria erat, mentali sermone donare qui sermo & illuminatio mentalis, oculos illis apéruit, vt præsentem agnoscerent. Vtraque opinio est verisimilis, vt Cardinali Bellarminio videtur, idemque existimo.

Hieron.

Nonne cor nostrum ardẽs erat.

POstquam discipuli magna cum admiratiõne Dominum cognouerũt; cognouerunt quoque, ignis, quo in itinere, Scripturarum audientes testimonia, exarserant, illum causam fuisse. Mirabãtur in via cordis sui ardorem; à quonam inflãmarentur, ignorabant; nunc id plane cognoscũnt, erumpuntque in hæc verba: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas*, &c Quasi dicant, ideo cor nostrũ ardens erat, quia Magister noster loquebatur, & scripturas aperiebat. Iudex Magistri ardor ille erat.

Eadem hora regressi sunt in Ierusalem.

EXarserant corda discipulorum in via, cum Christum audierunt, multo magis exarserunt in mensa cum illum in fractione panis cognouerunt. Igne veluti quodam inflammati, quãuis aduesperasceret, & inclinata esset iam dies, in Ierusalem reuersi sunt, vt reliquos discipulos tantæ lætitiæ participes facerent: Inuenerunt autem cõgregatos vndecim Apostolos, & alios, affirmantes surrexisse Dominum, & apparuisse Petro, quibus omnibus, quæ in via, & mensa in Emmaus contigerant, narrauerunt.

CAPVT XIII.

De duobus discipulis.

Morale,

Tu solus peregrinus es?

EXimium in hoc Euangelio habemus peregrinũ Christum Optimum Maximum. Peregrinus erat post resurrectionẽ in terra, siquidem corpus iam habebat gloriosum, cuius locus non terra est, sed cælũ. Beda in Lucam: reuera peregrinus erat Christus discipulis, à quorum naturæ fragilitate, præcepta iam resurrectionis gloria longe distabat, &c. Fuerat tota vita peregrinus in terra homo cælestis, sed præcipue postquam resurrexit. Maxime peregrinas in Christo res terra habuit. Quid peregrinum magis, atque insolitum, quam homo comprehensor, & viator, quam homo miraculis stupendis corruscans; quam homo seipsum à mortuis excitans, quam homo corpore constans immortali, splendido, subtili, agili. Denique quid peregrinum magis, quam homo Deus?

Christus peregrinus

Peregrinus (inquiunt) *in Ierusalem.* Etenim quemadmodũ peregrini ignoti sunt, sic Christus ignotus fuit in Ierusalem, ignotus principibus Sacerdotũ, ignotus Pharisæis, ignotus Scribis, neque Deum esse, neque Messiam plenè cognouerũt. Psal. 68. *Extraneus factus sum fratribus meis & peregrinus filijs matris meæ*, &c. *Si cognouissent* (ait Paulus

Peregrinus Dominus in Ierusalem

Psalm. 68.

Digitized by Google

1. Cor. 2. Paulus 1. Cor. 2.) *nunquã Dominũ gloriæ crucifixissent*. non cognouerunt, ideo crucifixerunt, peregrinum in Ierusalem, peregrinis cruciatibus affecerũt in Ierusalem. Nonne crux à Christo Deo maximè peregrina erat? nõne cruciatus illi omnes, & opprobria, quæ pertulit in Ierusalem, de quibus hic discipuli agunt, peregrina erant à corpore, atque animo nulla peccati labe inquinato? nonne peregrinissima erãt ab homine Deo?

D. Gregor. Ostendit hoc D. Gregorius homil. 16. in Ezechiel. ad illa verba Isaiæ 28. *Vt faciat opus suum alienum opus eius, vt operetur opus suum, & peregrinum est opus eius ab eo*, &c. Opus Dei (ait Gregorius) est animas, quas creauit, colligere, & ad æternæ lucis gaudia reuocare. Flagellari autem, crucifigi, mori, atque sepeliri, non hoc in sua substantia opus Dei est, sed opus hominis peccatoris, qui hæc omnia meruit per peccatũ. Sed peccata nostra ipse pertulit super lignum, &c. Itẽ: Alienum opus fecit, vt faceret propriũ. Quia per hoc quod infirmans mala nostra sustinuit, nos ad fortitudinis suæ gloriã perduxit, &c. Peregrinũ à Messia opus existimabant discipuli duo passionẽ, peregrinum à Redemptore Israelis esse putabant cruci suffigi, cum dicebant; *Nos autem sperabamus, quod ipse redempturus esset Israel*: ipse vero cruci suffixus est. At Christus ostendit se opus peregrinũ fecisse opus propriũ, vt faceret opus suum. Pati, ac crucifigi opus erat peregrinum, & alienũ à Deo, hoc alienum à Deo opus, proprium ille fecit; passusque est, & crucifixus, vt faceret opus suũ, id est, vt Israel redimeret ab iniquitatib. suis, iuxta illud Psal. 129. *Ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius*, &c. Opus Dei est redimere ab iniquitatibus, opus alienum à Deo est crucifigi, opus alienum fecit, vt opus alienum faciendo, opus suum faceret. *Nonne*, inquit, *oportuit Christũ*, vel Messiam *pati, & ita intrare in gloriam suam?* Quasi dicat, existimatis discipuli alienum opus esse à Messia pati, & crucifigi? Alienum quidem est, & peregrinum, sed hoc opus alienum suscipere, & facere oportuit, vt faceret opus suum, hoc est, vt intraret in gloriam regni sui, vt haberet regnum in hominibus sanguine redemptis, ex quo ei summa gloria proueniret. Oportuisse autem Messiam facere suum id opus, quod ab eo erat alienũ, id est, pati, & cruci suffigi, probat testimoniis Prophetarum, incipiẽs à Moyse, & Prophetis, &c.

Peregrinũ opus à Deo crucifigi, & mori.

Psal. 129.

Loquebantur ad inuicem de his omnibus, quæ acciderant.

Ex abundantia cordis os loquitur.

ANtiqui (vt Pierius refert) pomũ Persicum, quod similitudinẽ habet cordis, adhærescente folio, quod similitudinem habet linguæ, si pinxissent, veritatis id signum erat. quippe, quod ea species linguam cordi coniunctam ostendit. Coniuncta equidem est lingua cordi, quemadmodum folium malo Persico, quod hi duo ostendunt discipuli; Christũ n. habebant in corde & cũ corde copulatã linguam, ideo Christum habebãt etiã in ore, ex abundãtia cordis os loquebatur, adhærebant folia pomis. Gratus fuit odor Christo. Adiunxit se loquentibus: rogauit; *Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem?* At illi loquebantur (vt ait Euangelista) *de his omnibus, quæ acciderant*, videlicet, de Domini passione, & cruce. Hi erant sermones, quos ad inuicem conferebant. O nimium felices; qui de Christo, eiusque gestis loquuntur, aderit illis is, de quo loquuntur, & eorum incendet corda.

Sed pauci de rebus diuinis, ac cælestibus, multi de terrenis habent sermonem: videlicet, quia pomi Persici folium adhæret pomo, hoc est, quia lingua adhæret cordi, & ex abundantia cordis effundit os. Quale cor, tale est os, Prouer. 16. *Cor sapientis erudiet os eius*, &c. Si cor est sapiens, erudit os, sapiensque reddit: si cor insipiens est, insipiens quoque os erit.

De reb. diuinis loquendum. Prouer. 16.

Si cor Deo plenum est, eructat verbum bonum ac diuinum, linguamque Spiritus sancti efficit calamum, iuxta illud

Psalm. 44.

illud Psalm. 44. *Eructauit cor meũ verbum bonum, lingua mea calamus scribę*, &cæ. Calamus Spiritus sancti est Deo pleni hominis lingua, à Spiritu sancto mouetur, spiritalia tractat, de rebus cęlestibus loquitur, oris sui opera, idest, verba summo regi dicit. *Dico* (inquit Vates) *opera mea regi*; hoc est, summo Regi profero, & eloquor opera calami mei, carmina mea, verba quæ scribo. De D. Catharina Senensi sic scribit D. Anto. in eius vita. §. 3. Reuelauit ipsa, quod nullum tantum refrigerium habebat in hac vita, quantum cum intelligentibus loqui, vel conferre de Deo. centum diebus, & noctibus ferè stetisset absque cibo & potu, & somno, si habuisset intelligentes, & conferentes cum ea ad loquendum de Deo, &c. At qui mundo pleni sunt, cepas, aliaque eructant; verba terrena, imò tartarea effundunt, inuidia, obtrectatione, libidine, ambitioneque redundantia. Opera oris, & calami sui mundo, dicunt, non Deo, calami sunt eorũ linguæ, organaque Cacodæmunum. Eligere oportet sermones, quemadmodum eliguntur cibi; cibis oblectamur bonis, sic verbis delectemur diuinis; execramur veneno infectam escam, execremur veneno peccati infectum sermonem. August. Psal. 51. Cibos, inquit, amaritudinis non das ventri tuo; & cibos iniquitatis das linguę malignæ? Sicut eligis, quo vescaris, sic elige, quod loquaris, &c.

D. August.

Ponderãda verba. *Eccles. 21.* *Psal. 144.*

Ponderemus verba, quæ loquimur; videamus, an dignum prudente Christiano pondus habeant, iuxta illud Ecclesiast. 21. *Verba prudentium statera põderabuntur*, &c. Psalm. 144. *Potentiam tuam pronuntiabunt; magnificentiam gloria sanctitatis tua loquentur, & mirabilia tua narrabunt; virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundãntia suauitatis tua eructabunt*; &c. Verba hæc Christiani sunt; Christi sectatoris; pondusque habẽt Christiano dignum. Reuereamur; quæso, linguam, & os nostrum, propterea quod augustissimam excipit Eucharistiam. Os, quod Deum excipit, spurca, diabolica verba exhor-

Philo.

A rescat. Iudæus Philo in lib. de Decalogo: Nefas, inquit, est, per os, quo profertur nomen illud sanctissi nũ, id est, Dei quidquã turpe egredi, &cæ. Quid ille dixisset, si Christianus fuisset, augustissimumque agnouisset Sacramentum? Audiamus D. Chrysostomũ homil. 4 ad baptiz. Quæ, inquit, venia nobis dabitur, imò verò quæ supplicia non perpendemus, quando linguam nostram, qua Dominicam carnem de- B gustauimus, linguam efficimus Diaboli, &c. Homil. 52. in Matth. Linguam ille confert cum equo, qui freno maximè indiget, efficitur autem hic equus, vel Dei, si frenatus sancta, bonaq; verba ferat, vel Diaboli; si effrenatus fert impia. Magis (inquit) quam pupillam oculi, linguam tuam custodias. Regius (enim) equus est lingua nostra. Si ergo ei frenum immiseris, doctrina tua gradarium feceris, ascendet in eum C Rex, & quiescet in eo. Si autem nullo freno domueris, sed huc, atque illuc infrenem iactari permiseris, Diaboli eã vehiculum fecisti, &c. Regius Christi equus lingua erat horum discipulorũ, quæ Christi ferebat cruciatus, mortẽ, opprobria. Erit etiã nostra, si de eius gestis, rebusque cælestibus eloquatur. Cum quo loqui non possumus (ait Hieronymus Epist. 3. quæ est Epitaphium Nepotiani), de eo, id est, Nepotiano, D loqui nunquam desinamus, &cæt. Nos verò, cum quo loqui semper possumus, de eo, id est, Christo, loqui nunquam cessemus. Loquamur cum eo, loquamur de eo, vt ardens sit in via hac cor nostrum.

D. Chrys.

Lingua Dei vel diaboli equus fit.

D. Hieron.

Nos autem sperabamus.

NON dicunt, Nos autem *speramus*, sed, *sperabamus*; quasi iam non E sperent Christum redempturum esse Israel, eo quod fuerit crucifixus. Erratis toto cælo discipuli, id, quod vobis spem aufert, totius spei causa est. Non speratis, quia crucifixus est; tunc potius oportebat desperare, si non fuisset crucifixus. Etenim causa redẽptionis Israel, crux Domini est. Quia crucii suffixus est, ideo redemit. Verum quia qualis

Crux Christi causa spei nostra, & redemptionis.

qualis sit redemptio Israel, ignoratis; ideo spem abiicitis. Non est redemptio Israel, liberatio populi à Romana seruitute; quæ armis, potentiq; fit exercitu. Sed liberatio est populi à Diabolica captiuitate, quæ cruce facta est, & redemptoris morte. *Ipse redimet Israel* (ait Vates Psalm. 129.) *ex omnibus iniquitatibus eius*, &c. Et Isaiæ 53. *Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit*, & *Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum*, &c. Item, *Propter scelus populi mei percussi eum*, &c. Cum sanguine confert spem Clemens Alexandr. lib. 1. Pædagog. cap. 6. Sanguis, inquit, fidei est spes. Cum aũt spes expirauerit, perinde ac si sanguis effluxerit vitalis fidei facultas dissoluitur, &c. Tenuem spem habebant hi discipuli, parum habebant sanguinis, redemptionis fides in eis fere dissoluta erat. Restituit eis Christus spem veluti sanguinem, vehementerque sunt corroborati. Caueamus, ne spem vnquam abiiciamus: exãgues enim efficiemur, & maximè imbecilli, sanguinem abiicientes animi. Anchora est spes, qua veluti nauis, anima sustinetur, hanc qui abiicit, naufragium facit, non hærebant anchoræ discipuli, fluctuarunt, fecissentque penitus naufragium, nisi Dominus succurrisset.

Psal. 129. *Isai. 53.* *Clemens Alexandr.* *Spes sanguis fidei.* *Spes anchora.*

Potens in opere, & sermone.

RECtè in hæc verba Theophylactus sic scribit: Primum opus, & deinde sermo. Nullus enim sermo doctoris firmus est, nisi prius docens se factorẽ declaret. Potens igitur esto primum in opere: deinde & verbi solicitudinẽ habeto. Sic & Deus cooperabitur tibi, prius enim opus, deinde contemplatio, & illustratio. Hæc ille. Potens in opere ille est Præsul, & Concionator qui exemplo potẽs est, potens verbo, qui corda mouet auditorum. Exẽplum facit potentem hominẽ ad persuadendum. Egregiè D. Gregor. lib. 1. Epist. 24. Qui, inquit, loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadẽ necessitate compellitur summa monstrare. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat. Quia quod loquendo præcipit, ostẽdẽdo adiuuat, vt fiat, &c.

Theophyl. *Cõcionator potẽs sit, & in opere, & sermone.* *D. Gregor.*

De exemplo D. Malachiæ Episcopi lege Bernardum in vita ipsius Malachiæ: Malachias, inquit, ipse rector, ipse regula fratrum, legebat in vita eius quomodo conuersarentur, &c. Item, legem, quam aliis imponebat, ipse portabat Episcopus, & magister, &c. de Exemplo Catonis viri Ethnici lege Senecam Episto. 104. Cato, inquit, per medias Africæ solitudines pedes duxit exercitum, & quoties aquæ fuerat occasio, nouissimus bibit, &c. Lege etiam Lucanum lib. 9. apud quem vt alia omittam, sic fatur Cato;

Exemplũ præsulis. D. Malac. Exẽplum. D. Bernar. *Lucan.*

Deficiat (scilicet miles) *si quo fuerit discrimine notum,*
Dux an miles eam, &c.

Nolebat à militibus discrimine aliquo segregari, vt illis in omnibus exẽplum præberet Item:

Catonis exemplum

Ipse manu sua pila gerens, præcedit anheli
Militis ora pedes. Monstrat tolerare labores;
Non iubet. Et nulla vehitur ceruice supinus,
Carpentove sedens: somni parcissimus ipse est,
Vltimus haustor aquæ, &c.

Adde hæc; cum miles galea ad illum ferret aquam:

——Mene, inquit, *degener vnum,*
Miles in hac turba vacuum virtute
——putasti? sic concitus ira
Excussit galeam, suffecitque omnibus vnda.

Suffecit aqua effusa omnibus, quia suffecit ducis exemplum. Potens in opere est, qui valet exemplo. Potentem verò in sermone facit ardor animi, diuino amore inflammati, & Scripturarum studium. Vnde Apollo Act. 18. *Potens dicitur in Scripturis*, item, *feruẽs spiritu loquebatur*, &c. Sit concionator potens in Scripturarum studio, sit feruens Spiritu; eritque potens sermone, & accendet auditorum corda, sicut corda discipulorum Christus accendit;

Act. 18.

cendit; *Nonne* (inquiunt) *cor nostrum ardens erat?* &c.

O stulti, & tardi corde.

Psal. 140. Obiurgatio Dei misericors.

MIsericordi obiurgatione percutit Dominus corda non credentiũ, iuxta illud Psalm. 140. *Corripiet me iustus in misericordia; & increpabit me,* &c. Sic iustissimus Christus discipulos corripit in misericordia; durè increpat, vt misericorditer corrigat, vulnerat, vt sanet. Nam vt est in Prouer. 27. *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis,* &cæt. En vulnera diligẽtis Domini, quibus vulnerata corda vult sanare. Fraudulenta oscula Cacodæmonis sunt, odio habentis sanantia vulnera Christi sunt, amore prosequentis. *Ego* (inquit Apocalyps. 3.) *quos amo, arguo, & castigo,* &c. Amabat Christus hos discipulos, ideo obiurgauit, & post obiurgationem suo sermone incendit. *Nonne* (inquiunt) *cor nostrum ardens erat, cũ loqueretur?* &c.

Prou. 27.

Apoc. 3.

Obiurgatio aquo animo excipiẽda, & beneuolo.

Non repulerunt illi asperè obiurgãtem, sed attentis auribus illius excepere verba. *Qui illusor est,* Prouerb. 13. *non audit, cum arguitur,* &c. At discipuli non erant illusores, cum increparẽtur ab homine ignoto in via, audierũt. Prouerb. 25. *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem,* &c. Arguit Christus discipulos sapientes, arguit aures obedientes, fuit illorum auribus sermo Domini inauris aurea, & margaritum fulgens. Qui amicè corripientis correptionem repellit, inaurem repellit auream, fulgensque margaritũ. Quemadmodum aurum & gemmæ nõ abiiciuntur, sed colliguntur, sic non sunt abiiciendæ correptiones, sed colligendæ, & in corde asseruandæ.

Prou. 13.

Prou. 25.

Repellenda diaboli blãditia.

Repellendæ sunt non increpationes vtiles, etsi aliquid videantur habere amaritudinis, sed Diaboli blanditiæ, etsi aliquid videantur habere dulcitudinis; veram enim habent amaritudinem, felque tartareum, Psal. 140. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum,* &c. Hebraicè oleum, Ros verti potest, oleum veneni, fellis, amaritudinis. tale est diaboli oleum, tales illius blanditiæ oleo blandiores: oleũ sunt, veneno, felle, amaritudineq; tartarea plenum. Huiusmodi oleum (ait) nõ impinguet; Hebræum verbum verti potest, non franget caput meum. Diaboli blanditiæ caput, hoc est, mentem hominis, impinguant, crassam, hebetemque reddunt; præterea eandem frangũt. Repellat ergo Christi seruus fraudulenta diaboli oscula, repellat blandum oleum, sed venenatum, amarum, felle infectum, dicens, *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Colligat iustorum correptiones, inquiens, *Corripiet me iustus in misericordia,* &cæt. Dei verò increpationibus gaudeat, iuxta illud Tertulliani lib. de Patientia cap. 11. Gratulari (ait) & gaudere nos docet, dignatione diuinæ castigationis: *Ego,* inquit, *quos diligo castigo.* O seruũ illum beatum cuius emendationi Dominus instat, cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit, &c.

Psal. 140.

Dei increpatio. Tertull.

Sit nobis exemplum Ecclesiæ summus Pastor D. Petrus, qui à D. Paulo reprehensus, non tulit impatienter, sed humiliter excepit reprehẽsionẽ Aug. epist. 19. Quod, inquit, à Paulo fiebat vtiliter libertate charitatis; Petrus sancta, ac benigna pietate humilitatis accepit atque rarius, & sanctius exemplum posteris præbuit, quo non dedignarentur, sicubi forte tramitem, reliquissent ẽt à posteriorib. corrigi, quã Paulus quo cõfidenter auderent ẽt minores maioribus pro defendenda veritate Euangelica, salua fraterna charitate resistere. Est laus iustæ libertatis in Paulo, & sanctæ humilitatis in Petro, &cæt. Legendus quoque Diu. Gregorius homil. 18. in Ezechiel. A minore, inquit, suo Petrus reprehenditur, & reprehendi non dedignatur, &cæt. Item, factus est sequens minoris sui Petrus, quatenus qui primus erat in Apostolatus culmine, esset primus, & in humilitate, &c.

Exemplum D. Petri.

Digitized by Google

Nonne oportuit Christum pati.

1. PEtri 4. ait Apostolus: *Nolite peregrinari in feruore qui ad tentationem vobis fit quasi noui aliquid vobis contingat*, &c. hoc est: Ne videatur vobis noua res feruor, ardor, siue incẽdium tribulationis, quod vobis cõtingit, vt probemini: ne veluti peregrini admiremini persecutiones, vt nouam aliquã, & insolitam rem. Peregrinabãtur equidem duo hi discipuli in feruore, id est, incendio passionis nostri peregrini Christi. Christus erat peregrinus in oculis eorum, illi erant peregrini in passione Christi, quasi re noua, & nunquã à Christo, & Prophetis prędicta. Ostendit illis Dominus non esse rem nouã, id est, nunquam prædictam, suam passionẽ, sed à Prophetis, & lege longè ante prænuntiatam. Nolite, inquit, discipuli peregrinari in feruore, & incẽdio passionis meæ, quod mihi contigit, vt mundum sanguine redimerem meo. Nõne oportuit pati Messiam, & ita intrare in gloriam suam? Non noua videatur vobis res hæc, oportuit Messiam pati, ab antiquissimis vatibus, & à lege prænuntiata est eius passio, multisque typis adumbrata. Et incipiẽs à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.

O beatos discipulos, qui tam facundum sapientemque viæ comitem nacti estis. Ecclesiast. 21. *Narratio fatui quasi sarcina in via*, &c. Onerat in via insipientis, & stulti comitis sermo. at de facundo dixit olim Publius; Comes facundus in via pro vehiculo est, &c. facundissimus, sapientissimusque Comes Christus, pro vehiculo fuit his discipulis in via. Diffusa erat gratia in labiis eius, diuinis, suauissimisq; verbis veluti vehiculo illos vehebat, & veluti sudario cãdidissimo itineris abstergebat sudorẽ. Sudarii enim instar habet diuinus sermo, vt ostendit magnus Gregor. lib. 6. Epist. 27. Narsæ: Pero, inquit, vt frequenter dulcissima vestra charitas visitet Anatolium diaconum, vt post labores, quos in causis sæcularibus patitur, in verbo Dei vobiscum requiem inueniat, & quasi quodã candido linteo, eiusdem laboris terreni sudorem detergat, &c.

Ecclesi. 21. *Comes in via qualis.* *Publius.* *Publius.* *Colloquia sancta vehiculum in via, & sudarium.*

Incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur Christus discipulis in omnib. scripturis quæ de ipso erant, &c. O fidelissimum, sapientissimumq; Scripturarum interpretem. O summum omnium Academiarum magistrum. O prælectionem dignam, quæ à toto cælo, terraque audiretur. Summus tamen Doctor duobus contentus est discipulis, in eorum sinũ cælestes effundit margaritas, vaticinia Prophetarũ interpretatur, scripturarum profundos sensus enucleat, vt illi postea aliis patefaciant. Post mortem testatoris testamẽtum clausum aperitur: post mortem testatoris Christi, vetus testamentum, quod clausum erat, & obsignatũ, patefit. *Tenebrosa est aqua in nubibus aeris*; vt est in Psal. 17. sed postea quã ex nubibus in vas funditur, perspicua est, adeo vt instar speculi vultum ostẽdat. Eundem in modum obscura sunt vaticinia in Prophetis, sed postquam in animum purum à fido, sapienteque interprete effunduntur, velut speculũ præclarissimum Christi mysteria oculis subiiciunt. In excelsa sphæra sua, ignis nos minimè accendit, sic in excelsa sphera Scripturarum, vatum, prędictiones profundique sensus, homines minimè inflammant. Quod si ignis conspicuus, proximusq; fiat, & vrit, & illuminat, ita Scripturarũ sensus, si intellectui per ardentem fidumque interpretem propinqui fiant, & explanantur, corda accendunt, & lucem mẽti præbent. Vnde hi duo discipuli: *Nõne*, inquiunt, *cor nostrũ ardens erat, cum loqueretur*, &c. Psal. 118. *Declaratio sermonum illuminat, & intellectum dat paruulis*, &c.

Psalm. 17. *Prophetiæ post Christũ mortem patefiunt.*

Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriã suam?

OPortuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Oportet etiam

etiam Christi sectatores pati, & ita intrare in gloriã alienã. Intrauit Christus per passionem in gloriam suam, nos intramus in gloriam eius. Ille per crucem, nos per delicias? 3. Reg. 10. ascendebat Salomon per medios Leones aureos in solium suum; Christus autem in thronum suum ascendit per medios leones veros, per medios Pharisæos, Scribas, & carnifices, id est, à quibus multis affectus vulnerib occisus est. Sic in thronum suum ascẽdit Dauid per multas, quas à Saule pertulit persecutiones. Sic & Ioseph ascendit in thronũ Aegypti, prius in cisternã missus & in carcerẽ. *Omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patiuntur*, ait Palus 2. Timoth. 3. Ex quib. verbis infert D. Gregor. lib. 6. Epist. 27. Ego, inquit, fidenter dico, quia minus piè viuis, si minus persecutionem pertuleris, &c. Act. 14. Paulus, & Barnabas docent discipulos, *quoniã per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*, &c. Isaiæ 28. iuxta Septuaginta Interpre. Qui ablactati estis, tribulationẽ super tribulationẽ expectate, spẽ super spem, &c. D. Paula apud D. Hieronymum Epist. 27. Ablactatorum esse ait, id est, eorum, qui ad virilem ætatem peruenerunt, tribulationẽ super tribulationẽ sustinere, vt spẽ sup spẽ mereãt accipere, &c.

Cælestis gloria per tribulationes cõparatur.

D. Gregor.

Isai. 28.

Ne ergo peregrinemur in feruore tribulationis, qui ad tentationẽ, idest, probationem nobis fit, quasi aliquid noui nobis contingat, vt monet D. Petrus 1. epist. c. 4. assuescamus tolerãtiæ rerum difficilium, patiamur cum Christo, vt ita intremus in gloriam Christi. Cõmunicemus Christi passionibus, hoc est, participes illarũ simus, vt simus etiam participes gloriæ, iuxta illud D. Petri eodem loco: *Cõmunicãtes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes*, &c. Cæduntur, atque expoliuntur ferro lapides, vt in præclaro ædificio reponantur; cæduntur atque expoliuntur passionib. homines, vt in cælo collocentur. Psal 65. *Transiuimus per ignẽ, & aquã, & eduxisti nos in refrigerium*, &c. ait Vates. Transeamus nos quoque per ignẽ, & procellosos fluctus persecutionũ, in portũ amœnissimum, ac tutissimũ perueniemus omnium delectationũ. Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, oportet nos pati, & ita intrare in gloriã eius, gloria tot cruciatibus Christi cõparata, laborantib. ac patiẽtibus datur, nõ ignauis, & mũdi oblectationib. mãcipatis.

1. Petri 4.

Psal. 65.

Se finxit longius ire.

LOngius se finxit ire Dominus, sed retineri volebat, deserit animam aliquando, non vt deserat, sed vt ardẽtius reuocetur, ac retineatur. D Bernard. serm. 74. in Cantica, Simulabat, inquit, se longius ire Dominus, sed volebat audire: *Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit*. Istiusmodi salutarem dispensationem quã tunc verbum corporaliter exhibuit, non cessat identidem spirituali suo modo cũ deuota sibi anima sedulo actitare. Præteriens teneri vult, abiens reuocari. Neque enim hoc irreuocabile Verbũ it, & redit pro beneplacito suo. Hæc Bernardus. Ne patiamur abire Dominũ, teneamus, ne dimittamus eũ. *Coegerũt eum* discipuli aientes; *Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iã dies*; Cogamus & nos profusis lacrymis dicentes: *Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit*, & inclinatã est iam vita terrę imminet nox, mors instat, mane nobiscum, ne deseras nos: tam crassis in tenebris esto lux nostra, emitte lucem tuã, & veritatem tuam, ipsa nos deducant, & adducant in mõtem sanctum tuum, & in tabernacula tua, Psalm. 42.

D. Bernar.

Vult Dominus reuocari si abeat.

Coegerunt eum.

COgendos esse peregrinos, & pauperes ad hospitiũ docent hi discipuli, vt ait D. Gregor. in homi. Ex hoc (inquit) exemplo colligitur, quia peregrini non solũ inuitandi sunt, sed etiã trahendi, &c. Cogendi quidẽ sunt pauperes, at parua coactione opus erit, facile trahuntur. Quære illos, vt Paula,

De eleemosyn.

D. Gregor.

Cogẽdi pauperes quærendi.

D. Hieron. de qua D. Hierony. epist. 27. Paula, inquit, clinicos curiosissimè tota vrbe perquirens, dānum putabat, si quisquā debilis, & esuriens cibis sustentaretur alterius, &c. Hospites quæsiuit Abraham, Genes. 18. *Cucurrit in occursu eorum: de ostio tabernaculi.* Dum vero homines se existimat excipere, excepit Angelos. Vnde Paulus ad Hæbreos 13. Hebr. 13. *Hospitalitatis*, inquit, *nolite obliuisci, per hanc enim latuerunt quidam Angelis hospitio receptis* &c. Per hospitalitatem latuerunt Abraham, & Lot, exceptis Angelis, latuerunt autē alios homines, & seipsos, quia nesciebant esse Angelos. D. Chrysost. Simile. Chrysost. concion 2. de Lazaro, Pro foribus sedens Abraham intro ducebat prætereuntes omnes. Et quēadmodum piscator tacto in mare reti, piscem quidem attrahit, attrahit autē frequenter & aurum, & margaritas, itidem, & hic reti captans homines, piscatus est tandem & Angelos; quodque mireris, etiam insciens, &c. Maius quidpiam contigit duobus discipulis. Abraham dum homines se putat excipere, excepit Angelos: duo discipuli dum hominē se putant ad hospitiū cogere, & domum inducere, coegerunt Deum, & domū induxerunt. Similem in modū illi qui nunc pauperes excipiunt, fauēt, alunt, homines se arbitrātur excipere, sed in extremo illo die audiēt se excepisse Deū. *Quod vni*, inquit, *ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*, &c.

Quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

Tripliciter frangitur panis. Act. 2. IN triplici fractione panis cognoscitur Dominus; ī fractione panis, sub cuius specie Christus continetur: de quo illud intelligitur Act. 2 *Erant perseuerantes in cōmunicatione fractione panis, & orationib.* &c. Præterea in fractione panis, id est, in explanatione verbi diuini, de quo illud legitur Thren. Thren. *Paruuli petierunt panem, & nō erat, qui frangeret eis*, &c. in fractione quoque panis vulgaris, id est, in eleemosyna, de quo illud dicitur Isai. 58. Isa. 58. *Frange esurienti panē tuum*, &c. Fregit Christus nunc panem primum, id est, Eucharistiam duob. discipulis præbuit ex aliquorum sentētia, vt supra dictum est, Fregit panem secundū, id est, verbum Dei, cum *incipiens à Mose interpretatus est eis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Discipuli verò fregerunt vulgarē panem: quia Christum hospitio exceperunt. In hac triplici panis fractione perseueret is, qui Deū cupit cognoscere, Act. 2. *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorū, & cōmunicatione fractionis panis, & orationibus*, &c. Act. 2. Perseueret Christi sectator in cōmunicatione fractionis panis cęlestis, deinde pascat animū pane verbi Diuini, conciones audiat librosque eos legat, qui de Sanctorum rebus gestis conscripti sunt, vt cor eius ardens sit in via. Præterea frangat esurienti panem suum, excipiat pauperes domo sua, vt Christum animo suo excipiat. Qui pauperes excipit, Christum excipit. O fœlices opes, quæ in Christum impenduntur. ò pulcherrimas opes. Diuitiarum pulchritudo (ait Philo in lib. de Ioseph, Philo. est, non in crumenis, sed in egenorum auxilio, &c. Non apparet diuitiarum vera pulchritudo in domibus magno sumptu exædificatis, in bombycinis, aureisque indumentis, in magna famulorum caterua, sed in pauperū apparet alimentis. hic illa omnium oculos rapit, hic agnoscitur. Cognouerūt Dominum duo discipuli in fractione panis: sic cognoscunt homines diuitē in fractione panis. Diues, eleemosynæ studiosus omnibus est notus, omnibus dilectus, illius opes ab omnibus beatæ, pulchræque existimantur. Caueat diues ne illud Hugonis in eum quadret: Spoliantur pauperes, vt vestiantur lapides, &c. id est, vt ornentur parietes aulæis. Ibidem enim sic scribit: Troianos gestat paries pictos, purpura & auro vestitos, & Christianis negātur veteres panni. Hectori clypeus datur auro splendens, pauperi vero ad ianuam clamanti, non porrigitur panis, &c.

C A-

CAPVT XIV.

Apparet Dominus discipulis congregatis absente Thoma.

LVCAS CAPITE XXIIII.

DVm autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis, ego sum, nolite timere. Conturbati vero, & conterriti existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate, & videte: quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & pedes. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas: & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Ierosolyma. Vos autem testes estis horum. Et ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in ciuitate, quoad vsque induamini virtute ex alto.

IOANNES CAPITE XX.

CVm ergo serò esset die illo, vna Sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Gauisi sunt ergo discipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hęc cum dixisset, insufflauit; & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum

Digitized by Google

remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Thomas autem vnus de duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli, Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: nisi videro in manibus eius figuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.

Cùm serò esset die illo, vna Sabbatorum.

Discipuli duo à quibus Dominus in vico Emmaunte visus est, miro exultantes gaudio protinus (vt Lucas scribit) Ierosolymam ad Apostolos rediere prope solis occasum. Dum autem, quæ euenerant, narrarent, ingressus est Christus domum absque vllo strepitu, aduentusque sui signo, & stetit in medio eorum, vt ait Ioannes. Eandem enim apparitionem describi à Luca, & Ioanne perspicuū est, quamuis non eodem modo describatur, præteriit enim Ioannes aliqua, quæ scribit Lucas, similiter Lucas nõnulla tacet, quæ Ioãnes memoriæ prodit. In primis Ioannes tempus apparitionis indicat: *Vna*, inquit, *Sabbatorū*, id est, prima die hebdomadæ, vt supra est explicatum: ipsa enim die Dominica, qua Dominus resurrexit, Apostolis congregatis apparuit. Apparuit autem cū esset serò, Græcè οὔσης ὀψίας; duo namq; discipuli Dominum coegerunt, dicentes: *Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies*, &c. Sol ergo iam ad occasum à meridie declinabat, postea reuersi sunt Ierusalem, confeceruntque iter sexaginta stadiorum; serò igitur peruenerunt: postea Christus iam prope occasum Solis apparuit. Idcirco forsitan parū temporis cum discipulis duobus apud Emmauntem consumpsit, moxque euanuit ab oculis eorum, vt tempus illis suppeteret eadem die redeundi Ierusalem, antequam Sol occumberet, volebat enim cõgregatis discipulis post duorum lætum nuntiū apparere. Ideo verò tempus serotinum expectauit, vt congregatos inueniret, illo namque tempore congregabantur.

Septima apparitio discipulis congregatis ipso die resurrect.

Et fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati.

De loco agit Ioannes, & personis, quibus Christus apparuit. Erant Apostoli cum aliis discipulis in domo congregati, foresq; domus clauserāt; quia Iudæos timebant, à quibus crudeliter Magister fuerat vita priuatus. Lucas 24. de duobus loquens discipulis sic ait: *Inuenerunt congregatos vndecim, & eos, qui cum illis erant*, &c. Græcè, καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς: hoc est, & eos, qui cum ipsis: sensus est: inuenerunt congregatos vndecim Apostolos, & alios cum ipsis, vel, & alios qui cum ipsis erant in domo. Est alia huiusmodi interpretatio; inuenerunt Apostolos cõgregatos, & eos discipulos, qui cum illis, Ierosolymis erant. Sed facilior est & probabilior prior explanatio.

Luc. 24.

Videtur Lucas Ioanni repugnare: Lucas ait, duos discipulos inuenisse cõgregatos vndecim Apostolos: Ioãnes verò ait Thomam abfuisse, cum Dominus apparuit. ergo non erant congregati vndecim, sed solum decem. Respondet dubio Euthymius Luc. 24. Lucam.

Cur dicti sint vndecim Apostoli, etiamsi Thomas abesset.

Alterius responsio.

A eam adnumerasse decem Apostolis Matthiam, qui aderat in domo. Non assentior responsioni, quamuis enim Matthias postea Apostolus creatus est, nondum tamen reliquis adnumerabatur. Satius est dicere, Apostolos vndecim appellatos à maxima parte numeri, etsi Thomas abesset, erat enim tunc numerus ille Apostolici collegii post suspendiū Iudæ. Responderi prçterea potest, duos discipulos ex Emmaus redeuntes, vndecim Apostolos inuenisse cōgregatos, adfuisseque tūc Thomam, sed interim dum loquūtur, discessisse, quia dictis illorum non habebat fidem. Cum vero Thomas abesset, Dominus affuit.

Clausas fuisse fores domus obseruat Euangelista, vt indicet clausis foribus ingressū Dominū, corpori enim glorioso neq; fores clausæ, neq; parietes, neque tecta obstare possunt. Vnde D. Hilar. lib. 3. de Trinita. Quæro, inquit, per quas clausæ domus partes se se corporeus intulerit. Diligēter enim Euangelista expressit, dicens: *Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio discipulorum suorū*, &c. Augus. tract. 121. in Ioan. Ille, inquit, foribus non apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inuiolata permansit, &c. Item D. Cyril. clausis foribus, omnipotentia sua natura rerū superata, ingressus est Dominus ad discipulos. Chrysologus serm. 84. Christus clausis foribus ingreditur, & egreditur, taliq; indicio, se totius creaturæ demonstrat autorē, &c. Idem D. Grego. docet homil. 29. in Euang. Quid, inquit, mirū, si clausis ianuis post resurrectionē suam in æternum iam victurus intrauit, qui moriturus veniens non aperto Virginis vtero exiuit, &c. Idem docet Ambros. Psal. 118. serm. 10. & lib. 10. in Lucā. Hieronymus in epitaph. Paulę, Leo serm. 1. de resurrect. & pleriq; alii. Cū D. Petrus ex carcere ab Angelo liberatus Act. 12. domū venit, ianuam pulsasse dicitur. At Christus (vt obseruauit Euthym.) ostium non pulsauit, ne turbarentur discipuli, qui intus erant, Iudæosq; timebant. Addeianuā non pulsasse, quia clauso ostio ingredi voluit,

D. Hilar.

Dominus ad discipu. igressus est clausis foribus.

D. August.

D. Cyrill.

D. Chrysolog.

D. Gregor.

D. Ambro.

D. Hieron.

absque vllo strepitu, multoq; aliter se gerere post resurrectionem, quam gesserat, dum mortale haberet corpus.

Stetit in medio eorum.

SVbito nihil tale cogitantibus discipulis neq; reseratis foribus, neque pulsatis, neq; vllo sui aduentus dato signo, aduenit Dn̄s, stetit inter eos, vt ab omnibus cerni posset, solitaq; salutatione salutauit, dicēs; *Pax vobis*: post B salutationē manus ostendit, & latus, vt intelligerent eum, qui fuerat cruci suffixus, in vitā esse reuocatum. *Gauisi sunt ergo discipuli, viso Domino*, ait Ioānes: sed Lucas adiicit, priusquam gauderent, conturbatos esse, & conterritos: *Conturbati, inquit, & conterriti existimabāt se spiritū videre*, &c. Cū enim viderent Dn̄m clausis ingressum esse foribus, nulloq; aduentus indicio dato, repente corā ipsis stetisse, non ho- C minem corpore constantē, sed spiritū se arbitrabantur cernere. Nā corpore constantem hominē putabant nō posse ostio clauso domum introire, improuisumq; apparere: id verò spiritū posse facere credebant. Conturbatos Dn̄s sic est allocutus: *Quid turbati estis, & cogitationes*, vos perturbantes, *ascendunt in corda vestra?* Spiritū vos videre arbitramini: non spiritū, sed Magi- D strum vestrū, qui paucis ante diebus in crucē est actus, cernitis à mortuis excitatum. En clauorū in pedibus, manibusq; signa. accedite, palpate manus, pedesque & corpus meū, spiritus non habet carnem, & ossa, sicut me habere conspicitis. Non ergo spiritū videtis, sed corpore præditum vestrū redemptorem. Non satis fuit ostendisse manus, pedesque, & corpus palpandum E obtulisse, se suū videre Magistrum nōdum credebant, & mirabātur prę gaudio veluti somniantes tantū bonum, iuxta illud Psalm. 125. *In conuertendo Dominus captiuitatē Sion, facti sumus sicut consolati*, Hebraicè, *holemim*, id est, *somniantes*; videbantur somniare tantū bonum. Tū Dominus alio argumento probauit se cōstare corpore *Habetis*, inquit, *aliquid, quod manducetur?* Cum

Christus discipulos salutat, manus ostēdit & latus.

Psal. 125.

que ei obtulissent partem piscis assi, & fauũ mellis, manducauit, cibique reliquias illi dedit. Dedit aũt cibi reliquias, vel vt seruarentur, iuxta illud Ioã. 6. *Colligite, quæ superauerũt fragmẽta, ne pereant*; vel vt ipsi etiam ederẽt. Gauisi sunt ergo discipuli plenè credentes, viso Domino.

Cur Dominus ianuis clausis apparuerit, & abierit.

Quæritur, cur Dñs sic improuisus veluti spiritus, ianuis clausis apparuerit discipulis, & abierit, illosq; reliquerit? Respõdetur, vt intelligerent se statum habere alium gloriosum; neq; vero cũ illis esse versaturum, vt ante passionẽ versatus fuerat. Præterea quæritur, an discipuli palpauerint corpus Dñi? Non est à probabilitate alienũ reuerentiæ causa non palpasse, vt putat Abulens. Paradoxo 5. c. 37. & 38. Quod ẽt probari potest, quoniam vt Lucas ait, postquam Dominus dixit; *Palpate*, &c. nondũ præ gaudio credebãt; quod si palpassent, planè credidissent. Verisimile ẽt est ad pedes Domini procubuisse, eumq; amplexatum esse, atque hoc modo palpasse. D. Leo epist. 10. c. 5. ait Dñm admisisse pertrectari se diligenti, curiosoq; contactu à discipulis. D. Athan. in Orat. contra Arianos in hoc dictũ: *Ex Deo Deus est Verbum*: existimat tunc palpasse, cum cibũ, & fauum offerentes, manus eius attigerũt. Ad se, inquit, palpandũ inuitabat, suique approbationẽ exhibebat, comedendo, & contrectationẽ ferendo. Res enim ea opere cõpleta fuit. Nam qui ei cibũ dederunt, siue vnus is fuit, siue plures, manus illius attigerunt, &c. Fauet illud 1. Ioãnis 1. *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ* in huius loci explanatione Clemens Alex. sic scribit: Fertur in traditionibus quoniã Ioan. Euang. ipsum corpus, qđ erat extrinsecus, tangens, manũ suam in profunda misit, & ei durities carnis nullo modo reluctata est, sed locũ manui præbuit discipuli, &c. Fortè Ioannes in pectus Christi misit manũ, præbuitque locum caro absque diuisione vlla, vt i profunda penetraret cordis, dilectissimus discipulus. Didymus in verba Epist. Ioan. citata. Multi, inquit, per hæc verba putant præsentiam Saluatoris post resurrect. factam discipulis demonstrari. Asserentes quia dixerit hæc Ioãnes de se cæterisq; discipulis, quia prius audierint quoniã Dominus resurrexit, postea verò oculis inspexerint, ita vt contrectarent pedes, & manus, & latus eius, & sensu caperent figuras clauorum. Hæc ille.

An discipuli Christū palpauerint. — *D. Leo.* — *D. Athan.*

An Christus post resurrect. verè comederit.

Item dubitatur, an Christus verè comederit assum piscẽ, & fauum mellis? Respond. verè comedisse, quia vero ore, verisque dentibus vsus est, cibiq; saporem percepit; attamen illũ neque stomacho concoxit, neque in carnem conuertit, sed in aerem mox commutauit. Angelus vero in assumpto corpore non manducat. quale est corpus, talis est comestio, nempe apparens, neque os carneum habet, neque dentes veros, neque cibi saporem percipit, neque illum concoquit. Quamobrem Angelus Tobiæ 12. *Videbar*, inquit, *manducare, & bibere, sed ego cibo inuisibili, & potu utor*, &c. Videbatur quidem mãducare, & bibere; sed verè nõ manducabat, nec bibebat. Beda in Lucã: Manducauit Christus potestate, nõ necessitate. Aliter enim absorbet aquã terra sitiens, aliter solis radius, terra indigentia, solis radius potentia, &c. Idem asserit Augustinus de corporibus gloriosis lib. 13. de Ciuitate, ca. 22. Non potestas, inquit, sed egestas edendi, ac bibendi, talibus corporibus aufertur, &c. Comedere quidem poterunt, sapietq; cibus, sed non erit opus. Et epist. 49. quæst. 1. Futuræ, inquit, resurrectionis corpus, imperfectæ felicitatis erit, si cibos sumere nõ poterit: imperfectæ felicitatis, si cibis eguerit, &cæt.

Tob. 12. — *Beda.* — *D. August.*

An Christus apparuerit indutus vestib. — *D. Ansel.* — *An apparuerit splẽdidus, an nudus.*

Quæritur, quibusnam vestibus indutus apparuerit Dominus discipulis? Diuus Anselmus sic respondet in Elucidario: Tali forma viderunt Christum discipuli, vt eum consueuerant ante videre. Vestes ex aere assumpserat, quo ascendente, ex aere euanuerunt. Sic ille. Dubitabatur, an splendidũ corpus discipulis ostẽderit? Ex verbis Anselmi colligitur, nõ ostendisse splendorẽ, ait. n. post resurrectionem

tali

tali forma conspectum, quali ante resurrectionem conspiciebatur. Et infrà addit: Vsque ad nubes, ea forma ascendit Dominus, qua ante passionē; susceptus autē à nubibus, ea forma, qua in mōte apparuit; scilicet, in monte Thabor transfiguratus. Et D. Cyrill. in Ioa. Dominus, inquit, non in debita sui corporis gloria; sed in prima figura cernebatur, ne aliud corpus resurrexisse putares, &c. Et D. August. lib. 22. de Ciuitat. c. 19. Claritas, inquit, in Christi corpore cum resurrexit, ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse, quam defuisse credenda est. Non enim eam ferret humanus atque infirmus aspectus, quando ille à suis ita deberet attendi, vt posset agnosci. Sic ille. Non est alienum à probabilitate discipulis postquam crediderunt, splendorem ostendisse corporis. Id significat Augustinus serm. 156. de Tempore, his verbis: Necessarium erat, vt expressio cicatricum crucifixi corporis faceret fidem; quia splendor nouæ lucis, pristinam obduxerat veritatem; & cognitionem quodammodo claritas obscurauerat, &c.

D. Cyrill.

D. August.

Abulensis Paradoxo 5. cap. 34 nudū apparuisse putat. Dicēdum, inquit, est Christum resurgentem nudum fuisse, in eademque nuditate cunctis apparuisse, &c. Item: Corpus Christi in resurrectione maximam omnium corporum cœpit pulchritudinem; ita vt in tota rerum vniuersitate nulla ei possit adequari pulchritudo. Hoc dato rationabilius erat tam admirādam pulchritudinem aspicientium oculis cernendam dari, quàm vestibus opertam fore. Vnde post resurrectionem corpus Domini nudum apparuit. Hæc Abulēsis. His adiicit: Tanta tamen fulgoris admiranda reuerentia, tamque superexcellens decor, erat in illo corpore; vt nulla in eo deformitatis macula notaretur, quanquam nudum esset. Sic enim Psalmista testatur Psal. 103. *Amictus lumine, sicut vestimento*; id est, qđ corpus Christi ita gloria, & fulgore tegebatur, ac si vestibus velaretur, &c. D. Bonauentura in Mediationibus vitæ Christi, cap. 89. apparuisse ait ita in A vestibus altissimis. Hoc probabilius est siue ex aere, siue ex candidissimo serico illas fecerit. Illis amictus splēdorē potuit ostendere, sicut in monte Thabor, cum est transfiguratus, potuit ēt latus ostendere, & discipulis corpus palpandum præbere. D. Cyrillus, Latus, inquit, Dominus denudauit, & manus clauis perforatas ostendit: vt illud corpus, quod crucifixum fuit, surrexisse monstraret, &c. Ex sententia ergo B D. Cyrilli vestitus erat Christus; siquidem nudauit latus.

D. Cyrill.

Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos.

PRobauit Dominus se resurrexisse multis argumentis, idem corpus ostendens oculis discipulorum, eandē C vocem auribus indicans, eadem membra palpanda offerens, coram illis mā ducans, cibique reliquias reddens. Idē probat Prophetarum vaticiniis, & potestate, qua intellectum eorum aperuit, vt Scripturas intelligerent. Postquàm sumpsit cibum, discipulorum animis iam tranquillatis, & miro gaudio affectis: *Hæc*, inquit, quę facta sunt, & facta videtis in me ipso, *sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem* D *vobiscum; quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me*, &c. hoc est, cruci suffixus sum, & resurrexi, hoc est quod futurum vobis dicebam, impletum iam est, vt cernitis. Recordamini illorum verborum, quæ dixi vobis; *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabi*E*tur, & conspuetur, & postquam flagellauerint occident eum. Et tertia die resurget.* Lucæ 18. Ecce consummata iam cernitis hæc verba omnia. Traditus gētibus sum, illusus, flagellatus, conspūtus, occisus. Hodie resurrexi, q̄ tertia dies est. Hæc sunt verba vaticinii mei, quod iam impletum est. Hæc eadem multis ante sæculis à Prophetis fuere

Christus dixit vetus Testamentum in libros Mosis Prophetarū & Psalmorum.

pradi-

prædicta; idcircò dixi vobis; *Consummabūtur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis.* Oportuit omnia consummari, quæ de me scripta sunt in lege Moysi, in Prophetis, & Psalmis. Prophetas videtur Dominus appellare non solum maiores, & minores, sed etiam libros omnes scriptos à Prophetis, vt libros Regum & alios. Vide Prologum galeatum D. Hieronym. Potest alius sensus illis subesse verbis: *Hęc sūt verba*, &c. hoc est: Verba, quæ locutus sum vobis ante mortem meā hæc sūt, videlicet, *quoniam necesse est impleri omnia, quæ de me prædicta sunt* in Scriptura sacra. Dixerat enim: *consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis*, &c.

Post hæc ait Lucas; *Aperuit illis sensum*; Græcè (νοῦν) id est, intellectum, mentem; *vt intelligerent Scripturas*, id est, illustrauit cælesti dono eorum intellectus, vt Scripturas, & omnia de Messia, & Ecclesia vaticinia intelligerent. Postquàm intellectui lucem attulit, & Scripturarum illi vaticinia intellexerunt, subiecit: Discipuli, *sic scriptum erat* à Prophetis, vt iam intelligitis; & quia sic scriptum, redemptionique hominum erat necessarium, oportebat Messiam mortem subire crucis, & die tertia resurgere. Neque hoc satis: oportebat etiam prædicari in nomine Messiæ pœnitentiam & remissionē peccatorū per eius sanguinē, *in oēs gentes, incipientibus ab Jerusalē.* Hoc ad huc agēdum restat: ad quam rem ego vestra opera vtar. Vos enim horum testes; à me electi estis, videlicet Messiæ tum aduentus & Passionis, tum resurrectionis. Antequā verò in omnes gentes ad prædicandam pœnitentiam, & remissionem peccatorum proficiscamini; ego ex cælo promissum Spiritū sanctum vobis mittam, hunc in ciuitate Ierusalem expectate, ab ea ne discedite, quousque in aciem prodituri virtute, hoc est, potentia & fortitudine Spiritus sancti induamini, veluti fortissimis armis. Græcè virtus hic dicitur δύναμις, id est, *potentia & fortitudo*; quæ Apostolis necessaria erat antequā prædicare pœnitentiam inciperent.

Aperit Dominus intellectū discip. vt intelligant scripturas.

A Nonnulla ex his verbis, verisimile est dicta à Christo, cum apparuit Discipulis, vt in cælum ascenderet. Neque caret probabilitate dicta etiam nunc. Lege cap. 1. Actor. Rationes quæ pro hac & illa parte possunt afferri, omitto; quia facile soluuntur.

Incipientibus ab Ierusalem.

B Græcè diuersa est lectio ἀρξάμενον, id est, *incipientem*, hoc sensu; sic oportebat Christum, id est, Messiam, pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes (*incipientem*) repete ex superioribus, *Christum*, incipientē ab Ierusalem per suos Apostolos. quāuis passiuum verbum, prædicari, præcedat, & sit dura constructio, parum refert. Noster interpres legit, ἀρξαμένων, id est, incipientibus; Latinis est ablatiuus absolutus; oportebat prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, Apostolis nuntiisque meis, & prædicatoribus incipientibus ab Ierusalem; postea ad gētes proficiscentibus. Nam Messias & prædicatio Euangelii Iudæis promissa erat; vnde Paulus & Barnabas Act. 13. *Vobis*, inquiunt, id est, Iudæis, *oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud; & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus:* Isaiæ 49. *Posui te in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ.* Hæc illi. De iis, Deo fauente, plura dicemus cum agemus de missione Apostolorū, infrà.

Diuersa lectio.

Prædicatio Christi & Apostolorū incepit ab Hierusalē. Act. 13.

Cum adhuc essem vobiscum.

E Cum Discipulis erat Dominus tūc, cum hæc verba protulit. Cur igitur ait; *cum adhuc essem vobiscum*; quasi verò cum ipsis iam non esset? Respōd. fuisse Christum cum Discipulis ante resurrectionem, & post resurrectionē; sed diuerso modo. Etenim ante resurrectio-

Christus post resurrectionem,

[...]um est ver satus cum Apostolis eodem modo, quo ante resurrect.

rectionem fuit in carne mortali cum Discipulis, comitesque eos habuit, domi forisque. Post resurrectionem verò fuit quidem cum illis, sed in statu maximè diuerso, qui alium flagitabat cũ hominibus mortalibus versandi modum. Quamobrem subitò eis apparebat, veluti homo cælestis, & immortalis, & postquam aliquo temporis spatio loquens aderat, subitò discedebat.

D. Thom.

Legatur D. Thomas 3. p. quæst. 55. art. 3. Circa resurrectionem, ait, Christi duo erant Discipulis declaranda: scilicet ipsa veritas resurrectionis, & gloria resurgentis. Ad veritatem autem resurrectionis manifestandam sufficit, quòd pluries eis apparuit, & cum eis familiariter est locutus, & comedit, & bibit, & se eis palpandum præbuit. Ad gloriam autem resurgentis manifestãdam noluit continuè conuersari cum eis, sicut prius fecerat: ne videretur ad talem vitã resurrexisse, qualem prius habuerat. Hæc ille. Legendus Iustinus quæst. 48.

Vbi nam fuerit Dominus 40. illis diebus post resurr.

Quæritur, vbinam fuerit Dominus commoratus die nocteque, his diebus, quibus post resurrectionem in terra mansit, & cum discipulis non erat? Respondet D. Thom. loco citato his verbis: Incognitũ est, quibus in locis corporaliter esset Dominus, cum hoc scriptura non tradat, & in loco sit dominatio eius, &c. Verum quidem est incognitum hoc esse, si de cognitione certa agatur; sed si de coniecturali loquamur, verisimile est animas ex limbo eductas in Paradiso terrestri permãsisse, Christumque in eodẽ Paradiso noctes diesque transegisse. Est hæc sentẽtia D. Anselmi in elucidario. Quæritur; vbi mansit Dominus illis quadraginta diebus? Respondet, & in Paradiso terreno, vt creditur, cum Elia & Enoch, & cum iis, qui cũ eo surrexerunt; &c.

D. Anselm.

D. Thom.

D. Bonauent.

Est etiam D. Thomæ 3. sentent. distinc. 22. quæst. 3. in responsione ad 3. quæst. ad 3. & D. Bonauenturæ in uita Christi cap. 81. & 91. Est rationi consentanea. Animæ enim illæ non vagabantur huc atque illuc: certum ergo habebant locum; nullum autem habere potuerunt digniorem, quàm Paradisum terrestrem, vbi Elias est & Enoch. Vbi autem animæ manebant, ibi & Christus. Quod si quis cum recentioribus quibusdam autoribus velit Paradisum terrestrem iam non extare, sua fruatur opinione.

CAPVT XV.

Apparet Dominus discipu. congregatis.

Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.

Dixerat Dominus apud Lucam discipulis: *Oportebat Messiam pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Ierusalem*, &c. Iam hoc loco Ioan. 20. Constituit eos Apostolos, id est, missos, vt remissionem peccatorum prædicent in omnes gentes, eandemque largiantur. Iterum eos salutauit, dicens, *Pax vobis*, quia in orbẽ terrarum mittebat, salutationem præmisit; quasi discessuris. *Pax*, inquit, *vobis*; Ecce constituo vos Apostolos, id est, missos, ecce mitto vos in omnes gẽtes. Constituo vos legatos meos in vniuersum orbem terrarum; meosque vicarios & remissionis peccatorum largitores, hominum pastores, ac doctores, & regni mei, hoc est, Ecclesiæ gubernatores.

Mittit Dominus Apostolos in orbe, amplissima cum potestate.

D. Cyrill.

D. Cyrillus: Ordinauit, inquit, his verbis Christus discipulos orbis doctores & diuinorum mysteriorum ministros. Quos vt luminaria vniuersum orbem illuminare iussit, &c. *Mitto vos sicut misit me Pater*: hoc est, sicut Pater misit me in orbem, ita eadem potestate diuina ego mitto vos, nihil ergo timueritis. Item, Sicut misit me Pater, vt hominem, amplissimas mihi

hi largiêdo facultates: *sic ego mitto vos*, eas facultates vobis concedens omnes quæ ad Euangelium prædicandum, gubernandamque Ecclesiam opus sunt.

D. Greg. D.Greg.Homil.29.In Euangelia, verba hæc aliter in hunc modum exponit Sicut, iquit, misit me Pater, & ego mitto vos, id est, ea charitate vos diligo, cum inter scandala persecutorum vos mitto; qua me Pater dilexit, quem venire ad tolerandas passiones fecit, &c.

D.Chrys. Et Chrysologus ser. 84. Sicut, inquit, misit me pater, sic & ego toto diligentis affectu mitto vos ad tolerantiam famis, ad onera vinculorum, ad squallorem carceris, ad perferenda omnia genera pœnarum, ad subleuandum cunctis hominibus execrabile mortis iugum, &c.

Hæc cum dixisset, insufflauit.

QVoniam mittebat discipulos in omnes gentes, vt pœnitentiam prædicarent, & remissionem peccatorum; Sacramentum instituit pœnitentiæ, potestatemque Apostolis largitur remittendi peccata. Præmittit diuinam ceremoniam; vt Ecclesiæ ceremonias discamus venerari. *Cum hæc dixisset*, ait Ioannes, Apostolosque misisset in orbem, velut medicos ad sanandos homines, serpentis Tartarei veneno corruptos; medicinam eis tradidit, quæ antidotum præsentissimum contra venenum est, videlicet Sacramentum pœnitentiæ. Imprimis ergo, *insufflauit*, hoc est, ex imo pectore, ac visceribus flatū & spiritum, siue anhelitum emisit. Deinde dixit: *Accipite Spiritum sanctū; Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c.

Cur Christus insufflauerit. Cur autem insufflauerit, ratio est, quia Spiritum sanctum discipulis largiebatur, quem flatus, siue spiritus oris Christi adumbrabat. flatum, siue spiritum dedit corporalem, vt indicaret se dare spiritum incorporalem, & Deum verum.

D. August. D. August. lib. 10. de Genesi ad literam, cap. 5. insufflasse putat, vt flatu, siue spiritu ex se procedente, significaret, Spiritum sanctum quē dabat, non solum ex patre, sed etiam ex filio procedere. Non erat, inquit August. flatus substantia Spiritus sancti, Sed vtique significatū est, sic etiā ab ipso procedere Spiritum quomodo ab eius corpore flatus ille processit, &c. Lege eūdem lib. 13. de ciuit. cap. 24. & lib. 4 de Trinit. cap. 20. Præterea in Apostolos insufflans Dominus, eisq; Spiritum flatu donans, indicauit se Deum esse, qui cum hominem condidit, flatu animam illi donauit. Genes. 2. *Inspirauit in faciē eius spiraculum vitæ*, &c.

D.Cyrill. D.Cyrillus in Ioan. lib. 12. cap. 56. Vt ipsum, inquit, esse sciamus, qui ab initio naturam nostram creauit, & Spiritu sancto signauit; rursus in ipso initio renouādæ naturæ insufflatione Spiritum discipulis largitur. Vt quemadmodum creati ab initio sumus, sic etiā renouemur, &c.

D.Basil. D Basilius lib. de Spiritu sancto ca. 16. Dominus qui renouabat hominem, et que reddebat gratiam, quam ex afflatu Dei acceptam amiserat; inspirauit in faciem discipulorū, &c. Lege Athan. qu. ad Antiochum quæst. 65. & D. Ambros. serm. 20. in Psalm 118. Adde, flatū illum Domini potestatem, quam dabat, remittendi peccata, adumbrasse. Vt venit flatu nubes toto aere pelluntur; sic flatu Domini, id est, Spiritu sācto, peccatorum nubes disperguntur. Iuxta illud Isaiæ 44. *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua*, &c. Denique insufflauit Dominus, flatumque & anhelitum ex corpore emisit, coram discipulis: vt probaret se non esse spiritum, sed habere corpus.

Accipite Spiritum sanctum.

Dedit Christus Spi. S. Apostolis nūc in terra, postea e cęlo abundantius, & palam. NOnnulli, vt ait Chrysostomus, homil. 85. in Ioannē, dixerunt Christum nunc Spiritum sanctum discipulis non dedisse, sed idoneos ad eum accipiendum per insufflationem reddidisse. Huius sententiæ sunt Theophylactus & Euthymius: sed tamen aiunt dedisse potestatem remittendi peccata.

Aliena

Aliena à ratione & verbis ipsius est sẽtentia. Nam apertissimè loquitur Dominus, *Accipite Spiritum sanctum.* ergo Spiritum sanctum dedit, neque solum idoneos fecit ad accipiendum. Obstãt verba illa Ioannis 16 *Nisi ego abiero paracletus non veniet ad vos; Si autem abiero mittam eum ad vos,* &c. Ait Dominus se non daturum Spiritum sanctum discipulis antequam in cœlum abeat: ergo nunc antequam abiret, illum non dedit. Chrysost. homil. 1. Act. respondet hoc loco promissionem esse Spiritus sancti, præsensque pro futuro vsurpari, Accipite Spiritum sanctũ, id est, accipietis Spiritum sanctum. Euthymius sic interpretatur: Accipite Spiritum sanctum, non nunc, sed quando descenderit, &c. sed reiicienda est interpretatio huiusmodi, facileque respondendum; nunc datum Spiritum sanctũ Apostolis in terra clam, quoad potestatem remittendi peccata, & sine igneis linguis: post ascensionem verò datum ex cælo manifestissimè ac visibiliter in linguis igneis cum aliis donis maximis. Cum ergo Dominus ait: *Nisi ego abiero paracletus non veniet ad vos:* de missione spiritus ex cælo locutus est. Hic verò Spiritum sanctum dedit cũ potestate tantum remittendi, ac retinendi peccata. Quia enim Spiritui sancto remissio tribuitur peccatorum; idcirco cum potestatem hanc discipulis dedit, Spiritum sanctum dedit, cui tribuitur remissio Tribuitur autem Spiritui sancto remissio peccatorum, quia opera bonitatis illi ascribuntur, propterea quod ex Patris & filii voluntate procedit, cuius obiectũ est, *Bonum.* Quem in modum opera Sapientiæ filio tribuuntur; quoniam Verbum Patris est, per intellectum procedens. Legendus est D. Hieronymus epist. 150. ad Hedibiam, q. 9.

Spiritui sãcto tribuitur remissio peccatorũ.

Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.

IPso resurrectionis die Sacramẽtum Dominus instituit resurrectionis hominum. Quid enim aliud est Sacramẽtum Pœnitentiæ, & Confessionis peccatorum, quam Sacramentum quo homines ex morte peccati, ad vitam gratiæ resurgũt? Potestatem quam donat, perspicuis aperit verbis: Discipuli maximam vobis trado potestatem, & hominibus maximè necessariam. *Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis,* non remittentur. Ad expianda hominum peccata crucis mortem perpessus sum: vos vt vicarii mei ea remittite. Quod vos claue nõ errante, feceritis, id ratũ in cælo erit. Intelligenda verò hæc verba de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento pœnitentiæ, decernit aduersus hæreticos Concilium Tridẽ. sess. 14. can. 3. Si quis, inquit, dixerit, verba illa Domini Saluatoris; *Accipite Spiritum sanctum, quorũ remiseritis peccata, remittuntur illis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* non esse intelligẽda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento pęnitentię, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit: detorserit autem contra institutionem huius Sacramẽti, ad autoritatem prædicandi Euangeliũ: anathema sit. Remittuntur peccata in Sacramento pœnitentiæ, cum illorũ vinculis soluitur Christianus; retinentur, cum indignus absolutione iudicatur.

Christus in die resurrectionis instituit Sacramẽtum pœnitẽtiæ.

Concil. Trid.

Thomas autem non erat cum eis.

NOn pernoctauit Dominus cum Apostolis, sed discessit; Thomas verò aberat cum Dominus apparuit. Dubitatur an acceperit potestatem remittendi peccata, ac retinendi. D. Cyrillus respondet lib. 12. cap. 58. Absentem Thomam, vna cum aliis Spiritum sanctum accepisse, & potestatem, quãdo Dominus verba illa protulit, *Accipite Spiritum sanctum,* &c. Quemadmodum Num. 11. Eldad, & Meldad absentes spiritum prophetiæ acceperunt. Verisimilius fortè est Spiritum sanctũ & potestatem hanc datam Thomæ postea quam Christum resurrexisse credidit. Rediit ille ad condiscipulos, illi quod euenerat magno cum gaudio expo-

An Dominus Thomę absenti potestatẽ dederit remittendi peccata.

exponunt *Vidimus*, inquiunt, *Dominũ*, pulcherrimum, à mortuis excitatum, in manibus, pedibusque, & latere accepta ferebat splendentia vulnera; insufflauit in nos, sanctumque impertiuit Spiritum. Hæc cùm audisset Thomas, fidem auditis habere noluit, & respondit: Non sum adeò ad credẽdum facilis; non credam Magistrum in vitã esse reuocatum, nisi ipsa clauorum vulnera oculis cõspexero; neque hoc erit satis; Non credam nisi digitum meum misero in ipsa clauorum foramina, & manum meam in latus eius. Spectrum fortè fuit id quod vobis apparuit.

D.Chrysost.

Rogat Chrysostomus hom. 86. in Ioann. Cur, omnibus aliis congregatis, abfuerit solus Thomas? Respondet, credibile esse ex fuga nondum rediisse. Idem aiunt Theophylactus, & Euthym. Ex hac opinione efficitur, Thomam nunc primum audiuisse resurrexisse Christum. Nam cùm mulieres discipulis resurrexisse nuntiauerunt, cũ idipsum Petrus affirmauit, duoque discipuli Emmauntem petentes, non aderat Thomas; nunc verò cùm in vitam rediisse Magistrum subito audiuit, non credidit; quemadmodum & alii discipuli cùm primum à feminis audiuerunt, non crediderunt. Sed audiuisse Thomam à feminis Christum resurrexisse probatur ex verbis illis Lucæ 24. *Regressæ à monumento nuntiauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus*, &c. Si feminæ quæ viderant, nuntiauerunt vndecim Apostolis; cùm vnus ex vndecim fuerit Thomas, illi quoque nuntiauerunt. Aderat ergo Thomas ipso resurrectionis Dominico die cum cæteris, sed posteà discessit. Responderi potest, numerum *vndecim* accipi ꝓ maxima parte Apostolorum, vt suprà diximus ca. 14. quia ille numerus erat tunc Apostolici collegii. Nuntiasse dicuntur feminæ Christum resurrexisse vndecim, id est, Apostolis; iis scilicet qui aderant. Hunc in modũ hoc loco ait Ioan. *Thomas vnus ex duodecim non erat cum eis*, &c. At verò Apostoli tũc non erant duodecim. Sed sic loquitur, quia collegii Apostolici erat ille numerus, vel forsitan sic

An D. Thomas feminas audinerit, & Petrum, & discipulos duos.

est interpretandus: *vnus ex duodecim* electis à Christo, in principio, ita vt respiciat electionem, & numerum electorum duodecim. Incredulitatis ergo Thomæ causa fuit iuxta has sententias, quia non adfuit die illo Dominico, quia prius feminas, deinde Petrum & discipulos alios ex Emmaunte redeuntes non audiuit, & quia Dominũ non vidit, quem cernere volebat, vt viderant reliqui. Existimabat credidisse illos, quia viderant, & vulnera tetigerãt; ille quoque videre volebat, vt crederet, & vulnera tangeret.

Nunquid Thomas mentiri Apostolos arbitrabatur, qui Christum sibi visum affirmabant? Minimè arbitrabatur, sed ne decepti essent formidabat, spectri alicuius visione. Ideò se nõ crediturum ait, nisi & tangat, & mittat digitum in loca clauorum, & manum in latus, ne decipiatur, & diligenter perscrutetur an spectrum sit. Fauet his Origen. lib. 2. contra Celsum sic scribens: Assentiebatur Thomas narrantibus se vidisse Christum; quasi non nouum esset conspici defuncti animam. Cæterum vt eum resurrexisse in proprio corpore crederet, id non poterat in animum inducere. Quapropter nõ dicit solum; Nisi videro non credam; sed adiunxit; Nisi misero manum meã in vestigium clauorum: & contrectauero latus eius, non credam. Hæc autem dicebat, quia arbitrabatur fieri posse, vt oculis se offerret corpus per omnia deposito simile. Hæc ille. Denique quẽadmodum reliqui discipuli videntes Dominum, vt Lucas ait, existimabant se spiritum videre; sic Thomas Dominum non videns, spiritum potuisse apparere arbitrabatur.

An Thomas putarit discipulos mendacium dicere.

Origen.

Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum.

VNde nam nouerat Thomas clauorum foramina, latusque apertum retinuisse Christum? siquidem ait; *Nisi mittam digitum in fixuram clauorum, & manum in latus*. Nonne potuit Dominus retinere vulnerum vestigia, nõ fora-

foramina? Chrysologus ser. 84. ait Prophetico spiritu hoc cognouisse. Nō est probabile. Respondetur ab Apostolis accepisse Thomam, vulnerum foramina splendida in Christi permāsisse carne. Vnde efficitur Apostolos reliquos ad Christum accessisse, diligenterque eius vulnera fuisse contemplatos. Græcè fixura & locus clauorum dicitur *τύπος, typus*; sed typus hic fixura fuit, & foramen.

D. August. August. serm. 156. de tempore verba hæc Thomæ non neganti attribuit, sed inquirenti. Vox, inquit, ista, *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum*; inquirentis est, non negantis. Dum hoc dicit Thomas doceri voluit, confirmari desiderauit, &c. Item Dominus in Apostolo suo non dubitationis vitiū, sed solicitudinis instruxit affectum, &c. *D. Ambro.* D. Ambr. in Lucam c. 24. ait nō dubitasse D. Thom. de resurrectione Christi, sed de qualitate resurrectionis. D. Cyrill. *D. Cyrill.* D. Thomam appellat sapientissimum Domini discipulum, ait verò incredulitatis causam fuisse mœrorem, & lætitiam. Mihi, inquit, videri solet Thomas non infidelitate magis, quam summo mœrore perturbatus fuisse, quia Dominum oculis suis non viderit. *Thom. erat ex priuatione Domini sui perturbatus.* Putauit enim forsitan nunquam se in hac vita visurum. Vitam enim esse naturaliter Christum, atque ideo mortis imperium posse destruere, non dubitabat. Nam qui ab aliis interitum repulit, quomodo à carne sua non repulisset? Mœrore igitur, quia ipse quoque non viderit, & lætitia singulari affectus, quia surrexisse audiebat, ad infidelitatem delabitur, & videre præsentē gliscit, & ardet, vt pollicitatione illius certior fieret. Audiuit enim dicentem, *Modicum & nō videbitis me & iterum modicum & videbitis me, & gaudebit cor vestrum.*

Hæc Cyrillus. Item: Præ gaudio, inquit, magis quam infirmitate mentis, dubitasse Thomam diximus, quoniam & de aliis discipulis dixisse Lucā nō ignoramus cap. 24. *Adhuc illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio*, &c. *D. Chrysol.* Chrysolo. sermo. 84. Prædicaturus, inquit, hæc Thomas in gentibus; quemadmodum tantæ fidei astrueret Sacramentum, executor strenuus requirebat. Certè prophetia magis, quàm cunctatio fuit. Nam cur talia peteret, nisi à Domino ad indicium resurrectionis suæ seruata sola vulnera, prophetali Spiritu cognouisset, &c. At hac in re Prophetiæ spiritum in Thoma non agnoscimus.

Dicendum est D. Tho. non credidisse condiscipulis, & dubitasse, quemadmodum illi primum dubitauerant, an spiritus aliquis fuisset ille q̄ visus erat non Christus. Mœrore forsitā affectus est, quod absuerit, vt ait Cyrill. lætitia quod audiret eum resurrexisse, quāuis dubitaret. Aug. verò serm. 159. de tempore non est in ea sententia, quam eius supra recitata verba demonstrāt, sic enim scribit: Manus quærebat Tho. & latus, & dum curiosus existit in vulnere, mortem incurrerat in fide, &c. Hic tamen sermo, & suprà indicatus 156. à Louaniensibus Augustino non ascribuntur. Quod verò ait Thomam mortem incurrisse in fide, intelligēdū est incurrisse mortem fidei resurrectionis: quia Christum resurrexisse nō credebat. Alioqui Thomas nō amisit fidē. Neque verò articulum resurrectionis, articulum fidei esse nouerat. Theophylactus existimat Thomam non credidisse, quod resurrectionem putaret esse impossibilem, sed cum Lazarum viderit à Christo in vitam reuocatum, satis possibilem esse nouerat resurrectionem.

Qui dicitur Didymus.

Iam 1.10. diximus Thomam nomen Hebræum esse, & significare *Δίδυμον*, id est, gemirum, videlicet vnū ex geminis qui eodem in lucem eduntur partu. Explicatio nominis est. Quēadmodum Petrus, est explicatio nominis *Cephas*, & Zelotes nominis *Cananæus*; ita Didymus, vel Geminus, est explicatio nominis. Thom. significat etiā nomē, *Didymus*, duplicem, & dubium. vnde Lyran. Didymus, inquit, secundum alios sonat idē quod dubius; quia pro- *Thomas significat geminū, vel abyssum.*

peer

pter dubium de resurrectione sic cognominatus fuit,&c.& Theophyl. Didymus, ait, interpretatio est nominis Thomas. Meritò aût meminit Euangelista interpretationis eius nominis, vt ostendat nobis, ꝙ dubitator quidã sit, & id vitii habuerit à principio, vt nomen indicat. sic ille. neque placet ratio neque interpretatio, *Didymi*, quia non respõdet nomini Hebreo, *Thomas*. quãuis enim *δίδυμος*, Græcis significet dubium, tamẽ Thomas Hebreis id non significat, sed Geminum forte Geminus dictus est, quia eodem partu cum alio fratre natus est. Significare etiam potest Thomas, *abyssum, à theom*. Hinc illud Gl. ord. Thomas, id est, *abyssus*, quia dubitando profundius nouit, &c.

CAPVT XVI.

Morale.

Apparet Dominus discipu. congregatis.

Cum serò esset die illo.

RVpertus lib. 12. de victoria Verbi, cap. 27. illa verba Ps. 56. *Exurge gloria mea, exurge psalteriũ & citharas* de corpore Christi mystico sẽsu interpretatur. Quod, inquit, erat Psalterium illud, vel quę cithara? vnũ idẽque corpus in sepulchro quiescẽs erat Psalterium, erat cithara, quã distentis charitatis fidibus personãtẽ, dulcesque prædicationis sonos modulantẽ, Iudæi confregerant, &c. Psalteriũ quidẽ erat & cithara, corpus illud sanctissimũ, cuius suauissimo cõcentu, discipuli summoperè oblectabãtur. At postq̃ ab hostib. fracta cithara est, atra mœroris nocte circumfusi lamentabãtur, *Cum esset serò*; ait Ioan. Et Chrysologus; Serò, inquit, erat plus merore q̃ tẽpore: serò est meroris & tristitiæ nubilo mentib. obscuratis, &c. Nec tamẽ diu aut citharæ durauit fractio, aut discipulorum mæror. Potentissima Christi anima die tertia Psalterium suũ & citharam vocauit, dicẽs eodẽ Psal. 56. *Exurge Psalterium & cithara, exurgam diluculo*; vocauit, reparauit, citharã & sumpsit. Matrẽ primum dulcissima recreauit harmonia, deinde alias mulieres ipso dominico die; postea discipulos congregatos.

Corpus Christi Psalterium & cithara, discipulos suaui recreat concẽtu.

Chrysolog.

Psal. 56.

Gauisi sunt discipuli viso Domino: Gauisi sunt citharæ pulcherrimæ ac rediuiuæ conspectu, & melodia. Nõne suauissima fuit melodia salutatio illa dulcissima, *Pax vobis*, illa præterea donatio, qua Spiritũ donauit sanctum, & ad remittenda, retinendaque peccata potestatem? Ad nos quoque citharæ hic concentus permanauit. Quis suauior concentus, peccatorum aures demulcere potest, quam criminum remissio? Hic ad nostras peruenit aures; de nostris enim agebat Dominus peccatis cum dicebat: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, &c.

Zachariæ 13. scriptum extat: *Percute pastorem, & dispergentur oues: & cõuertam manum meam ad paruulos*, &c. Percussus est pastor Christus; dispersæ sũt oues, id est, discipuli. Sed non est passus Dñs dispersas perire oues, paruulosque discipulos. *Conuertam*, inquit, *manum meam ad paruulos*, id est, ad discipulos conuertam potentiam meã, illos velut oues dispersas iterum congregabo in ouile. Hoc videmus factũ. dispersas passionis tempore oues rediuiuus pastor in fide resurrectionis cõgregat; disiectas tempestate naues Nauarchus in portum tranquillum reducit; qui terga verterunt milites, ad vexillum crucis reuocat.

Zachar. 13.

Stetit in medio.

STatum resurrectionis significat hęc Domini statio. Ceciderat corpus in sepulchrum Iudæorum tormentis affectum: sed iam resurrexit, iam stat. Stat, inquam, *in medio discipulorum suorũ*, vt ab oibus resurrexisse credatur. Sic in medio discipulorum, siue subditorum non cadere, sed stare debet Prælatus virtutisque ardorem circumquaq; diffun-

fundere. 1. Reg. 16. vngitur in regem Dauid *in medio fratrum*. In quæ verba D. Gregor. Quid est, inquit, quòd Dauid in medio fratrum vngitur, nisi quia virtutis exempla circumquaque spargere iubetur in medio fratrum vngitur, vt tantæ vnctionis fieri participes omnes possint, &c. Præterea in medio stare debemus, hoc est, inter fratres singularitatem arrogantem fugere, & ab illis non separari. D. Bernar. serm. 6. de ascensione Domini. Falleris, inquit, Thoma sancte, falleris si videre Dominum speras ab Apostolorum collegio separatus. Non amat veritas Angelos, non ei diuersoria placent. in medio stat, id est, in disciplina communi, communi vita, communibus studiis delectatur, &cæt. Audiant D. Bernard. hæretici increduli qui ab Ecclesia separati, videre Dominum sperant, miserrimè à dæmone decepti.

Et fores essent clausæ.

Ianuis clausis apparuit discipulis Dominus: Ianuis etiam clausis apparet nobis, cum mundi curis, cogitationibusq; tumultuantibus cor claudimus, mentemque colligimus. Cantic. 4. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradisus*, &cæt. Hortus amœnus animus est hominis, gratia diuina præditi, hortus verò conclusione eget: si enim muro concludente, vel maceria careat, id fiet quod legitur Iob. 40. *Omnes bestiæ agri*, id est Dæmones, *ludent ibi*, &cæt. Quomodo autem dæmones in horto ludant patente, docet Diuus Gregor. in eadem verba: An (inquit) non spiritibus immundis ludere est, mentes hominum modò ficta promissione decipere, modo vacuis terroribus irridere, modò eis transitoria gaudia, quasi mansura imprimere; modò mansuras pœnas, quasi transitorias leuigare, &cæter. Hi sunt lusus Dæmonum, aliique multo peiores in horto minimè concluso. Contra verò si conclusus hortus est, id fit, quod eodem cap. 4. Cantic. sequitur: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus, Cypri cum nardo, nardus, & crocus, fistula & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis*, &cæt. Emittuntur ex horto concluso arbores præclaræ, præclaraque aromata; sic ex animo concluso cogitationes operaq; & verba præclara producuntur.

Cant. 4.

Colligere oportet mentem.

D. Gregor.

Geminato autem muro opus est; siue muro & antemurali: ideo conclusio geminatur. *Hortus*, inquit, *conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus*, &cæt. Oportet namque & mentem claudere & corpus, quantum per debitas occupationes licuerit. In templo Salomonico duo erant velamenta, vt ostendimus in tract. de templo tom. 2. In templo quoque Dei, id est, in homine, duo velamenta esse conuenit, alterum animi, corporis alterum. præterea hic hortus conclusus est, fons non apertus omnibus, sed clausus & signatus Christo. Signatus, inquam, ipsius Christi perpetua memoria velut signaculo, iuxta illud Cant. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum*, &c. At meritò conqueritur Philosophus Seneca initio libr. 4. quæst. natural. Numquam, inquit, sumus singuli, &c. Item: Turbam rerum, hominumque desiderant, qui se pati nesciunt, &c. lege alia si placet, & D. Bernardum serm. 40. Cantic. Iob. 1. ait Diabolus: *Circumiui terram & perambulaui eam*, &c. Multos habet imitatores qui mente non cœlum circumeūt, sed terram, & cogitatione perambulant mundana, non diuina. Claudamus itaque fores cordis vt appareat nobis Dominus; vulnera sua, passionem & resurrectionem, ostendat, gaudioque mœstos perfundat.

Duplex animi septum.

Cant. 8.

Seneca.

Iob. 1.

Exodi 3. *Cum minasset Moyses gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb: apparuitque ei Dominus*, &c. Propellamus nos quoque cogitationum curarumque nostrarum turbulentum gregem, ad interiora solitudinis cordisque ianuam claudamus, vt appareat nobis Dominus. Psal. 79. *Appare coram Ephraim, Beniamin, & Ma-*

Exod. 3.

Psalm. 76.

& Manasse, &c Coram Ephraim, id est, *frugifero*, apparet Dominus; coram Beniamin, id est, *filio dexteræ*, & coram Manasse, id est, *obliuioso*, hoc est, coram eo qui mundum eiusque nænias & nugas obliuiscitur. Iuxta illud Psalm. 44. *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & cōcupiscet rex decorem tuum*, &c. De duplici obliuione, altera Babylonis, id est mundi; quæ optima est valdeque expetenda: altera Ierusalem, id est, cœli, quæ pessima est, valdeque fugienda, legendus est D. Bernard. serm. 6. in vigilia Natalis Domini: Est, inquit, qui oblitus est Domini creatoris sui, & est qui prouidet eum in conspectu suo semper, oblitus populum suũ, & domum patris sui & ille quidem cælestia obliuiscitur; hic verò quæ sunt super terram; iste præsentia, ille futura. Vterque Manasses est, vterque obliuiosus, sed alter quidem Ierusalem, alter Babylonis oblitus, &cæt. Felix qui Babylonem penitus obliuiscitur, cælestem verò Ierusalem semper habet in memoria. Felix qui in Babylone, id est in mundo, habitat solo corpore: in Ierusalem verò tota memoria; iuxta illud Psalm. 136. *Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea: Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ*, &c.

Obliuio mundi, & obliuio cæli.

D. Bernar.

Psal. 136.

Pax vobis.

Gen. 10.

GEnes. 10 post diluuium illud, quod totum terrarum orbem cōpleuit, *quando rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt*; ad Noë in Arca clausum propter metum diluuii, venit columba portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo: *Intellexitque Noë quod cessassent aquæ super terram*: similem in modum post immensum illud passionis Christi diluuium, quod totam inundauit terram; quando *rupti sunt fontes abyssi magnæ*, id est, misericordiæ Dei, & *cataractæ cæli apertæ sunt*, vt pluuiam in terras cælestem demitterent; ad discipulos domo conclusos propter metum Iudæorum venit Christus; portans ramum virentem in ore suo. *Pax*, inquit, *vobis*. Intellexuntque discipuli, quod diluuii, i. passionis, cessasset tempestas, summaq; resurrectionis tranquillitas exorta esset. Multis cruciatibus affectus est Dñs in Ierusalē, in crucē velut latronum princeps actus & occisus, in eandem ciuitatem rediuiuus reuertitur. Nec tamē fert ore bellum, atrocesque minas, sed pacem. Non indicit bellum hostibus, à quibus vita est priuatus, non minatur cædes, atque strages iis à quibus est cruci suffixus; pacem omnibus offert, pacem cum omnibus habere cupit. *Vicit leo de tribu Iudæ*; sed non rugit vt Leo, non terret, non fert ore fremitum horribilē; sed vt Agnus qui tollit peccata mundi, fert pacem, peccata mundi tollentem.

Princeps pacis pacem fert ore, nō bellum.

Pax vobis: pax, inquam, perpetua, non solum induciæ. Multi inducias faciunt, cum postquam crimina confessi sunt, à peccatis abstinent per dies aliquot, vel mēses, moxque ad vomitum reuertuntur. pax vobis sit ò Christiani cum Deo, non solum sint huiusmodi induciæ; pax sit æterna, pax inuiolata, pax sine fine. *Inclinaui cor meum*, ait Dauid Psalm. 118. *ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem*, &c. Expende firmissimam Dauidis voluntatem, & pacem cum Deo, inclinasse ait cor suum ad mādata Dei seruanda in æternum. Nam vir iustus in æternum viuit, & in æternum Dei legem seruat, videlicet seruat, cum in terris vitam traducit; seruat, cum ex hac vita discedit, & in æternum vitam in cœlo agit. Seruat autem Dei legem, quia cor suum ad seruandum mandata pondere illo inclinat, de quo Paulus 2. Cor. 4. ait: *Quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, & cæt. æternum est pondus gloriæ, & maximum, ideo cor inclinat ad custodienda præcepta in æternum. *Inclinaui*, inquit, *cor meum*. si roges quonam pondere inclinasti? respondet; *Propter retributionem*, hoc

Pax cum Deo sit perpetua.

Psal. 118.

2. Cor. 4.

hoc est, æterno pondere æternæ gloriæ. Hoc pondus cor velut stateram ad pacem inclinat cum Deo sempiternam. Lucæ 7. *Cui plus dimittitur, plus diligit*, &c. Remissionem ergo peccatorum Dei dilectio sequi debet: quo plura nobis remittuntur delicta, eo dilectionem maiorem esse conuenit, & in pace maiorem perseuerantiam. ò ingratum hominem, qui pacem initã cum Deo frangit, pro amore debito, reddit summo benefactori offensam; pro pace bellum infert. Imitare Deum ò Christiane, ille pacem tecum factam seruat in æternum ex parte sua; tu quoque cum eo compositam serua in æternum ex parte tua. 2 Cor. 13. Deus dicitur *Deus pacis*, quia pacem omnibus offert, seruat diligit. *Pacem habete*, ait Paulus, *& Deus pacis erit vobiscum*, &cæt.

Psalm. 84.

Psalm. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor*, &c. Loquitur Deus pacem in eos qui conuertuntur ad cor; hoc est qui in se redeunt, qui seriò pœnitentiam agũt, qui ad stultitiam peccandi non reuertuntur. Nam ex Hebræo D. Hieron. sic vertit, *loquetur pacem ad populum suũ, & ad sanctos suos, ut non conuertantur ad stultitiam*. Quæ maior stultitia reperiri potest, quam peccati commissio? Caue ne ad hanc stultitiam reuertaris quicumque agis pœnitentiam.

Duplex est hominis resurrectio, altera animi in hac vita, altera corporis in extremo die. Animi resurrectio multò potior est resurrectione corporis. multo enim satius est animum Dei gratia viuum habere, quam corpus à morte excitatum. postquam resurrexerit corpus, nunquam morietur, sed sempiterna vita perfruetur. O Christiane operam toto pectore naua, ne hac in parte inferior sit animi resurrectio resurrectione corporis si corporis resurrectio sempiterna est; sit etiã sempiterna resurrectio animi. Corpus in die iudicii excitatum, in æternum non morietur; animus in hac vita ex

A peccato in vitam gratiæ reuocatus, non morietur in sempiternum, vitam seruet, mors peccati illi vltra non dominetur. Lucæ 14. *Quis rex (ait Dominus) iturus committere bellum aduersus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se? Alioqui adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt*, &c.

B Christiane, qui pacem cum Deo factã rescindis; considera quæso quam potenti regi inferas bellum. Ille ad te puniendum penitusque euertendum, cum potentia veniet infinita; tu nullas habes ad resistendum vires. Illud vnum restat, vt legationem mittas, hoc est, deprecationem humilem, cordisque contritionem & confessionem, & roges ea, quæ pacis sunt, pacemque serues perpetuam. Illud Pauli tecum

C reputa ad Hebr. 6. *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam, illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Proferens autem spinas ac tribulos reproba est, & maledictioni proxima, cuius consummatio in combustionem*, &c. Sæpe venientem super te, diuinæ misericordiæ, peccata tibi remittentis imbrem bibisti: genera

Seruanda est cũ Deo pax perpetua.

D ergo Deo, à quo velut terra coleris, herbam, & segetem bonorum operum opportunam, vt æternam accipias illius benedictionem: Quòd si spinas tribulosque proferre non desinas, id est, peccata, maledictionem consequeris perpetuam, in combustione sempiterna.

E

Gauisi sunt discipuli viso Domino.

Gaudium discipulorũ Christi, quale sit.

GAudet auarus viso auro, & argento, gaudet ambitiosus visis honoribus, gaudet voluptatis amator visis deliciis. At Christi discipulus mundi contemptor, gaudet viso Domino. Inanis lætitiæ ac caducæ obiectum, caduca sunt, & inania mundi bona: veri solidique gaudii obiectum est Domi-

nus, tam in cęlo, quàm in terra. In cęlo quidem obiectum est gaudii beatorum, Deus perspicuè visus, in terra obiectum est gaudii viatorum, per fidem viuam contemplationemque conspectus. Iudith 16. *Erat populus iucundus secundum faciem sanctorum*, &cæt. Hoc est, erat lætus populus ante faciē templi Domini, quod Sancta appellabatur. Illi ante templum Domini læti erant, nos læti sumus, ante Deū ipsum per fidem & contemplationem nos statuentes. Psalm. 5. *Manè astabo tibi, & videbo*: id est, & contemplabor, vt vertit D. Hieronym. Psalm. 76. *Memor fui Dei, & delectatus sum*, &c. Abacuc 3. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo*, &c. Psalm. 121. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*. Hæc sunt Sanctorum gaudia. At verò Psalm. 113. *Montes exultasse dicuntur sicut arietes: Montes exultauerunt, vt arietes, & colles sicut agni ouium*, &c. En tibi multorum hominum exultationem. Vt arietes & agni exultant montes, id est, homines, qui rationis celsitudine, montibus similes sunt & collibus, instar animantium ratione carentium exultant, nimirum in rebus caducis, terrenis, ac corporeis; in potu, in cibo, aliisque similibus, non in Deo. Væ miseris. Confert huiusmodi homines August. cum pisce escam cum gaudio deuorante, neque hamum sentiente, cuius breuis est lætitia, & mors luctusque propinquus. August. de Agone Christiano capit. 7. Gaudet piscis, quando hamum non videns, escam deuorat. Sed cum piscator eum adducere cęperit, viscera eius torquentur, &c. Voluptates improbæ, libidines, iniustum lucrum, cæteraque huiusmodi, in quibus hi lætantur, esca sunt; escam arripiunt auidè, & lætantur; hamum non vident, quo in Tartareas ducuntur flammas. Prouer. 2. *Exultant in rebus pessimis*: Beda. Ideo, inquit, malefacientes exultāt, quia per vias tenebrosas ambulant, & nesciunt quò eunt. Si n quia ad penas tendunt; aspicerēt, gressū vtiq; cohiberēt, noxiā que lætitiā salubri fletu castigarēt, &c.

Exultatio mundanorum.

D. August.

Beda.

Palpate & videte.

Misit Deus, Num. 13. exploratores, qui repromissionis terram melle & lacte manantem explorarent. Multi verò ex illis, gigantes terræ habitatores horruerunt; populoque hoc renunciarunt: *Terra fluit lacte melle, vt ex his fructibus cognosci potest, sed cultores fortissimos habet, & vrbes grādes atque muratas. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo; quibus comparati quasi locustæ videbamur*, &c. His aliisque verbis Israelitas in fletū murmurque induxerunt, maleque perierunt omnes; præter Iosue & Caleb, qui pro terra promissionis præclarè locuti sunt. Similem in modum exploratores fuerunt Apostoli terræ repromissiones, id est, Christi, Iudæis repromissi. Explorauerunt eius gesta, dicta, factaque, eius cruciatus, & mortem; his diebus explorant resurrectionem, multaque de reliquis cognoscunt, quę ante ignorabant. Non potuerunt illi ad terram beatam ac repromissam ire, venit illa ad eos; *stetit in medio eorum*, seque ipsum obtulit explorandum. *Palpate*, inquit, *& videte*, *ostendit eis manus, & latus; comedit coram illis fauum mellis, & assi piscis partem*: quasi diceret; vos ego exploratores constitui, explorate me, vt oculati fidelesque testes & exploratores meæ resurrectionis esse possitis. Non timuerunt hi exploratores *Filios Enac de genere giganteo*; non timuerunt labores, gladios, ignes, tyrannos, dæmones: vicerunt gigantes omnes; dæmones & tyrannos, nuntiumque toti terrarum orbi attulerunt, affirmantes, plurimisque miraculis confirmantes, terram promissam quam explorarunt, lacte & melle manare, posseque homines facilè eā possidere, Deo auxiliante, si velint.

Piscis autem ille assus quem Dominus comedit, ipsummet Dominum significabat, qui, vt Beda ait, quasi tri-

Num. 13.

Apostoli exploratores fuerunt promissi Messia.

Piscis assus quid significet.

tribulatione assatus est tempore passionis suæ. Et D. August. tract. 123 Piscis (inquit) assus, Christus est passus, &c. Fauus mellis, resurrectionis dulcedinem adumbrabat. Rectè cum asso pisce fauus mellis coniungitur, quoniam quos hic tribulatio velut pisces assat, fauus mellis, id est, dulcedinis diuinæ, reficit. Audi Paulum bene assum piscem, Christi dignissimum patina, 2. Corint. 1. *Sicut*, inquit, *abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat cōsolatio nostra*, &c. Item: *Deus consolatur nos in omni tribulatione nostra*, &c. Neque solum diuino reficiebatur fauo, sed aliis impertiebat. Quamobrem addit: *Vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt*, &c. Manducauit Christus piscem assum, & fauum: *& reliquias dedit Apostolis*. Quoniam ipsi quoque tribulatione assandi erant, & consolationis diuinæ fauo recreandi. Nobis quoq; omnibus has reliquit reliquias. Assari igitur non recuset, qui mellis fauū vult edere. Beda: Cum asso pisce fauus sumitur; quia qui hic afflictionem pro veritate suscipiunt, illic dulcedine vera satiantur, &c.

Beda. D. August.

Fauus cū pisce coniungitur asso .i. dulcedo cum tribulatione.

Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.

Die Paschatis (quod nomen, vt diximus, *transitum* significat) instituit Dominus Sacramentum Paschatis, id est, *trāsitus*. Quid enim aliud est Sacramentum pœnitentiæ, quam Sacramentum transitus à peccato, & veteri vita, in gratiam, & vitam nouam; qui transitus per contritionem cordis, confessionem oris, & satisfactionē fit operis? Præterea in die resurrectionis suæ Sacramentum instituit resurrectionis nostræ. Nam per Sacramentum pœnitentiæ, vt liquet, resurgit anima ex peccati morte horrenda.

Christus in die Paschatis instituit Sacramētum pœnitētiæ.

In hac eadē die, resurrectionis corporis nostri exemplar ostendit Christus, vt ait August. serm. 158. de tempore; Carnis, inquit, resurrectionis, in Christo præcessit exemplum: Voluit. n. nobis, quod promisit in fine, non solū pronuntiare, sed etiam demonstrare, &c. Ipsam verò resurrectionem corporis, in extremum tempus distulit; vt intelligamus hoc prius tempus animarum resurrectioni, ornamentis, pulchritudini, operumque bonorum meritis, esse dicatū: quia dignitate prior est anima corpore. O Christiane excita nunc per Sacramētum resurrectionis animam tuam, eius cura vitam, sanitatem, pulchritudinem corporis, ne cures hic inania ornamenta, inanemque venustatem. Si animæ habueris curam, Deus corpus in die iudicii suscitabit, perpetuaque vita, sanitate pulchritudineq; donabit. D. Bernard. in Euang. *Ecce nos reliquimus omnia*. Tēpus (inquit) hoc animabus, non corporibus assignatum est, &c. Anima corpus ad se ducet, non corpus animam: etenim corpus in sepulchrum abit, non tamen ducit in sepulchrum animam. At anima si abeat in cœlum, eo ducet corpus; si in Tartarum, eò rapiet. Curā habe nunc animæ diligentissimam, quia illa suum corpus sibi reddet simile. si beata fuerit, beatum; si fuerit æternis flammis mancipata, æternis quoque flammis corpus mancipabitur. Negotium agis corpori vtilissimum, cum animæ negotia diligenter agis, ipsa vtilitate corpus ad vitiorū mortificationem cæterasque virtutes, animique illustria ornamenta excita. Bernardus loco indicato: Cum iudicium, inquit, carnis ex anima pēdeat, nihil potest carni vtilius prouideri, quàm salus animæ, &c. Audiamus D. Hierony. in epist. ad Rusticum. Nulli, inquit, parcas, vt parcas animæ, &c.

D. August.

Christus exēplar nostræ resurrectionis.

Anima resurrectio.

D. Bernar.

D. Bernar.

Anima diligētissima cura gerenda.

Denique in die quo pacem hominibus dixit: *Pax vobis*: Sacramentum pacis effecit Dominus, nimirum Sacramentum pœnitentiæ, quo cum Deo pax conficitur. Nam contritio propositum confitentis continet, mortifera peccata omnia fugiendi: quæ si quis effugiat, pacem cum Deo æternam seruabit. Lætissimo autem Paschatis tempore pœnitentiæ hoc Sacramentum instituit: vt intelliga-

Sacramentum pœnitentiæ, Sacramētum pacis, & lætitia est.

ligamus pœnitentiam lætitiam esset siquidem per eam res lætissima, videlicet peccatorum remissio, & Dei gratia comparatur. Lætatur is, qui ex periculoso morbo in salutem, qui ex tempestate in portum, qui ex morte in vitam reducitur. Lætatur qui opibus amplissimis locupletatur, & in regis amicitiam asciscitur, multò amplioribus opibus locupletandus. Nonne is, cui peccata remittuntur, ex periculosissimo peccatorum morbo in sanitatem, ex sæua tempestate vitiorum, in portum gratiæ; ex morte spiritali, in vitam reuocatur? Nonne amplissimis diuini Spiritus & gratiæ opibus ditatur, & in regis supremi amicitiã inducitur, multò amplioribus gloriæ opibus in cœlo ditandus? Meritò ergo, si sapit, gaudio exultabit. O lætissimam peccatoris auribus musicam ex ore confessarii sonantem; *Ego te absoluo à peccatis tuis*, &c. Hanc lætitiã peroptabat Dauid, cum Psal. 50 petit: *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata*, &c. Cupiebat à Deo audire internis animi auribus, remissa sibi esse peccata; ex qua remissione, magnum se gaudium & lætitiam percepturum ait. Non erat in lege antiqua Sacramentalis confessionis suauissima musica, ex variis permixta sonis, nimirum ex sono mœsto, hoc est, peccatorum contritione, enumeratione, & satisfactione; & sono læto, hoc est, absolutione. Est in lege noua musica hæc noua: resurrectionis n. suæ die, vt supra diximus, citharam suam excitauit Dominus, Matremque suam, & discipulos suaui concentu exhilarauit, eademque die, & eiusdem citharæ concentu totum terrarum orbem exhilarare voluit, confessionis instituens musicam lætissimam, in qua auditui peccatoris dat Deus gaudium & lætitiam, cum à cõfessario Dei Vicario audit; *Ego te absoluo*, &c. & exultant eius ossa humiliata. Musica est Sacramentum hoc. Est etiam iudicium suaue. Etenim suaue illud iudicium est, in quo reum absoluit criminis confessio, æternamq; pœnam in temporariam mutat.

Psal. 50.

A Psalm. 121 *Illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum Dauid*, &c. hoc est, in domo Dauid veri, videlicet Christi summi Regis, ac Pontificis, sedes, Græcè, θρόνοι. Quænam sunt hæ sedes, hi throni in iudicio super domum Christi? Tribunalia sanè sunt confessariorum, digna thronorum nomine: siquidem throni sunt non hominum solum, sed ipsius Dei. Vicarii n. Dei sunt Confessarii, Deique iudiciũ

Confessariorũ throni & tribunalia.

B exercent. Audiant verò ipsi Confessarii, illa Iosaphati regis verba, iudicib. dicta 2 Paralip. 19. *Videte (ait) quid faciatis. Non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: Et quodcumque iudicaueritis in vos redundabit: sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite*, &c. Quòd si verbis hærere volumus, mirum est, quòd dicantur sedes, vel throni, sedere. *Illic (inquit) sederunt sedes*. quænam sunt sedes sedẽtes?

2. Par. 19.

C ipsimet sunt Confessarii, sedent quidẽ in tribunalibus iudicii conscientiæ, in foro interno; sed sedes sunt Dei, & throni; quia in ipsis sedet Deus, iudicans homines omnes, qui in Ecclesia sunt, cum ad ætatem peruenerint debitam. Vnde rectè dicuntur hæ sedes sedere super domum Dauid. Super domum enim Christi vniuersam, id est, Ecclesiam, constituti sunt hi iudices, super plebẽ, super nobiles, super prin-

D cipes, super reges & Imperatores, super Episcopos, denique super ipsum etiam summum Dei vicarium in terris Põtificem summum. Omnes enim diuina confessionis lege obstricti sunt, omnes ad hoc iudicium iudicandi debent accedere, quia iudiciũ est à Deo institutum. Magna autem est Christi gloria, ante pedes iudicum ipsius, cernere prostratos imperatores, reges, cæterosque principes terræ, quærentes

E *peccatorum remissionem*.

Christus Iudex constitutus viuorũ & mortuorum, tria constituit iudicia, vnum ante mortem exorabile, in quo facilè remittuntur peccata, per pœnitentiam; duo post mortem inexorabilia, alterum particulare, cum homo animam exhalat; alterum generale in die mundi extremo. In tribus his iudi-

Christus iudex tria constituit iudicia.

ciis

ciis Christus ipse Iudex est. Iudicat in morte per Angelos inexorabiliter; iudicat in vita homines per homines sacerdotes, exorabiliter: iudicabit in extremo die per se ipsum, nullam peccato mortifero contaminatis concedens remissionem. Nemo ergo suaue confessionis iudicium nunc refugiat, nemo Dei sedens thronosque super domum Dauid collocatos, timeat; in extremo enim die, iudicio inexorabili iudicabitur, qui suaue iudicium fugerit. Pauli monitis omnes obsequamur, ad Hebr. 4. *Adeamus*, inquit, *cum fiducia ad thronum gratiæ; vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus, in auxilio opportuno*, &c. Thronus Dei, & gratiæ, est thronus pœnitentiæ; ne fugiamus, sed adeamus nunc thronum gratiæ cum fiducia veniæ, vt misericordiam consequamur & gratiam cũ auxilio Dei opportuno, in opportunitate huius vitæ. Nam sæculum alterum nullam offert adeundi hunc thronum opportunitatem; nullum ad agẽdã pœnitentiã Dei auxiliũ suppeditat.

ad Heb. 4.

Accedamus ad thronos in Ecclesia positos; flatus inde Christi exibit, qui vt nubes peccata nostra deleat. *Insufflauit* enim cum hoc Sacramentũ confecit. Quemadmodum lucerna flatus ignis extinguitur; sic flatu Christi, ignis Tartareus peccatori debitus dispergitur, & euanescit. Flatus hic Christi post resurrectionem, cum in Discipulos insufflauit, suauissimè olebat. Odorifero hoc flatu opus est, aduersus malè olentia peccata. Attendant confessarii, Dominum, Spiritum sanctum Apostolis dedisse, in Sacramenti huius institutione. Est enim confessario maxime necessarius spiritus intelligentiæ, spiritus consilii, & spiritus timoris Domini; vt ab eo in cõfessionibus audiẽdis dirigatur, vt quid agere debeat intelligat, vt sibi & cõfitenti rectè consulere valeat, vt iniustam proferre sententiam timeat, vt cum confessiones audit, nihil inde veneni hauriat.

Simile.

Cõfessario quæ sũt necessaria.

CAPVT VII.

Apparet Dominus Thomæ.

IOANNES CAPITE XX.

ET post dies octo, iterum erant discipuli eius intus: & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei Dominus meus, & Deus meus. Dixit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt. Multa quidem, & alia signa fecit Iesus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc

autem scripta sunt vt credatis, quia Iesus est Christus filius Dei. & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.

Et post dies octo.

NOluit Dominus perire A Thomam: magna vsus misericordia, post dies octo à die resurrectionis, iterum discipulis congregatis apparuit. Aderat autem Thomas. Ianuis ingressus clausis, in medio stetit, eosque salutauit, dicens, *Pax vobis.* Ad Thomam verò conuersus, cuius dubitationi mederi volebat; Thoma, inquit, me resurrexisse dubitas, neque crediturum te ais, nisi videris in manibus meis fixuram clauorum, & mittas digitum tuū B in locum clauorum, & mittas manum tuam in latus meum? Accede igitur huc; ecce manus meas, vide fixuram clauorum, & mitte digitum tuum in loca clauorum; ecce latus meum, mitte in illud manum tuam, nolique incredulus esse, sed fidelis: ostendit Dominus discipulis, Thomæ verbis se adfuisse, eaque quia Deus est nouisse. Theophylactus; Ostendere, inquit, volens quod tunc aderat, quando incredulitatis verba cum discipulis tractauit Thomas, non expectauit, vt ab illo tale quidā audiret, sed ipse prior quæ desiderabat, implet, &c. Idem ait Euthymius ex Chrysostomo.

Thomæ apparet Dominus, & vulnera ostendit.

Theophil.

Cur non statim apparuit Dominus Thomæ, sed post dies octo? Respōd. voluisse apparere Thomę & reliquis cōgregatis, vt coram illis Thomas profiteretur resurrectionis fidem. Fieri autem potuit, vt non nisi post dies octo eadem in domo congregarentur. Vel respond. Dominum voluisse discipulis per interualla tēporis apparere; ideoque non statim sed post interuallum octo dierum aduenisse ipsa dominica die, quam videbat resurrectionis gloriæ dicandam. D. Chrysostomus, Crassioris ingenii fuisse Thomam ait, sed

Cur Dominus post 8 dies apparuerit. D. Thomas.

D. Chrys.

non placet eius sententia. D. Cyrillum illi opponimus, qui Thomam sapientissimum Saluatoris discipulum appellat.

D. Cyrill.

Quæritur an apparuerit nunc Dominus discipulis in Ierusalem? Rupertus Ioan. 10. arbitratur, apparuisse in Galilæa, in ciuitate Nazareth, Fortasse, inquit, in domo Deiparæ Virginis probatur; quia discipuli Christi nuntium acceperant, vt in Galilæā, ipsum ibi visuri proficiscerentur. Neque verò est verisimile, per octo dies distulisse profectionem. Attamen illa Euangelistæ verba, *Iterum erant discipuli eius intus:* significare videntur eadem in domo iterum apparuisse nunc Dominum, ianuis clausis, in qua ante octo dies apparuerat. Itaque alii opinantur cum Augustino lib. 3. de consensu Euāgel. cap. 25 in Ierusalem visum Dominum. Discipuli verò profectionem in Galilæam distulerunt, quia diebus azymorum, in Ierusalem manere voluerunt. Post azymorum dies transactos, C & aliquot alios, in Galilæam abierūt. Opinio Ruperti, videlicet in Galilæa Dominum Thomæ simul cum reliquis discipulis visum esse, tribuitur D. Hieronymo Matthæi 28. sed illius verba aperte illam non indicant. In monte, inquit, Galilææ Iesus conspicitur, ibique adoratur. Tunc manifestius ostenditur Thomæ, & latus lancea vulneratum, & manus fixas demonstrat clauis, &c. Ait in monte Galilææ se ostendisse manifestius Thomæ, quia iam in Ierusalem se illi manifeste ostenderat, non in monte, sed vt ait D. Ioannes in domo ianuis clausis. in monte Galilææ postea se ostendit, vt scribit Matth. 28.

An Christus apparuerit Thomæ in Galilæa.

Rupertus.

D. August.

D. Hieron.

Dissi-

Infer digitum tuum huc, & vide manus meas.

D. August. tract. 121. videtur sic explicare verba hæc; vide, id est, tange manus meas, ita, vt *video*, verbũ sumatur, pro *tango*. Quid aliud, inquit, ait Dominus, quàm tange & vide. Nec tamẽ oculos ille habebat ĩ digito, &c. sed rectè sic possunt explicari, *Mitte digitum tuum in locũ clauorũ, & vide oculis tuis manus meas, & fixuram clauorũ in eis, quod petebas*. Dixerat enim Thomas: *Nisi videro in manibus eius fixurã clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum*, &c. Duo petebat, videre, & tangere: hæc duo offert. *Infer*, inquit, *& vide*.

Dubiũ est; An tetigerit Christi vulnera Thomas? D. August. tract. 121. dici posse ait, non ausum fuisse tangere. Euthymius; Videns, inquit, Thomas vestigium clauorum, & latus apertum cõtinuò credidit; non expectans dum cõtrectasset, &c. Eadem est aliorum sentẽtia. D. Cyrillus tetigisse arbitratur. Palpauit, inquit, Thomas latus Saluatoris, & ictum salutaris lanceæ curiosius pertrectauit. & D. August. tract. citato, Videbat, ait, tangebatque hominem; & confitebatur Deum, quem nõ videbat, neque tangebat, &c. Theophylactus: Tactu lateris Thomas optimum verbũ indicauit, &c. D. Greg. hom. 26. in Euãge. Thomas ad fidem palpando reducitur, &c. D. Ambr. Psal. 43. Thomas vbi tetigit manu propria latus Christi, respondit, &c. Eadem est multorum aliorum opinio, & communis.

An tetigerit Thomas vulnera? D. August. Euthym. D. Cyrill. D. August. Theoph. D. Greger. D. Ambr.

Obiiciuntur Domini verba, *Quia vidisti me Thoma credidisti*, &c. Nõ dixit, quia vidisti, & tetigisti. Respond. Verbo, *vidisti*, vtrumque esse complexum, in hunc sensum: Quia me vidisti tangẽdo, credidisti. Vel fortasse quia Thomas prius credidit, quam tangeret; ideo Christus ait: *Quia vidisti me, credidisti*. Sed postea voluit vt tangeret, quia id postulauerat, & quia id alii discipuli fecerant, vtque prodesset nobis August. quidem serm. 161. de temp. ait Thomam tetigisse quidem, sed non sui causa; quia ex visu credidit, sed ꝑpter nos. Thomas, inquit, cum esset sanctus, fidelis, & iustus, hæc omnia solicitẽ requisiuit: non quod ipse aliquid dubitaret, sed vt omnem suspicionem incredulitatis excluderet. Nam suffecerat illi ad fidem propriam vidisse, quem nouerat. Sed nobis operatus est, vt tangeret quem videbat. vt si fortè diceremus delusos fuisse oculos, non possemus dicere manus illius fuisse frustratas. Sic ille.

D. August.

Dubitatur, an sola vestigia vulnerũ retinuerit Dominus, an ipsa foramina? Respon. foramina retinuisse pulcherrimo splendore radiantia; idque probant verba hæc; *Infer digitum tuũ huc: Mitte digitum tuum in locum clauorum*, id est, in foramina. *Et affer manum tuã, & mitte in latus meum*, &c. Latus, inquam, apertum. Cur autem vulnera retinuerit radiantia, in Morali dicemus cap. sequenti.

An Dominus retinuerit foramina vulnerum.

Noli esse incredulus, sed fidelis.

DVos discipulos, Emmauntem petentes, asperius reprehẽdit Christus. *O stulti*, inquit, *& tardi corde ad credendum*, &c. Cum Thoma blandius agit. Seruare videtur voluisse decorum personæ Apostolicæ. Duo illi non erãt Apostoli; Thomas verò Apostolus erat; idcirco stultum non appellauit, & tardum corde ad credendum; quamuis satis tardus fuerit per octo dies ad credendum. Preterea illos duos priuatim reprehendit in via; Thomam, coram aliis Apostolis. Ideò verbis blandioribus vsus est. *Noli esse incredulus, sed fidelis*. Neque incredulum apertẽ voluit appellare, sed; *Noli*, inquit, *esse incredulus*. Incredulus quidem fuit Thomas plusquam reliqui Apostoli, siquidem multis non credidit fide dignis, & octo dies in incredulitate perseuerauit. Verumtamen non malo, & pertinaci animo id fecit; sed quia putabat potuisse, reliquos decipi, (vt

(vt suprà diximus) alicuius spectri, A vel spiritus visione. Volebat rem tanti ponderis, non ex aliorum auditu, sed ex visu proprio, atque etiã tactu, credere.

Cur permiserit Dominus Thomam esse incredulũ. D. Gregor.

Permisit autem illum Christus tot dies in incredulitate permanere, vt fides resurrectionis firmius in aliis cõfirmaretur credentibus. D. Gregor. homil. 26. in Euangel. Non casu (inquit) hoc, sed diuina dispensatione gestum B est: egit enim miro modo superna clementia, vt discipulus ille dubitans dũ in Magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Dum ille ad fidem palpando reducitur; nostra mens in fide solidatur, &c. August. serm. 161. Quod (inquit) sibi gessit Thomas, cunctis proficit. Cum suam enim exercuit solicitudinem, fidem omnium confirmauit. Quis enim ex hoc dubitet rediisse à mor- C tuis Saluatorem, cuius post inferos presentiam agnoscat oculus, attrectet manus, digitus perscrutetur, &cæ. Euthymius: Dubitatio hęc Apostoli multos alios confirmat, & à dubitatione liberat, &c. lege D. Bern. hom. 2. super *Missus est*.

D. August.

Euthym.

Tangi voluit Christus, & palpari, quia non erat spectrum, sed verè resurrexerat. spectra enim dolosa tangi D & palpari recusant. vnde Sedulius:

Sedulius.

Tunc limine clauso,
Constitit in medio, non dedignatus apertum
Discipulo monstrare latus, tactuque probari
Vulneris, & mentem patienter ferre labantis.
Agnitus hinc potius quod sit dubitantis amicus.
Quisquis enim artifices caca sub imagine fraudes E
Instruit, & vanas cupit exercere figuras,
Non vult agnosci, non vult sua f. cta requiri,
Vt lateant sub nube doli, nebulaque recludens
Omnia, solicitos odit simulator amicos.

Dominus meus, & Deus meus.

Quo tardior, eo excellentior fuit Thomæ confessio. Non solum fatetur Christum resurrexisse, sed (ip sum à morte excitasse diuina potẽtia. Peculiari fidei lumine illustratus exclamauit, cum illum vidit, ac tetigit; *Dominus meus, & Deus meus*: quasi diceret, in stuporem raptus; Dominus meus es, & Deus meus; potẽtiam Dei habẽs, quia te in vitam reuocasti. Grecè ὁ Κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου, cũ duob. articulis, qui diuinitatem magis aduersus Arianos confirmant. D. Cyrillus Græcus: Cum articu o, inquit, dicitur vtrumque, ne quis nostra, vel Angelorum similitudine, sed singulariter Christum Dominum, & Deũ dici existimet, &c. August. tract. 121. Videbat Thomas, tangebatque hominẽ, & confitebatur Deum, quem non videbat, neque tangebat, &c. D. Gregor. homilia 26. Considerando hominem, hunc Deum quem videre non poterat, exclamauit, &c. Theophyl. Tactu lateris Thomas, verbum optimum indicauit: Duas enim naturas, & vnam hypostasim, vnius Christi docuit. Dicendo, *Dominum*, humanam indicat; dicendo, *Deus meus*, diuinam substantiam ostendit, & ita vnum & eundem esse Dominum, & Deum, &c. Denique D. Thom. incredulitatem suam, confessionis eximiæ magnitudine satis, (vt ita dicam) decorauit. Vnde Card. Caiet. Ioan. 20. Thomas, inquit, incredulitatis suæ culpam, magnitudine professionis pensauit. Primus enim fuit, qui professus sit expresè Iesum esse verum Deum, &c. Magna equidem hæc est prærogatiua, diuinitatis Christi primum fuisse expressè professorem, ac proclamatorem. Adde ex D. Bern. hom. 2. super *Missus est*, Thomam, palpando Christi vulnera, factum esse constantissimum Dominicæ resurrectionis confessorem.

Confessio D. Thomæ admirabilis.

D. Cyrill.

D. August.

D. Gregor.

Theoph.

Caiet.

Quia

Quia vidisti me Thoma, credidisti.

An Thomas id crediderit, quod vidit.

Videntur hæc verba fidei obiecto repugnare, fides enim est eorum quæ non videntur. & vt Paulus ait ad Hebr. 11 *Est argumentum non apparentium.* Vnde Gregor. hom. 26. Quæ, inquit, apparent, iam fidem non habent, sed agnitionem, &c. Dominus autem ait: *Quia vidisti me, credidisti.* Quonam modo fieri potest, vt homo credat id quod videt? Thomas vidit resurrexisse Christum: id ne etiam credidit? Respondet D. Gregor. hom. 26. in Euang. Thomas, inquit, aliud vidit, aliud credidit. Hominem vidit, & Deum confessus est, &c. & D. Hilar. 7. de Trinit. Quid aliud credidit Thomas, quam professus est, scilicet, Dominus meus, & Deus meus, &c. ita alii quoq; rectè respondent.

D. Gregor.

Id credidit D. Thom. quod profitetur sine verbis.

Est altera huiusmodi horum verborum intelligentia. Vtitur Dominus verbo, credendi, eodem sensu, quo Thomas vsus fuerat, cum dixit: *Nisi videro, non credam,* id est, non mihi persuadebo resurrexisse Magistrum. Nam si de fide inuisibilium rerum loqueretur, fieri non poterat vt videret, & crederet, meritoque dicere poterat: *Si videro non credam*; quia quæ videntur nō creduntur. Ita Christus, *Quia,* inquit, *vidisti me Thoma, credidisti*; id est, tibi persuasisti me resurrexisse, iam credidisti, id est, iam assentiris huic veritati per experientiam. sic Lucas. *Adhuc,* inquit, *illis non credentibus*; id est, non persuadentibus sibi. Nam Apostoli cū viderent Christum oculis à mortuis excitatum, experiētiaque id agnoscerent, per fidem hoc credere non poterant. Ait ergo Dominus iuxta hūc sensū: Hæc tua fides resurrectionis meæ, non est fides, sed visio; non enim creditur, quod videtur. Loquitur autem de fide resurrectionis tantum, de qua erat Thomæ dubitatio, & controuersia; de fide diuinitatis loqui noluit. Diuinitatis namque suæ manifestationē Spiritus sancti aduentui reseruabat.

Ibi de fide resurrectionis tantum agebatur.

A Præterea non erat tunc tempus laudandi Thomam propter eam fidem, etsi dignam summa laude, sed reprehendendi tardum ad credendum resurrectionem, cuius tunc fidem volebat stabilire.

Beati qui non viderunt, & crediderunt.

B Laetificat valdè quod sequitur (ait D. Gregor. hom. 26.) *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* In qua sententia nos specialiter signati sumus, qui Christum, quem in carne nō vidimus, mente retinemus. Nos signati sumus, sed si fidem operibus sequimur. Ille enim verè credit, qui exercet operando, quod credit. Hæc ille. Vt autem ait August. tract. 121. Præteriti temporis Dominus vsus est verbis, tanquam ille, qui quod erat futurum, in sua nouerat prædestinatione, &c. Neque verò Thomam non esse beatum voluit asserere: beatissimus enim fuit Apostolus; sed eos voluit consolari, qui ipsum nō videntes crediderunt. Theophyl. Non hoc dixit Dominus, priuans Thomam beatitudine, sed consolans eos, qui nō viderant. Quia enim multi dicūt, beati oculi, qui viderunt Dominum, solatur eos, quòd beatius sit non vidisse, &c. Cum ergo dicit aliquis (ait Euthymius) beati qui temporibus illis fuerunt, ac Christum viderunt, consideret quòd beati qui non viderunt, & crediderunt, &c.

D. Gregor.

D. August.

Theophyl.

Euthym.

Dubium est, in hac comparatione Thomæ cum aliis credentibus: Nam Dominus ait: *Quia vidisti me Thoma, credidisti; beati qui non viderunt, & crediderunt.* At verò etiam Thomas, non vidit, & credidit. Nam, vt diximus, nō vidit Christum esse Deum, & id credidit. Ergo non est discrimen inter illū & alios. Respondetur, hoc esse discrimen inter Thomam & reliquos, quòd Thomas idcirco credidit Christū esse Deum, quia illum vidit à mortuis excitatum. Vnde Christus: *Quia vidisti* (inquit) *me Thoma credidisti, &c.* At reli-

Thomas Christum esse Deum non vidit.

reliqui credentes, de quibus loquitur Dominus, non credunt quia vident Christum, sed non videntes illum, fidẽ concipiunt. Iuxta secundam interpretationem illorum verborum; *Quia vidisti me, credidisti*, id est, tibi persuasisti me resurrexisse, facilis est responsio: discrimen esse inter Thomam & cæteros, quòd Thomas persuasit sibi Christum resurrexisse, quia illum oculis vidit rediuiuum. At Christiani Christũ resurrexisse, & multa alia vera fide credunt, cum tamen Christum nunquam viderint, iuxta illud 1. Petri. 1. *Quem*, inquit, *cum non videritis, diligitis, in quem nunc quoque non videntes creditis*, &c.

Quod discrimen sit inter D. Thomã & alios, in credẽda resurrectione.

1. Pet. 1.

Multa quidem & alia signa,

Quia dixerat Dominus: *Beati qui non viderunt, & crediderunt*: fidem ipsam non videntium cõfirmat Euangelista, addita breui clausula, qua affirmat, Christum coram discipulis suis nõ solum memorata fecisse signa, sed etiam multa alia, ad fidem confirmandam resurrectionis suæ. Dubium tamen est, loquaturne de omnib. Christi miraculis, quæ fecit quandiu in terris mansit; an de iis solum, quæ fecit post resurrectionem, vt probaret se in vitam rediisse. Respondet Chrysost. & sectatores Theophyl. atque Euthym, de solis illis miraculis hic haberi sermonem, quæ Dominus fecit post resurrectionem; vt probaret se verè resurrexisse. Probatur opinio ex ipsis Euangelistæ verbis: *Multa*, inquit, *& alia signa fecit in conspectu discipulorum suorum*: signa autem post resurrectionem in conspectu tantum discipulorũ sunt facta, cætera, etiam coram aliis. Præterea in fine Euangelii totius Ioannes clausulam addit, quæ omnia miracula complectitur. ergo superflua erit hæc, si idem significet.

Loquaturne Euangelista de solis miraculis factis ad probandam resurrectionem.

Arbitror cũ aliis de omnibus Christi miraculis locum intelligẽdum, neque coarctanda verba ad sola miracula resurrectionis. Obiectioni priori respondetur, omnia Christi miracula facta esse in conspectu discipulorum, tanquam testium, ideòque Euangelistam discipulorum meminisse, alios pretermisisse. Posteriori dicitur, non esse superfluam clausulam hanc, vel illã extremam, quoniam differunt. Hæc clausula multa miracula prætermissa esse indicat, & finem explicat propter quẽ aliqua scripta sunt; qui finis fides est viua, & gloria sempiterna. *Hæc*, inquit, *scripta sunt, vt credatis quia Iesus est filius Dei, & credentes vitam habeatis in nomine eius*, &c. Etenim locutus fuerat Dominus de fide non videntium; idcirco Euãgelista miraculorum meminit, quibus fides est confirmata; meminit etiam vitæ æternæ, ac veræ, quod est fidei præmium. Extrema autem clausula miraculorum, continet admirabilem multitudinem, vt Deo fauente videbimus. Quòd autem non loquatur Dominus de solis signis, quibus probauit post resurrectionem, se in vitam rediisse, suadetur; quia Euangelista, nõ sic scripsit: *Hæc scripta sunt, vt credatis quia Iesus resurrexit à mortuis*, &c. Sed, *hæc scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est filius Dei*, &c. Quod probãt omnia Christi signa. ergo de omnibus loquitur. Itaque ad finem Euãgelii sui properans Euangelista: *Multa*, inquit, *& alia signa fecit Iesus*, quæ ego omisi, hęc autem, quę toto hoc libro scripsi, propterea scripsi vt credatis, &c.

Miracula à Christo multa facta sunt quæ scriptis mandata non fuerunt.

Quid probent signa à Christo facta.

CAPVT XVIII.

Morale.

Apparet Dominus Thomæ.

Infer digitum tuum huc.

APocal. 12 significatur Ecclesia typo singulari: *Mulier dicitur amicta Sole, duodecim stellarum corona adornata*. Duodecim autẽ hæ stellæ duodecim adumbrant Apostolos, qui Ecclesiam

Apoc. 12.

Apostoli stellæ.

clesiam instar coronę decorant, vt Præsules gubernant, vt astra illuminant. Ex hoc numero stellarum vnam conatus est in terram deiicere Draco is, de quo legitur eodem Apocalyp. capite: *Cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram*, &c. Conatus quidem est Satan Thomam à corona dare præcipitem, casuque miserando collidere: sed id passus non est Christus. Nam vt est in Psalm. 36. *Homo cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam*, &c. Præcipitabatur Thomas in casum à dæmone: sed nec omnino prostratus nec collisus est; quoniam Dominus supposuit non solum vnam manum, sed vtramque, supposuitque latus suum. Vide vt manus supponat, & latus quoque: *Infer* (inquit) *digitum tuum huc, & vide manus meas. Affer manum tuam, & mitte in latus meum*, &c. Suppositis manibus, & latere, Thomam in admirabilem illam diuinitatis confessionem subleuauit: *Dominus meus, & Deus meus*.

Draco stellā præcipitare voluit.

Psalm. 36.

Cæcus palpando, & tangendo res cognoscit, Genes. 27. *Accede huc fili mi* (ait Isaac cæcus filio suo Iacob) *vt tangam te, & probem vtrum tu sis filius meus Esau, an non. Et palpato eo dixit Isaac: Vox quidem, Vox Iacob est, sed manus sunt Esau*, &c. Quemadmodum cæcus Isaac, vt filium cognosceret, illum voluit palpare: sic cæcus Thomas vt magistrum resurrexisse sciret, eum voluit tangere. Isaac postquam palpauit, dixit: *Vox Iacob est, manus Esau*; partimque filium cognouit, partim minimè. Siquidem vocem agnouit, non manus. Thomas postquam tetigit, perfectè magistrum resurrexisse sciuit: tum vocem, tum manus, Christi esse vidit à mortuis excitati, neque hoc tantum, sed Dominum Deumque verum esse cognouit. Congruit illi illud Psalmi 76. *Deum exquisiui manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus*, &c. Chrysostom. tom. 3. homil. de Trinitat. Palpauit, inquit, Thomas verbum in incredulitate, & non est deceptus, Christum Deum illum confessus in fide, &c. Nocte (ait Thomas) hoc est, in nocte cæcitatis, & incredulitatis, quæ resurrectionis lucem oculis eripiebat meis; Deum exquisiui manibus meis; vt cæcus palpans in meridie, volēs tangere manibus meis, manus eius, & latus. ô Dei benignitatem summam. Nō sum deceptus, sic Deum quærens. non est mihi iratus, sed summa misericordia succurrit; sese tangendum obtulit cæco, videntemque beato tactu reddidit. Vidi, palpaui, cæcus esse desii. Dominum Deum esse credo magistrum meum suamet potentia à mortuis excitatum. Tangit lapis aurum, & quale sit, demonstrat tactu. Sic tetigit Thomas pretiosissimum aurum Christum; quis esset ostendit, dicens: *Dominus meus, & Deus meus*, &c. tetigit, & tactus est, tetigit Christum, & tactus est à Christo, tetigit carnem, & tactus est animo, dixitq; : *Dominus meus, & Deus meus*.

Gen. 27.

Palpando cognoscit tactus.

Psalm. 76.

Theophylactus: Vide, inquit, quomodo propter vnum hominem Thomam, non dedignatus est ita condescendere Dominus, & latus ostendere, vt saluet animam vnam incredulam. ita & nos neque minimū contemnere debemus, &c. Ne similes simus Caino, qui Genes. 4. Rogatus à Domino; *Vbi est Abel frater tuus?* Respondit: *Numquid custos fratris mei sum ego*, &c. Simus omnes pro viribus custodes fratrum, ne pereant, toto pectore elaboremus. Matthæ. 27. *Pœnitentia ductus Iudas retulit triginta argenteos principibus sacerdotū, & senioribus, dicens, Peccaui*, &c. Egregii custodes fratris, quam humanum illi responsum reddiderint, animaduerte: *At illi dixerunt quid ad nos? tu videris*, &c. Sacerdotes, & seniores, ad vos pertinet res hæc, peccatum hoc, homo hic proximus orco; manum porrigite, consilio & auxilio pereuntem liberate. Nemo de proximi laboribus, & peccatis, dicat: *Quid ad me?* Illud Pauli in corde habeamus, & ore ad Galat. 6. *Alter alterius onera portate: & sic adimplebitis legē Christi*, &c. Lex Christi, lex est amoris, cuius est, sic onera portare proximi, ac si essent propria.

Succurrendum proximo cadēti.

Defer

Infer digitum tuum huc.

Cur Dominus vulnera retinuerit.

VT ex hoc loco cõstat; quinque vulnerum signa, & foramina maluit Dominus retinere in corpore glorioso quam abolere. Rei huius aliquæ redduntur rationes. Prima est, vt idem corpus resurrexisse demonstraret, quod cruci fuerat suffixum. Chrysost. homil. 86. in Ioan. Vt ipsum, inquit, Dominum crucifixum fuisse, & neminem alium pro eo resurrexisse intelligas; propterea cum signis crucis resurrexit, &cæt. D. Cyrillus: Passionis notas Christus retinuit, vt resurrectionis mysterium rectè intelligamus, non aliud corpus resurrexisse credentes, quam quod cruciatu mortuum fuit, &c. August. idem docet epistol. 49. quæst. 1. & Psalm. 74. ad illa verba: *Ego confirmaui columnas eius*; Columnas (ait Augustin.) dicit Psalmographus Apostolos. Et quid essent illæ Columnæ, nisi ab illo firmarentur? Columnæ quæ in passione nutauerunt, resurrectione firmatæ sunt. Terruerunt eos vulnera, firmauerunt cicatrices. habere voluit cicatrices, vnde nutantes columnas firmaret, &c. Beda in Ioan. ad dubitantiũ corda sananda vulnerum sunt reseruata vestigia, &c. Chrysologus serm. 84. Dicit, inquit, Christus Thomæ: *Infer digitum tuum huc*; vt effundant toto orbe iterum te aperiente hæc vulnera fidem, quæ aquam in lauacrum, sanguinem in omnium pretium iam fuderũt, &c. & serm. 76 Dominus vulnera reportat, clauorum foramina resumit; ipsa facit testimonia sui corporis, suæ resurrectionis indicia, quæ suæ fuerant contumelia passionis, &c. Sic Deus noluit contumeliam, opprobrium, & vulnera in honorem, gloriam, & gemmas pretiosissimas commutare.

Ratio 1. D. Chrysf. D. Cyrill. D. August. Beda. Chrysolog.

Ratio 2. Secunda: Vulnera retinuit, vt passionis, id est, summi beneficii, & misericordiæ erga homines, memoriam per totam æternitatem ostentent, tam in terra quam in cælo. Haymo in Ioan. Signa, inquit, vulnerum obliterare noluit Dominus, vt electi, qui assumuntur in patriam cælestem, videntes easdem cicatrices in corpore redẽptoris sui, indesinenter ei gratias agant, &c.

Ratio 3. D. Ambr. Tertia: vulnerum signa seruauit, vt ea patri nobis irato ostendat. Ambrosius Lucæ vltimo; Non solum, inquit, fidem firmat, sed etiam deuotionem acuit, quòd vulnera suscepta pro nobis cœlo inferre maluit, abolere noluit; vt Deo Patri pretia nostræ libertatis ostenderet, &c. Et vt ait D. Cyprianus ser. de Baptismo, vt semper reseruatæ in corpore plagæ salutis humanæ pretium exigant, & obedientiæ donatiuum requirant, &c. Beda in Lucam 24. Noluit, inquit, obliterare signa mortis, vt Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro mortalium vita pertulerit, semper ostendat, &c.

D. Cypr. Beda.

Ratio 4. Quarta ratio, vulnerũ seruauit signa, vt extremo iudicii die, ea omnibus hominibus, præsertim Iudæis, ostendat, seque illum esse probet, qui in Ierusalem in crucem est actus. Haymo: Noluit, inquit, Christus obliterare signa vulnerum, vt veniens in die iudicii ostendat Iudæis, quale genus mortis illi intulerint, &c. Apocal. 1. *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*, &c. Id est, Iudæi, qui ei vulnera intulerunt.

Haymo.

Ratio 5. Quinta: Seruauit vulnerum signa tanquam maximæ fortitudinis, & victoriæ trophea. Ambros. Lucæ vltimo: Talem (inquit) sibi Pater ad dexteram locat, trophæum nostræ salutis amplectens, &c. Bernardus serm. 3. de resurr. Intrauit Dominus ad discipulos ostendens manus, & latus; sicut solent in signum virtutis clypeorum foramina monstrari, &c. Beda Lucæ 24 Si, inquit, aliquis fortissimus miles iubente rege suo, pro totius gentis salute, singulari certamine desudans; multis quidem vulneribus exceptis, hostẽ tamen interficiat, & victoriam suæ gẽti reportet; interrogatusque à medico velitne ita curari, vt nec vestigia vulnerum vlla resideant, an magis ita vt cicatrices quidem remaneant, deformitas verò prorsus omni absit; respondeat, se potius ita velle sanari, vt toto salutis decorisque pristini statu recuperato,

D. Bernar. Beda.

perato, perpetua secum tanti circumferat signa triumphi. Sic Dominus ob signum perpetis victoriæ vulnerum cicatrices cœlo inferre maluit, quàm abolere,&c. Sexta, seruauit Dominus splendida vulnera, vt passionis sint memoriale, amorisque & gratitudinis incitamentum. Beda, Seruauit, inquit, signa mortis, vt sua morte redemptis quam misericorditer sint adiuti, propositis semper eiusdem mortis innouet indiciis, ideoque misericordias Domini in æternum cantare non cessent,&c.

Ratio 7.

Septima, seruauit vulnera, vt loca sint nobis effugii, turresque munitissimæ, ad quas hostibus tartareis insequẽtibus confugiamus. Bernard. sermo 61. in Cantic. Vbi, inquit, est tuta firmaque infirmis securitas, & requies, nisi in vulneribus Saluatoris? tantò illic securior habito, quanto ille potentior est ad saluandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur; non cado, fundatus enim sum super firmam petram,&c. Ioan. 2. ait Dominus Iudæis: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dicebat autem de templo corporis sui*,&cæt. Ecce Christi corpus templum, à Iudæis solutum ac dirutũ, & in tribus diebus à Christo excitatum. Quinque in eo cernes portas ex pretiosissimis fabricatas margaritis, id est, quinque vulnera, quæ nunquam clauduntur. Illi quos Regis iustitia insequitur, in templa cõfugiunt, si nos Dei insequitur iustitia, in templũ hoc amplissimum velut asylum velociter confugiamus. Octaua, seruata sunt vulnerum foramina, vt per illa cor Domini possimus intueri amore, & misericordia plenissimum. Bern. eodem sermone, Patet, inquit, arcanum cordis, per foramina corporis; patet magnum illud pietatis Sacramentum, patet viscera misericordiæ Dei nostri. Quid ni viscera, per vulnera pateant? In quo enim clarius quàm in vulneribus tuis Domine eduxisset, quòd tu suauis, & mitis, & multæ es misericordiæ,&c.

D. Bernar.

Ioan. 2.

Ratio 8.

Versentur ergo ante oculos nostros semper Domini vulnera, per foramina corporis, intueamur amorem cordis, videamusque & gustemus Domini dulcedinem, suauitatemque, iuxta illud eiusdem Bernardi; Per has, inquit, rimas, id est, Christi vulnera, licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo, id est, gustare, & videre quoniam suauis est Dominus,&c. Sint nobis tanti amoris signa, amoris incitamentum, sint misericordiæ Dei memoriale, sint gratiarum quas pro beneficio redemptionis admirando debemus, admonimentum; sint effugii turres, in quos hostibus insequentibus confugiamus; sint columbæ, id est, animæ nostræ, foramina, in quibus corde semper habitet, tartareisque accipitris vngues effugiat, iuxta illud Cant. 2. *Columba mea in foraminibus petræ in cauerna maceriæ*,&c. In quæ verba sic magnus Gregor. scribit, Per foramina petræ, vulnera manuum, & pedũ Christi libenter intellexerim; cauernam verò maceriæ, vulnus lateris eodem sensu dixerim,&c.

D. Bern.

Cant. 2.

De Christi vulneribus interpretatur D. Hieronym. & alii, illud Zachariæ 3. *Ego calabo sculpturam eius*,&c. loquitur æternus Pater; ex Hebręo vertitur; *Ego aperiam apertionem eius*, id est, *lapidis*. Sculptor enim aperit lapidem cũ sculpit. Voluit Pater in Christi corpore vulnera aperiri, permisitque eum vulnerari, ideo ait: *Ego calabo sculpturam eius*. sic Isaia 53. dixit: *Propter scelus populi mei percussi eum*,&c. pretiosissimus lapis Christus apertus est, atque cælatus plagis quinque pulcherrimis, quibus in terra aut cœlo, sculpturæ nullæ pulchriores reperiri possunt. Existimabant hostes crucem & vulnera corpus Christi deturpatura: at longè aliter euenit, ipsa crux in summum illius honorem, ipsa sanguinolenta vulnera in pulcherrimam conuersa sunt cælaturam.

Zachar. 3.

Simile.

De iisdem plagis locus ille eiusdem Prophetæ explicatur à D. Cyrillo in Ioan. cum de Thoma agit, à Ruperto, D. Thoma Psalm. 21. & aliis capit. 13. *Et dicetur ei: quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet, His plagatus sum, in domo eorum qui diligebant me*,&c. Dicetur, inquit, Christo, quis

Zachar. 13

Domine plagis his te affecit; respondebit; Domus Israel quæ olim me diligebat, vulnera hæc inflixit. Non execratur eos à quibus est vulneratus cruci que suffixus, maledicta in illos non iactat; sed, *in domo*, inquit, *eorum qui diligebant me*, &c. vt discamus eos qui nos insequuntur maledictis non persequi. sequitur apud Zachariam; *framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi dicit Dominus exercituum, Percute pastorem, & dispergentur oues*, &c. quæ verba ad Christũ pertinere ipsemet ostendit Matth. 26. nosque suo loco ea exposuimus. Vt ergo hæc ad Christum pertinent; sic etiam pertinent his cohærentia superiora illa: *Et dicetur ei: Quid sunt plaga*, &c. Quod verò non pertineant ad Pseudo prophetam de quo sermo est apud Zachariam: probatur, quia ille cruci suffixus à suis parentibus ex vita excessit: *Non viues* (inquiunt parentes) *& configent eum*, &c. At is qui rogatur de plagis & respondet: *His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me*: post crucem, & plagas viuit, fertque viuus in corpore vulnera, & de illis interrogatur: Quis autem alius, præter Christum post crucem viuit, vulneraque ipsa viuus fert in corpore?

Martyrum in cœlo vulnera fulgida. Fert Christus viuus vulnera sua mira pulchritudine & splendore radiantia, veluti victoriæ maximæ trophæa. Ferent etiam fortasse martyres in corporibus suis vulnerum suorum signa fulgentia, post resurrectionem veluti suarum victoriarum indicia, vt vult *D. August.* August. lib. 22. de ciuit. cap. 20 Nescio (inquit) quomodo sic afficimur amore martyrum, vt velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, & fortasse videbimus. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit & quædam quamuis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit, &c. *Psalm. 27. D. Ambr.* Psalm. 27. *Refloruit caro mea*. Ambrosius serm. 57. Floruit, inquit, caro Domini, cum de Mariæ Virginis vulua processit, refloruit cum de sepulchro germinauit, &c. Refloruit caro Domini in resurrectione, illius quinque pulcherrimæ rosæ, quinque plagæ sunt sic reflorebit martyrum caro extremo mundi die; eius vero lætissimi flores erunt vulnera fulgentia.

Beati qui non viderunt, & crediderunt.

Beati qui credunt fide viua. Consolatur Dominus his verbis Christianos, toto terrarum orbe diuino satu progenerandos, qui in Christum crediderunt, & credunt, credentque vsque in sæculi finem. Apostoli quidem beati fuerunt, quòd Christum viderunt, iuxta illud Lucæ 10. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis*, &c. Attamen beati etiam sunt ii, qui illum non viderunt, & crediderunt. Discessit Christus in cœlum, videre illum non possumus oculis corporeis; at verò visioni fides successit; *Beati qui non viderunt, & crediderunt*, fide viua, *D. Leo.* D. Leo sermo. 2. de Ascens. Quod, inquit, Redemptoris nostri conspicuum fuit, in Sacramenta transiuit: Et vt fides excellentior esset, ac firmior, visioni doctrina successit, cuius autoritatem, supernis illuminata radiis, credentiũ corda sequerentur, &c. Eodem sermone ait Pater sanctissimus, magno animi vigore opus esse vt ea, quæ non videntur credantur; Magnarum, inquit, hic est vigor mentium, & valde fidelium hoc lumen animarum incunctanter credere quæ corporeo non videntur intuitu. Et ibi figere desiderium, quo nequeas inferre conspectum, &c. Deest hic vigor mentis infelicibus hæreticis, imbecillem habent mentem, animum minimè vigorosum, ideò credunt quæ volunt. Magnum animi robur est necessarium, vt firmissimo, certissimoque assensu quæ non videmus credamus.

Ad credendum, est necessarium Dei auxilium. Tam magnus autẽ vigor est opus vt fidem suis viribus homo concipere nõ possit. Non enim habet natura tantum robur vt possit certissimo fidei assensu mysteria inuisibilia complecti.

Idcir-

Idcircò ad credendum eleuatur homo super naturam suam, supernaturaliq; indiget auxilio, vt docet D.Th.2. 2.q. 6.ar.1. Cum homo, inquit, assentiendo iis quæ sunt fidei, eleuetur super naturam suam; oportet quod hoc insit ei ex supernaturali principio interius mouente, quod est Deus, &c. Hinc illud Apostoli ad Philip.1. *Vobis donatum est pro Christo, nõ solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini*, &c. Et ad Ephes.2. *gratia estis saluati, per fidem, & hoc nõ ex vobis, donum enim Dei est*, &c. Et illud D. Leonis citatum; Visioni doctrina (scilicet fidei) successit, cuius autoritatẽ supernis illuminata radiis credentium corda sequerentur, &c. necessarii sunt radii superni, vt fidem & concipiamus, & seruemus illæsam. Orandus Deus.

D.Thom.

Philip,1.

Ephes.2.

Non vident quidem nunc ii qui credunt; sed & vident. Non vident visione euidenti; vident tamen visione fidei ineuidẽti, velut in speculo, & ænigmate, iuxta illud Paul.1.Cor.13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, &c. Est fides diuinum quoddã speculum in quo ea quæ creduntur, & non videntur, diuinitus ostenduntur, præterita, præsentia, atq; futura. D.Bern.serm.6. in Vigil. Nati. æternitatis exemplar fidem appellat; Fides, inquit, velut quoddam æternitatis exemplar, præterita simul, & præsentia ac futura, sinu suo vastissimo cõprehendit, &c. Intuemur semper hoc fidei admirandum speculum, quod inuisibilia nobis ante oculos proponit, Trinitatem sanctissimam, Christi vitã, mortem cruciatus, impiorum supplicia, tartareas æternasque flammas, Iustorum præmia, gloriam in cælo perpetuam. Hæc in illo videamus frequẽter Deumque semper nos intuentẽ cõtemplemur, vt postea facie ad faciem illum in cælo intueamur. 2.Cor.4. *Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur*, &c. vti nos vult Apostolus fidei speculo, eiusq; intuitu, ornare animum virtutibus. Ne curetis, inquit, quæ videntur corporis, carneisque oculis, ea contemplamini quæ nõ videntur. Si nõ videntur, quomodo ea possum cõtemplari? propone tibi ante oculos speculũ fidei: ibi quæ nõ videntur videbis; & quę videntur despicies. *Quæ enim videntur* (vt ait Apost. eodẽ loco) *temporalia sunt, quæ non videntur æterna*: opes, honores, voluptates, quæ videntur, puncto temporis vix permanent. Cælestis gloria, cælestes voluptates, impiorumque supplicia, quæ non videntur, omni fine carent: stultissimus est is qui pro rebus mox euanescentibus perpetua amittit gaudia, cruciatibusque se mancipat sempiternis.

Visio fidei ineuidens.

1.Cor.13.

Fides speculum admirabile.

D. Bernar.

2.Cor.4.

Beati (inquit Dominus) *qui non viderũt* hic fidei mysteria, & crediderũt viua fide: beati inquam hic spe, postea re; beati quia quod hic non viderunt, in cælesti patria videbunt clarissimè; succedet enim fidei visio, succedet obscuro lumini lumen gloriæ clarissimũ, succedet speculo conspectus Dei sicuti est, succedet ænigmati summa perspicuitas. Omnia tunc fidei ænigmata soluẽtur, omnia luce clariora fiẽt. beati sunt cæli incolæ, quia Deum vident, amant, summoque gaudio perfruũtur; beati autẽ sunt terræ habitatores, qui Deum non vident, in Deum tamen credunt fide viua, cui visio succedet in cęlo, vbi, vt ait Aug. Psal.91. iam non dicetur nobis; Crede quod non vides; sed gaude, quia vides, &c. Non videmus nunc; sed hoc non videre valde nobis vtile est: si enim videremus ea quæ credimus, quid vtilitatis, quidue beatitudinis nobis afferret ipsum credere quę videremus? quæ esset merces fidei, (ait Aug. Psal.109.) nisi lateret, quod credimus? &c. Et Greg. hom.26. in Euang. Fides non habet meritum, vbi humana ratio prębet experimentum, &c. At Fides viua qua id credimus, quod nõ videmus meritum habet, & beatitudinẽ, per quam quod nõ videmus cognoscimus. D. Prosper sent.150 fides, inquit, semper præuenit visionem: credimus, enim vt cognoscamus; non cognoscimus, vt credamus. Fides est quod non vides credere; veritas quod credidisti videre, &c.

Augusti.

Gregor.

FINIS LIBRI OCTAVI.

SEBASTIANI BARRADAS, E SOCIETATE IESV, DOCTORIS THEOLOGI,

Commentariorum in Quatuor Euangelia, eorumque concordiam Euangelicam,

LIBER NONVS.

CAPVT PRIMVM.

De Apparitione Domini iuxta mare Galilææ.

IOANNES CAPITE XXI.

POstea manifestauit se iterum Iesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic. Erãt simul Simõ Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, q erat à Cana Galilææ, & filij Zebedei, & alij ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt & ascenderunt in nauim: & illa nocte nihil prendiderunt. Manè autem facto stetit Iesus in littore: non tamen cognouerunt discipuli quia Iesus est. Dixit ergo eis Iesus: Pueri numquid pulmentarium habetis? Responderũt ei: Non. dicit eis: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miserunt ergo: & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.

Digitized by Google

ſcium. Dixit ergo diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus, Petro: Dominus eſt. Simon Petrus cùm audiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare: alij autem diſcipuli nauigio venerunt: (non enim longè erant à terra, ſed quaſi cubitis ducentis) trahentes rete piſcium. Vt ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panẽ. Dicit eis Ieſus, Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc. Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete. Dicit eis Ieſus: Venite, prandete. Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum: Tu quis es? Scientes quia Dominus eſt: Et venit Ieſus & accipit panem, & dat eis, & piſcem ſimiliter. Hoc iam tertiò manifeſtatus eſt Ieſus diſcipulis ſuis, cum reſurrexiſſet à mortuis.

Manifeſtauit ſe iterum ad mare Tiberiadis.

HActenus diſcipuli in Iudæa manſerunt & in Ieruſalem, ibique magiſtrum à mortuis excitatum ſummo cum gaudio viderunt. Poſt dies azymorum tranſactos in Galilæã profecti ſunt. iuſſerat enim Dominus eos in Galilæam abire; ipſa nocte quæ paſſionem præceſſit, Matth. 26 & Mar. 14. *Poſtquam*, inquit, *reſurrexero, præcedam vos in Galilæam*, &c. & poſt reſurrectionem, Matth. 28. fœminis dixit: *Nunciate fratribus meis vt eant in Galilæam, ibi me videbũt*, &c. & Angelus: *Dicite*, ait, *diſcipulis quia ſurrexit, & ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis*, &c. Quæritur cur Galilæam eos iuſſit petere? Reſpõdetur, quia Galilę erant: iuxta illud Act. 2. *Nonne omnes iſti qui loquuntur, Galilæi ſunt?* &c. In Ieruſalem venerant ad celebrandos Paſchales dies cum Domino, reliquum erat, vt illis tranſactis, in patriam reuerterentur, & victum ſibi compararent. Præterea in Galilæa à Phariſæis, & ſacerdotibus, qui Dominũ vita priuauerant, lõgè diſtabant, erantq; in loco tutiori.

Chriſtus iuſſit diſcipulos abire in Galilæã, vt ibi eum viderent.

Mare Tiberiadis Galilææ, lacus eſt dulcis aquæ de quo 2. to. diximus; iuxta hoc mare Petro apparuit Dominus piſcãti, & ſociis, videlicet Thomæ, Nathanaeli, filiis Zebedæi, id eſt, Ioanni, & Iacobo; & duobus aliis diſcipulis, quorum Euangeliſta tacet nomina. piſcabantur autem, vt victum ſibi compararent; cum verò iam cymbas ac retia propria reliquiſſent, commodatis vtebantur. *Vado piſcari*, dixit ſummus piſcator Petrus: ſequuntur alii Petrũ: *Venimus*, inquiunt, *& nos tecum*. Tẽpus erat nocturnum piſcationi aptum; ſed ne vnum quidem piſcem retibus laxatis capere potuerunt. Manè Chriſtus ſtetit in littore, à nullo diſcipulorum cognitus, rogat *pueri*, Græcè παιδία, *numquid pulmentarium habetis?* Græcè, προσφάγιον, ideſt, *obſonium*, quod pani additur; habetiſne piſces? de hoc enim obſonio agebat. Sed cur viros maioris ætatis pueros vocat, ſiue puerulos, qđ ſignificat Græcum nomen? Reſpondet Euthymius, παιδία, inquit, ideſt, *pueros* illos vocauit, iuxta cõſuetudinem. Mo

Cur pueros Dominus vocauerit Apoſtolos.

ris siquidem erat, ita operarios appellare propter eorum robur, & strenuitatem ad labores, &c. Significat etiã nomen Græcum filiolos. Filiolos ergo appellauit blando nomine Apostolos, vt placet Caietano: illi rogati, quod verum erat, responderunt, se pulmentarii, id est, piscium nihil habere. Christus vero; *Mittite*, inquit, *in dexteram nauigij rete, & inuenietis*: obtẽperarunt animo simplici homini ignoto, nec putarũt illum ludere, & eorum laborem irridere: itaque magnam piscium multitudinem comprehenderunt.

A

B.

Dominus est.

Ioannes admirabilem cõsiderans piscium capturam, eum esse Christũ sibi persuasit, qui stabat in littore; idq; Petro significauit, dicens, *Dominus est*, Petrus autẽ solito feruore plenus vbi primum audiuit, Dominus est; tunica succinxit se, quia nudus erat, & in mare exiliit, vt natando citius ad Christum perueniret; cymbæ namque morã ferre non poterat. Cæteri verò Discipuli cymba venerunt; oportebat.n. rete piscesque trahere ad littus. Neq; verò longa mora fuit: quia cymba à littore quasi ducentis tantum cubitis distabat. itaque paulo post Petrum ad Christum venerunt.

Feruor D. Petri, & festinatio ad Christum.

C

Obseruat Chrysostomus mores Petri, & Ioannis. Proprios, inquit, mores referunt Petrus, & Ioannes; ille feruẽtior, hic altior erat: ille vehementior, hic perspicacior. Ideo Ioannes prior nouit IESVM, Petrus prior ad eũ properauit, &c. D Hierony. lib. 1. contra Iouinianum hanc cognitionem virginitati Ioannis tribuit: Solus, inquit, virgo virginem agnoscit, &c. id est, Ioannes Christum, & epist. 61. ad Pammach. Prior virginitas, virginale corpus agnoscit, &c. D. Cyrillus in Ioan: Ioannes, inquit, propter mẽtis puritatem, & cordis oculorũ acumẽ, ad intelligẽdum erat aptissimus. Vnde solus signũ statim intellexit, & Christũm ad esse cognouit, & aliis nihil dubitans significauit; &c.

D. Chryso. Confertur Petrus cũ Ioanne.

D. Hieron.

D. Cyrill.

D

E

Dubitatur, an Petrus nudus omnino fuerit? Respõdetur; nudum appellari, quia fere nudus erat, sic enim loqui solemus. Nõ enim par est credere, inter discipulos alios, Petrum absque vllo indumento versatum. Græcè legitur τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο, id est, *tunica*, vel *superindumento succinxit se*. aliquod igitur habebat indumentum; sed ob Christi, reuerẽtiam aliud superinduit. Dubitatur secundò, an Petrus super aquas nunc ambularit? Respondet Lyranus ambulasse super aquas. Caieta. ait non ambulasse super aquam, sed per aquã fecisse iter pedibus, quia non erat profunda. Natando venisse ait Chrysostomus; Nauem, inquit, appellere, Petrus non expectauit, sed natando ad IESVM venit, &c. Idem ait Theophylactus, estque probabilius.

An Petrus nudus? an natãdo venerit ad Christum. D. Chrysos.

Viderunt prunas positas, & piscem.

Parauerat Dominus suis piscatoribus prandium; piscem ipse ex aeris, vel terræ materia fecerat, & panẽ, prunas quoque, quibus assaretur. Voluit vt ex piscibus quoque, quos fuerant Apostoli expiscati, prandium fieret; iussitque afferri aliquot ex captis. Feruidò corde Petrus ante omnes, in scapham piscatoriam ascendit, reteq; ad Christum portauit plenum *magnis piscibus, centum quinquaginta tribus; & cum tanti essent, rete non est scissum*. Græcè, τοσούτων ὄντων, id est, cũ tot essent. similiter Ioan. 6 ait Andreas. *Hæc quid sunt inter tantos? τοσούτους*, inter tot homines, inter tam multos. Allatis piscibus, & igne coctis, ad prandium post laborẽ piscationis Christus inuitauit; *Venite*, inquit, *prandete*. Id fuit factũ summo cum discipulorum gaudio; qui Dominum cernebant.

Prandium parat Dominus.

Ioan. 6.

Dubitatur an Christus vnum tantum piscem, & vnum tantum panem discipulis præpararit? ait etiam Euangelista; *Viderunt prunas positas, et piscem superpositum, & panem*, &c. Respondendum videtur, non vnum tantum fecisse panem; non enim satis esset vnus panis tot hominibus, nisi fortè miraculum aliud facere voluit: quemadmodum

An Dominus vnum tantum panẽ & vnũ piscem, discipulis præpararit.

modum verò plures panes, ita plures forsitan præparauit pisces, quibus adiungi voluit aliquot ex iis qui tunc capti erant. Euangelista verò numero singulari vsus est, pro numero multitudinis. *Viderunt piscem super positum, & panem*, id est, pisces, & panes. Nam si tot discipuli vidissent vnum tantum panem, tenuissimum prandium fore illud existimassent. piscis poterat vnus esse, quia aderant alii multi. Græcè legitur: Viderunt prunas, & ὀψάριον, id est, *obsonium* superpositum, potuit obsonium esse plurium piscium.

An Christus panem & piscem tunc crearit. Theophil. D.Chrys. D.Cyrill.

Quæritur præterea an Christus pisces hos, & panes ex nihilo crearit? Affirmat Theophyl. Non fiebat, inquit, ex materia proposita, sicut cum satiaret de duobus piscibus, & quinque panibus tot millia, sed simpliciter ex nihilo, &c. idem sentit Euthymius, & Chrysostom. Cyrillus existimat Christum expiscatum esse piscem vnum ex lacu, Piscem, inquit, vident superpositum, quem Christus miraculosè fuit piscatus, &c. probabile quoque est ex subiecta materia factos pisces, & panes.

Tria miracula. Lyranus.

Tria in hac apparitione fuere miracula. Primum miraculosè tot pisces manè cœperunt Apostoli, cum noctu nihil cœpissent. Lyranus: Pisces (inquit) illi fuerunt miraculosè adducti, vel virtute diuina de nouo formati, quia tota nocte ibi quæsierunt discipuli, & nihil inuenerunt, &c. Euthymius putat pisces qui ex prandio superfuerunt, pauperibus datos. Verisimilius est Apostolis fuisse necessarios multos ex illis. secundum miraculum, non est scissum rete, quod videtur fuisse fragile. tertium, prunas, & ignem, & piscem, & panes Dominus produxit mirabiliter.

Nemo audebat interrogare: Tu quis es?

QVia dixerat supra Euangelista, Christum, cum stetit in littore, non fuisse à discipulis cognitum, nũc manifestè cognitum fuisse ait, ex miraculo piscationis, & conspectu. Inuitauit, inquit, discipulos Dominus ad prãdium, discumbuerunt illi ad sumendum cibum, nemo autem discumbẽtium in mensa, audebat illum interrogare, *Tu quis es?* esne Magister noster? neque verò id opus fuit, sciebant. n. quia Dominus erat. Non fuit opus ex ore eius audire quis esset, opera enim, & aspectus id faciebant exploratum. Si roges, an Christus cum discipulis cibũ sumpserit? Affirmandum videtur, id enim fecit cum eis apparuit ipso resurrectionis die. Facit illud Petri Act. 10. *Manducauimus & bibimus cum illo postquã resurrexit à mortuis*, &c.

Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis.

D. August. Cur dicatur Christus nunc tertio apparuisse discipul.

SÆpius apparuit Christus post resurrectionẽ vt supra vidimus Ideo dubium est cur Ioannes dicat nũc tertiò apparuisse. D. August. Beda, & vtraque glossa interl. & ordin. non ad numerũ apparitionum, sed dierum, verba Euangelistæ referunt, hoc sensu; hic est tertius dies, in quo discipulis Dominus apparuit Nam primo apparitionũ die, apparuit feminis, Petro, & duobus discipulis petentibus Emmaus, & Apostolis quãdo Thomas aberat. Alio die qui secundus fuit apparitionum, apparuit iisdem Apostolis, quando iã Thomas aderat. Hoc die qui est tertius apparitionum, apparuit in littore Petro & aliis. Euthymius sic interpretatur, nũc *tertio manifestatus est*, &c. Hoc est, hac tertia vice manifestatus est discipulis simul. Nam discipulis multis primò apparuit Thoma absente; secundò iterum eodẽ Thoma præsente, tertiò nũc apparuit discipulis septem. Aliis vicibus apparuit feminis, & Petro, & duobus tantum discipulis in vicũ Emmaus abeuntibus. Autor sub nomine Eusebii Emisseni: De illis, inquit, manifestationibus Ioan. loquitur, quæ vel omnibus, vel plurib. discipulis, in vnũ collectis factę sunt, &c. Respõderi pręterea potest, Ioannẽ de iis tantum apparitionibus loqui, quas ipse discipu-

Euthym.

lis factas commemorauit: prima fuit Thoma absente, secunda eodem præsēte, tertia hæc de qua agimus.

CAPVT II.

Apparet Dominus discip. piscantibus.

Morale.

Matthæi 12. MAtthæi 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus*, &c. Postquam verò tribus diebus fuit Ionas in ventre ceti, Ionæ 2. *Dixit Dominus pisci; & euomuit Ionam in aridam*, &c. Stetitque Ionas in littore. eundem in modum, postquam Domini corpus in ventre mortis, atque sepulchri veluti ceti fuit. Inde in aridam exiit, & in littore stetit; *Mane facto*, ait Euangelista, *stetit Iesus in littore*. Post passionis diros fluctus, pelagusque procellosum ad littus iam peruenit immortalitatis, gloriæque sempiternæ, post crucis turbines & tempestatem, iā stat in statu glorioso. Erant discipuli in mari, ille autē nō apparet in mari sed in arida. Quia illi mortales, laboribus, atque ærumnis adhuc erant obnoxii: ipse verò immortalitate præditus, ab omnibus laboribus, ærumnisque liber: quasi ipsa statione diceret, vt ait D. Greg. homil. 24. in Euangelia: Iam vobis in mari nō appareo; quia vobiscum in perturbationis fluctibus non sum, &c. Et Haymo; Discipuli, inquit, in mari erant, qui inter fluctus sæculi huius adhuc laborabant; Dominus in littore stetit, quia ab eorū mortalitate alienus erat, &c.

Ionæ 2.

Christus in littore stat immortalitatis.

D. Gregor.

Haymo.

Velut emptor piscium rogat; *Numquid pulmentarium habetis?* Re enim vera emptor erat piscium illorum, de quibus Matth. 4. *Faciam*, inquit, *vos fieri piscatores hominū*. Hos ille pisces sanguine emerat suo, hos quærebat, & ab Apostolis expetebat. Sed illi respōdent se pisces non habere; & rectè quidem, quia nondū homines fuerāt expiscati. Christus verò futuram toto orbe hominum piscationem mira piscium piscatione adumbrauit. *Mittite*, inquit, *in dexterā nauigij rete, & inuenietis*, &c. Inprimis intētionē rectam oportet habere animarum piscatorem. Is rete ad sinistrā mittit, qui non rectam intentionem habet; is ad dexteram mittit, cuius scopus Deus est. Miserūt Apostoli omnes rete, nō ad sinistram, sed ad dexteram: vnā enim Dei gloriam, non inanes laudes, aut terrena lucra pro scopo sibi proposuerūt. Itaque multitudinem piscium maximam expiscati sunt, Christo iuuāte, ipsi, cæterique qui postea expiscari non destiterunt. Vtinam multos habeat Ecclesia huiusmodi piscatores qui in dexteram, non in sinistram partem retia mittant, qui non sua quærāt, sed quæ Iesu Christi. id ipsum desiderat optimus ille piscator D. Bernar. epist. 237. ad Eugenium: Quis, inquit, mihi det, antequam moriar, videre Ecclesiā Dei sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia in capturam; non in capturam argenti, vel auri, sed in capturam animarum. Sic ille.

Christus emptor quorum nam piscium.

Piscatores hominum adumbrantur.

Recta intentio requiritur in piscatore hominum.

D. Bernar.

Piscium multitudinem cernens Ioānes dixit Petro: *Dominus est*. Etenim tot hominum conuersio ad Christum satis indicat eū Dñm, Deūq; esse. Siquidem absque diuina multorum miraculorum potentia fieri non potuit idololatriæ euersio, & hominum toto orbe conuersio, vt ostendimus tom. 1. lib. 3. c. 23. Postquam audiuit Petrus; *Dominus est*; misit se in mare vt ad Christum veniret, & alii nauigio venerunt. Eundem in modum postquam homines audierunt; *Dominus est*; hoc est, Dominus Deus è cælo descendit, incarnatus est, mortem subiit crucis, pro hominibus resurrexit, ascenditque in cælos; multi in amarum martyrii pelagus se miserunt, vt ad Dominum venirent, admirabilesque cruciatus perpessi sunt. Alii verò sanctum Christianæ vitæ genus sequentes, veluti nauigio ad eum venerūt.

Conuersio orbis indicat Christū Dominum esse.

venerunt. Duo præterea in hac piscatione obseruanda sunt: primum est piscatores Petrum esse secutos, Petrumque fuisse piscationis ducem. *Dicit Simon Petrus Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum*, &c. Væ piscatoribus, væ hæreticis, væ schismaticis, qui sine Petro homines piscatur, veluti pisces tartareis assandos prunis. Dicit Diabolus, *Vado piscari*; dicūt ei Lutherus, Caluinus, Arius, cæteræque huiusmodi pestes, *Venimus, & nos tecum*. At Christi piscatoribus dicit Petrus Christi vicarius: *Vado piscari Dicunt ei, Venimus & nos tecum*: quia nihil poterimus expiscari, si te non sequamur ducem, ac Pōtificem summum. Secundò obseruandum est, plenū fuisse rete piscibus magnis, & multis, neque tamen fuisse scissum. Infiniti enim homines, Ecclesię sagenam sunt ingressi, magni reges, Principesque viri. Monet typus omnes, ne rete scindant *Non est*, inquit, *scissum rete*. Illi rete Ecclesiæ scindunt, qui schismata, quique hæreses semināt. Caueāt magni pisces ne rete scindant rete. n. scindere magnorum est piscium, hoc est, hominum qui sibi sciētia magni esse videntur: Principesque viros nanciscuntur qui ipsos tueantur. Bonorum piscatorum præmium typus proponit in finem: *Venite*, inquit Christus, *prandete*. Cōuiuio lautissimo in cælo excipiūtur, qui in hoc mari homines Deo expiscantur.

Piscatores hominū Petrū sequantur ducem.

Fugienda schismata, & hæreses.

Bonorum piscatorum præmium

D. Aug. tract. 122. piscationem hanc esse putat piscium, id est, hominum, q̄ æternam beatitudinem iam consecuti sunt, vel consecuturi vsque in finē sæculi: illam alteram, de qua Lucas ca. 5. agit, piscationem omnium hominum. Ibi, inquit, id est, Lucæ 5. Ecclesia ī hoc sæculo: hic verò, id est, Ioan. 21. in fine sæculi figurata est. Ideò illud ante: hoc verò post resurrectionem Domini factum est, &c. Apud Lucam non iubentur piscatores retia mittere in dexteram, vel sinistram, sed indifferenter iubentur laxare retia in capturam: vt permixtos nunc intelligamus in Ecclesia bonos, & malos. apud Ioannem hic, dicit Dominus: *Mittite in dexteram nauigij rete*, vt significet solos bonos, qui stabunt ad dexteram in Iudicio. Lucæ 5. retia rumpebantur ad significanda schismata, & hæreses, hic verò, dicitur *Non est scissum rete*: quoniam inter sanctos post finem sæculi nulla erūt schismata. Lucæ 5. nō sunt numerati pisces hic numerati sunt; quoniam improbi apud Deum in numero, id est, in pretio, non sunt. Probi verò numerum, p̄tiumque magnum habēt. In littore apparuit piscium numerus; sic in fine sæculi apparebit numerus iustorum prædestinatorum, qui nunc occultus est.

D. August. interpret.

Inter sanctos nulla erunt schismata post seculi finē.

D Cyrill. indicari hoc loco ait piscationem Christi præcellentiorem esse piscatione Mosis: Dimisit, inquit, retia Moses, per mandata legis, sed in sinistra quodammodo parte piscatio facta est. Dextera enim pars Saluatoris doctrinæ attribuitur; quæ vltra omnē comparationem maior, atque gloriosior Mosaica est. Dextera igitur pars præstantiam, excellentiamque significat. Hæc ille.

D. Cyrill.

Quærit August. cur hi Apostoli ad relictum piscandi officium redierint. Quid est, inquit, quod quasi Apostolatu relicto, fiunt, quod fuerunt, & quod dimiserant, repetunt, tanquam obliti quod audiuerant Lucæ 9. *Nemo mittēs manum super aratrum, & respiciens retro, aptus est regno cælorum*, &c. Respondet discipulos non reliquisse Apostolatū, neque retro respexisse: sed Apostolatus integritate seruata, in mare siue lacum Galilęæ ad piscandum rediisse: Quoniam prohibiti non erant arte sua licita, atque concessa victum quærere, si quando vnde viuerent aliud nō haberent. Redierunt quidem discipuli ad piscandum, sed non redierunt ad peccandum. Vnde D Greg. hom. 24. in Euang. Quæ ad peccatū, inquit, implicant, ad hæc necesse est, vt post conuersionem animus non recurrat, &c. Post Paschale tempus ii qui in Quadragesima pœnitentiam egerunt, redire quidem possunt, vt Apostoli, ad negotia licita, atque concessa; ad peccatum redire nullo modo licet: imò tunc vigilantius attendendum est, ne in peccatum fiat lapsus, quando ipsum tempus lubricum magis est. August. serm. 192. de Temp.

D. August. Cur Apostoli redierint ad piscandum.

Luc. 9.

D. Greg.

Redire fas est ad piscādū: sed non ad peccandum.

D. August.

Tempore Paschali, maior solitudo adhibēda ne in peccatū incidamus.

Tēp. Quia, inquit, Paschales dies sunt, ita à nobis sanctorum dierum festiuitas agatur, vt relaxatione corporum puritas non obscuretur. Sed potius abstinentes ab omni luxu, ebrietate, lasciuia, demus operam sobriæ remissioni, ac sāctæ sinceritati: vt quidquid modò corporali abstinentia non acquirimus, mentium puritate quæramus. Sic ille.

Caueat Christianus ne tempore Pachatis, id est, transitus in maiorem virtutem, ad peccatum redeat gementemque D. Bern. audiat ser. 1. de resurrect. *D. Bernar.* Quid dicimus, inquit, qui sacram Domini resurrectionem Paschę priuamus nomine, vt sit nobis in reditum, magis quam in transitum? proh dolor? peccādi tempus, recidendi tempus, facta est resurrectio Saluatoris, &c. Nonne insanus esset qui vt regem domo reciperet, se ante pararet pro viribus; exceptum verò expelleret? hæc est eorum insania, qui in peccatum recidunt. Bernardus; Venturo, inquit, Domino parastis hospitium; & ecce susceptum proditis inimicis, imò exire compellitis, priores nequitias admittendo, &c. Vt Paschali tempore plena est terra floribus; sic eodem tempore animam oportet esse plenam virtutibus. Vestibus tunc ornatur corpus; anima ornetur sanctis moribus.

De feruore agitur animi.

Considerandus est Petri feruor, animique ardor admirabilis. Vbi primum audiuit: *Dominus est*, statim in mare exiliit, vt ad Christum veniret. O quantū habet roboris feruor animi. Qui feruent, ii in omnia grauia, ac difficilia, velut in mare, se iniiciūt propter Christum. Qui frigent, ii etiam in paruo, vadosoque flumine suffocari timent. Res arduas aggreditur ardor; frigus manus complicat, etiam in rebus necessariis. Prouerb. 20. *Prou. 20.* *Propter frigus piger arare noluit*, &c. item: *Abscondit piger manum, sub ascella sua; & laborat si ad manum suam eam conuertit*, &c. Animi ardor diligentem Dei seruum efficit; frigus pigrum facit, & inertē: qualis ille est Prouerb. 26. *Prou. c. 26.* *Dicit piger; Leo est in via, & Leæna in itinerib* &c. Leones; & leænas horret in via Dei. Atferuidus homo leones hos omnes, & leænas, id est, dæmones spernit, Dei fretus auxilio, cùm Dauide canens Psal. *Psalm. 26.* 26. *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me praliū, in hoc ego sperabo*, &c. Iere. 1.

Ab Aquilone panditur omne malum, &c. Equidem ab Aquilone frigido, omne panditur malum. Frigidus animus, neque peccata fugit, neque fructum Deo debitum fert. Quemadmodum. n. arbores in frigidissimis regionibus cōsitæ, fructus non pariunt; sic Christiani pectore gelido, opera bona nō producunt. Voluit Dominus in altari suo *Simile.* ignem ardere semper: *Ignis*, inquit Leuitic. 6. *Leuit. 6.* *in altari semper ardebit*, &c. O Christiane in corde tuo, quod Dei altare est, ardeat sēper ignis amoris Dei. Is ignis calorem feruoremque producit in animo, quo inflammatus in mare se cum Petro mittit; hoc est, res difficiles pro Christo aggreditur; is feruor fortitudinem gignit, qua tartareos superamus hostes. Vnde illud D. Bern. *D. Bern.* in Vigil. D. Andreæ Adami, inquit, voluntas, non habuit fortitudinem, quia non habuit feruorem, &c. Si ergo habere cupis fortitudinem; habeto feruorem. Si habere vis excellentes de Orco & Mūdo victorias; habeto feruorē. Palmæ feruidas amant regiones: sic victoriæ de tartareis hostibus, feruidos postulant homines. In cælum nauigas flumine aduerso; feruoris impetus necessarius est, vt fluminis vincas impetum. Bedà Luc. 13. *Beda.* Nisi, inquit, mentis contentio ferueat, vnda mundi nō vincitur; per quam anima semper ad ima reuocatur, &c.

D. Bern. in fine lib. 2. de cōsideratione, *D. Bern. Petrus totius mundi Pontifex.* hoc Petri facto ait adumbratum super totum mare, id est, mundum, Petri pontificatum. Petrus, inquit, in mare se misit; aliis nauigio peruenientibus. Quid istud? Nempe signum singularis pontificii Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quique suam, sed sæculum ipsum susceperit gubernandum. Mare enim sæculum est; naues Ecclesiæ. Hæc Bernard.

CAP. II.

CAPVT III.

De Pontificatu D. Petri, &c.

IOANNES CAPITE XXI.

CVM ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine: tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis, amas me? contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò: Amas me. & dixit ei: Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oues meas. Amen, amen dico tibi: cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem senueris, extendens manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus sequentem; qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine quis est qui tradet te? Nunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Iesu: Domine, hic autem quid? dicit ei Iesus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur, & non dixit ei Iesus; Non moritur, sed sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Hic est discipulus ille, qui testimoniũ perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus quia verum est testimonium eius. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

Adue-

Discessurus in cęlū Christus, constituit summū Ecclesiæ Pōtificē Petrū.

ADuenerat propinquum tempus, quo erat Dominus discessurus in cęlum, oportebat igitur Vicariū constituere, à quo sanguine cōparatum Ecclesiæ visibile regnum, visibiliter in terris administraretur. Id hoc loco facit. Promiserat Matth. 16. Petro huius regni claues, illis verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiā meam; & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis*, &c. Quod promiserat, iam præstat re ipsa, super Petrum veluti super excelsam petram, siue rupem, Ecclesiam ædificat, regni cælorū claues ei tradit; Pastorem suarum omnium ouium toto orbe terrarum, ipsum constituit, verbis admodum perspicuis, quibus tamen hæretici tenebras nituntur offendere. Sed prius solis fulgorem, quam horum verborum splendorem maximique Pontificis admirabilem dignitatem extinguere valebunt. Nonne frustra laboraret, qui in solem iactaret puluerem, vt ei fulgorem adimeret? Sic frustra laborant hi homines, dum in splendorem horū verborum friuolas quasdam iactant interpretationes, velut puluerem; quo in eorum oculos recidente, excæcantur.

Simon Ioannis diligis me plus his?

De charitate rogat Christus vicarium suum. Matth. 16.

POst prandium, antequam à discipulis illa die discederet; Petrum Dominus Pontificem maximum creauit. Id vt faceret, ter eum de amore interrogauit. Nō appellat Petrum, quia nunc facit illum Petrum, id est, petrā, & rupem Ecclesiæ. Appellat Simonē Ioannis, id est, filium Ioannis, Ioannes enim dicebatur Pater Petri, & nomine abbreuiato Iona, Matth. 16. *Beatus* A *es Simon Bariona*, id est, filius Iona, siue Ioanna vel Ioannis, & Ioan. 1. *Tu es Simō filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*, &c. Simō, inquit, Ioannis diligis me plus his? id est, plusquam hi qui hic tecum sunt discipuli me diligunt; diligis me plusquam Ioānes diligit, plusquam Iacobus, plusquam Thomas, & cæteri? magnum enim erga se Petri postulat amorem, quem pastorem vult creare atque ita B magnum, vt cæterorum amorem superet. Quidam aiunt sensum esse: *diligis me plus his*? id est, plusquam diligis hos meos discipulos. Non habet probabilitatem interpretatio. Quid enim magnum erat amare Christum plusquam discipulos Christi? quid dubii in hoc esse poterat, vt toties à Christo repeteretur interrogatio? Equidē si Petrus hunc esse verborum sensum intellexisset, non esset veritus dicere: C Diligo te Domine plusquam omnes tuos discipulos: nihil enim esset cur hoc dicere vereretur. At quia vidit Dominum rogare, an eius amor cæterorum, qui aderāt amorem superaret; comparationem effugit, neque respondit, diligo te plus his: sed, *Etiam Domine, tu scis quod amo te*, &c. non addidit: *plus his*; Comparatio enim, vt aiunt, omnis est odiosa; qualis illa fuit Mar. 14. *Et si omnes scandalizati fuerint, sed* D *non ego*, &c. Cautior ergo Petrus, cum aliis se conferre non vult. Neque verò verba Petri aliud indicant, non enim sensus est: *etiam Domine*, ita est vt rogas, diligo te plus his, sed sensus est, *etiam Domine, tu scis, quia amo te*. Hoc est, etiam Domine amo te, id tu scis, & quantum amem scis. Quid significarent verba illa, *etiam Domine*, exposuit dicens, *scis quia amo te*, non adiecit, *plus his*.

Ioan. 1.

E Interrogauit autem Petrum Dominus, cum sciret quantum amoris in eo esset, vt doceret, Pastori necessariam maximè esse charitatem. Per comparationem vero interrogauit: quia pastor charitate erga Deum, & proximum ouibus debet præcellere. præterea, quia

Cur Christus omnia sciens Petrū rogarit.

quia sciebat amoris feruore Petrum cæteris præstare, quod paulo ante ostenderat, eum in mare solus se misit; cæteri verò nauigio venerunt. Vnde Augustinus tract. 124. Sciebat, inquit, Dominus, quod plus aliis discipulis Petrus eum diligeret, &c. D. Ambros. amoris Christi vicarium Petrum appellat, Lucæ 24. Interrogabat, inquit, non vt disceret; sed vt doceret quem eleuandus in cælum amoris sui nobis velut vicarium relinquebat, &c. Fuit enim Petrus Vicarius Christi tum Pōtificatus, tum amoris, quo oues pascebat, imitabatur enim Christi amorem, pastor ouium Christi.

D. August.

D. Ambros.

Pasce agnos meos.

TRadit Petro his verbis maximū totius orbis Pōtificatum. Agnos appellat Christianos totius orbis incolas: omnes Petro summo Pastori pascendos committit, nullo excepto: *Pasce*, inquit, *agnos meos*. Rursus interrogat. *Simon Ioannis diligis me?* non addidit, *plus his*, quia vidit Petrum fugere comparationem. Respondit Petrus eundem in modum: *Etiam Domine, tu scis, quia amo te*, & Christus eundem in modum: *Pasce*, inquit, *agnos meos*. Græcè legitur, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου, id est, *Pasce oues meas*, sed idem est sensus. Non hic constitit Christus, tertiò interrogauit: *Simon Ioannis, amas me? contristatus est Petrus*, tertio interrogatus. Venit enim illi in memoriam trina negatio, & quid ante quam negaret dixerit, neque tamen fecerit, Ioā. 13. *Animam meam pro te ponam*, Matth. 26. *Et si oportuerit me mori tecum, nō te negabo*, &c. Iam sibi non fidebat, iam cautior erat, ignorabat an Dominus aliquem in eo videret amoris defectum, propter quem sic interrogando vrgeret. Cōtristatus est ergo, & respōdit, *Domine tu omnia scis, tu scis quia amo te*. Tertiæ interrogationi tertiam adiecit Dominus Pontificatus confirmationem: *Pasce oues meas*. Videamus nunc qui sint Agni Christi, qui oues. Quis ignorat omnes Christianos qui inter Ecclesiam continentur, agnos esse Christi & oues? Cum ergo Christus ait Petro, *Pasce agnos meos, pasce oues meas*, apertissimū est, omnes Christianos, qui intra Ecclesiam sunt illi pascendos, & gubernandos tradere. Cuinam reliquorum Apostolorum dixit: *Pasce agnos meos, pasce oues meas?* nulli sanè. Cui reliquorum dixit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?* Soli Petro & successoribus hæc dicuntur, quia in Petro ædificauit Dominus Ecclesiam suā, Petro omnes oues suas pascendas commisit Pastori omnium maximo. Qui hæc videre nolunt hæretici, quiq; Petri oues esse recusant, à tartareis lupis miserandum in modum dilaniati pereunt.

Oues suas omnes Petro tradit Christus pascendas.

Ioan. 13. Matth. 26.

Tertio cōfirmat Christus Petro Pontificatum.

Iam vero non erat Petrus victurus, vsque ad extremum iudicii tempus: opus ergo est fateri, Christum Pontificatum maximum constituisse, quo tā Petrus, quam eius successores Romani Pontifices, fungerentur toto tempore, quo permaneret in terris Ecclesia. Quid non mortalia pectora cogit hęresis? aiunt pectora hæresi obcæcata, Pontificem summum Romanum non esse successorē Petri, eo quod Petrus Romæ non fuerit. fuisse autem Romæ Petrum adeo ex historiis fide dignissimis certum est; vt mirandum sit potuisse homines, qui historias legunt, rem negare apertissimam. Lege Bellarm tom. 1. lib. 2. de Roman. Pontific. cap. 4. Audiamus sanctissimum Bernardum lib. 2. de consid. ad Eugenium Roman. Pontific. cap. 8. Tu, inquit, es cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem & alii cæli ianitores, & gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius vtrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi vniuersi crediti, vni vnus. Nec modo ouium, sed & pastorū ouium tu vnus Pastor, &c. Post hæc quod dixit confirmat, ex verbis quæ explicamus. Vnde, inquit, id probem quæris? ex verbo Domini. cui enim non dico Episcoporum, sed etiā Apostolorum, sic absolutè, & indiscretè, totæ commissæ sunt oues? Si me amas Petre,

D. Bernar.

Omnes oues Christi, Petri successor Rom. Pōt. pascit.

Petre, *pasce oues meas*. Quas? illius aut illius populi, ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? *oues meas*, inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil. Hæc ille. Si quis testamento oues suas filio relinquat; quis dubitabit relinquere omnes? oues suas Christus Petro tradit, quis omnes tradidisse potest ambigere?

Cur Christus ter Petrũ de amore interrogauerit.

Quæritur, cur Dominus ter Petrũ de amore interrogauerit? Respondetur, interrogationem iterasse, ac iterũ & tertiò repetiuisse, vt ostenderet quanti ponderis sit, bonum Pastorem eligere, bonum Episcopum, bonũ Abbatem, bonum Priorem. Magna enim cum diligentia est huic negotio instãdum, ex quo animarum pendet salus. Non solum semel sed sæpius considerandum est an sumptus habeat, qui eligitur ad exædificãdam turrim; ne postquam posuerit fundamentum, & ædificare non potuerit, incipiant illudere illi, & electoribus. Sit ne Petra videndum est, super quã Ecclesia possit ædificari, an arena, roburne habeat amoris ad resistendum lupis Tartareis, Ecclesiamque suam tuendam, an imbecillæ sit, vel nullius charitatis, & instar mercenarii oues sit gubernaturus. D. August. ter interrogatum putat Petrũ, vt trinam negationem hac trina sui amoris affirmatione compensaret, tracta. 123. Redditur, inquit, negationi trinæ, trina confessio, ne minus amori lingua seruiat, quam timori, & plus vocis elicuisse videatur mors imminẽs, quam vita præsens, &cæt. D. Bernard. hanc repetitionem ad perfectionem refert charitatis, serm. 76. in Cant. Nõ otiosè, inquit, repetitum est, toties, *Petre amas me?* in commissione ouium. Et ego quidem id significatum perinde puto, ac si Petro dixisset Dominus: Nisi testimonium tibi perhibente conscientia, quod me ames, & valde perfectèq; ames, hoc est plusq̃ tua, plusq̃ tuos, plusq̃ & te; vt huius repetitionis meæ numerus impleatur; nequaquam suscipias curam hanc, neque te intromittas de ouibus meis, pro quibus sanguis vtique meus effusus est. Sic ille.

D. August.

D. Bernar.

D. Gregor.

D. Gregor. lib. 6. in libros Regum, ca. 16 Primò, inquit, dicitur Petro amas me, vt per amorem agere fortia studeat. Secundò, vt in cõtemplando alia cognoscat: Tertiò, vt perfectæ charitatis affectu, & erga proximum, ferueat, & ad speciem conditoris feruentius inardescat, &c. Item D. Bernard. serm. de tribus ord. Eccles. illud (inquit, tu iudica, vtrum possit his conuenientet aptari) trina Petri interrogatio, vt hoc sit dicere: *Amas me? amas me? amas me?* habes charitatem de corde puro, & de conscientia bona, & fide non ficta? &c.

D. Bernar.

Cum esses iunior, cingebas te.

Prædicit Dominus Petro martyrium.

Opus magnæ charitatis Petro Dominus commendauit, videlicet suarum ouium gubernationem. Alterum illi opus parabolicè prędicit, charitatis maximæ, nimirum martyrium, iuxta illud Ioannis 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet; vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, &c. *Cum esses*, inquit, *iunior, cingebas te*, pro libito manibus tuis, & quocunque volebas faciebas iter; *Cum autem senex fueris*, extendes manus tuas in cruce, & alius te cinget vinculis, & ducet quo tu nõ vis, scilicet ad mortem violentam, à qua natura ipsa abhorret. Loquitur Dominus parabolicè, alludit ad senis habitum, qui vt ab alio præcingatur, manus extendit. Indicant vero hæc verba Petrum, cum hæc dicta sunt, virilis fuisse ætatis, neque iuuenem, neque senem. Tertull. in Scorpiaco; Tũc, inquit, Petrus ab altero cingitur, cum cruci astringitur. Aliter: alius *cinget te*, cum vinculis alligauerit: *& ducet quo tu non vis*; id est, ducet in carcerẽ, & in crucem. Addit Ioannes, his verbis significasse Christum, qua morte *Petrus Deum esset clarificaturus*. *Qua morte*, inquit, quia Christus non prædicit mortem in genere, sed mortem crucis peculiarem, qua ille Deo gloriam magnam attulit. *Extendes*, inquit, *manus tuas*, videlicet in cruce. *Alius* (ait Domi-

Dominus) *cinget te, & ducet quo tu non vis*. Ipsa enim natura nostra à morte abhorret, August. lib. 10. de confess. c. 28. Quis, inquit, velit, molestias, & difficultates pati? tolerare iubes eas, nõ amare. Nemo quod tolerat, amat. Quãuis enim gaudeat se tolerare, mauult tamen non esse quod toleret. hæc August.

D. August.

Dicit ei, sequere me.

POstquam Petrum Christus summum creauit ouium omnium Pastorem; deambulare cœpit, dixitque illi: *Sequere me*: qua quidem re, Petrũ, & verbis & Pastoris summi officio, & morte crucis, se secuturum indicauit. Sequere, inquit, me Petre officio vicarii mei in terris, sequere etiã me morte crucis: quemadmodũ ego sum summus Pastor, ita tu eris in terris summus, me sequens, & meũ tenens locũ: quẽadmodũ ergo cruci suffixus sum, sic tu suffigeris. Dixerat Dominus Petro Ioan. 13: *Quo ego vado, non potes me modo sequi, sequeris autem postea*, &c. At nunc aliter iam loquitur: *sequere me*; iam me potes modo sequi. Iã potes pro me animam tuã ponere. Aug. tract. 124. Meritò, inquit, dictũ est Petro: *sequere me*, qui non solũ mortem, sed etiã morte crucis sicut Christus, expertus est, &c. Euthymius: *sequere me*: vt videlicet etiam crucifigaris, & æqualem sustineas mortem, &c. Negãt hæretici Petrum cruci fuisse suffixum. Quid mirum? iam negabunt, Solem esse splendidum homines huiusmodi.

Quomodo sit secutus Petrus Christum.

D. August.

Euthym.

Conuersus Petrus vidit.

AMbulabat Christus primo loco, secundo loco sequebatur Christũ Petrus, tertio loco sequebatur Petrum Ioannes, conuertit faciem, retroque aspexit Petrus, & Ioannem vidit, quẽ valde amabat, rogauitque Dominum; *Domine hic autem quid?* quasi diceret: Iam scio me secuturum te morte crucis; hic autem dilectus discipulus Ioannes, quomodo te sequetur, quem vitæ habebit exitum, quid pro te patietur, qua morte te clarificabit? Noluit Dominus, quod Petrus rogabat, aperire, sed respondit; *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Duplex est huius loci lectio: Altera est, *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere*, &c. Altera: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere*: hæc secunda extat in correctis bibliis vulgatæ editionis, sed sensus vtriusque versionis idem est. Prioris hic: si eum volo superstitem esse & viuere, donec veniam, quid ad te pertinet ò Petre hoc rogare, vel curare? tu me sequere: quæ tua sunt cura, alienas dimitte curas. Posterioris huiusmodi: sic eum volo manere in vita sine martyrio, quid ad te? subaudiendum est, *esto*. Esto hoc (inquit Dominus) sic eum volo manere, quid ad te? hoc est, quamuis ego velim Ioanni vitam ad meum vsque aduentum prorogare, quid hoc attinet ad te? Ad illum attinet, ad te vero attinet me sequi. D. Cyrillus sic exponit: si etiam vellem Ioannem minimè mori, quid ad te, &c. Est ergo idem sensus vtriusque lectionis. Idem quoque sensus est, si legat quis: *si sic eũ volo manere donec veniam, quid ad te?* De lectionum varietate legendus Lucas Brugensis in suis notationibus variarum lectionum.

De Ioanne rogat Petrus:

Duplex textus illius explicatio.

Quæritur, cur Petrus de morte Ioãnis interrogarit? Respondetur, propterea interrogasse, quia valde illum diligebat; & quia Christi dilectus discipulus erat, eius ex vita exitum, & martyrium cupiebat scire. putabat & Ioannem ipsum, qui sequebatur, id audire, & scire cupere. Chrysost. putat Petrũ voluisse habere sociũ, & collegam Ioannẽ. Theophylactus idem sentit. Et verba Dñi, *si eum volo manere donec veniã, quid ad te?* ita interpretatur: si Ioannem volo manere in hoc loco, id est, in Galilæa, & non mittere tecũ ò Petre; *donec veniã*, hoc est, donec mihi placuerit, vt & illũ educã ad prædicationẽ, quid ad te? Alii vt idem autor ait, sic interpretabãtur: *si eum volo manere*, i. his locis, donec veniã cõtra Iudæos;

Cur Petrus rogarit de Ioãne.

D. Chrysost.

Theophyl.

dæos, percussurus eos virga Romanorum, quid ad te? Dicebant enim hi Ioãnem vsque ad Vespasiani imperium loca superiora peragrasse prędicantem, & manentem illic. Quando autem capienda erat Ierusalem transiisse. Oecumenius in epistola Iacobi 6. explanat in hunc modum: si eum velim manere in vita, donec veniam ad euertendam Ierusalem per Romanos, quid ad te?

Oecumen.

CAPVT IV.

De morte Ioannis Euangelistæ.

Exiit sermo inter fratres.

Discipuli ex Christi verbis inferunt, Ioannem nõ moriturum.

EX prædictis verbis Domini, collegerunt illi discipuli qui tunc aderant, & reliqui qui verba Christi postea audierunt, Ioannem non moriturum, sed mansurum in vita vsque ad aduentum Christi ad iudicium. tũc vero absque morte in cælum assumendum. Hanc vero discipulorum existimationem ait non esse certam, ac firmam, quia Christus non dixit apertè ipsum non moriturum, sed tantum dixit: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* quæ verba non significant id quod discipuli collegerunt. Christus enim sub conditione locutus est, vt Petri repelleret interrogationem, in hunc modum: etsi ego velim illum viuere vsque ad meum aduẽtum, quid ad te hoc pertinet? eodem modo dicere potuit, etsi ego velim eum viuere per omnia sæcula, & totam æternitatem, quid ad te pertinet de eius vita inquirere.

An Ioãnes sit mortuus.

Dubitatur an Ioannes sit mortuus? Mortuum esse sentit communis opinio. Hieronym. in lib. de script. Ecclesiast. Confectus, inquit, senio Ioannes, sexagesimo octauo post passionem Domini anno mortuus est, &c. Polycrates antiquissimus apud Euseb. lib 3. hist. Eccles. cap. 31. Ioannes qui supra pectus Domini recubuit, Ephesi obdormiuit, &cæ. Tertull. lib de anima cap. 50. Obiit, inquit, & Ioannes, quem in aduentum Domini remansurum frustra fuerat spes, &c. Idem sentit Aug. serm. 149. de tempo. illa enim verba, *sic eum volo manere*, ita exponit, sine vulnere, sine cruciatu dormiat, & expectet me, &c. hoc est, *sic volo eum manere*, & mori sine martyrii cruciatu. nolo me sequatur per mortem, tu me sequere. Glossa etiam ordin. sic interpretatur Haymo, & Beda, in homilia de sancto Ioanne. In ea ait, descẽdisse Euangelistam in defossum sepulturæ suæ locum, & facta oratione appositum esse ad patres suos, absque vllo doloris sensu. Haymo quoque in Ioannẽ, scribit, illum longo senio confectum in pace transisse ad vitam perpetuã. idem docent D. Epiphanius hæres. 79. Dorotheus in synopsi, & alii.

D. Hieron. *Polycrates.* *Tertull.* *D. August.* *Haymo.* *Beda.*

Probatur Ioannẽ ex vita discessisse.

Probatur, quia ipse Ioannes significat, non verè putasse discipulos ipsum non moriturum, eorumque corrigit opinionem, dicens, *Non dixit ei Iesus; Nõ moritur*, &c. Euthymius: Quis, inquit, relinquitur sermo, asserentibus Ioannem non esse mortuum, cum iam ipsemet luculenter clamet, quod errent, qui hoc suspicantur, &c. Secundo, quia hoc videtur existimare Ecclesia, quæ illius festum celebrat, eiusque intercessionem flagitat, quod Sanctis vita functis, & in cælo degentibus, ac beatis congruit. Tertio, quia in Concilio Ephesino tomo 3. cap. 6. reliquiarum Ioannis mentio fit; reliquiæ autẽ mortuorum sunt sacra, inquit, sanctorum triumphatorumque martyrum, maximè vero beatissimi Ioannis Theologi, atque Euangelistæ reliquias videndi, easdemque complectendi desiderio flagrantibus, &c. & tomo 2. cap. 14. Cælestinus Pont. summus in epist. ad Synodum Ephesinam; Ioannis, inquit, reliquias præsentes honoratis, &c. Lege etiam 7. Synod. Act 5 prope finem. Chrysost ad Heb. hom. 26. Apostolorum, inquit, plurimorum ossa nescimus vbi iacent. Subiicit: Petri, & Pauli quidem, Ioannis, & Thomæ manifesta

Euthym. *Cõc. Ephes.* *Cælestin. Pont.* *D. Chrysost.*

Digitized by Google

nifesta sunt sepulchra,&c. Simeon Metaphrastes in vita Ioannis hæc scribit; Ioannes ciuitatem ingressus est, discipulis præcipiens vt ligonem, ac sarculum, secum afferrent. Ac protinus in montem quendam ascendens, vbi nũc huius templum extructum est eximię magnitudinis,& pulchritudinis; stansque in ipso; Hic, inquit, filii mihi fodite. Deinde vbi se totum consignasset, ac dixisset; Et tu mecum esto Domine Iesu Christe, astantibusque subiunxisset: Pax vobis fratres: in foueam demisit pallium,& ipse quoque in eam descendit, &c. His addit hæc: Die illucescente concurrunt ad monumentum; porrò pastor nusquam comparebat, solæ iacebant crepidæ,&c. Hic autor non ait mortuum, alii vero id addiderũt, vt docet D. Augustinus tract. 124. in Ioan. Tradunt, inquit, quod in quibusdam Scripturis, quamuis apocryphis reperitur, Ioannem quando sibi fieri iussit sepulchrum, fuisse præsentem incolumen, eoque effosso,& diligentissime præparato, ibi eum se tanquam in lectulo collocasse, statimque eum esse defunctum.&c. Illa vero verba, *Sic eum volo manere, donec veniam*, conditionaliter, sunt explananda, vt supra diximus, vel cum Augustino, & aliis, sic eum volo manere; nolo eum mortem violentam subire: donec veniam, vt illum in cælum recipiam.

Metaphr.

Descendit Ioãnes viuus in fossam.

D. August.

Mortuus est Ioannes; dubium est an post mortẽ resurrexerit, & in cælum ascẽderit, virgineo indutus corpore? Resurrexisse illum existimat Cardin. Petr Damiani in serm. 2. de sancto Ioãne: Pium, inquit, est arbitrari, vt sicut de beata Dei genitrice creditur, ita ẽt beatus Ioannes iam resurrexisse probabiliter asseratur, &c. Nicephorus, lib. 1. histo. cap. 35. Non dixit Ioanni Christus, quod moriturus non sit, moriturus est enim, eo modo quo Dei genitrix, confestim vero resurget, incorruptibili scilicet corpore, Magistri expectaturus aduentum,&c. Lege eundem lib. 2. cap. 42. Hanc opinionẽ sequitur D. Isidorus in libris Etymolog. D. Thomas 4. dist. 43. art. 3. quæst. 2. ad 1. & in Ioannem. Albertus magnus,& alii. Autor sermonis de assumptione Deiparæ Virginis qui Hieron. vel Sophronio ascribitur, ait plurimos asseuerare Ioannem Euangelistã immortalitate ĩ cælestibus vestiri. Cõfirmatur opinio, quoniam reliquię D. Ioannis discipuli dilectissimi, non cõparent in hoc terrarum orbe: ergo videtur corpus eius in cęlo esse. Alioqui Deus eius honorasset reliquias, sicut honorat reliquias D. Petri, & Pauli,& aliorum Sanctorum. Secundo, quia in sepulchrum ingressus est, & vita functus, postea vero in eo quæsitum corpus non est repertum. Cur ita? nimirũ quia resurrexit post mortem,& in cælum assumptus est. Tertio, quia par est credere, Christum dilectissimo discipulo huiusmodi donasse priuilegium, quod aliis non est largitus. Græci in suo Calendario diem 26. Septembris, translationi D. Ioannis Euangelistæ assignant. Probabilis est hæc opinio. Obiicies, id quod supra diximus ex Concilio Ephesino, nimirum honorari reliquias Ioannis Ephesi. Respondetur reliquias appellari non corpus, vel ossa, sed sepulchrum, pallium, crepidas,& similia.

An Ioãnes post mortẽ resurrexerit.

Petr. Damiani.

Nicephor.

D. Isidor.

D. Thoma.

Probatur Ioannẽ resurrexisse immortalẽ.

Probabilis iudicatur hęc sententia.

Obiectio. Responsio.

Eorum verò opinio nullo modo est audienda, qui Ioannem dormire putarunt in sepulchro, vsque ad aduentum Domini,& dormientis flatu sepulchri puluerem sursum iactari. Augustinus tract. in Ioannem 124 Ioannes, inquit, ex illorum occasione verborum; *sic eũ volo manere donec veniã, creditur viuus dormire sub terra*,&c. Itẽ: putãt defunćto similem cubasse, & cum mortuus putaretur sepultum fuisse dormientẽ; & donec Christus veniat sic manere, suamque vitam, scaturigine pulueris ĩdicare, qui puluis creditur vt ab imo ad superficiem tumuli ascendat, flatu quiescentis impelli. Addit: huic opinioni superuacaneum existimo reluctari. Viderint enim qui locum sciunt vtrum hoc ibi faciat, vel patiatur terra, quod dicitur, quia & reuera non à leuibus hominibus id audiuimus, &c. Autor sermonis de assumptione Deiparæ, non ait puluerem scaturire, sed manna; In sepulchro, inquit, Ioannis,

Ioannes nõ dormit in sepulchro. D. August.

vt fertur, non inuenitur nisi manna, quod cernitur scaturire, &c.

An Ioānes sit in paradisum terrestrē trāslatus.

Non desunt qui sentiant Ioannem non esse mortuum, sed viuum translatum in Paradisum terrestrem, vt cum Elia, & Enoch Antichristi temporibus, Ecclesiæ opem ferat. Est hæc multorum opinio. Theophylactus in Ioā. Quidam, inquit, dicunt Ioannem viuere, & ab Antichristo occidendum cum Elia prædicantem Christum, &c. Et Aretas Archiep. Cæsariensis, Apocal. 10. ad illa verba: *Oportet te iterum prophetare gentibus*, &c. Ex hoc, inquit, dicto opinantur multi Ioannem vsque ad sæculi consummationē viuere, ac venturū esse circa tempora Antichristi, cum Enoch, & Elia, &c Hyppolytus martyr in oratione de consummatione sæculi in biblioth. Patr. tomo 5. Prior, inquit, Domini aduentus præcursorem habuit Ioannem Baptistam; posterior autem Enoch, Eliam, & Ioānem Theologū exhibebit, &c. Simeon Metaphrastes in vita Ioannis: Ioānes, inquit, Enoch, & Eliæ coniūgitur, &c. D. Damascenus in oratione de transfigurat. Ioannes, inquit, vsque ad aduentum Christi, expers omnino mortis perstiturus est, &c. Eandem sententiā tuetur Trapezuntius in libello, de verbis illis: *sic eum volo manere*, &c. Catharinus Gen. 2. & alii.

Theophyla. Aretas. Hippolyt. Metaphr. Damasc. Trapezūt.

Probatur Ioan. in paradiso terrestri vitā ducere, cū Elia & Henoch.

Confirmatur. Primò, quia id significant propriè verba Christi: *sic eum volo manere donec veniam*: aduentus enim Christi proprie dicitur vel primus, vel secundus. ergo hic locus de posteriori aduētu intelligēdus est, hoc pacto, sic sine morte volo eum manere, donec adueniam ad iudicandum orbem. Quorsum vero vult eum manere? nimirum vt cum Henoch, & Elia Antichristo repugnet. Secundò, nemo Ioannem vidit mortuum, nemo eius ossa conspexit. Indicium sanè est vehemens, translationis in Paradisum terrestrem. Tertio Antichristi insaniæ occurret Henoch ex lege naturæ, & Elias ex lege scripta Mosis, sanè par esse videtur, vt occurrat etiam aliquis dux ex lege noua Christi, quæ cum sit cæteris præstantior, præstantiorē mittet ducem, videlicet dilectissimū Domini discipulum, honoris illius summopere studiosum. Forsitan vero vna ex causis, propter quas Christus singularem Ioanni amorem ostendit, voluitq; in Euangelio huius præcipui amoris fieri mentionē, fuit, vt Christiani extremi illius temporis illū maxime ament, & venerentur, Christumq; se in illo videre putēt, quem Christus singulariter dilexit. Hæc etiam causa videtur fuisse, cur de Antichristo in Apocalysi reuelationē acceperit præclaram. Quartò Apocalyp. 10. dicitur Ioannis: *oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis*, &c Hoc verò nondum videtur fecisse, quia Ephesi mansit: ergo credēdum est Ioannem id facturum tempore illo extremo. Quintò Christus Apostolis omnibus concessit, vt per varios cruciatus in cælum ascenderent, quæ igitur causa est, cur dilectissimo discipulo tantū hoc beneficium, tantumq; honorē denegauerit? cur quod maximè optabat Ioannes, & flagitabat orādo, non est largitus Dñs? Quis enim dubitet Ioānem martyrii flagrasse desiderio, idque sæpe à Christo postulasse? nūquid defuit fortissimo Apostolo ad martyrium animus? minimè. Aio deesse martyrium: sed non deerit in fine sæculi. Idcirco enim non subiit mortem, ac cruciatus, quia ab Antichristo cum Henoch & Elia martyrio afficietur, & compos fiet desiderii sui, perfecteque illud Domini implebitur verbum, Matth. 20. *Calicem quidem meum bibetis* Sextò, Ioannes missus est in dolium feruentis olei. Cur non est passus Dominus illum tunc mori? cur magno miraculo vitam illi conseruauit: sanè dicere videtur: *Sic eum volo manere donec veniam*, tunc morietur. Denique Christi verba mysteriis plena sunt. Non sine causa ergo dixit: sic eum volo manere donec veniam. neque sine causa discipuli dixerunt, discipulus iste non morietur, neque vero Ioann. negat verum dixisse discipulos, sed ait Christi verba id aperte non significare. non *dixit perspicue, non morietur, sed sic eum volo manere*, &c.

Apoca. 10.

Non

Non est contemnenda hæc sententia. Argumenta enim etsi dissolui possint; tamen cum autoribus citatis probabilitatem efficiunt. Illud me reuocat quod obiici potest, Ecclesiã aliud sentire, vt supra diximus: Ioannẽ enim precatur, vt fruentem iam beatitudine, eique festum celebrat: respondeti tamen potest, Eliæ quoque festum ab Ecclesia in Martyrolog. 20. diei Iulii assignari. non ergo mirum si Ioanni in Paradiso terrestri viuenti festum celebret. Aliter respondere posset aliquis Ioãnem in Paradiso terrestri, quod ad animam spectat, iam frui beatitudine in corpore mortali; quemadmodum Christus ĩ terris fruebatur, atque ideo Ecclesiam illum deprecari (siquidem Deum videt, & Ecclesiæ orationes,) illiusque festum celebrare. Eliam quoque & Henoch par erit cõcedere eiusdem esse conditionis, post mortẽ Christi, postquam cœperunt homines Deũ cernere. Non enim Deus voluit priuare sanctissimos hos viros visione sua, qua dignissimi sunt per tot annos. Obiicies, hoc priuilegium solius fuisse Christi, neque esse concedendum cuiquã; Respondeo fuisse Christi priuilegium vt inter homines viuens Deum videret. at Elias, Henoch, & Ioannes, non viuunt inter homines, sed viuunt in Paradiso terrestri extra hominum commercium, cum solo Deo, & Angelis. Non mirum si Deus concedat hoc priuilegium præter legem ordinariã hominibus, quos tam longo tempore in terra retinet, præter legem ordinariam. Cum tamen dignissimi sint quorum animæ Deo in cælo perfruantur, nõne digni sunt Dei visione? sunt equidem. Nonne si Deus illos in Paradisum terrestrem non transtulisset, in cælo nunc essent Deum intuentes? essent sanè. Nonne potest Deus efficere ne cõspectu priuentur Dei, quẽ visuri nunc erant? potest. Cur igitur non concedemus id facere? respondebis, quia præter legem est. At vero ẽt præter legem est, homines quorũ animis conspectus Dei cõcedendus erat illo priuari absque culpa, & in terris retineri. Concedatur ergo illos, & in terris retineri præter legem ordinariam; & secundum animam, diuinam intueri in corporibus mortalibus essentiam, satisfietq; dubitationi, quę ex meritis maxima oritur. Si enim Elias, & Henoch vsque ad iudicium viuent, ergo vsque ad iudicium merita cumulabunt. vincent ergo meritis, gratia & gloria, omnes sanctos, etiam Apostolos, & Deiparam virg. At nequaquam cumulant merita, siquidem diuinã vident essentiam, neque iam merentur. Illud etiam fauet huic opinioni, quod Ecclesia 29. diei Iulii festum Eliæ assignat: at non solet Ecclesia festum in Martyrologio assignare Sanctis, qui Deum nondum cernunt, cernit ergo Deum Elias. Græci vero eidem diei festum eius ascribunt, & a seruilibus operibus in eo abstinent, vt docet Baron. in notat Martyrol. videre aũt Deũ Henoch, & Eliã, opinatur Catharinus, in lib. de gloria Christi consum. & P. Salmeron Ioan 21. D. Hieron. in epist. ad Pammachium 61. ait illos Dei consortio frui, vesci cælesti pane, & saturari omni verbo Dei, eundem habentes Dominum, quem & cibum; D. Gregor. Nazianz. dubitat. Non constat, inquit, an Henoch iam comprehenderit Dei naturam, an sit adhuc comprehensurus, &c. verissimum est, id non constare, sed nunc coniecturis agimus, omniaque subiicimus Rom. Ecclesiæ iudicio.

An Ioãnes, Elias, et Henoch ĩ paradiso terrestri Deum videant.

Illud præterea hanc opinionem refutat, quod Apoc. 11. multa narrentur de duobus tantum testibus, qui Antichristo repugnabunt, scilicet de Elia, & Henoch; tertius non additur. Nulla autem videtur posse reddi causa, cur non fuerit additus tertius, si verum est tertium fore Ioannem: imo de illo maximè mentio fuisset facienda, nempe præcipuo inter testes. Responderi potest, non esse factam mentionẽ tertii, id est, Ioannis, quia iam significatum fuerat in eadem Apocalypsi in fine cap. 10. illum tempore Antichristi prædicaturum multis gentibus, & regibus, Postea mox initio, cap. 11. sequentis, sequitur de Elia, & Henoch, *& dabo duobus testibus meis, & pro-*

prophetabunt &c. Neque vero adiungitur eis Ioannes, quia alio fortè loco, & tempore ab Antichristo occidẽdus est. Argumenta quibus hæc fulcitur opinio, nõ difficile ex dictis solui poss sunt; ideo ea omitto.

Hic est discipulus ille.

Ioan. subscribit Euãgelio suo.

HIs quæ Ioannes toto Euangelio scripsit, nunc subscribit. Hic, inquit, discipulus, quem diligebat Iesus, qui recubuit in cœna super pectus eius, & de quo dixit: *sic eum volo manere donec veniam*, &c. hic, inquam, discipulus, scripsit hoc Euangeliũ, & scio certissimè, quia vera sunt, quæ scripto testatus est. Neq; vero putetis literis omnia Christi gesta, & miracula, me mandasse: multa in hoc libro scripta non sunt; tot autem sunt, vt si sigillatim scribenda essent, multitudinẽ librorum mundus capere nõ posset. Hyperbole est, qua figura etiã vtitur Scriptura, & vulgus, vt ostendit Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 99. & alii. D. Augus. tract. 124. ad capacitatem legentium refert hæc verba; Capacitate, inquit, legentium comprehendi fortasse non possent, &c. D. Hieronym. Matth. 22. sic exponit: Multa, inquit, facta sunt signa à Domino, quæ si scripta essent, mundus capere non posset. Non quod mundus volumina capere non potuerit; sed quod magnitudinem signorum præ miraculis, & incredulitate ferre non possit. Hæc ille. Isidorus Pelusiota: Si, inquit, hoc dictum de dogmatũ magnitudine, & summitate quispiam accipiat, à vero minimè aberrabit. Nec auarus de voluntaria paupertate sermonem cepit, nec lasciuus eum qui de pudicitia erat, nec alienorum bonorum raptor, eum qui de iustitia. Per mundum autem, hominum turbã, mundanarum & terrenarum rerũ admiratione perculsam, intelligit; &c.

Isid. Pelus. D. August.

D. Hieron.

Ante hanc subscriptionem Euangelii sui, scripsit Ioannes; *Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit, Domine quis est, qui tradet te?* Quorsum hæc? rogabit aliquis. Respondetur, vt autoritatem Euangelio ipsi conciliaret, cuius autor discipulus est Christo dilectissimus, qui super pectus eius recubuit, quique omnia Christi gesta nouerat. Sic Epist. 1. cap. 1. *Quod fuit*, inquit, *ab initio, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ: & vita manifestata est; & vidimus & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*, &cæt. Theophylactus; Quare, inquit, Ioãnes de se ipso testimoniũ fert? Respondet: Dicitur ad scribendum postremus accessisse, cũ ad id motus esset per Christum. Propterea sæpe dilectionis meminit, ostendens causam propter quã ad scribendum accesserit; quod Christus commiserit hoc opus ei, qui præ aliis magis diligebatur. *Et scio*, inquit, *quod vera dicit*: hoc est, certis indiciis compertum habẽs scripsi quæ scripsi; vtpote qui interfui omnibus sermonibus, & operibus, & passionibus, & iis quæ post resurrectionem acciderunt. Dilectus enim eram & non excludebar. Sic Theophylactus. Chrysost. Suã inquit, dilectionem Ioan. & causam, quare ad scribendũ venerit, freqũeter ostendit; hinc sibi fidem comparans, quod inde motus sit, &c. Forsitan ideo hoc loco meminit Ioannes recubitus super pectus, quia ex eo dicitur hausisse fluenta Euangelii: quasi dicat, dignissimum esse summa fide Euangeliũ, quod ex pectore Christi esset haustũ. Lege quæ supra dicta sunt de recubitu Ioannis in cœna. Aliam causam reddit Chrysost. hom. 87. in Ioannem, cur Ioãnes meminerit dilectionis Christi erga se, & recubitus super pectus eius in cęna. Vt ostendat, inquit, Petri post negationem fiduciam. Qui enim tunc non est ausus interrogare Christũ, sed id muneris Ioanni delegauerat, hic cõmissa sibi fratrum cura, non alteri vicem suam mandat; sed ipse magistrum interrogat: Et Ioannes quidem tacet, ipse autem loquitur, &c.

Cur Ioãnes seipsum videatur cõmendare.

Theophyla. D. Chryso.

CAPVT V.

De Pontificatu Petri.

Morale.

Ad Heb. 5. Petrum Dominus vocat ad Pontificatum.

AD Hebræos 5. Paulus: *Neque quisquã*, inquit, *sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquã Aaron*, &c. Id in Petro cernimus. Non sumpsit sibi Pontificatus honorẽ, sed à Domino vocatus est, sicut Aaron. Aaron Israelitarum pótifex legis veteris; Petrus præclarissimus omnium nationũ, & legis nouæ Præsul creatus est. Pasce (inquit Dominus) oues meas, à me vocatus, & à me institutus Pontifex. Vocatione Dei ductus præsulatum accipit bonus Præsul, neque illum ambit neque quærit, neque petit, imo neque desiderat; addo, & fugit, sicut magnus Gregor. & alii. Sunt tamen nonnulli qui se hisce oneribus ingerunt, libenterq; illis humeros supponunt: quorum audaciam Bernardus miratur, ser. 30. in cant. Miror, inquit, audaciam plurimorum, quos videmus de suis vineis nó colligere nisi spinas, & tribulos; vineis tamen dominicis et se ingerere non verentur, &c & serm. 2. de Ascẽsione: O peruersitas, inquit, filiorum Adam, ò abusio, quia cũ ascendere difficillimum sit, descendere autem, facillimum, ipsi & leuiter ascendunt, & difficilius descendunt. Parati ad celsitudines, & honores graduum Ecclesiasticorum, ipsis etiam Angelicis humeris formidandos, &c. D. Gregor. p. p pastor. cap. 9. Virtutibus, inquit, pollens coactus ad regimen veniat, &c. Si is qui virtutibus pollet & scientia, ad regimen venire debet coactus, quid illũ facere oportet, qui sciẽtia, & virtutibus caret, quas animarũ cura flagitat? oportet sanè vt sciẽtiam & virtutem studeat comparare, postquam vero eas compararit, si à Deo se vocari scierit; Deo vocati obtẽperet, vt Petrus, eiusdemq; imitator existat.

Audacia multorũ, q Ecclesiasticas dignitates ambiunt.

D. Bern.

D. Gregor.

Examinat Dominus Petrum, priusquam suas illi tradat oues. Non enim absque examine tantum onus subeundum est. Aquilæ (ait Plinius lib. 10.) raptam prædam primo deponunt, expertæque pondus tunc demum abeũt, eundem in modum vir sapiens, honorum pondus prius recta trutina examinat, si vires deesse videt, pondus relinquit, ne mergatur. Nam Aquilæ, vt idem autor ait, impetunt natantes aues, sæpe verò non tolerantes pondus apprehensum, vna merguntur, sic pastores qui temerè animum suscipiunt curam, neq; muneris tanti onus pōderant, oneri succumbentes cum multis merguntur ouibus. Legendus Bernar. Epist. 42. Meditantibus, inquit, honores blandiuntur; sed onera pensantib. tædio sunt, atque formidini. Multi nõ tanta facilitate currerent ad honores, si esse sentirent & onera, grauari profectò metuerent; neque cum tanto periculo, & labore quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Nunc vero sola attenditur gloria, & non pœna, &c. Item in eadem epistola: Curritur, inquit, ad Ecclesiasticas curas tanquam sine curis iam quisque victurus sit, cũ ad curas peruenerit, &c. Videsne quã ignari sint homines ponderis, quod cura habet animarum? non onera pō derant, sed honores; altiores esse delectat, non meliores. Sed audi Bernardum epist. 27. Si altiorem, quam meliorem esse delectat, non præmium, sed præcipitium expectamus, &c.

Examinat Petrũ Dominus.

Plinius.

Prius pondus officij & beneficij est pōderandũ, quã humeris imponatur.

D. Bernar.

Examinat Dominus Petrũ, & interrogat, *Diligis me plus his?* Cæteros omnes, qui oues sunt, vult à pastore superari charitate. Quemadmodum est prælatus officio; sic esse debet prælatus virtute subditis, id est, præstantior. Præcellentior multo est pastor grege ouium natura ipsa, similem in modum præcellentiorem esse conuenit prælatum ouibus suis, sanctitate. Vnde D. Chrisostom. lib. secundo, de Sacerdotio, Quanta, inquit, inter se se differentia homines rationis vsum

Prælatus oues virtute superet.

D. Chryso.

habentes, & bruta ratione carentia dissident; tantum sanè discrimen inter eum qui pascit, atque eos qui pascuntur, esse velim, vt ne maius etiam exigam, &c Et D Gregor p.p.past. Tantū inquit, debet actionem populi actio transcendere Præsulis, quantum distare solet à grege vita Pastoris, &c. Pastoris officium est Christianos ad Christiana officia exequenda pertrahere; hoc autem magnum ardorem, zelum, vigilantiamque postulat veluti machinas, quibus sursum pertrahâtur, vt D. Gregor. Nazianz. in orat. de laudibus D Basilii ait; D ipse Basilius dicebat vix esse vt etiam per summum, pastor assequatur medium, ac per exuberantem virtutis amplititudinem, vulgus ad mediocritatē pertrahat, &c. si exuberans virtus necessaria est, vt vulgus ad mediocritatem virtutum perducatur; cum in Præsule non virtutes, ac vigilantia, sed vitia, & ignauia comparuerint, quonam vulgus perducetur? Quemadmodum cœli ex quibus terra lucem influentiasque recipit, terra ipsa multo sunt celsiores, splendoreque miro coruscant, sic præsules à quibus tum doctrinæ Euangelicæ lucem, tum cælestes alias recipiunt influentias populi, subditis oportet esse, multo virtutibus altiores, & miro bonorum operum, exemplique fulgore splendescere, ne illis illud occinatur Oseæ 4. *Sicut populus, sic sacerdos, &c.*

D. Gregor.

D. Basil.

De charitate interrogat Dominus Petrum; primo, quia charitas est animæ quantitas, vt ait D Bernard. serm. 27. in Cant. Quantitas, inquit, cuiusq; animæ æstimetur de mensura charitatis, quam habet; vt quæ multum habet, magna sit: quæ parum, parua, &c. id ostendit Apost. 1. Corinth. 13. cum ait; *Si charitatem nō habuero, nihil sum.* Si magnam charitatem habet homo, magnus est; si paruam, paruus, si nihil charitatis habet, nihil est. Cum ergo Christus magnum vellet esse populi sui pastorem, charitatem in eo requirit magnam, à qua magnus fiat, *Diligis*, inquit, *me plus his?* charitas namque magnum facit præsulem, cæteræque virtutes, non splendidæ vestes, non lauta mensa, non multorum famulorum caterua, non magnæ opes, & palatia. Vnde illud Concil. Carthag. 4. Episcopus, inquit, vilem supellectilem, & mensam, ac victum pauperem habeat. Et dignitatis suæ autoritatem, fide, & vitæ meritis quærat, &c.

D. Bernar. De charitate cur Petrū interroget Dominus.

1. Cor. 13.

Prælatum charitas facit magnū, non lauta supellex.

Secundo, Episcoporum status, perfectionis status est: perfectionem vero præcipuè efficit charitas, qua permoti pro ouibus vitam sanguinemque profundere debent. Flagitat ergo status Episcoporum maxime charitatem.

Tertio, inter virtutes charitas præcellit; ideoque merito ab iis postulatur qui in Ecclesia præcellūt. Vtinam sæpe hoc animo volueret Episcopus: Meus status perfectionis est, oportet Episcopum esse perfectum charitate, humilitate, cæterisque virtutibus omnibus; non cupidum honoris & diuitiarum, sed caducarum omnium rerū contemptorem. Quid ago? cur caduca quæro? cur charitate non ardeo? cur opera non exequor perfectionis? Sed proinde ac si sæcularis aliquis Princeps essem, sic vitam traduco meam? Nonne D Bernard. lib. secundo, de Cōsiderat. ait, Monstrosa res est, gradus summus, & animus infimus, sedes prima, & vita ima? &cæt. Cur me non pudet in Ecclesia monstrum esse.

D. Bern.

Quartò, opera Prælati boni ex charitate emanāt velut fonte; ideo de charitate examen fit. Necessaria pastori bono est patientia ad tolerandos tanti muneris labores; *charitas* vero, vt ait Paulus 1. Corinth. 13. *patiens est*. Necessaria est erga oues benignitas. *Charitas*, inquit, idem Apostolus, *benigna est* D. Gregor. in Psalm. 6. pœnit. Charitas patiens est, vt aliena mala toleret; benigna est, vt ipsos etiam quos portat, amet, &c. Necessaria est humilitas, ne celsus locus pariat tumorem. Idcoque D Bern. lib. 2. de consid. Nulla, inquit, splendidior gemma humilitate, in omni præcipue ornatu summi Pōtificis. Quo enim celsior cęteris, eo humilitate apparet illustrior, &c. de charitate aiit addit à Paulo: *charitas nō inflatur.*

1. Cor. 13.

D. Bern.

Digitized by Google

inflatur. Necessarius est proprii com modi contemptus *Charitas*, ait, *nō quærit quæ sua sunt*. Necessarius est animarum zelus; is maximè ex charitate oritur, animarum que saluti maximè inuigilat; Cant. 8. *Dura sicut infernus æmulatio*, id est, zelus, &c. Inferni incolæ dæmones ad perimendas animas toto conatu inuigilant, nihilque aliud curant; non opes, non honores, non voluptates. Patieturne pastor à Dæmonib. superari? non accēdetur zelus eius, ita vt quod dæmones faciunt vt perdant; ipse faciat, vt animas seruet? Necessaria est fortitudo ad irrumpendas difficultates. charitas fortissima est. Cant. 8. *Fortis est vt mors dilectio*, &c. Mors omnia vincit; omnia etiā vincit amor; omnes irrumpit difficultates; omnia pericula subit, pro animarum salute.

Zelus pastoris.

Cant. 8.

Necessaria est correptio ouium absq; amaritudine, & iracundia. id præstat charitas. Bern. epist. 2 O bona, inquit, mater charitas, quæ siue foueat infirmos, siue exerceat prouectos, siue arguat inquietos; diuersis diuersa exhibens, sicut filios diligit vniuersos. Cū arguit, mitis est, piè solet sæuire, patiēter nouit irasci, humiliter indignari, &c. Ingeniosa est charitas, quidquid videt ouibus Christi esse opus, id vigilanter, & quærit, & exequitur. Amantibus igitur Christū, & perfectè amantibus, tradēdæ sunt oues Christi; ideo Christus toties de amore Petrum rogat, & amanti oues tradit. Quando enim (ait D. Bern. in tract. de conuersione ad clericos ca. 27.) sic amatas oues committeret Christus non amanti? &c.

Charitas ingeniosa est.

Quinto, Greg. in comm. lib. 1. Regū cap. 16. cum de Dauidis vnctione in regē verba facit, sic scribit. Illæ aliæ virtutes corpus iustitiæ sunt, charitas vero huius corporis facies. Per faciem quippe vnusquisque cognoscitur. Fatuæ Virgines à sponso non cognoscūtur, quia decorem non habent faciei, quem sponsus agnoscat, &c. Oportet pastorē à Deo cognosci, & hoībus oportet ergo charitatē habere, q̄ facies est, per q̄ cognoscimur, ne illud audiat Oseæ 8. *Ipsi regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui*, &c.

D. Gregor. *Charitas facies pulcherrima.*

Osea 8.

Sexto, voluit Dominus ostendere, quanam re compulsus pastor, Pastoris officium debet suscipere, nimirum nō propter amorem diuitiarum, aut honorum, sed propter amorem Christi, & ouiū. Vtina Prælatus cum ad præsulatum vocatur, duci se sentiat ab hoc amore. Vtinam audire sibi videatur Christum dicentem, *Amas me*? vtinam respondere possit vere. *Domine tu scis quia amo te*: nullius peccati mortiferi testimonium sibi reddente cōscientia, sed charitatis inflammatæ, ardentisq; erga animas seruandas zeli. Vtinam audiat à Domino; *Pasce oues meas*. Hæc vocatio excelsi.

Septimo, habent principes suæ nobilitatis insignia: constituit Dominus Petrum Ecclesiæ principem, nobilitatis diuinæ insignia illustrissima illi dedit, videlicet insignē charitatem. Non dixit Dn̄s, *dilige oues meas*, sed, *diligis me*. quia amor ouiū ex amore Dei oritur, & in pascendis bene ouibus ostenditur; qui Deum amat, oues eius amat. Qui Deum non diligit, oues eius non curat. August. serm. 149. de temp dicit Dominus, Pasce oues meas, Petro; tanquam diceret: Quid retribues, quia diligis me? dilectionem ostende in ouib. si dilectionem erga me habes, vbi ostēdas habes. Pasce agnos meos, &c. *Pasce*, inquit, *oues meas*, non dixit, *tuas*, sic enim pascendæ sunt, tanquam oues Dei, neque in proprium commodum, & dominatum superbum, & fastuosum conuertendæ. 1. Petri 5. *Non dominantes, inquit, in cleris, sed forma facti gregis*, &c. Græcè, τύποι γινόμενοι, id est, *facti typi*, & exemplaria, ex quibus oues virtutes in se transferant. non facti domini superbi. Et Dominus Lucæ 22. *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur. Vos autem non sic; sed qui maior est in vobis fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator*, &c. Præsunt quidem populis Pontifices, Ecclesiæ sunt duces, & principes; *Qui*, inquit, *præcessor est*, Græcè, ἡγούμενος, id est, *ductor*, sed hi principes, & duces omni fastu, atque arrogantia carere debent,

Cur Christus dixerit, oues meas non tuas.

debent,& paterna charitate oues, veluti oues Christi pascere.

Pastor quærat lucra Dei & animarum.

Pasce, inquit, *oues meas*, ne ita tuas esse existimes, vt lucra in eis tua magis requiras, quam ouium salutem. D. August. tract. 123 in Ioan. Qui, inquit, hoc animo pascunt oues Christi, vt suas velint esse, non Christi; se conuincuntur amare, non Christũ, vel gloriã di, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi, & subueniendi, & Deo placendi charitate. contra hos ergo vigilat toties inculcata ista vox Christi, quos Apostolus gemit, sua quærere, non quæ Iesu Christi. Nã quid est aliud, *Si diligis me, pasce oues meas*, quam si diceretur, si me diligis non te pascere cogita, sed oues meas? sicut meas pasce, non sicut tuas, gloriã meam in eis quære, non tuam, dominium meũ, non tuum, lucra mea, non tua, &c. D. Bernard. epist. 237. ad Eugenium Papam: Ipsa, inquit, Domini tui Sponsa, id est, Ecclesia quæ tibi cõmissa est, mutetur in melius, & iam nequaquam Sarai, sed Sara de cætero nominetur. Si amicus sponsi es, ne dixeris dilectam eius principem meam, sed principem. nihil tuum in ea vendicans, nisi quod pro ea si oportuerit etiam animam dare debes, &cæt. Gen. 17 Deus Sarai vxorem Abraham iubet vocari Saram. Significat aũt Sarai principẽ meã; Sara vero principẽ. Non vult Bern. Saram, id est, Ecclesiã appellari Sarai, id est, principem meã, & oues appellari oues meas à pastore, vt in illis quærat quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi: Sed Saram vocari, id est, principem. Attamen oues meas appellari pastor potest, id est, à Christo mihi commissas, mihi charissimas, pro quibus si opus fuerit, vitam morti libenter offeram.

D. August. *D. Bernar.* *Gen. 17.*

D. Petro põtifici S. non opes, sed martyriũ prędicit Dominus.

Tradidit Christus Petro oues & põtificatum: nunquid pollicitus est illi lucra magna, opes, honores, voluptates minimè. hęc enim qui ex Pontificatu requirit, dignus non est Pontificatu. Quid igitur illi promittit, quid prædicit? *Cum senueris*, inquit, *alius cinget te*, &c. *ducet quo tu non vis*, &c. mortem, & martyrium prædicit. August. ser. 140. de temp. quanta dilectione essent pascendæ oues, tanto pretio comparatæ demonstrat Dominus. Postquam enim Petrus professus est se esse Domini dilectorem cõmendatis sibi ouibus eius, audit de sua futura passione. Hic demonstrauit Dominus, sic diligendas oues suas ab iis, quibus eas commendat, vt parati sint mori pro eis. sic August. *Bonus enim pastor animam dat pro ouibus suis*, dat pecuniam, dat doctrinam, dat exemplum, dat laborem, dat solicitudinem, demum si opus est ipsam dat vitam. Mercenarius autem dare non vult, sed accipere, accipit ouiũ lanam & lac; pascitque se ipsum, non oues. *Ministerium meum honorificabo*, ait Paulus ad Roman. 11. hoc est boni pastoris, ministerium suum honorificare, eleemosynis, vigilantia, zelo animarum, doctrinæ & exempli fulgore, denique ipso sanguine. Mercenarii autem est ministerium suum deturpare argenti cupiditate, impuritate, socordia, negligentia similibusq; vitiis. Audiamus Bernar. epi. 42. ad Archiepiscopum Senonensem, Honorificabitis, inquit, ministerium vestrum, non cultu vestium, non equorum fastu, nõ amplis ædificiis, sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis, &c. Adde conciones, exhortationes, atque admonitiones charitate plenas; prælatorum enim ministerium valde honorificant. Vnde illud Pauli Act. 20. ad Ephes. dictum; *Per triennium non cessaui die & nocte, cũ lachrymis monẽs vnũquemque vestrum*, &c. & 1. ad Timoth. 4. *Attende lectioni, & exhortationi, & doctrinæ*; Item: *Attende tibi & doctrinæ, insta in illis, sic enim te saluum facies, & eos, qui te audiunt*, &c. Quem prelatum non terreant verba illa eiusdem Apostoli 2. Timo. 4. *Testificor coram Deo, & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius prædica uerbum, insta opportune importune*, &c. ornauit ministerium suum Petrus morum admirabili sanctitate, ornauit doctrina, & concionibus, ornauit & sanguine, & cruce.

Bonus pastor vitam dat pro ouibus. *Roma. 11. Honorificãdũ est ministerium.* *D. Bernar.* *Act. 20.* *1. Timo. 4.*

Martyres secũdũ naturalẽ appetitũ mortẽ refugiũt.

Nunquid inuitus ductus est ad crucem minime sane. Cur igitur ait Dominus,

minus, *Ducet quo tu non vis?* Respondemus, hoc dici secundum appetitũ naturalem carnis, quæ mortem perhorrescit Ductus est Petrus ad crucẽ, ducti sunt martyres ad tormenta, ducti sunt quo nolebant, & quo maxime volebant & cupiebant. nolebant quidem secundum carnis naturalem appetitũ, expetebãt autẽ, & desiderabant, secundum rationem voluntatemq; deliberatam. Legendus D. Grego. Iob 39 ad illa verba, *vbi audierit buccinam, dicit, Vah.* si pensamus, inquit, qualiter animus appropinquante passione & mortis metu quatitur, & tamen de venturo regni præmio lætatur, intelligimus quomodo gloriosi certaminis subire periculũ volens nolit. quia & in morte considerat, quod tolerans paueat, & in fructu mortis aspicit, quod appetens quærat, &c. Item: sicut vir fortis cum vicino iam certamine armis accingitur palpitat, & festinat, ita vir sanctus cum passioni se propinquare conspicit, & naturæ suæ infirmitate concutitur, & spei suę soliditate roboratur, & de vicina morte trepidat, & tamen quod moriendo verius viuat, exultat, &c.

D. Gregor.

Ter autem interrogatur de amore Petrus, vt ostendatur terque quaterq; videndum esse, num is cui animarum committitur cura, tãto muneri sit idoneus. Pręterea vt ostẽdatur magnã cõstantemque charitatem ab eo exigi, quæ veluti tribus clauis pectori sit infixa. Tertiò, quia trinus est personis Deus, trina de eius amore fit interrogatio. Quartò fit trina interrogatio, vt trina affirmatione amoris compensaret Petrus trinam negationem timoris. Ambros. serm. 46. Hoc, inquit, dictũ Petri ad compensationẽ prioris profecit erroris. Qui enim Dominum tertio negauerat, toties cõfitetur. Et quoties culpam delinquendo cõtraxerat, toties gratiam delinquendo conquirit, &c. Quinto, indicatur debere nos peccata virtutibus bonisque operib. compensare, vt quo plura peccata fuerunt, eo plura sint, & insigniora bona opera. Trina negatio, trina affirmatione compensetur; qui valde peccauit valde virtutem colat. Isa. 40. *Qui confidunt in Domino mutabunt fortitudinẽ,* &c. D. Greg. lib. 19. moral. c. 26. Mutãt, inquit, fortitudinem, quia fortes student esse in spiritali opere, qui dudum fuerant fortes in carne, &c. August. Psal. 31. Quales, inquit, impetus habebas ad mundũ: tales habeas ad artificẽ mundi, &c. Hoc est, quod Paulus ait ad Rom. 6. *Humanum dico propter infirmitate carnis vestræ, sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditia & iniquitati ad iniquitatẽ: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitia in sanctificationem,* &c. humanum dico, ait Apostolus, quia vt ait August. in epist. ad Anastasium, plus aliquid dicendum fuit, si iam illi ferre potuissent. Et Grego. Iob 29 ad illa verba, In nidulo meo moriar, & sicut palma, &c. cum per Apostolum, inquit, dicitur quibusdam, *Humanum dico propter infirmitatẽ vestram:* eorum infirmitati condescenditur. Perinde enim est ac si dixisset, si nequaquam amplius potestis, saltem tales estote in fructibus bonorum operum, quales fuistis dudum in actione vitiorum, &c. similiter D. Bernard. ad fratres de monte Dei, ait hoc pertinere ad bonos quidem homines, sed nondum perfectos. Perfectorum enim est, longe superare virtutibus præterita vitia; iustitiamque multo maiori amore, & contentione prosequi, quã prosecuti sunt peccata. Iuxta illud Baruc. 4. *Sicut fuit sensus vester vt erraretis à Deo, decies tantum conuertentes iterũ requirite eũ,* &c. Vtinã videremus homines pęnitentes scelerum, quod Baruc. ait seruare, vtinam conuersi ad Deum conatum illũ, & ardorem millies superarent, quo seruiebant mundo, & peccato, sed *humanum dico,* vtinam eo ardore Deo seruiãt, quo seruierũt mũdo.

Cur Petrus sæpius rogatus fuerit.

D. Ambro.

Isai. 40.

D. Gregor.

D. August.

Ad Rom. 6.

D. Gregor.

Præterita vitia longe superanda sunt virtutibus.

D. Bern.

Baruc. 4.

Sexto, ter examinatur Petrus, vt intelligamus amorẽ nostrum erga Deũ, & proximum, virtutes, bonaq; opera diligenter esse examinanda. Exod. 30. Iubet Dominus aromata in tenuissimũ redigere puluerem. aromata autẽ odorifera virtutes adumbrant, & bona opera quæ tunc in puluerem cogitatione rediguntur cum rectè examinãtur.

Examinanda sunt opera.

Exod. 30.

D. Gregor. D. Greg. in fine lib. 1. Moral In tenuissimum, inquit, puluerem aromata vniuersa conterimus, cum bona nostra quasi in pilo cordis, occulta discussione tundimus: etsi veraciter bona sunt, subtiliter retractamus. Aromata i puluerem redigere, est virtutes recogitãdo terere, & vsque ad subtilitatem occulti examinis reuocare, &c. Eodem loco idem examen significari ait illis verbis Leuit. 1. *Detracta pelle hostia artus in frusta concidant*, &c. Pellem, inquit, hostiæ detrahimus, cum à mentis nostræ oculis superficiẽ virtutis amouemus. cuius artus in frusta concidimus cum distinguentes subtiliter eius intima, membratimq; cogitamus, &c.

Christus post pœnitẽtiam Petrũ ad sũmam dignitatem extulit. Ad hæc obseruandum est Christum Petrum post pœnitentiam ad summã Ecclesiæ dignitatem euexisse. *Arnob.* Arnobius Psal. 138. Christus, inquit, ter negatus, negatori suo quam solus habuit tribuit potestatem, vt non solum recuperasse quod amiserat probaretur; verum etiam & multo amplius pœnitendo quam negando perdiderat acquisisse, &c. *D. Ambro.* Et D. Ambros. serm 46. Antequã, inquit, fleret Petrus lapsus est, posteaquam fleuit erectus est, & qui ante lachrymas præuaricator extitit, post lachrymas pastor assumptus est, & alios regendos accepit, qui prius se ipse non rexit, &c. *D. Chrisos.* Chrysos. hom. 8. ad popul. Antioch. de pœnitẽtia, post grauem casum, rursus Petrum ad priorẽ reduxit honorem pœnitentia, & ei per totum orbem terrarum Ecclesiæ præsidentiam tradidit: & quod omnibus maius est, illũ nobis maiorẽ omnibus Apostolis in Dominũ habere charitatem ostendit, &c. *Deus pœnitentiũ peccata obliuiscitur.* Ne ergo animũ abiiciat verus pœnitens, magno animo virtutis iter aggrediatur, ipsos innocentes superare potest amore in Christum. Illud nón est tacendũ Christum nullam Petro mentionem fecisse negationum. *Euthym.* Nam vt ait Euthymius Matthæi 28. in fine; Non meminit Dominus malorum, eorum qui resipiscunt, &c.

Curæ mundi abiiciendæ. Denique verba illa Domini, *Quid ad te? tu me sequere*, docent nos omnes mundi huius caducas res obliuisci, illisque post tergum reiectis Christum vnum aspicere, & sequi. *Quid ad te*, Christiane? quorsum caducas mundi res curas? me sequere quæ ad te non pertinẽt curare omitte, cura cælestia, cura quæ ad animæ salutem spectant, cura etiam moderatè, quæ ad corpus seruandum, opus sunt: cætera quid ad te? tu me sequere. præcellentissima res est Christum sequi, expeditè sequẽdus est (quantum homini permittit status) expeditè autem tunc illum sequimur, cum omnibus mundi curis nuntiũ remittimus, illiusque vestigia, quibus insistamus diligenti cõsideratione inspicimus, Gen. 19. *Salua animam tuam, noli respicere post tergum*, &c. *Gen. 19.* Idem nobis dicitur. Age tuum negotium omne superans negotium: salua animam tuam, hanc vnam rem cura, & ante oculos habe. sequere Christum, noli respicere post tergum in res caducas. Noluit sibi frenum adhibere vxor Loth, curiositate ducta retro conuertit caput, vt videret, quid ciuitati contigisset, vnde egressa erat; in statuam verò salis conuersa, pœnas dedit. Adhibendum frenum ori, adhibendum cogitationi, ne in aliena inquirentes facta, aliquando pœnas luamus. *D. Grego.* D. Grego. hom 36. in Euang. Graue, inquit, curiositatis est vitium; quæ dum cuiuslibet mẽtem ad inuestigandam vitam proximi exterius ducit, semper ei sua intima abscõdit, vt aliena sciens, se nesciat, &c. *Curiositatis vitium.* D. Bern. de gradibus humilitatis; Vere, inquit, si te vigilanter homo attendas, mirum est, si ad aliud vnquam intẽdas, &c Intendamus nobis, sciamus nos, aliena quid ad nos? Multum quidem attinent ad nos, aliena proximi mala siue bona; vt bonis lætemur, malis doleamus, remediumque adhibeamus: hoc charitas postulat. Nunc vero de curiositate agitur. Illud obseruandum quod Dominus dixit D. Catharinæ Senensi, vt ait D. Ant. §. 4. in eius vita; Cogita de me, quod si facies, ego cogitabo de te, &c. Cogitemus de Deo, Deus cogitabit de nobis. Vitam proximorum non inquiramus curiosè.

CAP.

CAPVT VI.

De apparitione Christi in monte Galilæa.

MATTHAEVS CAPITE XXVIII.

VNdecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem, vbi constituerat illis IESVS. Et videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt. Et accedens IESVS locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Eũtes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis: Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.

Abierunt in Galilæam.

Promisit Dominus discipulis se post resurrect. eos præcessurũ in Galilæã.

DIxerat Dominus discipulis, ipsa nocte, quam crux est consecuta; Matthæi 28. Et Marc. 14. *Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Et Matth. 28. fœminis dixit: *Nũtiate fratribus meis, vt eant in Galilæã, ibi me videbunt* Angelus quoque. *Dicite,* ait, *discipulis quia surrexit: & ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis,* &c. Præcessit quidem Dominus discipulos in Galilæam: sed prius illis apparuit in Ierusalem, ipsa resurrectionis die, & post dies octo. Quia enim de resurrectione dubitabant, & in Ierusalem manebant; nondum in Galilæam profecti, opus fuit in Ierusalem eis se cernendum exhibere; vt in Galilæam proficiscerentur, ibique eum viderent. Apparuit autem in Galilæa Petro, & aliis piscantibus vt diximus, postea omnibus Apostolis in monte quodam. De hac apparitione solus scripsit Matthæus. Fuit autem celeberrima, & à Christo illis verbis indicata: *Præcedam vos in Galilæam,* & illis *Nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt,* &c. Cæteris apparitionibus non assignauit Christus locum; subitò, & inscijs discipulis apparuit; huic montem assignauit. *Abierunt,* inquit, *in Galilæam in montem, vbi constituerat illis Iesus,* &c. Quando cõstituerit, dubiũ est. Euthy. putat Christum ante mortem montem assignasse, vel p mulieres Apostolis significasse. Probabile hoc est. Cũ enim Dominus dixe-

dixerit; *Praecedam vos in Galilaeâ*. Oportuit indicare locum vbi eum essent cõspecturi, à mortuis excitatum. Non caret probabilitate, post resurrectionem montem demonstratum.

Cur autem huic apparitioni, & non aliis locum designarit, quaeritur. Respondendum videtur, hanc apparitionem fuisse celeberrimam, omnibusq; Christi discipulis communem. Oportebat ergo locum sciri, quò erant conuenturi; ideo designauit Dominus mõtem. Fuisse autem celeberrimam hanc apparitionem dicimus, quia verisimile est illam fuisse, de qua Apostolus 1. Cor. 15. *Visus, inquit, est plusquam quingentis fratribus simul*, &c. Erat.n. mons locus aptus tantae multitudini. Fuisse etiam celeberrimã probat praedictio Domini. ideo enim toties dictum est discipulis, venirent in Galilaeam, nulla facta mentione aliarum apparitionum & locorum quoniam haec fuit apparitio celeberrima, quâ plurimis apparuit, in Galilaea, quia Galilaei erant. si Dominus vndecim tantum Apostolis sese demonstrare voluisset, domi id facere potuisset. At vero quia magnae multitudini volebat se rediuiuum ostẽdere; montem elegit. Oppones Matthaei verba: *Vndecim autẽ discipuli abierunt in Galilaeam, in montem vbi constituerat illis Iesus*, &c. de Apostolis solũ mentionem facit; ergo non interfuerunt alii. Respondetur, fecisse solum mentionem de Apostolis, quia his constituerat Dominus montem; & hi erant resurrectionis designati testes. non tamen negasse alios quoque ex discipulis interfuisse, qui Apostolos secuti sunt ab illis vocati, & certiores facti resurrectionis Christi. Rogabit aliquis, quisnam fuerit mons Galilaeae, in quo visus est Dominus. Probabiliter fuisse videtur mons Thabor, in quo est transfiguratus. Resurrectionis suae similitudinem in eo ostenderat adhuc mortalis: nunc iam immortalis, resurrectionem ipsam, & immortalitatem patefacit. fuisse autem montem Thabor, putat Magister hist. Acto. 1. Lyranus, Dionys. Carthus. D. Bonauent. in medit. vitae Christi cap. 94. & alii.

Fuit celeberrima haec apparitio.

Mons Galilaea Thabor.

Existimarunt nonnulli partem montis Oliueti dictam esse Galilaeã, quod Galilaei Ierosolymam venientes ad celebrandos festos dies, ibi manere solerent. Qua de re sic scribit Soarius Episcop. Conimb. qui loca sancta Ierusalem explorauit, Marci 16 Non est, inquit, accipiendum, in Galilaeam Prouinciam praecessurum Christum, sed in montem, qui vicinus est monti Oliueti. Cum enim venitur in vallem Iosaphat, sunt tres praeeminentes montes, mons scilicet Oliueti in medio caeteris praeminens, mon Galilaeae, & alter mons à dextris montis Oliueti. In montem Galilaeae fecerunt Galilaei domum amplam ad permanendum, quando Ierusalem negotiorum causa venissent; vnde mons dicitur Galilea vsque in hodiernum diem. Ad hunc montem Dominus praedixit se praeuenturum Apostolos: haec ille. Caret probabilitate opinio repugnat illi Matth. Discipuli, inquit, abierunt in Galileã, in montem, vbi constituerat illis Iesus, &c. abierunt in Galilaeam Prouinciam; & in montẽ eiusdem Prouinciae, quem illis indicauerat Dominus. non ergo erat mõs prope Ierusalem, siquidem in Galilaeam abierunt discipuli.

Quidam dubitauerunt.

NVmquid ex Apostolis vndecim, dubitauerunt in monte Thabor aliqui, de Christi resurrectione? Minimè quidem dubitauerunt. Iam enim in Ierusalẽ Dominum viderant, & à mortuis excitatum esse crediderant. At verò Matthaeus quosdam dubitasse ait. Respondent aliqui, hos qui dubitarũt, non fuisse Apostolos, sed ex aliis qui apparitioni interfuerunt; & tunc primum Christum ab inferis viderũt excitatum Sed aduertẽdum est, Mattheũ coeteras omnes apparitiones, de quibus hactenus egimus, silentio praeteriisse; hanc solum in Galilaeae monte factam cõmemorasse, voluisse verò mentionem facere dubitationis Apostolorum, quae ante hanc fuerat apparitionem.

nem. Ideo dixit: *Quidam autem dubitauerũt*: videlicet ex vndecim; hos enim solos commemorauit. De iis ergo verba sunt intelligenda. *Dubitauerunt*, inquam, non in monte, sed antea in Ierusalem. Si obiicias; Apostoli in Ierusalẽ omnes dubitauerunt, Lucæ 24. *Existimabant se spiritum videre*, &c. Respondetur, loqui Matthæum de Thoma, qui valde dubitauit, & vti numero multitudinis pro singulari; adde forsitan, aliquot alios conspecto Domino dubitasse, sed postea credidisse. Vel dicamus loqui de Apostolis etiam aliquibus, q viso Christo putarunt se spiritum videre: non enim ait Lucas omnes id putasse. Petrus namque non dubitabat, quia iam Dominum viderat, neque dubitabat Ioannes, qui iam Dominum resurrexisse crediderat, vt supra vidimus.

Data est mihi omnis potestas.

QVæritur, quando data est potestas omnis Christo? videtur data ante hoc tempus. ait enim Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*. Et Ioan. 13. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*, &c. Cur ergo nunc post resurrectionem ait datam sibi potestatẽ, quã iam habebat? Numquid id datur, quod possessione pacifica iam possidetur? Respondemus, hanc potestatem accepisse filium Dei à Patre per æternam generationem. Secundum verò humanitatem ipso conceptionis puncto illi data est, propter admirabilem naturæ humanæ cum diuina vnionem. Quãobrem ait Matthæ 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, & Ioan. 13. *Sciens quia omnia tradidit ei Pater in manus*. Præter hæc data est potestas oĩs Christo, propter meritum passionis & crucis, iuxta illud Pauli ad Philip. 2. *Propter quod & Deus exaltauit illum*: sensus ergo verborum hic est: Data est mihi Deo potestas omnis à Patre per æternam generationẽ, mihi homini data est, propter vnionem hypostaticam, & propter meritum passionis, & crucis. Post passionem verò & resurrectionem, traditam sibi ait potestatem, id est, post merita. Præterea, quia discipulos in orbem legatos mittebat, potestatem se ad mittendum amplissimam habere ostendit. Potestatem nimirum Dei.

De potestate data Christo.

Euntes ergo docete omnes gentes.

LEgatos instruit; quò ituri sũt, quid facturi docet. ire iubet in totũ terrarum orbem, omnes peragrare nationes. Baptizare iubet non Iudæos solũ, sed omnes etiam gentes. Baptismi pręscribit formam; *Baptizantes*, inquit, *eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. quibus verbis sacrosanctæ Trinitatis mysterium admirandũ aperit. Tres personas distinguit; primo loco Patrẽ, quia prima persona est; secundo Filiũ, quia secunda; tertio, Spiritum sanctum quia tertia, nominat. Neque verò dixit, *Baptizantes eos in nominibus*, sed, *in nomine*, quia vna tantum est diuina Essentia, vnus tantummodo Deus. Præterea Apostolis præcipit, vt non solum fidem, sed mandatorum etiam doceãt obseruantiam. *Docentes*, inquit, *eos seruare omnia, quæcumque mandaui vobis*, &c.

Mittit Christus in orbem discipulos.

Formã Baptismi Christus tradit & Trinitatis mysterium aperit.

Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.

POllicetur Apostolis Dominus, & Ecclesiæ suæ, præsentiam suam & auxilium, vsque ad finem sæculi. Theophyl. Cõfirmat, inquit, & animat Apostolos; eo quòd mittat ad gentes, & in mortem, ac pericula, dicens, *ecce ego vobiscum sum*, &c. Pauperes erant Apostoli, ad peragrandum orbem, docendasque omnes nationes parũm idonei, idcirco auxilium eis suum promittit. Discedo à vobis discipuli, secundum carnem; at secundum diuinitatem semper

Christus nobiscum est vsq; ad sæculi finem.

Digitized by Google

per vobis præsens adero, opem vobis feram vbicumque gentium fueritis. Mea præsentia fulti, & auxilio, animosè munus hoc aggredimini, in meis oculis, meaque præsentia cuncta agetis. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus. Neque solum vobiscum ero, sed cum posteris etiam vestris, & cum Ecclesia, quam ex omnibus gentibus mihi congregabitis. Vobiscum ero & cum successoribus vestris, eorumque ouibus, vsque ad consummationem sæculi. Prius mundus hic esse desinet, quā desinat præsentia mea in Ecclesia mea. Vos Ecclesiam visibiliter, ego inuisibiliter gubernabo.

CAPVT VII.

Morale.

De apparitione Christi in monte Galilææ.

Data est mihi omnis potestas.

NVllius regis potestas est maior, quam nostri regis. Arctissimis terminis terrenorum regum regna concluduntur; terræ enim partem aliquam complectuntur, quæ pūctum est, si cum cælo conferatur. Nostri sūmi Regis regnum, terram vniuersam, vniuersumque complectitur cælum. *Data*, inquit, *est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Rex est omnium regū, & omnium regnorum in terra, rex est omnium Angelorum, & beatorum hominum in cælo. Viderat orbis homines multos, qui potestatem haberēt in terra: at hominem nullum viderat, qui haberet potestatem in cælo. *Nouum fecit Dominus super terram.* Ecce homo qui potestatem habet, & omnem potestatem habet, quæ haberi potest in terra, & in cælo. Hic Rex ille est, de quo Matthæi 8. homines mirantes quærunt: *Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?* &c. Terrenorum regum mandata rident venti, ridet mare: etsi vsq; ad rauim reges clament, non obtemperabunt venti, vel fluctus. At nostri regis minimo nutui mox obediunt. Hoc ostendit Anglorum Rex Canutus, cum vanas potentiæ suæ laudes vellet cohibere. Deambulabat in littore Oceani, tum superiniectæ insidens vesti, vndæ sic imperauit. Vnda, inquit, iubeo ne pedes meos tangas. illa vero surda aure præceptum regis accipiens, regem madefecit. qua re ostendit quam parua sit hominib. potestas data. At Christo homini & Deo omnis potestas data est, in cælo, & in terra.

De summa potestate quæ Christus meritus est.

Hanc tantam potestatem per crucē meritus est. Voluit autem illam mereri, quia satius est, honorem per meritū habere, quam sine merito datum, vt docet D. Thomas 3 p. quæst. 19. art. 3. Audiant qui honores & potestatem cupiunt in republica. præcedant merita, sequatur potestas. Audiant qui potestatem, & honorem iis qui indigni sūt, tribuunt, prætermissis dignis. Absque verecundia ille dicere potest, *Data est mihi potestas*, qui merita habet: suffundatur pudore. qui indignus potestate fungitur; quique dignissimis prætermissis, indignis eam cōfert insignia Christi quinque sunt vulnera, quæ in cruce pertulit; horum meritis egregiè addūtur verba hæc: *Data est mihi omnis potestas*: videlicet propter vulnerum merita. Magna equidē sunt patientiæ merita; ideoque sancti viri pati desiderāt. Christus Dominus vt D. Anton. narrat in vita D. Cath. Sen § 5. sic Virginem allocutus est: Ego licèt potuissem potestates aereas adnihilare, & aliam viā tenere vincendi: tamen per humanos actus meos volens exemplum dare, nō nisi per viam crucis volui ipsas vincere. Vt vos docerem, quod si fortes vultis esse ad vincendum Dæmones, crucem accipiatis pro refrigerio vestro, sicut & ego feci, &c. Deinde addit D. Anton. Nulla res exterior D. Catharinam tantum in hac vita refrigerabat, quantum passiones, & tribulationes; sine

sine quibus impatientissimè stetisset in corpore, sed propter has sustinendas libenter portabat coronæ cælestis dilationem, &c.

Obserua egregiam consequentiam: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra: Eūtes ergo docete omnes gentes*, &c. Vtitur Dominus potestate in bonum subditorum. Data est illi omnis potestas in cælo: præcipit discipulis vocare homines, vt in cælo æterna illos gloria donet. Data est illi omnis potestas in terra; iubet baptizare, & docere terræ habitatores, & cælestis gratiæ participes facere. O potestatem beneficam? poterat Dominus hanc meritò facere consequentiam; *Data est mihi omnis potestas*; euntes ergo eos, qui me affixerunt cruci, priuate vita, incēdite ciuitatem, Iudæam æquate solo. At non hanc fecit, sed beneficentissimam. Hæc est prudentis & probi viri consequentia: data est mihi potestas, datus est Præsulatus, datum Ecclesiasticum beneficium, datum sæculare officium: oportet ergo beneficium, esse in omnes, omnibus miseris opem ferre, nulli nocere, omnibus prodesse. At viri ignaui & imprudentis consequentia est; Data est mihi potestas; datum Ecclesiasticum beneficium, datum sæculare officium; ergo anima mea requiesce, comede, epulare, &c. Boetius lib. 4. de consolation. prosa. 2. Duo, inquit, sunt, quibus omnis humanorum actuum constat effectus, voluntas, ac potestas. quorum si alterum desit; nihil est quod explicari queat, &c. Duo hæc habet Christus, omnem potestatem, & voluntatem. ideòque quidquid vult, potest facere. non tamen quidquid potest, vult. Cum ergo voluntas illius sit beneficentissima, quænam cōsequentia ex ea emanare poterat, nisi beneficentissima? Qui bonam potestatem habet, & malam habet voluntatem, malas etiam facit consequentias. Habeo potestatem, ergo vltionem de inimico meo sumam; ergo adulterium committam; ergo pauperi bona sua eripiam. Qui habet potestatem bonam, & bonam habet voluntatem, bonas facit consequentias: habeo potestatem, ergo viduis, orphanis, pauperibusque opitulabor; ergo iustas sententias feram; ergo munera non accipiā, quibus corrumpar, &c. 2. Cor. 13. ait Apostolus, *Potestatem Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem*, &c. Si Dominus dederit tibi potestatem; in ædificationem, non in destructionem ea vtere, ædifica, caue ne destruas: primum enim te ipsum destrues.

Vsus est Dominus potestate in commodū subditorū.

Boetius.

Vtendum potestate, non abutendum.

2. Cor. 13.

Docete omnes gentes.

AN *Iudæorum Deus tantum? nōne & gentium? imò & gentium*, &c. Ad Rom. 3. ait Apostolus. Quia ergo gentium Deus erat Christus, gentes vocari iubet; Ante Christum non sunt vocatæ, neque legem aliam præter naturalem acceperunt, quia Christo, non Mosi, vel Prophetis hæc seruabatur dignitas. Lex vetus vni populo, vnique nationi data est; lex vero Christi omnibus populis, omnibusque nationibus lata. *Docete*, inquit, *omnes gētes*. Pro omnibus gentibus crucis mortem subiit. ad omnes gentes dulcissimæ arboris fructus mittit. Per Verbum Dei factus est mundus, & per Verbum Dei, & per verba Apostolorū diuina refectus est & saluatus Iuxta illud Iacobi. 1. *Suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras*, &c. Ad Romanos. 1. de Euangelio loqoens Paulus. *Virtus*, inquit, id est, potentia Dei, *est, in salutem omni credenti, Iudæo primum, & Græco*; id est, gentili. Auditum enim Euangelium, & creditum, operique mandatū, salus est credentium. Quod si audias, & credas, non tamen operi ea mandes quæ docet, salutem minimè consequeris. *Docentes eos*, inquit Dominus, *seruare omnia quæcumque mandaui vobis*, &c. Addit Paulus: Iudæo primum, & Græco; quoniam primum Iudæis prædicatum est Euangelium; postea gentibus. Ex Iudæis quibus promissus Messias erat & Euangelium, multi illud receperunt; alii cæco corde repulerunt, extremo tempore omnes illud complectentur. Sed vnius pogelli

Gentes vocari iubet Dominus.

pelli in locum, vocatæ sunt gentes innumeræ, quæ Iudæis dominabātur, hodieque vocantur: cælestique lumine collustratæ Christum colunt, colentq; in sempiternum. Vnde Aggæi 2. dicitur, *Desideratus cunctis gentibus*. De his libro sequenti dicimus.

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Baptismus ianua Ecclesiæ.

Legis veteris Ianua cultrum habuit acutum, quo Iudæorum scindebatur præputium: legis autem nouæ ianua, aquam habet suauissimam, quā dū corpus abluitur, anima ab omni peccato emundatur. Iudæi, per circumcisionem intrabant: Christiani intrant per Baptismum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, administratam. Circuncisio in parte quæ inseruit ad generationem hominum data est, quia signum erat nasciturì Messiæ ex generationibus Iudæorum, non tamen per generationē viri, sed Spiritus sancti opera. Baptismus verò in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti datur; quoniam in Ecclesia Sacrosancta Trinitas cognoscitur, & adoratur. Abluitur corpus aqua; abluitur animus à peccatis; à quo autem tantum accipiat beneficium, verba hæc demonstrant; *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sācti*. Abluitur enim anima a Deo trino atq; vno. Non est vulgatum tantum mysterium in lege veteri; Messiæ vulgandum seruabatur, id ille in ipsis Ecclesiæ forib. id est, Baptismo affixit, vt omnibus pateret. *Baptizantes*, inquit, *eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Personas tres apertissimè distinxit. Primam, Patrem nominauit; secundam, Filium, qui à Patre, æterna oritur generatione; tertiam, Spiritum sanctū, qui à Patre Filioque producitur; *In nomine* autem dixit; non in nominibus; vt vnicā trium personarum indicaret essentiā. Materiam tradidit Baptismi, videlicet aquam, *Baptizantes*, inquit, id est, abluētes eos. Tradidit formam; *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: hæc Ecclesiæ ianua est, per hanc intrant Christiani. Psal. 117. *Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam*, &c. Baptismus porta Domini Christi est. Intrant in eam iusti, quia intrantes iustitiam comparant, singulari Dei beneficio, & iusti fiunt. 3. Reg. 7. *Fecit Salomō mare fusile, & stabat super duodecim boues: è quibus tres respiciebant ad Aquilonem, & tres ad Occidentem, & tres ad Meridiem, & tres ad Orientem, & mare super eos desuper erat*, &c. Ait Dominus, *Euntes docete omnes gentes, Baptizantes eos*, &c. En tibi Apostolos duodecim, boum duodecim imaginibus significatos. In quatuor mundi plagas, Orietē, Occidentem, Aquilonem, & Meridiem boues respiciebant; quia Apostoli in mundum vniuersum missi sunt. Portabant boues mare aquarum. Portarunt per totum orbem Apostoli mare Baptismi, in quo vniuersa demerguntur. *Baptizantes eos*, &c.

Dum corpus aqua, animus à peccatis abluitur in Baptismo.

Baptismi materiā & formā tradit Dominus.

3. Reg. 7.

Docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis.

Non satis est Baptismus, non satis est in Baptismo suscepta fides; addere oportet mandatorum obseruātiam. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum*, ad Rom 2. *Sed factores legis iustificabuntur*, &c. & Iacob. 1. *Estote factores verbi, & non auditores tantum fallentes vosmetipsos*, &c. Gen. 27. *Vox quidem vox Iacob est, sed manus, manus sūt Esau*, &c. Cōgruit hoc multis, quorum vox Ecclesiæ est, & Apostolorū; quidquid enim Ecclesia, & Apostoli docuerunt, credunt, & profitentur. At manus manus sunt Esau, hispidæ, pilosæ, non bonis, sed malis operibus plenæ. Iacobi 2. *Abraham Pater noster, nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suū super altare? Vides quoniā fides cooperabatur operib. illius, et ex operib. fides cōsūmata est*, &c. Imperfecta fides est immò mortua, vt ait idē Apostolus Iacob. eodem capite, si operibus caret. Ex operibus autem perficitur, & cōsummatur. Imperfectum est ædificium, quod solū habet

Rom. 2.

Non est satis fides: necessaria est mandatorum obseruatio.

Gen. 27.

Iacob. 2.

Simile.

habet fundamentum: perficitur, cum parietes & tectum adduntur. Eundem in modum imperfecta est virtutũ ædificatio, si sola adest fides velut fundamentum: tunc consummatur, cum virtutes reliquę instar parietum, & excelsa charitas cum operibus, velut tectũ adiunguntur: sine tecto, & parietibus, non defendit hominem ab iniuriis aeris, domus fundamentum. Sic sine charitate, & operibus, non defendit Christianum ab iniuriis Tartari, fides. Egregium iecit fidei fundamentum Abraham: neque vero fundamento contentus est. Charitatem addidit; & præter alia multa, opus charitatis eximium, filium suum vnigenitum Isaac, iubente Deo, voluit immolare. hoc opus ardẽtis fidei, & charitatis fuit. Idem Sancti viri omnes fecerunt, fidem suam præclaram præclarissimis operibus exornarunt.

Abraham, fidei charitatem adiunxit.

Illud præterea aduertendum est, nõ esse satis mandata seruare aliqua; sed oportere seruare omnia. *Docentes*, inquit, *seruare omnia quæcumque mandaui vobis*, &c. Zacharias Baptistæ Pater & Elisabeth. Luc. 1. *Incedebant in omnibus mandatis & iustificationib. Domini*, sic Christianus incedat in via Domini, non in aliquibus solum, sed in omnib: præceptis Domini, Psal. 118. *Ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui*, &c. Omnia mandata Dauid obseruare conabatur, oia quoque quæ mandatis Dei aduersantur, habebat odio. *Omnẽ*, inquit *viam iniquã odio habui*. Seruus bonus, voluntati Domini sui cupit obsequi: sic bonus Christianus, voluntati Dei omni cupiditate desiderat obedire. Cum ergo voluntas Dei in mandatis eius cernatur, omnia mandata eius seruare conatur: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra*, optimus à Deo in oratione Dominica. In cœlo fit perfectissimè, ab omnibus beatis Angelis & hominibus. Sit terra similis cœlo, fiat in terra quoque & in terrenis hominibus voluntas Dei perfectè, ita vt nullum frangatur præceptum tanti Domini.

Luc. 1. Seruare oportet mandata, & quidẽ omnia: Psal. 118.

Mandata sunt Dei, *Docentes*, inquit, *seruare omnia quæcũque mandaui vobis*. Considera, quis mãdauerit: quisnam hæc pcepta tradidit? Deus tradidit, cui & corpus, & animã & vitam debemus; & bona omnia quæcumque habemus. Deus tradidit, summus Dominus, cuius serui omnes sumus. Deus tradidit summus iudex, qui seruantibus mandata, æternæ vitæ præmia confert, frangentibus æterna tormẽta infert. *Docentes*, ait, *seruare omnia quæcumque mandaui vobis*; ego Deus & iudex vester, qui pro vobis cruci suffixus sum. ò homines igratos, ò seruos improbos, qui tanti Domini tamque benefici mandata negligunt, vt immũdissimæ dominę carnis, mãdata faciãt: soluet illa mercedem flãmmas sempiternas. O beatos illos seruos, qui volũtatem faciũt Domini sui optimi ac beneficentissimi: soluet ille mercedem in cęlo gloriam sempiternam. Qui volũtatem Dei in terra fecerit paucis vitæ diebus; voluntatem suam faciet in cælo in sempiternum. Qui voluntatem Dei non fecerit exiguo vitæ tempore in terra; voluntatem suam in orco nõ faciet in sempiternum. Psal. 118. *Tu mãdasti mandata tua custodiri nimis*, &c. Tu, inquit, Dominus, tu Deus, tu iudex summus, mandasti voluntatem tuam & mandata tua *custodiri nimis*; Nimis ergo custodiẽda sunt Dei præcepta & voluntas, hoc est magna cum diligentia, cura, ac solicitudine, & magna voluntate. Vide Dauidis solicitudinem eodem Psal. *in toto corde meo scrutabor mãdata tua*, &c. Qui in toto corde mãdata scrutatur vt seruet, magna solicitudine seruat. magnam quoque solicitudinem illa verba indicant eiusdem Regis: *Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ*, &c.

ideo summopere seruanda.

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi.

Mittebat Dominus in mundum vniuersum homines pauperes, nullisque mundi præsidiis instructos; mittebat oues inter lupos, vt alibi dixit Matthæi 10. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio*

medio luporum, &c. Quod oues facere possunt inter lupos; aut facere potuissent Apostoli inter gentes, si cælesti caruissent auxilio. Neque oues conuertere possunt lupos in oues, neque Apostoli conuertere possent gentes in populum Dei. Mutatio hæc est dexteræ Excelsi. Ideò dexteram suam, & auxilium suum ouibus pollicetur, vt lupos possint mutare in oues. *Ecce*, inquit, *ego Deus vobiscum sum*: ne timeatis luporũ vim, ne timeatis gentium feritatem, ego vobis adero, auxiliumque semper feram, quo audiuti victoriam reportabitis oues duodecim de innumeris lupis. Iere. 1. ait Dominus: *Ego dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnã ferream, & in murum æneum, super omnem terram: & bellabũt aduersum te & non præualebunt. Quia ego tecum sum, ait Dominus, vt liberem te*, &c. Dei auxiliũ Apostolos reddidit similes munitis ciuitatibus, quæ ab hostib. capi non possunt; reddidit columnas Ecclesiæ ferreas, & muros æreos super omnem terram. Bellarunt aduersus eos tum Dæmones, tum homines, sed non præualuerunt. Cur? quia, *Ecce ego vobiscum sũ*, ait Dominus. Psal. 123. *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis, cum exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutissent nos*, &c. Nisi cum Apostolis fuisset Dominus, viuos velut oues deglutissent lupi: at truculentos lupos oues imbecilles deglutierũt. Vnde hoc? quia Dominus erat in illis, & cum illis. D. Prosper lib. 2. de vocatione gentium ca. 2. sic Christi verba exponit; Cum sicut oues, inquit, introieritis in mediũ luporũ, nolite de vestra infirmitate trepidare, ò discipuli; sed de mea potestate confidite, qui vos vsque ad consummationem sæculi in hoc opere non derelinquam. Non ad hoc vt nihil patiamini; sed (quod multo maius est) præstiturus, vt nulla sæuientium crudelitate superemini, &c. Non fuit Dominus cum Apostolis, vt fuit cum adolescentibus in fornace Babylonis, ita vt ab omni illos labore, & cruciatu liberaret, sed (quod maius est) fuit cum illis vt & gentes conuerterent, & persecutiones, ac cruciatus, mortemque tolerent.

Psal. 123. Christus semper Apostolis adfuit, eisque auxiliũ tulit.

Non illis solum sed toti Ecclesiæ hæc facta est promissio. Non enim Apostoli vsque ad sæculi vixere consummationem; viuet autem Ecclesia. Permanebit Ecclesia in terris vsque ad finem mundi; cum ea verò & Christianis, Christianus erit semper, semper eam tuebitur, semper gubernabit, semper inter fluctus persecutionum, turbinesque procellarum illi aderit. Quamobrem *portæ inferi non præualebunt aduersus eam*. Ezechielis 48. *Nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem*, &c. Hoc est nomen Ecclesiæ; *Dominus Deus ibidem est*, ibidẽ cum Christianis habitat eos protegens, præsidioque defendens suo vsque ad consummationem sæculi. Isaiæ 7. *Vocabitur nomen eius Emmanuel*, &c. Appellatur Christus *Emmanuel*, id est, *nobiscum Deus*; quoniam nobiscum est vsque ad finem mundi. Zachariæ 2. *Ego ero ei*, id est, Ecclesiæ (ait Dominus) *murus igneus in circuitu, & in gloria ero in medio eius*, &c. Murus igneus in circuitu Ecclesiæ dicitur Dominus; quia illam defendit instar muri. Est autem in medio eius in summa gloria; quia ab omnibus Christianis colitur, & adoratur.

In Ecclesia Christus est vsque ad finem mũdi.

Ezech. 48.

Isai. 7.

Zach. 2.

Intelligenda sunt verba hæc, non solum de præsentia diuinitatis; sed etiam de præsentia humanitatis Christi in Ecclesia, vsque ad finem sæculi. Augustissimam enim Eucharistiam significant: *Ecce*, inquit, *ego vobiscum sũ in Eucharistiæ Sacramento*, præsens diuinitate, & humanitate, vsque ad consummationem sæculi. Non enim deerit Augustissimum hoc Sacramentum vsque ad mundi finem, quidquid Hæretici Satanæ ministri moliantur. Quẽadmodum in cælo est Christi humanitas, cum diuinitate coniuncta, coliturque, & adoratur in cælo à beatis Angelis, & hominibus: ita eandem humanitatem cum diuinitate coniunctam, voluit in terris esse, & ab hominibus qui in terra degunt in terra coli, atque adorari. In cælo perspicuè tam diuinitas, quàm humanitas cernitur; in terris

In Eucharistia Christus vere nobiscũ est, vsque ad consummationem sæculi.

terris tam diuinitas, quam humanitas occultatur; cœlum enim beatitudinis locus est, & visionis perspicuæ, terra autem locus est fidei, & visionis obscuræ, quæ meritum cernentibus affert.

CAPVT VIII.

De apparitione facta discipulis discumbentibus.

MARCVS CAPITE XVI.

NOuissime recumbentibus illis vndecim apparuit; & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderũt. Et dixit eis: Eũtes in mundum vniuersum prædicate Euãgelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient: linguis loquentur nouis: serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manuus imponent, & bene habebunt.

Nouissimè recumbentibus illis vndecim.

DIuus Marcus tres tantũ apparitiones Christi memoriæ prodidit, primò ait apparuisse Magdalenæ; addit apparuisse duobus discipulis iter faciẽtibus in Emmaus; sequitur: *Nouissimè recumbentibus illis vndecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia ijs qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt*, &cæt. Quæritur, an fuerit hæc apparitio nouissima ipso die Ascensionis? D. August. lib. 3. de consensu Euangel. capit. 25. in ipsum diem Ascensionis putat incidisse. hęc est communis sententia, D. Greg. homil. 29. in Euangel. Beda Marc. 16 D. Bern. ser. 1. de Ascens. D. Ant. 1 p. hist. D. Bonauent. Vtriusque glossæ, Lyrani, & aliorum. Adde hoc Euangelium in ipso die Ascensionis ab Ecclesia decantari. Ex communi ergo sententia Christus antequam in cœlos ascenderet, discipulis apparuit in mensa recumbentibus, id est, cumrecumbentes, pro more illius temporis prãderẽt; & exprobrauit incredulita-

An fuerit hæc apparitio nouissima i die ascẽsionis. *D. August.* *D. Gregor.* *Beda.* *D. Bern.* *D. Bonau.* *D. Anton.*

Digitized by Google

tem eorum. Post prandium eduxit eos Dominus foras in Bethaniam, vt Lucas ait, quæ sita est in latere montis Oliueti. Ex ipso autem monte in cælum ascendit.

Obijcitur. Obstat huic opinioni exprobratio incredulitatis. Non enim verisimile videtur, Christum in die ascensionis, quo à charissimis discipulis discedebat, incredulitatem antiquam iamque obliteratam, & obliuioni mandatam, eisdem exprobrasse. Consolatione ea die opus erat, non exprobratione; verbis enim dulcibus ac suauibus, qui in longinquas regiones ab amicis discedunt, vti solent; non exprobratoriis, ac molestis. Respondetur, Christum exprobrasse incredulitatem discipulis domi, cum cibum sumerent, admiscuisse præterea verba alia dulcia, & suauissima; præsertim in monte Oliueti, vnde à discipulis in cœlum discessit. Quòd si quærat aliquis, cur in discessu exprobrarit incredulitatem; *D. August.* Existimat August. id fecisse quia ad gentes Apostoli mittebantur, credituras, quæ non viderant, cum ipsi credere noluissent, priusquam vidissent. quasi diceret idem quod Thomæ; *Quia vidistis me, credidistis. beati qui non videbunt, & credent* Occasione igitur fidei gentium futuræ, de qua tunc locutus est, discipulorum increpauit præteritam incredulitatem. August. Hoc (inquit) prædicaturi Apostoli, *quoniam qui non crediderit condemnabitur*, cum id vtique non crediderit, quod non viderat: nonne ipsi Apostoli fuerant primitus obiurgandi, quòd antequã Dominum vidissent, non crediderunt eis, quibus prius apparuisset, &c. Lyranus putat obiecisse Dominum discipulis incredulitatem, vt indicaret gẽtes ad quas mittebantur, meritò à Deo esse increpandas, & damnandas, si nõ crederent. siquidem illarum doctores propter incredulitatem reprehensi sunt, cum mittebantur. D. Gregorius ait tunc reprehensos, vt verba recedẽtis, in corde audientium arctius impressa remanerent. D. Bonau. vt humiliores remanerẽt. Præterea voluit Dominus ostendere quanti fidem faceret, quantoque ab incredulitate abhorreret: voluit fidẽ discipulis omnibus, & Christianis commendare; idcircò incredulitatem exprobrat, ex qua exprobratione sequitur fidei laudatio. Qui.n. vnum contrarium vituperat, alterum laudat.

Cur Christus in discessu exprobrarit incredulitatem discipulis.

Opinantur nonnulli hanc non fuisse nouissimã apparitionẽ in die ascēsionis. Nonnulli arbitrantur Marcum hoc cap. 16. de apparitione illa loqui, qua Dominus Apostolis apparuit congregatis, cum fores essent clausæ ipso die resurrectionis, vt Ioannes testatur capit. 20. hæc est opinio Euthymii Mar. 16. Lansenii, Montani, & videtur Chrysologi serm. 83. August lib. 3. de consensu Euang. cap. 25. in eandem sententiam Marcum explanat, in superiorẽ tamen propendet. Suadetur opinio, quoniam Marcus tantum trium meminit apparitionum, primi diei quo Dominus resurrexit. quod indicant illa verba *Surgens autem mane apparuit primo Mariæ Magdalenæ*. deinde apparuisse ait discipulis petentibus Emmaus: nouissimè vndecim discipulis congregatis Quasi dicat; surgens manè Dominus, ipsa die qua surrexit, primo apparuit Magdalenæ, deinde duobus discipulis, nouissimè eadem die apparuit vndecim discipulis congregatis, cũ fores essent clausæ. Et illa die qua primum omnibus simul congregatis apparuit, exprobrauit incredulitatem eorum; quia iis qui viderant eũ resurrexisse, non crediderunt; id est, quia neque crediderunt Magdalenæ, & cæteris fœminis, neque duobus discipulis, qui ipsum viderant. Dixerat enim Marcus Magdalenam, & duos discipulos nuntiasse Apostolis se vidisse Dominum: Apostolos verò non credidisse. Quamobrem de incredulitate reprehensos scribit, opportuno tempore, videlicet; cum primum simul congregatis apparuit Dominus. Hæc vero exprobratio ad Thomam etiã pertinebat, etsi absentem.

Obiectio. Obiicit August. huic opinioni: Die quo Christus resurrexit, non apparuit vndecim Apostolis, sed tantum decẽ; aberat enim Thomas, vt ait D. Ioan. c. 20. Marcus autem affirmat Christum apparuisse vndecim. non est ergo eadem

dem apparitio. Respondet idem August. hoc pacto: Quamuis abesset Thomas, tamen dicitur Dominus apparuisse vndecim; quia tunc numerus ille erat collegii Apostolici, post Iudæ defectionem. Obiicitur præterea; Apud Marcum, Christus apparuit discipulis discumbentibus, & cibum sumentib. At verò in die resurrectionis stetit in medio eorum, vt ait Ioannes, cum nō discumberent. Respondetur, apparuisse Christum in die resurrectionis serò eo tēpore quo discipuli cęnabant; & stetisse inter eos discumbentes. Id quod præteriuit Ioannes, scripsit Marcus. Lucas verò indicauit, cum ait, Christum petiuisse cibum, & manducasse, dedisseque discipulis reliquias cibi. Oppones verba Christi. *Habetis hic aliquid quod manducetur?* &c. Si discipuli discumbebant, sumebantque cibum; quorsum Dominus an cibum haberent, interrogauit, cum cibus in mensa esset positus? Respondetur, prope cęnæ finem venisse Dominum, cum iam cibus à mensa remoueretur; propterea aliquid petiuisse quod mãducaret. Vel forsitan in illa trepidatione, cum nescirent an Christus esset spiritus qui appareret, cibum in mensa positum texerunt discipuli. ideo Christus cibum postulauit. Denique cum Christus apparuit, trepidantes Apostoli surrexerunt, mensamque & cibum reliquerunt, ideo Christus sic est locutus. Addo & aliam obiectionem, illa apparitio discipulis facta in die resurrectionis, nō fuit nouissima; Marcus autem ait, illam de qua loquitur, nouissimam fuisse. Respondetur, fuisse nouissimam illius diei, vt supra est explicatū: præterea nouissima fuit earum quas Marcus commemorauit. Obseruandum est, vocem Græcam, ὕστερον, qua vtitur Marcus, significare, *postea*, sensumque esse, nouissimè apparuit, id est, postea. Vnde non efficitur fuisse apparitionem extremam omnium.

Responsio D. August.
Obiectio.
Responsio.
Apparuit Christus discipulis cænantib.
Hæc apparitio vltima non fuit.

Est alia Caiet. opinio, Marc. 16. credit Marcū de illa apparitione loqui, cuius meminit Ioannes c. 20. cum Dominus apparuit omnibus vndecim discipulis, post dies octo, & Thomam increpauit: occasioneque inde sumpta increpauit etiam reliquos.

His qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.

QVærit D. Bernardus serm. 1. de resurrectione quinā viderint Christum resurrexisse à mortuis? Respondet, Angelos vidisse, Angeli feminis nuntiauerunt, feminæ Apostolis, Apostoli non crediderunt. Existimat enim eos hic dici vidisse Christum resurrexisse; qui ex sepulchro illum, & ex ipsa morte in vitam rediisse conspexerunt. Ii verò soli Angeli sunt. Qui fuerunt (ait Bern.) quorum beati oculi resurrectionis dominicæ meruerunt videre miraculum? Neque enim resurgentem illum quisquam legitur, aut creditur, vidisse mortalium. Restat ergo de Angelis accipiendum. Hæc ille. Veruntamen non id significant verba Marci quod D Bern. ait; sed significant Apostolos non credidisse eis, qui viderant Christum resurrexisse; id est, iam excitatum à mortuis. Viderant autem illum feminæ, viderat Petrus, viderant duo discipuli Emmaus petentes. His possunt etiam adiungi Angeli, qui eum viderunt, tum resurgētem ex sepulchro, tum postquam resurrexit.

D. Bern.

Euntes in mundum vniuersum.

DIscessurus Dominus in cælum Apostolos mittit in mundum Qua de re supra iam diximus capite superiori, & lib sequenti dicemus. Euthymius arbitratur, verba hæc dicta Apostolis in monte Galilææ. Sed fieri potest, vt sæpe à Christo sit illis datum hoc prædicandi præceptum, præsertim verò ipso ascensionis die. Neque verò illis tantum datum est, sed etiam successoribus, vt Caietanus obseruat. quibus etiam dicitur, Matthæi 28. *Ecce ego*

et ego vobiscum sum, vsque ad consummationem saeculi: vsque ad consummationem enim saeculi praedicatio durabit. *Cum autem* (vt ait Dominus Matthae. 24.) *praedicatum fuerit Euangelium, veniet consummatio. Praedicabitur* (inquit) *hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: Et tunc veniet, consummatio*, &c. Misit Dominus Apostolos Matth. 10. Sed tunc ad Iudaeos tantum misit, ad gentes & Samaritanos ire prohibuit. *In viam* (ait) *gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; sed potius ite ad oues quae perierunt domus Israel*, &c. At nunc limites tollit, non ad Iudaeos solum, sed ad omnes mittit nationes: *Euntes in mũdum vniuersum*.

Praedicate Euangelium omni creaturae.

NVmquid brutis etiam animantibus, & rebus sensu carentib praedicandum est Euangelium? cur ergo Dominus praecipit praedicari omni creaturae? Respondet D. Gregor. omnis creaturae nomine intelligẽdos homines, quia omnis creatura est in homine. Omnis (*inquit*) creaturae aliquid habet homo. Habet namque cõmune esse cum lapidibus, viuere cum arboribus; sentire cum animalibus; intelligere cum Angelis, &c. Alteram quoque reddit rationem his verbis: omni creaturae praedicate Euangeliũ, quia homo docetur, propter quem in terra omnia creata sunt, &c. Caietanus rectè sic exponit; Praedicate Euangelium omni creaturae, id est, omni nationi, omni hominum conditioni, & statui, nullam exceptionem faciendo, &c. Omnem autem creaturam homines appellari putat, vt causa explicetur, cur illis est praedicandum. Nimirum, propterea quod sunt creaturę, & opus Dei.

D. Gregor. Ois creatura cur dicatur homo.

Respondetur, Christum omnis creaturae nomine, omnes homines intellexisse; sic etiam D. Petrus epist. 1. cap. 2. *Subiecti* (inquit) *estote humanae creaturae propter Deum*, &caet. & Paulus ad Rom. 8. vt aliqui interpretantur, *omnis creatura ingemiscit, & parturit vsq; adhuc*, &c. id est, omnis homo. *Praedicate*, inquit, *Euangelium omni creaturae*, omnibus hominibus cuiuscumq; sint conditionis, & status, non solum diuitibus, sed etiam pauperibus, non solũ nobilibus, sed etiam ignobilibus, non solum sanis, sed etiam aegris, nõ solum viris, sed etiam fęminis. Vniuersitatẽ praedicationis voluit demonstrare Dominus; nullis illam limitibus circumscribit, neque mundi, neque personarum. *Euntes*, inquit, *in mundum vniuersum*; nullam excipio regionem, nullũ pagum. *Praedicate Euangelium omni creaturae*; nullam excipio personã, nullum hominem. Rogabit aliquis: quodnam Euangelium iubet Dominus praedicari; siquidem nondum erat scriptũ Euangelium? Resp. Euangelium significare bonum nuntium, vt initio huius operis dictum est: hoc autem bonum nuntium, continet filii Dei incarnationem, gesta, dicta, mandataq; praeclarissima, quae quamuis literis non essent mandata, certè Apostolorum pectoribus fuerunt inscripta, ab illisque praedicata.

1. Petr. 2. Rom. 8.

Omnibus gẽtibus, & omnibus hominibus vult Deus praedicari Euãgeliũ.

Qui crediderit, & Baptizatus fuerit, saluus erit.

MIttebantur Apostoli in orbem, vt fidem Christi viuam praedicarent, hic finis praedicationis erat, ad hominum salutem; ideo Dominus de fide agit. Praedicate (inquit) Euangelium, vt fidem viuam in cordibus hominum plantetis, velut arborẽ frugiferam, quae fructus caelestes proferat. Deinde quanti momenti sit fides, & Baptismus, aperit: salutẽ enim aeternam quam per crucem hominibus promeritus est, nemo sine fide consequetur. *Qui crediderit* (inquit) *& Baptizatus fuerit, saluus erit*, &caet. Qui fidẽ hanc receperit, & Baptismũ, praemium consequetur maximum; videlicet, salutẽ, gloriamq; in caelo sempiternam. Qui verò *non crediderit* Euãgelio, pęnas dabit grauissimas in orco, ac per-

Digitized by Google

ac perpetuas. Præmio ad credendum allicit, supplicio ab incredulitate deterret. De fide autem viua loqui Dominum compertũ est, quia fides mortua sine charitate, & operibus, nemini affert beatitudinem. Vnde D. Greg. hom. 29. in Euang. Fortasse (inquit) vnusquisque apud semetipsum dicit: Ego iam credidi, saluus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit, &cæt.

Fides sine operibus nõ est satis ad salutẽ afferendam. D. Gregor.

Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur.

SVperat Intellectum fides. nõ enim euidentibus comparatur demonstrationibus, sed autoritati innititur diuinæ. Ideoque vt in mundo altissimas radices ageret nobilissima hæc arbor, cœlestibus onusta fructibus; miraculorum irrigatio opus fuit, diuinaque signorum ex cœlo pluuia. *Signa*, inquit Dominus, *eos, qui crediderint, hæc sequentur*, &cæt. Quæritur an Dominus de omnibus qui credunt, loquatur? Respondetur, loqui solum de iis, quibus in Ecclesia datur miraculorum gratia; præsertim verò loqui de temporibus illis primitiuis, cum fides toto mundo plantabatur; tunc enim maximè necessaria fuit signorum irrigatio, vt docet D. Greg. loco citato: Hæc (inquit) signa necessaria fuerunt in exordio Ecclesiæ. Vt enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda. Quia & nos cum arbusta plantamus, tandiu eis aquam fundimus quousque ea in terra iam coaluisse videamus. At si semel radicem in terra fixerint, irrigatio cessabit. Sic ille. D. August. in lib. de vtilitate credendi capit. 16. Miracula (ait) ista, modo non fiunt, quia non mouerent nisi mira essent, at si solita essent, mira non essent, &c. Pollicetur ergo Dominus Ecclesiæ suæ miracula, cum opus fuerint, non tamen pollicetur, omnes qui crediderint, ea acturos.

Miraculis fidẽ Deus plantauit.

D. Gregor.

Miracula necessaria fuerunt cũ fides plantabatur.

D. August.

Miracula si solita essent, mira non essent.

In nomine meo dæmonia eijcient.

IN qua potestate sint miracula facturi, indicat, nimirum in potestate diuina ipsius Christi. Non enim miracula ab hominum potestate promanant, sed à Dei potentia, quæ omnib. imperat creaturis. *In nomine* (inquit) *meo dæmonia eijcient*. Inuocato Christi Dei & hominis nomine, & potestate, miracula fiebant. Vnde Act. 3. *In nomine Iesu Christi Nazareni* (ait Petrus claudo) *surge, & ambula. Et exiliens stetit, & ambulauit*, &cæt. in nomine Christi Dæmonia pellebantur: linguæ dabantur nouæ, vt posset fides gentibus ignotæ linguæ prædicari. si mortiferum venenum fideles bibebant, minimè eis nocebat, serpentes occidebant, ægris afferebant sanitatem. Alia præterea miracula efficiebant, neque enim Dominus omnia enumerauit.

Diuina potestate fiũt miracula.

CAPVT IX.

Morale.

De apparitione facta discipulis recumbentibus.

Qui crediderit, & baptizatus fuerit.

AScensurus in cælum Dominus, eò homines quoque volebat ascendere; scalã ergo illis parat, quæ instar illius, quam Iacob vidit, Genes. 28. à terra in cælum vsque pertingit. Hæc autem scala fides viua, est, cum bonis operibus copulata *Qui crediderit* (inquit) *& baptizatus fuerit, saluus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur*, &c. Quasi dicat, qui p fidẽ viuam

Fides viua scala est in cælum.

viuam tanquam per scalam ascenderit, is in celestes domos perueniet: qui verò per hanc scalam non ascenderit, is in rogos Tartareos descendet. Duplex est scalarum genus, alterum pedibus ascenditur, absque manuum præsidio, alterum ascendi non potest, nisi tum pedibus, tum manibus innitamur, Lusitanè dicuntur, *escadas de mano, scala manus*, quia manus flagitant. Scala fidei scala manus est; non ascendes in cęlum nisi manibus pedibusque simul, hoc est, operibus bonis, atque affectibus scalæ fidei innitaris. Equus viuus ducet te quo volueris; equus mortuus portare neminem valet. *Fides absque operibus*, Iacobi 2. *mortua est*. Non ergo in cælum ducere potest quemquam, sicut equus mortuus Romam te ducere nequit: sic fides mortua in cælum te nequit portare. Viuus equus ducit hominem Romam, nō mortuus; viua, inquam, fides ducit hominem in cęlum, non mortua. Vnde rectè D. Greg. homil. 24. in Euang. Fidei, inquit, nostræ veritatem in vitæ nostræ consideratione debemus agnoscere, &c. Vera quidem fides est etiam mortua; sed Gregor. veram fidem appellat viuam, charitatemque formatam, hanc autē vult agnosci ex cōsideratione vitæ nostræ, id est, ex bonis operibus. Et Haymo Episcopus Lucæ 14. verba illa Domini Matth. 20. *Multi sunt vocati, pauci verò electi*; ita exponit: Multi, inquit, sunt vocati per fidem, sed pauci electi per operationem, &c. qui per fidem iā vocatus est; toto pectore nauet operam vt electus fiat per operationem.

Simile.

D. Gregor.

Haymo.

Ille sapiens est, qui Christi præcepta facit; stultus qui non facit. Matth. 7. *Omnis*, inquit Dominus, *qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificauit domum suam super petram*. Item, *Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam*, &c. Petra est fides viua. O miserrimos Hæreticos, qui super arenam domos ædificant suas: qui equo mortuo portari se posse in cælum credunt. At vt dicitur Prouerb. 16. *Est via quæ videtur homini recta, & nouissima*

Sapiēs qui fidem operibus ornat. Matth. 7.

A *eius ducunt ad mortem*, &c. per viam illi gradiuntur, quam rectam esse finxerunt Apostatæ quidam nouatores: viā relinquunt fidei orthodoxæ, quæ ab initio Ecclesiæ visa semper est rectissima Apostolis, Patribus, viris sanctissimis, totique orbi, & videtur vsque ad hæc tempora. Iudicium paucorum hominum, qui viam quæ in tartarum ducit, viam cæli esse commenti sunt, totius antiquitatis, & totius Ecclesiæ B iudicio anteponunt. O cæcitatem incredibilem. In re tanti momenti, qua æterna salus continetur, vel æterna damnatio, audent homines nouatoribus fidere, veram fidem atque Apostolicam deserere, & commentitiam cōplecti. O infelices homines, cuinam quæso potest videri fides recta quæ heri nata est, imò quæ antiquas hæreses ex Orco excitauit: à quibus verò hominibus orta sit nolo dicere; omnes C nouerunt. Quam recta via sit finis indicat: *Nouissima*, inquit, *eius ducunt ad mortem*. Videt iā Lutherus, videt Caluinus, vident reliqui huius furfuris homines, quem in finem ducit hæc via. O si liceret huc redire, quam libenter palinodiam canerent.

Exprobrauit incredulitatem, & duritiam cordis.

D

SCalam fidei parauit Dominus per quam in cælum ascenderent, incredulitatem verò exprobrauit, quæ scalam fidei tollit; vt toto conatu fugiamus incredulitatem, fidem verò amplectamur. Euertit scalam fidei incredulitas, in tartareamque voraginem præcipitat: *Qui non crediderit* (ait Dominus) E *condemnabitur*, & Paulus ad Hebr. 3. *Quibus* (inquit) *iurauit Dominus non introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt? & videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem*, &c. item: *Participes Christi effecti sumus. Si tamen initium substantiæ eius* (id est, fidem) *vsque ad finem firmum retineamus*, &c. Est autem causa incredulitatis duritia cordis. Quā-

Incredulitas fugienda.

ad Heb. 3.

Duritia cordis.

obrem

obrem Dominus incredulitatem, & duritiam cordis exprobrauit. Et Paulus ad Hebr. 3. *Videte, inquit, fratres ne fortè sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo. Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie, cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati,* &c. Fides cor molle exigit instar ceræ, vt diuina cælestiaque illi mysteria imprimat, durum autem cor impressioni magnoperè resistit, iuxta illud Act. 7. *Dura ceruice, & incircuncisis cordibus, & auribus; Vos semper Spiritui sanctò resistitis. Sicut patres vestri, ita vos,* &c. Philo Hebræus in lib. Quis sit hæres, &c. Anima, inquit, ceræ more, si dura sit formas respuit; nec sibi finit imprimi, & rudis permanet. Si autem obsequens sit, aut saltem mediocriter facilis, profundè sigilla recipit, & amoto signaculo, fideliter seruat impressas species. Hæc ille. *Semen est verbum Dei*, ait Dominus Lucæ 8. Semen autem frumenti terram postulat subactam, & mollem; si in saxa decidat, nihil fructus profert. Ita semen fidei, est verbum Dei, si in cor molle incidit, fructum Deo fauente producit; si in durum, nihil fert.

Heb. 3. *Act. 7.* *Philo.* *Cor molle.*

Signa eos qui crediderint, hæc sequentur.

COr durum emollit Deus ad fidem concipiendam, tum inspirationibus internis, tum miraculis externis: vnde illud Marc. 16. de Apostolis: *Prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis,* &c. prædicabant Apostoli, cooperabatur Dominus, internisque inspirationibus corda emolliebat, & miraculis. Hæc verò miracula quæ apud Marc. memorantur, D. Greg. homil. 29. in Euang. spiritaliter interpretatur; Sancta, inquit, Ecclesia quotidie spiritaliter facit, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat, &cæt. D. item Bernard. sermo 1. de Ascens. spiritaliter hæc signa explicat. Dæmonia eiicit is qui ex animo suo vel aliorum, Deo iuuante, hostes tartareos pellit: linguis loquitur nouis, qui verba obscœna, detractoria, scurrilia fugit, diuinaque effatur. Serpentes tollit, qui serpentibus similia vitia in se ipso, reliquisve perimit. Mortiferum quid bibit, & nō ei nocet, ille qui mille tentationibus à dæmone stimulatur; neque vincitur. Super ægros manus imponit, & bene habent, qui exemplis bonorum operum, ægros animo homines, ad sanitatem mentis reducit.

Dei cooperatio et auxilium necessarium. Marc. 16. *D. Greg.* *D. Bernar.*

Obserua qualia miracula Christus per suos faciat, qualiaque ipse fecerit: nempe vtilia, non curiositati obsequens, sed hominum commodo. Lege August. lib. de vtilitate credendi, capit. 16. Quædam, inquit, miracula sūt, quæ solam faciunt admirationē; quædam vero magnam etiam gratiam, beneuolentiamque conciliant. Nam si quis volantem hominem cernat; miratur tantummodo, si quis autem desperato morbo affectus, mox vt iussum fuerit conualescat, admirationem sanitatis suæ, sanantis etiam charitate superabit. Talia facta sunt à Christo, sanati languidi, mundati leprosi, incessus claudis, cæcis visus, surdis auditus est redditus, &c. Sic bonus concionator vtilia docet, curiosa prætērit, quæ vtilitatis nihil afferre auditoribus possunt.

Miracula vtilia. *D. August.*

Id etiam obserua, miracula quæ in Ecclesia primitiua facta sunt, omnibus etiam posteris facta esse. Vnde Augustin. lib. de vera religione capit. 25. ita scribit, Accepimus maiores nostros visibilia miracula secutos esse: per quos id actum est, vt necessaria non essent posteris. Cum enim Ecclesia per totum orbem diffusa sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit: nec iam nobis dubium esse debet, iis esse credēdum, qui cum ea prædicarent, quæ pauci assequuntur, sed tamen sequendos populis persuadere potuerunt, &cæt. Hinc

Miracula quæ in Ecclesia primaua facta sunt, omnibus posteris facta sunt. D. August.

etiam illud eiusdem August. lib. 22. de ciuit. Dei, cap 8. Quisquis, inquit, adhuc prodigia vt credat, inquirit, magnum ipse est prodigium; qui mundo credente non credit, &c. Vt legem veterem Deu Iudæis traderet, miracula edidit in Ægypto, in monte Sinai, in deserto, & in terra repromissionis, postea miraculorum illa abundantia cessauit, editaque sunt aliqua à Prophetis. Eundem in modum vt legem nouam in totum orbem induceret, miracula stupenda perpetrauit, in Iudæa per se ipsum, & per discipulos toto orbe. Postea miraculorum copia illa ac frequentia esse desiit: fiunt tamen opportunis temporibus multa à viris sanctis. Legendus Chrysostom. homil. 14. in Matthæum, vbi docet Deum cum nouam introducit legem, miracula etiam noua edere consueuisse. Christus, inquit, ingressus in Synagogas, non modo prædicabat, verum etiam signa edebat. Quando enim nouum fit aliquid, & inopinatũ, ac politiæ cuiusdam introductio; signa Deus facere consueuit, præstant quædam pignora potentię suæ iis qui eius legem suscepturi sunt, &c.

D. Chrys. Deus miraculis legẽ veterem, & nouam confirmauit.

Prædicate Euangelium omni creaturæ.

DEus vt Paulus ait 1. ad Timoth. 2. *Vult oẽs homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Non possunt autem ad agnitionem veritatis venire, si Euangelii veritatem non audiant. Neque verò possunt illam audire, si à prædicante non doceantur, ad Roman. 10. *Quomodo audient* (ait Apostolus) *sine prædicante?* Addit; *Quomodo verò prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est* Isai. 52. *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona,* &c. Hanc ob causam Apostolos mittit Dominus; *Euntes* (inquit) *in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Sicut Sol mundum percurrit, vt illum pulsis tenebris illustret lumine; sic Apostoli euntes percurrerunt terrarum orbem, vt illum terra errorum discussa caligine, veritatis splendore complerent. Psalm. 18. *In omnem terrã exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum,* &c. Similes fuere cœlis: *Cœli enarrant gloriam Dei* (ait Psalmographus) *& opera manuum eius annunciat firmamentum.* Eundem in modum, Apostoli gloriam Christi toto orbe enarrarunt, operaque eius admirabilia. Sequitur: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam,* &c. hoc est, cœli gloriã enarrare Dei non desinunt; dies diem docet, & nox nocti scientiam Dei tradit, eodem pacto, nostri cœli Apostoli, dum vixerunt Christi gloriam prædicarunt; & quemadmodum dies diei, & nox nocti Dei cognitionem: sic illi fidei doctrinam Ecclesiæ primitiuæ tradiderunt; Ecclesia verò filiis suis puram illam, atque immaculatam tradit, traditque vsque ad Iudicium. Est etiam illud verum in Apostolis: *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum,* &cæt. hoc est, loquuntur omnibus linguis cœli; omnibus gentibus, sapientibus, ac barbaris, creatoris maiestatem demonstrãt. Omnibus quoque linguis, multò sublimius quam cęli loquebantur Apostoli; sapientes, ac barbaras nationes, ad Christiana vocabant sacra, & ab omnibus intelligebantur. Euntes (inquit) mundum vniuersum peragrate euangelizando. O beatos pedes: ò *quam speciosi pedes* (ait cum Isaia Paulus) *euangelizantium pacem, euangelizantium bona,* &c. ò speciosissimos pedes discipulorum Christi, quibus orbem peragrarunt æternam cum Deo pacem euangelizantes, & bona cælestia. ò speciosissimas linguas, quibus diuinam fidem prædicarunt. ò pectora cælesti igne ardentia, quibus ad sanguinem vsque in hac prædicatione perstiterunt. Ioan. 15. ait Dominus; *Ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat,* &c. Elegit Dominus Apostolos, vt irent, vt orbem lustrarẽt, fructumque fidei afferentes perpetuum. Euntes

1. Tim. 2.

Rom. 10. Necessaria est Euangelii prædicatio.

Psalm. 18.

Apostoli instar cælorũ gloriã Dei enarrarũt.

Speciosi Apostolorum pedes.

Ioan. 15. Fructus Apostolorũ mansit.

tes (inquit) prædicate Euangelium omni creaturæ: fidem viuam per verbum Dei in animis hominum proferte, hic fructus maximus manebit. *Vt fructus* (inquit) *vester maneat*: manebit enim fructus fidei à vobis productæ, in orbe vsque ad Iudicium. Neque verò dicatis vos homines esse indoctos, omnique sapientia carentes, *Nam dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri*, &c. Luc. 21.

Quid spectandum in auditoribus à doctore.

Obserua prædicandum Euãgelium omni creaturæ. Illud enim in auditoribus spectandum est, quòd creaturæ sunt Dei, & sanguine Dei redemptæ; quamobrem summa cum charitate docendæ, nullique labores pro earum conuersione sunt fugiendi. Hanc causam proponit Paulus maioribus natu Ephesi Act. 20. vt summa cum cura Ecclesiam regerent. *Attendite*, inquit, *vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*, &c. Quis libenter non percurret orbem terrarum, creaturas Dei sanguine redemptas docens, salutemque eis afferens; nisi qui ignauus fuerit, & diuini timori expers? Audiamus D. Catharinam Senensem apud D. Anton. 3. parte titulo 23. capit. 14. §. 13. Si quis (inquit) videre posset pulchritudinem animæ vnius, centies in die mortem subiret pro salute eius, &cæt. Cernebat autem dono Dei, animarum decorem. Considerémus ergo hanc mirabilem animarum pulchritudinem, & pro salute earum omnem laborem libenti promptoque animo subeamus. Vt filios mundo huic pariat, acerbos fert dolores mater. Nos vt filios cœlo pariamus, laborem subire recusabimus? illa cum peperit puerum, iam *non meminit pressuræ, quia natus est homo in mundum*, Ioan. 16. Sic nos cum cælo homines magno cum labore pepererimus, iam non veniet in memoriam labor; quia natus est homo in cælum. Abacuc 3. *Quadriga tua saluatio*, &c. Quadrigæ Christi fuere Apostoli; Christum & saluatorem per totum vexerunt orbem, iis primis quadrigis multæ aliæ successere, succedentque vsque ad extremum tempus. O felices illos qui quadrigæ Domini sunt, Deum vehunt, euntes in mundum vniuersum prædicant Euangelium omni creaturæ; non diuitias, non honores, non inanem gloriam quærentes, sed creaturarum tantum saluationem. De his dici potest; *Quadriga tua saluatio*. quia solum creaturarum Dei saluationem toto conatu quærunt.

Act. 20.

D. Cathar.

Pulchritudo animæ maxima.

CAPVT

CAPVT X.

De Ascensione Domini.

MARCVS CAPITE XVI.

ET Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicauerunt vbique; Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.

LVCAS CAPITE XXIV.

EDuxit autem eos foras in Bethaniam: Et eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum. Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem, cum gaudio magno: & erant semper in templo, laudantes, & benedicentes Deum. Amen.

Postquam locutus est eis.

PLerique intelligunt, Dominum, postquam locutus est verba, quæ hactenus exposuimus, ea die ascendisse in cælū quod est probabile, vt ex dictis colligitur. Sed potuit etiam dicere Euangelista, ascēdisse Dominum in cælum, multis diebus postquam locutus est. Vnde Euthymius: Postquā, inquit, locutus est, non hæc solum sed & omnia verba, quotquot eis locutus est à die resurrectionis suæ, donec completi sunt quadraginta dies, in quibus discipulis apparebat, &c. *Et Dominus quidem* Iesus (inquit) *assumptus est in calū* de ascen- A sione scribēns Dominum appellat, id est, Deum. Nemo enim Dominus absolutè dicitur in Scriptura nisi Deus. Assumptum autem ait in cælum, non ab Angelis, non enim eorum ope indigebat; sed à semetipso. Assumptus est (ait Card. Caiet.) non alieno adminiculo, sed propria virtute, &c. Poterat enim B id facere tum per potētiam diuinam, tum per dotem humanitatis, videlicet agilitatem, qua donatum beatū quodlibet corpus à terra in cælum se efferre potest, absque Angelorum auxilio. Dici etiam potest assumptus à Patre, vt ait D.Thom. 3. p. q. 7. art. 53. Sicut, inquit, Christus dicitur propria virtute sur-

Quomodo dicatur Dominus assumptus in calum.

Ascendere potuit in calum Christus & per diuinā virtutem, & per humanitatis dotem, s. agilitatem.

Digitized by Google

surrexisse, & tamen est suscitatus à Patre, eo quòd eadem est virtus Patris, & Filii: ita etiã propria virtute ascendit, & tamen à Patre est eleuatus, & assumptus, &c.

Eduxit eos foras in Bethaniam.

IN Galilæa apparuit Dominus discipulis, vt supra vidimus. Ex Galilæa Iudæam iussit petere, vt ex Ierusalem ipse in cœlum ascenderet, illi verò ibi manerent, ibique Spiritum Sanctum acciperent, & prædicationi Euãgelii felix initium darent, iuxta illud Luc. 24. *Incipientibus ab Ierosolyma*, &c. in Iudæa extremo die quo in cœlum abiit, apparuit illis in Ierusalẽ: postea ex domo in qua apparuit, foras eos eduxit in Bethaniam, vt Lucas ait. Dubium est an in Bethaniã peruenerint? Græcè legimus, *ἕως εἰς Βηθανίαν*, id est, *eduxit eos foras; vsque in Bethaniam*. Videtur ergo vsque in Bethaniam peruenisse. Caietanus ait eductos discipulos, vsque in Bethaniam exclusiuè. Dubitatur præterea, an Christus simul cũ discipulis Bethaniam petiuerit? Caietan. ait Dominum præcepisse discipulis vt in montem irent Oliueti, secum ibi futuri, &c. Sed verba Lucæ indicãt, simul cum illis iter fecisse. *Eduxit*, inquit, *eos foras, vsque in Bethaniam*: non dixit, præcepit vt irẽt vsque in Bethaniam; sed ipse eduxit eos. Ergo comitabantur discipuli Dominum. Crediderim tamen non omnes comitatos esse, sed Apostolos tantum. alios verò aliis viis fecisse iter in Bethaniã, illum enim locum Dominus assignauerat discipulorum congregationi: ibi Deipara Virgo, Magdalena, Lazarus, multiq; alii cõgregati sunt, indeque in locum ascensionis profecti.

In Bethania congregati sunt discipuli.

Eleuatis manibus suis benedixit eis.

QVemadmodum in fine summi Eucharistiæ sacrificii, Sacerdos po- A pulo benedixit; sic in fine vitæ suæ in terris, quæ sacrificium Deo gratissimum fuit, Pontifex summus Christus, discipulis benedixit suis. Benedicere autem est, in hominibus quidem bona precari; in Deo verò bona facienda dicere; & facere. Christus Deus & homo erat, vt homo Patrẽ precatus est, oransque discipulis benedixit, eleuatis manibus. Orantes enim manus eleuabant, iuxta illud Psal. 140. *Eleuatio* B *manuum mearum sacrificium vespertinum*; & de sacerdote Ecclesiast. 50 *Manus suas*, inquit, *extulit in omnem congregationem filiorũ Israel*, &c. Sic Christus manus suas extulit in omnem congregationem discipulorum suorum, & bona eis à Patre precatus est, eo modo quo precatus est Ioannis 17. *Ego*, inquit, *pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos. Non rogo vt tollas eos* C *de mundo, sed vt serues eos à malo. sanctifica eos in veritate*, &c. Eleuabant autem manus Hebræi cum Deũ orabant, & alicui benedicebant, eleuatione illa Deum in sublimi cælo esse, & ab eo bona omnia speranda indicantes. Si roges, an Dominus crucem in aere manu efformando benedixerit, sicut nũc vsus est: Respond. pium esse meditari, eleuata vtraque manu benedixisse; tãdem ad finẽ benedictionis, manu dex- D tera crucem in aere efformasse, cum iam in cælum incipiebat ascendere.

Psal. 140.

Eccles. 50.

Quomodo Dominus discip benedixerit.

Dum benediceret illis, recessit ab eis.

EXtrema verba, quæ Dominus pro- E tulit in terris in primo aduentu, benedictionis fuere verba in discipulos: quæ verò verba extrema proferet in secundo aduentu, Matthæi 25. maledictionis erunt in damnatos. Cum verba benedictionis in discipulos proferret, & ad finem perueniret, cœpit à discipulis circumstantibus recedere, & in cœlum ascendere. *Dum benediceret illis* (ait Lucas) *recessit* à discipulis: & à terra sursum tendens, *& ferebatur*.

batur in cælum; ferebatur, inquam, paulatim ascendens, ne subitò cernêtium se cõspectui subduceret. Discipuli verò in cælum euntem, in faciem prostrati, summa cum veneratione adorauerunt. Et ipsi adorantes, ait Lucas, regressi sunt, &c. Græcè, *καὶ αὐτοὶ προσκυνήσαντες αὐτὸν*, id est, & ipsi adorantes ipsum: nimirum Deum, hominemque verum, regressi sunt domum.

Et sedet à dextris Dei.

Cur dicatur Christus sedere à dextris Dei.

Ascendit Dominus in cælum; in cælo autem ait Marcus sedisse à dextris Dei. Reiicienda imprimis est interpretatio quædam quæ Christum ad dexteram Patris sedere ait; quòd maior sit Patre, non quidem reipsa, sed quod attinet ad nos, functione officii, & administratione Ecclesiæ. Nõ enim ideo dicitur sedere ad dexterã Patris Christus, vt significetur esse aliquo modo maior Patre, respuunt hoc aures religiosæ; Neque verò sessio ad dexteram præcellere filium indicat, vt ostendemus. Quæritur ergo quid significet hæc sessio, cum Deus neque sinistram habeat, neque dexterã, quia Spiritus est. Respondemus breuiter, aliis multis omissis; dexteram manum esse præstantiorem sinistra; ideoque præstantiori loco illum sedere, qui ad dexteram sedet, quam illum, qui sedet ad sinistram. Nullus est locus præcellentior loco, qui ad dexterã est regis. Vnde in iudicio Christus ait iustos ad dexteram collocandos, 3. Reg. 2. *Salomon sedere fecit matrem in throno ad dexteram suam* Gen. 48 Ioseph Manassem primogenitum suum, ad dexteram Iacob posuit, quasi in loco præstantiori. Ephraim vero minorem, ad sinistram. At Iacob commutatis manibus, dexteram præcellentiorem super caput Ephraim collocauit, præferens illũ fratri primogenito. quod Ioseph ægrè tulit: *dixitq; ad Patrẽ: Non ita conuenit Pater, hic est primogenitus: Pone dexteram tuam super caput eius*. Nonne vides locum ad dexteram esse præstantiorẽ? id quoq; indicat petitio illa Matthæ. 20. *Dic vt sedeant hi duo filij*

3. Reg. 2.

A *mei; vnus ad dexteram tuam: Et vnus ad sinistram in regno tuo*, &cæ. Dextera priori nominatur loco tanquam honoratior. Non me latet, nonnullos putare dexteræ ab antiquis præpositam esse sinistrã. Sed mihi non persuadẽt, ipsa. n. natura docet, dexteram longe præcellere. Cũ ergo locus dexteræ regis sit præcellẽtissimus, hoc dicẽdi modo; *sedet Christus à dextris Dei* indicat scriptura, Christi in cælo locum, gloriam, honorem, dignitatemque præcellentissimam: sedet ad dexteram Patris, quia qua homo est, supremum tenet in cælo thronum, præstantissimam gloriam, dignitatem, & honorem super omnes Angelos, Cherubinos, ac Seraphinos. id explicauit Paulus ad Ephes. 1. *Constituens* (inquit) *illum ad dexteram suam in cælestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius*, &c, Indicat Paulus locũ Christi in cælo; & exponit quid sit sedere ad dexteram Patris, videlicet omnibus Angelis præcellere, omniaq; pedibus habere subiecta: Quòd si opponas filius sedet ad dexteram Patris; ergo Pater sedet ad sinistram filii, in loco ignobiliori: Respondendũ est in metaphoricis locutionibus, & parabolis, vt iam diximus alibi, nõ esse omnia ad viuum resecanda, & accommodanda. Hæc autem metaphorica est locutio: Nam Deus neq; dexteram habet, neque sinistram. Præterea locus Regis semper est absque dubio honorificentissimus, & veluti fons à quo honor in omnes locos emanat. Quamuis ergo sedeat ad sinistram alicuius, non dicitur sedere in loco ignobiliori, cum ipse sit honoris regula & mensura. Nulla habetur tunc ratio sinistræ alterius, sed ratio habetur personæ, & dexteræ Regis, ita vt ii, qui ad dexteram illius sedent, honorificentiori loco sedeant, quam qui sedent ad sinistram: ipse verò rex absq; controuersia, etiamsi ad sinistram alicuius sedeat, omnium præcellentissimum locũ occupet. Nihil ergo de infinita

nita

nita Patris maiestate detrahit Christi admirabilis sessio ad eius dexteram: Neque significat Christum esse maiorem Patre secundum administrationem Ecclesiæ. Significat autem regiã Christi dignitatem. Nullus Angelus sedere dicitur in cælo, sed stare, Dan. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*. Vnde de lucifero loquens, cuius illa sunt verba apud Isaiam 14. *Sedebo in monte testamenti*, &c. inquit D. Bernardus sermone 2. de tribus testimoniis: Siccine vbi stant omnes Angeli, vniuersi ministrant, tu pacis inimice sedebis, &cæt. Stant Angeli vt serui, & ministri: Christus verò vt Rex sedet. D Thomas ad Hebr. 1. In diuina (ait) curia multi assistunt Angeli, Dan. 7. sed nullus lẽgitur ibi sedere, quia omnes sunt ibi serui & ministri. Solus Christus sedere dicitur, quia regiam habet dignitatẽ, &c. Hinc illud Pauli ad Heb. 1. *Ad quẽ Angelorum dixit aliquando: sede à dextris meis*, &c.

Et erant semper in templo. Amen.

AIt D. Lucas Apostolos post ascensionem Domini, regressos esse in Ierusalem cum gaudio magno, quod ex ascensione perceperant. Addit: *Et erant semper in templo laudantes, & benedicentes Deum*. Iusserat Dominus Lucæ 24. *Sedete in ciuitate quoad vsque induamini virtute ex alto*: idcircò in Galilæam non sunt profecti; sed in ciuitatem Ierusalem redierunt, vt in ea manerent quoad vsque acciperẽt virtutem ex alto cælo, id est, Spiritum sanctum. Ad Spiritum verò accipiendum, Dei laudibus & orationibus se præparabant in templo manẽtes semper, hoc est, omnibus diebus, destinatis horis. discedebant enim ex templo domum; & rursus reuertebantur. Cardin. Baronius tom. 1 putat vsq; ad Spiritus sancti aduentum Apostolos domi mansisse. Hæc verò verba D. Lucæ, de tempore intelligit, quod secutum

A est aduentum Spiritus sancti. estque opinio probabilis. lege si placet lib. 10. cap. 2 huius tomi.

Amen.

COncludit Euangelium suum Lucas hac voce; Amen. Dubitatur quorsum sic concluserit, cum Euange-B lium non sit deprecatio, aut hymnus aliquis, sed diuinorum gestorum narratio? Respondetur significare voluisse id quod in historia maximè requiritur, nempe veritatem, quæ in Euangelio diuina est, atque adeo ab omni falsitatis suspicione alienissima. Nam, *Amen*, significat idem quod, *Verè*. Euangelium ergo suum obsignat & cõfirmat Lucas hac voce, *Amen*, siue *Verè*, quasi dicat; omnia quæ scripsi verè C scripsi ac fideliter, eademque omnia confirmo, dicens, Amen. Est enim, Amen, confirmantis; iuxta illud Pauli 1. Cor. 14. *Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiota, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem*, &c. significat etiam *Amen, fiat*, optantis. Psalm. 71. hac dictione geminata concluditur: *& benedictum nomẽ maiestatis eius in æternum, & replebitur maiestate eius* D *omnis terra, fiat fiat*; Hebraicè, *Amen, & Amen*. Item finis Psalmi 88. hic est: *Benedictus Dominus in æternũ, fiat fiat*; Hebraicè, *Amen & Amen* Potest ergo apud Lucam, *Amen*, significare, *fiat*, optantis, in hanc sententiam: Et erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum. *Amen*; id est, vtinam fiat. Vtinam omnes imitemur discipulos Christi, & Deũ semper laudamus, ac benedicamus.

E

Profecti prædicauerunt vbiq;.

D. Lucas ait Apostolos regressos ex monte Olіueti in templo laudibus vacasse Dei. D. Marcus scribit eos profectos ex Ierusalem vbique Euangelium prædicasse. Nam post aduentũ Spiritus sancti, vt præceperat Dominus, ierunt in mundum vniuersum, & prædicauerunt Euangelium omni

omni creaturæ. Prædicauerunt, inquam, vbique omnibus in locis, nullũ excipientes, Græcis, ac Barbaris, sapientibus, & insipientibus. Sed non satis fuit Apostolorum prædicatio ad conuertendum orbem; necessaria fuit Dei cooperatio. Idcirco sequitur; *Domino cooperante, & sermone confirmante sequentibus signis*, &cæ. Cooperabatur cum illis Dominus extrinsecus, atque intrinsecus in animis auditorum. Internis auxiliis & inspirationibus corda aperiebat, ac iuuabat, & externis miraculis ad fidem percipiẽdam opẽ ferebat. Act. 16. *Loquebamur*, inquit, *mulieribus, quæ conuenerant; & quædam mulier nomine Lydia audiuit, cuius Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo. Cum autem baptizata esset*, &c. Aperit igitur cor Dominus, intrinsecus operatur, & incremẽtum donat, iuxta illud August. tract. 80. in Ioan. Christus agricola est, nec talis, quales sunt qui extrinsecus operando exhibent ministerium: sed talis, vt det etiam intrinsecus incrementum, &c. 1. Cor. 3. *Ego plantaui* (ait Paulus) *Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plãtat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, &c. Item: *Dei sumus adiutores; Dei agricultura estis*, &c. Dei agricultura sunt homines, Deus illos vt agrum colit, colunt quoque Prædicatores & Doctores; sunt enim, vt Paulus ait. Dei adiutores. At doctores extrinsecus colunt, plantant, & rigant: sed incrementum internum Deus dat. Legendus August. tract. 3. in epist. Ioannis. Cathedram, inquit, in cœlo habet, qui corda docet, propterea ait Matth. 23. *Nolite vobis dicere magistrũ in terra. vnus est magister vester Christus*. Interior magister est qui docet, Christus docet, inspiratio ipsius docet, &c. Itẽ: sic sunt ista verba quæ forinsecus dicimus, quomodo est agricola ad arborẽ, forinsecus operatur, &c.

Prædicatores sunt Dei adiutores.

CAPVT XI.

De Ascensione Domini ex Actibus Apost.

LVCAS ACT. CAPITE I.

PRimum quidem sermonem feci de omnibus ô Theophile, quæ cæpit Iesus facere, & docere vsque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est. Quibus & præbuit seipsum viuum post passionem suam, in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Et conuescens, præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum: quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post

multos

multos hos dies: Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Et cum hæc dixisset, videntibus illis, eleuatus est: & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cælum euntem illum; ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.

Primum quidem sermonem feci.

Primus sermo Lucæ, fuit Euangelium quod scripsit.

DE Ascensione Christi A scribit D. Lucas tū in fine Euangelii sui, ea quæ iam sunt explicata, tum in principio Actorū Apost. ea quæ hoc loco breuiter explicare libuit, quia ad hunc locum pertinent. *Primū sermonem* (ait) *feci de omnibus quæ cæpit Iesus facere, & docere*, &c. Primum sermonem appellat Euangeliū quod prius quam acta scripsit ad Theophilum; de quo egimus tom. 1. Græcè, *τὸν μὲν πρῶτον λόγον*; *sermonē primum*, prima verba feci de gestis & doctrina Christi. Quæritur, cur non dixit Lucas, Primum quidem sermonem feci de omnibus, quę fecit Iesus, & docuit, sed de omnibus quæ cœpit facere, & docere? Præterea cum multa Christi facta, & dicta omiserit, cur dixit se fecisse sermonem de omnibus? Respōd. C primæ quæstioni, Euangelistā voluisse indicare se ab initio scripsisse gesta Christi, & dicta, à tempore videlicet, quo cępit facere, & docere vsque in finem; vnde addit: *vsque in diem qua præcipiens Apostolis, per Spiritum sanctū quos elegit, assumptus est*, id est, vsque ad Ascensionem. Aliter forsitan significare voluit Lucas Christum in terris operis salutis humanæ dedisse initiū, suis perfectissimis licèt factis, doctrina, & morte admirabili: quia pretium quo homines redimerentur, præbuit: ex cælo autem dedisse complementū misso Spiritu sancto in Apostolos, & missis Apostolis in mundum vniuersum. Vsque ad ascensionem n. mūdus in eo erat statu, quo erat ante aduentum Christi, cæcus & nudus abundante gratia Dei carens: B post ascēsionem verò compleuit Dominus opus suum misso Spiritu sancto, prædicato Euangelio, conuersis ad fidem populis, & gentibus. Cœpit igitur Dominus, dū fuit in terris, facere, & docere; sed postquam ascendit in cælum, quod in terris cęperat compleuit.

Cur dicatur, cæpit facere & docere.

Secundæ quæstioni respōdetur, particulam, *omnibus*, non significari Lucā omnia Christi gesta & miracula, ac dicta literis mandasse; sed sermonem fecisse de omnibus quæ Christus fecit, quæque docuit; non tamen ita vt omnia comprehenderit, sed ita vt de omnibus aliqua dixerit. Vnde Lyranus de omnibus (ait scripsit Lucas, quia de pertinentibus ad Christi cōceptionem, natiuitatem, vitam, & mortem,

Nomē collectiuum omnia non semper in totæ sumitur latitudine. Lyranus.

resur-

Google

resurrectionem, & ascensioné, aliqua scripsit, &c. Sic etiam explicari verba possunt: sermonem feci de omnib. iis, quæ Dominus cæpit facere, & docere; de omnibus, inquam, quæ Spiritus sanctus me scribere voluit, & mihi suggessit: vel de omnibus quæ noueram, & mihi in memoriā venerunt. Similem in modum c. 1. Euāgelii ait, *Visum est & mihi assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere*, &c. lucem afferunt hæc verba Euangelii his verbis Actorū, dixit in Euangelio, *Visum est scribere mihi assecuto omnia*; hic ait, *sermonem feci de omnibus*, videlicet illis, quæ assecutū se dixerat: in Euangelio ait, *assecuto omnia à principio*, scilicet factorum & doctrinæ Christi: hic ait, *feci sermonem de omnibus quæ cæpit facere, & docere*, quasi diceret, quæ à principio fecit, & docuit. Lege auctoré sub nomine Eusebii Emisseni, siue is sit Eucherius siue alius, ad illa verba Marc. 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Ait, inquit, Paulus, charitas omnia credit. quod quidem verum non est nisi aliter determinetur. Si enim charitas omnia credit, credit vtiq; Pharisæis, & Saducæis, aliis affirmantibus, aliis negantibus resurrectioné, quod fieri non potest. Nó igitur charitas omnia credit. Sic ergo determinetur; *omnia credit*, quæ credenda sunt. similiter id quod dicitur: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* determinandum est, vt sic dicatur; *Prædicate omni creaturæ*, cui prædicandum est. non enim prædicandum est Euangelium lapidibus, vel aliis rebus sensu, & ratione carentibus; hæc ille. determinatio ergo adhibenda est, si opus sit, huic particulæ, *omnis, & omnia.*

Eucher.

Charitas quomodo omnia credat.

Vsque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est.

CHristus per Spiritum sanctū præcepta Apostolis dedit, & per eūdem Spiritum sanctū eos elegit, hoc est, Spiritus sancti ductu, & instinctu qui illi semper aderat. Quamobrem dubiū est hoc loco, an significet Euāgelista præcepisse Apostolis per Spiritum sanctū; an Apostolos elegisse, per Spiritū sanctū. Respó. significare, Christū elegisse Apostolos per Spiritū sanctum hoc pacto; præcipiés Apostolis, quos elegit per Spiritū sanctū: Nam cum Acta Apostolorū scriberet, Apostolos ipsos initio libri, à Domino asserere voluit esse electos, p Spiritum sanctū. Similiter c. 6. Euāgelii, scripsit in oratione pernoctasse, & cū dies factus esset duodecim elegisse. Quæres quid præceperit Apostolis Dominus illa die qua assumptus est. Resp. illud maximè præcepisse, vt Euangeliū prædicarēt omni creaturæ, ꝑterea ne ab Ierusalē discederēt, sed in ea Spiritus S. aduētū expectarent.

Christus elegit Apostolos per Spirit. S.

Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.

HOc loco habemus numerum dierum, quibus Dominus post passionem & resurrectionem suā in terris permansit, & discipulis apparuit. *Per dies*, inquit, *quadraginta apparens eis*, de apparitionibus supra egimus, quas Euangelistæ memoriæ prodiderunt. Apparuit autem, & rediuiuum se exhibuit *in multis argumentis*, hoc est, per multa argumēta resurrectionem suam comprobans, quæ iā supra ostensa sunt; cófirmauit. n. resurrectionem multis apparitionibus ostēsione vulnerum, comestione, &c. Addit Lucas: *Et loquens de regno Dei*, quibus de rebus egerit cum Apostolis illis quadraginta diebus, paucissimis his verbis aperit Regnum Dei Ecclesia est, in qua Christus Deus, & homo regnat in terris, quæ etiam regnum cælorum appellatur. De Ecclesiæ ergo institutione, & gubernatione regni huius, locutus est cum discipulis Dominus illis 40. diebus de Sacramentorū forma ac materia, de Messiæ sacrificio, de penitentia, & confessione, de Scripturis, & de aliis, quæ Apostoli tradiderunt successoribus.

Quot dies permāserit in terra Dominus post resurrectionem.

Christus multa tradidit Apostolis, quæ illis tradiderunt Ecclesiæ.

Et

A

Et conuescens praecepit eis ab Ierosolymis ne discederent.

Conuescens Graecè, συναλιζόμενος, (ab ἅλς, id est, *Sale*, deducto verbo συναλίζομαι) id est, *eodem sale vtēs, in sale communicans, simul comedens*: significat enim salis communicatio, mēsæ, & cibi communicationem, vt est perspicuum. Significare possunt verba hæc Dominum illis quadraginta diebus, cum discipulis aliquoties sumpsisse cibum, hoc sensu apparens eis sæpius per 40. dies, & loquens de regno Dei, & aliquoties simul cibum sumens, præcepit eis ne discederent ab Ierusalem, sed in ea expectarent Spiritum sanctum promissum. fauet illud D. Petri Act. 10. *Dedit eum, id est, Christum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo nobis qui manducauimus, & bibimus cum illo post quam resurrexit à mortuis*, &c. præterea significare possunt Christum qui cum Apostolis comedere solebat, die aliquo cum discipulis comedisse, eisque hoc præceptum dedisse. Nam Lucas in fine Euangelii narrat, Dominū discipulis apparuisse prima die resurrectionis, & ex fauo mellis, & pisce asso comedisse, dedisseque eis reliquias. Promisisse quoque Spiritum sanctum, & iussisse ne discederent ab Ierosolymis. *Et ego*, inquit, *mitto promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto*, &c. Videtur ergo Lucas in Actis id significare quod narrauerat in fine Euangelii. Aliqui sic exponunt, in die illa qua ascendit in cælum; conuescens præcepit eis, &c. Iuxta ea quæ suprà diximus ad illa verba Marc. 16. *Nouissime recumbentibus illis apparuit*: &c.

Christus cū Apostolis post resurrectionem manducauit.

Sed expectarent promissionem Patris.

Promissionem Patris vocat promissionem Spiritus sancti, quem Pater pollicitus erat. Si quæras, vbinam Patris hæc extet promissio? Respondet Dominus; *Quam audistis*, inquit, *per os meum* Promiserat Pater Spiritum sanctum per os Christi Ioan 14. *Ego rogabo Patrem & alium paracletum dabit vobis*, &c. Et cap. 15. *Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre*, &c. Et cap. 16. *Cum venerit ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio*, &c. Item *cum venerit ille Spirit. veritatis docebit vos omnem veritatem*, &c. sequitur, *quia Ioannes Baptista baptizauit aqua: vos autem baptizabimini Spiritu sancto*, &c. De Baptismo Ioannis in aqua diximus tomo 2. non largiebatur ille gratiam, spiritalis ignis ai carebat: at Spiritus sancti ille Baptismus quo in die Pentecostes baptizati sunt Apostoli, totus igneus fuit. Iam erant baptizati Baptismo Christi, hoc loco metaphoricè Baptismum vocat illam Spiritus sancti effusionem instar abundantis aquæ ex cælo, iuxta illud Ioel 2 *Super seruos meos, & ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum*, &c. Vnde D. Hieronym. episto. 150. ad Hedibiam, quæst. 9. Verbum effusionis significat gratię largitatem, & idipsum sonat quod Dominus repromittit Act. 1 *Vos autem baptizabimini Spir. Sanct.* In tantum enim Spiritu Sāncto Baptizati sunt, vt repleretur tota domus vbi erant sedentes, &c. Præterea Baptismus vocatur effusio Spir. sancti, quia quemadmodum Baptismus hominem renouat, & in nouam creaturam conuertit; sic Spirit. Sanct. Apostolos renouauit, & in nouos quosdam homines transmutauit. Item, quia quēadmodum per Baptismum dona cælestia hominibus dantur; ita per Spir. S. aduentum Apostolis diuina charismata donata sunt. Vide si placet q̄ de Baptismo Ioannis, & Christi diximus to. 2. Mentionē vero facit Dn̄s hoc loco

Pater Spiritum S. promisit Apostolis per Christum. Ioa. 14. 15. 16.

Cur dicatur Baptismus Spir. S. effusio.

D. Hieron.

B C D E

Baptismatis Ioannis, quia discipuli à Ioanne baptizati fuerant. Nam si magister ipse Christus baptizatus est: certũ est, discipulos quoque esse baptizatos. præterea mentionẽ illius facit, vt efficaciã diuini Spiritus ostendat, qui eos in quos effunditur, instar ignis purificet, & incẽdat. *Ioannes*, inquit, *aqua baptizauit*, quæ efficacia caruit ad afferẽdam gratiam, & dona spiritualia. at Baptismus quem vobis promitto Spiritus sancti, summam ad efficiendam gratiam, donaque mirabilia, efficacitatem habebit.

Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel?

Cur discip. rogauerint Dominum, esset regnum Israel liberaturum.

ROgabis, vndènam hæc sit orta illa dte interrogatio? Respõdetur, discipulos existimasse Messiam à Romanorũ potestate liberaturum regnũ Iudæorum, iuxta illud Lucæ 24. *Nos autem sperabamus, quod ipse redempturus esset Israel*, &c. Cũ ergo crederent Dominum esse Messiam, viderentque, in cælum velle proficisci, terrasque relinquere, nondum restituto regno, interrogarunt; *Domine numquid hoc tempore restitues*, (Græcè ἀποκαθιστάνεις, id est, *restituis*, præsens pro futuro) *regnum Israel*; datiuus est τῷ Ἰσραήλ, *Israeli?* Nũquid è potestate Romanorum eripies regnum Iudæorum, & restitues eis, atque instaurabis? existimabant prætereà discipuli Messiam fore regem Iudæorum in terra; summa cum potentia: videbant autem eum in cælum velle ascendere; ideò rogant: *Domine quãdo restitues regnum Israel?* erisq; illius Rex. siquidem in cælum discedis, & Israelem relinquis Romanorum ditioni subiectum? Noluit Dominus discipulos hoc errore liberare, in quo absque culpa erant: liberationem futuro reliquit tempori, & Spiritui sancto; respõdit autem: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta*; Græcè χρόνους ἢ καιρούς, id est, *tempora, vel opportunitates, quæ Pater posuit in sua potestate*, &c. Nõ pertinet ad vos cognoscere tempora, &

Non est hominum ea cognoscere.

A opportunitatum momẽta ad faciendã opera; quæ in secreto suæ potestatis & scientiæ, abscondit Pater: Omittite hãc curam, quod ad vos pertinet hoc est; *sed accipietis virtutem siue potentiam & fortitudinem superuenientis Spiritus Sãcti, in vos*, & illius præsidio adiuti Euãgelium toto orbe prædicabitis.

Videntibus illis eleuatus est.

B POstquam discipulis locutus est Dominus, illis cernentibus eleuatus est in cœlum, non scandẽdo gradiẽs (ait Caiet.) sed totus simul eleuatus est. Cum defixos in ascendente oculos haberent, splẽdidissima, ac pulcherrima nubes, in summa aeris serenitate effecta, sese interposuit. Caiet. ait fuisse nubem splendoris, quam corpus Christi gloriosum genuit, cum longius versus cælum esset. Sed nubem veram, & splendidam fuisse existimamus, non à corpore Christi, sed ab An-C gelo aliquo, vel à Domino affectam.

Nubes quæ Christũ assumpsit vera nubes fuit.

Ecce duo viri apparuerunt.

POstquam disparuit Dominus, duo Angeli corporibus virorum assumptis vestibus amicti ab his, quæ lætitiam indicant, discipulis astiterunt; & D secundum illis aduentum ad Iudicium nuntiarunt. Discessit Dominus in cælum; postquam in mundum venit ad saluandum, redibit in extremo die ex cœlo, ad iudicãdum. *Viri Galilæi*; (aiũt Angeli; erant enim discipuli ex Galilæa) *quid statis aspicientes in cœlum? hic Iesus Saluator*, qui in cœlum ascendit, deinceps vobiscum non versabitur secundum carnem; in cælo erit, sedebitque ad dexteram Patris, vsque ad E diem extremam mundi; tunc ad iudicandos hoẽs descendet. Angeli hi in aere astiterũt vt à turba audirentur, vt vult Cai. Verisimilius in terra apparuisse; ex terra n. audiri potuerunt: idq; indicãt verba; *Astiterunt iuxta illos*. ipsũ quoq; virorũ nomẽ ostẽdit: solito virorum

Duo Angeli discipulis apparent.

Caiet.

trorũ more astitisse in terra, nõ in aere. *Ecce, inquit, duo viri,* &c. Ait etiam Caietan. alterum tantum locutum vtriusque nomine, ideo dici duos Angelos locutos. Verisimile id quidem; sed potuit vterque loqui, eademque proferre verba vt sentit Chrysosto. Ecce, inquit, duo viri astiterunt. Congruenter. siquidem in ore duorum testium stabit omne verbum, præsertim cum eadem loquantur, &c.

D Chrys.

Quæritur cur in die Ascensionis iubet Dominus diem renuntiare Iudicii? Respond. non abs re. Rectè enim in die Ascensionis, renuntiatur dies similis descensionis. Præterea discedebat Christus visibiliter ex mundo; in quo multa talenta ad negotiandum seruis dederat; admonet eos se reuersurum, & rationem talentorum exacturum, iuxta illud Lucæ 19. *Negotiamini dum venio,* &c. huc pertinet parabola talentorum Matthæ. 25 Discedit Christus, sed ita discedit, vt velit à suis expectari: ideo rediturum se nuntiat; iuxta illud Lucæ 12. *Vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptijs. Beati serui illi, quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes;* &c. Adde Christum in cęlum ascẽdere, cum corpore glorioso, homines vero in terra relinquere. Iubet ergo nuntiare se in mundum reuersurum, in die extremo; vt illos similem in modum in cælum cum corporibus animisque gloriosis introducat. Quasi dicant Angeli; hic Iesus qui hodie in cælum ascendit; sic veniet in die Iudicii, vt vos etiam faciat in cælũ ascẽdere. Hic dies est eius Ascensionis: ille dies erit vestræ. Ad hæc, videtur Dominus per Angelos respondisse quæstioni illi discipulorum; *Si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Nullo tempore aiunt Angeli restituet Dominus regnum temporale Israelis carnalis; sed sicut ascendit, ita descendet extremo mundi die; & tunc restituet cæleste regnum Israeli spirituali. Denique Christo ex oculis discipulorum disparente, Angeli ad eos veniunt, vt intelligãt Christum ad patriam abiisse Angelorum, in cælumque introiisse.

Cur in die Ascẽsionis, dies annuntiatur iudicij.

Luc. 12.

CAPVT XII.

De Ascensione Domini.

POstquam Dominus resurrexit, noluit in orbe terrarum manere, sed in cęlum profectus est. Quod si roges: Nonne satius fuisset, cum hominibus manere; terrarum obtinere monarchiam, orbemque visibiliter gubernare in conspectu hominum? Respondemus, satius fuisse in cælum ascendere, visibilemque præsentiam suam hominibus auferre. Id postulabat primò Christi status; nam vt D. Thomas ait 3. p. quæst. 57. art. 5. Tanto altior locus alicui rei debetur, quanto res est nobilior. Nobilior est ignis cæteris elementis; altiorem sibi locum vendicat; nobilius est igne cælum; superiorem habet locum. Christi humanitas nobilissima est; vendicabat ergo sibi locũ oĩu locorũ nobilissimũ opusque erat in cælũ ascendere empyreum. Non capit terra thronum Christi. *Thronus eius sicut Sol,* Psal. 88. quemadmodum terra Solem, sic neque Christi capit thronum. Secũdò postulabat exemplum vt ex terra abiret. Etenim vel in statu humili, & paupere, sicut antea permansurus erat in terra; vel in statu opulento, sublimi, regioque fastu. Humilis & pauper status, post resurrectionem non decebat Dominum, propter summam dignitatem: opulentus, ac sublimis, exemplo valde obstaret. Quidquid enim exempli præbuit pauper & humilis status, æquasset solo status opulentus, & sublimis. Adde terrarum status & regna esse minima, & corruptibilia: neq; decuisse Christũ iam immortalem, & incorruptibilẽ regem, inter homines manere mortales, ac corruptibiles. Ad hęc, Christus neque cibis egebat, neque vestibus, neque equis, neque palatiis; neque auro,

An satius fuisset Christum in terris cum hominibus manere.

Cur Christus in terra nõluerit manere, orbemque in terra gubernare.

Psal. 88.

aut argento: quorsum igitur in terris cum hominibus mortalibus maneret, eis tam dissimilis, cum Angelis immortalibus, Cherubinis, Seraphinisque, & iustorum spiritibus incorruptibilibus immortalem regem oportuit in cælo degere incorruptibili.

Cur fuerit conueniens Christum ascëdere in cælum.

Tertiò fuit conueniens Christum in cælum ascendere, vt fidë excitaret, & exacueret: excitat ille in cælo fidem absconditus, & non visus; iuxta illud Ioannis 20. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Ex omnibus regnis, & regionibus, & locis suum regem in cælo videt, adorat, colit fides, magnoque vigore in Christum infert adorationem, & cultum, in quem nequit inferre conspectum. Nulli obstant Ianitores, nulli satellites, nulla Regis occupatio, omni hora ad eius thronum accedit, illique cultum debitum exhibet. Tunc (ait D. Leo sermo. 2.) Filius hominis Dei filius excellentius sacratiusque innotuit, cum in paternæ maiestatis gloriam se recepit: & ineffabili modo cæpit esse diuinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior, &c. videlicet quia crediderunt homines filium hominis esse Deum. Cant. 8. petit Ecclesia: *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloque ceruorum super montes aromatum,* &c. Videbat Ecclesia satius esse Christum terram relinquere, & per fidem adorari, & coli, quam in terra permanere; idcirco ait, *fuge* in cælum dilecte mi instar capreæ, & hinnuli, cursu celeri *super montes aromatum.* Celeri enim cursu Christus ascendit super montes aromatum, id est cælos. Sunt autem cæli, montes aromatum, quia omnia ibi bene olent, vbi nullum est peccatum. In terra multa malè olent, quia multa peccata committuntur.

Cant. 8.

Quartò fuit conueniens Christum in cælum ascendere, vt spem nostram firmaret ascendendi in cælum. Ad Hebræ. 6. *Præcursor,* inquit Paulus, *pro nobis introiuit Iesus,* &c. In cælum introiuit Christus, & præcursor fuit, quia ante nos introiuit, vt sequamur præcursorem. Eodem capite ait, *Spem incedentem ... in interiora velaminis,* id est, vsque in cælum; quoniam in cælum sperat ascendere. Christus caput nostrum est, nos eius corpus mysticum sumus: ascendit caput; ascendent quoque membra capitis, si tamen viua fuerint. Christus (ait Augustin. sermo. 1. de Ascensio.) nobis non inuidet cælum; sed quodammodo clamat: Mea membra estote, si ascendere vultis in cælum, &c. D. quoque Leo sermo. 1. de eadem festiuit. Quo, inquit, præcessit gloria capitis, eo spes vocatur & corporis, &c. In cælum præcessit gloria capitis nostri Christi: eò vocatur spes mystici corporis, & membrorum tanti capitis. Quintò conueniens fuit ascëdere Christum, vt sursum corda nostra traheret, charitatemque inflammaret. Vnde Apost. ad Coloss. 3. *Quæ sursum sunt,* inquit, *quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram,* &c. Matth. 6. ait Dominus; *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum,* &c. Thesaurus noster Christus est; ex terra in cælum ascendit, vt cor quoque nostrum ascendat, ibique desideria habeat, vbi thesaurum habet. D. Gregor. homil. 49. Oportet, inquit, vt eum sequamur corde, quo eum corpore ascendisse credimus. Desideria terrena fugiamus, nihil nos iam delectet in infimis, qui Patrem habemus in cælis. Etsi adhuc hic tenemur infirmitate corporis, sequamur tamen eum passibus amoris, &c.

Ad Hebr. 6. *D. August.* *D. Leo.* *Coloss. 3.* *Matth. 6.* *D. Grego.*

Quæritur, quonam die, qua hora ascenderit Dominus in cælum, & quo ex loco. Primæ quæstioni respondet Chrysostom. Act. 1. Die Sabbati ascendisse probatur, quia Lucas capit. 1. ait Apostolos in die Ascensionis reuersos ex monte Oliueti, qui est iuxta Ierusalem, Sabbati habens iter. Meminit autem Sabbati; vt indicaret die Sabbati, Christum ascendisse in cælum, ex monte Oliueti: fuisse vero fas discipulis in montem eo die iter facere, quia itinere sabbati à ciuitate mons distabat: dicebatur autem iter sabbati iter breue; quod sabbato Iudæis facere licebat. Verum ratio nihil vrget: non enim Lucas ea de causa

De die Ascensionis, & hora. *Opinio D. Chrysost.*

su

sa sabbati meminit; sed quia ostendere voluit, quantum mons Oliueti ab Ierusalem distaret, ex quo Christus ascenderat. distabat enim breui itinere, scilicet sabbati. de itinere verò sabbati diximus 2. tom. lib. 6. cap. 9. Respondendum ergo est, Christum à die Dominico resurrectionis post 40. dies, die quadragesimo in cælum ascendisse. Fuit autem hic dies feria quinta. Feria quinta instituit Eucharistiæ Sacramentum ac sacrificium; in quo nobiscum mansit in terris: Feria etiam quinta à terris discessit in cælum. Vtrumque opus fuit stupendum, tam Sacramentũ quã ascensio. Vnde Ioan. 6. cum discipuli quidam loquente Domino de Eucharistia murmurarēt, sermonem intulit de Ascensione, veluti opere stupendo, sicut stupendum est mysterium Eucharistiæ, & dixit eis: *Hoc vos scandalizat, Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius?* &c. Hoc est, cum videritis me in cælum ascendere, nonne dicetis: Qui potest sic discedere, potest sic manere: hoc est, qui hoc stupēdo modo in cælum potest ascendere; potest quoque stupendo modo in Eucharistia manere. Propter Domini Ascēsionem festiua fuit olim feria quinta, æquè ac dies Dominica, propter resurrectionem; vt ait Durandus in rationali diu. off. lib. 4. cap. 6. primitiua, inquit, Ecclesia obseruabat diem dominicam solennem, vt modò: & obseruabat etiam quintam feriam. Sed multiplicatis sanctorum festiuitatibus sublata est solemnitas quintæ feriæ, &c. De iis legendus noster Lorinus in Act. Apost. capu.

Ascensio Christi facta fuit die Iouis, non Sabbathi. Ioan. 6.

Feria 5 festiua est æquè ac dies Dominica.

Secundæ quæstioni respondetur, Christum meridiano tempore ascendisse, vt August. significat Psalm. 54. Vespere, inquit, & manè, & meridie narrabo; Vespere Dominus in cruce; manè in resurrectione; meridie in Ascensione. Et enarrabo vespere patientiam morientis, annuntiabo manè, vitam resurrectionis; orabo vt exaudias meridie sedēs ad dexteram Patris; &c. hoc indicat cereus Paschalis, qui Christũ in terris post resurrectionem versantem demonstrat. Cum ipsa Ascensionis die sub horam sextam tollitur, cũ discipulis cibum sumpsit, postea ascendit. Post meridiem, eiectus est olim Adam ex Paradiso terrestri: post meridiem ingressus est Dominus in Paradisum cælestem, id est, in cælum Empyreum, viamque filiis Adam aperuit, vt ipsi quoque ingrediantur. Meridiano tempore Sol in cæli ascendit culmen; eodem tempore noster Sol, in summã ascendit cælorum altitudinem; vt inde corda nostra inflammet.

De hora Ascensionis.

Tertiæ quæstioni respond. ascendisse Dominum ex monte Oliueti. Eduxit discipulos, vt ait Lucas, foras extra domum, in qua pransi erant, & extra ciuitatem in Bethaniam, quæ in latere montis Oliueti sita erat, distabatque quasi stadiis quindecim ab Ierosolymis, teste Ioanne cap. 11. non tamen ascendit ex Bethaniæ oppido, sed ex monte. In Bethania congregati sunt multi ex discipulis cum Deipara Virgin. & aliis feminis; inde ad locũ ascensionis venerunt, qui Bethaniæ propinquus est; in monte Oliueti: ex monte ascendit data benedictione. Reliquit autem hominibus impressa sola sua vestigia. Ex quibus vestigiis, vt Adrichomius docet in descript. Ierusalem numer. 192. colligitur, ascendisse facie versa atque oculis ad Occidentem, versus Romam regionesque Occidentales; in quibus maximè Ecclesiam suam erat proseminaturus. Obstat illud Ps. 67 *Qui ascendit super cælum cæli ad oriētem.* Item Damasc. lib. 4. fidei cap. 13. Christus, inquit, cum in cælum reciperetur, ad ortum efferebatur, &c. Respõdetur, Christum ex monte Oliueti in cælum ascendisse, qui mons ad Orientem est Ierusalem, ideoque dici ad Orientem ascendisse: ex parte videlicet vrbis Orientali. Exædificauit in loco Ascēsionis, templum Helena Cõstantini Imp. mater. Locus autem ille ex quo ascendit Dominus, ait D. Paulinus epist. 11. Nunquam tegi marmore, aut pauiri potuit, semper excussis solo respuente, quæ manus adornandi studio tentauit apponere. Lege Seu. Sulpit. libro 2. histor. & Bar. tomo 1.

De loco Ascensionis.

Situs montis Oliueti.

Digitized by Google

D. Hieron.

Vestigia Christi in loco unde ascendit.

D. Hierony. de locis Hebr. ex Actis Apostol. sic scribit: Mons Oliueti ad Orientem Ierosolymæ est, interfluente torrente Cedron; vbi vltima vestigia Domini humo impressa, hodieque monstrantur. Cumque terra eadem quotidie à credentibus hauriatur: nihilominus tamen eadem sancta vestigia, pristinum statum continuo recipiunt. Denique cum Ecclesia in cuius medio sunt vestigia, rotundo schemate, & pulcherrimo opere conderetur, summum tantum cacumen (vt perhibent) propter Dominici corporis meatum nullo modo contegi, & concamerari potuit, sed transitus eius à terra ad cælũ vsque patet apertum. Hæc ille. Legendus etiam Beda de locis Sanct. c. 7.

Nubes significat maiestatem Dei. *Exod. 24.* *Num. 9.* *Psal. 96.* *Eccle. 24.* *D. Thom.*

De nube dubium est, cur in nube ascenderit Dominus? Respondetur, nubem diuinam indicare maiestatem, Exodi 16 *Gloria Domini apparuit in nube.* Exodi 24. *Operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus*, &c. Num. 9. *die qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes*, &c. Psalm 96 *Nubes & caligo in circuitu eius* Ecclesia 24. *Thronus meus in columna nubis*, &c. D. Thomus 3. par. quæst. 57. art. 4. Nubes, inquit, non præbuit adminiculum Christo per modum vehiculi: sed apparuit in signum diuinitatis, &c. D. Chrysost. Act. 1. Quemadmodum, inquit, currus regalis declarat ipsum regem: sic & ad Christum missum est regale vehiculũ, &c. eodem loco ait nubem declarasse ipsum esse regem cælorum. Habent terreni reges peripetasmata, sed terrena ex sericeo; habuit summus Rex sua, ex excelsis nubibus, atque splendidis regem cælestem cælestes decent cortinæ. Demonstrant præterea nubes Deũ occultum esse, hominumq; intellectũ superare. Apoca. 11 ascensuri etiam dicuntur in cælum Elias & Enoch in nube. ad Thess. 4. ait Paulus, *Rapiemur cũ illis in nubibus obuiam Christo*; &c. In locum citatum Apoc. 11. Sic de nube scribit Aretas: Semper nubes ministra est in diuinis rebus, illisque familiaris est. Nam in nube est quædam obscuritas cum aliquo splendore, qui à refractione radii solaris perficitur. ideò semper diuinis manifestationibus attestando commiscetur, illud designans quod diuina neque omnino nobis incerta sunt, neque omnino manifestè præbentur, sed velut puræ lucis illustratio, per obscuritatem manifestantur. Sic ille.

D. Chrysost. *Thess. 4.* *Aretas.*

An nubes eripuerit discip. Christi conspectum.

Quæres, an nubes quæ Christum suscepit, Discipulis Christi, eripuerit eius conspectum. Communis sensus est conspectum eripuisse. idque significant verba Lucæ: *Nube suscepit eum ab oculis eorum*, &c. Abulensis tamen vult nubem non omnino occultasse Christum: Paradoxo 5. capit. 16. de illa sic scribit: Cum consolationi terminum imponeret Dominus, descendit de aerea regione quædam nubecula vsque ad pedes Saluatoris; factaque est in modum throni, aut gestatoris sedis, vt sic Christus in ea sessurus videretur: tollebatur autem nubes in excelsum, & Christus cum ea ascendebat, ac si in ea sederet. Maior tamen pars corporis nube velata non erat; vt sic Discipulis vultus videndus concederetur, corporis quoque reliqui præcipua portio. Sic Abulens. ait, nubem descendisse in terram vsque ad pedes Christi ibique eum suscepisse. At verba Lucæ significant tũc nubem suscepisse Christum ab oculis Apostolorum, cum iam per aerem ascendebat: si enim in terra suscepisset ab oculis; vel non vidissent ascendentem Christum; vel nubes non suscepisset eum ab oculis, & occultasset.

De nube.

Quomodo ascenderit Dominus.

Denique quæritur: Quomodo ascendit Dominus? Respond. Propria virtute ascendit, non gradiens, aut pedem post pedem mouens; sed corporis statu recto, paulatim in cælum tendens, videntibus Discipulis. Postquam autẽ ab oculis eorum disparuit, summa celeritate in cælum vsque empyreum peruenit. Neque enim opus erat in itinere immorari; quod temporis breuissimo spatio poterat conficere. In supremo autem loco cœli empyrei, illius supremus Thronus statuendus est: super omnes cœlos ad Ephes. 4. *Ascendit super omnes cœlos*, &c. intra cœlum tamen.

Ephes. 4.

tamen empyreum; non supra cælum. supra cęlum enim vacuum est, id est, nihil; neque rationi consentaneum videtur Christum, & beatos homines, in vacuo collocare. His de rebus iam egimus tom. 3 li. 10. cap. 2. & 3. Alii Christum locant in suprema, conuexaque superficie cæli empyrei, id tunc sciemus, cum Deo iuuante Christum viderimus. Mittamus (ait Caiet. 3. par. quęstio. 57. art. 4.) hæc supernaturalia futuri sæculi, scientiæ futuri sæculi, &c. At vero etsi non certa scientia, qualis est futuri sæculi, illa cognoscere possumus; non omnino omittenda est cognitio coniecturalis huius sæculi. Quod si roges quomodo Dominus cælos penetrauerit; Respondetur virtute diuina penetrasse, eodemque modo penetraturos beatos, vt diximus tom. 3. loco citato.

Meritò sanè Ecclesia admirabilem Christi vocat Ascensionem, *Per admirabilem*, inquit, *ascensionem tuam, libera nos Domine*, &c. Admiranda enim fuit, tum aliis rebus, tum longitudine itineris confecti, & ascendendi modo. Si enim gradiendo vt nos per terram iter facimus, ita per cælum iter fecisset Dominus, vt Abulen. ait Parad. 5. capit. 14. illuc vsque ad centum annos, & amplius nequaquam peruenisset. Eodem loco scribit, cælum empyreum à terra pluribus quam trecentis millibus leucarum distare. At verò Alpharabius Arabs Astrologus, vt refert P. Salmeron, tantum esse interuallum à terra vsque ad octauam Sphæram tradit quod homo integrum iter faciens, vix octo millibus annorum ad firmamentum valeat pertingere, nedum ad cælum empyreum. Alii Astrologi à superficie terræ vsque ad firmamentum numerant leucas 4469721. quarum quælibet quatuor milliaria continet. Quanto ergo stupore dignũ est, tam longum iter breuissimo temporis spatio confecisse? iam verò non est per currus, aut per equos dispositos confectum; sed absque vllo vehiculo, corpore Christi omnes cælos non diuidente, sed penetrante. O rem stupendam?

Admirãda fuit Ascensio Christi.

Cæli empyrei à terra distantia.

De comitatu ascendentis summi Regis quæstio etiã est: Euangelistæ enim illius non meminerunt. Audiamus D. Cyprianum de Ascẽsione loquentem: Non auxiliaribus, inquit, carpentis euectus est Christus; sed naturæ diuinæ propria vsus virtute, carnem cælo intulit. Non indiguit vectoribus. Angelis, sed præcedentes, & subsequentes applaudebant victori, & concinentes in iubilatione modulabantur canticũ nouum, &c. Si cum natus est, multitudo militiæ cælestis exercitus, gloriam in excelsis Deo cecinit; quid par est credere factum cum ascendit in cælũ? Idem Cyprianus; Celebrat, ait, tanti triumphi magnificẽtiam cælestis exercitus, & qui descendenti coram pastoribus Bethlehemiticis decantauerunt præconia, modò expressioribus conatibus, & intensioribus iubilis, reuertenti ad Patrem, solenniora obsequia impendebant, &c. Præterea aiunt duo Angeli: *Quemadmodum vidistis eum euntem in cælum, sic veniet*, &c. Veniet autem ad Iudicium myriadibus stipatus Angelorum: ergo similem in modum stipatus ascendit. Verisimile est discipulos, comitantes vidisse Angelos, siue in corporibus assumptis, siue alio modo, quo Deus illos potuit ostendere. Decuit enim videre Christum ascẽdentem cum summa maiestate; hanc autem maximè efficit comitatus: si cũ veniet ad Iudicium, homines Angelorum comitatum cernent; cur cum ascẽdit, eum vidisse non dicemus? Præter Angelos comitabantur etiam Christum animæ hominum, quas ex limbo, & purgatorio extraxerat; illaque die expulsum à Paradiso hominem recepit cęlum, qua hominum recepit Dominum: *Ascendens in cælum captiuam duxit captiuitatem*, Psalm. 67. hoc est, captiuos qui in limbo erant, & purgatorio, secum duxit in cælum. Magna enim triumphatoris gloria fuit, ante currum multas horum captiuorũ præferre myriades; qui instar clarissimorum principum, præcellentissimam de Tartareo hoste demonstrarent victoriam. Denique super omnes cælos Dominus ascendit, seditque post tot labo-

D. Cyprian.

Comitatus Domini ascendentis.

Angeli in ascẽsu Christum comitati sunt, & descensu pariter comitabuntur.

Animę è limbis eductæ redemptorẽ ascendentem comitabãtur. Psal. 67.

res exantlatos, ad dexteram Patris. Secundum diuinitatem Patri æqualis; secundum humanitatem inferior quidē Patre, sed Angelis omnibus, Cherubinis, atque Seraphinis, cæterisque omnibus creatis rebus multo superior.

CAPVT XIII.

Confertur Dominus cum Aquila, & agitur de quatuor animalibus Ezechielis.

D. Maxim. *Christus in ascensione aquila, in incarnatione homo, in passione vitulus; in resurrectione Leo.* *D. Gregor.*

COnfert D. Maximus homilia 2. de Pentecoste, Christum Opt. Max. cũ Aquila. Sicut enim, inquit, Aquila humilia deserit, alta petit, cælorũ vicina conscendit: ita & Saluator humilia inferni deseruit; Paradisi altiora petiit, cælorum fastigia penetrauit, &c. D. quoque Greg. homil. 4. in Ezechiel. illis animalium quadriformium quatuor vultibus, Christum adumbrari existimat; quæ Ezechiel describit c. 1. nimirum Hominis, Vituli, Leonis, & Aquilæ. Totum; inquit, simul nobis est Christus. Quia & nascendo homo, & moriendo vitulus, & resurgendo Leo, & ad cælos ascendendo Aquila factus est, &c. *Quatuor facies vni (ait Ezechiel) similitudo autem vultus eorum facies hominis, & facies Leonis, facies bouis, & facies Aquilæ desuper ipsorum quatuor*; &c. Congruũt hæ quatuor facies vni Christo, propter quatuor maxima mysteria, scilicet incarnationem, passionem, resurrectionem, & ascensionem. Homo factus est in incarnatione, Bos siue vitulus fuit in passione ꝓ mundi redemptione immolatus, Leo fuit in resurrectione; quia vt Gregor. ait per virtutem suæ fortitudinis surrexit vt Leo; & quia vt idē Pater scribit, apertis oculis dormire Leo perhibetur, Christus autem in ipsa morte, in qua ex humanitate dormire potuit, ex diuinitate sua immortalis permanendo vigilauit. Aquila fuit, quia in cælos velocissimo volatum ascendit. Deuter. 32. dicitur Deus instar Aquilæ Israelitas, vt ex AEgypto in terram promissam egrederentur prouocasse, *Sicut Aquila* (inquit Moses) *prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis*, &c.

Deut. 32.

Christus velut aquila, prouocat discipulos suos ad volatũ, scilicet in cælis.

Nunc verò regia hæc aquila, pullos suos Christianos prouocat, vt significatum Ægypto mundum deserant, veramque promissionis terram, id est, cælum petant. Sicut aquila prouocabat pullos suos, id est, discipulos, die illa Ascensionis, super eos veluti volitans, cum in cælum ascendebat, assumens eos, & portans in humeris. Cum enim humanam naturam in cælum portauit nos in cælum portasse dicitur. Vnde illud Chrysostom. in sermo. de Ascensione: Hodie Angeli, atque Archangeli naturam nostram in sede Dominica, immortali gloria fulgentem viderunt, &c. Et D. Leo sermo. 1. Hodie non solũ Paradisi possessores firmati sumus, sed etiam cælorum in Christo suprema penetrauimus, &c. Item: Quos inimicus primi habitaculi felicitate deiecit, eos sibi cõcorporatos, Dei filius ad dexteram Patris collocauit, &c. August. homil. 2. de ascens. Ascensio, inquit, Domini glorificatio nostra est, &cæt.

D. Chrys. *D. Leo.* *D. August.*

Quæret forsitan aliquis obiter de animalibus illis Ezechielis, cum quibus Christum contulimus; An quatuor habuerint capita, & facies, hominis, bouis, leonis, & aquilæ? Non enim tot habuisse probatur: quia monstra quædam essent potius, quam animalia. Præterea Ezechiel ait, quod vnumquodque horum animalium gradiebatur ante faciem suam. Si autem vnumquodque habuisset quatuor facies diuersas; necessum fuisset ipsum moueri simul ante omnes facies suas, & in diuersas atque etiam in cõtrarias partes; quod fieri natura non patitur. Itaque nonnullis videtur animalia illa non habuisse capita quatuor, quatuorque vultus, sed vnum tantum vultum hominis.

An quatuor animalia Ezech. 1. habuerint plures vultus.

Quod

Obiectio.

Quod si obiicias verba Ezechielis: *Quatuor facies vni*, &cæ. Respondent, faciem non sumi propriè, sed significare similitudinem, quatuorque facies fuisse vni animali, quia similia erant quatuor animalia Homini, Leoni, Aquilæ, Boui, aliqua in re. Vnumquodque (aiunt) habebat similitudinem hominis, quantùm ad vultum, & manus, & crura, & rectitudinem corporis; habebat etiam similitudinem Leonis, quantum ad iubas ex pectore, & ceruice diffusas, atque pendentes, habebat similitudinem Aquilæ, quantum ad alas; habebat similitudinem vituli, vel bouis, quātum ad plantas pedum; habebat enim tanquam vngulas bifidas, quales boui sunt. Finge hominem, adde illi in ceruice, & pectore iubas Leonis; adde alas aquilæ, adde pedes bouis. Hoc est vnum ex animalibus Ezechielis. reliqua tria eidem erant omnino similia. Quatuor facies, sunt similitudines quatuor, Hominis, Leonis, Aquilæ, Bouis, non autem sunt quatuor vultus.

Verior sententia. Theodor.

At verò quatuor habuisse vultus vnumquodque animal multo verior est sententia, & communis doctorum. In primis Theodoreti: qui Ezechiel. 1. ad illa verba. *Non reuertebantur, cum incederent*, sic scribit: Homo ad Borealē partem incedens, deinde eum vult ad Australem redire, necessario conuertitur, vnam tantum faciem sortitus: sed cui tot sunt numero facies, quot partes orbis terræ, huic Australe nihil est, sed vbique facies illius omnia intuetur, & quocunque velit incedit, neque indiget conuersione. Hæc ille. Nonne vides Theodoretum opinari vnumquodque animal quatuor habuisse vultus, in quatuor terræ partes spectantes; atque ideo non indiguisse cōuersione cum ambularet? D. Hieronymus Ezechielis cap. 1. animalia quadriformia appellat, id est, quatuor vultus habentia. D. Greg. hom. 3. in Ezechielem, faciem vultum significare putat, siquidem faciem ait notitiam significare, quia per faciem vnusquisque cognoscitur; huius opinionis est Lyranus, Hugo Cardin. Carthus. & cæteri

D. Hieron. D. Gregor. Lyran. Hugo.

A Ezechielis interpretes. Probatur ex ipsis Prophetæ verbis, qui Hebraicè quatuor, *Panim*, vocat, id est, *facies*; propriè enim faciem nomen significat. Secūdo probatur ex nostra versione probata Ezech. 10. *Quatuor vultus vni, & quatuor alæ vni*, &c. Item: *Et similitudo vultuum eorum, ipsi vultus quos videram*, &c. Vultus appellat nostra versio, ergo vultus erant, non aliæ quædam notæ. Item Ezechiel. 1. *Similitudo vultus eorum, facies hominis, & facies leonis, à dextris ipsorum quatuor: facies autem bouis à sinistris ipsorū quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorū quatuor*, &c. Nonne vides quam distinctè Propheta, de vultibus animalium loquatur? duos ait fuisse à dextris, scilicet vultum hominis, & vultum leonis, à sinistris vero vultū bouis, super omnes vultum aquilæ. Propone tibi ante oculos animalia quatuor quæ recentis opinionis Autores effingunt, habētia facies hominis, iubas leonis à ceruice & collo pendentes, alas aquilæ, pedes bouis: quonammodo explicare poteris, faciem hominis, & faciem leonis, id est, iubas fuisse à dextris ipsorū quatuor: pedes infimos bouis fuisse à sinistris, faciem aquilæ fuisse desuper? At si quatuor vultus esse dicas, facilè id explicant Doctores.

Dion. Carth.

Ezech. 1.

Confirmatur opinio cōmunis.

Ezech. 1.

Quarto, ait Ezechiel cap. 1. *Vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat*, &c. Ergo ambulabat vel ante faciem leonis, vel ante faciem aquilæ, vel ante faciem bouis. Quod si facies leonis iubæ sunt, facies aquilæ alæ, facies bouis pedes, ambulabat animal ante iubas leonis, vel ante alas aquilę, vel ante pedes bouis: quod ridiculum videtur. Sexto; *Facies*, inquit, *& pennas*, id est, *alas per quatuor partes habebant*, &c. distinguit Propheta facies ab alis, ergo alæ aquilæ non erant facies aquilæ. Septimo: *Quatuor*, inquit, *facies vni & quatuor pennæ vni. Pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum quasi planta pedis vituli*, &c. Post numeratas quatuor facies subiicit Ezechiel, animalia habuisse plantas pedū, similes pedibus vituli, ergo pedes vituli non numerantur inter facies. Iubas si

vero

vero leonis nunquam Propheta meminit. Octauo: D. Ioan. Apoc. 4. satis refutat recentem opinionem; siquidē quatuor animalibus, quatuor vultus tribuit, adeo perspicuè vt non possis tenebras offundere, & iubas leonis vel pedes bouis interpretari, *Animal*, inquit, *primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartū animal simile aquilæ volanti*, &c. Dicitur animal primū simile leoni (vt omnes Interpretes exponunt) quia vultū habebat, & figuram leonis; secundum dicitur simile vitulo, quia vultum, & figuram habebat vituli: tertium dicitur simile homini, propter faciē hominis: quartū simile aquilæ, propter formam aquilę. Nemo autem sic interpretabitur Ioannem, primum animal simile leoni propter iubas; secundum simile vitulo, propter pedes vituli; tertiū simile homini, propter faciem hominis; quartum simile aquilæ solum propter alas. Si Ioannem nemo sic interpretatur: Ezechielem quoq; nemo sic interpretetur, quia par est ratio. Ezechiel in singulis animalibus quatuor hos vultus vidit; D. Ioannes in singulis vidit vultum vnum. Nono, cū animalia Ezechielis, ex omnium cōsensu, saltem sensu mystico Euangelistas adūbrent, recentis opinionis sectatores dicant oportet, Matthęum adumbratum facie hominis, Marcum iubis leonis, Lucam pedibus bouis, Ioannem alis aquilæ, quis vero hoc æquo audiet animo? Ecclesia aliter sētit, quę ipsis vultibus animalium adumbratos in imaginibus nobis proponit, non vero iubis, aut alis, aut pedibus bouis. Deniq; verba sacræ Scripturæ, nisi quid obstet, in propria significatione retinenda sunt; quod maxime flagitat sensus literalis. At vero nihil obstat in propria significatione verbum *faciei*, accipere pro *vultu* animalium; ergo *facies* apud Ezechielem non impropriè sumenda est pro similitudine, sed propriè pro vultu. Hinc etiam refutatur id quod hi autores aiunt, Seraphinos Isaiæ 7. & Cherubinos Ezechielis, eiusdem formæ esse. Quod si Seraphini,

Facies istorū animaliū, mysticè tribuuntur Euāgelistis.

Facies pro vultu sumitur.

sex alas habere dicuntur ab Isaia, respondent, Cherubinos, siue animalia Ezechielis sex quoque alas habuisse, hinc quoniam quatuor habebant alas, vt ait locus, Propheta, & præterea duas manus, Isaias vero cum dixit Seraphinos sex habere alas, & brachia, & manus alas appellauit. Credat, qui velit; ego cum manus lego, manus intelligo, non alas. & quidem valde improprium est manus alas vocare.

Elucidatur Isaia.

Soluamus iam argumenta cōtrariæ sententiæ, licet parum momenti habeant. Illa animalia Ezechielis si quatuor vultus haberent essent monstra: ergo non habebant quatuor vultus. Respondemus, monstra quoque esse animalia, quæ vultum hominis habēt, iubas Leonis, alas aquilę, pedes bouis: si hæc monstra sectatores huius opinionis amplectuntur, nos illa alia mōstra multo verius complectimur. Nam monstris Deus in Scriptura, quæ vult monstrat. Lege Apocalypsim similia tibi occurrent. Voluit Deus his animalibus monstrare Angelorum quędā attributa, videlicet sapientiam, fortitudinem, agilitatem, & in agricultura Dei perseuerantiam: hæc autem quis non dicat, melius adumbrari vultibus animalium, quam obscuris quibusdam notis; Quis non fateatur melius significari fortitudinem Angelorum vultu Leonis, quam iubis tantum, velocitatem vultu aquilæ, quam aliis solū, perseuerantiam in cultura Ecclesiæ, vultu bouis, quam pedibus tantummodo? Multo ergo satius est hoc monstrum recipere, quod multo melius mōstrat, & à Patribus, & omnibus doctoribus est receptum, quam illud alterum recens, quod non tam bene rem monstrat, & inauditum est. Secundum argumentum hoc erat, vnumquodque animalium ambulabat corā facie sua, vt ait Ezechiel cap. 1. Si autem vnūquodque habuisset quatuor facies, necessū fuisset simul moueri ante omnes facies, & in diuersas & etiam contrarias partes, quod rei natura non patitur. Respondeat Theodoretus iam supra citatus; Cui, inquit, tot sunt numero facies, quot sunt partes orbis terræ, vbi-

Soluuntur argumēta.

Ad 1. Resp.

Ad 2. Resp.

vbique facies eius oĩa intuetur, & quo cunque velit incedit, neque indiget cõuersione, &c. Ait animalia quatuor habuisse facies, in quatuor orbis partes aspiciẽtes, & in quatuor orbis partes ambulasse absque conuersione, vt ait Ezechiel; *Non reuertabãtur*, inquit, *cum incederent*, &c. Ambulabat ergo vnumquodque ante faciem suã, quia cum tendebat in Austrum, vultum vnũ in Austrum spectantem habebat, cum vero iter faciebat in Aquilonem, vultum habebat alterum intuentem Aquilonem; idemque de Oriente, atque Occidente dicendum. Quod si naturæ vi hoc fieri non potest, Dei potestate potest. Adiite hæc non fuisse vera animalia, sed animalium spectra quædam, & si ita vis appellare, monstra quædam pulcherrima, vultibus pulcherrimis, ac splendidis corporibus prædita. In spectris autem huiusmodi non spectãdum est quid natura facere valeat, sed quid Deus significare velit. Hæc obiter de iis dixisse sit satis, ad Christi Ascensionem reuertamur.

Habenda est potissimum ratio significationis in Scriptura.

Confertur etiam Domini Ascensio cum asportatione Arcæ fœderis, in tẽplum stabile Salomonis 3. Reg. 8. Etenim Arca fœderis, siue Testamenti noui Christus est, omnibus Dei diuitiis plenissima: hodie vero ex orbe terrarum, in cæleste templum ascendit, & in Sancta sanctorum, hoc est, in potissimam cælestis templi partem introducta, ad Patris dextrã super omnes Cherubinos, & Seraphinos est collocata. Cum translata est Arca ex domo Obededom; in domum Dauid, cecinit Rex optimus Psalmum 67. cuius initiũ hoc est: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum à facie eius*, &c. imitatus enim est Mosẽ; qui cum Leuitæ in solitudine Arabica, arcam in humeros tollerent, Num. 10. diuinum auxilium his verbis exposcebat: *Surge Domine & dissipentur inimici tui & fugiant qui oderunt te à facie tua*. &c. in hac admirabili nostræ Arcę translatione, id est factum; dissipati enim sunt inimici Domini postquam in cælos ascendit, misitque Spiritum sanctum, & ex inimicis facti sunt amici.

Arca fœderis vmbra Christi.

Psal. 67.

Num. 10. Post ascensum arca dissipati sũt inimici misso Spiritu San.

Psal. 67.

non enim in cælum ascendit vt obliuisceretur terræ, sed vt inde terram conuerteret in cælum: *Sicut fluit cera à facie ignis* (ait Dauid) *sic pereãt peccatores à facie Dei*, &c. pereunt peccatores, & bene feliciterque pereunt, cum peccatis nuntium remittunt, vt August. ait serm. 109. de Tempore: Si iuste, inquit, incipiant viuere, peribunt vtique peccatores, sed non peribunt homines, &c. pereunt autem peccatores bene, *Sicut fluit cera à facie ignis*. videlicet cum Spiritus sancti igne eorum corda liquescunt, grauique criminum dolore affliguntur, & ad Deum penitus conuertuntur. Ascendit Dominus: Spiritus sancti ignem ex cælo misit, perierũt peccatores sicut cera, hoc igne cælesti feliciter liquefacti. Item eodẽ Psalmo dicitur, *Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo, qui educit vinctos in fortitudine, & eos qui habitãt in sepulchris*, &c. hoc est, Deus Christus in cælo est, loco sancto suo: inde misso Spiritu sancto regnum cælorum, id est, Ecclesiam suam in terra posuit, & habitare fecit in domo sua, id est, Ecclesia, homines Christianos, vnius moris, id est, eosdem habentes mores, eandem religionem, eãdem legem Christi, eosdem ritus Educit autem vinctos criminum catenis in fortitudine, ἀνδρείᾳ, id est, in virilitate, & robore virili, quoniam robur dat eis ad superandas omnes hostium tentationes, &c. vt scriptum est Num. 10. Arca fœderis Domini *præcedebat Israelitas per dies tres prouidens castrorum locum*. Eundem in modum Christus Christianos in cælum præcessit, prouidẽs illis gloriæ locum. Ioan. 14. *Vado*, inquit, *parare vobis locum. Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterũ venio, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis*, &c.

Spirit. San.

Psal. 67.

Num. 10.

Ioan. 14.

Præterea confertur Christus cum alia Arca admirabili, videlicet cũ Arca Noe. Etenim quemadmodum Arca Noe stupendum aquarum subiit diluuium; neque tamen demersa est, sed vt scriptum est Gen. 8. *post diluuium requieuit super montes Armeniæ*: sic Christus stupendum passionis subiit cataclysmum,

Christus præcessit in cælũ, vt nos sequamur.

Gen. 8.

clysmum, neque tamen demersus est, sed in vitam reuersus immortalem, requieuit super montes Empyrei cæli, celsissimoque in throno ad dexteram Patris sedit. Cōfertur is thronus Christi cum throno Salomonis, de quo 3. Reg. 10. legitur: *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem. Non est factum tale opus in vniuersis regnis*, &c. Salomonis thronus, vmbra fuit maximi throni Christi: Non est factum tale opus in vniuersis regnis, dicitur de typo, quia thronus Christi omnes omnium hominum, omniumque Angelorum, & Seraphinorum thronos longè superat; videlicet thronus est filii Dei ad dexteram collocatus Patris. Dan. 7. *Dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur*, &c. præcessit ille, in throno suo sedit, illius participes nos cupit facere; si tamen de hostibus nostris, mundo, carne, ac diabolo victoriam reportemus Apocap 3. *Qui*, inquit, *vicerit, dabo ei sedere mecū in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cū Patre meo in throno eius*, &c. Nunquid eodem in throno homines victores cum Christo sedebunt? Respondetur, non sedebunt eadem in celsitudine, & maiestate; immenso interuallo erunt inferiores: Sed tamen eiusdem throni, hoc est, eiusdem glorię, & honoris, participes erunt. Isaiæ cap. vltimo ait Dominus: *Cælum sedes mea est, id est, thronus*, & Matthæi 5 *Cælū*, inquit, *thronus Dei est*, &c. in hoc autem throno victores omnes cum Christo sedebūt, in quem ille reportata de cunctis hostibus victoria triūphū agens ascēdit.

Requieuit Arca Noe post diluuiū passionis.

3. Reg. 10.

Regnum Christi præcellit omnibus regnis. Dan. 7.

Apocal. 3. Victores in cælū ascendēt triumphum agentes.

Cælū thronus Dei.

CAPVT XIV.

De Ascensione Domini.

Morale.

D. Bernar.

Felicem clausulam itineris Christi, appellat D. Bernar. Ascensionem, serm secundo. Solemnitas hæc, inquit, clausula est totius itinerarii filii Dei, &c. hac etiam sublimi clausula conclusum est beatissimum illud iter; hęc fuit extrema atque æterna Christi mā sio, in terra illa repromissionis beatissima. Annuli aurei circulus, radiante concluditur gemma, eundem in modum, itineris Christi circulus plusquā aureus, ascensione veluti coruscante gemma terminatur. Vis circulum itineris cernere? Ioannis 16. ait, *Exiui à Patre & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*, &c. circuli huius clausula Patris fuit dextera. Quosdam saltus dedit Christus veniens ad redemptionem nostrā, vt ait D. Gregor. homil 29. in Euangel. iuxta illud Cant 2. *Ecce iste venit saliens in montibus*, &c. omnium finis fuit ascensio in cælum. Vultis (ait Gregor.) eius saltus cognoscere? de cœlo venit in vterum virginis, de vtero venit in præsepe, de præsepio venit in crucem, de cruce venit in sepulchrum, de sepulchro rediit in cœlum, &c. potentissimos sanè oportuit esse pedes, quibus tam admirabiles dati sunt saltus. Nimirum illi fuere de quibus Apocal. primo. *Pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti*, &c. pedes Christi saltibus mirabilibus nunquam fracti, similes fuere duro aurichalco; quia Dei pedes fuere inaudito robore præditi, fuere similes aurichalco ardenti: quia ex summo amore saltus hi orti sunt. Denique hic fuit finis, difficillimi itineris, Christi passionis plenæ opprobriis ac doloribus; Ascensio finis fuit plena inaudito honore, summisque ac sanctissimis deliciis. Psalm. 92. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus*; mirabiles fuerunt passionis tumidi fluctus, mirabilis in altis cælis Dominus est, qui mirabiles eorum elationes pertulit.

Ascensio clausula itineris Christi.

Simile.

Ioan. 16.

Saltus Christi.

D. Gregor.

Apoc. 1. Pedes Christi.

Psalm. 92.

Similis quoque finis erit nostrorum laborum, ac dolorum, quos pro Christo fuerimus perpessi; labores cælesti honore, dolores gloria concludentur sempiterna. Imperatores triplici corona dicuntur coronari, ferrea

Aquis-

Hic spinea corona conplectenda, vt in cælo habeamus auream.

Aquisgrani, argentea Mediolani, aurea Romæ. lege Iogerium in Concilio Aquisgran. Summus Imperator noster, duabus est coronatus, spinea, & cælesti. In terris si domum ingrediaris Pilati, coronatum videbis corona ex spinis contexta; in cælo si dexteram Patris spectes, coronatum cernes corona cælesti, mille pyropis coruscante: tu quoq; noli in terris auream portare coronam, vbi Christus spineā portauit. Gothifredum Regem imitare, qui corona aurea in Ierusalem noluit decorari, vbi Christus corona illusus fuerat spinea. Audiamus quid D. Anton. in vita D. Catharinæ Senensis scribat: Apparuit, inquit, illi Saluator, habens in dextera manu coronam auream, margaritis ornatam, & in sinistra diadema spineum, sicque allocutus est eam: Necessarium noueris, te vtraque corona hac, diuersis vicibus coronandam, elige quod vis; aut in istius vitæ cursu diademate spineo coronari, & auream in futuro sæculo tibi reseruari; aut nunc aurea corona ornari, & in alio sæculo spinea coronari. Respondit D. Catharina: Non est meum Domine eligere quidquam: verum si vis, vt respondeam, eligo certè passioni tuæ conformari, & pœnas quascumque pro refrigerio amplecti; his dictis spineum diadema de manibus Saluatoris accepit, & capiti suo imposuit, &c. Diuam Catherinam imitare ò Christiane: coronarum vices animo volue, elige in terris spinea coronari cum Christo Domino tuo; vt postea in cælis aurea cum eodem Domino tuo coroneris. Psalmus 109. qui ab Ascensione initium habet, *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis*, &c. huiusmodi clausulam habet: *De torrente in via bibet propterea exaltabit caput*, &c. hoc est, vt Patres interpretantur, de torrente mortis, & passionis bibet, calicem passionis hauriet, in via hac, & itinere quod in terris fecit, quamobrem caput in cælis exaltabit, corona honoris ineffabilis exornatū. Nos similiter de torrente, dum viatores sumus, bibamus, vt in termino viæ caput exaltemus. In via obiter de torrente bibitur: in sempiternum caput exaltatur. Exaltationis principiū humilitas est. August. Psalm. 109. De morte, inquit, resurrectio, de resurrectione ascensio, de ascensione ad dexterā sessio, hoc totum cœpit ex morte excelentia claritatis huius principium habet humilitatis, &c.

D. Anton. D. Cathar. Spineā coronam aureæ anteposuit.

Psal. 109. Bibe de torrēte in via, vt exaltes caput in cælis.

In via Christus Ioan. 4. *Fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem*, &c. vt parū requiesceret in via sedebat Dominus fatigatus supra fontē: at in termino viæ, iam non sedet fatigatus supra fontem parum requiescens; sed ab omni fatigatione, laboreq; liber, sedet ad dexteram Patris, iuxta cælestem bonorum omnium fontē requiescens in perpetuum. Gen. 2. *Requieuit Dominus die septimo ab omni opere, quod patrauerat*, &c. Dicitur Deus requieuisse die Sabbato ab omni opere creationis, qđ nullum ei laborē præbuerat: meritò ergo dicemus requieuisse ab omni opere redēptionis, quod maximū ei attulit laborem. Itaq; requieuit in die Ascensionis, ab excellentissimo, laboreq; plenissimo opere, quod patrarat, seditq; ad dexterā Patris, vt Rex regum, celsissimo in throno, cęlorū, terrarumq; regna omnia, nutu gubernans suo. *Tu solus peregrinus es in Ierusalē*: aiebant discipuli Luc. 24. peregrinus erat in terra Dñs: iam non peregrinatur domum iā peruenit. peregrinus fuit, & ignotus Ierusalē terrestris ciuibus: Dñs & Rex est notissimis cælestis Ierusalem incolis, sed peregrinus dicitur à Magno Greg. hom. 9. in Euang. & peregrè profectus in cælū, alia cōsideratione; Carnis enim, inquit, locus proprius terra est, quę quasi ad peregrina ducitur, dū per Redemptorē nostrum in cælo collocatur, &c. ad diem vsque dominicæ Ascensionis cælū homo non ascenderat, humanū corpus cælum non perambulauerat, oīno peregrinus & extraneus erat cęlo homo. hac die, ò rē stupendā, Christus, q̄ inauditū erat, in cęlū humanam naturā, humanū corpus, humanā introduxit animam neq; solū introduxit, sed in celsissimo gloriosissimoque cæli throno collocauit. D. Epiphan. in orat. de Ascensio. Christi.

Requieuit Dominus ab opere, quod patrarat. Gen. 2.

Peregrinus homo in cælo.

D. Epiphan.

Hodie,

Hodie, inquit, corpus è terra conceptum, Christus supra cæli conuexa transtulit; hodie nouum planeque peregrinum spectaculum mundo ostendit: videlicet carnem nostram supra regium solium euectam, &c. Chrysostom. sermo. de Ascensione: Super hęc (inquit) omnia natura nostra eleuata est, vt homo qui loco tam humili tenebatur, vt descendere non posset vlterius; ad tam excelsam sedem eleuaretur, vt altius non posset ascendere, &c. Augustin. serm. quinto, de Ascensio. Christus, inquit, terram leuauit in cælum. Recepit se intra velamina diuina, cum carne maiestas; didicit cælum portare hominem; sub pedibus Christi famulantia æthera iacuerunt, &c.

D. Chryso.

D. August.

Post Adæ peccatum generale, quoddam interdictum à Deo impositum est cælo; ne quis hominum in id posset ingredi. Quod illa Paradisi terrestris custodia adumbrauit Genes. 3. *Collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ*, &cæt. Itaque nemo hominum, etsi sanctissimorum, in cælum ascendebat, ante Christum; cunctos terræ cauernæ recipiebant. In die hac magna cum lætitia sublatum est antiquissimum interdictum; sustulit autem illud Christus, humanam naturam, multorumque hominum animas, quas ex inferis eduxerat, cælo inferens. Christo enim huiusmodi interdicti sublatio honorificentissima debebatur, non Abrahamo, non Mosi, non Dauid, vel alicui ex antiquis patribus. Deuteron. 34. *Vidisti eam oculis tuis* (ait Dominus Moysi) id est, terram repromissionis; *& non transibis ad illam*, &c. Noluit Dominus Mosem ingredi terram repromissionis, qua cælum significabatur; noluit ab eo populum in illam introduci, sed à Iesu siue Iosue. Cur ita? videlicet, vt indicaret non esse auferendum à Mose cæli interdictum, sed à Iesu Christo. hactenus cæli portæ clausæ fuere; iam Angelos audiuimus clamantes, Psam. 23. *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ*, &cæt. quasi dicant; ablatum est interdictum ianitores portas recludite cælestis templi, ingrediatur Rex gloriæ, illucque Patriarcas, Prophetas, sanctosque homines intromittat. Quamdiu interdictum durat, neque cymbala pulsantur, neque ad templa vocatur populus: postquam autem aboletur, tum cymbala personant, tum ad templa populus magna cum exultatione confluit. Eundem in modum, quamdiu per tot annorum millia, cæli permansit interdictum; neque cymbala pulsata sunt, neque populus ad templum vocatus, hoc est, neque Apostoli veluti cæli præclara quædam cymbala, toto orbe sonuerunt, neque gentes ad cæleste templum vocatæ sunt. At postquam Christus interdictum aboleuit, Psalm. 18. *In omnem terram exiuit sonus cymbalorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: vocatique sunt toto orbe populi ac nationes ad templum cæleste. Iuxta illud Domini præceptum, *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Meritò autem omnis creatura terræ, appellatur homo, quia si Christi redemptionem spectemus, omnis creatura fuit homo. Nam pro solo homine crucem subiit.

Interdictũ à Deo cęlo impositũ. Genes. 3.

Interdictũ sublatũ à S. Pat. Christo.

Deuter.

Psalm. 23.

Simile.

Apostolorũ prędicatio.

Psalm. 18.

Omnis creatura cur dicatur homo.

Ascendit Christus in cælum, in terra vero per Apostolorum prędicationem, aliam habuit admirabilem Ascẽsionem. Nam quemadmodum in cælo, super omnes Angelos hominesque beatos ascẽdit, ita in terra, in cognitione, fideque hominum, super omnes principes, atque reges, & super omnes ascendit Seraphinos. iuxta illud Pauli ad Philippen. secundo, *Dedit illi nomen quod est super omne nomẽ*, &c. Præterea in cælo sedet ad dexteram Patris, in terra sedet in cordibus hominum, hi sunt Christi throni in terra celsissimi, quibus maximè delectatur.

Duplex Ascẽsio Christi, altera ĩ celũ, altera in corda hominũ & intellectũ.

Philip. 2.

CA-

CAPVT XV.

De Ascensione Domini.

Morale.

Ex monte Oliueti ascendit Dominus.

ASscendit Christus in cælum ex monte Oliueti, iuxta illud Psalm. 67. *Ascendit super cælum cæli, ad Orientem*, &cæt. Est enim mons Oliueti Ierusalem Orientalis. Vndè Ezechiel cap. 11. *Ascendit*, inquit, *gloria Domini de medio ciuitatis, stetitque super montem, qui est ad Orientem vobis*, &c. videlicet super montem Oliueti. Oliuas misericordiam adumbrare quis nescit? Dei vero misericordia in cælum iter nobis aperuit. O beatum mõtem, quàm fertiles oliuas nũc habes, idest, in die Ascensionis Christum habes, ex quo oleum misericordiæ in vniuersum genus humanum permanauit. Deiparam habes virginem, & Apostolos. Denique quod optimum in terra est, habes.

Ascendit Dominus videntib. Apostolis.

Ascendit præterea Dominus *videntibus illis*, id est, Apostolis, & reliquis qui cum Apostolis erant, vt ascendentem ipsis corporeis oculis viderent, testesque essent oculati Ascensionis admirabilis. Abstulit eum ex oculis nubes, sed non abstulit ex cordibus, non cernebant oculis, sed cernebant cordibus. Trãslatus est Enoch, raptus Elias, absque multis testibus, ascendit Christus multis testibus videntibus; tam stupendæ enim Ascensionis, multos oportuit esse testes videntes, & oculatos. Ascendit primus, quemadmodum resurrexit primus, primogenitus fuit mortuorum, & primus hominum ascendentium. Translatus est Enoch, Genes. quinto, ductus est Elias in Paradisum terrestrem curru igneo, neuter tamen ascendit in cælum. Mortui sunt antiquæ legis Patriarchæ, Prophetæ, variique alii diuina gratia præditi, in cælum verò ante Christum nullus peruenit. Vnde vates Michæas cap secundo, *Ascendet*, inquit, *pandens iter ante eos: & transibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum*, &c. hoc est, Aperiet iter in cælum Christus, ascendetque in die Ascensionis, ante Patriarcharum, Prophetarum cæterorumque Sanctorum animas. Ipse Rex eorum transibit coram eis, in domum cælestem eos ducens: in capite eorum erit Dominus, hoc est, Dominus erit dux, omnibus præibit, primusque introibit, viam portasque reserãs. ad Hæbræor. 10. *Habentes fiduciam in introitu Sanctorum, in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam*, &c. Per sanguinem Christi, ait Paulus, nos habere fiduciam in introitu, Græcè in introitum Sanctorum, id est, ad introeundum in cælum. Nam Sancta sanctorum templi Salomonici cælum significabant. Addit, viam in cælum sub veteri lege apertam non fuisse, à Christo autem esse initiatam, quam, inquit, *initiauit*; Græcè, ἐνεκαίνισεν, nobis viã, id est, hanc viam in cælum nobis Christus innouauit, per hanc primus iter fecit: propterea appellat viam nouã, quia nullius ante vestigiis fuerat signata.

Primus hominũ Christus in cælũ ascendit.

Mi. h. 2.

Hebr. 10.

A verbo Græco, quo Paulus vtitur, deriuatur nomen, Ἐγκαίνια, Encænia, quo vtitur Ioannes cap. 10 *Facta*, inquit, *sunt encænia*; scilicet templi, possumus ergo secundum Paulum dicere, in die Ascensionis facta esse encænia cæli. Encænia autem, siue ἐγκαινισμὸς, significat dedicationem, & initium vtendi. Deuter. 20. *Quis est homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam*, &c. Græcè, οὐκ ἐνεκαίνισεν, id est, non cœpit ea vti; in die autem Ascensionis dedicatum est hominibus cælũ, eoque vti cœperunt. Fuit ergo quinta illa feria dies Ascensionis Christi: fuit etiam ille dies Ascensionis hominum; fuit quoque dies encæniorum cæli. Dies fuit Ascensionis Christi, quia in cælum tunc ascendit; dies fuit ascensionis hominum, quia cum rege suo pãdente iter ascenderunt; dies fuit encæniorum

In die Ascensionis celebrata sunt cæli empyrei encænia.

niorum cæli Empyrei, quia tunc primum eo vti cœperunt homines. Hodie cælestis Pastor, errantem ouem, quam inuenerat, Luc. 15. humeris impositam in cæleste ouile intulit: hodie homines ex Paradiso terrestri pulsos, in Paradisum cælestem introduxit: hodie spem sydera calcandi nobis præbuit, capitis enim præcessio (ait August. lib. 17 homil serm. 6.) spes membrorum est, &c. Hodie noster Iacob, Genes. 32 cum duabus turmis Angelorum, & hominum, in patriam suam reuersus est. Erat in cælo turma vna Angelorum, deerat turma altera hominum, hanc hodierna die summa cum exultatione cælum recepit.

Luc. 15.

D. August.

Gen. 32.

Ascendit quidem Dominus; sed ita ascendit, vt etiam nobiscum maneret: quod Matthæi extremo capite indicauit. *Ecce*, inquit, *ego vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi*, &c. Est autem nobiscum non solum quoad diuinitatem, sed etiam quoad humanitatem, in stupendo Eucharistiæ Sacramento atque Sacrificio. Voluit enim manere, non solum, vt coleretur à nobis, & adoraretur, verum etiam vt Sacramenti tanti susceptio animis nostris magnum gratiæ virtutumque incrementum afferret: Sacrificii vero oblatio Deum placaret, & magna nobis bona impetraret. Feria quinta Sacramentum instituit, quo manet nobiscum; feria etiam quinta ascendit in cælum, & discessit à nobis. stupendum vtrumque opus est, stupendum est, Christum Deum atque hominem, in Eucharistia realiter, atque verè manere nobiscum, stupendum quoq; tot cœlos penetrasse, tot leucarum millia pertransisse, vtrumque tamen fides docet, fidelis credit. Discessit ab Eliseo Elias 4. Reg. 2. pallium suum illi reliquit: discedere enim nō poterat, & manere, at Christus discessit à nobis, & mansit nobiscū, nempe Deus est, cuius potentiæ nihil est denegandum; id quod inclytum illud nomen significat, Isai. 7. *Vocabitur nomen eius Emmanuel*, id est, nobiscum Deus. Emmanuel vocatur Christus, quia nobiscum est in Augustissima Eucharistia. Reddit autē

Ascēdit Dominus, & mansit nobiscum in augustissima Eucharistia.

Manet nobiscū Christus in Eucharistia, inde vocatur Emmanuel.

Isai 7.

nomen, rationem cur nobiscum possit esse tam miro modo, videlicet, quia Deus est Emmanuel est, id est, nobiscū Deus, cuius potentia nullis terminis circumscribitur. Quid hæsitas Hæretice? quid ambigit istud tuum corculum? Emmanuel ille maximus, in Eucharistia est, id est, nobiscum Deus. Deus est, omnia quæcumque vult facere potest. Et in terra potest esse simul, & in cælo.

In die sui raptus Elias reliquit pallium Eliseo: Christus vero in die admirandæ suæ Ascensionis, discipulis reliquit vestigia impressa humo, vt supra dictum est cap. 11. Quidnam quæso, hæc Domini, hæc magistri nostri indicant, docentque vestigia, tunc nobis relicta, cū discessit à nobis? Quod in discessu sponsus sponsæ suæ, id est, Christus Ecclesiæ suæ donat, magni pretii esse debet. Nunquid gemmam aliquam reliquit pretiosam? Nunquid aurum, vel argentum? nunquid magni pretii vestes? nihil horū, sed sola reliquit vestigia. O vestigia pretiosiora gemmis, auro, argēto, cultuque pretioso: Videlicet imitationē Christi significant, quæ pretiosior est cunctis huius orbis terrarum rebus pretiosis. Reliquit nobis Dominus vestigia, quasi diceret: Christiani mei, sicut me nomine imitamini, ita imitamini vita, inspicite vestigia mea, vestigiis meis insistite, vbi ego pedes posui, ibi & vos ponite, ab itinere meo ne recedite. Aperiebat nobis tunc primum Christus cælum, quia via illuc sit eundum etiam aperit, nempe eundū per vestigia Christi, id est, per imitationē Christi, hæc per vestigia itur ad astra. De Ioseph sic scribit Philo in lib. de Ioseph: Vitam suam virtutibus plenam, velut tabulam bene pictam, Ioseph in medio proposuit, &c. Sic noster cælestis Ioseph, id est, Christus, vitam suam veluti tabulam pulcherrimam, ad imitandum nobis proposuit, & vestigia sua, quibus inhæreamus, reliquit. Seneca, vt ait Tacitus, lib. 15. Annalium, ab amicis discedens, in vitæ termino testamenti tabulas poposcit: negauit Centurio: at ille cōuersus

Christus extremo die sua nobis reliquit vestigia.

Imitatio Christi.

Philo.

Seneca imaginem vitæ suæ amicis reliquit.

uersus ad amicos; siquidem aliud relinquere nō poterat, imaginem vitæ suæ illis relinquere testatus est. Multa nobis reliquit Christus, sempiternamque hæreditatem in cælis, nobis suo sanguine comparauit; in cælum vero discedens, vitæ suæ præclarissimam imaginem nobis relinquere testatus est; cum impressa humo reliquit vestigia. Denique Chrysost. audiamus orat. 5. contra Iudęos: Propterea, inquit, Christianus es, ideo hoc nomen accepisti, vt Christum imiteris, eiusque legibus operum exhibitione pareas, &c.

D. Chrysost.

CAPVT XVI.

De Ascensione nostra.

Morale.

ASCendit Christus in cælum corpore, nos quoque vult ascendere corde, iuxta illud August. serm. 175. de temp. *Ascendamus cum Christo interim corde; vt cum dies eius promissus aduenerit, sequamur & corpore*, &c. Quemadmodum resurrectionem Christi, secuta est ascensio in cælum: ita resurrectionem Christiani ex peccato, sequi debet ascensio cordis in cælestia. Ad hanc ascensionē hortatur Apostolus ad Col. 3. sic scribens: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est ad dexterā Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*, &c. Si consurrexistis, inquit, cum Christo; post hanc resurrectionē ne in terra maneatis, sed ascendite in cælestia: quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terrā. Gen. 3. Hæc extat Dei in serpentē maledictio: *Super pectus suum gradieris, & terrā comedes*, &c. Væ misero homini, in quē serpētis incidit maledictio, qui super pectus suum gradit, humi repta, terrā veluti dulcissimū cibū comedit, cæli obliuiscit, cęlestes escas fastidit.

D. August. Ascendamus modo corde in cælum, vt postea ascēdamus animo & corpore.

Col 3.

Gen. 3. Instar serpentiū homines super pectus gradiūtur, & terrā comedunt.

Duos filios Adam habuit, Cain, & Abel. Cain possessionē significat, Abel vanitatem: duæ hæ sunt hominum imagines; similes quidam sunt Caino, alii Abeli, Caino similes, possessiones quæ sunt in terra, cæli obliuiscuntur. Cain, vt est in Scriptura, Gen. 4. *fuit vir agricola*; Hebraicè, *Gonot. Adama*, id est, seruus terræ, huiusmodi multi sunt serui terræ, qui non cælestibus, sed terrenis seruiunt rebus. Alii vero Abeli similes sunt cuius nomen significat vanitatem. omnia enim caduca terræ bona, vanitatē esse arbitrantes, cælestia quærunt, non quæ super terram: illud in corde semper & in ore habentes, Eccle. 1. *Vanitas vanitatū, & omnia vanitas. Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole*, &c. Hebraicè *Abel Abalim*, &c. idest, *vanitas vanitatum*. Vana sunt omnia terrena. Nihil magnum ex terra potest homo suo labore comparare. Quod si quid illi magnum videatur esse, adest subito mors; dulcemque escam ex faucibus eripit summo cum moerore. Nihil sub sole magnum, nihil solidū: supra solem attollenda mens est, attollēdus labor. Illud etiam notandū Cain primum ciuitatem exhædificasse, quā vocauit Henoch Gen. 4 Abel, idest, cæli amator, terræ peregrinus est parua casula delectatur, ciuitates non curat, ædificare cælestē expectans ciuitatē. vnde illud ad Heb. 11. *Abraham fide demoratus est in terra repromissionis, tāquā aliena in casulis habitando cum Isaac, & Iacob: expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem.* At Cain, idest, terræ seruus in terra ædificia fundamentis carentia excitat, paulo post æquanda solo terræ habitator est, non peregrinus. denique terræ terrenisq; negotiis se dedicat. id indicat nomen *Henoch*, quod Cain imposuit ciuitati, dedicatum enim significat. Nam terræ amatores, terræ se dedicant, terrenisque curis se mancipant.

Caino quidā similes, aly Abel.

Gen. 4.

Cain primus ciuitatem ædificauit.

Hebr. 11.

Quæ sursum sunt quærite (ait Apostolus) *mortui enim estis*, &c. Egregiam reddit rationem, quasi dicat, mortui huius vitæ nihil quærunt; vos per Baptismum mortui estis; nihil

Ascensioni necessaria est mortificatio.

ergo terrenum debetis quærere. Ei qui mente in cælestia cupit ascendere, valde est necessaria mortificatio. Quemadmodum enim animus noster in cælum non ascendit, nisi prius moriatur corpus, sic idem animus nō ascēdit ad res cælestes desiderādas, & quærendas, nisi prius corpus mortificetur. Passer velociter volat, si non grauētur alæ: si vero pluuia deprimantur, in sublime volare nequit. Sic animus, si alæ duo, hoc est, intellectus, atque voluntas, terrenis curis deorsum non trahātur, in cælestia volat agiliter, si vero terrenis negotiis ac cupiditatib. onerentur, alæ humi repit, & terram comedit, serpentis instar. Audiamus D. Cyrill. lib. 1. de Trinit. Mens, inquit, si perturbationibus crassior fuerit facta, nunquam diuinam pulchritudinem intuebitur, & in iis quæ magis terrena sunt residebit, similis passeribus complutis madefactione, à subuolando in sublime prohibitis, &c. Vt sursum arbor crescat, rami rescinduntur inferiores, eundem in modum, vt sursum anima feratur, cupiditates inferiores resecādæ sunt. Vnde August. tract. 3. epist. 1 Ioannis; Tantum, inquit, nos exercet sanctum desiderium, quantum desideria nostra amputauerimus ab amore sæculi, &c.

Simile.

D. Cyrill.

D. August.

Philo lib. de vita Mosis: Palma, inquit, vitalem vim habet, non in radicibus defossam, vt cæteræ arbores, sed in summo, quasi consitum, in ramorum medio, à quibus circūquaque stipatur, sicut princeps à suis satellitibus. cuiusmodi natura est etiam mentis, quæcumque sanctitatem degustauit. Solet enim hæc sursum spectare, & in sublimibus versari, occupata contemplandis diuinis pulchritudinibus, nauci faciēs terrenas, &c. Si suo cursui grauis aqua relinquatur, in terram labitur; si vero per aquæ ductus prematur, ascēdit. Sic cogitationes, & curæ nostræ, si suo permittantur cursui, labuntur in terram, & orcū, quod si mortificatione premantur, ascendunt. Cupiditates ergo, sæculiq; curas mortificet, qui ad cælestia vult ascendere. Gen. 32. vno pede claudum fecit Angelus Iacob. moralem rationē reddit D. Gregor. lib. 3. Moral. cap. 40. Iacob, inquit, vno pede claudicauit, quia qui vero amore sublimia respicit, iā in hoc mundo duplicibus desideriis incedere nescit, &c. Videlicet, terrena desideria mortificat, cælestibus fertur. Deniq; ascensio nostra animo fit à terra libero ac defæcato; corq; nostrum ab imis, & temporalibus rebus extollit, & in summis æternisq; collocat. Videamus q̄d de se magnus Greg. referat, lib. 1. Epist. 5. Conabar, inquit, quotidie extra mundū fieri, nihil in hoc mundo appetens, nihil pertimescens, videbar mihi in quodā rerum vertice stare ita vt illud ferè in me impletum crederem, Isai. 58. *Sustollam te super altitudines terræ*, &c. Conatur extra mūdum fieri, nihil in hoc mūdo appetens, aut pertimescens, qui appetitiones effrenatas coercet, postea super altitudines terræ sustollitur, & in rerū caducarum vertice collocatus, omnes sub pedibus habet. Huc spectat illud Aug. serm. 176. de Temp. Ipso, inquit, affectu pariter, & profectu ascendamus post Dominum, etiā per vitia, & passiones nostras. Si vtiq; vnusquisque nostrum subdere eas sibi studeat, ac super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum cōstituit, quo possit ad superiora cōscendere. Eleuabunt nos, si fuerint infra nos, de vitiis nostris scalam nobis faciamus, si vitia ipsa calcamus. Hæc Aug. hæc de qua diximus, ascensio est mentis nostræ dum vitali hac aura vescimur.

Philo.

Mens similis Palmæ, sursum.

Simile.

Gen. 32.

D. Gregor.

Nihil in mūdo appetendum.

D. August.

Passiones ipsæ eleuāt nos si perfundātur.

Secunda ascensio est, cum anima ex corpore veluti ex carcere euolat, ascenditque in cælū. Tertia erit cum recepto corpore eadem anima extremo Iudicii die, simul cum Christo, omnibusq; iustis ascendet. De hac admirabili ascensione locuti sunt duo illi Angeli, quos ad Apostolos venisse Lucas refert Act. 1. *Hic Iesus*, inquiūt, *qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælū*, &c. Quorsum sic veniet Dominus in orbem terrarū? sic veniet, & sic descendet, vt ascendere faciat homines in regnum cælorum. Ascendit ille cū corpore; nos corpora in morte exuimus, illis

Act. 1.

De nostra ascensione in cælū in die Iudicii.

illis tamē induemur, summa gloria fulgentibus, & in cælum ascendemus, cū venerit ad iudicandum summus Iudex Apoc 6. de martyribus loquens Ioannes ait: *Data sunt illis singula stola alba, & dictū est illis vt requiescerent adhuc tempus modicum donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi*, &c. etenim nunc martyribus, reliquisq; iustis, singulæ stolæ albæ dantur, quia gloria animæ induuntur; postea vero in Iudicio, altera stola alba dabitur, idest, gloria corporis. Interim quiescere iubentur vsq; ad Iudicium donec numerus prædestinatorum cōpleatur; vt simul omnes resurgant, duplicique stola exornati in cælum conscendant. Primasius: More, inquit, humano agitur, verbi gratia, sicut filii reuertētes de agro dicūt patri: Pater laborauimus hodie, æstum perpessi sumus, tempus est vt tribuas nobis refectionē. & ille eis respōdet; Sustinete parumper filii, quousque veniant fratres vestri, qui similiter laborārt, & tunc cum eis plenissimè epulabimini: sic Deus quodammodo egit, cum non dedit electis immortalitatem in corpore, vt maior gloria sit, maiusque desiderium, cum omnes generaliter in die Iudicii binas stolas acceperint. Hæc ille. Eadem similitudine vtitur Chrysost. ad Heb. 11. August. sermo. 11. de sanctis, & alii. O quam lętus, quamque mirabilis erit dies ille ascensionis omnium simul iustorum, incredibilis lætitia erit cum rediuiua recipient corpora, admirabili gloria coruscātia; cum, vt Paulus ait 1. ad Thes. 4. *Simul rapientur in nubibus obuiam Christo in aera*, cum se ad cęleste regnū A vocarit suauissimis illis verbis audiētes *Venite Benedicti*, &c. deniq; cum in cęlum vsque empyreum Domino iter pandente ascendent.

Apoc. 6. *Duæ stolæ.* *Primasius* *Simile.* *1. Thess. 4.*

Hunc ascensionis nostræ diem ait Apost. ad Rom. 8 ab omni creatura expectari illis verbis: *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat*, &c. hoc est, omnis creatura expectat tempus illud lętissimum, quo reuelabūtur, & apparebunt filii Dei, in perfecta animæ corporisq; gloria, in die Iudicii. B Iuxta illud ad Col. 3. *cum Christus apparuerit vita vestra, tunc, & vos apparebitis cum ipso in gloria*, &c. Itē de se Paulus & aliis primitias spiritus habentibus; *Ipsi*, inquit, *intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri*, &c. expectabat Paulus redemptionem corporis sui. hæc autem redemptio perfecta, in die C Iudicii fiet, cum resurgent immortalia corpora Sanctorum, gloriæ dotibus prædita. Hunc etiam diē aduenire nos in oratione Dominica postulamus, cū dicimus; *Adueniat regnum tuum*. tunc enim Christus summus Rex apparebit, coram cunctis omnium sæculorū hominibus; tunc ab omnibus Christianis, Iudæis, Mahometanis, Ethnicis, Rex esse cæli, & terræ, cognoscetur, *tunc restituet regnum Israeli Dei*, id est, iustis omnibus. *tūc restituet omnia*; iuxta illud Petri Act. 3. Quem, id est, Chri- D stum, *oportet cælum suscipere, vsque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os Sanctorum suorū à sæculo Prophetarum*, &c. Tunc adueniet regnum eius, & regnum nostrum, tunc cum illo ascēdemus pariter, & regnabimus in sempiternum.

Rom. 8. *Ascēsionē nostram dič omnis creatura expectat.* *Coloss. 3.* *Act. 3.*

FINIS LIBRI NONI.

SEBASTIANI BARRADAS, E SOCIETATE IESV, DOCTORIS THEOLOGI,

Commentariorum in Quatuor Euangelia, eorumque concordiam Euangelicam,

LIBER DECIMVS.

CAPVT PRIMVM.

De festo Pentecostes.

LVCAS ACTORVM CAPITE II.

ET cum complerentur dies Pentecostes, erãt omnes pariter in eodẽ loco: & factus est repente de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis: & repleuit totam domum vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitę linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi, ex omni natione, quæ sub cælo est. Facta autem hac voce, conuenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos.

Digitized by Google

illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicētes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilęi sunt, & quomodo nos audiuimus vnusquisq; linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pāphyliam, Ægyptum, & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenem, & aduenæ Romani, Iudæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes, audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Stupebāt autem omnes, & mirabantur adinuicem dicentes: Quidnam vult hoc esse? Alij autem irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt isti. Stans autem Petrus cum vndecim leuauit vocem suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea. Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia. Sed hoc est quod dictum est per Prophetam Ioel: Et erit in nouissimis diebus (dicit Dominus) effundam de spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visionem videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, & prophetabunt: & dabo prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi; Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & manifestus, & erit omnis, quicumque inuocauerit nomen Domini saluus erit.

Cum complerentur dies Pentecostes.

Cur dicatur festum Pētecostes.

DE Ascensione Domini egimus, operæ pretiū erit de aduentu quoque Spiritus sancti agere, de quo Lucas Actor. 2. scripsit: *Cum cōplerentur*, inquit, *dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco.* Quid significet nomen Pentecoste, dubium est, quive dicantur à Luca dies Pentecostes. Respond. nomen Pentecoste Græcū esse πεντηκοστὴ, & significare. *Quinquagesimam*: habuit enim nomen illa festiuitas, à numero dierum quinquagima, quia post Pascha die quinquagesimo, agebatur. Leuit. 23. *Numerabitis ab altero die Sabbati, i quo obtulistis manipulū primitiarum, septē hebdomadas plenas, vsq; ad alterā diē expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium nouū Domino ex omnib. habitaculis vestris panes primitiarū duos, &c.* Numerabant ergo Iudęi ab altero die Sabbati, i quo obtulerāt manipulū primitiarū, septē hebdomadas dierū plenas, & integras, vsq; ad alterā diē expletionis hebdomadæ septimæ. i. vsq; ad diē sequentem post

Leuit. 23.

septimam hebdomadam totam transactam. Illa enim dies erat quinquagesima, in qua festum agebatur Pentecostes. Iosephus lib. 3. Antiq. cap. 10. post Paschale, inquit, sacrum, elapsis septe hebdomadibus, hoc est 49. dieb. quinquagesimo die offerunt Deo panem, &c. A quinquaginta diebus appellabatur Pentecoste, siue Quinquagesima; à septem verò hebdomadib. dicebatur festum hebdomadarum. Deut. 16. *Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in segetem miseris, & celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo*, &c.

Iosephus.

Numerandi hos dies, & hebdomadas, initium ducebatur ab altero die sabbati; id est, à die sequente festū azymorum, in quo manipulum primitiarum offerebant, vt traditur Leuit. 23. *Cum messueritis segetes, feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ, ad sacerdotem, qui eleuabit fasciculum corā Domino, vt acceptabile sit pro vobis, altero die sabbati, & sanctificabit illum. In eodem die, quo manipulus consecratur, cædetur agnus*, &c. Secundo die azymorū metebant Iudæi manipulos ex segetibus, & primitias Deo offerebant. Ex multis autem manipulis, vnum tātum eo die sacerdos eleuabat Deo offerés, & consecrabat. Ab hoc secundo die azymorum numerare incipiebant septem hebdomadas integras siue plenas, quæ efficiunt dies 49. & die sequēti, id est, quinquagesimo festum Pentecostes, id est, Quinquagesimæ agebāt. Festum autem azymorū agebatur decimaquinta die mensis Nisan, qui nostro Martio & Aprili respondet. Numerare ergo incipiebant, à die decima sexta mensis Nisan dies quinquaginta. Quæ dies eo anno quo Christus in crucem est actus, fuit sabbatū. Christus enim cruci suffixus est, die decima quinta mensis Nisan, primo die azymorum, feria sexta; dies ergo decima sexta sequens fuit sabbatum. Satis iam intelligitur quid sit Pentecoste, quive dies Pentecostes, de quibus Lucas ait: *Cum complerētur dies Pentecostes.* Græcè legitur: ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς: hoc est, cum compleretur dies, singulari numero, Pentecostes. quæ verba significant ipsam extremam diem Pentecostes, id est, Quinquagesimam aduenisse, in qua Spiritus sanctus aduenit; neque vero esse præteritam, sed in ipsa missum tantum donum. vnde refellitur opinio eorum, qui volunt Spir. S. datum Apostolis, elapsis iam omnibus quinquaginta diebus.

Cur dicatur festum hebdomadarum.

Leuit. 23.

Secūdo die azymorum metebāt Iudæi manipulos, & offerebant Deo.

Numerabātur dies Pētecostes quinquaginta, à 2. die azymorum.

Non leue argumentum dictis opponitur. Diximus enim Iudæos dies quinquaginta supputare incepisse ab altero die sabbati, id est, à secundo die azymorum. Hinc sequitur diem Pentecostes Iudæorum, illo anno quo Christus mortuus est, fuisse diem sabbatum, nō Dominicum; atque adeo Spiritum sanctum datum Apostolis die sabbati: id quod à veritate abest, cū Spiritus sanctus die Dominica ad Apostolos ex cælo missus sit. Sequi autem probatur. quoniam Christus mortuus est primo die azymorum, vt initio huius tomi scripsimus; erat autem feria sexta, ergo dies sequens secundus azymorum fuit sabbatum, in quo manipulus spicarum oblatus est, & à sabbato supputare incæperunt Iudæi dies Pentecostes. Vnum habes diem sabbatum; si ad das septem hebdomadas plenas, id est 49. dies; in sabbato septimæ hebdomadæ quinquaginta dies explebis, fuitq; dies Pentecostes sabbatum. Respondetur Iudæos tunc incepisse numerare dies quinquaginta, à secundo die azymorum, cum illa dies non erat sabbatum. Ratio est; quia in sabbato, neque ignem quidē accendi fas erat; aut aliquod opus seruile facere. Secundo autem die azymorum metebant manipulos, quod erat opus seruile, & ferebāt ad sacerdotem. Transferebatur ergo in sequentem diem tertium azymorū collectio manipulorum, tunc vnus offerebatur manipulus, & numerare incipiebant dies quinquaginta Pentecostes. Anno passionis Christi hoc euenit. Dies primus azymorum feria sexta fuit, secundus fuit sabbatum, vt cōstat; non ergo licuit manipulos metere; sequens dies fuit Dominica, in qua Christus resurrexit; ab illa numerare

Obiectio.

Solutio.

Non sēper numerabātur dies Pētecostes à die 2. azymorum.

incęperunt quinquaginta dies Pentecostes, fuitque dies quinquagesima, dies Dominica, in qua celebrata est festiuitas Pentecostes, & Spiritus sanctus aduenit, quinquagesimo die post Domini resurrectionem, vt Ecclesia numerat. Hunc respondendi modum tradit Cardina. Bellarm. lib. 3. de cultu sanct. cap. 13. & Card. Baron. is mihi prae aliis placet.

Bellarm.

Rupertus Exodi 19. existimat dies quinquaginta Pentecostes, numerandos à prima Dominica post festum Paschatis Iudaeorum occurrente. Sic ille interpretatur verba illa Leuit. 23. *Numerabitis ab altero die sabbati*, &c. id est, à prima die, quae sabbatum sequitur propriè dictum; prima autem dies, quae sabbatum sequitur Dominica est Leuitici 23. scribit, Iudaeos anno passionis, festum Azymorum transtulisse in sabbatum, die vero Dominica sequẽte obtulisse fasciculum primitiarum: & dies numerare incepisse.

Rupertus.

Est alia opinio, quae verba illa; *Numerabitis ab altero die sabbati*; sic interpretatur. numerabitis quinquaginta dies Pentecostes, ab altero die post festum Azymorum, exclusiuè. Cum igitur anno Passionis, altera dies post sabbatum, id est, festum Azymorũ fuerit sabbatum, ab eo exclusiuè numerati sunt dies Pentecostes, & à Dominica sequẽti inclusiuè, quamobrem dies quinquagesimus fuit dies Dominicus. Refellitur opinio ex Hebręo, sic enim habet ad verbum: Numerabitis vobis à cras sabbati, à die qua obtulistis manipulum *eleuationis, septem hebdomadas integras*, &c. Numerandi ergo sunt dies à cras sabbati, siue festi Azymorum inclusiuè, & à die quo oblatus est manipulus inclusiuè, vt ait Ioseph lib tertio Antiq. cap. 13. & alii. Verba includunt diem, non excludunt.

Alia explicatio.

Ioseph.

Non deest qui verba illa, *Dum complerentur dies Pentecostes*; sic exponat; statim ac completi sunt dies Pentecostes. Putat enim autor huius expositionis, manipulum primitiarum, anno passionis, post feriam sextam ipso sabbato, quia erat secundus dies Azymorum, oblatum esse, & à sabbato numeratos quinquaginta dies, festumque Pentecostes Iudaeorum die sabbati celebratum. Spiritum vero sanctum sequenti die Dominica aduenisse; *Dum complerentur dies Pentecostes*, id est, statim ac completi sunt. Sed impropria est interpretatio. Verba enim dum complerentur, significant nondum fuisse completos omnes dies. Praeterea, vt supra diximus, Graecè sic habetur, ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς, hoc est, in compleri diem Pentecostes, vel, dies Pentecostes, id est, cum compleretur dies extrema festi.

Explicatio quorundã autorũ in verba Luc.

Reijcitur illa interpretatio.

Quaeritur praeterea, an die quinquagesimo Pentecostes, quo Spiritus sanctus aduenit, data sit lex Mosis in monte Sinai? Ex scriptura quidem non potest exploratè colligi quaestionis responsio. Nam Exod 19. sic scriptum est. *Mense tertio egressionis Israël de terra Aegypti, in die hac, venerunt in solitudinem Sinai*, &c. & infra, *Sint parati in diem tertium, in die enim tertia descendet Dominus*, &c. Egressi sunt Israelitae ex Aegypto decima quinta die mensis primi Nisan, qui Martio, & Aprili respondet: peruenerunt in montem Sinai, vbi lex est data, mense tertio, si dies enumeres; reperies quadraginta quinque, sexdecim ex mẽse Nisan, cuius Luna dies habet 30. & ex mense sequenti 29. tot enim dies habet Luna mensis secundi. Peruenerũt ergo in montem Sinai post diem 45. facta numeratione à die primo Azymorum. Quo die peruenerint non constat. Colligitur dies ex verbis illis, *venerunt in die hac in solitudinem Sinai*. Sed quae dicatur *dies hac*, ambiguum est. Rupertus Abulensis & alii putant *diem hanc* appellari diem primam mensis, in hunc sensum: venerunt filii Israel in solitudinem Sinai mense tertio, in die hac, id est, prima die mensis. Cardin. Bellarm. sic interpretatur, *in die hac*, id est, in ipso initio mensis. Si hunc diem primum mensis numero superiori 45. adiicias, numerum effeceris 46. Praeterea castrametatus est populus illa prima

An die Pętecostes data sit lex vetus.

Exod. 19.

Numerantur dies ab egressu populi ex Aegypto vsq; ad legis promulgationem.

Rupert. Abulens.

Bellarm.

die mensis, qua peruenit in montem; quieuit duobus diebus sequentibus, vt est verisimile, eaque fecit Moses, quæ Exod 19. scripta sunt; *dixitque illi Dominus* Exod. 19. *Sint parati in diem tertium*, &cæt die tertio legem dedit, Exod. 19. & 20. Igitur si addas numero quadragesimo sexto, diem secundum & tertium mensis, quibus populus quieuit; & tres dies alios, numerum habes vnius & quinquaginta dierum, si numeres à festo Azymorum. Si vero numeres ab altero die Azymorum, à quo numerantur dies Pentecostes, habes dies quinquaginta. Quinquagesimo ergo die ab illo die Azymorum facta supputatione, data est lex, die mensis sexto; hoc autem die agebatur dies Pentecostes, & aduenit Spiritus sanctus. Alii (*diem hanc*) volunt appellari non diem primam mensis tertii, sed diem tertiam, in hanc sententiam; *Peruenerunt filij Israel in montem Sinai mense tertio, in die hac*; id est, in die tertia, erat enim mensis tertius. & erat *(hac diei)* id est, tertia sicut mensis erat tertius, Die tertia peruenerunt in montem, iuxta hanc sententiam, die quarta dixit Dominus Mosi: *sint parati in diem tertium*; deditque legem die sexta mensis tertii, quinquagesimo die à secundo die Azimorũ, & quinquagesimo primo à 1. die Azimorũ. Die autem sexta mensis tertii datam esse legem, opinatur Lyranus cum Rabbi Salomone Exod. 19. Card. Caiet. Card. Bellarin. & alii.

Aliæ opin.

D. Hieronymus epist. 127. mansione duodecima. Dies numerat quinquaginta ab exitu ex Ægypto: Supputemus, inquit, numerum, & inueniemus quinquagesimo die egressionis Israel ex Ægypto legem datam, &c.

D. Hieron.

D. Cyprianus ab immolatione Agni enumerat. Lex, inquit, à Pascalis Agni immolatione die quinquagesimo datur, & Pẽtecost nomẽ tantæ rei solẽnitas ex lege accepit, &c. D. August. epist. 119. capit. 16 Eodem modo: Postquam, inquit, Pascha occiso Agno celebrauerunt, dies quinquaginta numerantur vsque in diem quo lex data est, &cæt. & lib. secundo, quæst. in Exod. quæstione 70. Ex die, inquit, quo agnum immolauerunt, vsque ad illum quo lex datur, dies quinquaginta numerantur. Ita in ipsa veritate noui Testamenti à festiuitate Agni immolati Christi, quinquaginta dies numerantur, quando Spiritus sanctus de altissimis datus est, &cæt. D. Leo sermo. primo, Pentecostes. Sicut, inquit, Hebræo populo, quinquagesimo die post immolationem Agni lex data est; ita post passionem quinquagesimo à resurrectione Christi die, in Apostolos Spiritus sancti illapsus est, &c. At verò sic numerus, non incidet legislatio in diem Pentecostes. Nam dies quinquaginta Pentecostes, post immolationem Agni à die secundo azymorum numerabantur.

D. Cypria.

D. Augus.

Ad hæc quæritur quæ causa fuerit festiuitatis Pentecostes Iudæorum instituendæ. Ex Scriptura colligi potest institutam fuisse, vt primitiæ messis Deo offerrentur. Nimirum ex singulis domibus duo panes fermentati, qui cedebant Sacerdotibus. Leuit. 23. *Numerabitis*, inquit, *quinquaginta dies; & sic offeretis sacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis vestris panes primitiarum duos, de duabus decimis simila fermentata, quos coquetis in primitias Domini: offeretis quoque cum panibus septem agnos*, &c. Deuteron. 16. *Celebrabis festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ*, &cæt. Itaque Cardina. Toletus Ioann. septimo, putat non esse institutam festiuitatem Pentecostes propter datam legem. Lyranus tamen Leuit. 23. Cardin. Bellarm. & alii putant celebratam festiuitatem Pentecostes in memoriam datæ legis. Id sentire videtur D Hieronymus mãsione duodecima. Inueniemus, inquit, quinquagesimo die egressionis Israel legem datam; vnde & Pentecostes celebratur solemnitas, &cæ.

De causa festiuitatis Pẽtecostes. Leu. 23.

Deut. 16.

Lyran.

Typus is fuit, legis nouæ in eodem die Pentecostes promulgandę.

CAPVT II.

De aduentu Spiritus sancti.

Erant omnes pariter in eodem loco.

GRæcè, erant omnes, ὁμοθυμαδὸν, id est, vnanimiter; sic vertit Interpres Act. 1. *Erant perseuerantes vnanimiter*, Græcè, ὁμοθυμαδὸν, *in oratione. erant in eodem loco*, Græcè, ἐπὶ τὸ αὐτὸ, in idipsum, simul, in eodẽ loco. Qui locus fuerit dubitatur. Templum fuisse probatur. Nam Lucas his verbis finem suo Euangelio imposuit: *Erant semper in templo laudantes, & benedicentes Deum*, &c. Si Apostoli semper erant in templo, erant etiam nunc in festiuitate pręcipua Pentecostes. D. Augustin. serm. 179. de temp. dicere videtur in templo expectasse Apostolos Spiritũ sanctum. Accepto, inquit, Christi ascendentis mandato Apostoli, de superuenturo sancti Spiritus pignore pretioso, in templo erant vnanimes, collaudantes Dominum; vt vna eos inueniret corona ignea aduentantium gratiarum, &c. Cardin. Baron. ait Apostolos his diebus, decem qui medii sunt, ab Ascensione Domini, vsque ad Pentecosten, non alibi, quam in domo simul mansisse: illud vero Lucæ; *Erant semper in templo*; de tempore intelligit post acceptum Spiritum sanctum. Responderi etiam potest Apostolos post Ascensionem Domini fuisse semper in templo, id est, omnibus diebus, aliquot horis in templo mansisse. Die vero Pentecostes, nondum abierant in templum; sed domi orãtes permanebant, domique Spiritum sanctum receperant. Ait enim Lucas; *Repleuit totam domum vbi erant sedentes*; domi igitur erant, non in templo. Noluit in templo Ierosolymitano,

An fuerint Apostoli in templo in ipsa die Pentecostes.

D. August.

Baronius.

Spir. S. no...

A Deus Spiritum sanctum dari Apostolis; quoniam mortua iam erat lex vetus, cuius illud templum erat, & ritus, ac ceremoniæ, quæ in illo seruabantur.

fuit datus Apostolis in templo.

Si quæras quænam domus hæc fuerit? Respond. fuisse cænaculum, de quo Lucas cap. 1. ait; *Et cum introissent, ascẽderunt in cænaculum*, &c. Erat autem cænaculum pars superior domus, ideò ait, *ascenderunt in cænaculum*. & Acto-B rum 20. dicitur adolescens nomine Eutychus, de tertio cænaculo cecidisse. Appellatum est cænaculum à cænando; Græcè dicitur à Luca, ὑπερῷον, quod nomen locum significat, *superiorem*. Psalm. 103. *Qui tegis aquis superiora eius*; Græcè, ὑπερῷα, item: *Rigas montes de superioribus suis*, Græcè ἐκ τῶν ὑπερῴων, diximus de cænaculo initio huius tomi. Magnum dicitur Luc. 22. *Ostẽdet vobis cænaculum magnum*, &c. Acto-C rum. 1. centum viginti homines capit. In hoc cęnaculo virgo erat Deipara, aliis feminis comitata: D. Petrus; Apostolique alii, & discipuli: vacabant autem orationi; iuxta illud Actor. 1. *In cænaculum ascenderunt, vbi manebant Petrus & Ioannes*, &c. *Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus*, &c. In eo ædificatum est postea D templum, quod dictum est Ecclesia Apostolorum. De cænaculo Adrichomius locorum Terræ sanctæ doctus diligens, & accuratus scriptor, in descriptione Ierusalem sic scribit, Nume. 6. Cænaculum situm erat circa medium montis Sion, magnum, stratum, in quo Christus agnum cum Apostol. comedit, corporisque & sanguinis sui Sacramentum instituit. ibi die resurrectio-E nis stans in medio discipulorum, eis vulnera sua conspicienda præbuit. Ibidem die Pentecostes Spiritus sanctus super centum viginti credentes descendit. Eodem in loco Helena Imper. Constantini mater, amplissimum extruxit templum, &c.

In cænaculo Sp. S. acceperunt discipuli.

Act. 20.

Quid sit cænaculum.

Psal. 103.

Descriptio cænaculi.

Cænaculũ factũ est tẽplũ ab Helena matre Cõstãtini Imper.

Ta-

Factus est repente de cælo sonus.

QVomodo Spiritus sanctus aduenerit, narrat D Lucas. Non descendit sicut pluuia tacitè, vt Verbum æternum descendit; sed magno cum sonitu aduenit apertè; non descendit in humilitate, sed in maiestate. Descẽdit enim vt probaret Christum, qui descẽderat in humilitate, Deum esse, sedereque ad dexteram Patris, in summo honore, & gloria. Data est lex vetus terribili cũ sonitu, fumo, & igne, in monte Sinai, Exod 19. *Totus mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace: eratque omnis mons terribilis, & sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius*, &c Item: *Cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes dẽsissima operire montem*, &c. Noua vero lex promulgari cœpta est in monte Sion, & Spiritus sanctus datus est, non cum fumo excæcante, sonituque tonitruorũ & buccinæ terribili, sed cum igne illuminante, sonituque placidissimi flatus. Dulciter aduenit dulcis hospes animę Oportuit visibilibus vti signis; sed non terribilibus, in hoc aduentu. Oportuit Iudæos in cœnaculum conuocare, vt discipulos audirent magnalia loquentes Dei; sonitu hoc ingenti & fragore ex cœlo vocati sunt. Oecumenius, Repentino, inquit, sonitu, & non insensibiliter, factus est accessus spiritus; & de cælo; vt subita quidem consternatione, & magis excitaret, & omnes ad concurrendum impelleret; sensibiliter vero, vt miraculum confirmaret, quod omni caret calũnia, &c. *Factus*, inquit, Lucas, *est repente de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis*, Græcè, πνοῆς βιαίας, id est, flatus violenti, magno impetu, & vi sese inferentis.

Quomodo descenderit Spir. sanct.

Exod 19.

Oecumen.

An fuerit verus ventus.

Caietan.

Quæritur, an fuerit hic verus ventus, an venti solum similitudo? Caiet. non fuisse verum ventum arbitratur; idque probatur, quia Lucas ait; *Factus est repente de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis*, &c. particula vero, *tanquam*, similitudinem indicat fuisse venti, non vẽtum verum. Huius sententiæ est Chrysost. Act. 2. Tanquam spiritus inquit, neque enim ventus erat simpliciter per aerem diffusus, &c. Verisimilius est ventum fuisse vehementem, ac violentum, siue motum aerem: particulam vero, *tanquam* non significare similitudinem, sed veritatem, vt aliis locis. Dici etiam posset, vsum Euangelistam particula, *tanquam*, quia flatus ille ab aliis flatibus diuersus erat, ab Angelo nempe aliquo effectus; non à causis hisce inferioribus, & naturalibus.

Sententia Autoris.

Quid indicaris sonus & flatus.

Indicabat sonus ex cælo, locum ex quo Spir. S descendebat, nimirum cælum; indicabat mitti à Christo qui erat in cælo; indicabat donum esse cæleste, quod donabatur terræ habitatoribus, vt in cælum possent ascendere. Indicabat sonum illum Psalm. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorũ*. Cælestis enim Apostolorum sonus erat; & in omnem exiuit terram. Excitauit quoque discipulorum mentes vt aduenientis Spiritus sancti maiestatem animaduerterẽt. Flatus vero siue ventus, & spiritus vehemens, impetusque magnis Spiritum sanctum eiusque vim atque impetum magnum adumbrabat. Repleuit totam domum vbi erant sedentes, id est, manentes; ita vt omnes perflaret, iucunditateque mira & consolatione afficeret; & exterior spiritus, interioris spiritus effectum, & copiam ostenderet. Quemadmodum enim flatus ille exterior, totam domum perflauit; sic Spiritus sanctus interior, omnes in ea manentes suis donis compleuit. D. Bernardinus tom. 3. in serm. de 7. donis Spir. S. cap. 3. sonum hunc harmonia fuisse plenum ait. Sonus, inquit, factus est inenarrabili suauitate, & harmonia plenus; superauitque omnium sonorum, vocum, & harmoniam suauitatem, &c.

D. Bernar.

Dicuntur autem discipuli sedentes in domo, id est, manentes. Nam sedere, manere, & habitare significat Lucæ vltimo, *Sedete in ciuitate*, id est, manete. Deut. 1. *Sedistis in Cadesbarne multo tempore*, &c. id est, mansistis. Quamuis ergo

Deut. 1.

ergo genibus flexis, vel stantes orarēt tamen sedentes dicuntur in domo, id est, habitantes, vel manentes. Orasse autem tūc temporis Ecclesiasticus docet Hymnus, his verbis, *Dum horæ cunctis tertia, repente mundus intonat, orantibus Apostolis, Deum venisse nunciat*, &c. Occumenius Act. 2. Dum discipuli, inquit, orationi, & obsecrationi incumberent, venit ad eos Spiritus sanctus, &c. & Chrysostomus: Illud considera cum instant deprecationi, cū charitatem inter se habent, tunc aduenit Spiritus, &c.

Orationi vacātes discipuli repleti sunt Spir. sanct.

Occumen.

D. Chrysost.

Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis.

PRæter sonum, atque flatum; visæ sunt in cænaculo linguæ igneæ dispertitæ; Græcè, διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς, hoc est, diuersæ linguæ, vt ignis, in casu secundo. Dubium est, an dicantur hæ linguæ dispertitæ, eo quod ipsæ diuisæ in partes, & dissectę fuerint, an potius, eo quod in eos qui Spiritum sanctum acceperunt, sint separatim distributæ? Non videtur improbabile linguas ipsas dissectas fuisse in plures partes, sedisseque super discipulos, sic diuisas, vt manifestius ipsa diuisione, linguarum diuersitatem, discipulis datam indicarent. Sed communis opinandi & pingendi modus est, non fuisse dissectas in plures linguas; appellarique dispertitas, quia in multos erant distributę, & à se ipsis inuicem separatæ. Forsitan quæres, singulæ ne linguæ super singulos apparuerint, an plures super vnum? Respondeo, Ecclesiam in Sacro Spiritus sanct. dicere Spiritum sanctum apparuisse in linguis innumeris; plurimæ ergo erāt. Vnde sequitur non singulas super singulos, sed multas apparuisse. Quæ linguarum ignearum multitudo multitudinem designabat linguarum, quam Spiritus sanctus Apostolis donabat, vt docerent populos. Eratne verus ignis linguarum? Respondetur fuisse ignis similitudinem; quod indicare potest particula, *tanquam*. Neque repugnabo illi, qui veri ignis linguas esse dixerit, minimè tamen comburentis diuina potentia. Nam particula, *tanquam*, veritatem etiam potest significare. *Sedit autem super singulos eorum*: Sedit, inquam, ignis ille linguarum super singulos discipulos, id est, super capita singulorum. Legendus est D. August. 2 de Trinit. ca. 6. & lib. 4. c. vlt. & epist. 102. ad Euodium.

Linguæ cur dicantur dispertitæ.

Linguæ innumeræ, id est, plurimæ.

Non fuit verus ignis.

Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis.

QVæ præcesserunt, signa fuerūt aduenientis Spiritus sancti admirāda, externa, sensibusq; corporeis obiecta; vt Spiritus sancti descensum demōstrarent. Post signa aduenit inuisibilis Spiritus sanctus, omnesque illos, qui in cænaculo erāt, miris compleuit donis. *Repleti*, īquit, *sunt omnes Spiritu sancto*, &c. Iam ante Spiritum sanctum acceperant Apostoli, nūc vero multo maiori copia accipiunt & plenitudine. D. Leo hom. 3. de Pentecoste: Sperabatur, inquit, Spiritus sanctus, quia Dominus Iesus illum promiserat ad futurum; non vt tunc primum esse Sanctorum inhabitator inciperet, sed vt sacrata sibi pectora, & feruentius accenderet, & copiosius inundaret, cumulās sua dona, non inchoās; nec ideo nouus opere, quia ditior largitate, &c. D. Gregor. Nazianz. in orat. de eodem festo, ait ante Passionem fuisse in Apostolis Spir S. obscurius efficacem; post resurrectionē expressius; in Pentecoste plenius. Repleti enim sunt Spiritu sācto. Repletus est itellectus lumine, & sciētia, repleta voluntas charitate, repletum cor diuino ardore & fortitudine; repleta pars animæ inferior tranquillitate. Non est autem opus concedere omnibus qui aderant æqualia dona esse data: etenim Apostolis multò maiora data sunt, quam reliquis, Virginem Deiparam excipio.

D. Leo.

D. Greg. Nazian.

Illud

Illud quæri potest, an Spiritus sanctus nūc docuerit Apostolos simul omnia, quæ opus erant ad fidem docendā, Ecclesiamque gubernandam; an postea docuerit successu temporis, cum opus erat pro re nata? Respond. Cœnaculum Siō fuisse velut Academiam siue Gymnasium Apostolorum; magistrum fuisse Spiritum sanctum. Quemadmodum ergo in Academia discipuli omnia docentur quæ munus id flagitat, cui destinati sunt, neque ab Academia prius discedunt, quam ferè omnia discant, quæ muneri exequendo sunt necessaria. Sic Apostoli antequam ex illo Gymnasio id est, cœnaculo, exirent, à summo magistro Spiritu sancto, edocti sunt omnia necessaria muneri prædicandæ fidei, & Ecclesiæ administrandæ, cui attributi erant. Ioa. 14. *Ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia quæcūque dixero vobis*, & 16. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit omnem veritatem*, &c. Hinc illud D. Leonis serm. 1. de Pētecoste: O quam velox est sermo sapiētiæ, & vbi Deus magister est, quam citò discitur, quod docetur, &c & illud D. Ambro. Lucæ 1. Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia, &c. D. Thomas 1 2 quæst. 106. art. 4 Docuit, inquit, Apostolos Spiritus sanctus omnē veritatem de his, quæ pertinent ad necessitatem salutis, scilicet de credendis & agendis, non tamen docuit eos de omnibus futuris euentibus; hoc. n. ad eos non pertinebat, secundum illud Act 1. *Non est vestrum nosse tempora*. Sic D. Thom.

An Spir. S. omnia simul Apostolos docuerit.

Simile.

Ioan. 14. & 16.

D. Leo.

D. Ambro.

D. Thom.

Obiectio.

Obiicitur. Apostoli ignorabāt post aduentum Spiritus sancti an esset seruanda Lex vetus simul cum Euangelio; ideoque Concilium conuocarunt Act. 15. *Conuenerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret*, &c. Conquisitio autē non esset facta, si Apostolos hoc iā docuisset Spiritus sanctus. Quod si non docuerat, sequitur non omnia simul docuisse. Præterea Actorum 10. apparet Petro vas velut linteum, serpentibus, volatilibus, & quadrupedibus plenū; vt eum doceret Gētiles in Ecclesiam esse recipiendos. Ergo nondum hoc ab Spiritu S. acceperat. Respondetur, Petrum & cæteros Apostolos à Christo doctos esse, Ethnicos ad Ecclesiam esse vocados; cum illis præcepit, vt Euāgelium omni creaturæ prædicarent, cūque illis sensum Scripturarum aperuit: hoc igitur sciebant, idem à Spiritu sancto sunt edocti. Linteum vero illud quod Act. 10. Petro apparuit, Petrum in doctrina iam accepta confirmabat, monebatque vt ad Cornelium iret. An autem essent ritus veteris legis, cum lege noua ab Ethnicis seruandi, dubium est cognouisse Apostolos ante illam conquisitionem magnam. Quidquid sit Spiritus sanctus in cœnaculo multa docuit; postea si quid necessarium occurrebat, idem Spiritus sanctus quid verum esset, indicabat.

Responsio.

Et cœperunt loqui varijs linguis.

REpleti ita sunt Spir. sancto discipuli, vt supereffluerent forasque Spiritus sanctus dona emitterent: neque enim sibi tantum, sed vniuerso orbi repleti sunt. Effectus mirabilis Spiritus sancti tunc apparuit; cuius indices fuere dispertitæ linguæ, atque igneæ; videlicet magno cum ardore variis linguis loqui cœperunt magnalia Dei. Fieri hoc potuit duobus modis. vel ita vt Apostoli sola lingua sua vterentur; ab omnibus verò hominib. cuiuscunque nationis & linguæ essent intelligerentur; vel ita vt omnium nationum ipsi verba proferrent, linguāque callerent, & cum omnibus loqui possent intelligenter. Secūdus modus probatur D. Gregor. Nazianzeno ora. de Pentecoste. Nam, inquit ille, si priorem modum sequamur; eorum potius qui audiebant, quam qui verba faciebant, hoc miraculum fuerit. At iuxta posteriorem modum, eorum qui loquebantur, &c. D. Cypri. tract. de Spiritu sancto, secundum modum sequitur. Dū Hebræa, inquit, lingua Apostoli prædicarent; locutio Iudaica enuntiationis suæ articulos, cursu consueto euoluens, nullo exponebatur interprete; sed

Quomodo dicantur Apostoli varijs linguis locuti.

D. Gregor. Nazian.

D. Cypria.

sed

sed verbo eorum per Spiritum sanctum inerat virtus & gratia, vt habitantes Pontum & Asiam, suam esse dicerent linguam, quam audiebant, &c. Dicendum est cum D.Thoma. 2.2. quaestio. 176. art. 1. Apostolos secundo modo variis linguis locutos, ad promulgandum Euangelium. Quod si aliquando oportuit simul diuersis nationibus concionari, locum tūc habuit primus modus. *Coeperunt*, inquit, *loqui varijs linguis*, Graecè, ἑτέραις, id est, aliis linguis; aliae ergo fuere linguae, & diuersae ab Hebraea, quibus Apostoli loquebantur, 1.Cor. 12. *Alij*, inquit Paulus, *dantur genera linguarum*, &c. & capit. 14. *Omnium vestrum linguam loquor*, &c. Marc. 16. *Linguis loquentur nouis*, &c. Diuersa ergo erant genera linguarum, quibus Apostoli loquebantur; nō sola Hebraea. Adde, & illud Isaiae 28. *In loquela labij, & lingua altera loquetur ad populum istum*, &c. quod Paulus 1.Corint. cap. 14. de dono linguarum interpretatur. D.Greg. hom. 30. in Euāgel. Spiritus sanctus in linguis igneis apparuit, omniumque linguarum sciētiam dedit; hoc miraculo designans, quod sancta Ecclesia eodem Spiritu repleta, omnium gentium erat voce loquutura, &c. Gloss. ordina. ex Beda: Potuerunt Apostoli linguas omnes intelligere, & loqui, & eorum etiam verba, maiore miraculo, quacunque essent lingua edita, ab omnibus audientibus aequè intelligi, &c.

D.Thoma. Solutio difficultatis. 1.Cor. 12. Marc. 16. Isai. 28. 1.Cor. 14. D.Greg. Beda.

Quaeritur quonam modo variis his linguis in coenaculo locuti sint. Numquid vnus multis linguis loquebatur, modo hac, modo illa? an hic vna, ille alia, alius diuersa? Numquid omnes simul loquebantur, an alius post alium? Resp. singulos multis linguis locutos, modo hac modo illa. Non tamen videtur oēs simul locuti. Forsitā alii aliis respondebant, & magnalia Dei velut in choro personabant in coenaculo, linguis diuersis.

Quaestio. Solutio.

Facta autem hac voce conuenit multitudo.

Dubium est de qua voce intelligendus sit Euangelista, de sonitune facto ex caelo; an de voce & locutione discipulorum? Graecè sonus dicitur ἦχος, vox vero φωνὴ, diuersa vocabula, diuersas res videntur significare; vnde Card. Caiet. non dicit Lucas, facto hoc sonitu, sed facta hac voce, quam descripsit aliis & aliis linguis, &c. Sic ille interpretatur, & Carthusianus, facta hac voce discipulorum, qui variis loquebantur linguis, conuenit multitudo. Lyranus de sonitu facto ex caelo exponit. vel de voce Apostolorum; eodem modo Gloss. interl. De repentino sonitu, sensus videtur probabilior. Si enim locutionem discipulorum significasse voluisset Lucas, dixisset, factis his vocibus conuenit multitudo, multae enim erant eorum voces, non vna tantum. Dixerat supra, *Factus est de caelo sonus*. Hunc sonitum nunc indicat cū ait: *Facta autem hac voce*: sonum ex caelo factum vocem appellat. Nomen nāque vocis pro sono etiam rei inanimatae sumitur, vt Psalm. 92. *Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem suam. Eleuauerunt flumina fluctus suos à vocibus aquarum multarum*, &c. Fuit illa vox siue sonitus è caelo factus nouus & stupēdus, auditusque est per totam Ierusalē & velut tuba, siue cymbalum Iudaeos stupefactos cōuocauit.

Caietan. An vox facta, sit à caelo sonitus factus. Psal. 92.

Quò conuocauit, & quo conuenerint, ambigitur. Euangelista solum ait, *Conuenit multitudo*; quo conuenerit nō exposuit. Chrysost. hom. 8. in Acta ait conuenisse in coenaculum, ibique Petrum concionem habuisse, &c. D. Ant. p.p. historiae titul. 6. c. 2 §. 1. Audito, inquit, per ciuitatem illo magno sonitu erga illud coenaculum, subitò concurrit maxima multitudo diuersarum nationum; ad sciscitandum causam illius sonitus: Apostoli ergo visa multitudine coeperunt loqui variis linguis magnalia Dei, &c. Existimat conuenisse Iudaeos in coenaculum: Apostolos vero cepisse loqui variis linguis postquā viderunt multitudinem congregatā. Hoc verò secundum non videtur probabile; significat enim D. Lucas Apostolos statim vt impleti sunt Spir. S. coepisse loqui variis linguis magnalia Dei, antequam conueniret multitudo.

Quo conuenerit multitudo. D.Chryso. D. Anton.

Roga-

Rogabit aliquis; Nunquid discipuli cum Spiritum sanctum acceperunt in cœnaculo erant, portis fenestrisq; patentibus, ita vt possent à multitudine audiri? Nonne par est credere ianuis clausis orationi vacasse, & Spiritum sanctum accepisse Respond. Ianuis clausis orationi operam dedisse, & Spiritũ S. accepisse; postea verò Spiritus ardore concepto ex cœnaculo egressos esse in plateam variisque linguis magnalia Dei celebrasse Iudæis audientibus. Non displicet quod ait Dionys. Carthus. Act. 2. discipulos postquam Spiritu S. sunt inflammati, continuo templũ petiuisse, quod non longè distabat à cœnaculo. Erat igitur hora illa 3. diei festi Pentecostes Iudæorum; factus est de cælo sonus, acceperunt discipuli Spiritum sanctum, cœperuntque statim loqui magnalia Dei: conuenit multitudo simulque ex sequente in templum die illo celebri magnalia Dei loquentes se contulerunt; ibi nouis linguis omnib. admirantibus loqui non cessabant, ibi Petrus tria millia ad Christum aggregauit.

Vbi audiuerint Iudæi discipulos, loquentes magnalia Dei.

Stupebant autem omnes.

MEritò stupebant tantum cernentes miraculum. Videbant enim homines ignobiles, pauperes, atque indoctos, omnibus linguis magnalia Dei celebrantes. Sed quænã magnalia Dei loquebantur? vt Carthus. ait, resurrectionem Christi, ascensionem, & Spiritus sancti missionem. Crediderim propter Iudæos qui hæc ignorabant, magnalia Dei in Ægypto & deserto facta, similiaque alia, variis linguis elocutos, quæ typi, & figuræ erant Christi. Magnalia Dei appellarunt Iudæi, ergo illa magnalia discipuli celebrabant, quæ Iudæis erant nota; admiscentes alia ignorata de Christo. Illud quæritur an viderint etiam hi homines linguas igneas super capita discipulorũ? Par est credere tantum miraculũ ignearum linguarum, non solis fidelibus, sed etiam infidelibus Iudæis esse factum, vt ad fidem ducerentur. Dicendumq; erit linguas igneas super discipulos, nõ paruo sedisse tẽpore, sed aduentum expectasse multitudinis. Huius opinionis videtur esse Lyranus Act. 2. ad illa verba Petri: *Effudit Christus hũc*, id est, Spiritus sanctus, *quem vos videtis, & auditis*, &c. Videtis, inquit Lyranus, in linguis igneis, & auditis in variis linguis, &c. fieri potuit, vt per plateas cũ ad templum pergerent, & in templo quoque super capita insiderent linguę mirandum in modum. Obiici potest; Iudæos huius miraculi nullam fecisse mentionem, sed solum locutionis. *Audiuimus, aiunt, eos loquentes nostris linguis magnalia Dei*: neque addunt, & vidimus linguas igneas. Præterea, si linguas vidissent igneas, non dixissent: *Musto pleni sunt*, &c. Respõderi potest non omnia scripta esse quæ dicta sunt, vel facta. Incredulos autem quosdam dixisse; Musto pleni sunt. Quos neque linguæ igneæ, neque variis linguis loquentes discipuli permouebant.

Magnalia Dei quæ.

Quæstio.

An viderint Iudæi linguas igneas super capita discipulorum.

Obiectio.

Responsio.

Altera quæstio est, an multitudo quę conuenit, fuerit Iudæorum, an Gentilium; fuisse enim Gentilium probant regiones. *Parthi*, inquiunt, *& Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiã*, &c. Quis nescit hæc, & alia nomina regionum illarum esse, quas Ethnici incolebant? Respondendum est, multitudinem quæ conuenit, Iudæorum fuisse, non Gentilium; siquidem ex hac multitudine tria millia fidem Christi receperunt. Primi autem qui Christo nomina dederunt, fuerunt Iudæi, non Gẽtiles: Iudæi ergo erant hi homines. Dicuntur autem Parthi, Medi, & Ælamitæ, id est, Persæ, cæterisque Gentilium nationum nominibus; quia inter eas habitabant dispersi ex præteritis captiuitatibus; vel etiam quia aliis in regionibus commodius vitam ducebant, quam in Iudæa. Tribus vero anni temporibus, videlicet in festo Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum, in Ierusalem veniebant. Quod autem Iudæi fuerint hi homines ex Luca colligitur; *Erant*, inquit ille, *in Ierusalem habitantes Iudæi viri religiosi ex omni natione, quæ sub cælo est*, &c. Iudæos ait in illo

Parthi, Medi, & c. fuerunt ne gentiles an Iudæi.

illo festo in Ierusalem habitasse; *ex omni natione quæ sub cælo est*; hyperbolicè loquitur, indicans Iudæos per multas nationes iam tunc fuisse dispersos, & in festo Pentecostes in Ierusalem venisse; iuxta legis illud præceptum. Deut. 16. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit. In solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, id est, Pentecostes, & in solemnitate Tabernaculorum*, &c. Dicuntur autem hi Iudæi externi ac dispersi, (habitantes, Græcè κατοικοῦντες, in Ierusalem) non fixa mansione, sed interim dum in patriã non reuertebantur. Dicuntur viri religiosi, Græcè, εὐλαβεῖς, id est, viri Deum colentes virtute religionis. Hi Iudæi erant Parthi, Medi, AElamitæ, id est, Persæ & habitantes Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pōtum, & Asiam minorem, Phrygiam, & Pamphyliam, AEgyptum, & partes Libyæ circa Cyrennem, & aduenæ Romani, Græcè, ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι, *peregrinantes Romani*, id est, Iudæi qui ex ciuitate Romana Ierosolymam ad festum venerant. Iudæi quoque & Proselyti, id est, ex idolorum cultu ad legem Mosis conuersi, Cretes, & Arabes, &c. Qui volet has omnes nationes cognoscere, legat nostrum Lorinum. Obiicitur, inter has nationes numerantur Iudæi, vt nationis diuersæ homines; *Iudæi*, inquit Euangelista, *& Proselyti*; ergo harum nationum homines, quos enumerauit, nō erant Iudæi, vt supra diximus, sed Ethnici. Respon. Iudæos hoc loco eos significare, qui Iudæam incolebant. Omnes quidem erāt Iudæi religione, quicunque numerantur, ex omni natione, quæ sub cælo est. Sed quia Iudææ nō erant incolæ, ideo nomina ex suis regionibus, quas incolebant, acceperunt. Iudæi vero qui in Iudæa habitabant, Iudæi vocati sunt. Hinc autem constat nō solum aliis linguis, sed etiam Iudaica siue Hebræa, qualiscumque ea tunc fuerit, discipulos magnalia Dei decantasse, vt à Iudæis intelligerentur Iudææ incolis.

Deut. 16. In festo Pentecostes veniebant in templum Iudæi ex toto orbe.

Responsio.

Musto pleni sunt.

NOn desunt inter homines, mirabilium etiam rerum irrisores. De variis linguis Apostolorum, variè Iudæi loquuntur. Quidam admirantur, & stupentes aiunt: *Audiuimus eos nostris linguis loquētes magnalia Dei. Quidnam vult hoc esse*, &c. Alii irridentes dicūt; *Vtiq; musto pleni sunt isti*: ebrietas has peperit linguas. Sic de Christo Domino Ioan 7. non idem est sermo: *Murmur*, inquit, *multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alij autem dicebant: Non, sed seducit turbas*, &c. Duplex est ebrietatis genus. Alterum detestandum, alterum complectendum; detestanda est ebrietas vini, quæ hominem à mentis statu deturbat, & rationis vsu priuat, vt alibi diximus copiosius. Complectenda ebrietas Spiritus sancti, quæ hominē in statu mentis ac rationis confirmat; & à mundi curis perturbationibusque abstractum sobrium facit, quamobrem à D. Ambrosio in Hymno Ecclesiastico, sobria dicitur ebrietas; *Læti*, inquit, *bibamus sobriam, ebrietatem spiritus*. Ad hanc inuitamur Cant. 5. *Comedite*, inquit Dominus, *& bibite, & inebriamini charissimi*, &c. En charissimos Christi discipulos, cælesti inebriatos vino. Ebrii erant Apostoli (ait Bern. sermo. 49. in Cant.) sed Spiritu sancto, non musto, &c D. Greg. lib. 23. Moral. capit. 10. In musto, inquit, sancti Spiritus feruor accipitur; de quo Dominus dicit Matthæi 9. *Vinum nouum mittunt in vtres nouos*; ex quo dum replentur Apostoli à Iudæis dictum est; *Musto pleni sunt*, &c Ebrii erant (ait Dyon. Carthus.) introducti in cellam vinariam Cant. 2. & torrente voluptatis Deificæ vsque ad plenum potati: etenim feruor amoris, sapientiæ sapor, gaudiorum excessus, inebriauerat eos, &c. Ad Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Sed implemini Spiritu sancto*. En tibi vinum pretiosum è cælo missum; quo implere mentem iubes. Implemini, inquit,

Ioan 7.

Duplex ebrietas.

D. Ambro.

Cant. 5.

D. Bern.

D. Greg.

Matth. 9.

quit, Spirit. sancto, non vino. D. Augu. serm. 53. de diuersis. Quasi volens, ait, nos docere Apostolus vnde inebriari debeamus; Implemini, inquit, Spiritu Sancto, &c.

CAPVT III.

Petrus Spiritum sanctum è cælo aduenisse probat, Ioelis Prophetiæ testimonio.

Non enim sicut vos existimatis hi ebrij sunt.

EBrietatis notam à discipulis propellit Petrus, discipulorum, Ecclesiæque princeps. *Non sicut vos æstimatis*, inquit, *hi ebrij sunt*. D. Bernard. sermo 49. in Cant. sic hæc verba interpretatur: Attende, inquit, quod nō omnino ebrios, sed ebrios, sicut ab illis æstimati sunt, denegauit. Erant. n. ebrii, sed Spiritu sancto, non musto, &c. Sensus est: Non sunt hi ebrii vini ebrietate, quam vos illis tribuitis; sed alia maximè sobria, videlicet, Spiritus sancti. Literali sensu de sola vini ebrietate exponitur locus: Non sunt ô viri Iudæi, ebrii vino hi mei comites, sicut vos putatis, & dicitis. Probat verisimili argumento; *Cum sit*, inquit, *hora diei tertia*. In 12. horas, vt alibi diximus, Iudæi diē diuidebant, iuxta illud Ioan. 11. *Nonne 12. sunt horæ diei?* &c. hora tertia ab ortu Solis numerabatur, hora autem sexta, non tertia hóra prandii erat, edendi, & potandi. Ait ergo Petrus: Nō sūt hi ebrii sicut putatis; non est enim tempus prandii, quo largius vinum potatur: hora tertia est, qua pauperes homines vino ingurgitare se non solent. Ad de illum diem fuisse festum Pentecostes, illaque hora tertia, oportuisse esse sobrios Iudæos vt templum peterent, Deumque orarent. Cardin. Baro. ait diebus festis Iudæos solitos non prandere ad horam vsque sextam. Id colligit ex Iosepho, cuius hęc sunt verba in vita sua; Sexta, inquit, hora nostros ad prandium vocare solet sabbatis, &c. Quidquid sit, illo tempore vim habebat argumentum. Hinc colligitur Spiritum sanctum hora tertia in discipulos descendisse, quod in Hymno canitur Ecclesiastico D. Gregorii: *Dum hora*, inquit, *cunctis tertia repente mundus intonuit, orantibus Apostolis Deum venisse nuntiat*, &c. Tertia sanctissimæ Trinitatis persona hora descendit tertia.

Iudæi diem in duodecim horas diuidebāt.

Hora tertia aduenit Spir. sanct.

Baron.

D. Grego.

Hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioelem.

DOcet Petrus Iudæos, promissum à Deo Spiritum sanctum, è cælo descendisse, mirabilemque variarum linguarum locutionem in discipulis esse effectus. Hic, inquit, quem cernitis, non est effectus ebrietatis, sed diuini Spiritus, quem Ioelis 2. Deus his verbis pollicetur: *Et erit in nouissimis diebus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt, & quidem super seruos meos, & super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabūt*, &c. Nouissimi dies dicuntur dies posteriores, Hebraicè, *chare ren*: quod in Ioele vertit noster interpres, *Post hæc, & erit post hæc effundam Spiritum meum*, &c. hoc est, erit in posterioribus & nouissimis diebus Messiæ. *Effundam de Spiritu meo*; idem est, atque effundam Spiritum meum; sic enim loquitur Ioel, Hebraicè; sic etiam conuertit noster interpres. Septuaginta conuerterunt, ἐκχεῶ ἀπὸ τ πνεύματός μυ, id est, *Effundam de Spiritu meo*. Verbum autem, *Effundam*, ex sententia D. Hieronymi episto. 150. ad Hedibiam, quæstio. 9. Spiritus significat abundantiam. Verbum, inquit, effusionis significat gratiæ largitatem, &c. ad Titum 3. Paulus, *Saluos nos fecit per*

Ioel. 2.

Vaticinatus est de aduētu Sp. sanct.

D. Hieron.

Ad Tit. 3.

per lauacrum regenerationis, & renouationis, Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè, &c.

Super omnem carnem.

QVales sint homines, sine Spiritu sancto, ostenditur; sunt enim caro fragilis, & ad infima quæque atque terrena procliues. Effundam, inquit, Spiritum meum super omnem carnē, id est, super homines fragili carne constantes, vt fortes efficiam, & ad cœlestia traham. Effudit autem Deus Spiritum sanctum super omnem carnem, quia antea paucis Iudæis, & gentibus, qui legem naturæ seruabant, vt Iob, & similibus Spiritum sanctum dederat: postea verò & in Iudæos, & in omnes nationes, quæ sub cælo sunt, effudit. Largitas Dei indicatur, & liberalitas, qua Spiritum sanctum hominibus carneis impertitus est. Lege quæ diximus supra in illa verba; *Prædicate Euangelium omni creaturæ*: Quemadmodum hominem omnem creaturam vocat, sic appellat omnem carnem.

Homines Spir. sanct. carētes carnales sunt. Omnis caro, omnis creatura, omnis homo.

Prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ.

SPiritus sancti effectus proponūtur. Prophetia, visiones, somnia à Deo immissa. *Prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbūt*, &c. Erant hi effectus Spiritus sancti iā Iudæis ex Scripturis cogniti, Deuter. 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*, &c. Non tamen omnes effectus Spiritus sancti hic numerantur, sed aliqui. 1. Cor. 12. plures numerat D. Paulus. *Alij*, inquit, *per Spiritum sanctum datur sermo sapiētiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alij gratia sanitatum in vno Spiritu, alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij discretio Spirituum, alij genera linguarū, alij interpretatio sermonum.* Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus diuidens singulis pro vt vult, &c. Diuidit Spiritus sanctus has gratias gratis datas: in Apostolis autem omnes coniunxit, omnes enim habuerunt singuli.

Deut. 12.

1. Cor. 12. Effectus Spir. sanct.

Et dabo prodigia in cælo sursum.

CHrysostomus, Oecumenius, & alij multi verba hæc ad tempus referunt Iudicii, de quo si explicētur perspicua sunt. Tūc enim dabit Deus prodigia in cælo, & in terra, vt diximus cum de Iudicio tomo 3. egimus. dabit sanguinem martyrum tempore Antichristi, vel sanguinem in bellis fundendum, dabit ignem conflagrationis, & vaporem fumi ex igne consurgentem. Sol conuertetur in tenebras, & Luna veluti sanguineo colore perfusa apparebit, antequam veniat dies Domini magnus, & manifestus, id est, dies Iudicii. In Ioele interpres conuertit: *Antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*, &c. Quòd si quæras, cur Propheta ab Spiritus sancti missione, transeat ad Iudicii diem; Respondebitur, idcirco transire, vt ostendat post legē nouam Spiritus sancti, non esse aliam expectandam, hanc verò recipi debere, ab omnibus qui salui esse velint.

Signa Iudicij.

Quæstio. Responsio.

At verò videntur hæc verba ad tempora propinquiora aduentui Spiritus sancti spectare, potius quàm ad diem Iudicii. Probatur primò, quia hæc continenter cum antecedentibus coniunguntur, ita vt ad idem tempus pertinere videantur. Secundò, quia longus admodum est hic transitus, ab Spiritus sancti missione in Iudicium. Tertiò, quia post hæc verba, quæ ad Iudicii tempus referuntur, hęc alia sequūtur: *Et erit, omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quia in monte Sion, & in Ierusalem erit saluatio, sicut dixit Dominus, & in residuis, quos Dominus vocauerit*, &cæt. Hæc autem ver-

An pertineant hæc prodigia ad aduentum Spir. sanct.

A

Et erit omnis quicunque inuocauerit.

ADdit Ioel: *Et erit omnis quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit, quia in monte Sion & in Ierusalem erit saluatio, sicut dixit Dominus, & in residuis quos Dominus vocauerit*, &cæt. B Post aduentum enim Spiritus sancti cœperunt homines nomen Christi Domini inuocare, nomen inquam Iesu, id est, Saluatoris, vt salui fierent: Spiritus namque sanctus Iesu nomen mundo demonstrauit. Petrus Act. 4. *Nec enim aliud nomen est sub cælo, datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*, &c. In monte Sion & in Ierusalē erat post aduentum Spiritus Sancti saluatio, quia ibi Apostoli erant, quibus sal- C uationis doctrina erat commissa, Baptismus, reliquaque Sacramenta: ibi erat saluatio, quia multi ibi erāt Christiani gratia diuina præditi. Postea fuit etiam saluatio Romæ, in cæterisque vrbibus & regionibus Ethnicorum, idcirco additur: *Erit saluatio in residuis quos Dominus vocauerit*. His verbis, multisque aliis Iudæos allocutus est D. Petrus Spiritu Sancto afflatus. Tantumque robur habuere diui- D na Spiritus verba, vt tria Iudæorum millia illa die Pentecostes conuerterint ad Christi fidem & Baptismum. Act. 2. *Qui receperunt sermonem eius* i. Petri, *baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia*, &c.

Act. 4.

Saluatio per Christū tum Iudæis tum Gentibus.

CAPVT IV.

Morale.

De Spiritus sancti aduentu.

Cum complerentur dies Pentecostes.

COnsideratione expēdendum est tempus, quo Spiritus sanctus aduenit. Aduenit inprimis post Christi ascensionem, & in die Pentecostes. Vnde illud Ioā. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*, &c. At postquam Iesus est glorificatus resurrectione, & admirabili ascensione, Spiritus sanctus est datus. 2. Machab. 1. *Vt tempus affuit, quo Sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur*, &c. Eundem in modum, vt tempus adfuit quo Sol iustitiæ Christus in resurrectione, & ascensione refulsit, qui prius erat in nubilo passionis, accēsus est ignis maximus Spiritus sancti, ita vt omnes in magnam raperet admirationem. Datus autem est post Christi glorificationem & ascensionē, vt ostēderetur Christum in cœlum ascendisse, & verum esse Deum, qui ex cælo tantū donum mittebat. Act. 2. *Dextera Dei exaltatus, (ait D Petrus) & promissione Spiritus sancti accepta à Patre, effudit* E *hunc quem vos videtis, & auditis*, &cæ. Deum esse Christum ostendit ex effusione Spiritus sancti, supra enim recitauerat ex Propheta Ioele Dei verba hæc: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*, &c. modò ait Christum post ascensionem effudisse eundē Spiritum sanctum, quod Dei propriū est. effudit ergo exaltatus Spiritum, seque Deum in cælo esse testatus est. D. August.

Cur post Ascensionē Christi datus sit Spirit. sanct.
Ioan. 7.

2. Mach. 1.

Act. 2.

D. August.

D.August.serm.1.Pentec. Christus, inquit, hominem portauit ad cœlum, & Deum, (id est, Spiritum sanctum) misit in terras, &cæt. D.Ambrosius serm. 61. Credendum, inquit, est ad Patrem peruenisse Christum, cum videmus ad Apostolos descendisse paracletũ. Credendum est Christum in Dei dextera considere, quia cernimus Spiritũ sanctum sicut promisit Dominus, in discipulis exultare, &c. *Ascendens in altum*, Psalm. 67. *captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*, &c. D Maximus homil. 2. Hoc, inquit, victoris insigne est, post triumphum victor dona largitur, & seruulorum gaudia muneratur: sic Christus victor post triumphum ad Patris dexteram residẽs discipulis dona largitus est, &c.

D.Ambr. Psalm. 67. D.Max.

Secundò aduenit Spiritus in die Pẽtecostes, significat autem Pentecoste, vt diximus, numerum quinquagenarium Meritò sanè in Pentecoste, id est, die quinquagesimo, vt supra est explicatum, Spiritus sanctus è cœlo descendit, siquidem numerus hic Iubilei est, sanctus verò Spiritus Iubileum, peccatorumque remissionem attulit in orbẽ terrarum, Ambr. Apol. 8. Quinquagesimus, inquit, numerus, remissionis est numerus, &c Beda Act. 2. Quinquagesima, inquit, die venit Spiritus sãctus, quia indulgentia fiebat in Iubileo. & August. serm. 11. de verb. Domini: Remissio peccatorum propriè ad Spiritum sanctum dicitur pertinere, &cæt. Descendit itaque Spiritus sancti ignis ex cœlo, vt peccata omnia exurat in terra. Tres sunt ignes, qui peccata exurunt. Tartareus, Purgatorius, ignis Spiritus sancti. Tartareus ignis ita peccatorum materiem comburit, vt nullã ne minimam quidem eorum afferat indulgentiam. Igni assimilatur Babylonicæ fornacis, de quo legitur Dan 3. *Effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta nouem*, &c. Quemadmodum non peruenit flamma fornacis Babylonicæ ad quinquagesimum cubitum, id est, ad numerum Iubilei, sic nunquam peruenit flamma Tartarei fornacis ad Iubileum, vel indulgentiam peccatorum. Per totam æternitatem impius comburetur, nullumque illi peccatum remittetur. Ignis Purgatorius peccatorum quidem mortalium exurit pœnam, sed non culpam; At ignis Spiritus sancti, peccata exurit omnia tum venialia, tum mortalia, tam culpam, quam pœnam, per veram pœnitentiam, & charitatem, iuxta illud Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, &c.

Cur Sp. S. in die Pentecostes aduenerit. D.Ambr. Beda. D.August. Dan. 3. Numerus 50. est numerus Iubilei. Luc. 7.

Tres ignis victorias numerat Beda in collectan. tom. 3. Primam Spiritus sancti igni tribuit. Prima, inquit, victoria ignis fuit, in qua Spiritus sanctus apparuit. Secunda, quæ eleuauit Eliã. Tertia, quæ comburet peccatores, & terram in die Iudicii, &cæt. Currus igneus & equi ignei, Eliam in Paradisum duxerunt terrestrem, 4. Reg 2. at currus igneus Spiritus sancti, ducit in Paradisum cælestem, ignis ille extremus Iudicii tempore peccatores, elementa, corporaque mixta incendet, ignis Spiritus sancti huius prioris temporis, incendit peccata atque abolet, hominumque animas mixtas terrenis rebus decoquit, auroque puriores reddit. Maxima est huius ignis victoria: *Omnia vincit amor, & nos cedamus amori*, dixit quidam, omnia vincit Spiritus sanctus qui amor est ardentissimus: & nos illi cedamus. Qui enim Spiritus sancti igni non cesserit, Tartareo igni cedet.

Beda. Tres ignis victoria. 4. Reg. 2.

Ad hæc, post Pentecosten falcem in messem mittebant Iudæi, similem in modum post Pentecosten & aduẽtum Spiritus sancti falcem suam miserunt Apostoli in messem, cæperuntque in horreum Christi frumenta, id est, homines, adducere. Chrysostom. homilia 4. in Acta: Cum (inquit) falx mittenda erat in messem, cum fructus erant colligendi, cum falx sermonis erat adhibenda, cum colligendæ fruges, tũc Spiritus aduolauit, veluti falx acuta, &c. In die Pentecostes, ex omnibus habitaculis suis Leuit. 23. panes primitiarum duos, de duabus decimis similæ fermentatæ, offerebant Iudæi. Adumbrant hi duo panes duas segetes, in quas falcem Apostoli miserunt, nimirum duos populos, Iudaicum, & Ethni-

Post Sp. S. aduentum falcem miserunt Apostoli in messem. D.Chrys. Leuit. 23.

Ethnicum. De duabus decimis sunt panes, quia decem mandata, illum obseruare populum necesse est, qui Deo offertur. Præterea in die Pentecostes, quo lex vetus in mõte Sinai data est, datus quoque est Spiritus sanctus in monte Sion, vt de Sion exiret lex noua, Isaiæ 2. & verbum Domini de Ierusalem.

Erant omnes in eodem loco.

Eleuari à terrenis debet, qui ad Deum accedere vult, & sancti Spiritus recipiẽdi esse capax.

D. Gregor Naz.

Beda.

LOcus quoque in quo Spiritum sanctum discipuli acceperunt, morale continet documentum. Erat locus cœnaculum, quod, vt supra ostẽdimus cap. 1. locus erat domus superior, & à terra eleuatus. Si Spiritum sanctum vis accipere, terrena loca, terrenasq; sordes fuge; ad cælestia mente contende. D. Gregor. Nazianz. in orat de Pentecost. Apparet, inquit, Spiritus sanctus in cœnaculo, propter eorum, qui accepturi sunt ascensionem, atque à terra subuectionem, &c. Beda item in homil. de Pentecoste: Data, inquit, est gratia Spiritus sancti in cenaculo constitutis, altitudo cœnaculi, sublimitatem donorum indicat celestiũ, & quia nemo infimis adhuc desideriis inhærens, supernis possit dignus existere donis, &c. singuli homines, domum vnam habent superiorem, & cœnaculo similem. domus infima hominis & terrena ac lutea, Lusitanè, *logea*, appetitus est; & concupiscentia terræ adhærens, & in terrenas, caducasq; res proclinis. Domus superior & cenaculum Lusitanè (*sobrado*) ratio est fide illuminata. In superiori domo, id est, in ratione fidei lumine collustrata habitet, qui Spiritum sanctum dulcem hospitem animæ habere vult. infimam, terrenam, luteamque domum, id est, appetitum, & concupiscentiã fugiat. Erant in cenaculo, domoque superiori discipuli, ab infima longè aberant; ideòque Spiritum sanctum accepere.

In cœnaculo, id est, domo superiori accipitur Spir. sanct.

Erant omnes pariter.

GRæcè ὁμοθυμαδὸν, id est, vnanimiter. *Ecce quam bonum & quam iucundum* (canit regius Vates Ps. 132.) *habitare fratres in vnum*, &c. O quam bonum fuit, & quam iucundũ, fratres illos, Christi discipulos, magna inter se charitate deuinctos habitare in vnum, id est, vnanimiter, & pariter, summaque in pace: similis est concordia sacro vnguento; suauissimiq; odoris balsamo. *Sicut vnguentum*, inquit, *in capite, quod descendit in barbam, barbam Aarõ*, &c. odia, & iurgia tartareo fœtore loca perfundunt, at concordia, & pax cælesti odore domos complent. Similis quoque est concordia rori. *Sicut ros Hermon, qui descẽdit in montem Sion*, &c. Ros fertilem reddit terram; concordia fertilem reddit Rẽpub discordia vastat, concordia enim respub. paruæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Concordia creuit Ecclesiæ parua domus, totumq; compleuit orbem. Addit Vates: *Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsque in sæculum*, &cæ. Illic, inquit, id est, in domo concordiæ, pacis, & vnitatis, mandauit & dedit Dominus benedictionem suam, & æternam vitam. Coniice quæso oculos in hoc cenaculum, in quo pariter, & vnanimiter sunt discipuli. Nonne illic mãdauit Dominus benedictionem, & vitam vsque in sæculum? Nonne Spiritus sancti missio, benedictio Dei fuit admiranda? Nonne vitam æternam orbi attulit? effusa autem est hæc benedictio in domum concordiæ: *Erant* (inquit) *omnes pariter in eodem loco*. Theodoretus in comment. Psalmi huius, rorem in Sionem missum fuisse ait Spiritum sanctum. In Sionem (inquit) vitalis ros Spiritus sancti in Apostolos missus est, &c. Ros tẽpestate furente non descendit in terram: sic Spiritus sanctus iracundia, odio, rixaq; feruente, non descendit in hominẽ. Tranquillo tempore ros, tranquillo animo descendit Spiritus. Vbi est Spiritus, ibi,

Psal. 132.

De concordia & vnanimitate.

Spir. sanct. velut ros in monte Sion descẽdit.

Theodor.

ibi pax, & vnitas; si abest, iurgia sunt ac diuisiones Gen. 15. *Abraham diuisit quadrupedia, vaccam, capram, & arietem; volucres vero columbam & turturem, non diuisit*. Qui typus indicat carnales homines inter se esse diuisos; volucres verò, id est, Spiritu præditos, non diuidi dissensionibus, iurgiis, atque odiis. August. ser. de Quinquagesima: Tria, inquit, animalia diuisisse dicitur Abraham, & cõtra se inuicem posuisse. Aues non diuisit: quare hoc? Quia in Ecclesia carnales diuidũtur, spirituales omnino non diuiduntur; quia est illis cor vnum, & anima vna in Deum; est enim illis vnũ velle, & nolle. illis enim auibus similes sunt turturi, vel columbæ. Hæc Augustin. De Esau Genes. 25. scriptum est, *Erat totus in morem pellis hispidus*, &c. & Genes. 27. ait Iacob ad matrem: *Nosti quòd Esau frater meus ho nõ pilosus sit, & ego lenis*, &c. Vt verò ait August. serm. 78. de Temp. In Esau carnales intelliguntur, in Iacob spirituales. Nam carnales vt Esau, pilosi sunt, hispidi, atque asperi; spirituales vt Iacob, lenes, mites placidisque moribus: spirituales in eodem loco sunt pariter, carnales eodem in loco esse non possunt, quia à superbia, & iracũdia dispertiũtur. Centum spirituum, id est, Angelorum millia, in minimo loco pariter existunt: duo corpora in eodem loco penitus esse nequeunt; eundem in modum spirituales viri, etsi multi sint, eodem in loco vnanimiter magna cum concordia vitam degunt: carnales verò discordia dispergit. Denique, vt humanus spiritus membra corporis, membris reliquis coniuncta, non separata, implet; sic Spiritus sanctus membra mystici Ecclesiæ corporis vnita, non disiuncta, cõplet. Ezec 37: *Accesserũt ossa ad ossa; vnumquodq; ad iuncturam suam*, &c. Postea verò quàm ossa coniuncta sunt; vocatur & introducitur Spiritus. *A quatuor* (inquit) *ventis veni Spiritus*, &cæt. Qui pyram construit; ligna coniungit ignemq; coniunctis lignis subiicit: sic Christus pyram construxit, discipulos coniunxit; coniunctisque pariter & vnanimiter in eodem loco Spiritus sancti ignem immisit.

Gen. 15. — D. August. — Carnales diuisi sũt, spirituales sunt vnanimes. — Gen. 27. — D. August. — Similis.

Ad hæc, supra diximus orationi vacasse discipulos eo tempore, quo Spiritus sanctus aduenit. Etenim oratio ad impetrandum diuinum Spiritum remedium est accommodatissimum. Psal. 118. ait Vates: *Aperui os meum, & attraxi Spiritum, quia mandata tua desiderabam*, &c. Quæ verba in hũc sensum August. interpretatur; Attraxi precibus Spiritum sanctum, vt eo iuuante mandata possem perficere. Aperuit os Dauid (ait August.) petendo, quærendo, pulsando, & sitiẽs hausit Spiritum sanctum, &c. Aperiat igitur os ad orandum, quicumque attrahere cupit Spiritum sanctum. Quemadmodum aperto ore spiritum, id est, aerem trahimus in viscera, sic aperto ad preces ore, diuinum trahimus Spiritum in corda. *Si vos* (ait Dominus Lucæ 11.) *cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quantò magis pater vester de cælo dabit Spiritum bonum petentibus se*, &c. Eccles. 39. *Cor suum tradet ad vigilandum diluculo, ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur: Aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, Spiritu intelligentiæ replebit illum, & ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ*, &c. & Sapient. 7. *Inuocaui & venit in me Spiritus sapientiæ*, &c. Sic discipuli inuocauerunt, & venit in illos Spiritus sapientiæ, in cõspectu Altissimi deprecati sunt, & Spiritu intelligentiæ repleuit illos: & ipsi tanquam imbres miserunt eloquia sapientiæ suæ per orbem terrarum. Quamuis ignis semper ascendat, magna tamen celeritate descendit, si sulphurei pulueris ei viam facias. Eundem in modum; quamuis Spiritus sãctus celsissimus sit, infinitaque maiestate plenissimus, magna tamen velocitate, ad humile abiectumq; pectus hominis descendit, si desideriorum vehementium, suspiriorumque ei viã paret. Quemadmodum linteum aqua madefactum, quam ardẽtem vocamus,

Oratio, ad sanctũ Spiritũ impetrandũ, accommodissima est. — Simile. — Luc. 11. — Eccles. 39. — Sap. 7. — Simile. — Simile.

admo-

admotus ignis protinus corripit, sic cor ardentibus lacrymis perfusum, Spiritus sanctus protinus incendit.

CAPVT V.

De Spiritu sancto.

Morale.

Et factus est repente de cęlo sonus.

Simile.

A Nntequam ingrediamur domū clausam fores pulsamus, sonoq; edito nos adesse significamus; sic ingrediens cœnaculum Spiritus sanctus veluti pulsat fores, editoque sonitu magno, ex cælo adesse se indicat. D. Greg. in hymno Eccles. *Hora cunctis tertia, repente mundus intonat, orantibus Apostolis Deum venisse nuntiat,* &c. Erat autem hic ex cęlo factus sonus, illius vmbra soni, qui de cęlo factus est, prædicantibus Apostolis Euangelium omni creaturæ, iuxta illud Psal. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum,* &c. Sonus siue vox externa vehiculum est conceptus interni, vnde D. August. serm. 53. de diuersis: Quæro, inquit, verbo sonum, quæro quasi vehiculum, &c. Oportebat æternum Patris Verbum per totum vehi terrarum orbem, vehiculo igitur soni Apostolici opus fuit. De cælo est Verbum Patris, ideo de cælo sonus factus est; vt indicet Apostolorum vocem, & doctrinam de cælo emanasse, Verbique cælestis doctrinam esse. O felicem illum concionatorem, quo concionante verè dici potest; *Sonus de cælo factus est.* O cæ lestem doctrinam in cælū animos subleuantem, ò cælestem sermonem corda cælesti splendorem collustrantem, atque permouentem. Tubarum, vocumque sonitu veluti cōcussi muri Iericho olim solo æquati sunt. Iosue 6. *Omni populo vociferante, & clāgentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt,* &c. Eundem in modum tubis Apostolicis clangentibus, cæterorumque Christi concionatorum, & doctorum vocibus sonātibus, mundi muri, idest, Idololatria, impietas, scelera que horrenda solo æquata sunt. Cur ita? quia vim cælestem hic habet sonus. *Factus* (inquit) *est de cælo sonus.* Iam verò quem ego audio sonum horrendum, molestum, tartareū? Heu sonus est hæreticorum. Caueamus sonum ex orco factū, caueamus noua figmenta ex tartaro profecta. Factus est initio nascentis Ecclesię, de cælo sonus veræ doctrinæ. Hunc sonum eundem per Apostolos Ecclesięque doctores reliquos, ad nos vsque peruenisse, luce ipsa clarius est. Facti sunt postea, multi ex orco soni, nostrisque temporibus fiunt, sonum è cęlo factum sequamur, ex orco profectos fugiamus, Ioan. 10. *Non audierunt eos oues,* &c.

D. Gregor. — *Sonus Apostolorū de cælo factus doctrina cælestis* — *D. August.* — *Iosu. 6.* — *Sonus hæreticorum factus est ex orco.* — *Ioan. 10.*

Tanquam aduenientis spiritus vehementis.

A Vditus est flatus, siue venti vehementis sonitus, Spiritum sanctū adumbrans, quos veluti vehementi impulsa vento, Christi classis nauigare cepit. Tartareus pyrata magna classe, hoc mundi mare percurrens, magnas de hominibus agebat prædas: aduersus tartaream hanc classem, classē parauit Christus cælestem, quæ pyratam sæuissimum vinceret, ac fugaret. In cœnaculo veluti portu hactenus illa constitit, prosperum expectans ex cælo ventum, id est, Spiritum sāctum. Iam flat ex cælo ventus secundus, ac vehemens, egreditur ex portu classis; pugnare statim incipit cum pyrata, omnium reliquarum nauium dux D. Petrus, pyratamque superās circiter tria Iudæorū millia Christi iugo die illa.

Classis cælestis, cælesti vento acta incipit nauigare.

illa subiecit. Vehemens flabat, ventus diuini Spiritus, non est passus fortissimam classem in Iudæa solum nauigare, in totum duxit orbem; totum. n. orbem pyratæ sæuissimi classis tartarea peruagabatur. Vehemens ventus necessarius fuit, qui à patria, à cognatis, ab opibus, à mundi voluptatibus, homines carne constantes posset separare. Quemadmodum absque flatu, sonum nequeunt emittere tubæ, sic absque diuini Spiritus afflatu, voces cælestes Apostoli emittere non poterāt. Vt igitur muri Iericho corruant, tubę sonare incipiunt, vt tubæ sonent, flatus ex cœlo spirat vehemens. Vehemens enim sonus tubæ, vehementem exigit afflatum. Iuxta illud Isaiæ 58. *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocē tuam*, &c. & cap. 40. *Exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem*, &c.

Tuba Apostolica flatu implentur.

Isai. 58. & 40.

Prętereà indicat hic ex cęlo flatus, vitam cælestem hominibus datā. Die quo resurrexit Dominus Io. 20. Item: *Insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritū sanctum*, &c. Flatu Spiritum sanctum significauit. Gen. 2. *Inspirauit in faciem eius*, id est, Adami, *spiraculum vitæ: & factus est homo in animam viuentē*, &c. Eundem in modum post Adami peccatum, mortem subierat homo, Christus autem in die Pentecostes, inspirauit in eum spiraculum vitæ, id est, Spiritum sanctum, & factus est homo in animam viuentem vita gratiæ, quā si conseruet, vitam etiam viuet sempiternam gloriæ. Ezech. 37. *A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant*, &c. Item: *Ingressus est in ea, id est, ossa, spiritus, & vixerunt, steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde*, &cæt. Quemadmodum campus ille Ezechieli ostensus, plenus erat hominib. mortuis Dei Spiritu carentibus. Insufflauit apud Ezechielem spiritus super interfectos in campo iacentes, ingressus est cadauera, reuixitque exercitus maximus. Eundem in modum insufflauit Spiritus sanctus super homines mortuos, Spiritu Dei carentes, eorum corda ingressus est, reuixitque toto

Ioan. 20.

Gen. 2. Spiritus S. vitam orbi attulit.

Ezech. 37.

A orbe multitudo maxima.

Vehemens erat ille flatus, quia vehementem significabat spiritum. Animi enim nostri vehementia & vis ex Spiritu sancto est. Vnde nam magno mercium pondere onusta nauis vim illam assequitur, qua mare percurrit celeritate mira? ex vento sanè assequitur, quo perflatur, atque impellitur. Vnde nam animus iusti hominis, B magno laborum & tentationum onere pressus, vehementiam habet illam, quam nulli succumbit oneri, sed vehemente pergit vlterius? ex Spiritu sancto habet, quo afflatur. Cum velum vehementer dilatat ventus, mare facilè percurrit nauis: sic cum cor quasi velum, vehementer dilatat Spiritus sanctus, viam cælestem facilè percurrit homo. Vnde illud Psal. 118. *Viam mandatorum cucurri, cum dilatasti cor meū*, C &c. O vehementem spiritum, qui sic à terra homines separat, vt ea quæ reliquis sunt carissima, spernant, ac pro nihilo ducant, & penè non videant illa, quæ alii in oculis fuerunt? Hæc spiritus vehementia si adsit, omnia reddit facilia, si absit omnia videbuntur difficilia. Iud. 14. *Irruit Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem, qua si hædum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu*, &c. si Spiritus D Domini in hominem irruat, nihil difficile erit: & si Leones occurrant, hoc est, maximæ difficultates, vt hædi tenelli discerpentur. Cur leones tartareos nō laniamus, cur ab ipsis deuoramur? Equidem quia socordes sumus vehementique spiritu caremus. Ignem valde timēt leones: Spiritus sancti ignē, feruorem, & vehementiam valde timent dæmones. Cant. 4. *Surge Aquilo*, E ait Christus, *& veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius*, &c. Aquilonarem gelidumque dæmonis ventum pellit ex horto suo, socordiam, negligentiam, reliquaque vitia omnia. *Surgo*, inquit, *Aquilo*, Abi. Calidum vocat Austrum sancti spiritus. *Veni Auster, perfla hortum meum*, hoc enim perflante Austro, aromata suauissimi odoris fluunt, verba, cogitationes, atque opera. In diem Pentecostes qua-

Spirit. S. animū reddit vehemētē ad quærenda cælestia.

Iud. 14.

Cant. 4. Spir. sanct. Austro similis perflat hortū.

quadrant verba hæc, tunc dixit Dominus Spiritui sancto calidissimo Austro; *Veni Auster* in terras & perfla hortum meum, in cœnaculo Ierosolymitano consitum, & fluant illius aromata. Ecce venit vehemens Auster, hortum Christi, Aromatumque feraces illas arbores, id est, discipulos perflauit, & fluxere aromata illarum pretiosissima, per totum terrarum orbem.

Hortum Christi perflauit auster in die Pētecostes.

Et apparuerunt illis dispertita lingua tanquam ignis.

SVffixus est Christus cruci, ex sepulchro resurrexit, rediitque in cælum: mundum verò in eo reliquit statu, in quo antea erat; cæcitate, idolorum cultu, Dei ignorantia, auaritia, libidine, cæterisque vitiis plenū. Deus bone, quorsum in orbem venisti? cur in crucem es actus? cur resurrexisti? Nonne vt terram renouares. At in cælum abiisti, terra in sua permanet vetustate. Cur ita? videlicet, quia relinquebatur terræ renouatio Spiritui sancto, iuxta illud Psalm. 103. *Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terra*, &c. Extremo tempore renouabitur igne mundus; sed igne de quo dicitur Psalm. 96. *Ignis ante ipsum pracedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*, &c. Postquam in cœlū ascēdit Christus, renouatus est idem mundus multo præstantiori igne Spiritus sancti, de quo merito dici pōt; Ignis ante ipsum præcessit & inflāmauit in circuitu amicos eius. Extremus ille ignis terram, & quæcūque in illa pretiosa ab hominibus existimantur, exuret. 2. Pet 3. *Terra, & q in ipsa sunt opera exurentur*, &c. Similiter ignis Spiritus sancti terram ipsam amicos Dei, quos incendit, & quæcumque in ea iucunda sunt, & amabilia, in cinerem & in nihilum redigit, sicque eorum corda renouat.

Psal. 103. Spi. S. renouauit faciē terra.

Sp. S. ignis.

2. Pet. 3.

In igne apparet Spiritus sanctus, vt renouet faciē terræ; sed in igne linguarum, vel in linguis igneis; bellica tormenta indicans, quibus expugnaturus est orbem. Expugnauit enim orbem, non bello, & ferro, sed linguis igneis, & doctrinæ cœlestis veritate. In multis autem apparet linguis; *Apparuerūt* (inquit,) *dispertita lingua*, &c. quoniā omnes orbis nationes aduocauit. *Notus erat in Iudaa Deus*, Psal. 75. *In Israel magnum nomen eius*, &c. sed post Spiritus sancti aduētum illud canitur Psal. 8. *Domine Deus noster quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra*, &c. Vni populo Hebræo, & vna lingua data est lex Mosis, lex vero Christi multō præstātior lege Mosis, oībus populis, vniuersæq; terræ, multis diuersisque linguis est ꝓmulgata. Fecit Deus corpus vnum mysticum admirabile, omnibus loquens linguis, id est, Ecclesiam quod Spiritu S. viuificante repleuit. Ecclesiæ vnitas, inquit D Aug. sermo. 188. de tempo. Spiritu S. congregata, linguis omnibus loquitur. Proin de si quis dixerit alicui nostrum, Accepisti Spiritum sanctum, quare non linguis omnibus loqueris? Respōdere debet; loquor omnibus linguis, quia in eo sum Christi corpore, hoc est, in Ecclesia, quæ loquitur omnibus linguis, &c Item serm. 187. Linguæ, inquit, illę quibus loquebantur à Spiritu S. impleti, per omnium gentium linguas futuram Ecclesiam designabant, &c. Non satis erat lingua vna ad prædicandum Dei illum erga genus humanum amorem inauditum, quo permotus sanguinem, vitamque pro eo profudit. Omnes cōiungūtur linguæ, vt Christi magnalia toto personent orbe. D. Maxi. hom. 2. Omnis, inquit, lingua in prædicatione Christi resoluitur; vt maiestatē eius omnis loquela fateatur, &c. Philip. 2. *Omnis lingua confiteatur, quia Dom. Iesus Christus in gloria est Dei Patris*, &c. Igneæ erant linguæ, *verbis vt essent profluī*, (ait D Hila) *& charitate feruidi*. D. Cyprian. de Spiritu sancto: Multitudini credentium Spiritus sanctus superfusus est, intus ardentibus, extra loquentibus, & complectebantur se dilectio & verbum, & de calore Spiritus, feruebat sermo ignitus, &cæt.

Cur in multis linguis igneis apparuerit Spir. S.

Psal. 75.

Psal. 8.

Ecclesia omnib linguis loquitur.

D. August.

De

Iacob.3.

De lingua hominum impia (ait Iacobus cap. 3.) *Inflammat rotam natiuitatis nostra, inflammata a gehenna,* &c. Equidem Ethnicorum lingua quæ Idolorum cultum docuit, inflammata à gehenna fuit, hominesque tartareo inflammauit igne. Lingua quoque hæreticorum, inflammata à diabolo, rotam id est, cursum vitæ hominum, hæreseon ignibus incendit. At discipulorum Christi lingua ex cælo inflammata, rotam natiuitatis nostræ, hoc est, cursum vitæ nostræ, diuinis per totum orbem incendit flammis. Luc. 12. *Ignem* (ait Dominus) *veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur,* &c. Ecce ignem Spiritus sancti, quem Dominus venit mittere in terra. Diabolus ignem gehennæ mittit in terrã per linguas impiorum hominũ; Christus ignem cælestem mittit, per linguas sanctorum Apostolorum: diabolus mittit mendacia ex orco; Christus mittit Spiritum veritatis ex cælo. *Et quid volo,* inquit, *nisi vt accẽdatur,* hic cælestis ignis? hoc cupit Dominus vt inflammẽtur, totumque incendat mũdum Spiritus sanctus flammæ. Quorsum linguæ igneæ? vt ignem quẽ Dominus misit in terram, accendat. quorsum variæ linguæ omnium nationũ? vt non vnã tãtum, sed varias, imò omnes nationes inflamment. Nõ est ignis hic in Iudæam solum missus, quemadmodum lex Mosis: in vniuersum terrarum orbem mittitur, neque desinet semper inflammari, ad finem vsq; orbis. *Cœperunt Apostoli* loqui (ait Euangelista) cœperunt illi, non deerunt alii, qui ad extremum vsque diẽ, ignẽ Christi, linguis ferant & pectore. Cœperunt illi, secuti sunt hucusque alii, aliique sequentur. Psalm. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*: sic Christi discipuli gloriam enarrant, & magnalia fidemque Dei. Non enarrant gloriam Dei cęli vni populo, sed omnibus, sic Christi concionatores, Dei magnalia non solis Iudæis, sed cunctis enarrant nationibus. Nunquid cęli enarrare cessant gloriam Dei? Minimè cessant, minimeque cessabũt. *Dies,* inquit Dauid, *diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam,* &c. hoc est, non cessant cæli Dei gloriam enarrare. Nam dies præcedens, sequenti diei verbum Dei & gloriam tradit, & nox præcedens in sequentem noctem Dei scientiam, & cognitionem, eiusque maiestatem transfundit. Eundem in modum minimè cessabunt Christi discipuli, perpetuò Christi enarrabunt gloriam, & fidem: præcedens tempus, sequenti tempori semper illam tradet. Varietatem quoque linguarum prædicit Psalm. *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum,* &cæt. Cæli, inquit, hi, idest, Apostoli omnibus loquuntur linguis. Non sunt loquelæ, id est, non sunt linguæ, nõ sunt sermones hominum, quorum sermonum voces non audiantur in Apostolis Christi. Denique quam latè pateat promulgatio Euangelii, & eorũ vox, subiicit; *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ,* &c. Necessariæ equidem erant variæ linguæ, siquidem Apostolorum sonus in omnem exiuit terram, quæ varias habebat linguas.

Luc.12.

Lingua hæreticorum inflammatur à gehẽna.

Lingua ignea apparent, ut oẽs incendant nationes.

Psalm.18.

Cœperunt loqui Apostoli, nõ cessabunt successores.

Cœperunt loqui varijs linguis.

Cœperunt loqui Apostoli variis linguis, sed non variis dogmatibus, aut fide varia ac multiplici. Eadẽ fidei dogmata quæ tradebat Petrus tradebant reliqui, mira in omnibus consensio erat quam efficiebat Spiritus sanctus. Mira in Nouantibus dissensio est, quam efficit spiritus tartareus. Secuta est Apostolos Ecclesia, ab illis per sacras literas & traditiones accepit, quæ loquitur variis quidem linguis, sed non fide & dogmatibus variis. Loquitur enim Ecclesia toto orbe variis populorum linguis, sed fides in omnibus linguis variis eadem, & vna est toto terrarum orbe. Egregiè hac de re D. Irenæus scribit lib. 1. cap. 3. Ecclesia, inquit, per vniuersum orbem seminata, fidem diligenter custodit, quasi vnam domum habitans. Et simi-

similiter credit iis, videlicet quasi vnam animam habens, & vnum cor, & consonāter hæc prædicat, & docet, & tradit, quasi vnum possidens os. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sūt, sed tamen virtus traditionis vna, & eadem est. Et neque hæ quæ in Germania fundatæ sunt Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt. neque hæ quæ in Iberis sunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Aegypto, & Libya, neque hæ quæ in medio mundi sunt cōstitutæ. Sed sicut Sol in vniuerso mundo, vnus & idem est, sic & lumen, prædicatio veritatis vbique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Hæc D. Irenæus. ex quibus habemus Ecclesiā vnam esse Dei domum toto orbe diffusam, in qua vna Dei fides prædicatur. Præterea Ecclesiam habere vnū cor, & vnam animam in credendo. Item Ecclesiam habere vnum os, quo vnam tantum fidem docet & tradit. Denique similem esse Soli, qui vnus idemque est, lumine eodem cuncta complens. Similem in modum D. Cyprianus de Vnit. Eccles. Ecclesia (inquit) vna est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, quomodo Solis multi radii; sed lumē vnum, &c. Multi sunt Solis radii, vnū lumen, multæ conciones Ecclesiæ, multi libri, multi Doctores, multi & penè infiniti filii. Sed vnum tantum est fidei lumen, à linguis igneis ac splendidis Spiritus sanctus ex cœlo missum.

An Apostoli linguis locuti sint elegantissime.

Rogabit aliquis, an Apostoli variis linguis elegantissimè locuti sint? Etenim ea, quæ per miraculum fiunt, solent esse perfecta; vt vinum Canæ Galilææ. Fuit ergo linguarum donum perfectum, elegantissimæque linguæ illæ. Respondet D. Tho. 2. 2. quæst. 176. art. 1. ad 1. his verbis: Sicut dicitur 1. Corin. 12: manifestatio spiritus datur ad vtilitatem, & ideo sufficienter Paulus, & alii Apostoli, fuerunt instructi diuinitus in linguis omnium gētium, quantum requirebatur ad fidei doctrinam. Sed quantum ad quædam quæ superadduntur humana arte ad ornatū, & elegantiam locutionis, Paulus instructus erat in propria lingua, non autem in aliena. Hæc D. Thom. Perfectum itaque fuit donum linguarum in Apostolis, non quoad elegantiam, & verborum splendorem, sed quoad finem, id enim quod finis, id est, Euangelii prædicatio exigebat, perfectè Apostolis datum est, linguarū ornamenta curiosa, minimeque necessaria non sunt concessa. Vnde Paulus 1. Corin. 1. *Non misit me, inquit, Christus baptizare, sed euangelizare, non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi*, &c. & cap. 2. *Veni non in sublimitate sermonis*, &c. Item, *Et sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & virtutis*, &c. 2. Cor. 11. *Et si imperitus sermone, sed non scientia*, &c. Lege epistol. 150. D. Hierony. ad Hedibiam. quæst. 11. & epistol. 151. ad Algasiam q. 10.

D. Thom.

1. Cor. 1.

2. Cor. 11. & 2.

Philo.

Non sunt præferenda verba reb.

Habenda quidem est ratio verborū concionatori, sed multò magis rerū, quæ cor ad Deum pertrahant. Philo lib. de Abraham: Absurdum, inquit, est, vmbram pluris quàm corpus facere, aut rebus præferre imagines. Certè vmbræ, imaginique similis est sermo corporibus autem, & exemplaribus, ipsæ rerum naturæ, de quibus disseritur, quas debet consectari, qui mauult esse, quam videri aliquid, &c. Non sunt folia consectanda verborū, sed fructus; non est plantandus lucus in templo Domini, iuxta illud Deut. 16. *Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini*, &c. Ille lucū, & infructuosarum arborū nemus plantat in templo, qui infructuosis verbis, & sterili quadam eloquentia, hominū aures demulcens, inanem captat gloriam. Vnde non inanis, sed solidæ captator gloriæ D. Gregorius in præfat. Moral. cap. 5. Quæso, inquit, vt huius operis dicta percurrens, in his verborum folia non requiras. Quia per sacra eloquia, ab eorum tractatoribus, infructuosa loquacitatis leuitas, studiosè compescitur, dum in templo nemus plantari prohibetur, & cuncti

Deut. 16.

Concionatoris elocutio.

D. Gregor.

pro-

proculdubio scimus, quia quoties in foliis malè lætæ segetis culmi profiliunt, minori plenitudine spicarũ grana turgescunt. Vnde & ipsam artem loquendi seruare despexi, &c. De Paulo autem, qui imperitum se appellat sermone, D. Hieron. in Apologia pro suis libris aduersus Iouinianũ, sic ait: Paulum quotiescumque lego, videor mihi non verba audire sed tonitrua, &cæt.

Simile.

D. Hieron.

CAPVT VI.

Morale.

De Spiritu sancto.

Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cæperunt loqui.

AD hoc potuit respicere Paulus, cũ ad Ephesios cap. 5. sic scribit: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto; loquentes vobismetipsis in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo & Patri*, &cæt. Repleti sunt discipuli non musto, vt nonnulli calunniabantur, sed Spiritu sancto: sic vos o Christi discipuli Ephesii, ne repleamini musto, siue vino luxuriæ parente: sed implemini Spiritu sancto omnium virtutum progenitore. Quẽadmodum olim discipuli accepto Spiritu sancto loquebantur magnalia Dei, sic vos illo repleti loquimini vobismetipsis, in Psalmis & hymnis, &c. Valde Spiritus sanctus cogitationes & linguam mutat, quemadmodũ alias fert cogitationes, nempe ex cęlo, sic alia fert verba: Spiritus est, spirituales efficit cogitationes, spiritualiaque

A verba, mentem, linguamque Psalmis implet hymnis canticisque, & verbis spiritualibus. 1. Reg. 10 *Insiliet in te Spiritus Domini* (ait Sauli Samuel) *& prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium*, &c. Insiluit Spiritus Domini in Saulem, prophetauit, & mutatus est in virum alium. Sed multò præstantiori modo in discipulis Christi insiluit ex cælo, & locuti sunt magnalia Dei, & mutati sunt in viros alios. Nũ

B quid hic est Petrus qui ancillæ voce territus negauit? Numquid hi sunt Ioannes, & Iacobus, qui primas cathedras affectarunt? nunquid hi sunt discipuli qui cum comprehensus est, magistrum suum deseruerunt? O quãtum mutati ab illis. Mutat homines Spiritus Sanctus alios facit: mutat cogitationes, mutat verba, mutat mores, mutat corda, atque opera, mutat concionatorum linguas, linguas immittit i-

C gneas, ardentes enim vult concionatores, non elegantes. Psalm. 103 *Facis Angelos tuos Spiritus & ministros tuos ignem vrentem*, &c. hoc est, vt August. interpretatur, Facis nuntios tuos, siue concionatores, spirituales, & ministros hos tuos facis ignem ardentem, quia linguas igneas illis donas. Vtinam in cõcionatoribus operetur duo hæc Spiritus sanctus vtinam spirituales faciat, non calamistratis, frigideq;

D comptis, sed ardentibus concionibus, auditorum corda permouentes, magnũ sanè accipiet Ecclesia incrementum. Auertat ab illa illud de quo D. Hieron. in præfatione lib. 3. ad Galat. conqueritur, sic scribẽs: Ad auditoria conuenitur, vt oratio rhetoricæ artis fucata mendacio, quasi quædam meretricula procedat in publicum, non tã eruditura populos, quam fauorem populi quęsitura, & in modum Psalterii,

E & tibiæ dulce canentis, sensus demulceat audientium. Vt verè illud Ezechielis 33. nostris temporibus possit aptari dicente Domino ad eum: *Et factus es eis quasi vox citharæ suaue canentis, & bene composita, & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Hæc Hierony. Eccles. 48. *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula arde-*

1. Reg. 10.
Sp. S. mutat homines.

D. Hieron.

Ezec. 33.

Eccl. 48.

ardebat, &c. Vtinam multi surgāt Eliæ, quorum verba sicut faces ardeant. Vtinam multi surgant Petri, multi Pauli, multi Iacobi igneis ex cœlo linguis inflammati, & Spiritu Sanct pleni. Rogemus Dominum vineæ, vt similes operarios mittat in vineam suam, hi.n. vna hora ardore incensi plus facient, quam segnes alii & gelidi tota die.

Concionatores. Hodie orbis concionatores efformauit Spiritus sanctus absque mora vlla, subitò aduenit, subitò piscatores, orbis fecit prædicatores. Quod magnus Gregor. obseruat homil. 30. in Euang. his verbis: Implet Spiritus sanctus piscatorem, & facit prædicatorem. O qualis artifex est iste Spiritus? Nulla ad discendum mora agitur, in omne quod voluerit, mox vt tetigerit mentem docet. Humanum animum subitò vt illustrat, immutat, &c. Repentè factus est de cælo sonus, repentè etiam factus est in terra sonus, alienis linguis Dei magnalia cæperunt loqui, illi qui propter metum Iudæorum domo clausi, ne propria quidem lingua sermonem facere audiebant. Spiritus S. dedit robur, osque aperuit. Gregorius: Apostoli (inquit) cœperunt & in aliena lingua Christum eloqui, qui de illo prius & in sua lingua loqui metuebant. Venit Spiritus sanctus & in ore eos pro diuersitate linguarum docuit, in mente autem ex autoritate roborauit. Qui prius suis aduersariis succumbebant formidine, eis iam preerant autoritate, &cæt. O quàm fortis est Spiritus sanctus. Necessaria erat maximè Apostolis fortitudo, vt testes Catholicæ fidei essent, vsque ad sanguinis effusionem. Hanc fortitudinem, Spiritus sancti dedit, sine qua domo pedem mouere non auderent. D. Gregor. Apostolorum, inquit, virtus de Spiritu S. sumpta est, quia mundi huius potestatibus contraire non præsumerent, nisi eos sancti Spiritus fortitudo solidasset, &cæt. Vnde Christus Lucæ 24. *Sedete*, inquit, *in ciuitate donec induamini virtute ex alto*, &c. Quasi dicat: Ne exeatis in prælium milites mei, antequam arma vobis mittam, & virtutem, id est, fortitudinem ex alto, id est, ex cœlo. Cælestis enim hæc virtus est, non terrestris, diuinum munus est, non hominum. Chrysostom. Act. 1. Quemadmodū, inquit, milites in multitudinem erupturos nemo patitur exire, priusquam armati fuerint, ita nec Christus discipulos suos passus est in acie conspici, priusquam descenderet Spiritus sanctus, &c. Deus bone, quis horum militum dux est? Ille est Petrus qui voce territus feminæ, regem negauit suum. qui nam sunt hi milites? illi sunt, qui ducem suum cum viderent constringi vinculis, in fugam se coniecerunt. At quantum mutatus ab illo est Petrus. Nondum ex alto acceperat arma, Spiritusque fortitudinem, cū negauit: iam nunc ab Spiritu sancto mutatus, & splendentibus armis indutus, ad hostes magna fortitudine prosilit, triaque millia primo congressu superat. Similem in modum reliqui armis acceptis, in prælium prodeunt valde mutati, proque duce suo Christo, quē in horto deseruerunt, tormenta omnia subire non recusant. Nam perfecta Spiritus sancti charitas 1. Ioan. 4. *Foras emisit timorem* Spiritus sanctus ait Greg. citatus, humanum animum subitò, vt illustrat, immutat, &c. D. Bernar. ser. de Pentecost. Manifestum, inquit, fuit Apostolos inductos esse virtute ex alto qui de tanta pusillanimitate Spiritus, ad tantam deuenere constantiam. Non est iam fugere, non est abscondi propter metum Iudæorū. Constantius modò prædicant, quam delitescerent antè timidius. Denique mutationem illam dexteræ excelsi manifestè declarat principis Apostolorum, prius quidem inter ancillæ verba formido, postmodum inter principum verbera fortitudo. hæc Bernar. D. Hieronym. epist. citata ad Heb. Indumentum virtutis, Spiritus sancti gratia est, quam possidentes Iudicum tribunalia, & Regum purpuras non timebant discipuli, &c.

Sp. S. sine mora operatur. *D. Gregor.* *Fortitudo Apostolorū ab Spir. S.* *D. Gregor.* *Arma Apostolorū ex cælo missa.* *D. Chrys. Simile.* *1. Ioan. 4.* *D. Bernar.* *D. Hieron.*

Qualis sapientia sit data Apostolis. Maximè necessaria erat Apostolis fortitudo, vt suo pfungi posset munere, ideoq; à Spir. S. data est. Necessaria quoque sapientia: hæc etiā est cōcessa. Quæres, an sit illis data Philosophi-

ca rerum naturalium scientia, & Mathematicarum disciplinarum cognitio? Respon. datam esse sapientiã, quã datum postulabat munus, eam nimirũ quæ Ecclesiæ gubernandæ, sacraque doctrina pascendæ opus erat. D.Tho. 2.2.q 176.ar.1.ad 1. Apostoli, inquit, in sapientia, & scientia fuerunt sufficienter instructi, quantum requirebat doctrina fidei. Non autem quantum ad omnia quæ per scientiam acquisitam cognoscuntur, videlicet de conclusionibus Arithmeticæ, vel Geometriæ, &c. Præterea necessariæ erant linguæ ad docendum aptæ, illæ quoque de cęlo descenderunt. Psalm. 44. *Diffusa est gratia in labÿs tuis*, &c. Labia Christi appellari ait Apostolos D. Basilius. in hæc Christi labia diffusa est à Spiritu sancto linguarum gratia, id est, donum mirificum. Basilius eodem Psalmo 44. Breui, inquit, tempore in vniuersum propè terrarum orbem hæc permanauit prædicatio: quod diues admodum, & luculenta gratia, in eos effusa est, Euangelii præcones, quos Scriptura nominauit labia Christi, &c. Sophon. 3. labium electum pollicetur Deus populis. *Tunc*, inquit, *reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini*, &cæt. Dicitur autem labium siue lingua electa lingua fidei, qua verus Deus inuocatur, & idola despiciũtur. Vt lingua hæc electa populis redderetur, cælestes ex cœlo linguæ delapsæ sunt, in præcones Euangelii, factæque sunt Apostolorum linguæ, linguæ cælestis scribæ, id est, Spiritus sancti, velociter scribentis, iuxta illud Psal. 44. *Lingua mea calamus scriba velociter scribentis*. vt scriba doctus calamo velociter scribit: sic Spiritus sanctus Apostolorum linguis velociter Dei magnalia elocutus est. D Chrysostom. Psalm. 44. Quid, inquit, sibi vult illud velocis? ostendit gratiam. Qui enim aliquid domo prolatum loquitur, differt & cunctatur meditans, cõponens, impeditus ignorantia & dilatione, & multa sunt, quæ velocitatem sermonis interturbant. Quando autem mentem mouet Spiritus, nihil est quod impediat. ita gratia Spiritus cum magna celeritate procedit, omnia leuia, plana, & expedita proferens. sic Chrysost. Eosdem Euangelii præcones eodem Psalm. 44. Basilius sagittas acutas vocari refert, de quibus Psalmus: *Sagitta tua acuta populi sub te cadent in corda inimicorum regis*, &cæt. hoc est, populi sub te ò Christe cadent, in tuam se trãdent seruitutem, acutis Apostolorum sagittis confixi. Quia verò hæ sagittæ non in aures solum, verum maxime in corda penetrabant, additur illud: *in corda inimicorum regis*: ideò enim igneę erant linguæ; quia, cordibus loquebantur, & corda inflammabant ducisque sui linguam imitabantur, de quo Luc. 24. auditores aiunt: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* &c. Ad hæc, necessaria erat Apostolis charitatis, spiritusque vehementia, atque affluentia, hæc quoque data est, iuxta illud ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, &c Ignis ille Spiritus sancti discipulorum corda incendit, tamque vehementem charitatis flammam diffudit, vt nulli illam turbines, nulla flumina, nulli imbres, etsi maximi, extinguere potuerint. Duplex sensus inest verbis Pauli. Nã charitas Dei, qua nos ille diligit, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum; docet enim nos Spiritus sanctus quam magno amore homines sit prosecutus Deus. Charitatis quoque habitus, diffunditur in cordibus nostris, quo Deum super omnia diligimus. Vtrumque in Apostolis fecit Spiritus sanctus. Amoris illud pelagus illis patefecit, quo permotus Dei filius homo voluit fieri, crucisque opprobrio plenissimam mortẽ perpeti. Charitatis quoque habitum, quo iam præditi erant, vehementer adauxit. Denique diffudit in cordibus eorum, velut in vasis pretiosis, charitatis, donorumque suorum suauissimum balsamum, vasaque ipsa compleuit, vnde dicitur.

Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui magnalia Dei. Ex abundantia enim & repletione cordis, os loquitur

Marginalia: *D.Thom.* — *D.Basil.* — *Gratia diffusa in labÿs Christi. i. Apostolis* — *Rom. 5.* — A — B — C — D — E

Digitized by

gnitur, vt ait Dominus Lucæ 6. *& bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum*, &c. O desiderabilem cunctis abundantiam & repletionem diuini Spiritus. Ex abundantia, & repletione cordis cœperunt loqui, qualis erat abundantia, & repletio cordis, talia fuere verba, nempe Dei magnalia. Fecerat Spiritus sanctus discipulorum corda bonos thesauros, protulerunt illi de bonis thesauris, bonas opes. Adeò verò bonas, peregrinas, atque ignotas vt Iudæi confluentes omnes mirarentur. Act. 2. *Stupebant omnes & mirabantur*, &c. Meritò quidem mirabantur, ex cælo enim missas videbãt diuitias; *procul & de vltimis finibus pretium earum*; Prouerb. 31. Neque verò ociosè spectarunt bonas opes è cœlo missas, vbi enim D. Petrus aperuit, idcirco ex peregrina regione missas esse, vt venundarentur, mox multi terrenis diuitiis emerunt celestes, contempseruntque omnia caduca, vt possiderent æterna, iuxta illud Cant. 8. *Si dederit homo omnem substantiam domus sua pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*, &c. Act. 2. *Possessiones & substãtias vendebant, & diuidebant illa omnibus pro vt cuique opus erat*, &cæ. Olim cum Dominus vellet tabernaculum extruere, operariis sapientiam largitus est, Exod. 31. *Ecce vocaui ex nomine Beseleel, & impleui eum Spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrẽ fieri potest ex auro, & argẽto, & ære, marmore & gemmis & diuersitate lignorum. Dedique illi socium Ooliab filium Achisameth de tribu Dan, & in corde omnis eruditi posui sapientiam, vt faciant cuncta qua præcepi tibi, tabernaculum fœderis, & arcam testamenti, & propitiatorium*, &c. Si Dominus ad extruendum paruulum Mosis tabernaculum, impleuit Beseleel spiritu suo, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere, quid fecisse existimabimus, ad extruendum amplissimum Ecclesiæ templum toto orbe terrarum? Equidem non Beseleel, sed Petrum Vicarium suum impleuit Spiritu sancto, sapientia, & intelligentia, & scientia, in omni opere necessario ad rem tantam, sociosque illi dedit, quos eodem Spiritu compleuit. *Repleti sunt omnes* (ait Lucas Act. 2.) *Spiritu sancto*, quorsum repleti sunt? videlicet vt Ecclesiæ tẽplum extruerent. 2. Cor. 3. *Sufficientia nostra ex Deo est. Qui & idoneos nos fecit ministros noui Testamenti, non litera, sed Spiritu*, &c. Ad tantum opus in mundo excitandum, ad exædificandam Ecclesiam admirabilem toto orbe, in nullis, vel hominibus, vel Angelis sufficientia esse potuit, ideoque meritò Paulus clamat; *sufficientia nostra non est ex nobis*, sed ex Deo, ille nobis hoc tantum, tamque admirabile opus perficiẽdum tradidit, ille nos sufficientes & idoneos ministros fecit noui Testamenti: fecit autem idoneos ministros, non litera, sed Spiritu sancto replens.

Act. 2. *Prou. 31.* *Cant. 8.* *Act. 2.* *Exod. 31.*

CAPVT VII.

Morale.

Seditque supra singulos eorum.

DEscendit Spiritus sanctus id Apostolos, & sedit super eos quietè permanens. Etenim venit Spiritus sanctus in homines, non vt discedat, sed vt sedens permaneat. Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, &c. Non discedit Deus postquam semel in animam venit, si peccato illum non expellas, in te perpetuam faciet mansionem. Ioan 14. *Alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum*, &c. Maneat, inquit, non per tres aut quatuor menses, vel annos, sed *in æternum*. Ignem habuit olim Deus in templo suo perpetuum, Leuit. 6. *Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari*, &c. Adũbrat ignis ille, ignem Spiritus sancti,

Spir sanct. venit ad nos vt semper nobiscũ maneat.

qui

qui de cœlo descendens, super hominem in terra sedet. Perpetuus autem est, quia si illum serues, non extinguitur. 1. Thessalon. 5. *Spiritum nolite extinguere*, ait Paulus. Spiritum verò extinguit, qui Dei non seruat gratiam. D. Chrysostom. Quoniam, inquit, nox est, & in hac nocte ambulamus, dedit nobis Deus præclaram lampadem, vt qui Spiritus sancti gratiam in nostris animis accenderit. Sed hanc lucem alii quidem acceptam splendidiorem fecerunt, lætamque & hilarem, vt Petrus & Paulus, & omnes illi sancti, alii autem extinxerunt, vt quinque virgines fatuæ. Propterea dicit Paulus: Spiritum nolite extinguere, id est, gratiã. Eam autem extinguit vita immunda. Sic ille. Non extinxerunt vnquam Apostoli, quam Pentecostes illo die, ab Spiritu sancto acceperunt gratiam. Ipse Spiritus in eorum cordibus illam perpetuam fecit. Tunc enim in gratia creduntur confirmati, ita vt mortiferum postea peccatum tota vita non commiserint. D. Thomas quæst. 24. de veritate, art. 9. Apostolos, inquit, decuit confirmatio in bono, quia erant quasi fundamentum & basis totius Ecclesiastici ædificii. Vnde eos firmos esse oportuit, &c. & in argum. Sed cõtra: Apostoli per aduentum Spiritus sancti confirmati fuerunt in bono, vt videtur, per hoc quod dicitur in Psal. 74. *Ego confirmaui columnas eius*, quod glossa de Apostolis exponit, &c.

1. Thess. 5.

D. Chrys.

Spiritus quomodo extinguitur.

D. Thom.

Apostoli in gratia sũt confirmati in die Pentecost.

D. Cyrill.

D. Cyrillus lib. 9. in Ioan. Nondum, inquit, Apostolis inierat, ne cadere possent, quod postea de superiore virtute roborati, id est, Spiritus gratia muniti habuerunt, &cæt. Hic est egregius Spiritus sancti effectus, confirmatio, & perseuerantia in gratia Dei, quem effectum Dauid postulabat Psalmo 50. dicens, *Spiritu principali confirma me*, &cæt. Sciebat enim Dauid (ait Gregor. eodem Psalm.) quod infirma sit omnis anima, nisi Spiritus sancti virtute fuerit firmata, &cæ. Recessit à Samsone fortitudinis spiritus, vide, quam fuerit infirmus vir ille, quẽ Spiritus fortissimum faciebat, Iud. 16. *Capit*, scilicet femina, *abigere eum, & à se repellere, statim enim ab eo fortitudo discessit. Quem cum apprehendissent Philisthijm statim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt*, &c. Heu, quot Samsones mundus habet, Dei Spiritu oculisque priuatos, carcereque peccati conclusos. Heu, quot greges tartareus ductor in Tartarum, absque vlla abigit fortitudine, minime resistentes, iuxta illud Thren. 1. *Facti sunt principes eius velut arietes non inuenientes pascua, & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis*, &c. Spiritus sancti fortitudinem non quęrunt homines, absque fortitudine & resistentia, ante faciem diaboli velut greges in Tartarum abeunt. diabolo minimè resistunt, resistunt autem Spiritui sancto, iuxta illud Act. 7. *Vos semper Spiritui sancto restitistis*, &c. Inspice Petrũ Spiritus sancti fortitudine confirmatum, inspice illius ante aduẽtum Spiritus imbecillitatem, inspice post aduentum diuinitus datum robur. Gregor. hom. 30. Vna, inquit, mulieris voce percussus Petrus, dum mori timuit, vitam negauit, sed vir iste tantæ formidinis, qualis post aduentum Spiritus sancti existat audiamus. Fit conuentus magistratus, atque seniorum, Act. 5. cæsis denuntiatur Apostolis, ne in nomine Iesu loqui debeant, Petrus magna autoritate respondet: Obedire oportet Deo magis quam hominibus. & rursus: Si iustũ est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, iudicate. Nõ enim possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui: & ille quidẽ ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Ecce gaudet Petrus in verberibus, qui antè in verbis timebat, & qui prius ancillæ voce requisitus timuit: post aduentum Spiritus sancti vires principum cæsus premit. Hæc Greg.

Sp. S. fortẽ reddit hominem.

Psalm. 50.

D. Greg.

Iud. 16.

Thren. 1.

Act. 7.

D. Greg.

Petri fortitudo & cõstãtia à S. S. accepta.

Seditque super singulos eorum.

PEtamus à Deo diuinũ robur Spiritus sancti. Petamus vt super nos sedeat,

sedeat, maneatque perpetuo: idque in nobis efficiat, quod in illis efficere solet, super quos sedet. Paremus tanto regi, vt in nobis sedeat, sedem siue thronum regium. Regius autem illius thronus charitas est, & gratia; vbi hunc repererit thronũ, ibi sedebit, neq; discedet: si thronum tollas, Spiritum sanctũ domo pelles tua. Vigiles appone Leones, quod throno suo Salomon rex fecisse dicitur 3. Regum. 10. multorum ille leonum imagines in gradibus throni posuit. Tu in gradibus throni Spiritus sancti, non mortuos, sed viuos vigilantesque pone Leones, nimirum curas semper viuentes, atque vigilantes quæ à nullo patiantur peccato euerti sedem Dei, Cant. 8. *Aqua multa non potuerũt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam*, &c. Ignis Spiritus sancti est charitas. Ignem extinguit aqua: hunc Spiritus sancti ignem maximi laborum & tẽtationum imbres nõ extinguunt. At vero peccatum quodcunque, si mortiferum fuerit, extinguit. Neque *flumina*, inquit, *obruent illam* &c. Non obruunt quidem laborũ flumina charitatem; vna tamen peccati mortalis gutta pestifera obruit. Cauendum ergo maximè est peccatum, vt semper Spiritus sancti stet thronus, ardeatque ignis. Psalm. 138. *Mihi nimis honorificati sunt amici tui Deus. Nimis confortatus est principatus eorum*, &c. Nimis honorificati sunt amici Dei, quia gratia Dei præditi sunt; quia Dei amici sunt, quia Dei filii & hæredes sunt, quia principes sunt cæli iam spe, etsi nondum re. hic autem principatus nimis confortatus est, tum Dei auxilio, tum illorum cura, vigilantiaque perpetua, principatum vero, quem vigilãtia operaque non confirmant, peccatum euertit.

Thronus S. sancti charitas et gratia.

Peccatum M. extinguit ignem Spir. sanct.

Psal. 138.

Iustorum perseuerantia, & vigilantia.

Tres autem habet ignis Spiritus sancti effectus mirificos. Nam intellectum illuminat: voluntatem accendit; sensitiuum appetitum tranquillat. O beatũ hominẽ cuius intellectui diuinus Spiritus lucem præfert, voluntati ardorẽ præbet, & sensitiuo appetitui tranquillitatem. Idcirco Apem appellat D. Bernar. Spir. sanctum, quia quemadmodũ Apis ceram efficit, qua ignis incenditur, & efficit mel, cuius dulcedine homo pascitur; sic Spir. sanctus lucem in intellectu inflammat, quia est Spiritus intellectus, deuotionis vero mella in voluntatem infundit, quia Spiritus est super mel dulcis D. Bern. ser. 8. in Cãt. Vtrumque, inquit, munus simul affert, & agnitionis lucem, & deuotionis pinguedinem. Est quippe spiritus sapientiæ, intellectus, qui instar apis, ceram portantis, & mel, habet omnino; & vnde accendat lumen scientiæ, & vnde infundat saporem gratiæ, &c. & ser. 1. Pentec. sic ait: Spiritus Sanctus monet & mouet, & docet. Monet memoriam, rationem docet, mouet voluntatem, &c. Monet & docet Spiritus S. intellectum luce sua illustrãdo. Ignis est illuminans; oleum est lætitiæ, Psal. 44. Intellectus lumen nutriens, & cum lætitia augens. D. Cyrill. lib. 3. in Ioan. c. 1. Spiritus S. inquit, quasi oleum animas nostras ingressus nutrit, cõseruat, auget illuminationem nobis cõcessã, quasi oleum in lucerna positũ, &c. eodem loco ait, Spir. sanctũ, Baptistam lucernam effecisse ardentem, ac lucentẽ. Sic, inquit, Baptistæ lucẽ exarsisse credimus; nõ enim aliunde vim illuminãdi habuit, quam ab intellectuali hoc oleo, quo huius illuminationis ignis in nobis accenditur, &c. Qui lucerna ardens & lucens esse vult, Spir. sanctũ quærat. Sap. 6. *Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanct. tuum de altissimis, & sic correcta sint semita eorum qui sunt in terris, & quæ tibi placent didicerint hoĩes*, &c.

Tres effectus Spirit. san. intellectus illuminatio, voluntatis inflãmatio, appetitus tranquillatio.

D. Bernar. Apis dicitur Spir. S. cerã & mel efficiens.

D. Bern.

Mouet etiam voluntatem Spiritus S. dulcia deuotionis & consolationis mella infundendo. Act. 9. *Ecclesia consolatione S. Spiritus replebatur*, &c. O mella dulcissima, qui vos non experiũtur negligunt; qui experiuntur, pro vobis omnia mundi mella fastidiunt Duo nobis necessaria maximè sunt, vt salutem sempiternam conseq ui possimus; videlicet, veritatis cognitio, & veritatis operatio; bene intelligere & bene agere. Vnde nã hæc habebimus? ex Spiritu S. Intellectum ille fidei, veritatisque lumine collustrat; & ad opera sancta præ-

præstāda auxilium præbet. Etenim difficilis virtus est, difficile bene operari, iter virtutis accliue: natura peccato corrupta, amarorem in bonis operib. reperit, in malis dulcedinem. Quis facilitatē virtutis operariis dabit? quis iter accliue faciet decliue? quis ex virtute dulcissima amarorem pellet? pellet Spiritus sanctus. Ille difficultatem virtutis & laborem, cælesti quadā consolatione perfundet, qua conditus, dulcitudine mella superet; ille manna absconditum è cælo mittet, quod nemo nouit nisi qui accipit; ille omnem mōtem & collem humiliabit, & erunt praua in virtutis itinere indirecta, & aspera in vias planas. Diues ille Lucæ 17. petit ab Abrahamo: *Pater Abrahā, mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*, &c. Serò sapuit diues: alius nobis digitus dum vita suppetit, postulandus est, si refrigerari cupimus. Dextræ Dei digitum in Hymno Ecclesiastico appellamus Spiritum sanctum. Hunc gemitib. petamus inenarrabilibus, vt non linguam solum, sed totum corpus, totum refrigeret animum; & cælesti nos perfundens cōsolatione, virtutis iter reddat facile, atque decliue. Habet digitus hic cælesti aqua intinctus, vim ad consolandum maximam; paraclitus dicitur, id est, consolator, dulcis hospes animæ appellatur, in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatiū. Habet mel sicut apis, vt Bernard ait, habet etiam ceram, ignis, & lucis alimentum. Si demonstrare aliquid volumus, digito demostramus; ideò digitus Dei dicitur Spiritus sanctus, quia occulta quæ ignoramus nobis demonstrat, vide licet quæ in cælo sunt gaudia, quæ in Tartaro tormenta, quæ in peccato supplicia. Dei infinitam bonitatem, misericordiam, amorem, iustitiam. O illum beatum qui in illa intendit oculos, quę dextræ Dei indicat digitus.

Spir. sanct. viam cæli planam & facilē reddit.

Digitus Dei dicitur Spir. sanct.

D. Bernar.

Augustinum audiamus lib. de Spir. & litera, cap. 3. quo loco ostendit non esse satis homini liberum arbitriū; sed necessarium esse Spiritum sanctum, qui & veritatem, quam sequi debet, ostendat, & ad sequendam, quam cernit veritatem, cœlesti quadam delectatione permoueat. Nos, inquit August. dicimus humanam voluntatem, sic diuinitus adiuuari ad faciendam iustitiam, vt præter quod creatus est homo cum libero arbitrio volūtatis, præterque doctrinam qua ei præcipitur, quemadmodum viuere debeat, accipiat Spiritum sanctum; quo fiat in animo eius delectatio, dilectioq; summi illius, atque incommutabilis boni, qd̄ Deus est, etiam nunc cum per fidē ambulatur, &c. item: Cum id quod agendum, & quo nitendum est, cæperit nō latere; nisi etiam delectet, & ametur, non agitur, non suscipitur, nō bene viuitur. Vt autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per liberum arbitrium, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Doctrina quippe illa, qua mandatum accipimus continenter, recteque viuendi, litera est occidens, nisi adsit viuificans spiritus. Hæc August. O Christiane, si legē Dei vis tibi non esse literam occidētē; quære Spiritum viuificantem. Sine spiritus auxilio, legis præcepta literis exarata, seruare non poteris; ideoque lex litera tibi erit occidens. Si autem viuificantis Spiritus auxilio, ac dulcedine roboratus fueris, legem seruabis, peccatisque omnibus facile resistes.

D. August.

Non est satis legem Dei intellectu percipere; necessarium est Sp. S. volūtatem mouēs ad legem perficiendam.

Vide quam potens sit ignis Spiritus sancti, quamque potentem efficiat hominem. Chrysost. hom. 52. in Act. Apostol. Qui, inquit, igne Christi captus fuerit, talis fit, qualis esset homo solus super terram habitans; adeò nihil curæ ei est gloria, & ignominia: sed quēadmodum si solus habitaret, nihil curaret; ita & talis quoque non curaret. Tentationes autem sic contemnit, ac flagella, & carceres, quasi in alieno corpore pateretur, vel quemadmodū si adamantinum corpus possideret. ea autem quæ suauia sunt in hac vita, ita ridet, & non sentit, sicut nos, vel ipsi mortui corpora mortua. Et sicut muscæ in medium flammæ non incidunt, sed fugiunt, ita & affectiones illis accedere non audent. Hæc Chrysost.

D. Chrysost. Spi. S. potētia in hoīe iusto, & sācto.

Simile.

Denique quēadmodum super Apostolos

ctolos sedit Spiritus sanctus: sic sedet super Ecclesiam, oculosque illi tribuit columbarum. Iuxta illud Cant. 1. *Oculi tui columbarum*, &c. id est, perspicaces sunt ad intuendam veritatẽ fidei, & synceri ad cognoscendam veritatẽ morũ. In tabernaculo suo veteri Deus collocauit aureum cãdelabrum, quod in calamos septẽ dispertiebatur, & lucernis septem fulgebat. Exo. 25. Sic in tabernaculo suo nouo, id est, in Ecclesia sua, aureũ collocauit cãdelabrũ, id est, Spir. S. in septem dona velut dispertitum, quæ hominibus tribuit, quibusque velut lucernis & lampadibus fulge, totamque Ecclesiam illuminat. Apocal. 4. *Vidit Ioannes Deum in throno sedentem, viginti quatuor senioribus comitatum. Et septem*, inquit, *lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei*, &c. Thronus Dei in terra Ecclesia est; viginti quatuor seniores Ecclesiæ sunt proceres, Deo assidẽtes. Ecclesię autem thronum, & proceres, siue Prælatos septem illuminant lãpades, id est, septem dona Spiritus S. vt antiqui exponunt. Summum omnium Prælatorum Prælatum Ecclesiæ caput Pontificem Romanum, hæ illuminant Spir. S. lampades; ita vt definiẽs ex cathedra errare non possit; itemque illuminant sacra Concilia, ab eo approbata, ita vt nihil falsum possint decernere. Ioan. 14 *Alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis*, &c. In æternum manet in Ecclesia Spiritus veritatis, vt illam doceat, illuminet, gubernet, & in puritate doctrinæ, & fidei veritate conseruet: Spiritus enim est veritatis, veritatem docet, semperque docebit; linguas Ecclesiæ impertit cælestis ignis, intellectum illuminantes, falsitatisque tenebras dispellentes. Tartareus autem spiritus mendacium docet, hæreses, schismata, dissidia suscitat, orci ignibus ardentes furias, in hæreticos immittit, totumque tenebris errorum orbem cõplet. Cant. 4. *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum & fluant aromata illius*, &c. O gelidissime Aquilo arbores, floresque adurens, orbem hæresibus dissipans, ac disperdens; o Tartaree spiritus surge, cum iis hæresibus quas excitas, abi, discede. Veni Auster ardẽtissime, veni Spiritus sanctissime, perfla Ecclesiæ tuæ hortum, & fluant aromata odorifera, hoc est, veritatis, veræque fidei dogmata, fluant mores boni, fluant sancta opera.

Apoc. 4. Spir. sanct. super Ecclesiam sedet.

Hodie in Ecclesiam venit Spir. S & super eam sedit, à Synagoga vero Iudæorum discessisse die Pentecostes indicat Iosephus lib. 7. belli c. 12. aliquot annis post mortẽ Christi. Ipso, inquit, die Pentecostes, noctu, Sacerdotes in templum ingressi ad munera obeũda, primum quidem motum quendam strepitumque senserunt, postea vero subitam vocem audierũt, quæ diceret: *Migremus hinc*, &c. Indicauit vox hæc Sp. sanctum Angelorumque peculiarẽ tutelam & curã à populo illo post Christi Passionem recessisse. D Hiero. epist. ad Hedib. q. 8. Velum tẽpli scissum est, vt compleretur quod refert Iosephus præsides templi dixisse virtutes, *transeamus ex his sedibus*, &c. Eusebius legẽdus lib. 8. de Demonstr. c. 3 Velum, inquit, tẽpli scissum est à summo vsque deorsum, vt ex illo iam vi quadã sublata fuerit ab eis libatio, & sacrificium; & abominatio desolationis in templo sederit: vtpote cum eos virtus illa reliquerit solos, quæ & tutelam & prouidentiam eius loci gerebat. Nam ad illud vsque tempus, quo Christus passus est, diuinam quandam vim fuisse, quæ & templum, & Sanctum sanctorũ tueretur, existimare par est. Hæc ille. D. Ephræm serm. de Passion. Domini: Spir. S. ait, conspiciens dilectum filiũ Patris in ligno crucis pendentem, rupto templi velo, in columbæ specie continuò de tẽplo exiuit. Sic D. Ephræm 1. Reg. 17. *Directus est Spi. Domini in Dauid. Spiritus autẽ Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino*, &c. Similiter directus est Spiritus S. in Ecclesiam: Spiritus autẽ nequam, id est, diabolus exagitat Iudæorum synagogam. lege, si placet, librũ 5. huius 4. tomi cap. 7. in quo de Spir. sanct. agitur.

CAPVT VIII.

De prædicatione Apostolorum post aduentum Spiritus sancti.

MARCI XVI.

Prædicate Euangelium omni creaturæ.

POstquam Apostoli induti sunt ex alto cælestib. Spiritus sancti armis, in aciem prodierunt. *Illi autem profecti* (ait Marcus 16.) *prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*, &c. Prędicauerunt vbique, id est, in toto terrarum orbe, iam tunc reperto. Primum quidem in Iudæa Iudæis, postea in cæteris regionibus, gentibus. Quæritur, quo nam tempore ex Iudæa abierint, & ad gentes migrarint? Melito apud Bedam in retract. in Acta. cap. 8. ait anno secundo ab Ascensione Domini per orbem diuisos. Sed ex Actis Apostolorum refutatur opinio hæc, ex quibus cōstat pluribus annis in Iudæa mansisse. Apollonius apud Eusebium lib. 5. histor. Eccles. ca. 17. se traditione accepisse ait, Christum Apostolis dedisse mandatū, ne ad annos duodecim discederent ex Ierusalem. Respond. circiter annum duodecimum discessisse Apostolos in prouincias. Placet enim mihi quod placet Card. Baroni tomo. 1. anno 2. Claudii Imperatoris in diuersas orbis regiones abiisse Apostolos, vt prædicarent Euangelium omni creaturæ. Is autem annus fuit, quo Herodes Agrippa Iacobum Apostolum occidit,

Quonā tempore Apostoli ad gentes profecti sint.
Beda.
Apollonius
Baronius.

A Petrumque in carcerem misit. Fuit præterea annus hic vndecimus à passione & ascensione Christi. Occasio sumpta est ex persecutione. Cum enim Rex Iudęorum Agrippa Petrum Ecclesiæ caput, & reliquos Apostolos persequeretur, in prouincias alias ad prædicandum Euangelium abierunt. *Illi autem profecti prædicauerūt vbique*, &c. ait Marcus 16. supra citatus: Iam ergo cum Marcus Euangelium scri-
B psit, profecti erant, & prædicare cœperant vbique; *Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis*. Marcum vero Euangelium Alexandriæ prædicare cœpisse anno tertio Claudii Imperat. scribit Eusebius in Chronic. Prius autem quam Alexandriam peteret, Euangelium Romę scripserat. Vnde sequitur ante annum tertium Claudii, Apostolos in prouincias gentium esse profectos, circiter
C annum duodecimum ab Ascensione Christi. Sorte autem prouincias esse diuisas ait Abulensis tomo. 1. in Matthæ. in Prolog. D. Hieronym. quæstio. 4. Diuiserunt, inquit, inter se totum orbem per duodecim partes siue prouincias, & illas inter se sorte diuiserunt, &c. Idem docet in præfatione quæstio. 20. Socrates libro 1. capit. 15. Cum, inquit, Apostoli sortito iter ad
D gentes suscepissent, Thomas Parthiam obtinuit, Matthæus Æthiopiam, Bartholomæus Indiam quæ huic finitima est, sortitione accepit, &c. Idem ait Ruffinus, libro 1. Eccles. histor. cap. 9. Diuisio, inquit, orbis terræ ad prædicandum Euangelium Dei, sorte per Apostolos celebrata est, &c. D. Hieronym. Isaiæ capit. 34. videtur accedere: Apostoli, inquit, ad diuersas prouin-
E cias perrexerunt, quia Dn̄s mandauerat eis, Ite & docete omnes gentes. Et Spiritus illius cōgregauit eos, deditq; eis sortes, atq; diuisit, vt alius ad Indos, alius ad Hispanias, alius ad Græciam pergeret, &c. ait Spirit. sanct. dedisse sortes Apostolis, quia sorte prouinciæ à Spirit. sanct. diuisæ sunt, sed Hieronymus forte significat Spirit. sanct. dedisse sortes Apostolis, id est, prouincias. Card. Baron. sortes reiicit.

Ante-

Apostoli antequam ad gentes proficiscerētur, symbolum Apostolicū ediderunt. Ruffinus.

Antequam proficiscerentur Spiritu sancto repleti symbolum ediderunt, quod symbolum appellatur Apostolorum; qua de re Ruffinus in præfatione symboli sic scribit: Discessuri Apostoli ab inuicem, normam prædicationis in commune constituerunt. Omnes in vno positi, & Spiritu sancto repleti, breue istud futuræ prædicationis indicium, conferendo in vnum quod sentiebat vnusquisque, componunt; atque credentibus hanc dandam esse regulam statuunt, &c. Primi illi homines Noe filii antequam in orbem dispergerentur, turrim exædificarunt, ex lateribus. At primi nostri Patriarchæ, Ecclesiæque principes, Christi filii; antequam in varias orbis prouincias proficiscerentur, fortissimam turrim extruxerunt ex articulis fidei. In symbolo enim fidei Catholicæ continentur articuli; estque ipsum symbolum turris, fidei munitissima. Ruffinum audiamus: Discessuri, inquit, ad prædicandū Apostoli, illud & vnanimitatis & fidei suæ indicium posuerunt. Non sicut filii Noe discessuri ab alterutris, turrē construentes ex latere cocto, & bitumine; sed munimenta fidei, quæ starēt aduersus faciem inimici, ex lapidibus viuis, & ex margaritis dominicis ædificantes. Quæ neque violento ventorum flatum concuti, nec fluminum tēpestatibus, ac procellarum turbinibus impelli ac dimoueri, nec vlla vi euelli aut surripi possent vnquam. Meritò illi ab inuicem separandi, turrim superbiæ ædificantes, linguarum confusione damnati sunt; Apostoli vero qui turrem fide construebant, omnium linguarum scientia, & agnitione donati sunt; vt illud peccati, hoc fidei probaretur indicium. Sic Ruffinus. Dicitur symbolum quasi nota & tessera quædā militum Christi. D. Maximus Thoma. de Symbolo: Apostoli, inquit, Ecclesiæ quam aduersus militiam diabolici furoris armabāt, mysterium symboli tradiderunt, vt signaculum symboli inter fideles perfidosque secerneret, &c. Ducitur nomen à Græco verbo, συμβάλλω, id est, coniicio; & confero; dicuntur enim Apostoli singuli singulas in illud sententias contulisse, quas Augustinus numerat sermo. 115. de Tēpo. si Augustini sermo est. Quod, inquit, Græcè symbolum dicitur, Latinè collatio nominatur; ideo quia collata in vnum totius Catholicæ legis fides, symboli colligitur breuitate. Petrus dixit, *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Ioannes dixit: *Creatorem cœli & terræ.* Iacobus dixit, *Credo & in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum.* Andreas dixit, *Qui cōceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.* Philippus ait; *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.* Thomas ait: *Descendit ad inferna: tertia die resurrexit à mortuis.* Bartholomæus dixit: *Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Matthæus dixit: *Inde venturus est iudicare viuos, & mortuos.* Iacobus Alphæi, *Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicā.* Simon Zelotes: *Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Iudas Iacobi: *Carnis resurrectionem.* Matthias compleuit: *Vitam æternam Amen.* Hæc ille. D. Leo epist. 96. ad Pulcheriam Augustam: Symboli, inquit, Catholici cōfessio breuis, & perfecta, duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis. Clemens Rom. episto. 1. ad Iacob. Apostoli, inquit, adhuc in vno positi symbolum quod nunc fidelis tenet Ecclesia, vnusquisque quod sensit dicēdo, condiderunt; vt discedentes ab inuicem hanc regulam per omnes gentes prædicarent, &c. Ruffinus, Symbolum, inquit, indicium dici potest, & collatio, hoc est, quod plures in vnum conferunt. Indiciū istud posuere Apostoli, per quod agnosceretur is qui Christum verē prædicaret, &c. De eodem symbolo frequenter recitando Ambros. libr. 3. de Virginibus, sic scribit; Symbolum speci aliter debemus recensere, tanquam nostri signaculū cordis, ante lucanis horis quotidie. Quo etiam cū horremus aliquid, animo recurrendum est. Quando. n. sine militiæ sacramento, miles in tētorio, bellator in prælio, &c. Item D. Augus. hom 42. Quotidie, inquit, dicite, quando surgitis, quando vos collocatis ad somnū.

Apostoli symbolum fidei fecerunt ante discessum.

D. August.

Commemora fidem tuam, te inspice: sit tanquam speculum tibi symbolum tuum. Ibi te vide, si credis omnia quæ te credere confiteris, & gaude quotidie in fide tua. Sint diuitiæ tuæ, sint quotidiana quodammodo indumenta mentis tuæ. Nunquid non quando surgis te vestis? Sic & commemorando symbolum tuum vesti animam tuam, ne fortè eam nudet obliuio, &c.

Quibusnã in locis D. Petrus euãgelizauerit.

Præter hæc dubitatur quibusnam in prouinciis Apostoli Euangelium prædicauerint. In primis de Petro respondemus, D. Petrum Apostolorum principem, postquam in Ponto, & aliis in locis prædicauerat, anno secũdo Claudii Imperatoris Romam venisse, Romanis Euangelium anuntiasse, Romanamque toti orbi præsidentem Cathedram fundasse, & viginti quinque annis tenuisse, post Cathedram Antiochenam. Vt multos alios omittam, sic D. Hieronymus testatur in lib. de Script. Ecclesiast. Petrus, inquit, post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & p̃dicationem dispersionis eorũ, qui de circuncisione crediderunt in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia, secundo Claudii anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit; ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit; vsq; ad vltimum annum Neronis. Hæc ille.

D. Hieron.

Eusebi.

Item Eusebius in Chronico. Anno, inquit, secundo Claudii, Petrus Apostolus cum primum Antiochenã fundasset Ecclesiam, Romam proficiscitur; vbi Euangeliũ prædicans, vigintiquinque annis eiusdẽ vrbis Episcopus perseuerat, &c. Præclarè de hac re D. Leo verba facit serm. 1 in Nat. Apost. Cum duodecim, inquit, Apostoli accepta p̃ Spiritum sanctum locutione linguarũ, imbuendum Euangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus suscepissent. Beatissimus Petrus princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur imperii: vt lux veritatis, q̃ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Ad hãc vrbem tu beatissime Petre venire non metuis, & syluam illam frementium

D. Leo.

A bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum, constantior ingrederis, quam cum super mare graderetis; neque mundi dominam times Romã, qui in Caiphæ domo expaueras sacerdotis ancillã. Iam populos qui de circuncisione crediderant erudieras, iam Antiochenam Ecclesiam fundaueras, iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleueras; neque aut dubius de prouectu operis, aut de spatio tuæ ignarus ætatis,

B trophæum crucis Christi Romanis arcibus inferebas. ita D. Leo. O diuinã Christi potentiam, pauperem, Romanæ vrbis, & orbis totius fecit Pastorẽ. Quemadmodum Dauid gigantis caput Petra percussit, ad pedesque deiecit suos: sic Christus Romani imperii gigantea quadam mole præditi caput, id est, Romam, petra, id est, Petro, mirabiliter cõcussit, ad pedesque suos prostrauit. Vbi mundi caput erat, ibi Ecclesiæ suæ caput esse voluit, vt neminem

Simile.

C lateret fons cælestis doctrinæ, iuxta illud Zach. 13. *In die illa erit fons patens domui Dauid.* Erat Petrus post Christũ præcipua lux mundi, hanc lucem non posuit Dominus sub modio, sed super cãdelabrum altissimum, vt luceret omnibus qui in orbe sunt. Altissimum candelabrum Roma erat, orbis caput, in hoc præcipuam facem collocauit, id

Zach. 13.

D est, Petrum, vt radiis suis totum illustraret mundum. Habet igitur mundus veræ doctrinæ fontem, & veræ lucis facem, ne hæreticorum fœtidas lacunas adeat, tartareasque tenebras sibi offundat. Discessit in cęlũ Christus Ecclesiæ summus Pastor, nunquid Ecclesiam in terris absque pastore, vicarioque suo vniuersali reliquit? Ecq; hoc credat, nisi à mentis statu deturbatus homo? Vicarium suum in terris reli-

E quit illum, cui dixit Ioan. 21 *Pasce oues meas.* Vt autem omnibus notus esset veritatis fons, luxque cælestis & Dei in terris vicarius, cui totus orbis obediẽtiam præstare debet; ea in vrbe illius collocauit sedem, quæ toti orbi imperabat. Petram illam de qua dixerat; *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo*

Eccle-

Ecclesiam meam,&c.in celsissimo monte posuit,hoc est,in Romana vrbe; vt super hanc petram exædificata Ecclesia, abscondi non posset, iuxta illud Matth.5.*Non potest ciuitas abscondi supra montem posita*. Terrenam habebat Roma potestatem, Petrus attulit cælestem:terrena certis terræ finibus circũscribitur,cælestis in vniuersum mũdum dilatatur.Vnde Ambros.lib.2.de vocatione Gent.cap.2. Christiana,inquit,gratia, non est contenta eosdem limites habere,quos Roma, multosq; iam populorum,sceptro crucis Christi illa subdidit, quos armis suis ista non domuit.Quæ tamen per Apostolici Sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis,&c.Et D.Leo serm.1.de SS. Petro & Paulo:O Roma,inquit,per sacram beati Petri sedem caput orbis effecta,latius præsides religione diuina, quam dominatione terrena.minus est quod tibi bellicus labor subdidit, quã quod pax Christiana subiecit,&c.Hęc de Petro sint satis.De reliquis Apostolis dicamus breuiter.

D. Ambro.

D. Leo.

Iacobus maior in Iudæa prædicauit,& in Hispania;reuersus vero in Iudæam,ab Herode Agrippa occisus est vt scribit Lucas Act.12. Ioannes Iacobi frater prædicauit in Asia minore,& Ephesum duxisse Deiparam Virginẽ, sibi à Christo traditam, epistola synodica indicat Concilii Ephesini,ad Clerum populumque Constantinop. missa,his verbis: Ephesiorum ciuitatem Ioannes Theologus & sacra Virgo Deipara Maria quandoque incoluerunt, &c.Contra D Ephiphan.Hęresi 78.sic ait:Cum Ioannes in Asiam instituerit profectionem,nusquam dicit Scriptura,quod abduxerit secum sanctam Virginem,&c.Attamen quamuis non dicit Scriptura Virginem ductam esse Ephesum;dicunt illi Patres.Non enim omnia Scriptura dixit.Virgo in Iudeã reuersa est, & Ierosolymis è vita discessit,vt 1.tomo diximus. Andreas in Scythia Europea prædicauit, in Epiro,in Thracia,& in Achaia.Iacob.frater Domini,in Iudæa; fuit enim Episcopus Ierosolymitanus.Philippus in Scythia & Phrygia. Bartholomæus in India citeriore, & in Armenia maiore. Matthæus in Æthiopia. Thomas apud Indos, Parthos, Medos, Persas, Brachmanes, Hircanos,& Bactros. Simon Zelotes,siue Cananæus,in Mesopotamia.Iudas Thadæus in AEgypto: postea Simon & Iudas in Persidem venerunt,ibique Euangelium annuntiarunt. Matthias in interiori Aethiopia docuit.Vbi Paulus prædicauerit Lucas scribit in lib.Act.& Paulus ipse ad Romanos 15. ait se ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuisse Euangelium.Romæ quoque prædicauit;vnde illud Tertul.lib.de præscript.Hæret.Felix Rom.Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli Petrus, & Paulus, cum sanguine profuderunt, &c. Chrysostomo & aliis placet venisse in Hispaniam.De Paulo sic D.Hieronym.Amos 5.Vocatus,inquit,à Domino Paulus effusus est super faciem vniuersæ terrę,vt prædicaret Euangelium, ab Ierusalem vsque ad Illyricum,& ædificaret non super alterius fundamentum,vbi iam fuerat prædicatum:sed vsque ad Hispanias tenderet, & à mare rubro,imò ab Oceano, vsq; ad Oceanum curreret;imitans Dominum suum,& solem iustitiæ, de quo legimus Psalm.18. A summo cælo egressio eius,& occursus eius vsque ad sũmum eius.Et ante Paulum terra deficeret,quam studium prædicandi,&c.Qđ de Paulo ait D.Hieron.idem de reliqs Apostolis dici potest;Ante Apostolos terra deficeret,quam studium prædicandi Euangelium. Non defecit illos terra,sed defecit vita, antequam studium prædicãdi deficeret.In ipso prædicandi munere vitam amiserunt, ipsoque sanguine veritati Euangelicæ, quam prædicabant,testimonium attulerunt.Etenim Euangelica veritas eos flagitat testes, qui testimonium quod de illa ferunt,non atramento solum; sed proprio etiam sanguine cõsignẽt. In Pontificia Aaronis veste, inter mala punica, aurea tintinnabula posita erant Exod. 28 Eundem in modum in Pontificia veste,qua maximè Christus decoratur,id est,in Ecclesia,inter ma-

Quibus in regionibus prędicauerint Apostoli.

D. Hieron. Apostolorũ studiũ euãgelizandi.

In veste Pontificia olim interorant aurea tintinnabula.

la punica, id est, inter populos variasque nationes malis punicis similes, veluti, tintinnabula ex fulgentissimo auro fabricata, Apostoli collocati sunt, vt cælestem Euãgelii sonum in totum emitterent orbem. Duodecim stellæ Apoc. 12. in capite feminæ sole amictæ, id est, Ecclesiæ, rutilant; en tibi rutilantes duodecim stellas, id est, duodecim Apostolos in tenebrosa hac nocte. Hæc astra Deus mundo dedit quorum splendore nauigationem in cælũ dirigat, Per duodecim Zodiaci signa Sol percurrit orbem: per duodecim Apostolos Christus peragrauit mundũ. Fluuiis arida irrigatur terra; Apostolis aridus irrigatus est mũdus, iuxta illud Abac. 3. Fluuios scindes terræ, quo capite Theodoretus, Quemadmodum, inquit, agricolæ, in fossas deriuãtes fluuios, irrigationem terræ machinantur; sic flumina, id est, Apostolos & eos qui eos consecuti sunt, deriuabis Domine & distribues, & spiritalẽ gratiam hominibus afferes, &c. De gentilitate his irrigata fluuiis vaticinatur Isaias 35. *Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi liliũ, germinans germinabit, exultabit latabũda, & laudans, quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine*, &c.

Apoc. 12.

Apostoli astra mundi, & fluuij.

CAPVT IX.

De prædicatione Apostolorum.

PEriisset omnino mundus, si Deus post Ascensionẽ Christi in cælum, Euangelii Prædicatores in terris non reliquisset: quemadmodum pereunt segetes, si semen nullum relinquatur, vnde exoriãtur: iuxta illud Isaię 1. & ad Rom. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus*, &c. Discessit ergo Christus in cœlum, sed semen

A nobis reliquit in terris potentissimũ, videlicet Apostolos. Vnde D. Grego. homil. 49. in Euangel. Cum discipulos, inquit, ad prædicandum veritas mittit, quid aliud in mundo facit, nisi grana seminis spargit; & pauca grana mittit in semine, vt multarum messiũ fruges recipiat ex nostra fide? Neque enim in vniuerso mundo tanta fideliũ messis exurgeret, si de manu Domini superrationalem terram, illa electa B grana prædicantium non cõuenissent, &c. Grana absque palea seminantur; sic seminati sunt inter gentes Apostoli, absque palea caducorum bonorum, absque diuitiis, absque honoribus, absque deliciis sæculi. Grana seminata, si non moriantur, sola manent, vt Dominus ait Ioan. 12. si moriantur multum fructum afferunt. Ita Apostoli, si mortificationem, mortisque pericula fugissent, soli mansissent; quia vero neque C mortificationem, neque mortis pericula fugerunt, fructum admirabilem protulerunt. Spiritu huius mundi, siue vento ducti mortales, per orbem terrarum voluptates mundi quærunt, & vanitates. Oseæ 4. *Ligauit eum Spiritus in alis suis*, &c id est, populum Israeliticum ligauit ventus in alis suis, & duxit in captiuitatem: sic homines spiritus, siue vanitas mũdi, ligat in alis suis & ducit volentes in seruitutem vitio- D rum. At Apostolos, nõ mundi, sed Dei Spiritus alligatos sibi per orbem duxit; vt captiuitate diaboli oppressos, in libertatem per multas mortificationes, & persecutiones vindicarent. Audiamus Paulum Act. 20. *Nunc*, inquit, *ecce alligatus ego spiritu, vado in Ierusalem, quæ in ea ventura sunt mihi ignorans: nisi quod Spiritus sanctus per omnes* E *ciuitates mihi protestatur, dicens: quoniã vincula, & tribulationes Ierosolymis me manent; sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi quod accepi à Domino Iesu, testificari Euangelium gratiæ Dei*, &c. Sic Paulus & reliqui Apostoli, alligati Spiritu sancto mũdum percurrebant, in quo non voluptates, atque diuitias, sed vincula, & tribulatio-

D. Gregor. Apostoli semen fidei.

Apostoli semen fuerũt, absque palea.

Osea. 4.

Apostoli alligati Spiritu.

Act. 20.

lationes reperiebant. Hęc auté eorum vox erat: *Nihil horum veremur, nec facimus animas nostras pretiosiores quã nos; dummodo consummemus cursum nostrum, & ministeriũ verbi, quod accepimus à Domino Iesu testificari Euangelium gratiæ Dei, &c.* Item illa Psal. 42. & ad Rom. 8. *Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis, &c.* Vt oues occisionis inter lupos missi à Christo sunt, non vt superbi Leones; sed tamen Spiritu sancto alligati, Christique potentia adiuti, lupos in oues commutarunt, oues occisioni destinatæ, quia cum illis erat Dominus, iuxta illud: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, &c.* In quæ verba sic D. Ambro. scribit in lib. 2. de vocat. Gentium; ca. 1. Cum sicut oues, inquit, introieritis in medium luporum, nolite de vestra infirmitate trepidare, sed de mea potestate confidite, qui vos vsque ad consummatioñe sæculi, in hoc opere non derelinquam, non ad hoc vt nihil patiamini, sed quod multo maius est pręstiturus, vt nulla sæuientiũ crudelitate superemini. In mea enim potestate prædicabitis, & per me fiet, vt inter contradicentes, inter furentes, Abrahæ filii de lapidibus suscitentur, &cæt.

Psalm. 42.

D. Ambro.

Prius hi prędicatores in Iudæa Euãgelium annuntiarunt, postea ad gentes profecti sunt. Primas enim Iudæis Dominus tribuit, iuxta illud Act. 13. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes, sic enim præcepit nobis Dominus, &c.* ad Rom. 1. *Euangeliũ,* inquit Paulus, *virtus Dei est in salutem omni credenti Iudæo primum, & Græco, &c.* Luc. 24. dixit eis: *Quoniã sic scriptũ est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pænitentiã, & remissionem peccatorũ in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma, &c.* Act. 1. *Eritis mihi testes in Ierusale, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsq; ad vltimũ terræ, &c.* Promissus fuerat Christus Iudæis veritatis doctor, meritò igitur ad eos venit, eosq; docuit ad confirmandas promissiones Patrũ, vt Paulus ait ad Rom. 15. *Dico Christũ Iesum ministrum fuisse circuncisionis, propter veritatẽ Dei, ad confirmandas promissiones Patrum: gẽtes autem super misericordia honorare Deum, &c.* Summũ doctorẽ non audierunt Iudæi, sed suffixerunt cruci. Noluit tamẽ Dominus statim suppliciũ tanti sumere sceleris, p Apostolos discipulosq; suos prædicare illis iussit, & ab illis incipere. Pręterea quemadmodum tunc propter Dei notitiã populus ille reliquis præcellebat, ita voluit vt præcelleret prædicatione. Ad hæc Prædicatores Iudæi erãt, nẽpe Apostoli, æquũ ergo erat vt suis primũ Euangelii maximũ bonũ traderent, postea repulsi traderẽt gẽtibus. Deniq; humanã ex illo populo Christus naturã assumpsit, parq; fuit, vt primum illi bona cælestia offerret. O populũ felicissimum, si oblata accepisset, ò populũ infelicissimum, quia oblata tam magna bona repulit. *Quoniam* (aiunt Paulus & Barnabas Act. 13. *repellitis illud,* id est, verbũ Dei, *& indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes, &c.* Repulerunt Euangelium Iudæi, ipsoq; facto, acerbissimam in se tulere sententiam, iudicantes se indignos esse æterna vita, & æterna dignos morte.

Apostoli primũ in Iudæa Euãgeliũ promulgarũt.

Act. 13.

Conuersi ergo sunt Apostoli ad gẽtes: iuxta illud Cant. 1. *Filij matris meæ pugnauerunt aduersus me, posuerunt me custodem in vineis, vineã meam non custodiui, &c.* Filii synagogæ Iudæi aduersus Apostolos Iudæos pugnauerũt, & quia eos repulerunt, posuerunt eos custodes in vineis Gẽtiũ. Vineam suã, id est, synagogam ex qua nati erant, non custodierunt. exiitq; Euangelicus sermo ex Iudæa, & toto disseminatus est orbe, iuxta illud Isaiæ 2. *De Siõ exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem, &c.* & Psalm. 109. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, &c.* Vt aliubi iam diximus, Hierusalem in medio terræ sita esse dr̃. Ex illa ergo, tanquã ex medio centro, in vniuersum orbẽ, velut circumferentiã Euangeliũ exiuit, magna cũ lætitia gentium. Act. 13. *Audiẽtes gẽtes gauisæ sũt, & glorificabãt verbum*

verbum Domini, & crediderũt quotquot erant praeordinati ad vitã aeternam, &c. Psalm.47. *Fundatur exultatione vniuersa terra mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni*, &c. Cum exultatione vniuersi orbis fundata est Hierusalẽ, quia ex illa in vniuersum orbem lætissimum Euangelii nuntium exiuit, orbemque maxima exultatione affecit. Apocal.6. *Ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret*. En tibi regem regum Christum, exiit ille ex Sion, siue ex Hierusalem, *vincẽs vt vinceret*. Victus videbatur cęcis Iudæis, & occisus: sed cum vinci videbatur, tunc maximè vincebat; in cruce vicit, in ipsa morte triumphum egit, vincensque humani generis aduersarios, exiuit vt toto orbe idololatriam vinceret, vitiaque omnia superaret. Equo autem vehitur albo, qui ex communi sententia, Apostolos adumbrat moribus & sanctimonia candidissimos. Fuerunt enim Apostoli Christi equi & quadrigæ, quibus per orbem vectus salutem attulit hominibus, iuxta illud Abacuc 3. *Quadrigæ tua saluatio*, &c. & illud Abdiæ: *Ascendent saluatores in montem Sion, iudicare montem Esau*, &c. Mons Sion Iudęos significat, mons Esau, gentes: Iudæos, & gentes, hoc est, Christianos ex Iudæis, Gentibusq; cógregatos, saluatores Apostoli iudicarunt, hoc est, gubernarũt; eorũq; successores hodie gubernant, gubernabũtq; ad Iudiciũ vsq;. Audiamus Isaiã de Luce Euangelii ex Hierusalẽ exeũte loquentem cap.60. *Surge*, inquit, *illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orietur Dominus & gloria eius in te videbitur*, &cæt. Hierusalem surge ex somno; quia lumen tuum, Sol tuus Messias, iam ortus tibi est: reliquæ regiones in tenebris sunt nocturnis, in tuo autẽ hemisphærio ortus sol est iustitiæ. Neque vero tibi soli ortus est hic Sol, radiis enim suis ex Hierusalem cursum incipiens, per Apostolos suos & discipulos, gentes illuminabit. Vnde sequitur, *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui*, &c. Ambulant enim gentes in lumine veri Solis, qui in hemisphęrio Hierusalem ortus est, id est, in lumine veritatis Christi, & reges ambulant in splendore Euangelii. Canebat olim regius Vates Psal.147. *Annunciat Deus verbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis*, &c. At nunc iam annuntiat omni nationi iudicia sua, & iustitias, sacramẽta sua, & arcana cęlestia, Psalmo 97. *Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri*, &c. & Simeon in Cant. suo, *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum lumen ad reuelationem gentium*, &c. Apoc.7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum*, &c. Paulus ad Ephes.2. *Iam non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei; & superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Iesu Christo*. & ad Ephes.3. *Quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut nũc reuelatum est sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu, gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis eius in Christo Iesu per Euangeliũ*, &c. Cohæredes dicuntur gentes regni cælestis, concorporales, id est, in corpus Christi mysticum, id est, Ecclesiam, introductæ, & comparticipes promissionis Dei de Christo factæ patribus. Isaiæ 49. Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, (ait Pater Christo) & fæces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremũ terræ, &c. D. Cyrillus Isaiæ 6 . Olim, inquit, Iesus Naue siue Iosue, regiones gentium diuisit Israelitis. Postquam autem venit Christus, cuius ille fuit typus, non solum Iudæum, sed cunctã terram suis ministris diuisit. &c. Io-

Psalm.47. Apoc.6. Abacuc 3. Apostoli sio quadrigæ Dei, & saluatores. Abdias. Isai.60. Psal.147. Psalm.97. Luc.2. Apoc.7. Ephes.2. & 3.

sue

sue Palestinã Israelitis diuisit. Christo parum fuit diuidere Palestinam, totũ diuisit orbem Apostolis, quoniam in lucem omnium Gentium datus erat.

Act. 10. Visio oblata D. Petro de cõuersione gentiũ.

Admirabilem hac de re visionẽ habemus Act. 10. Vidit Petrus *cœlum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli. Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus: Absit Domine, quia nunquã manducaui omne cõe, aut immundum. & vox iterum secundo ad eum: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Hoc autem factũ est per ter. & statim receptum est vas in cœlum*, &c. Dulcissimum hæc visio indicat conuiuium, quod Deus prædicatoribus apparat; videlicet hominum conuersionem Hi enim sunt cõuiuii fercula suauissima, quæ candido in linteo Petro offeruntur. Præterea, eximium indicat hæc visio sacrificium, quod Deo in conuersione gentium offertur. In sacrificiis illis antiquis Salomonici templi, neq; serpentes offerebantur, neq; omnia quadrupedia, aut omnes volucres. At hoc sacrificium omnia animalia, etiam immunda complectitur, etiam veneno infectos serpentes. Dicitur ex aperto cœlo summo Pontifici, capiti, atque ori Ecclesiæ Petro; *Occide, & manduca.* Græcè θῦσον, id est, *immola*, siue *macta*. Ad te enim pertinet hæc immolatio, & sacrificium, Petre. Totius mundi Põtifex es, totius mundi generale hoc sacrificium ad te spectat; caput Ecclesiæ es, ad caput pertinet manducatio, immola, vt Pontifex, manduca vt caput, & conuerte hæc immunda animalia in corpus Christi, id est, in membra Ecclesiæ. Conuersionem gentium appellat etiam Paulus sacrificiũ ad Philip. 2. *Et si*, inquit, *immolor, super sacrificiũ, & obsequium fidei vestræ gaudeo*, &cæt. hoc est; etsi inmolor ego Deo, postquam vos tanquam hostiam spiritualem, & sacrificium Deo immolaui, & obtuli, gaudeo: Immolauerat autem Philippenses Paulus, ad fidem Christi illos conuertendo. Ad hoc sacrificium

Hominũ cõuersio dulce cõuiuiũ, & sacrificium.

ad Phil. 2.

Psalm. 28.

A offerendum hortatur nos Psalmus 28. *Afferte*, inquit, *Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum, afferte Domino gloriam & honorem*, &c. O vos prædicatores Dei filii, afferte Deo sacrificium, offerte Deo Gentiles, ex lupis conuersos in agnos mites. ex filiis luporum factos filios arietum, & filios Dei. Afferte Deo gloriam & honorem. hoc enim sacrificium summam illi gloriam, summumque affert honorem. Se B quitur de prædicatione; *Vox Domini super aquas multas*, id est, super populos multos; *Deus maiestatis intonuit*, per Apostolos: *Vox Domini in virtute; vox Domini in magnificẽtia*, &c. Petrus cum animalia immunda sibi manducãda offerri cerneret, manducare recusauit: *Absit Domine nunquam manducaui omne immundum*, &c. Ostendit autem illi Dominus nullum huic sacrificio esse immundum animal, id est, nullum C hominem ad fidem Christi recipiendam esse ineptum; ostendit præterea fidem ipsam viuentem cum charitate, & operibus, coniunctam, immundos homines mundare, cœloque aptos reddere. *Vox ad eum; Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Hoc autem factum est per ter, & statim receptum est vas in cœlum*, &c. sunt quidem immunda animalia homines peccato inquinati; hos sola Dei potentia purificare D & potuit, & voluit. *Quod*, inquit, *Deus purificauit*, &c. Purificauit autem per ministerium Petri summi Pontificis, & aliorum sacerdotum, qui legitima accepta potestate docent, & sacramẽta Ecclesiæ administrant, purificauit, cœloque recepit purificatos. Quam receptionem receptio illa significabat, quæ Petro est ostensa; *Hoc*, inquit, *factum est per ter, & statim receptum est* E *vas in cœlum*, &c. Quatuor lintei initia, quatuor designant Euangelia, trina receptio in cœlum augustissimam adũbrat Trinitatem. Erant item in linteo illo omnia quadrupedia terræ, serpentes, volucres, bestiæ, & reptilia. Nullũ exclusit visio, de omnibus Petro dicitur; *Occide, & manduca.* Quoniam omnes homines, & si feri sint, ipsisque serpentibus immaniores, ad Ecclesiam

Omnes nationes vocandæ sunt ad fidem.

Explicatio textus notanda.

sanc

sunt vocādi, vnde in regnum cæleste post mortem si bene viuant, recipiuntur. obserua autem Petrum à Deo missum esse ad Cornelium, non autē Cornelium ad Petrum, vt ostenderet Pastorum esse oues quærere humiliter, nullumque laborem effugere vt illas ad ouile ducant. Ex cælo Deus venit vt oues quæreret, quis ergo ex domo sua non veniet vt illas errantes reducat? *Ecce ego*, inquit, Dominus, *mitto vos*, &c. Misit Dominus Apostolos ad oues, in totum orbem, nō autem oues ad Pastores misit in Iudæam.

An Cornelius Centurio fuerit primus Ethnicus ad fidē conuersus.

Hac visione admonitus Petrus hostias ex gentibus Deo offerre cœpit, fuit autem prima ex gentibus hostia Centurio Cornelius Act. 10. Quamobrem D. Ambros. sermo. 10. ait hunc Centurionem fuisse primum animal ex gentibus Deo in Ecclesia immolatum. Dubium tamen est, An Cornelius fuerit primus homo Ethnicus ad Christi fidem conuersus. Nam ante Cornelium conuersus est à Philippo Eunuchus Candacis reginæ Æthiopū Act. 8. non ergo primus fuit Centurio. De Eunucho exponit Euseb. Cæsarien. verba illa Psal. 67. *Aethiopia praeueniet manus eius, siue suas Deo*; Hebraicè Æthiopia currere, vel festinare faciet manus suas Deo, &c. hoc est, Æthiopia curret ante alias regiones gentium ad offerenda Deo munera, & ad recipiendam fidem. Euseb. lib. 2. histor. cap. 1. Hic, inquit, Eunuchus, vbi ad patriam terram reuersus est, cognitionē Dei, & Saluatoris aduentum euangelizasse narratur, ita vt opere sit adimpleta per eum prophetia, quæ dicit Psalm. 67. *Aethiopia praeueniet manus eius Deo*, &c. D. Cyrillus Ierosolym. Catech. 17. Philippus docuit Eunuchum, Æthiopem, & baptizauit, atque in Æthiopiam vsque Christi præconem misit, sicut scriptum est; *Aethiopia praeueniet manus eius Deo.* D. Iren. lib. 4. cap. 40. Agebat iter Eunuchus gaudens, præco futurus in Æthiopia aduentus Christi, &c. Lege Nicephor. lib. 2. cap. 6. & Hieronymum Isaię 53. Oecumen. Act. 8. Basil. & Theodoret. Psalm. 67. Card. Baron. tom. 1. primum Gentilem conuersum ad fidem vult esse Cornelium. Idem sentit Card. Bellar. tom. 1. Quod si opponas Eunuchū, rñdetur nō fuisse Gentilem, sed Iudæum religione, & proselytum. Quamuis ergo ante Cēturionem conuersus sit ad Christum tamen iam ante Iudæus erat religione, & legis custodia, vt placet Lyrano, & Carthus. ideoque in Ierusalem venerat adorare Deum ex Æthiopia. Dici quoque potest primum Cornelium à Petro esse vocatum ad fidem Christi, publicè, admirabili præcedente visione, neque solum illum, sed etiam alios simul Spiritu sancto è cælo aduenientes visibiliter fuisse repletos, Acto. 10. *Cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum, & obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum*, &c. At vero Eunuchus in itinere, veluti obiter in solitudine, baptizatus est à Philippo, neque legimus descendisse in illum Spiritum sanctum. Primus ergo ex gentibus qui publicè cum aliis sociis baptizatus est ab Apostolis Spiritu san. accepto, & visibiliter de cælo descendente, Cēturio fuit: prior tamen illo fuerat iam baptizatus in deserto obiter Eunuchus. Verisimile quoque est multos ex Æthiopibus ab Eunucho conuersos esse ad fidem Christianam antequam Petrus ad Cornelium mitteretur. Illud quoque difficultatem parit, quod D. Iacobus in Hispaniam venerit antequam Cornelius susciperet fidem, aliquot ergo Ethnicos baptizauit, antequam Cornelius à Petro baptizatus esset. Respondet Card. Baron. in Martyrol. 25. Iulii D. Iacobū in Hispania solis Iudæis esse concionatum; quia nondum decreto Apostolorum gentibus fidei ostium apertum erat. Hispani vero à discipulis eius fidem Christianam acceperunt. Cum tamen D. Iacobus à Christo audierit: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*; non video quid illum prohibuerit ne Ethnicis in Hispania prędicaret, & quēadmodū qui dispersi sunt post necē Stephani Act. 11. Antiochenis prædica-

dicarunt, & Philippus Samaritanis, Actor. 8.

CAPVT X.

De prædicatione Apostolorum.

EVnuchum, Corneliūque secuti sunt multi alii toto orbe Ethnici, ita vt ex gētibus maximè cōgregata sit Ecclesia, Iudæis repudiatis, quia Messiam suum repudiarunt. Vnde illud Isaiæ 54. *Lauda sterilis, quæ non paris, quoniā multi filij desertæ, magis quā eius, quæ habet virum,* &c. Psal. 112. *Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem.* & 1. Reg. 2. *Donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est.* Sterilis erat gētilitas, synagoga fœcunda; sed postquam verus Iacob manus in cruce cōmutauit, multo plures fuere filii desertæ Ecclesiæ ex gentibus, quā Synagogæ, sterilis plurimos toto orbe peperit, & synagoga quæ multos habebat filios, infirmata est, habitatq; Ecclesia quæ fuit sterilis, in domo mater filiorum exultans, & quæ fœcūda fuit habitat in tuguriis facta sterilis. Nempe commutauit manus Iacob Gen 48. super minorem Ephraim, id est, populum gentium dexteram, super Manassem maiorem sinistrā posuit. Sonat nomen Ephraim, frugiferum, & crescentem, nomen vero Manasses, obliuionē. Populum enim indicat Ephraim Christianum, qui toto orbe creuit, miræq; pietatis fruges protulit: Manasses populum designat Iudaicum, veri Dei, Messiæque sui, & veræ legis, id est, nouę, oblitū. Regina Saba (idest Ecclesia) venit à finibus terræ ad audiendū sapientiam magni Salomonis Christi, seque & regna sua illius suaui subiecit iugo: synagoga domi habuit Salomonem; sapientissimis eius verbis habere fidem noluit, seque & regnum suū sub durissimum dæmonis iugum misit.

Isai. 54. Ecclesia maximè ex gentib. est congregata. Psal. 112. 1. Reg. 2. Gen. 48.

Matth. 12. 3. Reg. 10.

De synagoga illud est Exod. 19. *Vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gēs sancta,* & illud Deut. 7. *Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris, de cunctis populis,* &c. & illud Isaiæ 43. *Populū istum formaui mihi, laudem meam narrabit,* &c. Cōmutauit Iacob manus, eximios hos titulos in Ecclesiam transtulit, vt indicat D. Petrus epist. 1 c. 2. *Vos,* inquit, *ò Christiani genus electum estis regale sacerdotium, gēs sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum,* &c. Electum à Deo genus est Christianus populus, regale est sacerdotium; iuxta illud Apoc. 1. *Fecit nos regnum, & sacerdotes,* &c. c. 5. *Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terrā,* &c. Nunquid Christiani super terram reges sunt? Sunt quidē reges; sed metaphorici, quia sibi ipsis iusti dominantur. Vnde patet quomodo sacerdotes appellentur: scilicet metaphoricè sacerdotes dicuntur, quia spiritalia orationum, & bonorum operū sacrificia Deo offerunt. Iuxta illud Roma. 12. *Obsecro vos vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem sanctam,* &c. Quemadmodū regnant super terram metaphoricè, sic sacrificia offerunt metaphoricè. Sacrificiū namque verū Eucharistię offerre, ad sacerdotes pertinet ritè cōsecratos, qui solū ad conficiendum tātum Sacramentū habent potestatem. Præterea Exod. 19. dr populo Israelitico, *Eritis mihi in regnū sacerdotale,* &c. Nūquid oēs Israelitę reges erāt sacerdotes? Rex vnus erat, sacerdotes solū filii Aaron, tn̄ dicitur regnum illud regnum sacerdotale. Sic Ecclesia regnū sacerdotale est, nō quod omnes reges sint, & omnes sacerdotes, sed quod regnū sit Christi, in quo solo verū est sacerdotium, non omnium, sed aliquorū ab Ecclesia cōsecratorum. Poterit esse sensus: *Regale estis sacerdotium,* quia regnum estis Christi in quo ille regnat, & multos sacerdotes habetis veros, qui ex Christi summi regis instituto creati, ac cōsecrati Deo sacrificāt. Populus Israeliticus dicebatur regale sacerdotiū, quia principē habebat vnū, vel potius q̄a Deū pro rege habebat, &

Exod. 19. Deut. 7. Isai. 43. 1. Pet. 2. Apoc. 1. & 5. Rom. 12. Ecclesia regnū sacerdotale. Explicatio notanda.

& Aaronicos sacerdotes, qui Deo ritè sacrificabant; populus Christianus regale sacerdotium dicitur, quia Christum Deum Regem habet, & secundũ ordinem Melchisedech sacerdotes ritè initiatos, qui sacrificium Eucharistiæ incruentum offerunt.

Obiectio.

Obiicitur Apoc. 5. *Fecisti nos Deo regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram*, &c. Videntur verba hæc significare Christum fecisse regnum super terram, non propterea quod Ecclesiã fecerit regnum suum, sed quia homines fecit reges; *Fecisti nos*, inquiunt, *Deo nostro regnum, & regnabimus super terram*; hoc est, fecisti nos reges, & regnabimus. non aiunt, fecisti nos regnum, & regnabis in nobis super terram.

Responsio.

Respon. sensum esse probabilem. fecisti nos reges & sacerdotes metaphoricè, vt supra diximus, & regnabimus super terram metaphoricè. Sed absq; metaphora potest alius esse sensus huiusmodi, loquuntur eo cap. 5. Apoc. seniores 24. insigniti coronis aureis, adumbrant autem Ecclesiæ Pastores, & Episcopos, qui principes sunt, & reges Ecclesiæ, quia illam regunt: iuxta illud Psal. 44. *Constitues eos principes super omnem terram*, &c. Quod ait Dauid, aiũt hi seniores, Apostolorum obtinentes locum. Dauid dixit, *Constitues eos principes*, &c. Illi dicunt: *Fecisti nos reges*, id est, principes Ecclesiæ, & regnabimus super terram: hoc est, Ecclesiæ principatum obtinebimus, eamque gubernabimus. Sub vno summo Pontifice ac principe, Ecclesiæq; monarcha Rom. Pontifice, plures regnãt Pontifices super terram: sed vnum est regnum, vna Ecclesia. quia quamuis multi sint Ecclesiæ principes, vnum tantum est vnius Ecclesiæ caput post Christum Rom. Pontifex. Itaque hoc pacto dicitur regale sacerdotium populus Christianus.

Apoc. 5.

Vnus est Pontifex, qui caput est Ecclesia.

1. Petr. 2.

Præterea dicitur *gens sancta*, propter sanctitatem religionis, Ecclesiæque virtutes, dicitur populus acquisitionis, id est, populus acquisitus à Christo, acquisitus autem est, tum sanguine in cruce profuso, tum Apostolorũ prædicatione, vt annuntiet virtutes Dei, qui de tenebris eum vocauit in admirabile lumen fidei suæ.

Gens sancta populus acquisitionis Ecclesia.

Denique titulus synagogæ erat populus Dei, hunc præclarum titulum Deus in Ecclesiam transtulit, quamobrem addit eodem cap. D. Petrus: *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei*, &c. ex Osea cap. 2. de populo autem Iudæorum leges Danie. 9. *Non erit eius populus, qui eum negaturus est*, &c. & Apoc. 2. *Se dicunt Iudaos esse, & non sunt sed synagoga satana*, &c. Populum Iudæorum à Deo separauit Pharisæorum, impiorumque principũ incredulitas, populum vero Gentium Deo acquisiuit Apostolorum fides atque prædicatio. *Duc in altum* (ait Dominus Petro Luc. 5.) *& laxate retia vestra in capturam*, &c. In altum duxit Petrus cymbam, cæterique duxerunt Apostoli, cum ad docendos Ethnicos in totum orbem profecti sunt. Laxarunt retia sua in capturam, & concluserunt piscium multitudinem admirabilem.

Ecclesia populus Dei.

Dan. 9.

Apoc. 2.

Luc. 5.

Neque tamen omnes concluserunt pisces. Nam hoc mare magnum est, Psalm. 103. *Illic reptilia quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis*, &c. Mũdus hic magnus est, hominum habet ingentem multitudinem, regũ, principum, & aliorum quibus imperant. Non potuere Apostoli totũ percurrere; illis in regionibus Euangeliũ docuerunt, quæ iam repertæ erant; cæteras alias à Deo mittendis operariis docendas reliquerunt. In nouo enim orbe, in Brasilia, in Iapone, in regione Sinarũ non videtur illo tempore Euãgelium fuisse promulgatum, aliisque similibus regionibus, ad quas Deus nostris temporibus admirabili nauigatione aditum patefecit, Euangeliique promulgatores misit, neque mittere cessat. Ad has regiones nonnulli putãt illud spectare Isai. 18. *Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trãs flumina Aethiopia*, &c. Quidam ad nouum orbem Occidentalem: alii ad Orientales nationes Indiæ & Sinarum, vaticinium referunt. At iuxta literam cum D. Hieronymo & multis aliis existimamus vatem de Ægypto loqui, quæ est trans flumina

Apostoli nõ in omnib. mũdi regionibus fidẽ promulgarunt.

Isai. 18.

flumina Æthiopiæ. Arbitrantur etiam nonnulli de conuersione noui orbis vaticinari Abdiam cap. 1. illis verbis; *Transmigratio Ierusalem, quæ Bosphoro est*, Hebraicè, *bispharad*, *possidebit ciuitates Austri*, &c. Ciuitates Austri noui orbis ciuitates appellari credunt. Sepharad Hispaniam; sed horum locorũ interpretatio ad alium locum pertinet. Locus Abdiæ facilem habet intellectum, prædicit enim transmigrationem Iudæorum, quę ad Bosphorũ ducta est per Nabuchodonosorem, possessuram ciuitates Iudeæ, quæ ad Austrũ erãt. iuxta illud Iere. 13. *Ciuitates Austri clausæ sunt*, &c. Id vero factum est cum ex Babylonia in patriam reuersi sunt.

Abdias 1.

Ierem. 13.

Nouum vero orbem, Sinas, & similes regiones non fuit opus peculiaribus vaticiniis indicari, satis est generalibus vaticiniis comprehendi; qualia sunt hæc Isaiæ 66. *Et mittam ex his qui saluati fuerint ad gentes in mare, in Africam & Lydiam, tenentes sagittam, in Italiam & Græciam, ad insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. & annuntiabunt gloriam meam gentibus*, &c. Item cap. 11. *Erit in die illa, adijciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod derelinquetur ab Assirijs, & ab Aegypto, & à Phetros, & ab Aetiopia, & ab Aelam, & à Sennar, & ab Emath, & ab insulis maris: & leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ*, &c. Isaię 2. *Fluet ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi*, &c. Ierem. 16. *Ecce ego mittam piscatores multos dicit Dominus, & piscabuntur eos. & post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & omni colle, & de cauernis petrarũ*, &c. Ibidem, *Domine ad te gentes venient ab extremis terræ, & dicent: Verè mendacium possederunt Patres nostri, vanitatẽ quæ eis non profuit. Nunquid faciet sibi homo Deos, & ipsi non sunt Dij?* &c. Isaiæ 24. *A finibus terræ laudes audiuimus gloriam iusti*, id est, Christi, *Secretum meũ mihi* &c. hoc est, Gẽtium vocationem nolo patefacere. Isai. 42. *Cantate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ*, &c. Amos 9. *In die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius; & ea quæ corruerant instaurabo, & reædificabo illud sicut in diebus antiquis. Vt possideant reliquias Idumææ & omnes nationes, eo quod inuocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus*, &c. Cecidit tabernaculum Dauid, id est, regnum Christi in populo Iudæorum, cum Messiam suum occidit, & repudiauit. Dominus idem regnum Christi suscitauit, & reædificauit, dirutaque & euersa instaurauit, vocatis gentibus, vt consequenter possideret Ecclesia, regnũque Christi reliquias Idumææ, id est, Gentilium, qui nomine Idumęæ significantur. De gentibus hoc testimonium interpretatur D. Iacobus, Act. 15. Prophetæ sensum explicans, *Simon*, inquit, *narrauit quemadmodum primum Deus visitauit sumere ex gentibus populum nomini suo*. & huic concordant verba Prophetarum: sicut scriptum est Amos 9. *Post hæc reuertar, & reædificabo tabernaculũ Dauid, quod decidit, & diruta eius reædificabo, & erigam illud, vt requirant cæteri hominum Dominum, & omnes gentes, super quas inuocatum est nomen meum, dicit Dominus*, &c. Super gentes autem conuertẽdas dicitur inuocatum nomen Domini, vsurpato præterito pro futuro, vt solet fieri. Præterea inuocatum dicitur nomen Domini creatoris super gẽtes, antequam ad Deum conuerterentur, quia gentium omnium totiusque orbis creator dicebatur. Sophon. 3. *Tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno. Vltra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei filij dispersorũ meorum, deferent munus mihi*, &c. Reddidit Deus gentiũ populis labium, id est, linguam electam, & eximiam, quia idolorum cultum aboleuerunt, fidem vero Christianam labiis profitentur. Seruiunt vno humero Domino, quia leue Christi onus, & iugum suaue pariter portant, vnanimes in eadem fide, eisdemque præceptis. Vltra flumina autem Æthiopiæ inde venerunt, venientque

Isai. 66.
Vaticinia prophetarũ de conuersione gentium.
Isai. 11.
Isai. 2. 24. 42.
Ierem. 16.
Amos 9.
Act. 15.
Sophon. 3.

nientque supplices filii Dei, cum muneribus, qui dispersi per mũdum sunt, propter quos Christus sanguinem effudit, iuxta illud Ioann. 11. *Prophetauit quod Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum,* &cæt.

Ioan. 11.

Reliquum est vt ii, quibus post Apostolos Euangelii sacrosancta prædicatio commissa est, eos imitentur, quibus tanto in munere succedunt: magnaque vigilantia, magno ardore, toto pectoris conatu, tantam in rem incumbant. Seruiant autem Domino, *humero vno*, hoc est, vno animo & corde, vnoque ore, eandem prędicent fidem, absque dissensione. Si Deus aliquibus maiores facere progressus concesserit, gratulemur, non inuideamus. Eiusdem religionis sumus omnes, videlicet Christi: *Vnusquisque vestrum dicit,* (ait Paul. 1. Cor. 1.) *Ego quidẽ sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cepha, ego autem Christi; diuisus est Christus,* &c. Non est diuisus Christus: etsi multæ sunt sacræ religiones in Ecclesia, vnus est in omnibus Christus, vna fides, vna spes, vna charitas. Ego sum D. Benedicti, dicat sanctus religiosus, vel ego sum D. Bernardi, vel D. Dominici, vel D. Francisci, vel Societatis Iesu; sed addat: omnes sumus Christi. Christus non est diuisus, omnes religiones vnũ sunt in Christo, omnes religiosi illius membra sunt. 1. Cor. 12. *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, siue gloriatur vnum membrũ, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* &c. Si ergo Ethnicis pręedicans compatitur vna religio; compatiantur, & reliquæ: si vero prospero flante vento gaudet, Christi lucro; congaudeant & reliquæ. Illud D. Bernardi in Apologia ad Gulielmum Abbatem in memoria semper habendum; *Vnum ordinem opere teneo, cæteros charitate. Faciet autem charitas vt ne illorum ordinum quidẽ fructu fraudor, quorum instituta non sequor,* &c. Circumamicta est pulcherrima varietate ordinum Ecclesia. Non potest quidem religiosus vnus omnes tenere ordines, opere, vt ait Bernardus; potest tamen omnes tenere charitate magno cum fructu: facit enim charitas, eodem Bernardo teste, vt magno cum animi fructu reliquos ordines diligat, eisque faueat semper in rebus omnibus.

1. Cor. 1. Concordia maximè seruãda inter prædicatores Euangelij.

1. Cor. 12.

D. Bernar. Vnus ordo opere tenẽdus, omnes tenẽdi charitate.

CAPVT XI.

De Sacrosancta Trinitate ab Apostolis orbi prædicata.

MATTHÆI XXVIII.

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

De cognitione Dei per vestigia creaturarum.

SOlet Ecclesia in fine Psalmorum celebrem illam doxologiã Deo decantare, *Gloria Patri & Filio & Spiritui San.* Eundem in modũ visum mihi est, in fine horum commẽtariorum de admiranda Trinitate nõ nihil dicere, & veluti doxologiã quandam Patri, & Filio, & Spiritui S. post lungum opus quasi post longum Psalmum canere. Primum vero de cognitione Dei per creaturas dicam; deinde de cognitione trium personarum quam nobis Christus aperuit illis verbis Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spir. San.*

Possunt homines Deum ex creaturis inuestigare, & ad eius notionem per hæc veluti vestigia peruenire. Vnde illud Gregor. Nazianz. orat. 34. Quod Deus sit, inquit, ac princeps quędam causa, quę res omnes procreauit, atque

atque conseruet, tum oculi ipsi, tum lex naturalis docet. Illi dum rebus visibilibus aciem intendunt: hæc autem dum per res oculis subiectas, ac recto ordine collocatas autorem earum cõiectura quadã colligit. Sic ille. Et Gregor. Magnus Iob cap. 35. ad illa verba: *Suscipe cœlum*, &c. creaturas Dei vestigia appellat, quia ad Deum nos ducũt: Vestigia, inquit, creatoris nostri sunt mira opera visibilis creaturæ. vestigia Dei creaturam dicimus, quia per hæc quæ ab ipso sunt, sequendo imus ad ipsum, &c. Eodem loco vocat creaturas nutus Dei quibus innuit hominibus Deum vnum esse; Deus, inquit, dũ facturæ suæ decus foris proponit, quasi quibusdã se nobis nutibus innuit, &c. Vocat quoque vias ad Deum tendentes: Viæ, inquit, ad creatorem sunt opera considerata creatoris, quæ dum facta cernimus, potentiam factoris miramur, &c. D. Bern. serm. 31. in Cant. vocat radios diuinitatis: Tãta, inquit, hæc formarum varietas, ac numerositas specierũ in rebus conditis, quid nisi quidã sunt radii deitatis, &c. D. Ambro. Hexam lib. 1. c 5. Est hic mundus diuinæ specimen operationis; quia dũ opus videtur, præfertur operator. Itẽ: Hic mundus diuinæ maiestatis insigne est, vt per ipsum Dei sapientia manifestetur. Quem videns Propheta, & simul ad inuisibilia oculos mentis attollens ait, Psalm. 103. *Quam magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti*, &c. D. Aug. serm. 55. de verb. Dom. secundũ Ioan. Interroga, inquit, mundi ornatum, cæli fulgorẽ, dispositionemq; siderum, interroga terrã fructificantem herbis, & arboribus, animalibus plenam, hominibus exornatã: interroga mare natatilibus plenũ; interroga aerem, quantis volatilibus viget: interroga omnia, & vide si nõ sensu suo, tibi respondent, Deus nos fecit. Sic ille. Lege eundem libro decimo. Confessor. capit. sexto, Hugo Victor. libro 7. cap. 4 Sapiens, inquit, per id quod foris videt in creaturis profundam rimatur diuinæ sapientiæ cogitationem. Item: Spiritalis in eo quod foris est in creaturis, considerat pulchritudinem operis, intus concipit quam miranda sit sapientia creatoris insipiens solam miratur speciem in creaturis. velut si in vna eademque Scriptura alter colorem seu formationem figurarum commendet, alter vero laudet sensum & significationem. lege reliqua.

Greg. Nazian:
Greg. Magnus.
Creaturæ sunt vestigia Dei sũt nutus, & via Dei.
D. Ambro.
Psal. 103.

Sap. 13. *A magnitudine speciei, & creaturæ, cognoscibiliter*, Græcè, ἀναλόγως, hoc est, per proportionem, *poterit creator horum videri*, &c Etenim proportionem quandam causæ præstantissimæ, & infinitæ habet Deus cum creaturis, per quam inuestigari potest, collata pulchritudine, operibusq; creaturarum, cum pulchritudine & operib. creatoris. Sic confert sapiens, Sap. 13. dicens: *Aut ignem aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, & Lunam, rectores orbis terrarum, Deos putauerunt. Quorum si specie delectati, Deos putauerunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est.* Speciei enim, Græcè, κάλλους, id est, pulchritudinis, *generator hæc omnia constituit. At si virtutẽ*, (δύναμιν, potentiam) *& opera eorum mirati sunt*, Græcè, ἐνέργειαν, efficaciam, siue efficiẽtiam creaturarum, *Intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis.* δυνατώτερος, potentior est, &c. Plato quoque in Hippia Maiore, siue De Pulchro, creaturam cum Deo comparans, ait formosissimas virgines cum Deo collatas, non esse pulchras, sed deformes. & in eodem dialogo, Heraclitus hominem sapientissimum cum Deo comparatum, simiã esse dicit. Cognoscibiliter igitur & analogicè ex creaturis intelligitur sapientia Dei potentia, pulchritudo, maiestas, quod Paulus ad Roman. primo, docuit dicens: *Inuisibilia ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas*, &cæt. Non videmus Deum corporeis oculis, videmus tamen eius opera admirabilia. Ex operibus autem quæ videmus, Deum intelligimus, quem non videmus, sempiternamque ipsius potentiam, & diuinitatem.

Sap. 13.
Deus ex creaturis agnoscitur
Rom. 1.

Psalm. 18. *Ex operib. & ex lege agnoscitur Deus.*

Psalm. 18. Psalmographus duas res nobis proponit, ex quibus Deus cognoscitur, videlicet, Dei opera, & legem: nã tũ ex operib. tũ ex lege Dñs agnoscitur. *Cæli*, inquit, *enarrãt gloriã Dei, & operam manuum eius annunciat firmamentum*, &cæt. Item: *Lex Domini immaculata conuertens animas, testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, &cæt. Actor. 14. *Non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra*, &cæt. Pluuias, fructiferaque tempora, cibum, & potum, testimonium appellat Paulus, quo testatur mundus Deum esse: Isaiæ sexto, clamant Seraphyni: *Plena est omnis terra gloria eius*, &cæt. & quidem plena est omnis terra Dei maiestate, quia totam ille sua immensitate complet. Præterea plena est gloria eius, quia plena est terra operibus Dei gloriosissimis, quæ Dei infinitam gloriam demonstrant hominib. Græcè, *κόσμος*, dicitur hic mundus, id est, ornatus; quia Dei operibus pulcherrimis ornatissimus est. Mundus autem appellatur, quia est mundissimus omni carens macula omni ex parte Artificis, carens defectu: sunt enim omnia illius opera perfectissima, & omni imperfectionis labe mundissima. Speculum est mundus, Deum demonstrans, pictura summi decoris, pictorem extollens, psalterium siue cithara suauissimo cõcentu laudes creatoris omnibus hominibus personans. Iuxta illud Psalm. 18. In omnem terram exiuit sonus eorum, &cæt. Denique liber est admirandus, in quo summi Opificis admiranda sapientia elucet: vt D. Bernar. ait in serm. de verbis Psal. 84. *Audiam quid loquatur*: Sensibilis, inquit, mundus iste est, velut communis quidam liber catena ligatus, vt in eo sapientiam Dei legat, quicumque voluerit, &cæt. & D. Basil. homil. vndecima, hexam. Mundi moles perinde est, ac liber literis exaratus, gloriam Dei palam prædicans, & cætera.

Act. 14. *Isai. 6.* *Rerũ vniuersitas, cur mũdus & κόσμος appelletur.* *Psalm. 18.* *Mũdus est speculũ, pictura, Psalteriũ, liber.* *D. Bernar.* *D. Basil.*

Huic admirando libro, studium operamque suam dederunt Ethnicorũ sapientes, Deique vnius ex eo scientiam didicerunt, vt Paulus testatur ad Roman. primo. *Quod notum*, inquit, *est Dei, manifestum in illis: Deus enim illis manifestauit*, &cæt. Manifestauit Ethnicis Deus per creaturas, creatorem; quæ manifestatio immortales gratias cultum diuinum, adorationẽque postulabat; illud quoque flagitabat, vt quam consecuti erant cognitionem insipientibus impertirent. At vero, ait Apostolus, *cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt*, &cæt. Item: *Reuelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent*, &cæt. Cognouerunt Ethnici Deum per creaturas; sed quem cognouerunt, non coluerunt; neque illi gratias egerunt. Præterea veritatem Dei, quam nouerant, in iniustitia detinuerunt, in primis quia quod veritas docebat non præstiterunt; deinde, quia populos non docuerunt vnum Deum esse colendum; vnde factum est, vt turpissimis Idolis, turpissimisque vitiis mundus compleretur. *Mutauerunt* (inquit Apostol.) *gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam*, &cæt. Marcus Varro, cuius verba refert D. Augustin. libro sexto, de ciuit. Dei, cap. quinto, triplicem fecit de Diis Theologiam siue doctrinam. Vnam vocat mythicam, id est fabulosam, & Poeticam, alteram Physicam, id est, naturalem; tertiam ciuilem, siue Politicam. In genere autem, inquit, Theologiæ fabulosæ & Poeticæ, multa sunt contra dignitatẽ, & naturã immortaliũ ficta; in hoc. n. genere est vt Deus alius ex capite alius ex fęmore sit, alius ex guttis sanguinis natus, in hoc vt Dii furati sint.

Rom. 1. *Ethnicã Philosophi ex libro mũdi Deũ cognouerũt.* *Rom. 1.* *Varro. Ethnicorũ de diis sententia.*

sint, vt adulterauerint, vt seruierint homini. Denique in hoc omnia Diis attribuuntur, quæ non modo in hominem, sed etiam quæ in contemptissimum hominem cadere possunt, &cæt. de secundo genere, quod Physicum diximus & naturale, multos libros Philosophi reliquerunt, in quibus est, qui sint Dii, vbi sint, quod genus eorum, & quale, ex quonam tempore, an à sempiterno fuerint, an ex igne sint, vt Heraclitus credit, an ex numeris, vt Pythagoras: an ex Atomis, vt Epicurus. Sic alia, quæ facilius intra parietes in schola, quam extra in foro ferre possunt aures, &cæt. Tertium genus est ciuile, quod in vrbibus ciues, maximè sacerdotes, nosse, atque administrare debent; in quo est, quos Deos publicè colere, quæ Sacra, & sacrificia facere, quemque par sit. Prima Theologia maximè accommodata est ad Theatrum, secunda ad mundum, tertia ad vrbem. Sic Varro apud Augustin. Similiter Plutarchus lib. primo, de placitis Philosophorum cap. sexto. Qui cultum, inquit, Deorum nobis tradiderũt, tribus formis vsi sunt, naturali, fabulosa, & testimonio legũ. Naturalem Philosophi, fabulosam Poetæ docent, leges suas circa Deorum cultum singulæ habent ciuitates, &cæt.

CAPVT XII.

De initio Idololatriæ.

PRimum totius generis humani parentem Adamum condidit Deus, fideque, & cognitione tũ cælestium, tum terrestrium rerum donauit, vt quemadmodum pater, sic magister filiorum esset. Ecclesiast. 17. *Consilium & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis* (id est, A primis parentibus) *excogitandi, & disciplina intellectus repleuit illos. Creauit illis scientiam Spiritus, sensu impleuit cor illorum, & mala & bona ostendit illis,* &cæt. Functus ille est vtroque officio & patris & magistri; filios docuit Deum vnum colere, diuinaque mandata obseruare. Quamdiu illi in cultu Dei vnius perseuerarint ignotum est. D. Cyrillus lib. primo, contra Iulianum, ait Idolorum cultum ante B diluuium non fuisse: Homines, inquit, qui ab Adam vsque ad Sem fuerunt, Deum coluerunt; nullus enim eorum taxatur, qui Diis alienis fuerit deditus: vel dæmonibus obtulerit. At post diluuium & constructionem turris, & linguarum discretionem, etiã de Deo indignam habuerunt opinionem, qui per vniuersam terram dispersi erant, &cæt. Idem docet in fine, libro tertio. Eadem est sententia D. Thom 2.2. quęstio. 94. art. quarto. Ad secundum, C inquit, dicendum quod in prima ætate non fuit Idololatria propter recẽtem memoriam creationis mundi, &cæt. Dicitur autem initium sumpsisse Idololatria à Nino rege Assyriorum: is enim patrem suum Belum demortuũ Deum fecit, adorãdumque proposuit: quem Belum multi illum fuisse aiunt Nemrod, cuius extat mentio Gen. capit. decimo Nini huius anno 43. Abra D ham natus est. Itaque cœpit Idolorũ cultus post diluuium, circa ætatem Abrahæ, iuxta hanc sententiam. Hanc obrem nomen Beli, Idolis videmus tribui in sacris literis Apud Dan. 14. Idolum dicitur Bel, passim vero Idola nomine Baal appellantur, quod idem est.

An fuerit idolorum cultus ante diluuiũ. D. Cyrill.

Gen 10.

Vnde manarit idolorũ cultus.

At Sapien. 14. inuentio Idolorum, non tribuit filio, qui Patri diuinos tri- E buerit honores, sed patri qui filio vita functo Idolum posuerit. *Acerbo enim* (ait Sapiens) *luctu dolens pater, cito sibi rapti filij fecit imaginem, & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra, & sacrificia. Deinde interueniente tempore conualescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & Tyrannorum*

imperio colebantur figmenta, &c. Ergo dicendum videtur initium Idololatriæ à Nino minime emanasse, quia is patri Belo, non filio Idolum erexit; sed emanasse prius ab alio, qui filio iuueni citò, id est, ætate florente rapto, fecerit imaginem. Respondet Cardin. Bellarm. tomo primo, in libro Sapientiæ, agi de Idololatria priuata, non regis alicuius. Vir enim aliquis opulentus ac potens, filio vita functo posuit statuam, constituitque illi inter seruos suos Sacra, & Sacrificia. Ninus vero publicę Idololatriæ exordiũ dedit, cum patris Beli Idolum Deum fecit. Sed nescio, an sit probabile autorē libri Sapientiæ, Idololatriæ priuatæ, non vero publicæ patefecisse exordium. Dicerem potius, ante Ninum alium aliquem virum potentem filio simulachrum statuisse, ex quo Ninus didicerit statuere patri. Vel forsitan Ninus filium habuit ex aui nomine Belũ appellatum, cui citò rapto (vt Sapiēs ait) Idolum posuit. D. Fulgentius lib. 1. Mytholog. ex Diophane scribit Syrophanem Ægyptium virum locupletem filio vita functo simulachrum statuisse in ædibus. Familiam vero in domini adulationem, filii idolum coronis ornasse & floribus, & odoramētis, seruosque ad illud tanquam ad asylum confugisse. Dydimus apud Lactātium lib. 1. de falsa relig. c. 22. ait Melisseum Cretensium regem primũ diis sacrificasse, ac ritus nouos sacrorumque pōpas introduxisse. D. Isidorus lib. 8. Originũ simulachrorum, inquit, vsus exortus est cum ex desiderio mortuorum constituerunt effigies, &c. Idem eodē loco, Iudæi, inquit, dicunt quod Ismael simulachrum primus luto fecerit. Gentiles autem primum Prometheũ Idola de luto finxisse perhibent, ab eo que esse natam artem simulachra, & statuas fingendi. Apud Græcos Cecrops, primus omniũ Iouem appellauit, simulachra reperit, aras statuit, victimas immolauit. nequaquam istis rebus in Græcia vnquam visis, hæc Isid.

Neque vero homines solum, sed etiam ratione carentia animantia coluerunt homines ratione præditi. Nã notissimum est, & à multis autoribus memoriæ proditum, Ægyptios vilissima coluisse animalia. Sapien. vndecimo. *Quidam errantes colebant mutos serpentes, & bestias superuacuas*, & cæt. Poeta Satyra 15. porros addit & cœpas.

Aegyptij animalia ratione carentia coluerunt. *Sap. 11.*

> *Quis*, inquit, *nescit qualia demens*
> *Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat*
> *Pars hæc, illa pauet saturam serpentibus Ibim.*
> *Effigies sacri nitet aurea Cercopitheci*
> *Illic caeruleos, hic piscem fluminis, illic*
> *Oppida tota canem venerantur.*
> *Porrum & cæpe nefas violare ac frangere morsu:*
> *O sanctas gentes quibus hæc nascuntur in hortis*
> *Numina*, &c.

Et Diodorus Siculus lib. 2. c. 4. Coluntur, inquit, Ægyptii animantia quædam præter modum, non solum viua, sed etiam mortua, sicut Feles, Ichneumonas, Canes, Accipitres, Ibides, Lupos, Crocodilos, & eiusmodi plura, &c. Causæ cultus redduntur fabulosæ; illa aliquid habet probabilitatis, idcirco animalia coluisse Ægyptios, quod sub eorum signis vexillisque feliciter pugnassent. Adde propter vtilitatem, quam hominibus afferunt, venerationi esse habita. lege Diodorũ. Præter homines demortuos, cæteraq; animalia, coluerunt Idololatræ inanimatas res, vt Stellas, Solem, Lunã, & elementa. Sap. 13. *Aut ignem, aut spiritum*, (id est, ventum) *aut citatũ aerem, aut gyrum stellarũ, aut nimiam aquã, aut Solem, & Lunã, rectores orbis terrarũ Deos putauerunt*, &c. Legendus est Euseb. lib. 1. de prępar. Euang. c. 6. Et Plato in Cratylo: Videntur, inquit, mihi Græcorũ prisci Deos solos putasse eos, quos etiã his temporibus Barbari plurimi arbitrantur, Solē, Lunam, Terrã, Stellas, Cælum. cum ergo hæc omnia perpetuo in cursu esse conspicerēt, ab hac natura τοῦ θεῖν, θεὸς, nominasse videntur, &c. Euseb. etiam loco citato vult cultum cæli, Solis, & Lunæ, priorē fuisse cultu statuarũ & Idolorũ. quia antiqui hoīes neq; pingere sciebant, neque

Diodorus.

zed by Google

neque fingere, aut cælare.

Ante diluuiũ videntur aliqui homines à vera fide defecisse, et idola coluisse.

Non leuis est coniectura, quæ suadet, ante diluuium homines aliquos filios Cain, a vera Dei vnius cogitatione defecisse, vel ad cultum Solis, Lunæ, & Stellarum, vel etiam ad cultum Idolorum. Nam homines qui diluuium præcesserunt, iniquissimi fuere, & dæmonum voluntati obsequentissimi. Suaserunt ergo illis dæmones peccatum maximum Idololatriæ, & quod suaserunt, assecuti videntur. Præterea post diluuium ducentis ferè annis tantum, vsque ad Ninum, in recta Dei cognitione, à Noè progeniti homines perseuerarunt. Cur igitur dicemus homines ante diluuium progenitos ab Adam, spatio plusquam mille sexcentorum annorum vsque ad diluuium, in Dei vera notitia permansisse; cum fuerint adeo scelerati, vt horrendo diluuii supplicio perire meruerint? Reddet aliquis hanc rationem: Non dicimus homines ante diluuium Idolis, aut Soli, vel Lunę exhibuisse venerationem; quia sacræ litteræ cum reddunt rationem; cur diluuio Deus terram submerserit, nullam faciunt de Idolorum cultu mentionem; fecissent autem, si fuissent illi homines Idololatræ. Respondetur huic rationi, diuinas literas non omnes diluuii causas numerasse sigillatim, sed generatim retulisse illis verbis: Gen. 6. *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pęnituit eum,* & cætera. Item illis: *Corrupta est terra coram Deo, & repleta est iniquitate, omnis caro corruperat viam suam super terram,* &cæt. Quis autem non videt posse etiam his verbis Idololatriam comprehendi vitiorum matrem? Additur alia causa cur ante diluuium inficiemur esse Idola: videlicet verba illa Sapien. 14. *Neque erant ab initio, idola, neque erunt in perpetuum,* &cæt. Non erant, inquit, ab initio Idola, id est, ante diluuium, vt interpretantur Lyranus, Carthusianus, & alii. Sed nihil obstant hæc verba: sic enim iuxta hanc sententiam sunt interpretanda: Neque erant Idola ab initio mundi. Quod verum est: multis enim annis homines initio mundi absque cultu Idolorum vixerunt. Postea tamen diabolo adnitente, in ipso mundi initio ante diluuium vitiorum procreatricem Idololatriam, quemadmodum cætera vitia amplexi sunt. Hebræi quidem tempore Enos, ante diluuium putant fabricata Idola, vt ait D. Hieron. in tradit. Hebr. Plerique, inquit, Hebræorum arbitrantur primum tempore Enos fabricata esse Idola in nomine Domini, & in similitudinem eius, &cæ. Potest confirmari opinio ex verbis illis Gen. 4. *Enos cœpit inuocare nomen Domini,* &cæt. Ex Hebræo verti potest: *Tunc profanatum aut pollutum est nomen Domini,* &cæt. videlicet Idolorum cultu. tribuebant enim Idolorum cultores nomen Dei simulachris. Sed præstantior est nostra versio, qua significatur Enos nouum aliquem modum colendi, & inuocandi Deum tūc inuenisse. Inuenit autem tunc nouum colendi Deum modum forsitan propter Idololatriam insurgentem. Cassianus collat. octaua. Sereni Abbatis cap 21. ait filios Seth postquam vxores duxerunt filias Cain, ad res noxias scientiam quam à patribus acceperāt, deriuasse, curiosasque maleficiorum artes, ac magicas superstitiones instituisse, docuisse præterea posteros, vt vel elementa, vel dæmones aereos colerent. Cham autem filium Noe superstitionibus & artibus magicis institutum, sacrilegiorum & perpetuæ nequitiæ seminarium, post diluuium ad posteros transmisisse.

Cassianus.

Idolatria orbi dominata est. Iosue 24.

Denique post diluuium Idololatria orbi dominata est, vniusque Dei notio apud paucos permansit. Ipsi etiam Israelitarum patres Idola coluisse dicuntur Iosue ca. 24. *Trans fluuium* (ait Dominus) *habitauerunt patres vestri ab initio; Thare Pater Abraham, & Nachor; seruierunt que dijs alienis,* &c. Seruierunt quoque diis alienis Græci, Romanique, orbis Domini, cumque intellectu valerent, bonisque artibus essent exculti, insanæ tamen dominæ Idololatriæ iugo, insani colla subiecerunt,

ut dicitur Sap. 14. *Creatura Dei in odiũ facta sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium*, &cæt. Creaturæ, inquam, Dei, id est, aurum & argentum, & Idola quę ex illis fiunt, facta sunt laqueus hominum insipientium. Magnæ enim insipientiæ est idolis diuinam exhibere venerationem. Sap. 13. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei* &c. Grecè μάταιοι, id est, stulti. cap. 12. de Ægyptiis: *in erroris*, inquit, *via diutius errauerunt; Deos æstimantes hæc quæ in animalibus sunt superuacua, infantium insensatorum more viuentes*, &c.

CAPVT XIII.

Christus Idola contriuit, & Trinitatem mundo manifestauit, in Testamento nouo.

Svccurrit Dominus hominum ignorantiæ. Decreuit doctorem veritatis maximum, id est, filium suum Messiam in mundũ mittere: vt testimonium perhiberet ignotæ veritati, iuxta illud Ioann. 18. *Ego in hoc natus sum* (ait Dominus) *& ad hoc veni in mundum vt testimonium perhibeam veritati*, &c. Antequam filium mitteret, populum Israeliticum elegit ex quo nasceretur. Huic legem dedit ab Ethnicis separato, vnumque Deum sanctè colere, Idola vero omnia detestari præcepit, Deuter. 32. *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me*, &c. Isai. 45. *Ego Dominus, & non est amplius, extra me non est Deus*, &cæt. & cap. 43: *Ante me non est formatus Deus, & post me non erit: ego sum Dominus & non est absque me saluator*, &c. Deut. 5. *Ego Dominus Deus tuus: Non habebis Deos alienos in conspectu meo. Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium quæ in cælo sunt desuper, & quæ in terra deorsum, & quæ versantur in aquis sub terra. Non adorabis ea, & non coles*, &c. Deuter. 6. *Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus vnus est*, &c. Vnum autem natura esse Deum, Deus Israelitico populo aperuit: trinum personis esse tunc temporis noluit reuelare, tantum enim mysterium mittendo filio reseruauit. Populus vero Israeliticus, quãuis à Deo edoctus, cælestique doctrina eruditus ac fultus, in fide & veritate minimè perstitit, sed idolorum cultores sequens, turpissimè in cultum simulachrorum lapsus est, sicut illis cecinit Moses in Cantico ante mortem, Deut. 32. *Prouocauerunt*, inquit, *eum in Dijs alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt, immolauerunt dæmonijs, & non Deo, Dijs quos ignorabant. Noui recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum*, &c. Hac de re dictum est tomo 1. Regnum decem tribuum Deus ob hoc scelus primum deleuit; postea regnum Iuda Babylonica captiuitate expurgauit, expurgatum in Palestinam reduxit, vt ex eo magnus oriretur Messias.

Messias instar Solis splendidissimi, crassissimas Idolatriæ dispulit tenebras, verumque Deum toti patefecit mundo, Zachar. 13. *Disperdam nomen Idolorum de terra, & nõ memorabuntur vltrà*, &c. Lege quæ dicta sunt tom. 1. lib. 3. cap. 19. olim in orbe Iupiter, Saturnus, Mars, Iuno, Venus, cæteraque huiusmodi portenta Dii, Deęque vocabantur & diuinis colebantur honoribus: at post Christi aduentum, nihil ex illis nisi ridicula manserunt nomina. Abolita sunt idola à Christi potentia, abolenturque etiam nostris tẽporibus in remotis à nostro orbe regionibus. Vsque ad Christum nemo tantum opus perficere potuit: ipse Israeliticus populus, qui gentibus veritatis facem præferre debuit, Gentium tenebras secutus est; & simulachris, quæ illę colebant, seruiuit. Pauci vero homines, Christi discipuli in orbem ab ipso missi Christi robore fulti, ac corroborati, Deos illos in nihilum redegerunt, quos summi reges, mundique Imperatores diuinis hono-

Ioan. 18.

Deut. 32. Deus vnus est. Isai. 45. & 43.

Deut. 5. & 6.

Israelitæ coluerunt idola.

Deut. 32.

Zacha. 13.

Christus idola contriuit.

honoribus venerabantur. Antequam Arca Dei templum Dagon ingrederetur 1. Reg 5 stabat Dagon idolum Philistinorum, postquam vero Arca Dei ingressa est, concidit, ac confractū est, eundem in modum, antequam Christus sapientiæ, omniumque Thesaurorum Dei Arca, in mundum hunc veniret, stabant idola, ac colebantur, postquam vero Dei admirabilis arca venit, idola confracta euanuerunt. Eodē tempore, quo ex Ægypto Israelitas Deus eduxit, idola omnia Ægyptiorū contriuit, iuxta illud Exod. 12. *In cunctis dijs Ægyptij faciam iudicia*, &c. Eundem in modum cum ex captiuitate Tartarea Christus homines liberauit, omnia dæmonum simulachra euertit.

1. Reg. 5.

Exod. 12.

Contriuit idola, hodieque cōterit, apud Ethnicos, qui Christiana sacra suscipiunt. Præterea Dei veram cognitionem ac perfectam, in orbem attulit cum virtutibus, operibusque copulatam. Deum vnum esse confirmauit, quod iam lex vetus docuerat. Stupendum vero Trinitatis mysterium mundo aperuit Deum vnū natura esse docuit, trinum vero personis, quod nec creaturæ ostendebant, nec lex vetus. Quæritur huius rei causa, cur creaturæ non indicent Personas diuinas cū indicent naturam? Respondetur, causam esse, quia creaturæ ea tantum demonstrant, quæ vnitati essentiæ conueniunt, & toti Trinitati communia sunt, vt sapientiam, potentiam, bonitatem, proprietates vero personarum non demonstrant, quæ personas distinguunt, opera enim Trinitatis ad extra, vt Theologi dicunt, sunt indiuisa, & creatio toti Trinitati cōmunis est. D. Thom. 1 p. q. 32. art. 1. Hoc, inquit, solum ratione naturali de Deo cognosci potest, quod competere ei necesse est, secundum quod est omnium entiū principium. virtus autem creatiua est communis toti Trinitati, vnde pertinet ad vnitatem Essentiæ, non ad distinctionem personarum. Per rationē igitur naturalem cognosci possunt de Deo ea, quæ pertinent ad vnitatē Essentiæ, non autem ea quę pertinent ad distinctionem personarum. Hæc D. Thomas. fuit igitur opus reuelatione diuina, vt sacrosanctæ Trinitatis mysterium ab hominibus cognosceretur, & tres diuinæ personæ peculiari cognitione colerentur.

Christus S. Trinitat. mysterium mundo aperuit.

Cur creaturæ non demonstrent personarū distinctionem.

Opus fuit reuelatione diuina ad cognoscēdum S. Trinit. mysterium.

Quæritur præterea cur in lege noua mysterium hoc sit hominibus patefactum? Respondetur; tempus legis nouæ id postulasse, quo Deus filium suum, & Spiritum sanctum in mundū misit. Oportebat enim homines filiū, & Spir. S. missos in mūdum, cuiusnam dignitatis essent scire. oportebat Filium Dei redemptorem, Deum esse verum intelligere, sanguinisque effusi, & pretii dati magnitudinem cognoscere. oportebat item cognoscere Spiritum sanctum sanctificatorem, Ecclesiæque illuminatorem, eandem cū Patre & Filio diuinam Essentiam habere, & cum Patre & Filio diuinis honoribus esse colendum. Ad Galat. 4 *Cum venit plenitudo temporis misit Deus filium suum*, &c. Cum venit plenitudo temporis, venit etiam plenitudo diuinæ cognitionis in hac vita. Non plenè cognoscebatur Deus sub veteri Testamento: siquidem vnitas essentiæ docebatur, personarum Trinitas occulta erat cum venit plenitudo temporis, plenè iam cognoscitur, tum essentiæ vnitas, tum personarum Trinitas. Quādo data est lex seruorum vetus, vnum natura se esse, Deus manifestauit; quando data est lex filiorum, Spiritum cælestē hominum cordibus infundens; tunc se Trinum personis esse demōstrauit, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Noua lex nouam Dei cognitionem attulit. lex sapientiæ, diuinam Patris sapientiam mundo indicauit. lex amoris Spiritum sanctum, qui amor est, hominibus propalauit.

Cur ī lege noua mysteriū S. Trinitatis manifestatū est.

ad Gal. 4.

Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius qui est in sinu Patris ipse enarrauit*, &cæt. Quis enarrauit in principio fuisse Verbum, & Verbum fuisse apud Deum, & Deum fuisse Verbum, & cætera, quæ sequuntur? vnigenitus Dei filius enarrauit, qui in sinu Patris est, cuique omnia sanctissimæ Trinitatis arcana nota sunt: Matthæ. 11. *Nemo*, inquit, *nouit filium nisi*

Ioann. 1. Filius Dei testis oculatus mysteriū S. Trinitat. manifestauit. Matth. 11.

Pater; neque Patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare, &cæ. Voluit filius nobis reuelare Patrem, voluit etiam reuelare se ipsum, & Spiritum sanct. perfectam Dei counitionem, suis cultoribus voluit tradere. Mysterium Trinitatis appellat Augustin. in Soliloq. capit. 31. cælum cæli Domino, ex Psalm. 113. Soli, inquit, tibi Trinitas integre nota es, superessentialiter exuperans omnem intellectum, & omnem essentiam supercælestium animorum: quam neque dicere, neque cognoscere possibile est etiam oculis Angelorum: videlicet lumine naturali. Item: Hoc est cælũ tuũ Domine cælum cælũ superarcanum, superintelligibile: hoc *cælum cæli Domino*, Psalm. 113. quia nulli notum nisi Domino, &c. & D. Cyprian. tractat. de Baptis. Christi; Sibi, inquit, soli nota est Trinitas, & solus Pater scit Filium, Patremque nouit Filius: neque à quoquam, nisi eo reuelante, est cognitus, &c. Cælum cæli est altissimum mysteriũ Trinitatis: at Christus Psal. 17. *Inclinauit cælos, & descendit*, &cæt. descendit ad homines, & cælum cæli, id est, Trinitatis mysterium, omnem intellectum exuperans inclinauit, vt possent homines fidei illustrati lumine, in illud ascendere, illudque percipere. Ezech. 17. *Aquila grandis tulit medullam cedri, & trãsportauit eam in terram Chanaan, in vrbe negotiatorum posuit illam*, &c. Grandis aquila Christus è cælo ad nos aduolauit, medullã attulit, non cedri, sed ipsius diuinitatis. Nota erat vna diuinitas hominibus; personarum Trinitas in diuinitate latebat, velut medulla: magna aquila in terram illam transportauit, *in vrbe negotiatorum posuit illãm*. Est enim orbis hic velut vrbs hominum negotiatorum, quibus ait Dominus Lucæ 19. *Negotiamini dum venio*, &cætera.

D. August. — *Trinitatis mysterium superat omnẽ intellectum.* — *D. Cyprian.* — *Psalm. 17.* — *Ezech. 17.* — *Lucæ 9.*

Cum in Iordane baptizatus est Dominus mysterium hoc admirabili visione demonstrauit. Luc. tertio. *Apertum est cælum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum; & vox de cælo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi*, &cæte. Aderat filius baptizatus à Ioan. ex cælo Pater filium suum esse testatur, Spiritus sanctus sicut columba in ipsum descendit; perspicuo modo tres personæ occultissimę manifestantur, fertur que medulla altissimæ cedri in terram negotiatorum. Lege quę diximus tomo secundo, in hunc locum. De Patre & Filio sępe in Euangelio locutus est Christus: de Spiritu sancto in extremo cęnæ sermone loquitur. Ioann. 14. vnitatem indicat essentiæ: *Philippe*, inquit, *qui videt me, videt & Patrem meum. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? Pater in me manens facit opera*, &cæt. In Patre est Filius, & Pater in Filio, & Pater faciebat miracula Christi; quia vna eademque Diuina essentia in Patre est, & Filio, quæ eadem est in Spiritu sanct. Ioann. decimo. *Ego, & Pater vnum sumus*, &cæt. Trinitatem vero personarum ostendit, cum se ipsum Patris Filium sæpe appellauit, & Deum esse dixit, cum de Spiritu sancto egit Ioann. 14. *Alium paraclitum dabit vobis*, &c. Alium paraclitum, aliam personam; sed non alium Deum & diuersum. Item: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, &cætera. tres personas his verbis patefacit. Item eodem capit. *Paraclitus*, inquit, *Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*, &cætera, & capit. decimosexto, *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater mea sunt*, & cætera. Ioann. primo. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, & cætera. primo Ioann. quinto, *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanct. & hi tres vnum sunt*. &c.

Luc. 3. — *In Euangelio Trinitas manifestatur.* — *Ioan. 14.* — *Ioan. 10.* — *Ioan. 14.* — *Ioan. 16.* — *Ioan. 1.* — *1. Ioan. 5.*

Denique cum discipulos in mundum Christus misit, Trinitas mysterium, fidemque prædicare iussit. Matthæi vltimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, & cætera. In ipso limine, ipsoque Ecclesiæ ostio, inscriptum esse

In Baptismo S. Trinitas inuocatur.

esse voluit hoc mysterium, id est, in Baptismo. In ipsa Baptismi sanctificantis forma, tres personas nominari voluit, à quibus peccatorum remissio donatur, & omnis hominum sanctificatio emanat; vnumque Deum esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, personasque tres æquales esse demõstrauit, cum eas simul hoc primo Christiani actu inuocari præcepit. Si enim Filius vt hæretici blasphemant, & Spiritus sanct. creaturæ essent, nunquam cum Deo Patre in Baptismi forma coniungerentur; nunquam cum illo inuocarentur, & sanctificationis autores esse demonstrarẽtur. O hæreticorum cæca pectora. Nunquid solet Deus in folio suo creaturas collocare, diuinumque illis honorem tribuere? Minimè; vnum est solium Dei, omnẽ excludens creaturam. Quid autem aliud est iubere vt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti Christiani baptizentur; quam Filium & Spiritum sanctum in throno Patris collocare. Deus ergo est Spiritus san. æqualitatemque personarum ostendit Baptismi forma, & effectus. Quis enim potest dimittere peccata & homines sanctificare nisi solus Deus? Cum igitur Filius & Spiritus sãctus in Baptismo homines sanctificante, peccataque remittente, inuocãtur; potestatem tum remittendi peccata, tum sanctificandi habere; atque adeò eundem cum Patre Deum esse, demonstrantur. Hinc illud Greg. Nazianzeni orat. 5. de Theologia de Spiritu sancto loquentis. Si non est, inquit, Deus adorandus, Spiritus sancti, quomodo me Deum per Baptismum efficit, &c. hoc est: Deus est Spiritus sanctus, & Deus est Filius, siquidem in Baptismo inuocantur, sanctitatemque donãtes, Deos quodammodo homines baptizatos efficiunt Neque vero personarum inæqualitatem, verba Domini indicant, quia primo loco Patrem nominat, secũdo filium, tertio Spiritum sanctum; sed originis ordinem cum summa personarum æqualitate significant. Prima enim persona Pater est, & fons diuinitatis, à nulla alia persona procedens: secunda Filius à Patre genitus: tertia Spiritus sanctus à Patre & Filio productus.

Si filius Deus non esset, & Spirit. S. in Baptismo non inuocarentur.

Greg. Naz.

Ad hæc, quæritur, cur diuinas personas Christus nominibus appellarit, Patris & Filii, quæ non admodum sunt splendida, ac magnifica, sed vulgaria, hominibus vulgo conuenientia. Nam plerique homines patres sunt; filii autem sunt omnes à patribus progeniti. Respondetur hoc modo: Deus ineffabilis est, vt diximus tom. 1. lib. 9. ca. 6. & ostenditur illis verbis Prou. 30. *Quod*, inquit, *est nomen eius, & quod nomen filij eius si nosti*, &c. hoc est, quod est nomen Dei & Filii eius, quod magnitudinem Dei infinitam significet? dic si nosti: nullum nosti, quia nullum est. Nominibus non indiget Deus, habet tamen nomina splendidissima, & magnificentissima. Appellatur enim omnipotens, sapientissimus, optimus, maximus; &c. vt Hebræa omittam, de quibus dixi loco citato. Christus autem personas appellauit Patrem, Filium, & Spiritum S. vt proprietates earum, notiones, & origines, & relationes nobis indicaret. Hæc enim nomina illas indicant. Nomen Patris, Patrem significat esse ingenitum, Filiũque genuisse æternum; nomen Filii significat Filium à Patre esse genitum: nomen Spiritus sancti, significat à Patre Filioque Spiritum S. spirari, siue produci. Vulgaria quidem sunt in creaturis hęc nomina; sed in deo sunt notissima: & vt notiones diuinarum personarum, & proprietates indicentur accommodatissima.

Cur Christus diuinas personas appellauit Patrem, & Filiũ, & Spiritum S.

Quid nomina personarum in Trinitate significent.

In creaturis triuialia sunt nomina, neque vniuoca illis & Deo; in Deo splendidissima, & magnificentissima sunt, infinito namque interuallo distat diuina Paternitas, & Filiatio siue generatio à paternitatibus & filiationibus ac generationibus creaturarum. Sunt etiam nomina blandissima, ac dulcissima. Quid blandius, quid dulcius nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti? benignitatem, dulcedinem, amoremque spirant. Denique his nominibus summa continetur disputationum, quæ magno iudicio, & Ecclesiæ vtilitate, à Theologis de Trinitate

His verbis Christi; baptizantes eos ī nomine Patr. & Filij, & Sp. S. materia de Trinitate continetur.

nitate habentur: hinc enim cognoscimus Personas esse tres, esse relatiuas, & per relationes constitui, ac distingui: cognoscimus quoque diuinas processiones; personarum originē, & quo producantur modo. Cognoscimus Patrem esse ingenitū, & improducibilē; Filium à Patre produci per generationem æternam; Spiritum sanctum, à Patre Filioque procedere tanquam ex vnico principio. cognoscimus Filium per intellectum produci, & Spiritum sanctum, per voluntatem spirari. Magnus scientiæ Thesaurus in his latet nominibus quamuis prima fronte triuialia videantur, & creaturis sint attributa. Vtinam hunc thesaurum in æterna patria consequamur.

CAPVT XIV.

Indicatur personarum Trinitas ex Testamento veteri.

Qvamuis in Testamento veteri personarum Trinitas non sit apertè enunciata; tamen multis locis est subobscurè indicata. In ipsa frōte & initio totius Scripturæ diuinæ indicatam, ait D. Hieronym. in quæstio Hebraicis: & D. Augustin. libro de Genes. ad literam imperfect. cap. 1. & 11. Confess. cap. 9. Orig. in Genes. D. Hilarius, D Ambros. libro 1. Hexam. cap. 4 Magist. Sententiarum libr. 1. dist. 2. & alii. Illis verbis Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram. & Spiritus Domini ferebatur super aquas,* &c. Principium namque Filium significat, omnium creaturarum creatorem. Apoc. 1. & vltimo, *Ego sum Alpha & Omega, principium & finis. Omnia per ipsum facta sunt;* ait Ioan. capit. 1. *& sine ipso factum est nihil.* & Moses, *In Principio,* id est, per Principium, per Filium & Verbum suum fecit Deus Pater cœlum & terram. D. Hieron. Christus, inquit, tam in ipsa fronte Geneseos, quam etiam in principio Ioannis Euangelistæ, cæli & terræ conditor approbatur. Vnde Psalm. 39. de se ipso ait, *In capite libri scriptum est de me,* idest, in principio Geneseos. sic D. Hieronym. Addit Spiritum, qui ferebatur super aquas, Spiritum sanctum significare: Pro eo, inquit, quod scriptum est, *ferebantur,* in Hebræo habetur *merachepheth,* quod nos appellare possumus, *incubabat,* siue *confouebat:* in similitudinē volucris, oua calore animantis. Ex quo intelligimus non de spiritu mundi dici, vt nonnulli arbitrātur, sed de Spiritu sancto, qui & ipse viuificator omnium à principio dicitur: Si autem viuificator, cōsequenter & conditor, &c. Nihil est quod interpretationem hanc possit refellere. Qd si dicas non ostendi Trinitatem sensu literali; respondemus, ostendi saltem sensu arcano & mystico, maximeque sublimi.

Gen. 1.

Apoc. vlt.

Psal. 39.

Spir. S. ferebatur super aquas in creatione mundi.

Secundus locus quo ostenditur, in eodem est cap. 1. Genes. *Creauit Deus,* (ait Moses) Hebraicè *bara elohim,* nomen autem *elohim,* quod *Deum* significat, pluralis est numeri; verbum *bara,* id est, *creauit,* singularis. Pluralis numerus Trinitatem personarum significat, singularis numerus naturæ Diuinę vnitatem. Potuisset Moses Deum alio nomine singularis numeri vocare: sed nō sine causa in ipso Scripturæ totius initio Deum numero vocat plurali *Elohim;* vt indicet, Deum vnum esse atq; Trinum. Est hæc sententia Magistri in 1. distinct. 2. Galatini libro 2 cap. 9. Lyrani, Lippomani, Burgensis, Eugubini, & aliorum. Abulensis in opusculo de Trinitate, & Caiet. in Gene. in contraria sunt sententia. Ea sic potest confirmari. Diuinæ personæ neque dici possunt Dii, neq; Domini, neque iudices, quia cum hæc nomina sint substantiua indicant plures in Deo esse diuinitates & essentias. Ergo dici non possunt, *Elohim* numero plurali, id est, *Dij,* vel *Iudices.* Dicendum potius est sumi pluralis numeri nomen, pro nomine numeri singularis ex vsu Hebræorū. Prætereа,

Gen. 1.

An nomen Hebraum Elohim initio Genes. indicet Trinitatem.

terea, si Moses voluisset aliquã in Deo pluralitatem hoc nomine indicare, occasionem dedisset Israelitis existimandi multos esse Deos. Ergo dicendum ex vsu linguæ Hebrææ sumi pluralem numerũ pro singulari. Tertio Ioseph. Gen. 42. appellatur *Adone* numero plurali, id est, *Domini*; sic enim aiunt fratres illius, si verbum verbo reddamus: *Locutus est nobis Domini terræ durè*; id est, Ioseph. Cum igitur in Ioseph ex nomine numeri pluralis non colligamus pluralitatem, cur ex nomine *Elohim* in Deo illam colligemus? Quartò vitulus ille, quem Israelitæ coluerunt Exod. 32 appellatur *Elohim* Hebraicè & Latinè *Dij: Hi*, inquit, *sunt Dij tui Israel*, &c. & tamen vnus tantum erat vitulus: idem loquendi modus aliis reperitur locis 1. Regum. 28. Gen 24. Exod. 21. ergo consuetudini Hebræorum tribuendus est, non mysterio. Respondemus morem fuisse Hebræorum, Deum *Elohim* numero vocare plurali; & cum numero coniungere, vel plurali, vt 2. Reg. 7. vel singulari, vt Exod. 20. Cum tamen vnum tantum Deum esse intelligerent; trinum esse ignorarent. Addo præterea hunc morem non repugnare priori sententiæ. Potuit enim esse mos Hebræorum: potuit etiam Spiritus sancti, eo vti ad significandũ Trinitatis mysterium. Quemadmodũ verbis Caiphæ: *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo*, &c. vsus est longe alio modo quam Caiphas. Ioan. 11. Multa in Scripturis latẽt mysteria huiusmodi. Primo argumento respondetur, tres personas, dici non posse tres Deos, aut iudices substantiuè; posse tamen dici tres habentes diuinitatem, & iudicandi potestatem adiectiuè; & hoc sensu appellari Elohim; vt Trinitas indicetur suppositorum, non autẽ diuinitatis pluralitas. Secundo respondetur, ex more Hebræorum Mosem vsum fuisse nomine pluralis numeri, ad significandum Deum; nullamque illis occasionem præbuisse existimãdi plures esse Deos. Tertiò, & Quartò respõdetur, neque Ioseph pluralitatem habuisse, neque vitulum; nomine tamem numeri pluralis dici ex vsu Hebræorum.

Exod. 32.

Iudæi vtebantur nomine Dei numero plurali, etsi pluralitatem personarum in Deo ignorarent.

Respondetur ad alia argumẽta.

A At vero Deus Trinitatem habet personarum, ideoque voluit eam in nomine plurali indicari. Dicimus itaque in eodem nomine esse vsum Hebræorum, & mysterium; neque enim vsus repugnat mysterio.

Indicat etiam Trinitatem nomen Elohim ex sententia Genebraldi Psal. 47. illis verbis. *Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt*. Dii fortes terræ dicuntur ex sententia Genebradi, Pater, Filius, & Spiritus sanct. habita ratione non essentiæ, quæ vna est numero, sed personarum. Alii tamen Elohim siue Deos, hoc loco Apostolos, & Apostolicos viros vocari putant, qui vehemẽter in orbe eleuati à Deo sunt. Idem Genebr. Psalm. 149. mysterium Trinitatis agnoscit in illis verbis: *Lætetur Israel in eo qui fecit eum* Hebraicè *bẽghosau*, id est, *lætetur in factoribus suis*: tres personæ. Hebraicè factores dicuntur hominum numero plurali. Similiter Iob 32. *Vbi Deus factores mei*. Item Isai. 54. *Quia dominabuntur tui factores tui Dominus exercituum*, & iterum ca. 44. *Hæc & adhuc Dominus factores tui dicit: Dominus factores tui*, &c.

Psalm. 47.

Psal. 149.

Iob 32.
Isai. 54. & 44.

Tertius locus extat Gen. 2. Cũ Deus hominem condidit vnum se trinumque esse manifestauit, dicẽs: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, &c. cur plurali loquitur numero? videlicet, vt personarum indicet Trinitatem. *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem nostrã*. Respondebis Deum alloqui Angelos: Angeli facere hominẽ non poterant. Non ergo ait illis; *Faciamus hominem*. Vnde Ambros. libro 6. Hexameron cap. 6. Non dicit Deus, inquit, Angelis: *Faciamus hominem*: quia ministri sunt: serui autem cũ Domino, & opera cum auctore, non possunt operationis habere consortiũ, &c. Mysterium itaque hic latet Trinitatis, vt sentiunt D. Chrysost. homil. 8. in Gen. D. Basilius hom. 9. & 10. D. Hilarius libro 4. de Trinitate. D. August. de fide ad Pet. cap. 1. & libro 3. de Gen. ad lit. cap. 19. Theodoretus Rupertus, D. Epiphanius in Ancorato, & alii. D. August. lib. 12. de Trinit. capit. 6. Dixit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem nostram*:

Gen. 2.

Obiectio.

D. Ambros.

D. August.

nostram: paulo post autem dictum est: *& fecit Deus hominem ad imaginē Dei*: Nostram certè quia pluralis est numerus; non rectè diceretur si homo ad vnius personæ imaginem fieret, sed qa fiebat ad imaginem Trinitatis, propterea dictum est, *ad imaginem nostram*. Sic August. Indicant etiam pluralitatem personarum verba illa Dei loquētis numero plurali Gen.2. *Faciamus ei*, id est, homini, *adiutorium simile sibi*. & cap.3. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est*. & cap.11. *Venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum*. & Isai. 6. *Audiui vocem Domini dicentis; Quem mittam, & quis ibi nobis*, &c. numerus pluralis pluralitatem, id est, Trinitatē Dei loquentis innuit.

Gen.2. Gen.11. Isai.6.

Gen.18. Quartus locus extat Genes 18. Sedens Abraham pro foribus tabernaculi sui, tres vidit Angelos in aereis corporibus, *& cucurrit in occursum eorum, & adorauit in terram; & dixit; Domine si inueni gratiam in oculis tuis ne transeas seruum tuum, sed afferam pauxillū aquæ, & lauate pedes vestros, & requiescite sub arbore*, &c. Agnoscunt hic vnitatem essentiæ, & Trinitatem personarum. D. August. sermo.68. de tempore, & serm.70. D. Grego hom.18. D. Amb. libr.1. de Abraham cap.5. Rupertus & alii. Abraham enim cum tribus Angelis loquens singulari vtitur numero, adorauit in terram, & dixit: *Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum*: plurali etiam numero personarum Trinitatem indicat: *lauate pedes vestros, & requiescite sub arbore*, &c. Vnde in officio Ecclesiast. Dom. in Quinquages Respons.2. canitur: *Dum staret Abram ad ilicem Mambre, vidit tres viros ascendentes per viam. tres vidit, & vnum adorauit*, &c. Quia scilicet Trinitatem personarum, & vnitatem essentiæ ea adoratione Deus voluit significare.

D. Ambr.

Genes. 19. Quintus locus Ge.19. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham, sulphur & ignem à Domino de cælo*, &c. Hebraicè vtrobique est nomen Tetragrammaton, quod soli tribuitur vero Deo. D. Irenæus lib.3. cap.6. sic interpre. Pluit Dominus filius sulphur, & ignē à Domino Patre: Filium, inquit, hic significat, qui & Abrahæ locutus sit; & à Patre accepisse potestatem ad iudicandū Sodomitas. Idem sentit D. Ignatius in episto. ad Antioch. Tertull. contra Praxeam; Iustinus in dialogo, Cypria lib. 3. ad Quirinum capit. 13. Athanas. in orat. contra Gregales Sabel. Hilarius de Synodis, Ambros. lib.1. de fide cap. 2. Chrysostom. hom. de Trinitate Concilium Syrmiense can. 16 D. Cyrillus lib.1. in Ioannem cap.2.

D. Irenæus

Deut.6. Sextus locus Deut.6. *Audi Israel Dominus Deus noster, Dominus vnus est*, &c. ter repetitur Dei nomen; & vnus esse dicitur, vt mysterium Trinitatis indicetur. Lege Galatinum lib.2. Simile est illud Psal.66. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*, &c. ter repetitur nomen Deus, & secundo loco secunda persona, id est, filius, dicitur Deus noster, quia propter nos homo est factus, & cruci suffixus. Vnde etiam dicitur Emmanuel, id est, nobiscum Deus; Psalm 135. *Confitemini Domino quoniam bonus, confitemini Deo deorum, confitemini Domino dominorum*, &c. Psalm.117. *dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem*, &c. ter repetitur Dominus. Eundem in modum 3. Exod. indicatur Trinitas illis verbis; *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*, &c. & Psalm. 44. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi virga directionis, virga regni tui. dilexisti iustitiam & odisti iniquitatē, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, &c. Alloquitur Christum Propheta, Thronus (inquit) tuus ò Deus est Thronus æternus. Sceptrum tuum rectum, & iustitia plenum. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea te vnxit secundum humanitatem Deus Pater, Deus tuus Spiritus S. præ consortibus tuis.

Psal.66. Psal. 135. Exod.3. Psal. 44.

Num. 6. Septimus locus. Num.6. Iubet Deus vt sacerdos sic benedicat filiis Israel: *Loquere*, inquit, *Aaron & filijs eius, sic benedicetis filijs Israel & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus & custodiat te. Ostēdat Dominus faciem suā tibi, & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem*, &c. Mysterium

Trinitatis

Benedictio sacerdotis in vet. Test. Trinitatis in hac benedictione esse do cet Genebr. 66. his verbis: In benedictione sacerdotali, cuncta Trina animaduertuntur. Trinitas versuum: trina repetitio nominis Tetragrāmati; ter posita copula *vau*: terna vocabula primi versus: subleuatio manuum in palmam tripartitam: eleuatio trium primorum digitorum in pronuntiatione Tetragrammati. Sic ille. legenda sunt Hebræa verba. Eleuabat autem sacerdos tres primos manuum digitos cū populo benedicebat, vt docet Galatinus lib. 2. cap. 10. *Galatin.* Benedictio, inquit, cū nomine Dei quatuor literarum cum tribus digitis ambarum palmarum erectis, & duobus depressis fiebat; ad designandam diuinarum personarum Trinitatem, per ipsum nomen significatam, &c. Idem Genebr. Psal. 10. *Genebrar.* mysterium Trinitatis aperit in illis extremis verbis Psalmi: *Iustus Dominus & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius*, &c. Hebraicè, inquit, est, *eorum*, Patris scilicet, & Filii, & Spiritus S. est enim perspicuum mysterium Trinitatis, &c. eodem loco, de eodem mysterio exponit verba Abraham Gene. 20. *Eduxit me Deus de domo patris mei*, &c. Hebraicè sic; *Eduxerunt me Dij*, id est, (ait Genebr.) tres diuinæ p̄sonæ, &c.

פניהם paneiho, facies, eorū

Alia sunt loca quibus idem mysterium ostenditur. Psal 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, &c. Prouerb. 30. *Quod nomen est eius*, id est, Dei, *& quod nomen Filij eius, si nosti*, &c. Ecce Deo tribuitur Filius. Ecclesiastici 51. *Inuocaui Dominum Patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ*, &c. hoc est, inuocaui Deum Patrem Filii æterni. Simile illud Dauidis Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo*. hoc est, Pater dixit Filio. Zachar. 2. *Habitabo in medio tui, & scies quia Dominus exercituū misit me ad te*, &c. loquitur Deus, vt constat ex antecedentibus, & tamē ait se missū à Deo: ergo pluralitas est personarum, missus est enim Filius à Patre. Isai. 48. missus dicitur à Spiritu sancto: *Dominus misit me ad te, & Spiritus eius*, &c. Missus autē dicitur Christus à Spiritu sancto secundum humanitatem. Nam secundum diuinitatem Persona diuina non mittitur ab ea, à qua non procedit. De Spiritu S. aliis etiam locis in veteri Testamento mentio fit. Isaiæ 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini*, &c. & cap. 61. *Spiritus Domini super me*, &c. Psal. 50. *Spiritu principali confirma me*. Item; *Spiritum sanctū tuum ne auferas à me*. Psal. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. Sap. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*, &c. de Filii diuinitate diximus tom. 1. lib. 2. cap. 16.

Psal. 32. Prou. 30. Eccl. 51. Psal. 109. Zach. 2. Isai. 48. Isai 11. Isai. 61. Psal. 50. Psal. 142. Sap. 1.

Indicat præterea augustissimam Trinitatem trisagion Seraphinorum Isai. 6. *Sanctus, Sanctus, Sāctus, Dominus Deus exercituum*, &c. de quo egimus tom. 3. lib. 7. cap. 20. Indicat etiam nomen ineffabile quatuor literarum, *Iehouah*, q Græcè ἀνεκφώνητον, siue ἄῤῥητον, ἄφραστον quoque dicitur. vt dictum est tom. 1. lib. 5. cap. 6. Nam constat literis trib. hoc Dei nomen, sed quia vna repetitur, idcirco quatuor literarum appellatur. Literæ sunt hæ; *Iod, He, Vau*, repetitur *he* in fine, litera *Iod* principiū significat. *Vau*, cōiūctio est copulās. *Iod* ergo Patrē significat cæterarū personarū principiū, tertia littera *Vau* tertiā p̄sonam Spiritus S. innuit, qui Amor vocatur, copulans, & nexus, litera secunda *He* duplex est, quia secundam personam significat, quę duplicem naturā habet. Aspiratio vero est, quia, vt Ieremias ait Thren. 4. *Spiritus oris nostri*, id est, flatus & aspiratio oris nostri, *est Christus Dominus*, Hebraicè legitur, *Iehouah*. legendus Galatinus lib. 2. c. 10. vbi ex antiquissimis Rabbinis ostēdit hoc nomen Tetragrammaton fuisse dictum *semhamephorus*, hoc est, *nomen expositum*, exponique Hebraicè per nomen duodecim literarum, quod significat, Pater, Filius, & Spiritus sanctus; & per nomen aliud quadraginta duarū literarum, quod significat, Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus. Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate. Adde Chaldæos nomen *Iehouah*, per triplex tantum *Iod* significare, & scribere; qui scribendi modus Trinitatem adumbrat. Accedat his, linguæ sāctæ Hebrææ radices, id est, verba radica-

Thren. 4. Galatin.

dicalia, vnde alia deriuantur, communiter tres tantum literas habere substãtiales in honorem sanctissimæ Triadis quæ Isai. 40. *Tribus digitis appendit* molem terræ: & Dan. 5. à tribus item digitis facta Scriptura, Babylonicum regem admirabilem in modũ ita perterrefecit, vt genua eius ad se inuicẽ colliderẽtur, tres verò digiti, tria hęc tantum verba scripsere: *mane: techel: phares*: quæ tres personas nobis adumbrarent.

Isa 40. Dan. 5.

CAPVT XV.

De processionibus, relationibus, proprietatibus, & notionibus sanctissimæ Trinitatis.

EX illis verbis Christi supra recitatis; *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* colligitur tres esse diuinas personas, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Colligitur pręterea Patrem à nulla persona procedere, primamque personam esse; siquidem primo loco numeratur. Colligitur Filiũ à Patre procedere & generari: & esse personam secundam: Colligitur Spiritum sanctum, à Patre & Filio produci, atque spirari, esseque personam tertiam. Producitur autem Spiritus san. à Patre, & Filio, non tanquam à duobus principiis, sed tanquam ex vno principio, non duabus spirationibus, sed vna spiratione, vt in Concilio Floren. in lit. sanct. vnionis definitum est. Illud etiam aduertendum, primam, secundam, tertiamque personam in sanctissima Trinitate, propter ordinem originis dici, non vero propter aliquã inter personas inæqualitatẽ. Vt enim Athanasius ait in Sym. *In hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil maius, aut minus; sed tota tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales*, &c.

Pater à nulla persona procedit.

Processiones & relationes in diuinis.

Ordo est inter personas diuinas.

Colligitur item ex verbis prędictis quatuor esse in diuinis relationes, videlicet, Paternitatem, per quam Pater constituitur; Filiationem, per quam cõstituitur Filius; Spirationem actiuam, per quam Pater & Filius, ad Spiritum sanct. referuntur. & spirationem passiuam per quam Spiritus san. constituitur. Quatuor quidem sunt relationes, B tres tantum personæ; quia spiratio actiua, personam non constituit, sed cõuenit duabus personis Patris & Filii, vt principio vnico Spiritus sancti. Sũt igitur tres relationes subsistentes, & incommunicabiles in natura diuina, & tres personæ: nam persona diuina significat relationem, vt rem subsistentem in natura diuina, teste D. Tho. quæstio. 30 art. 1. Spiratio vero actiua non est res incommunicabilis subsistens in natura diuina.

Relationes 4.

Persona significat relationẽ vt rẽ subsistẽtem & incommunicabilem in natura diuina.

C Ad hæc sunt in diuinis notiones, & proprietates. Notio dicitur, quia ratio est cognoscendi personam: proprietas appellatur, quæ vni tantum pͤsonæ conuenit. Notiones quinq; sũt, Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio actiua, & Spiratio passiua; Innascibilitas est notio Patris, quia est ratio cognoscendi Patrem, qui ex nulla persona pͦducitur, & innascibilis est; D item paternitas, ratio est cognoscendi eundem Patrem, quia solus inter personas Pater est. Sic filiatio ratio est cognoscendi Filium, qui solus generatur; & spiratio passiua cognoscendi Spiritum sanctum, qui solus spiratur. Spiratio autem actiua, ratio est cognoscendi Patrem & Filium, vt sunt vnum principium Spiritus sancti. Vnde fit in Patre esse tres notiones, innascibi-E litatem, paternitatem, spirationemque actiuam: in Filio esse duas, scilicet filiationem & spirationem actiuam: in Spiritu sancto, esse vnam, videlicet spirationem passiuam, siue processionem. Proprietates quatuor sunt, scilicet innascibilitas, quæ soli Patri conuenit, paternitas quoque: filiatio, quæ conuenit soli filio; processio siue spiratio passiua, quę soli conuenit Spiritui sancto;

Notiones 5.

Proprietates sunt 4.

spira-

spiratio vero actiua non est proprietas, quia communis est Patri & Filio. Ex his proprietatibus tres appellantur notiones personales, siue proprietates personales, quia constituunt personas. Itaque proprietates personales sunt paternitas, filiatio, spiratio passiua; quæ constituunt tres personas, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, spiratio actiua non est notio personalis, quia personam nõ constituit. Innascibilitas quoque personam non constituit; & negatio est, non proprietas aut notio personalis.

Notiones personales tres.

Colligitur præterea ex his Christi verbis; *in nomine Patris & Filij & Spiritus S.* duas esse i diuinis, pcessiones, s. pcessioně Filii ex Patre, & processionem Spiritus S. ex Patre atque Filio. Nã Pater Filium generat, Filius à Patre generatur, Spiritus sanct. à Patre, Filioque spiratur. Pater autem à nulla persona procedit. *In nomine*, inquit, patris à nullo procedẽtis, & Filii procedẽtis à Patre, & Spiritus sancti procedẽtis ab vtroque. Etenim pater principium est & fons totius diuinitatis. August. lib. 4. de Trinit. cap. 2 totius diuinitatis principium vocat; Dionysius vero Areopag. lib. de diuinis nominibus cap. 3. vocat fontem Solus, inquit, fons supersubstantialis Deitatis est pater, &c. & Conc. Tolet. 6. Confitemur, inquit, patrem ingenitum, increatum, fontem & originem totius Deitatis, &c. Dicitur autem pater principium & fons totius diuinitatis, non quia ab ipso procedat Deitas, etenim diuina essentia nõ generatur aut producitur; sed quia ab eo tanquam principio nõ habente principium, diuinitas Filio & Spiritui sanct. communicatur. Quod si non esset vnum principium reliquarum personarum, sed duo principia, quorum vnum ab alio non procederet, non esset vnus Deus: quia distinguerentur, non oppositione relatiua, sed diuersitate naturæ, essentque duo Dii. Audiamus D. Tho. & D. Hilar. 1. p. q. 33. art. 4. In quolibet, ait, Sicut in genere oportet ponere vnum primum; ita in diuina natura oportet ponere vnum principium, quod nõ sit ab alio, quod ingenitum dicimus. Ponere igitur duos innascibiles, est ponere duos Deos, & duas naturas diuinas. Vnde D. Hilar. dicit in lib. de Synodis; Cum vnus Deus sit, duo innascibiles esse nõ possunt, & hoc præcipuè, quia si essent duo innascibiles, vnus eorum nõ esset ab alio; & sic non distinguerentur oppositione relatiua. Oporteret igitur quod distinguerentur diuersitate naturæ. Hactenus D. Thomas. Pater igitur principium est in diuinis, sine principio; Filius principium est Spiritus sancti, & procedit à principio, id est, à patre; Spiritus vero sanctus à principio, id est, à Patre & Filio producitur, nulliusque personæ principium est. Est tamen principium creaturarum omniũ cum Patre, & Filio. Vt enim ait D. Thomas. quæst. 41. art. 1. duplex ordo originis attribui Deo potest; vnus quidem secũdum quod creatura ab eo progreditur: & hoc commune est tribus personis, & ideo actiones quę attribuũtur Deo ad designandum processum creaturarum ab ipso, pertinent ad Essentiam. Alius autem ordo originis in diuinis attenditur secundum processionem personæ a personæ. Vnde actus designantes huius originis ordinem Notionales dicuntur, quia notiones personarum sunt personarũ habitudines ad inuicem, &c.

Processiones.

D. August.
D. Dion. Areopag.

Pater fons est diuinitatis, principiũ sine principio.

D. Thom.

D. Hilar.

Spir. S. Pater è Filio est principiũ creaturarum.

D. Thom.

Si quærat aliquis quomodo personæ producantur; Breuiter respondetur, Deum non esse corporeum, cumque sit Spiritus, ea quæ de productionibus personarum dicuntur, non esse crassè & corporaliter, sed spiritualiter atque immaterialiter intelligẽda. Non est corpore & materia constans natura Dei, sed spiritalis; nõ ergo corporea est generatio, aut spiratio, sed spiritalis ac diuina. Quamobrem D. Basil lib. 2. contra Eunomium loquens de Filii generatione. Oportet, inquit, dignam de Deo generationem intelligere, impassibilem, impartibilem, indiuisibilem, sine tempore, instar resplendentis à luce radii, &c. Habet Deus intellectum, & voluntatem. Per intellectum generat immaterialiter Filium pater: per voluntatem producunt Spiritum

Productiones diuinæ sunt spirituales.

D. Basil.

ritum sanctum Pater & Filius. Pater intelligendo producit Filium: Pater & Filius amando producunt Spiritum sanctum, Filius quia per intellectum producitur dicitur Verbũ Dei, & Imago; siquidem verbum siue conceptus per intellectum productus imago est. Spiritus sanctus per voluntatem spiratus, dicitur Amor, & Donum. Amor enim per voluntatem producitur; & primum donum est, quia per amorem donantur cætera.

Patri appropriatur potentia, Filio sapiẽtia Spir. S. bonitas.

Hinc fit vt Filio approprietur Sapientia; dicitur enim Dei Sapientia & Veritas; quia Verbum Dei est, & per intellectum producitur. Bonitas vero appropriatur Spiritui sancto, quia bonitas voluntatis, & Spiritus S per voluntatẽ spiratur. Potẽtia appropriatur Patri; tanquam principio sine principio, iuxta illud Pauli ad Roma 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*, &c. *Ex ipso*, id est, ex Patre (vt exponit D. Thomas quæst. 39. art. 8.) *& per ipsum*, id est, per Filium, *& in ipso*, id est, in Spiritu sancto, sunt omnia. Nam vt ait D. Thomas, quia præpositio, *ex*, causam significat efficientem, quæ cõpetit Deo ratione potentiæ; ideo, *ex ipso*, significat, ex Patre esse omnia tanquam à causa efficiente, & omnipotente. Quia vero præpositio, *per*, designat habitudinem formæ per quam agens operatur, sicut dicimus quod artifex operatur, per artem, ideo *per ipsum*, significat per Filium, quoniam per ipsum velut per Patris artem & sapientiam sunt omnia. Denique quia præpositio, *in*, habitudinem continentis denotat, vt ait D. Thomas; *in ipso*, significat in Spiritu sancto esse omnia, quia propter suam bonitatem Deus res omnes gubernat, continet ac conseruat; Spiritui autem sancto bonitas appropriatur. lege August. libro. 1. de Trinitate cap. 6. Adde illa D. Cypriani verba serm de Baptismo Christi. A Patre, inquit, potentiam, à Filio sapiẽtiam, à Spiritu sancto, accipimus innocẽtiam; Pater eligit, Filius diligit, Spiritus sanct. coniungit, & vnit. à Patre nobis datur æternitas, à Filio imaginis eius conformitas, à Spiritu sanct. integritas & libertas: in Patre sumus, in Filio viuimus, in Spiritu sancto, mouemur & proficimus. & D. Leo sermo 3. de Pẽtecoste: Diuisit, inquit, sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis, vt Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus igniret, &c. Illud est obseruandum quod idem D. Leo in hac diuisione obseruat ser. 2. de Pentecost. Beatæ, inquit, Trinitatis, & incommutabilis Deitatis vna est substantia, indiuisa in opere, & consors in voluntate, par in omnipotentia, æqualis in gloria. De qua cum sancta Scriptura sic loquitur, vt aut in factis, aut in verbis, aliquid assignet, qđ singulis videatur conuenire personis, non perturbatur fides Catholica; sed docetur vt per proprietatem aut vocis, aut operis, insinuetur nobis veritas Trinitatis; & non diuidat intellectus, quod distinguit auditus; ob hoc enim quædam siue sub patris, siue sub Filii, siue sub Spiritus sancti appellatione promuntur; vt confessio credentium in Trinitate non erret, quæ cum sit inseparabilis, nunquam intelligeretur esse Trinitas, si semper inseparabiliter diceretur. Hæc ille.

Rom. 11.

D. Thoma.

D. Thoma.

D. Cypria.

D. Leo.

Imago est homo ineffabilium processionum, de quo dixit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Nam quemadmodum Deus per intellectum Filium & Verbum producit: sic homo per intellectum producit conceptum. Quemadmodum per voluntatem Deus amando producit Spiritum sanctum, ita homo per voluntatem amando producit amorem. Appellat etiam Diony. Areopag. duas diuinas personas, Filium & Spiritum sanctum, Deitatis germina, fragrantissimos flores, lumina splẽdidissima, lib. de Diuinis nominibus, ca. 2. Quod primordialis, inquit, & fontana sit Deitas Pater, Filius vero & Spiritus sanct. fœcundæ Deitatis, si fas est dicere, germina plantata diuinitus, & velut flores, ac supersubstantialia lumina, à Scripturis sanctis accepimus, &c. Patrem ait Dionys. fontanam esse Deitatis, quia nõ producitur ab alio sed fons est Deitatis Filii & Spirit. S.

Productionũ diuinarum similitudines.

Dionys. Areop.

Ex

Digitized by Google

Ex fonte hoc veluti ex Oceano quodã totius bonitatis infinito, procedit Filius communicata illi natura infinita; ex Patre & Filio procedit Spiritus S. fœcũdæ Deitatis germina vocat Dionys. duas personas, & flores, quia quẽadmodum ex terra nascuntur germina & flores; ita ex Patre producitur infinitum veluti germen & flos, Filius, & ex Patre ac Filio, producitur Spiritus S. Tertull. aduersus Praxeam ca. 8. Protulit, inquit, Deus sermonem (id est, verbum suum) sicut radix fruticẽ, & fons fluuium, &c. Idem Tertullian. eodem loco confert productionẽ Verbi à Patre, cũ productione radii à Sole. Etenim quemadmodum Sol splẽdorem ex se effundit, & ardorem, siue calorẽ profert; ita Deus Pater splẽdidissimum, velut splendorem Filium gignit; Pr̃ vero & Filius ardorẽ & amorem infinitum producunt Spiritum S.

Simile. Tertull.

Sic autem producit Pater Filium vt Filius ĩ Patre maneat, & Pater ĩ Filio; sic producunt Pater & Filius Spiritũ S. vt Spiritus sanctus in Patre maneat & in Filio; & Pater & Filius in Spiritu sancto, & iuxta illud Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est*, &c. Quam intimã & perfectam inhabitationem vnius personæ in alia, & è conuerso, appellant Græci, περιχώρησιν, Latini circũincessionem. D. Cyrill. lib. 1. in Ioan. c. 1. Filius, iquit, in Patre & ex Patre est, non profluens foras: sed aut quasi à Sole splẽdor, aut quasi ab igne insita caliditas. Sicut quę ab istis profluũt, simul cũ illis sunt, vnde profluũt, ac semper vnde fluant ostẽdunt, sic in vnigenito intelligendũ est: ex Patre enim esse intelligit, sed in Patre esse creditur, &c.

Poricorisis seu circũincessio. D. Cyrill.

Indicantur hæ diuinarum personarum productiones, & Sacrosancta Trinitas, supposita fide, nonnullis congruenti is naturalibus. Primo infiniti ac summi boni est infinitè se communicare: Cum ergo Dominus bonum sit summum atque infinitum, infinito modo se communicat, estque persona Patris communicans Diuinam essentiam infinitam, sunt duæ aliæ personæ quibus communicatur Secundo nõ repugnat vnam eandemque numero naturam Diuinam, esse simul, totamque in cælo, in aere, & in terra, est enim vbique; ergo non repugnat eandem numero totam esse in Patre, Filio, & Spiritu S. esseque vnum Deum & tres Personas. Tertiò: productio est perfectio; vt in animantibus productio filiorum, in arboribus productio fructuũ. Credibile ergo est in Deo esse productiones illas duas Filii & Spiritus S. perfectissimas, atque immensas, quales Doũ decent. Iuxta illud Isaiæ ca. extremo: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus. Si ego qui generationẽ cæteris tribuo, sterilis ero*, &c. Quarto Dominus ab æterno non fuit otiosus, ergo aliquid produxit intra se; siquidem creaturas omnes produxit in tempore extra se. produxit ergo intra se ab æterno Filium Pater, & Pater & Filius Spiritum san. Quinto, creaturæ quæ intellectum habent, & volũtatem, vt Angeli & homines, verbum producunt per intellectum, & amorem per volũtatem: ergo Pater Dominus qui intellectum habet & voluntatem, similem in modum, sed multo excellentius, per intellectum producit Verbum vnicum & Filium, & per voluntatem cum Filio Spiritum San. Sexto; vna natura specie, est in multis suppositis, vt natura hominis vna specie, est in multis hominibus, & natura Seraphinorum in multis Seraphinis. Concedẽdum est ergo aliquid in Deo multo admirabilius, videlicet, vnam naturam numero in tribus esse suppositis, siue personis. Septimo; Plures naturæ inueniuntur in eadem persona, vt natura animæ spiritalis & natura carnis corporea, in eodem homine: ergo plures etiam personæ inueniri poterũt in eadẽ natura infinita. i. diuina. Octauo perfecta beatitudo omnia cõplectitur bona: est aũt maximum bonum consortium æqualiũ personarũ. Non enim potest esse iucunda possessio alicuius boni sine socio. Ergo Deo perfectissime beato, personę tres cõcedendę sunt, ne Deus sit solitarius. Qd si dicas, satis esse Angelos, & hoĩes sanctos Dei socios. Respondebitur Angelos & homines non extitisse ab æterno.

Productiones diuinę aliquib. cõgruentijs ostẽdũtur.

Isaia vlt.

Deus non est solitarius.

no. Præterea non esse naturæ diuinæ. D.Tho q.31.art.3. Ad primum, inquit, dicendum, quod licet Angeli & animæ sanctæ semper cum Deo sint; tamen si non esset pluralitas personarum in diuinis, sequeretur quod Deus esset solus, vel solitarius; non enim tollitur solitudo per associationē alicuius, quod est extraneæ naturæ. Dicitur enim aliquis solus esse in horto, quāuis sint ibi multæ plantæ & animalia, & similiter diceretur Deus esse solus, vel solitarius, Angelis & hominibus cum eo existentibus, si non essent in diuinis personæ plures. Consociatio igitur Angelorum & animarum non excludit solitudinem absolutā à diuinis, multò minus respectiuam, & per comparationē ad aliquod prædicatum. Sic D. Thom. Gen. 2. videbat Dominus Adamū multis animantibus rationis expertibus comitatum; dixit tamen, *Nō est bonum hominem esse solum; faciamus ei adiutorium simile sibi*, &c. Solus siue solitarius erat Adāmus, etsi multis comitatus animātibus; quia, vt ait Scriptura, *Non inueniebatur adiutor similis eius*. Eūdem in modum, quamuis Dominus Angelis & hominibus esset comitatus, solum siue solitarium esse diceremus, si non esset trinus. Excludenda ergo est à Deo solitudo & credenda Trinitas personarum. Nonò: quis nescit charitatis dignitatem esse Deo tribuendā? oportet ergo tres in Deo concedere personas, quæ se æterna, infinitaque charitate complectantur. Richardus Victorinus lib. 3. de Trinita. p. 1. c. 5. Nihil, inquit, melius, nihil iucundius, nihil magnificentius est summa charitate: quæ omnino esse non nouit, sine personarū pluralitate, &c. & c. 3. Sicut, inquit, in plenitudine veræ bonitatis, nō potest id deesse, quo nihil est melius (id est, charitas) sic in plenitudine summæ felicitatis deesse non potest id, quo nihil est iucundius (id est, eadem charitas.) In illa summa Dei felicitate, sicut neque amor iucundius, ita neque amor mutuus potest deesse, &c.

D. Thom. — Gen. 2. — Adamus solus fuisset sine Eua. — Richard.

Decimo; trium personarum vestigiū quoddā est ternarius numerus in creaturis repertus. In primis passiones entis sunt tres omnibus creaturis cōmunes, vnum, bonum, verum. Deinde omnes creaturæ in tres partes diuidūtur. Nam, vel sunt corporales, vel spiritales, vel spiritu & corpore constantes. Mundus etiam totus in trinam machinā distribuitur, iuxta illud Hymni Ecclesiastici, trinam regentem machinā, claustrum Mariæ baiulat. Paulus cęlos in tres partes diuisit: *Scio*, inquit, *hominem raptum in tertium cælum*, &c. Sunt autem tres cæli, cœlum beatorum Empyreum, cælum æthereū reliquos omnes cælos complectens. & cælum aereum. raptus est in tertium cælū, hoc est, in empyreum Angeli in tres Hierarchias sunt dispertiti, singulæ Hierarchiæ in tres ordines diuidūtur. singuli Angeli tres habent facultates, memoriam, intellectum, ac voluntatem. Virtutes Theologicæ tres sunt, fides, spes, & charitas. In rebus singulis tria sunt, substantia, facultas, operatio; tria rerū principia, materia, forma, & priuatio; in emanatione aquæ tria, fons, riuus, stagnū; in arboribus tria, radix, truncus, rami; vitę tres, cōtemplatiua, actiua, & mixta. Politici status tres, monarchia, Aristocratia, & dimocratia. tres Ierusalē muri, tria tēpli atria, tres præterea partes, *vlā, hecal, debir*, id est, *vestibulum, templum, oraculum*. Arcæ Noe tres contignationes; tres ciuitates refugii citra Iordanem; tres itē vltra Iordanem. Act. 11. *Hoc factum est, per ter*, ait D. Petrus, id est, vas linteum ex cælo descendit ter, quod indicabat gentium conuersionem Numerus quoque Apostolorum Trinitatem significat. nam duodenarium numerum quatuor ter numerata efficiunt. vnde August. Psal. 86. Vndique, inquit, in Trinitate vocatur Ecclesia, ex quatuor orbis partibus Oriente, Occidente, Septent. & Austro, per Baptismum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quatuor ter ducta duodecim inueniātur, &c. Quid plura? numero Deus impare gaudet, & vt dicitur Sap. 11. disposuit omnia in tribus: *Omnia*, inquit, *in mensura, & numero, & pondere disposuit*, &c.

Ternarius numerus in creaturis vestigium S. Trinit.

CA-

CAPVT XVI.

De Sanctissima Trinitate.

Morale.

IMmẽsum habemus Deũ & ineffabilem, sibique soli perfectè intelligibilem, & effabilem, vt ait D Bonau. 1. lib. senten. distin. 22. Sicut, inquit, Deus sibi soli est intelligibilis, sic sibi est effabilis, &cæt Neque Deus solum, sed etiam opera eius sunt ineffabilia, & inscrutabilia, iuxta illud Iob 9. *Qui facit magna, & inscrutabilia, & mirabilia, quorum non est numerus*, &c. In quæ verba sic scribit D. Gregor. libro 9 Moral. cap. 10. diuinæ fortitudinis facta, tunc verius explemus, cum hæc nos explere non posse cognoscimus, tunc facundius loquimur, cum ab his obstupescendo reticemus. Ad narranda quippe Dei opera, habet defectus noster quam sufficienter exerat linguam suam; vt quæ comprehendere idoneè non valet, hæc idoneè mutus laudet, &c. Psalm. 63. illud; *Te decet hymnus Deus in Sion*; D Hieronym. vertit, *Tibi silentium laus Deus in Sion*. laudatur enim ineffabilis Deus cum, vt Grego ait, obstupescendo silemus, infinitamque eius maiestatem, veluti muti admiramur. Dicet ergo aliquis; si ineffabilis Deus est; cur eum effamur, cur de Ineffabili Trinitatis, & vnitatis mysterio loquimur? Respondemus, ideo nos effari semper, nunquamque effari desinere; quia ille est ineffabilis; hæc enim ineffabilitas & infantes nos facit, & effantes. Nam cum Dei maiestatem consideramus obstupescendo tacemus. Attamen de infinita gloria & natura loqui non desinimus, ea quæ à fide accepimus. Audiamus D. Leonem homil. nona, de si-

D. Bonau.

Deus est ineffabilis, & Dei opera.

Iob 9.

D. Gregor.

Psal. 63.

A mili mysterio, id est, de Natiuita. Domini & Incarnatione loquentem: Vtramque, inquit, substantiam in vnam conuenisse personam nisi fides credat, sermo non explicat. & ideo nunquam materia deficit laudis, quia nunquam sufficit copia laudatoris. Gaudeamus igitur quod ad eloquendum tantæ misericordiæ Sacramentum impares sumus, & cum salutis nostræ altitudinem promere non valea-
B mus, sentiamus nobis bonũ esse quod vincimur. Nemo ad cognitionem veritatis magis propinquat, quàm qui intelligit in rebus diuinis, etiã si multum proficiat, semper sibi superesse, quod quærat. Nam qui se ad id quo tendit peruenisse præsumit, non quæsita reperit, sed in inquisitione defecit. Hactenus D. Leo. August. lib. nono, de Trinita. cap. 1. Sic, inquit, quæramus tanquam inuenturi, & sic inue-
C niamus, tanquam quæsituri: cum enim cõsummauerit homo, tũc incipit, &c. & lib. 15. c. 1. Quæritur vt inueniatur dulcius, & inuenitur vt quæratur auidius, &c.

Ineffabilis est Dominus, sed effabilis fit, cum nobis sua occultissima mysteria per fidem effatur, vt illa nos effari possimus. *Credidi*, ait Psalmographus Psal. 115. *propter quod locutus sum*, &c. & Apostolus 2. Cor. 4 *Nos*, inquit,
D *credimus, propter quod & loquimur*, &c. Fides quæ ineffabilia sunt, effabilia facit; *Credimus propter quod & loquimur*, qui non credunt Trinitatis mysterium eloqui nequeunt. Credendũ in primis est tantum mysterium; deinde loquendum. Quis Scripturæ testimoniis non credat, quis Ecclesiæ Conciliis à Spiritu Sanct. illuminatæ fidem certissimam non adhibeat? *Si testimonium ho-*
E *minum accipimus* (ait Ioann. episto. 1. cap. 5.) *testimonium Dei maius est*, &c. Si testimoniis hominum fidem adhibere oportet, (quæ si non credantur, vt ait Augustin. in hac vita nihil ageremus) quanto oportet magis fidem adhibere testimoniis Dei? Credimus hominibus fide humana, cui falsitas sæpe inest; credamus Deo fide diuina, cui semper certissima inest veritas, à

Fides Deũ effatur.

1. Ioan. 5.

qua omnis abest falsitas. fine humana fide non potest constare Respubl. fine diuina, constare non potest Ecclesia. Hanc humanæ fidei necessitatem considerauit Augustin. ab eaque ad fidem diuinam se motum scribit libro sexto. Confess. cap. quinto. Considerabam, inquit, quam multa crederem, quæ non videram, neque cum gererentur adfuissem. Sic tam multa sunt in historia gentium, tam multa de locis, atque vrbibus, quæ non videram; tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus aliis, atque aliis crediderams quæ nisi crederentur, omnino in hac vita nihil ageremus. Postremò, quam inconcussa fide fixum retinerem, de quibus parentibus ortus essem, quod scire non possem nisi audiendo credidissem, &cæt. Huc illud spectat D. Gregor. libro quarto, dialog. capit. secundo. Sine fide neque infidelis viuit. Nam si ab infideli percunctari voluero, quem patrem, vel quam matrem habuerit, protinus respondebit, illum atque illam. Quem si statim requiram, vtrumne nouerit, quando conceptus sit, vel quando natus viderit; nihil horum se, vel nosse, vel vidisse fatebitur: & tamen quod non vidit, credit, &cæt. Nemo de parentibus suis dubitat, nemo ambigit an sit Hispania, an sint Leones, & Elephantes: & si nunquam Romam viderit homo, aut Elephantum, aut Leonem; humana fide absque dubitatione credit, quod non cernit. Si hominibus credimus, credamus multo magis Deo. Audiamus quæso Richardum Victorinum libro primo, de Trinitate capit. secundo. Nihil, inquit, certius, nihil cōstantius tenemus, quam quod fide apprehendimus. sunt namque patribus cælitus reuelata, & tam multis, tam magnis, tam miris prodigiis diuinitus confirmata vt genus videatur esse dementiæ, in iis, vel aliquantulum dubitare. & alia in hanc sententiam.

Fides necessaria. *D. August.* *D. Gregor.* *Rich. Vict.*

Subiiciamus summæ veritati intellectum humiliter; mysteria vero diuina ne scrutemur superbè. Prouerbio. 25. *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi*, &cæt. Mella dulcissima sunt fidei Christianæ mysteria, sed quod sufficit comedendum, hoc est, vt exponit interlin. Glos. Non plus sapiendum, quā oportet sapere. & Dionys. Carthus. Si mel, inquit, inuenisti, id est, Deum contemplari cœpisti, & Scripturarū dulcedinem aliqualiter degustasti; comede quod sufficit tibi, id est, iuxta capacitatem intellectus tui te refice, neq; incomprehensibilia comprehendere nitaris, &c. Item eodem cap. ait Salomon, *Sicut qui mel multum comedit, nō est ei bonum; sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria*, &c. Opprimitur à maiestate & gloria Dei, arrogās intellectus, qui illius vnitatem, & Trinitatem arrogāter scrutatur: vt iis stomachus à melle opprimitur, qui mel multum comedit, & is homo ponderi succumbit, qui pondus vires excedēs in humeros tollit. D. Greg. lib. 14 Mora cap. 14. Dulcis, inquit, est requisitio maiestatis, sed qui plus hanc scrutari appetit, quam humanitatis cognitio permittit, ipsa hunc eius gloria opprimit, quia velut immoderatè sumptum mel perscrutantis sensum, dum nō capitur rumpit. Sic ille. Quemadmodū iis qui Solis splendorem fixis in eum oculis contemplatur, Solis ipsius luce nimia obruitur, & excæcatur, sic qui sanctissimæ Trinitatis radios ardentissimos, temerè & insolenter, intuetur, coruscanti illorum splēdore opprimitur. Ecclesi. 3. *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris*, &c. Altius nostro intellectu est mysteriū Trinitatis, & fortius. Non potest paruus intellectus ad altissimum pertingere mysterium; imbecillis mens non potest fortissimum capere arcanum. Duplex autem est causa, cur ad tātum mysterium nō pertingamus; altera est in nobis, altera i ipso mysterio. In mysterio est infinita altitudo, quæ omnē superat intellectū iuxta illud Iob 36. *Ecce Deus magnus vincēs scientiā nostrā*, &c. & illud Psal. 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, id est, præ me: nam captum meum excedit, *confortata est*, id est, fortis facta est, *& non potero ad eam* ascendere, non potero ei præualere. In nobis vero est causa, magna imbecil-

Prouer. 25 *Diuina mysteria non sunt perscrutanda superbè.* *D. Gregor.* *Simile.* *Ecclesi. 3.* *Dei scientia superat intellectum nostrum.* *Iob 36.* *Psal. 138.* *Imbecillis est noster itellectus.* *D. Gregor.*

becillitas. Vnde D Greg.lib.9.Moral. c.11. Qui inquit, in factis Dei rationē non videt; infirmitatem suam conside rans, cur non videat rationem videt, &c.Ibidem: Nequaquam sufficit sensus carnis, vt secreta penetret maiestatis, &c. legendus D.August initio, lib.4 de Trinit. de cognitione nostræ infirmitatis agens: Scientiam, inquit, terrestriū, cælestiumque rerum, magni æstimare solet genus humanum. In quo profecto meliores sunt, qui huic scientiæ præponunt nosse semetipsos; laudabiliorque est animus cui nota est, vel infirmitas sua, quam qui ea non respecta vias syderum scrutatur etiam cogniturus, aut qui iam cognitas tenet, ignorans ipse qua via ingrediatur ad salutem ac firmitatem suam, &c. Denique D.Bernar. lib.5 de consider. Sacramentum, inquit, hoc, id est, Trinitatis mysterium magnum est, & quidem venerandum, non scrutandum. Scrutari temeritas est, credere pietas est; nosse vita, & vita æterna est, &c.

D. Augus.

Non sunt ergo superbe perscrutanda altiora mysteria, perscrutanda potius sunt humiliter Dei mandata, vt illa exequamur, iuxta illud Psalm. 118. *In toto corde meo scrutabor mādata tua.* Item: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo*, &c. Psal. 1. *In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte*, &c. Quamobrem Sapiens Ecclesiast. 3 postquam dixit; *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris*: addit: *sed quæ præcepit tibi Dominus illa cogita semper*, &c. Vtinā in mandatorum inuestigatione humili; non in arrogante, & ab antiquis Patribus, Ecclesiæque sensu aliena Diuinarum rerum perscrutatione. Hæretici versarētur, sanè Hæretici non essent. Sed dum humano, imo insano quodam intellectu diuinas res scrutantur, deficiunt scrutantes scrutinio, fideique patiuntur eclipsim. D.Gregor. lib 16. Moral. cap. 30. Sunt, inquit, nonnulli, qui ad veram fidem veniunt, sed quia plusquam necesse est, de suis sensibus præsumunt; sæpe in fide quam accipiunt, ea quæ non capiunt perscrutari volunt: vt ratione magis in Deo, quam fide teneantur. Quia vero humana mens perscrutari non valet diuina secreta, omne quod ratione perscrutari non possunt, credere contemnunt, & per inquisitionem nimiam in errorem labuntur. Sic ille. & D. August. lib. 1. de Trinit. Præsumptiones, inquit, opinionum suarum audacius affirmāda intercludunt sibimet intelligentiæ vias; magis eligentes sniam suā non corrigere peruersam, quā mutare defensam, &c.

Mandata Dei perscrutādę. Psal. 118.

Psal. 1.

Ecclef. 3.

Hæretici.

D.Gregor.

D. Augus.

Si Dei opera, quamuis ea totis viribus perscrutemur, assequi intellectum non possumus: qui fieri potest, vt creatorē operum Deum, assequi possimus? Ecclesiast. 8. *Intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem, eorum quæ fiunt sub sole; & quanto plus laborauit ad quærendum, tanto minus inueniat, etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire*, &c. & cap 11. *Quomodo ignoras quæ sit via Spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis, sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium*. &c. Sap. 11. *Difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ ī cōspectu sunt inueniemus cū labore. Quæ aūt in cælis sunt quis inuestigabit?* & Christus Ioan 3. *Si terrena*, inquit, *dixi vobis, & non creditis, quomodo si dixero vobis cælestia creditis?* &c. Si terrena, quæ cernimus, non intelligimus; cælestia, & Deum ipsum quem non cernimus, quomodo intelligere sine fide poterimus? Egregiè D. Basil. Epistol. 168. ad Eunonium, aduersus insolentem diuinæ naturæ inuestigatorem sic scribit: Dicat, inquit, formicarum nobis naturam, qui eorum quæ in natura sunt scientiam cum fastu se prædicat assecutum. Atque ita demum de potentia illa omnē intellectum superante disputet. Si vero minutissimæ formicæ naturam nondum es scientia assecutus; quomodo incomprehensibilem Dei potentiam, imaginatione tua comprehensam esse gloriaris? sic D Basilius Heus tu, qui intellectu tuo, & ratione metiri vis diuina; metire eadem mensura formicam. Sane, vt ostendit D. Basil. tam parua est mēsura intellectus tui,

Dei opera superant perscrutationem nostri intellectus. Ecclef. 8.

Ecclef. 11.

Sap. 11.

Ioan. 3.

D.Basil.

Formica scientiam nō assequitur homo.

tui, quam tu maximam esse gloriaris, A ut neque tãtillam formicam exæquet. Si animam tuam, & intellectum ipsum, quo intelligis, intelligere non vales, Dei Trinitatem quomodo poteris intelligere? Ad fidem ergo confugiamus, illa quærentem intellectum ducet, lucemque ad Deum intelligẽdum præferet.

Nullus quidem intellectus in hoc terrarum orbe beatissimam Trinitatẽ B poterit perfectè inuenire, & agnoscere, inueniet tamen in cælesti patria iusti & sancti hominis intellectus, quod hic maxime cupit. Videmus nunc, ait Apostolus 1. Corint. 13. *per speculum, in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, &c. & August. lib. 9. de Trinit. capit. 1. certa fides vtcumque inchoat cognitionem, cognitio verò certa non perficietur, nisi post hanc vitam, cum videbimus facie ad faciem, &c. Exod. 33. C *Videbis posteriora mea, faciem autem meã videre non poteris*, &cæ. posteriora Dei sunt eius opera, hæc cernimus, cælum, terram, cæteraque huiusmodi. At priora Dei, id est, quæ in illo sunt æterna, omni principio carentia, Diuinam essentiam, personas, faciem, nunc videre non possumus. Sic viuamus nunc, vt qui posteriora videmus, priora quoque videamus, & quod fides inchoauit D in terra, Dei conspectus perficiat in cœlo.

In cœlo assequitur intellectus scientiam quã cupit. 1. Cor. 13. D. August. Exod. 33.

CAPVT XVII.

Morale.

De sanctissima Trinitate.

Deus Trinitatis mysterium oibus patefecit.

EXcellentissimum Trinitatis mysterium aperuit Deus suis cultoribus, neque vero Pontificibus solum aperuit sacerdotibus, & Doctoribus, sed toti etiam plebi. Omnes mysterium secretissimũ vult cognoscere, omnes eos prolatos iubet baptizari. *Baptizantes eos*, inquit, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: tres personas in ipsa fidei ianua inscribit, vnumque Deum. Eodem enim modo (ait D. Hierony.) & in Patrem, & in Filium, & Spiritum S baptizamur, & ter mergimur, vt Trinitatis vnum appareat Sacramentum. & non baptizamur in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus sãcti. sed in vno nomine quod intelligitur Deus. Sic ille. Trinitas nos creauit, & ad imaginem suam fecit. Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: eadem Trinitas nos in Baptismo recreat, ac renouat, cum baptizamur in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. D. Fulgent. lib. ad Donatum cap. 11. Ad imaginem, inquit, Trinitatis homo factus agnoscitur, in cuius nomine baptizatus denuò renouatur. Baptizari autem gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Saluator noster edocuit, vt sicut Trinitatis opere initium conditionis accepimus, sic in nomine Trinitatis, diuinæ adoptionis gratia frui mereamur, &c. Quando hominem creauit Deus Trinitatem indicauit. *Faciamus*, inquit, *hominẽ ad imaginem, & similitudinem nostrã*, &c. Eandem Trinitatem indicat cum lapsum hominem iterum creat in Baptismo. sed clarius indicat personarũ numerum & processiones. Tres personas esse, ostendit, Patrem ingenitum, Filium à Patre genitum, Spiritum S. à Patre, Filioque procedentem. tres personæ sunt, & vnus Deus. Nos autem plures personæ sumus, neque verò sumus vnus homo, neque esse possumus.

D. Hieron.

Gen. 1.

D. Fulgẽt.

Deus Trinitatẽ personarũ indicauit cũ hominem creauit, & cũ per Baptismum recreat.

E At Dominus Ioan. 17. Patrẽ sic orat; *Serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos*, &c. Deus bone quonam modo vnum esse possumus, sicut vnum sunt Pater & Filius & Spiritus sanctus. possumus quidem nostro modulo vnum esse, non exæquatione tam miræ vnitatis, sed imitatione. Non possumus multæ personæ vnam habere numero naturam, sed possumus charitatem habere, quæ nos vnum efficiat. *Vt sint vnum* (ait Dominus)

Ioan. 17.

Imitanda est à nobis vnitas Trinitatis.

Digitized by Google

nus) per charitatem, sicut & nos vnũ sumus per naturam eandem numericam. Vnitatis amantissimus est Dominus. cum posset vno nutu terram hominibus complere, vnum tantum Adamũ condidit, & *ex vno viro*, vt ait Paulus Act. 17. *fecit omne genus humanum inhabitare super vniversam faciem terra*. Cum infinitos possit mundos creare, vnum tantum creauit. Denique omnes cultores suos, si non in vnum corpus naturale, certè in vnum corpus mysticum redegit: iuxta illud Rom. 12. *Multi vnum corpus sumus in Christo*, & cæt. Momenti maximi hæc vnitas est, pro qua Dominus morti proximus, Patrẽ precatur, quamque similem esse vult Trinitati præcellentissimæ. ideo Paulus magna solicitudine docet esse seruandam ad Ephes. 4. *Soliciti*, inquit: *seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis*, &c. Ad eam seruandam aliquot propositis vnitatibus nos excitat. Eodem capite, *Vnum*, inquit, *corpus, & vnus Spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestra. Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma. Vnus Dominus & Pater omnium, qui super omnes, & per omnes, & in omnibus*, &c. Quasi dicat: Vnitatem Spiritus & charitatis seruate, estote vnum corpus Christi mysticũ, cuius vnita sint membra omnia, estote vnus Spiritus per mutuam dilectionem, & animorum consensionem. hoc postulat à vobis vna & eadem spes, eiusdem gloriæ atque æternæ, ad quã vocati à Deo estis. Vnum Deum ac Dominum habemus, vnam fidem, vnum Baptisma. Vnum ergo simus in Domino charitatis glutine conglutinati. Hic locus (ait D Hieron. ad Ephes. 4.) maximè aduersus hæreticos facit, qui pacis vinculo dissipato atque corrupto, putant se tenere Spiritus vnitatẽ, cum vnitas Spiritus in pacis vinculo conseruetur. Quando enim non id ipsum omnes loquimur, & alius dicit: *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cepha*, diuidimus Spiritus vnitatem, & eam in partes ac membra discerpimus. hæc D. Hieron.

Act. 17. *Vnitas est Charitas.* *Rom. 12.* *Ephes. 4.* *Vnum esse debemus omnes.*

Ecce, inquit Psalmographus Psalm. 132.) *quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum*, &c. O quam bonum est hoc vnum, ò quam iucundum est hoc vnum fratrum se mutuò amantium. ò beatum vnum, ò suauissimum fragrãtissimumque omnibus odorantibus vnguentum. *Sicut vnguentum* (inquit) *in caput quod descendit in barbam, barbam Aaron*, &c. O rorem hære seon odii, iracundiæ, dissensionumque omnium ac discordiarum ardorẽ extinguentem. *Sicut ros*, ait, *Hermon qui descendit in montem Sion*, &c. O magnũ Dei donum. Ezech. 11. *Dabo*, inquit, *eis cor vnum*, &c. 2. Paralyp. 30. *In Iuda facta est manus Domini, vt daret eis cor vnum*, &c. Act. 4. *Multitudinis credẽtium erat cor vnum, & anima vna*, &c. Multitudo erat credentium, sed hæc multitudo personarum, charitate vnũ erat, atque animorum consensione. O Trinitas augustissima, tribue seruis tuis hoc donum, vt sicut tu essentia eadem numerica vnum es: ita illi charitate & concordia vnum sint. Sit multitudinis Christianorum cor vnum, sit anima vna, fiat manus tua in populo tuo, vt des ei cor vnũ. Psl. 121 *Ierusalem ædificatur vt ciuitas cuius participatio eius in idipsum*, &c. Instar ædificii ciuitatis est Ecclesia. in ædificio omnes lapides calce conglutinantur: sic in Ecclesia omnes Christiani charitate conglutinari debent. participatio nostræ Ierusalem est in idipsum. Regia Bibl. sic habent: *qua iuncta est sibi simul*. omnes enim huius ciuitatis ciues socios, omnes amicos, omnes iunctos sibi, omnes vnum esse opus est. multæ sunt canentium voces; multæ sunt in lyra chordæ, sed vnus concentus: sic multæ sunt in Ecclesia Christianorum personæ, sit tamen vna doctrina, & charitas quę omnes vnum efficiat: in lyra multæ sunt fides, multæ chordæ: in Ecclesia tamen vna est fides vera, nec multa sunt corda, sed vnum, nullæ fides in lyra suauem reddunt concentum, multæ fides falsæ in orbe tartareum hæreticorum, & barbarorum reddunt sonum.

Vnitas spiritus in pacis vinculo conseruatur. *Psal. 132.* *Cor vnum & anima vna.* *Ezech. 11.* *Paral. 30.* *Act. 4.*

CAPVT XVIII.

Morale.

Trinitas hominis est memoria, intell. & voluntas.

Est Trinitas in Deo personarum, est etiam in nobis Trinitas potentiarũ. Conditi enim sumus ad imaginem & similitudinem Dei. Sicut Deus vnus est essentia, & trinus personis, sic animus noster suo modulo, vnus est natura, & trinus potentiis: habet enim potentias tres, memoriam, intellectum, voluntatem. Mens imago Dei est (ait Bern. in medit. c. 1.) in qua sunt tria, id est, memoria, intelligentia, & voluntas. Per memoriam Patri similes sumus, per intelligentiam Filio, per voluntatem Spiritui S. &c.

D. Bern.

D. Basil. *Filius Dei est perfectissima imago Patris.*

Filius Dei, imago Patris est perfectissima, toto veluti sigillo ineffabiliter expressa, vt ait Basil. lib. 2. aduersus Eunomium; Imago, inquit, genita, est Filius, tanquam sigillo aliquo tota Patris natura Filio impressa. Viua substantia est, & operans, ac splendor maiestatis Dei, &c. & Ambros. libr. 10. in Lucam: Solus Christus est plena imago Dei, propter expressam in se paternæ claritudinis vnitatẽ, & propterea idẽ Ambr. lib. 6. Hexamer. c 7. ait Christũ Ioan. 14. dicere: *Qui videt me, videt & Patrem*: quia imago Patris est perfectissima: Imago, inquit, Dei est, qui dicit Ioan 14. *Philippe qui videt me videt & Patrem*. & quomodo tu cum imaginẽ viuam Patris viuentis videas dicis, Ostẽde nobis Patrem, &c. Imago Dei est verbum Dei perfectissima, homo quoque imago est, sed tenuis, & imperfecta. Vnde D. Th. 1. p. q 93. art. 1. In infinitum, inquit, excedit exemplar hoc tale exemplatum, & ideo in homine dicitur esse imago Dei imperfecta, &c. Eodem art. docet imaginem Dei esse in Filio connaturalem, in homine verò esse sicut imago regis est in aliena natura, i. in pecunia. Imago, inquit, Dei est in Filio suo, sicut imago regis in filio sibi connaturali. In homine autem sicut in aliena natura; sicut imago regis in nummo argenteo, &c. Hanc autem imaginis in homine imperfectionem, significatam putat D. Thom. illis verbis Gen. 1. *Faciamus hominẽ ad imaginem & similitudinem nostrã*, &c. Hoc, inquit, significat Scriptura cum dicit hominem factum ad imaginẽ Dei. præpositio enim, *ad*, accessum quendam significat qui competit rei distanti, &c. Et D. Aug lib 7. de Trinit. cap. 6. Quia, inquit, non omnino æqualis fiebat illa imago Dei, tanquam non ab illo nata, sed ab eo creata, huius rei significandæ causa, ita imago est, vt ad imaginem sit, id est, non æquatur parilitate, sed quadam similitudine accedit, &c. Sic & alii exponunt.

D. Ambr.

In homine est imago Dei imperfecta.

D. Thom.

Gen. 1.

D. August.

Aliqui, vt ait Aug. eodem cap. opinati sunt imaginem Dei esse filium, hominem verò non imaginem esse, sed ad imaginem. Refellit eos Aug. ex dictis Pauli 1. Cor. 11. *Vir*, inquit, *non debet velare caput, cum sit imago & gloria Dei*, &c. A Paulo homo imago Dei dicitur, non dicitur ad imaginem: Præterea Genes. 1. ait Dominus, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, &c *Nostram* dixit, quia conditus est ad imaginem Trinitatis, non verò ad imaginem, id est, ad filium solum qui est imago Patris. Ad imaginem (inquit Aug.) non quasi ad filium dicitur, quæ imago æqualis est Patri. alioqui non diceret, *ad imaginem nostram*. Quomodo enim, *nostram*, cum filius solius Patris imago sit? sed propter imparem similitudinem dictus est homo ad imaginem, & ideo *nostram*, vt imago Trinitatis esset homo, non Trinitati æqualis sicut filius Patri, sed accedens quadam similitudine, sicut in distantibus significatur quædam vicinitas, non loci, sed cuiusdam imitationis. Hæc August.

D. August.

Factus igitur homo est ad imaginẽ increatæ Trinitatis, habetque in se Trinitatem creatam, i. memoriam, intellectum, voluntatem. hæc imago naturalis per peccatum, non quidem amissa est, sed obscurata, ac deformata, iuxta illud

Imago Dei in homine obscurata fuit per peccatum.

illud D. Aug. lib. 1. retract. c. 24. Quod, inquit, dixi Adam imaginem Dei perdidisse peccato, non ita accipiendum est, tanquam in eo nulla remāserit, sed quòd tam deformis, vt reparatione opus habeat, &c. Indiget ergo imago nostra reformatione: vnde Apostolus ad Coloss. 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouū eum, qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui creauit illum*, &c. Vetus homo imago est Adami, pellēda est animo. Nouus homo imago est Christi, assumenda. *Sicut portauimus imaginem terreni* (inquit Paulus 1. Cor. 15.) *portemus & imaginem cælestis*, &c. Triplicem imaginem esse ait D. Tho. 1. p. q. 93. art. 4. Prima est imago creationis, secunda recreationis, tertia similitudinis. Primam ait inueniri in omnib. hominibus: omnes. n. intellectu prædi- ti sunt, memoria, ac voluntate. Secundam in iustis tantum reperiri; imago namq; recreationis siue renouationis, est gratia, & iustitia, quæ in solis est iustis, daturque hominibus cum per Sacramenta recreantur, idest, iterū creantur, & fiunt noua creatura, vt loquitur Paulus. Tertiam ait esse solū in beatis. solum. n. beati maximè Deo sunt similes. Prima imago, quæ omnibus hominibus tum iustis, tum impiis inest, dicitur significata Gen. 1. nomine imaginis cum Deus ait, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Secunda quæ solum inest iustis, dicitur à multis indicata nomine *similitudinis*. Primā in ipsa creatione accepimus, neque amittere eā possumus. Dicitur Phidias olim clypeum effecisse Mineruæ, in eum verò sic imaginem suā inclusisse, vt integro clypeo nulla ratione posset eximi; similem in modum Dominus imaginem suam in homine sic insculpsit, vt salua humana natura auferri nullo modo possit, quandiu homo extiterit, existet in eo prima hæc Dei imago, ea. n. sublata non homo erit, sed pecus. D. Bern. Infra citatus. Imago, inquit, in gehēna ipsa vri poterit, sed nō exuri, ardere sed non deleri, &c. Secunda imago renouationis, siue vt alii loquuntur similitudinis iustorum, amitti quidē potest, potest etiā recuperari. D. Basil. homil. 10. in hexameron: Ab ipsa, inquit, mox creatione obtinui illud, *Ad imaginem*: destinato autem ac liberiore animi proposito prouehor: *Ad similitudinem*, &c. Item quo pacto effingimur *ad similitudinē Dei*? nimirū per Euangelia. Christianismus quid est? Assimilatio Dei. D. Bern. serm. 1. de Annuntiat. Ad imaginem, inquit, & similitudinem factus est homo. In imagine arbitrii libertatem, virtutes habēs in similitudine, & similitudo quidem perit. Veruntamen in imagine pertransit homo. similitudo aut manet in bono; aut si peccauerit anima mutatur miserabiliter iumentis assimilata, &c. Magister sent. lib. 2. dist. 16. Factus, inquit, est homo *ad imaginem Dei* secundum memoriam, intelligentiam, & dilectionem. *Ad similitudinem* autem secundum innocētiam & iustitiam, &c. Ruper. in Gen. lib. 2. c. 3. *Ad imaginem*, inquit, *faciamus hominē*, vt sit rationabilis: *ad similitudinem nostram*, vt rectus sit; sectando iustitiam Dei, &c.

Orig. lib. 3. de principiis cap. 6. *Similitudinem*, vult significare tertiam imaginem similitudinis, quam D Thomas, vt supra diximus, ait in beatis tā- tum esse. Dixit Dominus (ait Orige.) *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Deinde addit, *& fecit Dominus hominem, ad Dei imaginē fecit eum. Masculum & feminam fecit eos* hoc ergo quod dixit. *Ad imaginem Dei fecit eum*. & de similitudine siluit, non aliud indicat, nisi quod imaginis dignitatem in prima conditione perceperit; similitudinis vero perfectio in cōsummatione seruata est, scilicet, vt homo sibi eam propriæ industriæ studiis ex Dei imitatione cōsciceret; cum possibilitatem sibi perfectionis diuinitus datā per imaginis dignitatē, in fine demum, per operum expletionem, perfectam sibi ipse similitudinē consummaret. Hæc Orige. De hac similitudine loquitur D. Ioan. epistol. 1. cap. 3. *Charissimi* (inquit) *nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniā cū apparuerit similes ei erimus quoniā videbimus eū sicuti est*, &c.

Marginal notes: Coloss. 3. — 1. Cor. 15. — Triplex est imago creationis, renouationis, & similitudinis. — D. Basil. — D. Bern. — Magister. — Origen. — Imago Dei in beatis. — 1. Ioan. 3.

Ex his colligimus triplicem esse imaginem Dei, primam creationis, secundam renouationis, siue similitudinis in hac vita, tertiã similitudinis & glorificationis in cœlo. Primam naturalem perficit secunda supernaturalis, atque exornat: tam primam quam secundam, ad summam perfectionem tertia perducit gloriosa. De secunda Ambr. lib. 6. hexemeron, c. 8. Pictus es, inquit, ò homo, & pictus à Domino Deo tuo. bonum habes pictorem. Noli bonam delere picturam non fuco, sed veritate fulgentem, non cera expressam, sed gratia, &c. Itaque omni conatu enitendum est, vt primam imaginẽ semper Dei gratia exornemus, quandiu facultas exornandi datur, neque vnquam manum è tabula tollamus. Moremur in decoranda hac pictura, archetypum cui similis est, semper inspiciamus, Dei pulchritudinem in illã trãsferre pro nostra tenui parte conemur. dixisse olim fertur pictor Zeuxis, *diu pingo, quia æternitati pingo*. Hoc pictoris dictum in nostra mente hæreat: æternitati pingimus: pingamus diu, pingamus semper, semper ante oculos, semper sub penicillo sit imago, quia æternitati pingimus.

D. Ambr.

Pingendã & exornãda est imago Dei in nobis.

Zeuxis.

Pinxit sanctissima Trinitas primam imaginem creationis, memoriam dedit, intellectum & voluntatem. Nobis adiuuante ipsius potenti manu, pingẽdam reliquit secundam imaginem recreationis, siue renouationis, vt in fine imaginem glorificationis assequamur. D. Basil. homil. 10. in exhemeron: Opifex, inquit, tuus quiddam tibi contulit, id est, imaginẽ creationis, quiddam reliquit perficiendum, id est, imaginem renouationis, vt id cum ad perfectionem promoueris, pronuntieris nihil indignus, qui mercedem insumptæ operæ, Deo repignerãte recipias, per imaginem glorificationis. hæc ille. At dices, vt scribit Plin. lib. 35. c. 10. Simulachrum Veneris ab Apelle inchoatum, nullus artifex absoluere ausus est, eo quod omnium facultatẽ superaret eius perfectio. Si imaginẽ Veneris ab Apelle factam, non est inuentus, qui perficeret, imaginem Dei à

D. Basil.

Plinius.

A Deo depictam, quis poterit perficere? Respondetur, superare quidem hominum vires, imaginis Dei perfectionẽ: posse tamen perfici, ipso Dei auxilium præstante. Confert ille auxilium: ne despondeamus animum, pingamus memoriam nostram perpetua Dei recordatione, intellectum diuinis intellectionibus voluntatem diuino amore, sic egregiè picta erit imago, tandẽ cælesti pingetur gloria perfectissimè, vt B docet Bern. serm. 11. in Cant. In anima, inquit, tria intueor, rationem, voluntatem, memoriam quantum cuique horum in præsenti sæculo desit de integritate sua, & perfectione, sentit omnis qui ambulat in Spiritu, ratio sæpissimè in iudiciis fallitur, voluntas quadruplici perturbatione iactatur, & memoria multiplici obliuione confunditur. Deus ipse rationi futurus est plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, C memoriæ continuatio æternitatis. O beata Trinitas, ad te mea misera trinitas suspirat, quoniam à te exulat. Hæc Bern. August. verò paucis sic precatur Deum vt hanc animæ trinitatem in terra depingat, & in cælo perficiat lib. 15. de Trinitate, cap. 28. Meminerim tui Domine, intelligam te, diligam te. Auge in me ista, donec me reformes ad integrum, &c. Adde illud Bern. in D meditat. cap. 1. Nihil, inquit, est tam simile illi summæ sapientiæ, quam mẽs rationalis, quæ per memoriam, intelligentiam, & voluntatem, in Trinitate ineffabili consistit. Consistere autem in illa non potest, nisi eius meminerit, eamque intelligat, ac diligat. Meminerit itaque Dei sui, ad cuius imaginem facta est, eumque intelligat, diligat, atque colat, cum quo potest semper esse beata. Hæc ille. Audiamus quoque Ma E gnum Albertum in lib. de adhærendo Deo, cap. 3. Est, inquit, hominis in hac vita perfectio, ita Deo vniri, vt tota anima cum omnibus potentiis suis in Deum sit collecta, vt fiat vnus Spiritus cum eo, & nihil meminerit nisi Deum, nihil sentiat, vel intelligat nisi Deum, & omnes affectiones in amoris gaudio vnitæ, in sola conditoris fruitione requiescant. Imago enim Dei in

D. August.

Memoria Dei recordatione, intellectus sanctis cogitationibus, voluntas diuino est amore exornãda.

D. Bern.

his

his tribus potentiis in anima expressa consistit, videlicet ratione, memoria, & voluntate: & quandiu illæ ex toto Deo impressæ non sunt, non est anima deiformis. Forma enim animæ Deus est, cui debet imprimi, sicut cera sigillo signatur. Hoc autem nunquam plenè fit, nisi cum ratio perfectè illuminatur ad cognitionem Dei, & voluntas perfectè afficitur ad amandam summā bonitatem, & memoria absorbetur ad intuendum, & fruendum æterna felicitate. Et quia in consummata horum adeptione consistit gloria beatitudinis, quæ perficietur in patria, liquet quod istorum perfecta inchoatio est perfectio in hac vita. Sic Albertus. O vtinam hanc perfectionem in hac vita consequamur, atque ita imaginē creationis depingamus, vt imaginem illā quam expectamus cælestis glorificationis consequamur. De qua Ioan. *Scimus*, inquit, *quoniam cum apparuerit similes ei erimus*. & Paulus ad Phil. 3. *Saluatorem*, inquit, *expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, &c. & ad Roman. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*, &c. Est Christus Filius Dei naturalis gloria admirabili plenus, tum animi, tum corporis. Conformes in cælo erunt beati imaginis ipsius & similitudinis, tum animo, tum corpore. Non tamen erūt æquales, sed longissimo interuallo fratre suo primogenito, & rege suo ac Deo inferiores. Hanc imaginem toto corde cōcupiscamus, imagines autem turpissimarum bestiarum execremur.

Philip. 3.

Rom. 8.

Quænam, inquis, bestiarum imagines sunt? Respondeo esse vitia, sic n. à Patribus appellantur. Hinc illud D. Ambr. lib. 6. Hexemeron capit. 8. Sunt, inquit, animi bestiales, sunt feræ formâ hominum indutæ: de quibus dicit Dominus Matth. 7. *Veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus sunt lupi rapaces*, &c. & D. Basil. homil. 10. Quisque, inquit, ad eius brutæ animantis indolem se transformasse dicitur, cui vitiosa imitatione affinem se reddidit & familiarem, &c. Eodem loco, belluas vitia appellat, iram, dolos, hypocrisim, rapinas. Planè, inquit, in te ipso circūfers numerosam & turbulētam belluarum intemperiem. In corde vesaniens ira cum oblatrarit, quo cane efferatior nō est? Dolus quoties in anima sibi elegit domicilium, num vrso quouis est implacabilior? hypocrisim neges esse belluam? Quisquis ad concinnandam calumniam composito est, & peracri ingenio, is ne meritò tibi videri debet Scorpius? Nonne eum dixeris Lupum rapacem qui nullo suo iure corrodit, & extorquet aliena? Insano captiuus amore, mulierculæ, nonne talis equus est furiali concitus æstro. Quæ tādem fera est, quę in nobis sibi non vendicet locum? Hæc ille. Execrandæ sunt hæ belluarum similitudines, ideo seuero rigidoque imperio animi cupiditates sunt frænandæ. Id flagitat imago Dei nobis impressa, intellectus videlicet & ratio. Vnde D. Basil. eodem homil. Animal, ait, es ô homo imperio natū; ecquid hanc seruis affectuum seruitutem? ecquid te dedis peccato in vile mancipium? &c. Animal autem natum imperio suarum cupiditatum, est homo, quia intellectus & rationis compos est.

D. Ambr.
Vitia imagines sunt bestiarum.
Matth. 7.
D. Basil.

Homo animal natū imperio suarum cupiditatū.
D. Basil.

Sed iam tēpus postulat vt receptui canamus. In fine autem tractatus huius de Trinitate veluti in fine Psalmi, quid suauius canemus, quam *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.* O canticum suauissimum. Quid suauius sanctissimæ Trinitatis laudibus? ô Trinitas beatissima, omnes ter laudant creaturæ tuæ, omniū enim laudes dilectus tuus Ioannes audiuit Apocal. 5. *Omnem*, inquit, *creaturam quæ in cælo est, & super terrā, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui, dicentes: Sedenti in Throno & agno, benedictio, & honor, & gloria & potestas in sæcula sæculorum*, &c. Si creaturæ te laudant, etiam sensu & ratione carentes, & imaginis tuę expertes; tacebitne homo ad imaginē & similitudinem tuam conditus, cuī memoriam donasti quâ tui semper meminisse, intellectum quo te cognoscere,

Laudanda S. Trinitas
Apoc. 5.

re, voluntatem qua te diligere possit? Tacebit ne homo infinitis à te cumulatus beneficiis? quem creasti, quem ex grauissimo Tartarei hostis iugo eripuisti, pro quo Filii diuina persona humanitatem assumpsit, sanguinemque & vitam in cruce profudit? Tacebitne homo cui inter omnia animantia sermonem largitus es, tum internum mētis, tum externum oris, quo tibi debitas laudes exoluat? O silentium hominis ingratissimi ac beneficiorum omnium immemoris? *Va mihi quia tacui*, Isai. 6. O vtinam nunquam ex corde, nusquam ex ore recedat doxologia hæc, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto; sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.*

Apoc. 4. Apocal. 4. *Quatuor animalia requiem non habebant die ac nocte, dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens*, &c. Vtinam illa possemus imitari, teque ò Trinitas gloriosissima die ac nocte requiem non habentes, semper absque vlla intermissione laudare. Quamuis etiam si id facere possemus, non possemus tamen tantarum laudum assequi immensitatem, iuxta illud Ecclesiast. 43. *Glorificantes Dominum* A *quantumcunque potueritis, superualebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis, maior enim est super omni laude. Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis, non enim comprehendetis*, &c. Eccles. 43. Trinitas laudem. At verò etiam si quatuor Apocal. animalia requiem non habentia imitari, etiamsi laudum tuarū immensitatem assequi non possimus, pro tenui tamen nostra parte, gloriam tibi B semper canemus, dicentes, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.* gratiasq; agentes pro summis, quæ à te accepimus, beneficiis. Id vero petimus à maiestate tua, vt imaginem tuam, quam animo impressisti nostro, gratiæ virtutumque omnium decore illustres, memoriam excites, vt cælestium rerum nunquam obliuiscatur, intellectum illumines, vt te operaque tua cognoscat & intelligat, C voluntatem inflammes, vt te amet ardenter. Dedisti imaginem creationis nos creando, da imaginem renouationis gratia nos renouando, tandemque tribue imaginem glorificationis in cælesti patria, seruos tuos æterna gloria condecorando.

Laus augustissima Trinitati.

Digitized by Google

Digitized by Google

1-6-3